CATENA PROONIMA VERSIONUM GLOSSEMATUM SS. PATRUM, ...

Juan Rodolfo : de Córdoba, Louis Spirinx, Ascanio Rivaldi

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
204
23 G
14

Digitized by Google

non posseduto
1952

Digitized by Google

204. 23. g. 14

R. P.
IOAN. RODOLPHI
A CORDVBA
SOCIETATIS IESV,
CATENA SACRA
In Libros Regum.

BIBLIOTECA NAZ. ROM. VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

CATENA PROONIMA VERSIONVM GLOSSEMATV. SS. PATRVM, VETERVM, ET NEOTHERICORVM INTERPRETVM HEBRÆORVM, GRÆCORVM, LATINORVM IN. IIII. LIBROS REGVM

Tomus Primus.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI DOMINO. D. GASPARI ALPHONSO PEREZ DE GVZMAN COGNOMENTO BONO, DVCI CLARISSIMO METHYMNÆ SIDONIÆ

COLLECTORE INTERPRETE, et Paraphraste R. P. IOHANNE RODOLPHO A CORDVBA Arcbalensi Societatis IESV Theologo et Theologiæ Professore.

Cum INSTITVTIONIBVS MORALIBVS Pro Concionatoribus.

LVGDVNI,
Sumptibus Philippi Borde, Laurentij Arnaud & Claudij Rigaud. MDCLII.
Cum Approbat. DD. et Superior. permissu.

BIBLIOTECA MAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



EXCELLENTISSIMO PRINCIPI D. GASPARI ALPHONSO PEREZ DE GVZMAN,

COGNOMENTO, BONO; DVCI CLARISSIMO
Methimnæ Sidoniæ, Comiti Nieblæ, Marchioni Cazazæ,
à Claue-Regia Hiſpalenſi ac Neblienſi Commendatario
in Ordine Militari Calatrauæ, Familiæ
Guzmanorum Capiti, &c.

IOANNES RODOLPHVS à CORDVBA
è Societate Iesv, ſempiternam felicitatem.

PRISCORVM *Principum facta, quæ prioribus Sacræ Regalis Hiſtoriæ monumentis continentur, tuo potius Stemmati ſacratum iri decreuimus*, Princeps Excellentiſſime. *In hanc me mentem impulit vel ius tuum, vel illorum votum, vel etiam meum debitum. Iuris vtique tui illorum ſunt acta, inſtitutiones, mores. Ad te ſpectant Saulis virtutes, dum adhuc erat* electus, & bonus, & non erat vir de filiis Iſraël melior illo; *quod tuum quo-*

Digitized by Google

que prædicat Stemma Atauis olim insigne tuis. Tibi militant illustria Dauidis monumenta, cuius Tu mitissimum præ te fers ingenium, consilia, facta. Tui iuris magnus est Samuel, cuius animum, pietatis studium, ac religionis zelum induisti, de quo Sacra Historia: Placebat tam Deo, quàm hominibus. *Deo quidem gratissimum Te esse non ambigit qui tuam aduersus Deum, sacráque omnia miram pietatem, ac religiosissimam mentem nouerit: studia ac mores integerrimos expenderit. Hominibus verò mirificè te gratum, cunctísque peracceptum reddunt facilitas, comitas, & humanitas; quas tamen grauitas sine fastu temperat, condit sine supercilio seueritas. Arduum enim, ac magnum illud obtinuisti quod Plinius Iunior nimium ait Principibus esse difficile*; Seueritatem pari iucunditate condire, summæque grauitati tantum comitatis adiungere, non minùs difficile, quàm magnum est. *Nec Tibi (quod Tacitus laudauit in Agricola)* quod rarissimum est, aut seueritas amorem diminuat, aut facilitas autoritatem. *Ionathæ quoque Excellentissimi Principis Benignitas, ac fides tua est. Pientissimus quidem ille in Dauidem exulem & malè vexatum extitit, cui stipe, opera, consilio, ac solatio præsto fuit. Nec ab eius Tu institutis aberras, qui indigis, ac fortunæ iniuriis agitatis portus es, vmbra, præsidium; nec sine Numinis consilio tanta Te diuitiarum copia instructum crediderim, quas vix tandem profusæ munificentiæ tuæ suffecturas sciret. Pascis indies egenorum greges; orphanis, pupillis ades, & viduis; Sacris Ædibus, & piis quibusque institutis prodigo adeò effluxu subministras, vt tuus quoque abacus & serica vel etiam aurea peristromata ingenium tuum timeant, & profusorem dexteram vereri videantur. Pluribus tamen parco, ne (vt cum Sidonio Apollinari loquar)* impudenter verecundiam tuam laudibus nimiis vltrò premamus; præconia enim tua iustius, libentiúsque de Te, quàm Tibi dicimus; *lubétque cum minori Plinio in Paneg. Trai.* Orationem meam ad modestiam, moderationémque tuam submittere, nec minus considerandum, quid aures tuæ pati possent, quàm quid virtutibus debeatur. *Tui ergo sunt iuris Principes, quos tenet* Catena *nostra: Te quoque strenuum virtutum suarum cultorem Patronum amant, ambiunt, exigunt. Non igitur eos immeritò tuis ego Aris deuouero, tuo Stemmati addixero. Accedit debitum quoque meum acceptáque à Te humanissima officia, quæ sine aliquo fœnore rependere, ingrati animi piaculum à Cordubensi deputatur. Debet etiam debitor, vt ipse alibi docet quærere, cui reddat, & si nemo poscit, ipse se appellare. Quid si illa tua referam beneficia, quorum Tibi Societas nostra iamdudum rea est? Quid tuam in eam pietatem, animum, gratiam? Prolixior series est, quàm vt paucis possit recensèri. Excipe igitur benigno, quo soles animo, ac vultu, conglobatas, ac in ordinem digestas Veterum Patrum, & florentissimorum quorumcũque Recentiorum Interpretum sententias in Primum Regum volumen; quas inter ineptas*

quoque

Plinius lib. 4. Epist. 3.

Tacitus in vita Agricolæ.

Sidon. lib. 9. Epist. 14.

Plinius.

Seneca.

Digitized by Google

quoque noſtras rationes, ac lucubrationes inſertas interdũ inuenies tanquam inter argentea quæque numiſmata plumbeum talentum, & quaſi inter Regias dapes vulgarem eſcam, quæ delicatiſſimorum, ac nobilium ciborum faſtidium depellat. Hoc enim potiori mihi iure fateri ac ſperare licet, quàm Magno Gregorio, qui cùm Mariano ſuum in Ezechielem opus dicaret, Gregor. *ac mitteret, ita ſcribit*: Valde incongruum credidi vt aquam deſpicabilem hauriret, quem conſtat de Beatorum Patrum Ambroſij, atque Auguſtini torrentibus, profunda, ac perſpicua fluenta aſſiduè bibere. Sed rurſus dum cogito, quod ſæpè inter quotidianas delicias etiam viliores cibi ſuauiter ſapiunt: tranſmiſi minima legenti potiora, vt dum cibus groſſior, velut poſt faſtidium ſumitur, ad ſubtiliores epulas auidiùs redeatur. *Sed de his ſatis, nam vt bene ille*: breuiùs aliquanto Principes ſalutantur.

PROLOGVS
PRO LECTORE.

SAcras Literas interpretandi, fœtáque Sacramentorum arcanis Volumina enucleandi, variæ admodùm à Patribus & Doctoribus excogitantur
Sixt.Sen. methodi; quas latè refert,& vt in praxim veniant, edocet Sixtus Senensis lib.3. sanctæ Bibliothecæ. Ab earum enumeratione,& censura facilè abstineo. Præ aliis tamen ex mea, siqua est, sententia, modus eminet, quem Glossas alij: alij Stromata: alij Catenas, seu Rapsodias vocant. Interpretationis hoc, siue expositionis genus, non Latinis solùm, & nuperis, sed & Græcis, familiare est. Extat Græcorum Patrum in Geneſim Catena,qua interdum vtitur Aloysius Lipomanus, vir omnigenæ eruditionis copia excultus. Extant & aliæ in varios Scripturæ libros Græcæ Rapsodiæ, in Iob, Canticum Canticorum, Psalterium, & siquæ id genus. Apud
Strabus. Fuldens. Latinos verò Strabus Fuldensis, Glossam, quam *Ordinariam* vocant, in totius Scripturæ
S.Thom. expositionem ex Patribus contexuit. Angelicus etiam Thomas in quatuor Euangelia auream verè tam Græcorum, quàm Latinorum Interpretum, Catenam extruxit; cumque priscis penè omnibus ex diuina Sapientia lumen afferre posset: maluit tamen pro incredibili modestia veterum Patrum doctrina, quin etiam & verbis vti. Ecclesiastici disciplinam amplexus cap. 8. 9. *Ne despicias narrationem presbyterorum Sapientum, & in prouerbiis eorum conuersare. Ab ipsis enim disces sapientiam & doctrinam intellectus. Non te prætereat narratio sentorum. Ipsi enim didicerunt à patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum & in tempore necessitatis dare responsum.* Hanc etiam modestiæ, & eruditionis artem amplexi
Lipoman. Pagnin. Gisserius. Corder. sunt vterque Lipomanus in suis expositionibus librorum Geneseos, Exodi, & Psalterij, Xantes Pagninus in Catena Argentea, super Pentateucum, & altera super Psalterium. Michaël etiam Gisserius in Canticorum Cantica; & nouissimè Corderius noster,qui in Euangelia Ioannis, & Lucæ Rapsodiam ex Græcis Patribus annexuit. Quantum verò modus hic expositionis aliis antecedat, ostendere, exiguæ industriæ opus est. Etenim si docti cuiusquam Interpretis sententia circa sacrarum Literarum intelligentiam, magnæ æstimationis, vsúsque est; quantò maioris vtilitatis, & lucis in vnum congesta, & in ordinem redacta Patrum omnium,& bonæ notæ Interpretum doctrina censebitur? *Erit salus vbi multa con-*
Prou.24.6 *silia*, ait Salomon Prouerb.84.6. Michaël etiam Archangelus Danieli: *Plurimi*, inquit, *per-*
Dan.12.4. *transibunt, & multiplex erit scientia.* Dan.12. 4. In cuius verba sapientissimè Gregor. *Hoc nobis sciendum, quia per incrementa temporum creuit sapientia spiritualium Patrum.* Et Angelicus Thomas. *Vult dicere Angelus Propheta: scribe quidem mysteria, sed non exponas, vt posteris exercitij materiam relinquas, vt dicit Gregor. hom.16. super Ezechielem. Quanto magis mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis æternæ Sapientiæ aditus largiùs aperitur.* Hæc illi luculenter.Pertransierunt quidem iam plurimi à primo illo æuo,quo Scripturæ exponi, & elucidari cœperunt; quorum multiplex doctrina per innumerorum voluminum molem huc, illúcque diffusa, si in corpus vnum redigatur, opere pretium censum iri à quouis litterato, & prudenti non despero. Breuibus enim vita hominum periodis intercluditur, nec libris omnibus euoluendis aut vires suppetunt,aut dies. Scopus ergo præclarus mihi est. An verò, quod dubij plus habet, rectè collimauerim; non meæ quidem arrogantiæ, tenuitatis meæ conscius,sed legentium iudicio & calculo missum facio. Ordo autem, quem mihi præscripsi, is est, vt rectè me teneas. Primò quidem loco Vulgatæ, nouissimè correctæ,versiculum inscribo; Variásque interdum eiusdem Vulgatæ lectiones noto, pro multiplici interdum minùs correctorum exemplarium varietate; quod magni ponderis censendum est: cùm enim vni Vulgatæ fides necessariò adhibenda sit, non mihi parui est, literæ varietatem aduertere: tum præcipuè quod Sancti etiam Patres aliter, ac aliter sæpè legant, & tum tem-

porum

porum iniuriæ, tum hæreticorum perfidiæ, ac cauillis, tum denique amanuensium, seu Notariorum incuriis, vel etiam imperitiæ multa adscribenda sint. Apponimus deinde versiones varias, eorum qui improbo quidem labore, optimèque de sacris Literis meriti, tum ex Hebræo, tum Chaldaico, tum Græco, in Latinum idioma, seu in aliud, textum transcripsere. Quantæ verò ad sacræ Paginæ tum literales sensus, tum mysticos, & tropologicos percipiendos studium hoc versionum, sit vtilitatis, & adiumenti (quidquid reclamet Melchior Canus lib. 2. de locis, cap. 14.) latè probandum aggrederer, nisi actum agere crediderem. Canus.
Vnus pro mille sufficiat Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 10. tom. 3. *Contra ignota signa propria, magnum remedium est linguarum cognitio: & Latinæ quidem linguæ homines, quos nunc instruendos suscepimus, & duabus aliis ad scripturarum diuinarum cognitionem, habent opus, Hebræa scilicet & Græca, vt ad exemplaria præcedentia recurratur, siquam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas.* Et ibidem cap. 12. *quæ quidem res plus adiuuit intelligentiam quàm impedinit; si modò legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurium Codicum sæpè manifestauit inspectio. Sicut illud Isaiæ Propheta: vnus Interpres ait*, & carnem tuam ne despexeris. *Alius*; & domesticos seminis tui ne despexeris. *Vterque sibimet inuicem attestantur. Namque alter ex altero exponitur. Quia & caro posset accipi propriè, vt corpus suum quisque non despiceret, se putaret admonitum: & domestici seminis translatè Christiani possent intelligi, ex eodem verbi semine nobiscum spiritualiter nati. Nunc autem collato Interpretum sensu, probabilior occurrit sententia propriè de consanguineis non despiciendù esse præceptum: quoniam domesticos seminis, cum ad carnem retuleris, consanguinei potissimè occurrunt.* Hæc Aug. aliàque deinde præclara adnectit exempla. Idem etiam præstat lib. 11. contra Faustum cap. 2. tom. 6. vbi eandem versionum seu linguarum vtilitatem adstruit. Similiter Hieron. frequenter in Commentariis Prophetarum, & Epistola ad Vitalem. Martinus etiam Cantapetrensis lib. 1. Hypotyposeon. cap. 5. & 6. Vbi hæc ex professo agitat; Xantes etiam Pagninus in Isagoge cap. 13. Salmeron tom. 1. in Euang. Prologom. 13. Nicolaus Ramos libello pro Vulgata part. 1. quæst. 5. Fortunatus item Fanensis, seu Schacus in proœmio suæ versionum Bibliæ; vbi rem multiplici Patrum testimonio confirmat. Quid etiam quod Christus Dominus, Apostoli, Virique sanctissimi, eorum immediati successores, testimonia scripturarum proferentes, ea non solùm ex Hebraico fonte, sed ex aliis interdum, nempe Græco Septuaginta promere visi sunt? Consule etiam præfationem Laurentij Beierlincx in Bibliam Variarum Translationum, vbi earum varietatem ad Scripturarum genuinam interpretationem congruentem statuit & necessariam. Vide etiam Canum lib. 2. de locis cap. 15. licet supra relatus aliquos vt nimios translatores reprehendat.

August. Isai. 58. Hieron. Cantap. Pagn. Salm. Ramos. Fortun. Beierl. Canus.

Quot autem, quæque olim fuerint Scripturarum versiones, recensere non exigui temporis negotium est. Breuissimè potiores referam. Diu quidem continuit se diuina Scriptura in Hebraico fonte, donec, cùm post diremptam Babylonicam captiuitatem rudis populus Literarum studia respuisset, eius inertiæ vel commodo consulentes Rabbini, nempe Onkelos, Ionathas & Ioseph in Vulgatum idioma, videlicet Chaldaicum & Syriacum, Scripturas conuerterunt, vt autor est Helias Leuita Præfatione 3. lib. Mozoreth. apud Cantapetrensem 1. Hypotyposeon, cap. 4. Hæc quidem prima fuit Scripturarum ex Hebræo fonte translatio. Secunda verò in Græcum ex Hebræo ea fuit, quæ incerto extitit autore ante imperium Alexandri cognomento Magni: cuius quidem meminit Clemens Alexandrinus 1. Stromatum, Platoni, vt dicitur, aliisque Philosophis familiaris, ex qua plura prisci, ad suas ineptas fabulas condiendas transcripsere. Tertia omniúmque celeberrima inter Græcas ea fuit, quam Septuaginta duo Hebræorum seniores ex industria Ptolomei Philadelphi, Alexandriam ea de causa ab Eleazaro Pontifice missi, ex Hebræo summa solicitudine, & cura compegêre: vt autor est Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 25. Eutimius Præfatione in Psalmos, Aristeas. lib. de 72. Interpretibus, Eusebius lib. 5. historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. Athanasius in Synopsi, Iosephus lib. 21. Antiquitatum cap. 2. Salmero tom. 1. in Euangelia Prologom. 5. & plures alij. Huic quidem versioni nimiam Augustinus autoritatem tribuere videtur, dum lib. 2. de doctrina Christiana cap. 15. & lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 43. Interpretes eos diuino spiritu afflatos prædicat, cui conniuent Irenæus, lib. 1. aduersus Hæreses cap. 25. Clemens Alexandrinus 1. Stromatum, Cyrill. Hierosolymitanus Catecheti 4. & alij apud Salmeronem tom. 1. Prologom. 5. Hieronymus verò sæpè eos reprehendit & ignorantiæ arguit, præcipuè in Commentariis Zachariæ, cap. 15. Isaiæ cap. 14. & Amos cap. 4. vers. 7. De his tamen supersedeo; prolixior enim contentio est: cùm præcipuè multa temporum mordaci decursui, & iniquorum malitiæ circa Septuaginta Interpretum errores adscribenda sint. Quarta verò versionum Aquilæ Sinopensis est, qui Græcus quidem fuit, & variæ religionis

Onkelos. Ionathas. Ioseph. Helias. Cantap. Clemens. Irenæus. Eutimius. Aristeas. Eusebius. Athanas. Ioseph. Salmer. August. Irenæus. Clemens. Cyrill. Hierosol. Salmer. Hieron. Achila.

Simmach. religionis à qua inconstanti leuitate deficiebat. Quinta fuit Simmachi Samaritani, post circumcisi, & Iudæorum assentatoris, Seuero imperante. Sexta Theodotionis Ephesij, Marcionis assectæ, sub Commodo. Septima ea, quam Quintam Editionem dicunt, Autoris incerti, & ab Origene inuenta in Hierico. Octaua Autoris etiam incerti, quam Sextam Editionem vocant, Nicopoli ab eodem Origene repertam. Nona est sancti Martyris Luciani, omniumque consummatissima, sub Imperatore Constantino inuenta, quæ maximè Septuaginta Interpretibus consentit. Versiones has referunt Eutymius Athanasius & Epiphan. latissimè: quarum plures Origenes in vnum coacerauit, vt affirmat idem Epiphan. lib. 3. aduersus Hæreses, in his libris, quos a columnellarum numero Hexapla & Octopla exemplaria dixit, iis, quæ censura aut nota digna erant Asteriscis, & obelis, seu verubus annotatis. Quæ quidem versiones omnes, & Origenis inæstimabile opus magna totius Christiani orbis iactura periêre, præter Septuaginta Interpretum; solúmque nonnulla tanquam vestigia apud Hier. Theodoretum, Procopium, & alios, huc illúcque diffusa permanent.

6. Editio. 5. Lucian. Eutim. Epiphan. Athanas. Origen. Hieron.

Idem. Origenem Hieronymus æmulatus, vt ipse sæpe testatur in proœmiis Bibliorum, eandem in formam Latinas versiones conscripsit, quæ etiam simili malo perierunt, solúmque extat celebris eiusdem Hieronymi duplex translatio, veteris Testamenti ex Hebræo; nouique Græcæ fidei restitutio, vt ipse affirmat lib. de scriptoribus Ecclesiasticis. *Nouum*, inquit, *Testamentum Græcæ fidei reddidi: vetus iuxta Hebraicum transtuli.* Vtrumque, Origenem, inquam, & Hieronymum, imitatus Augustinus Iustinianus Episcopus Nebiensis, vt Fortunatus affirmat, simílem hexaplam editionem sacrorum Bibliorum elaborauit, licèt in lucem non prodierit, nisi Psalterium. Has præter feruntur & aliæ plures ex Græco. Liberè enim vnusquisque prout vtriusque sermonis gnarus sibi videbatur, ita sibi peculiarem, & propriam condebat translationem, vt ait Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 11. Quas inter Italam (scilicet vulgatam) laudat. *In ipsis autem*, inquit cap. 13. *interpretationibus Itala cæteris præfertur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* Aliarum autem præter eam, quam Vulgatam Prisci dicebant, nominum etiam obsoleuit memoria. Vulgatam verò ab Hieronymo ex Damasi Pontificis consilio, iussúque repurgatam, omníque studio correctam, & elucubratam, vniuersalis approbauit Ecclesia, legitimámque & authenticam inter omnes alias Tridentina Synodus decreuit sess. 4. Vnde reliquæ omnes cuiuscumque sint, etiam sanctissimi, & sapientissimi Doctoris canonica autoritate carent, tantúmque ad meliorem Vulgatæ intelligentiam debent deseruire. Huius sunt generis plures Rabbinorum translationes, quas permittit Ecclesia in eorum tractatibus & in Biblia Tygurina. Isidori, etiam Clarij translatio à sacro Inquisitionis Tribunali repurgata. Franciscí quoque Vatabli, seu Leonis Iudæ, ab eodem Tribunali, & à Salmanticensibus, ac Complutensibus Academicis correcta. Xantis etiam Pagnini Viri doctissimi, Linguæ Hebraicæ, & Græcæ peritissimi, Cardinalis item Caietani ex Hebræo in Latinum sermonem elaboratæ. Lucas etiam Brugensis plures ex antiquis Codicibus lectiones coacerauit. Quæ verò maioris vsus, & vtilitatis nuper exístunt, hæc sunt, quas eminentissimus Cardinalis, & Toletanus Antistes Franciscus Gimenius æterna laude dignus summa industria, magnísque sumptibus confici curauit, in Complutensi Academia. Vnde Biblia Complutensis vulgò dicitur. Vicit hunc vnius Philippi secundi Hispaniarum Regis pietas, & religionis affectus, qui Viris doctissimis vndequaque accitis, variísque vetustissimis codicibus hinc inde collectis Bibliam, quam Regiam dicunt, concinnari, & perfici decreuit, & effecit. Vbi, & Hebraicus Textus, & Græcus, & Chaldæus, imo, & Syriacus in nouo Testamento Latinitate etiam donati, reperiuntur.

Augustin. Iustin. Fortunat. Augustin. Hieron. Concil. Trident sess. 4. Tigurina. Isidor. Clarius. Vatabl. Leo, Iud. Pagn. Caietan. Brug. Gimen.

His ergo præmissis, primo, vt dixi, loco textum Vulgatæ inscribimus cum suis notis. 2. Versionem ex Hebræo Xantis Pagnini. 3. Ex eodem, Franc. Vatabli translationem, seu potius Paraphrasim. 4. Ex Chaldæo in Regia, Benedicti Ariasmontani. 5. Lectionem Septuaginta Interpretum, iuxta eorum antiquiores editiones. 6. Eorumdem iuxta editionem nouam Romanam seu Vaticanam, quam Sixtus Quintus Pontifex Maximus corrigi, & in lucem dari curauit. 7. Plures alias veterum Doctorum, & Neothericorum Interpretum, qui ex Hebræo, aut Græco aliter, vel legunt, vel legi posse affirmant. Hæc de versionibus. Quibus assignatis varias sanctorum Patrum, seu Interpretum, tam veterum quàm recentiorum, Hebræorum, Græcorum, aut Latinorum expositiones, & sententias annectimus, quammaxima breuitate potuimus, & vnicuique versiculorum, siue etiam verborum apponimus. Varias etiam interdum sacrorum Conciliorum, aut Iuris Canonici expositiones, & decreta subnectimus; necnon & nostram intelligentiam, debita tenuitatis nostræ confessione declaramus. Nec superuacaneum post tot priorum conglobatas sententias ac priscorum studia laborem nostrum incusés; nec enim vel abbreuiata est manus Domini vel exhausta sapientia; sed vt vulgò dicitur; *Dies vnus alterius est magister*: vt in casu simili prænonuit Mauritius

Vulgat. Pagn. Vatabl. Ariasm. Compl. Regia. Sixtia.

Hilaretus

Hilaretus in dedicatoris operum ſuorum litteris ſic maturè ac ſapienter fatus : *Poſt aliorum labores noſtrum nequaquam putes eſſe ſuperuacaneum & planè inutilem. Superuacuus enim fieret in ſtudiis longior labor, ſi nihil liceret melius inuenire præteritis. Infelicis ingenij eſt nihil poſſe inuentis addere ; Neque*, vt ait Quintil. lib. 10. cap. 5. *ſemper eſt deſperandum aliquid illis quæ dicta ſunt melius poſſe reperiri ; neque adeò ieiunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, vt vna de re bene dici niſi ſemel non poſſit.* Denique expoſitis iam capitibus ex relata Interpretum doctrina, concinnatam metaphraſim, ceu anonymam Catenam vnicuique ſubſcribimus, vt triplici hac face, nempe variarum tranſlationum ; Patrum, Expoſitorúmque ſententiarum, & paraphraſticæ lectionis, res tota patere videatur. Vt autem varius Scripturæ ſenſus à lectoribus faciliùs percipiatur, ad alteram marginum ſenſum in quo loquitur Interpres aſſignamus, nempe literalem, aut, quod in idem recidit, hiſtoricum, myſticum, ſeu allegoricum ; Tropologicum ſeu moralem : & Anagogicum. Quorum quidem ſignificationes, & multiplicem ſenſuum Scripturæ diuiſionem ; vide apud Origenem hom. 2. & 17. in Gen. & lib. 4. Periar. 2. Hieron. quæſt. 12. ad Hedibiam, & in Amos cap. 4. Auguſtin. lib. de vtilitate credendi ad Honoratum contra Manich. cap. 3. Cantapetrenſem lib. 7. Hypotypoſeon cap. 1. Angelom. in Præfatione Stromatum. Sixtum Senenſem in Bibliotheca, & alios paſſim. Aduertas etiam oportet, non omnes omnium Patrum, ſeu Expoſitorum ſententias ſemper coaceruaui. Dum enim idem omninò continent, ſuperfluum diceres. Quandoque tamen, licèt eadem continere videantur, operæ pretium duxi ex aliis etiam repetere, aliqua rationabili de cauſa, vel quia, licèt idem ſonent ; nonnihil tamen interdum nouitatis contineant : vel ſi idem ; non eodem tamen modo. Interdum etiam ex eo quod maiori autoritate ſententia indigeat. Patres, & Interpretes pro ſæculorum antiquitate plerumque ordinamus ; quod quidem ad eorum autoritatem ſpectat. Neotericos tamen apponere non piget ; interdum enim antiquioribus præſtant ; cùm ex Archangeli Michaëlis præmemorata ſententia multiplicitas ſcientiæ, ex eo, quod plurimi pertranſierint comprobetur. Tum etiam quod qui recentes modo & Neoterici appellantur, temporis decurſu veteres & antiqui æſtimabuntur ; vti etiam antiquioribus euênit. Bellè enim Vates ille Antonius Goueanus : *Lector, Deus bone ; quid ? Veteres nónne fuere noui ?* Imo vt ait Cic. in Quæſt. Academ. *Recentiſſima quæque emendatiſſima* ; & vt cum iuniori Plinio eloquar, ep. 21. in lib. 6. *Sum ex his qui mirer antiquos, non tamen vt quidam temporum noſtrorum ingenia deſpicio, neque enim quaſi laſſa & effœta eſt natura vt nihil iam laudabile pariat* ; Similiter Sidon. Apollin. epiſt. 8. lib. 3. *Veneror antiquos, non tamen ita vt qui æquauorum meorum virtutes, aut merita poſtponam. Quapropter ignari rerum temeraria iudicia ſuſpendant, nec perſeuerent ſatis, aut ſuſpicere præteritos, aut deſpicere præſentes.* Quod quidem vitium frequens in ſuo etiam ſæculo cauſatur Velleius Paterc. lib. 2. rationem quoque ſatis aptam adnectens. *Naturaliter audita viſis laudamus libentius, & præſentia inuidia : præterita veneratione proſequimur ; & his nos obrui illis inſtitui credimus.* Concinit Demoſth. Olynthc : *Quæ præterierunt omnia plurimum æſtimantur.* Propert. verò lib. 3. eleg. 1.

Origen. Hieron. Auguſt. Cantap. Angelom. Senenſ.

Omnia poſt obitum fingit maiora vetuſta
Magnum abs exequiis nomen in ora venit.

Concludat Politicorum Princeps Tacitus lib. de Orator. *Vitio autem*, inquit, *malignitatis humanæ vetera ſemper in laude, præſentia in faſtidio eſſe.* In quibus & Meſſala peccabat, cui ipſe. *Non deſinis vetera tantum & antiqua mirari : noſtrum autem temporum ſtudia irridere atque contemnere.* Vnius autem Interpretum ad alterum ſententias ſemper intexere, vt Rapſodiæ, ſeu Catenæ nomen indicare videtur, nimiùm non curaui : Tum quia violentum id, & plerumque incongruum, vt in aliquorum Catenis videas : Tum quia, me iudice, modicæ hæc vtilitatis connexio apparet ; quódque momenti eſt ſufficiat, eorum ſententias, & expoſitiones in medium adducere. Vnde ſi mihi ipſi crederem, Catenæ nomen reſpuiſſem, potiúſque Patrum, & Interpretum Concionem ſiue Synodum dixiſſem. Vt tamen cum multis loquerer, *Catenam* dixi.

Quia verò duplex eſt Catenarum ſpecies, vt docet Sixtus Senenſis lib. 3. Biblioth. Altera, quam Anonymam dicunt, (eius generis ſunt Clementis Alexandrini, & Angelomi Lexouienſis Stromata ; Rabbani, & Procopij commentaria) hoc eſt, Autorum nominibus carens : Altera Proonyma ; hoc eſt, nomina Interpretum continens ; hæc mihi plus arriſit, vt videas, quid cuique tribuendum ſit, cùm ſæpe, & authoris nomen maius pondus, & authoritatem præ ſe ferat ; & ne mihi aliorum labores, & ſtudia, quod egregium ingratitudinis genus eſſet, videar vſurpare : audio enim Baſilium epiſt. 1. Sic pulchrè edocentem : *Quod ab alio tu te didiceris nequaquam clam habendum, cuiuſmodi facere mulieres improba ſolent, quæ ex aliis ipſa quæſitos liberos viris ſuis tollendos ſubiiciunt, patrem mentientes. Autorem verò*

Sixt. Sen. Clemens Alex. Angel. Rabban. Procop. Baſil.

ipſum

Plin.sen. *ipsum prodere grata commemoratione decet; verúmque ipsius scientiæ parentem.* Et Plinium seniorem in Præfat. Natural. Historiæ ad finem. *Benignum*, inquit, *vt arbitror & plenum ingenui pudoris est fatery, per quos profeceris.* Et rursus. *Obnoxy profectò animi, & infelicis ingenij est deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere; cum præsertim fors fiat ex vsura.* Non ergo committam, sed suum cuique fideliter dedero. Fideliter etiam quantum potui eorum opera, Tomos, in quibus sententia continetur, libros, capita, & sectiones allego, vt si libet, in suis fontibus vnusquisque consulat. Quod si aliquantulæ vtilitatis opusculum hoc nostrum fuisse comperero, vitáque improbo labori superfuit, tres alios Regum libros simili industria in totidem Tomos elaborabo & in lucem mittam. Si verò à studiosis quibusque bonæ notæ viris contrarium didicero, libenter abstinebo, aliisque aptioribus facinus hoc
Rabban. missum fecero. Interdum cum Rabbano Mauro Moguntiensi Archiepiscopo libet concludere ex Præfat. in Hierem. *Nec me præsumptuosum aut superfluum quisquam in conditione huius operis debet dicere, quasi post optimos & disertissimos Expositores ego elinguis, & tenuis ingenij magnorum virorum studia temerario ausu velim obfuscare; cùm me viderit eorum sententias collegisse, & ipsarum sensus vbique seruasse. Habeátque satis commodum compendium, quando id quod in multis codicibus Patrum scrutari debuit in vnum reppererit collectum: nec iam sibi laborare necesse esse inquirendo, vbi aliorum labore quieti suæ inuenerit consultum.* Hæc ille quæ ad me quoque pertinent. Denique quia iis, qui prædicationi incumbunt, gratissimas hac tempestate esse video morales illas, argutásque ex sacra Pagina doctrinas, quas Conceptus prædicatorios, seu prædicabiles dicunt; præter innumeras huiusce generis sententias, quas passim Litera suppeditat, & acuti adnotant Interpretes, Tropologicas Institutiones ad Concionatorum vsum, quamplures ad finem huius operis annexui, vt lectorum studio vel genio morem gererem. Stylus mihi tandem in iis quæ nostra sunt, simplex potiùs, & classicus, quam comptus & floridus in vsu ac pretio est, vt & pileum, ac pilos quoque meos, vtique iam canos, decet, quibus potiùs, quàm iuuenculorum gustui vel libidini inseruiendum existimo. Quamuis enim dictionis dignitas, & eloquutionis species auditum mulceant, solent tamen mentem vacuam relinquere; vt solent etiam oculi sterili interdum luxuriantium eludi amœnitate foliorum. Bene quidem ac sapienter Theophilus Antiochenus
Theoph. Antioch. lib. 1. ad Eutolicum: *Lingua quidem diserta, & dictio terssa delectationem & laudem afferunt, nec non plurimum conducunt miseris mortalibus, quorum animus depranatus est ad vanam gloriam parandam; cæterùm veritatis studiosus non animum adhibet sermonibus corruptis, verùm sedulò inquirit, quanam materia, siue quis effectus, aut quódnam opus sit orationis.* Et
Cyrill. Cyrillus Alexand. lib. 7. contra Iulianum. *Quisquis sapuerit, laudauerit, non qui diserte loqui, & rotunda verbula proferre scit, & in isto ipsum nudum fulgorem affectat, sed illum potius qui videtur non habere in promptu dictionum pronuntiationem, sed rectam opinionem.* Gregorius
Thaum. denique Thaumaturgus orat. Panegyrica Origenis. *Quibus scilicet eloquutionis elegantia eque verborum cura minor est; postpositis autem vocibus res ipsas vt se habent accuratè singulas inuestigare & annuntiare volunt.*

FACVLTAS R. PATRIS VICE-Prouincialis in Prouincia Caſtellæ.

IOANNES Antonius Velaſquez Societatis IESV, Vice-Prouincialis in Prouincia Caſtellæ; poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodùm Patre noſtro Goſuino Nichel Vicario Generali; facultatem facio, vt Tomus primus inſcriptus *Catena Prooemyma in libros Regum, Authore Ioanne Rodolpho à Corduba Arebalenſi*, noſtræ Societatis Theologo, & eiuſdem Societatis grauium, Doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras dedimus manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas, in noſtro Collegio Metimnenſi, die prima Martij anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo.

IOANNES ANTONIVS VELASQVEZ.

DIDACVS DE OCHOA,
Secretarius.

Approbatio Doctorum Facultatis Pariſienſis.

NOMVM primum *Catenæ in Reges, per R. Patrem Ioannem Rodolphum à Corduba* Societatis IESV, examinauimus, cúmque nihil præter verſiones Scripturæ, Patrumque expoſitiones complectatur; manibus omnium ſine ſcrupulo tractari poteſt: ita cenſemus nos ſubſignati Magiſtri in Theologia facultatis Pariſienſis. Actum Lugduni die 23. Auguſti, 1652.

Fr. STEPHANVS MOLIN, *Carmelita.*

Fr. PHILIBERTVS PETROT, *Minor.*

Licentia Provicarij Generalis.

PRODEAT ſupradictus Tomus primus *Catenæ in Reges*, *R. P. Ioannis Rodolphi à Corduba*, viſo quippe Magiſtrorum præfatorum teſtimonio lubenter annuimus. Lugduni die 27. Aug. 1652.

DE-VILLE, *Provic. Gener.*

Conſenſus Procuratoris Regij.

VISA Doctorum Approbatione, Regio nomine non impedio quin Liber hic, in illa deſignatus, à PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD, Bibliopolis Lugdunenſib. excuſus, in lucem prodeat, cum prohibitionibus in ſimili caſu requiſitis & conſuetis. Actum Lugduni die 29. Auguſti 1652.

LORIN.

Permiſsio.

FIAT ſecundùm Concluſiones Procuratoris Regij. Lugduni die 29. Auguſti 1652.

SEVE.

AVTHO

AVTORVM NOMINA

Ex quorum Doctrina, Catena conſtruitur; eorum etiam qui vel obiter referuntur.

A.

ABbas. Panormitan.
Abraham Abbas.
Abulenſis: Toſtatus.
Abulcacin Tariph Abentariq.
Achila.
Achila Rhetor.
Accurſius.
Ado.
Abraham Hortelius.
Adrebaldus.
Adricomius.
Adrianus.
Aëtius.
Æſopus.
Ægidius de Præſẽtatione.
Ageſilaus.
Aimoinus.
Albertus Magnus.
Alcuinus.
Algerus.
Alphonſus Salmero.
Alphonſus à Caſtro.
Alphonſus Mendoza.
Alphonſus Auendañ o.
Alphonſus Ciacon.
Aloyſius Lipomanus.
Aloyſius Nouarinus.
Altiſiodorenſis.
S. Ambroſius.
Ambroſius Anſbertus.
Ambroſius Calepinus.
Anaſtaſ. Bibliotecharius.
Anaſtaſius Sinayta.
Anaſtaſius Nicenus.
Andreas Gallus.
Andreas Maſius.
Andreas Pintus Ramirez.
Andreas Alciatus.
Andreas Lucas.
S. Anſelmus.
Andronicus Cõſtantinop.
Anſelmus Laudunenſis.
Anacletus Papa.
S. Antiochus.
Angelomus Lexobienſis.
Alexander II.
Aluinus Preſbyter.
Alexander ab Alexandro.
S. Antonius Abbas.
Antonius Sabellicus.
Antonius Poſſeuinus.
Antonius Agellius.
Antonius Perez Epiſcop.
Antonius Yepes.
Antonius Ferdinandi.
Antonius Meliſſa.
Antonius Gueuara.
Antonius Nebricenſis.
Antonius Molina.
Antonius de Eſcobar.
Antonius à Corduba.
Antoninus Florentinus.
Apollo Abbas.
Apollodorus.
Apponius.
Archiepiſc. Cantuarienſis.
Archelaus.
Aretas.
Argentinas.
Ariſtheas.
Ariſtoteles.
Ariſthomenes.
Ariſthenetus.
Aſcenſius.
Attalus.
Athenæus.
Athalaricus Rex Gottus.
Athanaſius.
Aurelius Auguſtinus.
Auguſtinus Iuſtinianus.
Auguſtinus Torniellus.
Auguſtinus Hunnæus.
Auguſtinus Triumphus.
Aulus Gellius.
Auſonius Burdigalenſis.
Autor Hiſtor. Eccleſ. Hiſpanienſis.

B.

BAbba Batra Hebræorum.
S. Bachiarius.
Balthaſar Corderius.
Balthaſar Paez.
Banotius.
Barnabas Briſſonius.
S. Baſilius Magnus.
Baſilius Seleucia.
Bartholomæus Medina.
Barro.
Baſanenſis Epiſcop.
Becanus.
Beda.
Benedictus Arias Montan.
S. Benedictus Abbas.
Benedictus Pererius.
Benedictus Iuſtinianus.

Nomenclatura

S. Bernardus,
Bernardus Britto,
Bernard. Rauuolfius Hæreticus.
Bertrandus,
Beſſario Cardinalis,
Biblia Vulgata,
Biblia Septuaginta Interpretum,
Biblia Complutenſis.
Biblia Sixtiana,
Biblia Aldina,
Biblia Baſileenſis,
Biblia Iſidori Clarij,
Biblia Vatabli,
Biblia Leonis Iudæ,
Biblia Ioannis Benedicti.
Biblia trium Patrum,
Biblia Magna Pariſienſis.
Biblia Tygurina,
Biblia Gallica,
Biblia Gothica,
Biblia Hiſpanica,
Biblia Arabica,
Biblia Illirica,
Bibliotheca Vaticana,
Bibliotheca Homiliarum.
Bibliotheca Fotij,
Bibliotheca Poſſeuini,
Bibliotheca ſancta Sixti,
Binsfeldus,
Blaſius Biegas,
Breid.
Brixianus Marinus,
Brochardus,
S. Bonauentura,
S. Brigitta,
Bridefertus,
Brus,
S. Bruno,
Burgenſis,
Bullengerius.

C.

CAballa Hebræorum,
Caballiſtæ,
Caluinus Hæreſiarcha,
Calcaneus,
Cæſareus Arelatenſis,
Cæſar Baronius,
Carolus Sigonius,
Chaſſaneus,
Caſſiodorus,
caput, *Siquis Epiſcop. 26. q 5.*
cap. *Sortes.*
cap. *Peruenit.*
cap. *Si quis Clericus.*
cap. *Auguriis.*
cap. *Non licet.*
cap. *Non oportet.*
cap. *Sed & illud.*
cap. *Illud.*
cap. *Queritur.*
cap. *Non obſeruabitis.*
cap. *Quod autem.*
cap. *Siquis aruſpices.*
caput, *Qui diuinationes.*
cap. *Fortus.*
cap. *Suſpectos.*
cap. *Canonica.*
cap. *Conſtituimus.*
cap. *Firmiter.*
cap. *Maiores.*
cap. *Non æſtimamus.*
cap. *Pro obeuntibus.*
cap. *Placuit.*
cap. *Ex parte.*
cap. *Tempus.*
Et alia ſæpè.
Catena Græca in Geneſim.
Catena Græca in Iob.
Catena trium Patrum,
Cato Maior,
Cedrenus,
Celſus.
Ceno Beronenſis,
Chilo,
Clitobeus,
Chriſtophorus à Caſtro.
Chriſtophorus Plantinus,
Chriſtopolitanus,
Claudius Aqua-Viua,
Claudius Rangolius,
Clemens Monclianus,
Clemens Romanus,
Clemens Alexandrinus,
Cleomenes,
Cœlius Rodiginus.
Codices manuſcripti.
Codex Biblicus Brugenſis,
Codex Societatis Ieſu, Biblicus.
Codex Leobienſis,
Codex Arebatenſis,
Cod. de Malefic.
Columella,
Comeſtagius,
Concilium Agathenſe,
Concilium Lateranenſe,
Concilium Braccarenſe,
Concilium Anquirenſe,
Concil. Triburienſe,
Concilium Milleuitanum,
Concilium Tarraconenſe,
Concilium Aurelianenſe,
Concilium Nicenum,
Concilium Arauſicanum,
Concilium Anciranum,
Concilium Leodienſe,
Concilium Tridentinum,
Connimbricenſes,
Conſtantinus Imperat.

Authorum.

Constitutiones Apostol.
Cornelius Tacitus,
Cornelius Gallus,
Cornelius à Lapide,
Cosmas Magallanus,
S. Cromatius,
S. Cyprianus,
Sanct. Cyrillus Alexandrinus,
S. Cyrillus Hierosolymitan.

D.

SAnctus Dracrianus,
Daniel Abbas,
Decanus Ambianus.
Decius.
Decianus.
Demosthenes,
Didacus Couarruuias,
Didacus Baëza,
Didacus Stella,
Didimus.
Didacus Messa,
Digestum Vetus,
Dimas Serpi,
Dio Cassius.
Didacus Nissenus,
Didacus Celada.
Dio Chrysostomus,
Diogenes Laërtius,
Diodorus Tarsensis,
Diodorus Siculus,
Sanct. Dionysius Areopagita.
Dionysius Richel Carthusianus.
Dominicus Soto,
Dominicus Bañez,
Dominicus Nanus
Donatianus,
Drogo Hostiensis,
Durandus,

E.

EDitio Quinta,
Editio Sexta,
Egesippus,
Elias Leuites,
Elias Cretensis,
Elianus,
S. Eligius,
Emanuel Saa,
Emanuel Valle de Moura,
Ennius Poëta,
Ennodius Ticinensis,
Entenius,
Epanortotes,
S. Ephræm Syrus,
S. Epiphanius,
Erasmus Rotherod. autor damnatus,
Esichius,
Euchologium Græcorum.
S. Eucherius,
Eutimius Cigabonus,
Eusebius Cæsariensis,
Eusebius Emissenus,
Eusebius Philosophus,
Euodius,
S. Eustachius,
Euantus Abbas,
Euripides,
Etymologicum trilingue,
Extrauagantes.

F.

FAuorinus Philosophus.
Faustus Regiensis,
Federicus Imperator,
Festus,
Flaminius Nobilius,
Florimundus Raymundus,
Ferdinandus Salazar,
Ferdinandus Camargus,
Ferdinandus Gonzalez Comes Castellæ,
Ferdinandus Perez de Guzman,
Forcatulus Hincmarus,
Fortunatus Eschacus Fanensis,
Sanct. Franciscus Assisius.
Franciscus Vatablus,
Franciscus Suarius,
Franciscus Turrianus,
Franciscus Riuera,
Francisc. Picus Mirandulanus,
Franciscus Lucas Brugensis,
Franciscus Ximenius Cisneros,
Franciscus Mendoza,
Franciscus Toletus,
Franciscus Georgius Venetus,
Franciscus Titelmannus,
Franciscus Petrarcha,
Franciscus Salinas,
Fræculfus,
Fronto Ducæus,
Frosterus,
S. Fulgentius,
Fungerus,

G.

GAbriel Viel,
Gabriel Vasquez Belmontanus,
Galarza.
Galfridus,
Gaspar Sanctius: Centumpulcolanus,

Gennadius.
S. Germanus.
Georgius Ederus.
Gerardus mercator Hæreticus.
Gil. Magister.
Gildas Sapiens.
Gilbertus Genebrardus.
Gilibertus Abbas.
Glossa Ordinaria.
Glossa Interlinealis.
Glossa Iuris.
Glicas.
Godefridus Tilmannus.
Gratianus.
Gratianus Imperator.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nazianzen.
Gregorius Nissenus.
Gregorius Turonensis.
Greg. Taumaturgus.
Gregorius Presbyter.
Gregorius Trifernas.
Gregorius de Valentia.
Gregorius XV.
Godelmanus.
Gothofredus.
Guarricus Abbas.
Guidacersius.
Guillelmus Abbas.
Guillelmus Estius.
Gundisaluus Illescas.
Guido Fabricius.

H.

HAimo Albestratensis.
Henricus Imperator Hereticus.
Henricus Helmetius.
Henricus Canisius.
Henricus Henriquez.
Hentenius.
Hermas.
Hermanus Contractus.
Hermanus Nebaldus.
Herodotus.
Hildebrandus Cænomanensis.
Hieronymus.
Hieronymus Oleaster.
Hieronymus Pradus.
Hieronymus Florentia.
Hieronymus Gueuara.
Hieronymus Sopranis.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus Guerta.
S. Hilarius.
Hilarius Hæreticus.
Homerus Poëta,
Honorius III.
Hormisda Papa,
Homulius.
Hugo de S. Victore.
Hugo de S. Charo.
Hugo de Foileto.
Hugo Ætherianus.

I.

IAcobus Granadus.
Iacobus de Valentia.
Iacobus Salianus.
Iacobus Tirinus.
Iacobus Daza.
Iacobus Bolducus.
Iacobus Villius,
Iacobus Pontanus.
Iacobus Sirmondus.
Iacobus Zieglerus,
Iacobus Cuiacius.
Iadocus Vadius Asconsius.
Ignatius Martyr,
S. Ignatius Loiola,
Ildephonsus Toletan.
Ildephonsus Remon,
Imperfectus.
Incognitus: Michael Aiguanus.
Innocentius III.
Interlinealis Glossa.
Interlinealis Regia.
Ioannes Chrysostom.
Ioannes Cassianus,
Ioannes Zonaras,
Ioannes Benedictus Parisiensis.
Ioannes Hierosolymitan.
Ioannes Cluniacensis,
Ioannes Climacus.
Ioannes Mariana.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Nauclerus,
Ioannes Pineda.
Ioannes Damascenus,
Ioannes Villalpandus,
Ioannes Lorinus.
Ioannes Lanspergius,
Ioannes Ferdinandi.
Ioannes Diaconus,
Ioannes Fabius,
Ioannes de Salas.
Ioannes Azor.
Ioannes Picus Mirandula,
Ioannes de S. Geminiano,
Ioannes Solorzanus,
Ioannes Arboreus,
Ioannes Tritemius,
Ioannes Palafoxius,
Ioannes Antonius Velazquez.
Ioannes Eusebius Nierembergius.
Ioannes Sauarus,
Ioannes Annius.
Ioannes Seldenus,
Ioannes Estius,
Ioannes Nouiomagus,
Ioannes Sebastianus,
Ioannes Mercerus Hæreticus.
Ioannes Bodinus,
Ioannes Euuichius,
Ioannes Berchot.
Ioannes Biclarensis.
Ioannes Marquez,
Ioannes Budæus.
Ioannes Guillelmus.
Ioannes Stella.
Ioannes Ferus,
Ioannes Salisberiensis,
Ioannes Osorius.
Ioannes Fulgosus,
Ioannes Dauid.
Ioannes Barclaius,
Ioannes Turrianus,
Ioannes Boterus.
Ioannes Drusius,
Ioannes Pineda Franciscanus.

Authorum.

Ioannes Maffæus.
Ioannes Viguerius,
Ioannes Sthobæus.
Ioannes de Piña.
Ioma.
Ioachimus Abbas.
Iosephus Iudæus.
Iosephus Scaliger,
S. Irenæus.
S. Isidorus Hispalensis,
S.Isidorus Pelusiota.
Isidorus Clarius.
Isichius.
Isocrates,
Iulius Sirenius,
Iulianus Apostata,
Iulianus Pomelius,
Iulianus Græcus,
Iuuenchus Presbyter,
Iunilius,
Iustus Lipsius,
Iustus Orgelitanus,
Iuuenalis Poëta,
S.Iustinus Martyr,
Iustinus Historicus,
Ius-Canonicum,
Ius-Ciuile.
Iustinianus Imperator.

L.

Lactantius Firmianus,
Lainesius.
Landulfus,
Lampridius,
Latinus Paccatus,
S.Laurentius Iustinianus,
Laurentius Beierlinck,
Laurentius Zamora,
Laurentius Surius,
Laurentius Ramirez,
Ledesma,
Lerghemerus,
Lillius Giraldus,
Licurgus,
S. Leo Papa,
Leo IX.
Leo IV.
Leo Imperator,
Leo Iudas,
Leo à Castro,
Leonardus Lessius;
Leporius Presbyter,
Lex *Sed cum ambo, ff. de Iudiciis.*
Lex *Generaliter, ff. De fideicommiss.*
Lex *secunda, Cod. Quando, & quibus.*
Lex *Nemo, Cod. de Episcop. audientia.*
Lex *Mathematicos.*
Lex *Vtique. de vsufructu.*
Lex *Quemadmodum si nauis, ff. ad legem Aquiliam.*
Lucas Brugensis,
Lucas VVadingus,
Lucas de Penna,
Lucifer,
S. Lucianus,
Lucius Apuleius,
Lucanus Poëta,
Ludouicus Sotomaior,
Ludouicus Viues,
Ludouicus Molina, Theologus,
Ludouicus Lazerda,
Ludouicus à Ponte,
Ludouicus Alcazar,

M.

Maurus Castellæ,
Macrobius,
Magde-Burgenses, Hæret.
Maluenda,
Martialis Poëta,
Marcus Seneca,
Marcus de la Camara,
Marinus Brixianus,
Marineus Siculus,
Marinus Merserus,
Marius Maximus,
Martinus Polonus,
Martin. Cantapetrensis.
Martinus Antonius Delrius.
Martinus Nauarrus,
Martinus Papa,
Martinus Becanus,
Marianus Scotus,
Marianus Victorius,
S. Mechthildis,
S. Maximus,
Maximus Planudius,
Maximus Monachus,
Melchior Canus,
Merlinus,
Methaphrastes,
Michael Gisslerius,
Michael Palatius,
Michael Aiguanus,
Michael Medina,
Moyses Abbas,
Moyses Barcepha,
Montanus Hæreticus.
Musæus Poeta.

N.

Naclantus,
Nazarius Rhetor.
Nicetas,
Nicolaus Lyranus,
Nicolaus Ramos,
Nicolaus Serarius,
Nicolaus de Orbelis,
Nicephorus Calixtus,
Nicephorus Gregoras,
S.Nilus Abbas,

O.

Œcolampadius Hæretic.
Odo Tusculanus,
Oldendorpius,
Olimpiodorus,
Onufrius,
Onesicritus,
Oratius Poëta,
Oratius Tursellinus,
Origenes,
Othomanus,
Ouidius Naso.

P.

Panatius,
S.Panonius,
S. Pacianus,
Paphnutius Abbas,
Paludanus,
Paschasius,
Paradinus,
S. Paterius,
Patritius Barclaius,

S. Paulinus,
Paulus Diaconus,
Paulus Burgenſis,
Paulus Fagius Hæretic.
Paulus Serlogus,
Pauſanias,
Pemenius Abb.
Petrus Chryſologus,
Petrus Damianus,
Petrus Comeſtor,
Petrus Caniſius,
Petrus Berchorius,
Petrus Bleſenſis,
Petrus Cellenſis,
Petrus Gallatinus,
Petrus Diaconus,
Petrus de Natalibus,
Petrus Mexia,
Petrus Berthrandus,
Petrus Iuncus,
Petrus Tyræus,
Petrus Lombardus,
Petrus Gregorius,
Petrus Nauarra,
Petrus Ribade-Neira,
Petrus de le Ceuell.
Petrus Bruis Hæretic.
Petrus Vermilius Hæret.
Phaucinus,
Philo Iudæus,
Philo Carpacius,
Philo Biblicus,
Philippus Presbiter.
Philippus Bergomenſis,
Philaſtrius,
Plato,
Plautus Poëta,
Plinius Senior,
Plinius Iunior,
Plutarcus,
Pomponius Mela,
Poſſidonius Stoicus,
Præpoſitiuus Leodienſis,
Procopius Hiſtoricus,
Procopius Gazæus,
Propercius Poëta,
Proſper Aquitanicus,
Prudentius Poëta,
Pſalterium Gallicanum,
Pſalterium Romanum,
Publius Claudius,
Ptolomeus.

R.

RAbbanus Maurus,
Rabbirius Textor,
Rabbi Onkelos,
Rabbi Ionathas,
Rabbi Ioſeph,
Rabbi Moſes,
Rabbi Dauid Kimhi,
Rabbi Salomon,
Rabbi Nehemias,
Rabbi Leui Ben-Gerſon,
Rabbi Paulus,
Rabbi Iſaac,
Rabbi Anonymus,
Rabbi Recan,
Rabbi Methſia,
Rabbi Ioſi,
Rabbi Abenezra,
Rabbi Nehur,
Rabbi Azarias,
Rabbi Sello,
Rabbi Abraham,
Rabbi Samuel Marrochianus.
Radulphus Flauiacenſis,
Ranulphus,
Razibirius Dux,
Raſchi,
Raterius Monachus,
Rebuffus,
S. Remigius,
Richardus Theologus,
Richardus de S. Victore,
Richardus de S. Laurẽtio,
Rituale Hebræorum,
Robertus Bellarminus.
Robertus Holcot,
Robertus Stephanus,
Rufinus,
Rupertus Abbas,

Q.

QVinta Editio,
Quintilianus,
Quintus Iulius,
Quintus Fabius Maximus,
Quintus Curtius,

S.

SAliniachus,
S. Saluianus. Maſſilien,
Sanderus,
Sarabia,
Scholiaſtes Græcus,
Sebaſtianus Barradas,
Sebaſtianus Couarruuias,
Sedulius Preſbyter,
Schdlerus Hæreticus,
Sebaſtianus Aluaradus,
Seder-Olam Hebræorum
Seneca Philoſophus,
Seneca Tragicus,
Seneca Rhetor,
Seraphinus Cumiranus,
Seruius,
Seuerus Sulpitius,
Seuerus Antiochenus,
Seuerinus Boëtius,
S. Sidonius Apollinaris,
Sigiſbertus,
Sigiſmundus Gelenius,
Symmachus,
Simocatus,
Simon de Caſſia,
Syneſius,
Synodus Quarta,
Synodus Quinta,
Synodus Sexta,
Syriaca Verſio,
Sixtus Senenſis,
S. Sixtus Papa III.
Sofronius,
Solinus,
Stephanus Papa V.
Stephanus Cantuarienſis,
Stephanus Raguſinus,
Stephanus Menochius,
Stephanus Fagundez,
Statius Papinius,
Strabo,
Strabus Fuldenſis,
Suetonius Tranquillus,
Suidas,
Syluester,

Authorum.

T.

TAbiena,
Targun Hebræorum
Tarquinus,
Tertullianus,
Theocritus,
Teatrum Vitæ Humanæ,
Theodoretus,
Theodoricus Rex,
Theodorus Gaza,
Theodorus Abbas,
Theonas Abbas,
Theophilus Anthiochenus.
Theodotio,
Theodosius Imperat.
Theophilactus,
Theophilus Alexandrinus.
Thomas Angelicus,
Thomas Caietanus,
Thomas Vvaldensis,
Thomas Bossius,
Thomas à Kempis,
Thomas Morus,
Thomas Sanctius,
Thoringius,
Terentius Poëta,
Tibullus Poëta,
Traquellus,
Titus Liuius,
Torreblanca,
Trebetus,
Triber,
Trogus Pompeius.
Tullius Cicero,
Turre-Cremata,
Tyberius.

V.

VAlentinian. Imperat.
Valerius Maximus,
Valerius Reginaldus.
Vegetius,
Vlpianus,
Venatorius,
Velleius Paterculus,
Verderius,
Versio. vide *Biblia*.
Vidiaci Hæretici,
Vincentius Bellouacensis.
S. Vincentius Ferrer.
Virgilius Maro,
Volaterranus,
Vulengerius,
walfridus,
walfrangus,
wimpina,
wicleph Hæreticus,
wierius Hæreticus,
willeramus,

X.

XAntes Pagninus,
Xenophon Philosop.

FINIS.

ELENCHVS

ELENCHVS

Institutionum tam Literalium quàm Moralium.

INSTITVTIO I.
Moralis.

VERÆ lachrymæ nunquam à diuino conspectu vacuæ redeunt. ad cap.1. vers.10. pagina 586

INSTITVTIO II.
Moralis.

VNitas, & constantia ad exemplum Annæ, & Elcanæ commendatur. ad cap.1. vers.18. pag.591

INSTITVTIO III.
Literalis.

AN damnatis detur, vel dari possit ab inferu regressus, & quid de statu animæ Traiani Imperatoris sentiendum sit. ad cap.2. vers.6. pag.594

INSTITVTIO IV.
Moralis.

SEnes, qui leuitate repuerascunt, strictiori Dei iudicio subiacent. ad c.2. vers.10. pag.605

INSTITVTIO V.
Moralis.

DEo curæ est ruinas implere. ad c.2. v.18. pag.609

INSTITVTIO VI.
Moralis.

SEnectus non annis, sed meritis, & maturitate metienda. ad cap. 3. vers. 2. pag.611

INSTITVTIO VII.
Literalis.

DE Cherubinis, Propitiatorio, & Arca fœderis, & an hæc vnica, an duplex fuerit. ad cap.4. vers.4. pag.614

INSTITVTIO VIII.
Moralis.

QVàm breuibus vita hominum periodis constringatur. ad cap.4. vers. 18. pag.615

INSTITVTIO IX.
Moralis.

QVàm sit peruicax impiorum obstinatio. ad cap.5. vers.3. pag 619

INSTITVTIO X.
Moralis.

DVriùs cum pertinacibus, quàm cum delinquentibus agitur. ad c.5. vers.2. pag.622

INSTITVTIO XI.
Moralis.

SOli Deo honor, & gloria. ad cap.6. v.5. pag.624

INSTITVTIO XII.
Moralis.

VItæ huius calamitates, & supplicia quasi nuga sunt, & ioci Dei. ad cap.6. v.6. pag.626

INSTITVTIO XIII.
Moralis.

INtensior pro Deo labor, maior est requies. ad cap.6. vers.2. pag.628

INSTITVTIO XIV.
Moralis.

SEmper in te qua corrigas, invenies. ad c.7. vers.4. pag.630

INSTITVTIO XV.
Moralis.

BOnus inter malos, quasi Deus est. ad c.8. vers.2. pag.632

INSTITVTIO XVI.
Moralis.

FIlij paternos mores vt plurimùm sectantur. ad c.8. vers.3. pag.633

INSTITVTIO XVII.
Moralis.

ARdua virtutis non solùm obeunda, sed & præoccupanda sunt. ad c.9. v.14. pag.634

INSTITVTIO XVIII.
Moralis.

FAusta pranuntianda: tristia reticenda sunt. ad cap.9. vers.20. pag.636

INSTITVTIO XIX.
Moralis.

HVmiles, virtutes suas non agnoscunt. ad cap.9. vers.21. pag.637

INSTITVTIO XX.
Moralis.

PRædicatores Deo charissimi. ad cap.10. vers.2. pag.638

INSTITVTIO XXI.
Moralis.

COncordia præsidium fortissimum. ad cap.10. vers.10. pag.640

INSTITVTIO XXII.
Literalis.

SOrtium natura, vsus, & censura. ad cap.10. vers.20. pag.641

INSTITVTIO XXIII.
Moralis.

HOstibus quoque seruanda fides est. ad cap.11. vers.3. pag.643

INSTITVTIO XXIV.
Moralis.

ARuspicina vanitas, & impietas. ad cap.11. vers.11. pag.645

INSTITVTIO XXV.
Moralis.

INiuria propria dimittenda: aliena vindicanda. ad cap.11. vers.13. pag.646

INSTITVTIO XXVI.
Moralis.

PRopria commendatio an deceat. ad c.12. vers.3. pag.648

INSTITVTIO XXVII.
Moralis.

CVram habe de bono nomine. ad cap.12. vers.22. pag 651

INSTITVTIO XXVIII.
Moralis.

QVantum aliorum orationibus fidendum. ad cap.12. vers.24. pag.654

INSTITVTIO XXIX.
Moralis.

NOmen homini iuxta ingenium & mores. ad cap.13. vers.7. pag.656

INSTITVTIO XXX.
Moralis.

PArua etiam culpa studiosè vitanda. ad cap.13. vers.8. pag.659

INSTITVTIO XXXI.
Moralis.

AMbitio vitium insatiabile. ad cap.13. vers.9. pag.662

INSTITVTIO XXXII.

Moralis.

NE innitaris prudentiæ tuæ. ad cap. 13. vers. 12. pag. 663

INSTITVTIO XXXIII.

Moralis.

VTraque fortuna moderanda. ad cap. 14. vers. 4. pag. 665

INSTITVTIO XXXIV.

Moralis.

VEra fortitudo ex difficultate roboratur. ad cap. 14. vers. 13. pag. 668

INSTITVTIO XXXV.

Moralis.

IMpiorum malitia & discordia in sui ipsorum perniciem bacchatur. ad cap. 14. vers. 20. pag. 670

IN LIBROS REGVM,

PRÆLVDIVM.

REGVM Libros Canonicos esse, quis dubitat nisi hæreticus? Eorum primarius, & præcipuus author, diuinus est Spiritus. Secundarius vero & instrumentalis quis extiterit, maiori subiacet dubio. Et quidem Canisius noster lib. 2. de Beata Virgine cap. 12. nondum constare affirmat. *Quis*, inquit, *libros Regum scripserit nondum conuenit inter eruditos.* Quod de 3. & 4. affirmat etiam Possevinus, tom. 2. Apparatus Sacri verb. *Regum liber*, Gaspar. etiam Santius in Prologomeno, 1. *De auctore*, inquit, *horum librorum nihil habemus certum ex Scriptura, neque Auctores, qui variis ducuntur coniecturis, quicquam afferunt nisi diuinando.* Cæterum Samuëlem primi huius libri vsque ad caput 25. exclusiue Auctorem fuisse suadet plurium Doctorum authoritas; videlicet Hieron. Gregor. Theodor. Procopij, Eucherij, Comestoris, Hugonis Charensis, Dionysij Carthusiani, Isidori Clarij, Lirani Abul. Caietani, Vatabli, Emanuelis Saa, Marianæ, Serarij, Isidori, Iunilli, Naucleri & Bellarmini, quos refert & sequitur Franciscus Mendoza tom. 1. in libros Regum Annot. 3. Proœmiali sectione prima, §. 15. Quibus adde Possevinum, Cornelium à Lapide, Claudium Rangolium, & Hebræorum Doctores in baba, Bathra cap. 1. & Rabbi Moses Kimhi, ex quorum sententia sic scribit Gilbertus Genebrardus lib. 1. Chronographiæ Anno mundi 3066. *Samuel scribit librum Iudicum, Ruth, & maximam partem libri primi Regum, quem eius nomine alius ad regnum vsque Salomonis perduxit. Et deinde sequentia Samuelis vsque ad calcem scripsit Dauid. Reliqua Regum edidit Hieremias. Nam ante historia sparsa erat per singulorum Regum Annales*, (citatque Rabbanum libro 2. de Institutione Clericorum cap. 54. *Tertium & quartum Regum Hebræi malunt tribuere Ezræ, quem materiam scribendi sumpsisse tradunt, vt*

credibile est, è libris verborum dierum Regum Iuda & Israel, qui passim citantur in libris Paralip. Hæc Genebrardus. Vna Doctorum, quos retuli authoritas ægre me mouet vt ita ferem habuisse credam. Ratio enim, quæ in huius probationem adducitur parum vrget; scilicet quod 1. Paralip. cap. vlt. Dauidis gesta scripta referuntur *in lib. Samuelis videntis.* Huic scipioni tota hæc opinio nititur: Non tamen ratio conuincit, cum liber ille possit dici Samuelis non actiuè, idest, non tanquam eius auctor fuerit; sed passiue, idest, in quo gesta & historia Samuelis continetur: quare Samuelis liber dicatur. Ita respondet Abul. in Præfat. quæstione 4. dum causam inquirens cur Hebræi duos primos libros Regum, librum Samuelis dicant. *Respondendum*, inquit, *quod quia in principio eius de Samuele agitur, ab eo tota ista pars nomen assumpsit.* Idem etiam Abul. ibidem, potius ab Isaia, vel Hieremia, quam à Samuele omnes quatuor scriptos putat; & licet postea cap. 5. quæst. 1. & cap. 12. quæst. 11. Samuelem auctorem dicat, vel loquitur iuxta vulgarem sententiam, vel parùm sibi constat. Nam in Præfatione duplici argumento Samuelem tanquam auctorem repellit. Vnde miror à Mendoza nostro in contrariam sententiam annumerari. Relata enim ab Abulensi communi opinione de Samuele Auctore, *hoc* inquit, *communiter, sed magis videtur quod isti duo etiam scripti fuerint ab Isaia, vel Hieremia.* (Quod quidem ipse Mendoza aduertit Annotatione 3. Procœmiali, sectione 1. §. 19.) Et in fine quæstionis probabile credit, cum Isidoro Hispalensi Dauidem potissimam primi & secundi libri partem scripsisse, vt à Samuele didicerat. *Vnde*, inquit, *apud Hebræos nomen Samuelis ei mansit.* Sed neque Tostati quidem sententia solido constat fundamento, potiusque in eo diuinare, quam certi aliquid licet definire. Prudenter tamen annotauit Augustinus Torniellus in suis Annalibus sacris Anno mundi 29.39. ex locorum nominibus colligi ea, quæ in libris Regum prioribus præsertim traduntur, post plures valdè annos ex quo gesta fuerant, fuisse conscripta, & eorum Auctorem vti iis eorum nominibus suo tempore vsitatis: licet interdum quando res gerebantur nondum talia locis illis nomina fuissent imposita. Numerantur autem libri Regum inter Prophetales in secundo librorum Scripturæ ordine, rectèque post historiam Iudicum locantur; cum Iudices, Reges in Israel sequuti fuerint. Licet enim Heli & Samuel reges non fuerint, sed Iudices, pertinent tamen ad Regum seriem tanquam eorum præludia. Samuel etenim Primus Reges vnxit, ad cuius historiæ cognitionem Heli etiam historia necessaria censetur, cum vtriusque gesta inter se misceantur; Quos autem nos cum Græcis quadripartimur Regum libros, Hebræi partiuntur; primumque, & secundum in vnum redactos librum Samuelis vocant. Tertium autem & quartum, *Malacim* seu *Malachototh*, hoc est, Regum seù regnorum dicunt. De cuius rei ratione Abul.

supra,

ſupra, q. 3. Auctor quæſtionum Hebraicarum, quæ falsò Hieronymo tribuuntur, hunc Regum librum cum eo, qui liber Iuſtorum dicitur 2. Regum 1. 18. coincidere docet. Sed ſatis ab Abulenſi, & à Sixto Senenſi lib. 2. Bibliothecæ aliiſque refellitur; & quidem iure, cum eumdem librum ſui ipſius authoritate in ſui confirmationem vti, vero ſimile non ſit, nec ſeipſum tanquam alium à ſe referre. Hiſtoriæ librorum Regum argumentum, ſunt geſta Regum Iſrael, & Iuda, variuſque regni Iudæorum decurſus. Quæ licet literalis ſermo contineat; altiora etiam, & diuiniora de Dei Iuſtitia, Prouidentia, Miſericordia, & aliis attributis: de Verbi item diuini incarnatione; de Regno, & Sacerdotio Chriſti, pluribuſque aliis adumbrat, & præcinit Prophetice non ſolum verbis, ſed & factis. Vnde Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 24. *Dico*, inquit, *illorum hominum non tantum linguam, ſed etiam vitam fuiſſe Propheticam: totumque illud regnum gentis Hebræorum magnum quendam, quia & magni cuiuſdam, fuiſſe Prophetam.* Angelomus autem in Præfatione adhunc primum librum Regum in eos implacabiliter inuehitur, qui tanquam muta animalia corticem ſolum huius libri inſpiciunt, nec nucleum conſiderant. *In quo quidem volumine*, (ſic ille) *quamquam nonnulli ſcientiæ ſpiritualis intelligentiæ ignari, aut humanæ ſolummodo ſapientiæ dediti, aiunt nihil aliud poſſe intelligi, niſi ſuperficies hiſtoriæ, & prælia Regum, ac caſus multorum: multa tamen Sacramenta Chriſti, & Eccleſiæ, variis ſcilicet modis continere videntur. Nam ab ipſo exordio Regum, commutatum ſacerdotium in Samuelem reprobato Heli, & commutatum regnum in Dauid, reprobato Saule exclamauit prænuntiari nouum ſacerdotium, nouumque regnum reprobato veteri, quod vmbra erat futuri in Dominum Ieſum Chriſtum venturum.* Hæc ille, quæ circa latius diuagatur. Idem ſequitur argumentum Bonauentura, in principio Sacræ Scripturæ. *Liber*, inquit, *Regum illum ſignificat, in cuius ſæmore ſcriptum eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, cum ſit Rex, & Sacerdos in primo libro deſignatur, vt euacuaturus ſacerdotium legale in depoſitione ſeu extinctione Heli, & ſubſtituturus ſacerdotium nouum in ſubſtitutione Samuelis, qui fuit de ſtirpe Aaron, & tranſlaturus etiam regnum ab Iſrael in reprobatione Saulis, & electione Dauid*, &c. Eadem repetunt Auguſt. lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 1. Gregorius toto opere ſuper primum librum Regum, quem Synagogę pereunti, Eccleſiæque ſurgenti myſtice accommodat. Rupertus libr. 1. Comment. in libros Regum cap. 1. Beda & Abulenſ. Hugo Char. alijque plures tam veteres, quàm recentes: Regumque hiſtorias plurimum vtilitatis diuinis diſciplinis ediſcendis, moribuſque fidelium aptandis parere, concordi exhortatione, omníque intenſione prędicant. Ita & Deus faxit vt in

cius vnius gloriam, & aliquale proximorum ſpirituale commodum tota res cedat, laborque ſuſceptus. Quot autem quique fuerint, qui in libros Regum Commentaria Scholia,& lucubrationes ſcripſerint, longum eſt referre. Vide Poſſeuinum, in Apparatu ſacro, tom. 2. Bellarm. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Sixtum Senenſem in Bibliotheca ſancta à quibus recenſentur : illis addito eos qui in totam Scripturam ſcripſere; Authores etiam Chronographiæ, & rerum Hebraicarum ſcriptores. Quorum omnium alij omnino periere : alij rarò & difficile reperiuntur ; alij verò quamplurimi à nobis ſemel iterumque perlecti, quorum nomina, eorumque, qui in toto hoc opere referuntur, vel impugnantur; eorum elenchus tibi manifeſtabit.

LIBER PRIMVS REGVM.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

ELCANA Vir primarius, & Leuita, duas habuit coniuges, alteram fœcundam, Phenennam: alteram ſterilem, ſed potius adamatam, Annam: huic illa ſterilitatem exprobrabat, tum maxime, cum religionis cauſa ad templum aſcendebant, vbi plures pro liberis victimæ partes accipiebat; Anna vero vnicam, licet potiſſimam: flebat illa ex eo, & viri conſolationem reſpuebat. Subiit aliquando tabernaculum vbi tunc Heli Sacerdos præſidebat, cumque tacitè, ſed feruentius oraret, ex labiorum motu ebria ab illo æſtimata eſt, & obiurgata. Sed poſtquam angoris, & motus cauſam didicit; mitius illam dimiſit, Deum precatus, vt illius vota compleret, ac exoptatam prolem largiretur. Probauit Deus, & fœminæ votum, & Pontificis benedictionem, breui enim filium concepit, nempe Samuelem, quem vix à lacte depulſum ad Tabernaculum detulit, & ſacrauit Domino, vt antè promiſerat cum oraret.

CAPVT PRIMVM.

1. EVIT vir vnus de Ramathaimſophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana, filius Ieroham, filij Eliu, filij Thohu, filij Suph, Ephrathæus. 2. Et habuit duas vxores, nomen vni Anna, & nomen ſecundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant liberi. 3. Et aſcendebat vir ille de ciuitate ſua ſtatutis diebus, vt adoraret & ſacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni & Phinees, Sacerdotes Domini. 4. Venit ergo dies, & immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori ſuæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes: 5. Annæ autem dedit partem vnam triſtis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluſerat vuluam eius. 6. Affligebat quoque eam æmula eius & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret quod Dominus concluſiſſet vuluam eius: 7. Sicque faciebat per ſingulos annos, cum redeunte tempore aſcenderent ad templum Domini: & ſic prouocabat eam. porro illa flebat, & non capiebat cibum. 8. Dixit ergo ei Elcana vir ſuus: Anna, cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi ſum, quam decem filij? 9. Surrexit autem Anna poſtquam comederat & biberat in Silo. Et Heli ſacerdote ſedente ſuperſellam ante poſtes templi Domini, 10. Cum eſſet Anna amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter, 11. Et votum vouit, dicens: Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſeruæ tuæ ſexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius. 12. Factum eſt autem, cum illa multiplicaret

preces coram Domino, vt Heli obseruaret os eius. 13. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumq; labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Æstimauit ergo eam Heli temulentam, 14. Dixitque ei: Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades. 15. Respondens Anna, Nequaquam, inquit, domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. 16. Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris & mœroris mei, locuta sum vsque in præsens. 17. Tunc Heli ait ei: Vade in pace: & Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. 18. Et illa dixit: Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, & comedit, vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati. 19. Et surrexerunt mane, & adorauerunt coram Domino: reuersique sunt, & venerunt in domum suam Ramatha. Cognouit autem Elcana Annam vxorem suam: & recordatus est eius Dominus. 20. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocauitque nomen eius Samuel: eo quod à Domino postulasset eum. 21. Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hostiam sollennem, & votum suum, 22. Et Anna non ascendit: dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter. 23. Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablactes eum: precorque vt impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum à lacte. 24. Et adduxit eum secum, postquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus: 25. Et immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. 26. Et ait Anna: Obsecro mi domine, viuit anima tua domine: ego sum illa mulier quæ steti coram te hîc orans Dominum. 27. Pro puero isto orani, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui eum. 28. Idcirco & ego commodaui eum Domino, cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino. Et adorauerunt ibi Dominum. Et orauit Anna, & ait:

VERSVS PRIMVS.

Vulgata. VLGATA. Fuit vir vnus de Ramathaimsophi de monte Ephraim, & nomen eius Elcana filius Ierohan, filij Eleu, filij Thohu, filij Suph, Ephrathæus.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et fuit vir vnus de Ramathaim, Sophim de monte Ephraim, & nomen eius Elcanah, filius Ierecham, filij Eliuh, filij Tochu, filij Suph, Ephratæi.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatablo.* Fuit vir quidam de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, cuius nomen erat Elcanah, filius Ieroham, filij Eliu, filij Ihohu, filij Suph, Ephrathæi.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Arias montano in Biblia Regia.* Et fuit vir vnus de Ramatha ex discipulis Prophetarum, ex monte domus Ephraim, & nomen eius ElKana filius Ierobham, filij Elihu, filij Thohhu, filij Zzuph, vir diuidens partem in sanctis in monte domus Ephraim.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complutensi & Regia.* Et fuit homo vnus, de Aramathaim, Sophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana filius, Hieroam, filij Heliu, filij Thoce, filij Soph, de monte Ephraim.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Biblia Sixtiana seu Romana, seu Vaticana, seu Fortunaciana.* Homo fuit de Armathaim Sipha, de monte Ephræm, & nomen ei Elcana, filius Ieremeel, filij Thoca, in Nasib Ephræm

Origen. *Origenis Homilia Vnica de Elcana.* Non me latet primo loco, quod in aliquibus exemplaribus habetur. Erat *Vir quidam.* Sed in his exemplaribus, quæ emendatiora probauimus, ita habetur: Erat *vir vnus.* In quo nobis etiam Hebræi, qui contradicunt in cæteris, etiam acquiescunt.

Theodor. *Theodoretus in primum Regum.* Et nomen eius *Cana.*

Beda. *Beda lib. 1. Expositionis Allegoricæ cap. 1.* Congruentius dici potuisset. *Fuit vir quidam,* Sicut etiam aliqui contra fidem Hebraicæ veritatis interpretari ausi sunt: sed quod additur *Vnus* ad titulum Laudis Elcanæ respicit.

Procop. *Procopius Gazæus in commentario.* Fuit autem homo.

Hugo Vict. *Hugo Victorinus lib. 5. Allegoriarum cap. 1.* Fuit vir vnus de Ramatha Sophim.

Caietan. *Caietanus in Commentario lib. 1. Regum cap. 1.* Et fuit vir vnus de altera Romath.

Vatab. *Vatablus in Scholiis ex Hebræo.* Erat vir quidem de altera Rama, nempe de ea, quæ dicebatur *Sophim.* Idest, Speculatorum. Ex monte vel in monte Ephraim. Quasi dicat, qui habitabat in monte Ephraim. Ephratæi. Alij vertunt, *Ephratæi* plurali numero, idest, cuius maiores habitauerunt in monte Ephraim. Chaldæus Paraphrastes vertit *de altera oppidorum Ramoth,* vbi habitabant discipuli Prophetarum.

Ioannes Benedict. *Ioannes Benedictus Parisiensis in sua Biblia ad marginem.* Fuit vir vnus de Romathaim, vel iuxta veterem editionem *Armathaim,* vel *Ramatha,* & *Arimathæa.*

Serarius. *Nicolaus Serarius in Commentario.* Ieroham, non *Ieroboham,* vt in Bibliis Regiis græcè & Latinè.

Chaldæ. Chaldæus habet, *fuit vir vnus Ramathæus, ex prophetarum discipulis.*

Mendoza. *Franciscus Mendoza in Commentario.* Aliqui ita dispungunt. *De Ramatha in Sophim.* Sed nesciunt Hebraicè, quam in eos censuram Liranus Abulensisque impingunt.

PATRES

PATRES ET AVCTORES.

TROPOL. Origen. *Iustus vnus, peccator multiplex.*

1 VIT *vir Vnus.* Orig. Hom. 1. de Elcana. Vide si non hoc ipsum pertinet ad laudem Iusti, quod dicitur de eo: Erat *vir vnus.* Nos qui adhuc peccatores sumus, non sumus vni: non possumus istum titulum laudis acquirere; quia vnus quisque nostrûm non est vnus; sed est multus. Intuere namque alicuius vultum nunc irati; nunc iterum tristis; paulò post gaudentis; & iterum turbati; & rursum lenis.

TROPOL. Philip. Presb. *Elcana laus.*

2 *Fuit vir vnus.* Philippus Presbiter lib. 1. in Iob. cap. 1. Ille sanctus Elcana pater venerabilis Samuelis qui erat possessio Dei (Elcana quippe in possessionem Dei trâsfertur) vir dicitur, & non solum vir, verum etiam *vir vnus* appellatur; non enim in diuersa vagabunde vel vt mobilis atq; instabilis ferebatur; sed firmus atque inconcussus sistens, vir vnus erat, & idcirco in monte Ephraim frugifero morabatur; in alta scilicet contemplatione virtutum, vt à nullis subiacentibus & circumlatrantibus vitiorum cogitationibus mentis eius vel sublimitas deiiceretur, vel vnitas scinderetur.

HISTOR. Ioseph.

3 *Fuit vir vnus.* Iosephus Iudæus, lib. 5. Antiquitatum Iudaicarum. cap. 11. Sigismundo Gelenio interprete. Elcanes Leuita vir ingenuus, Ramatham vrbem, in sorte, Ephræmitarum habitans duas vxores habuit &c.

TROPOL. Rupert. *Iustus Vnus.*

4 *Fuit vir vnus.* Rupertus Abbas de Trinitate & operibus eius, in libros Regum lib. 1. cap. 1. Benedicitur vir vnus non numero; sed quia nunquam mutatur, nec de se alter efficitur.

MYSTIC. Gloss. ord. Luc. 24. *Christus vir vnus.*

5 *Fuit vir vnus.* Glossa Ordinaria ibi. Allegorice per istum Virum significatur Christus, qui Lucæ 24. dicitur, *Vir potens in opere & sermone.* Et benedicitur *vnus* quia nullus alius fuit neque est, neque erit Deus, & homo in vna persona.

LITERAL. Glossa Interlin.

6 *Fuit vir vnus.* Glossa Interlinearis Anselmi Laudunensis. Vnus non Vagabundus, non mobilis.

MYSTIC. Beda. *Elcana Christi figura.*

7 *Fuit vir vnus.* Beda lib. 1. Expositionis Allegoricæ. cap. 1. tom. 4. Fuit ergo vir vnus de excelsa eorum, ideſt virorum specula de monte frugifero, & crescente, & nomen eius Dei possessio.

MORAL. Chaten. *Elcana laus.*

8 *Fuit vir vnus.* Hugo de sancto Charo, seu Cardinalis in Postilla lib. 1. Regum cap. 1. Vir non sexu tantum, sed à virore virtutum. *Vnus*: non vnitate personæ tantum, sed religionis singularitate, & mentis constantia.

LITERAL. Maria. Rabbi. Kimhi.

9 *Fuit vir vnus.* Ioannes Mariana in Biblia trium Patrum, Hebraice. Et fuit *vir vnus* aliqui dicunt eam coniunctionem habere vim Hebraice conuertendi præteritum in futurum, aut futurum in præteritum, vt hic; Linguæ Hebraicæ & Ismaeliticæ teste Kimhi est commune, vt ab *Et* exordiantur.

LITERAL. Mendoza.

10 *Fuit vir vnus.* Franciscus Mendoza in Commentario cap. 1. v. 1. *Et fuit vir.* Dicendum puto hanc particulam & hoc loco neque mysticam esse neque omnino superfluam; sed iuxta Hebræorum Grammaticam necessariam.

LITERAL. Idem. Gen. 1. Gen. 48. *Elcana nobilis.*

11 *Fuit vir vnus.* Idem ibidem, Vnus aliquando idem est quod primus. *Factum est vespere & mane dies vnus.* Genesis 1. Ideſt primus. Aliquando idem quod primarius; seu præcipuus. *Do tibi partem vnam.* Genes. 48. Hebraicè, & Chaldaicè *præcipuam seu honorificam.* Erat Elcana vir vnus, hoc est, primus seu primarius in ciuitate sua.

LITERAL.

12 *Fuit vir vnus.* Idem Annot. 1. sect. 2. Vir imprimis dicitur Elcana, vt à fœminis per fortitudinem: à pueris per sapientiam: à brutis per rationem distinguatur. Mendoza.

THEOLOG. Chrysost. *Deus absque principio.*

13 *De Ramathaim Sophim.* Chrysost. in caput primum Ioannis tom. 3. De Elcana non dixit solum, quod fuit homo, sed etiam vnde. *De Ramathaim* inquit, *Sophim.* De verbo autem non ita loquitur. Et profectò hæc quidem conferre erubescimus.

LITERAL. Hieron.

14 *De Ramathaim Sophim.* Hieron. seu potius Author Traditionum Hebraicarum in primum Regum tom. 3. Ramathaim interpretatur, *duo excelsa*, & hæc duo excelsa, duæ intelliguntur Tribus, Regalis scilicet & Sacerdotalis. Zophim, *speculatores* interpretatur, Speculatores hîc Prophetæ intelliguntur. Quorum filius Elcana fuit.

LITERAL. Gregor.

15 *De Ramathaim Sophim.* Gregor. lib. 1. Variarum Enarrationum, in librum primum Regum cap. 1. Ramatha, Sophim, & Ephraim, Hebraica nomina sunt, quorum primus in lingua nostra sonat, *Visio consummata*, secundum vero *scuta*; Tertium denique *frugifer* siuè *fructificans* interpretatur.

LITERAL. Comest. *Ramathaim & Sophim quæ.*

16 *De Ramathaim Sophim.* Petrus Comestor, in Historia Scolastica 1. Reg. cap. 1. dicitur ciuitas eius Ramathaim, quæ in Euangelio dicitur *Arimathia*, à Ioscpho dicitur Ramatha, quia in excelso sita erat. Sophim *speculatio*, interpretatur, & est ibi genitibus casus; ac si diceretur: De Ramathaim speculationis: quod ex ea circumiacens regio longe videri poterat.

MYSTIC. Strabus.

17 *De Ramathaim Sophim.* Glossa Ordinaria ibi. Ideſt excelsis speculationibus. Nam in Christo est duplex speculatio: scilicet diuina & humana, & quælibet est excelsa.

HISTOR. Rupert. *Samuelis genealogia.*

18 *De Ramathaim Sophim.* Rupert. lib. 1. Comment. cap. 1. Ramathaim interpretatur *excelsa duo.* Et hæc excelsa duæ; duæ intelliguntur Tribus, Regia videlicet & Sacerdotalis quod pater Elcana de Tribu fuit Leui, Paralipomenon liber plenissime docet, in quo series genealogiæ illius vsque ad Leui producitur. Matrem quoque de Tribu Iuda extitisse monstratur in eo quod Ephrathæus vocatur. Ephrathæus ab Ephrata vxore Caleph, quam constat de tribu Iuda extitisse.

LITERAL. Angelom.

19 *De Ramathaim Sophim.* Angelomus Lexouiensis in Stromatibus tom. 9. Bibliothecæ Patrum. Ramathaim ipsa est, quæ in Euangeliis Arimatia legitur, de qua fuisse Ioseph, eadem Euangelia comprobant. Est enim ciuitas in regione Tamnitica iuxta Diospolym. *Sophim*, speculatores dicitur. Speculatores hic fortassis Prophetæ intelliguntur, quorum filius Elcana fuit.

MYSTIC. Hugo Vict. *Christus speculator.*

20 *De Ramathaim Sophim.* Hugo Victor. lib. 5. Allegoriarum, cap. 1. Quæ dicitur excelsa eorum, ideſt, specula, hoc est superna Hierusalem de qua veniens speculationem docuit.

LITERAL. Interlin.

21 *De Ramathaim Sophim.* Anselmus Laudunensis in Glossa Interlineali, Sophim *specula*, vel *scopulus.*

TROPOL. Hug. Char. *Prælatus, qualis.*

22 *De Ramathaim Sophim.* Hugo Charensis in Postilla. Ramathaim *excelsa duo*; & duplex celsitudo requiritur in Prælato, scilicet vitæ & scientiæ.

LITERAL. Carthus.

23 *De Ramathaim Sophim.* Dionysius Carthusianus in Enarratione in librum primum Samuelis articulo 1. Sophim, ideſt excelsorum, seu speculationum; quia fuit vrbs sita in loco sublimi, & ita de ea vndique longè ac latè poterat quis videre. Vel dicitur Vrbs excelsorum, & speculationum, quia,

vt fertur, viri studiosi, & speculatiui morabantur in ea.

LITTER. Abul.

24 *De Ramathaim Sophim.* Abul. ibi vocatur Sophim quia forte est nomen regionis in qua erat Ramatha, scilicet; Ramathaim in terra Sophim: vel forte est aliqua additio causa differentiæ, cùm nominibus vrbium aliquid addimus ad faciendum differre, quia multæ vrbes eodem nomine appellantur.

LITTER. Caietan.

25 *De Ramathaim Sophim,* Thom. Caietan. in commentario. Aiunt Ramathaim significare duas Ramath: sed ratione antepositæ præpositionis, significare alteram duarum Ramath. Ita quod sensus est. Fuit vir vnus de altera Ramath. Duas enim fuisse ciuitates appellatas Ramath autumant. Dictio quoque Zophim est pluralis numeri, sed non Loci nomen creditur, & significat speculantes, seu speculatores.

LITTER. Sal.

26 *De Ramathaim.* Emanuel Saa in Scholiis. Quod ex duabus Ramath, illa quæ Sophim dicitur & Arimathæa, distátque à Hierusalem, viginti milliaribus.

LITTER. Serar. Salin. *Ramatha, quæ.*

27 *De Ramathaim.* Nicol. Serarius in Commentario. Id est, de Ramatha, quemadmodum infra vocatur, cap. 1. v. 19. cap. 2. v. 11. Sed duali numero ex Hebræo effertur: quia duplex. Saliniacus vero cap. 3. tit. 6. dicit, esse quinque Ramas; quarum hæc iuxta Gabaa & hodie Ramula.

LITTER. Tirinus. Rogusin. Razcib. Epist 2. Hieron. Saliniac.

28 *De Ramathaim.* Iacobus Tirinus, in Commentario. Stephanus Ragusinus citatus à Duce Razcibilio putat hanc Ramatha illam esse ciuitatem, quæ subsequutis temporibus præfixa littera *A.* dicta fuit Arimathia, cuius ciuis fuit ille Ioseph, qui Christum Dominum è cruce deposuit. Tempore Sancti Hieronymi nominabatur Remphis: hodie Ramula à Turcis vocatur, in qua præcelsæ turres, in quibus lampades perpetuæ, inquit Saliniacus cap. 3. tit. 6.

MORAL. Nazianz. *Patria parvitas non obstat.*

29 *De Ramathaim.* Gregor. Nazianz. orat. ad Arianos & de se ipso. Me verò Samuelis quoque Ramatha fallebat, parua, inquam, magni illius viri patria, quæ tamen Prophetæ dedecori non fuit, nec suo magis quam illius splendore claruit: nec illi impedimento fuit, quominus Deo, prius etiam quam in lucem prodiret, in munus offerretur, & oracula ederet, & futura prospiceret; ac præterea Reges & Sacerdotes vngeret: atque illustrissimis ciuitatibus ortos pro Iudice gubernaret.

MORAL. Origen. *Iustus excelsus est.*

30 *De monte Ephraim.* Origen. hom. vnica de Elcana. to. 1. Ergo non iustus de vallibus, nec de campis, nec de vilis inferioribus locis, sed nec de collibus quidem. De monte, inquit, est. De quo monte? de monte Ephraino, qui interpretatur, fructificatio, ergo de monte fructifero, & locus eius frugifer.

MYSTIC. Gregor *Maria Virgo mons.*

31 *De monte Ephraim.* Gregorius lib. 1. variarum enarrat. cap. 1. Potest autem huius montis nomine Beatissima Dei genitrix designari. Mons quippe fuit, qui omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit.

LITTER. Comestor *Ephraim: quid.*

32 *De monte Ephraim.* Petrus Comestor in Historia Scholast. 1. Reg. cap. 1. Non est autem mons Ephraim nomen montis, sed regionis, vnde in sequentibus, vbi legitur de duodecim præfectis regionum, qui ministrabant Salomoni per singulos menses ponitur Dechar præfectus montis Ephraim.

LITTER. Rupert *Elcana habitatio.*

33 *De monte Ephraim.* Rupert. lib. 1. comment. cap. 1. De monte Ephraim fuisse dicitur quia ibi erat eius habitatio; intra cunctas namque Tribus habitationem Leuitarum fuisse non dubium est.

34 *De monte Ephraim.* Carthusianus ibi art. 1. mons Ephraim interdum accipitur pro monte magno, seu loco montuoso in finibus Ephraim sito; aliquando vero accipitur pro terra, seu prouincia circumiacente. LITTER. Carthus. *Ephraim quid.*

35 *Et nomen eius Elcana.* Orig. homilia de Elcana tom. 1. Nomen Iusti huius est Elcana, quod interpretatur possessio Dei. Certum est, quia ille, de quo dictum est, quod vnus esset vir; possessio Dei est, & non possessio Dæmonum; quem enim Dæmones possident non est vnus, sed multiplex: sicut & ipsi Dæmones de eo quem possidebant, responderunt, dicentes: *quia legio nomen est ei.* MORAL. Origen. *Virtus possidet Deum.*

36 *Et nomen eius Elcana.* S. Eucherius, seu potius Author comment. in libros Regum quæ falsò Eucherio adscribuntur cap. 1. in tom. 5. Bibliothecæ veterum Patrum anni 1618. Elcana non de Amram ortus, sed Isaac, qui & ipse filius fuit Caath, & Caath filius Leui. HISTOR. Eucher. *Elcana vnde.*

37 *Et nomen eius Elcana.* Petrus Berchorius lib. 9. Moralitatum Bibliæ cap. 1. Elcana qui interpretatur *possessio* est Christus filius Dei Patris, qui *vir vnus* pro eo dicitur, quod vnus Deus in natura duplici, vnus censetur & creditur. MYSTIC. Berchor. *Elcana, Christus.*

38 *Et nomen eius Elcana.* Abulensis ibi q. 3. Hic ponitur nomen huius viri propter Samuelem filium eius, qui fuit valde honorabilis, & ipsemet scripsit istud. LITTER. Abul.

39 *Et nomen eius Elcana.* Hugo Char. in Postilla. Elcana est Prælatus, qui debet esse vir animi virtute, id est, fortis, & strenuus. MORAL. Charen. *Prælatus vir fortis.*

40 *Et nomen eius Elcana.* Hieronymus Lauretus in Sylua Allegor. Ideſt Deus zelotes, aut Dei possessio, vel Dei calamus, siue Deus nidus eius. Interpretatur etiam Dei feruor, & designat contemptorem mundi. *Eadem habet Ildefonsus Remon.* LITERAL. Lauretus. Remon. *Elcana, quid significet.*

41 *Et nomẽ eius Elcana.* Vatab. in scholiis. Fuit vir iste Leuita de nepotibus Core, cuius maiores ipse enumerat, vt ostendatur eum fuisse Leuitam, simulque doceret, habitasse in monte Ephraim. HISTOR. Vatab. *Elcana Leuita.*

42 *Et nomen eius Elcana.* Author Catenæ. Elcana iuxta nominis sui etymon Deum possidet, quia de monte Ephraim, hoc est frugifero, & incessanter crescente. Manca est nec pacata omnino, etiam fructuosa Dei possessio, nisi continuus, anxiusque profectus accesserit, iuxta adhortationem Prophetæ: *Quærite Dominum & confirmamini: Quærite faciem eius semper.* Psalmo 104. 4. Bernardus autem Epistol. 253. *Nolle proficere, deficere est.* TROPOL. Author Catenæ. Psal. 104. 4. Bernard. *Semper proficere.*

43 *Filius Ieroham.* Procopius in comment. Successio sic habet. Caad genuit Aminadab: Core, Asser: Elcana, Zuph: Thou, Elin: Ieroan, Elcana: hic Samuelem genuit. HISTOR. Procop.

44 *Filius Ieroham, &c.* Gregor. 1. variarum c. 1. Quatuor Patrum nomina assignantur, quia dum ex fideli populo Dominus carnem sumpsit, eos per humanitatem partes habuit, quos totidem principalium virtutum gloria illustrauit. MYSTIC. Gregor. *Parentes Christi quales.*

45 *Filius Ieroham, filij Elin.* Hugo vir. 5. Allegor. cap. 1. *Hieroam* miserieors. *Elin* Deus meus eius. *Suph,* fundens, *Ephrathæus,* frugifer. Quod donus Spiritus sancti abundat. MYSTICE. Hugo.

46 *Filius Ieroam, &c.* Franciscus Mendoza annot. 1. §. 22. Vltima difficultas, cur hic quatuor tantum progenitores Elcanæ ponantur; cum 1. Paralip. 6. reliqui omnes vsque ad Iacob enumerentur? Respondeo; cum Samuel fuerit auctor huius operis (vt in proximo diximus) noluisse in progenitoribus referendis numium inmorari; sed MORAL. Mendoza. 1. Paral. 6. *Samuelis modestia. Ne maiorum nomina sonet.*

EOS

eos tantum attigisse, qui ad historiam necessarij videbantur.

LITTER. Theodor. 47 *Filij Eliu.* Theodor. Ibi Isaaris filius quidem Core, nepos vero Cana, pater Samuëlis.

HISTOR. Abul. *Eliu, quis.* 48 *Filij Eliu.* Abul. ibi quæst. 3. Iste est proauus Samuëlis. Et non est iste Eliu iuuenis acutissimus, qui arguit contra tres amicos Iob, & ipsum.

LITTER. Interlin. *Thohu, quid.* 49 *Filij Thohu.* Glossa Interlin. ibi. *Thohu* Signatus interpretatur.

LITTER. Abul. 50 *Filij Suph.* Abul. in cap. 9. libri primi Regum quæst. 3. Describuntur aliquæ generationes; scilicet Samuël, filius Elcana, filij Ieroboam, filij Eliu, filij Thohu, filij Suph, & ibi terminatur, neque peruenitur vsque ad principium Tribus; scilicet ad Leui, vel vsque ad principium familiæ, scilicet ad Caath, qui fuit principium familiæ: & hoc quia Suph fuit quidam vir multum famosus, à quo denominata est quædam terra, vt patet infra vers. 5. ideo Scriptura non enarrauit vlterius lineam, quia per illum virum famosum ita cognosceretur stirps Samuëlis, sicut per Leui.

MYSTIC. Beda. *Ephrathæus, quid.* 51 *Ephrathæus.* Beda lib. 1. Expositionis Allegoricæ cap. 1. tom. 4. Ephrataeus *vber*, seu *puluerulentus* dicitur.

HISTOR. Comestor. *Effrathæus, Ephrathæus, Euphrathæus quid.* 52 *Ephrathæus.* Comestor. in Historia Schol. 1. Reg. 1. Nota, quòd quidam tria nomina distingunt sic. *Effrathæus* ab Effraim, scribunt per duo *ff.* *Ephrathæus* ab Ephrata per *P.* & *H.* *Euphrateus* ab Euphraten, quod est frugifer per *Eu*, & est, vt dicunt, terminus Iudææ iuxta Euphratem.

LITTER. Carthus. *Ephrathæus vnde.* 53 *Ephrathæus.* Carthus. ibi art. 1. Alij scribunt quod dicitur Ephrathæus, quia ex parte matris natus Bethlehem ex Tribu Iuda, quæ Bethlehem Ephrata dicitur.

HISTOR. Abul. *Elcana de quâ Tribu?* 54 *Ephrathæus.* Abul. ibi quæst. 3. Quando dicitur, quod fuit Elcana de progenie Ephrata (vt pater in Glossa Ordinaria) negandum est: neque est multum curandum de authoritate cuiuslibet, quantus quisque ille sit, si contra litteram sacræ Scripturæ, manifestè dixerit; sic enim est hic, cum expressè appareat de Elcana, quod esset de familia Caathitarum.

LITTER. Idem. 55 *Ephrathæus.* Idem ibidem. Cum dicebatur, quòd Elcana vocaretur Ephrathæus ab Ephrata vxore Caleb, eodem modo negandum est: nam etsi esset de Tribu Iuda non denominaretur Ephrathæus ab Ephrata, quia nunquam est mos in sacra Scriptura denominari filios ex progenie matrum, sed patrum.

LITTER. Matian. Hieron. Rabbi kim. 56 *Ephrathæus.* Ioannes Mariana in Scholiis. Hieronymus in nominatiuo posuit, cùm dixit *Ephrathæus*: Kimhi, in genitiuo, quod filius Suph Ephrathæi: hoc est, non Elcana solum fuit de monte Ephraim, sed Suph auus eius etiam.

LITTER. Serar. Ruth. 1. Raschi. 57 *Ephrathæus.* Nicolaus Serarius in Commentario. Dicitur Ephrathæus quia nobilis admodum vir magnæque existimationis, vt Ruth capitis primi principio exponit Raschi.

HISTOR. Sanctius. *Elcana quare Ephrathæus.* 58 *Ephrathæus.* Gaspar Sanctius in Commentario. Elcana Ephrathæus id est, Ephraimitha; non quòd genus ducat ab Ephraim: nam esse ex Tribu Leui apertè dicitur 1. Paralipom. cap. 6. Sed quia in ciuitate, quæ in Tribu Ephraim pro Leuitis assignata fuit, natus, & educatus fuit.

VERSVS II.

Vulgata. VVlgata. Et habuit duas vxores, nomen vni Annæ, & nomen secundæ Phenenna. Fuerúntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant liberi.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnino. Et ei duæ vxores: nomen vnius, Channah, & nomen alterius Peninnah: & fuerunt ipsi Peninnah nati. Et Channah non nati. Pagn.

Hebraica ex Fran. Vatab. Et his duas habuit vxores, nomen vnius Hanna: alterius nomen Peninna: Peninna filios habuit: Hannæ nulli fuerunt liberi. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et illi duæ vxores: nomen vnius Hhanah, & nomen alterius Peninnah: & fuerunt Peninnæ filij, & Hhanæ non fuerunt filij. Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et huic duæ vxores, nomen vni Anna; & nomen secundæ Phenenna: & fuerunt Phenennæ filij: at Annæ non erat filius. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtiana. Et huic duæ vxores, nomen vni Anna, & nomen secundæ Phenenna, & erant Phenennæ filij, & Annæ non erat filius. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

1 ET *habuit duas vxores.* Hieron. lib. 2. Comment. in cap. 4. Epistolæ ad Galatas. Virum habuit Synagoga, legem, & iuxta Annæ quoque Prophetiam fœtola quondam in liberis fuit. MYSTIC. Hieron. *Synagoga fœcunda.*

2 *Et habuit duas vxores.* Gregor. lib. 1. variarum, cap. 1. Quid per Phenennam nisi Synagoga exprimitur? & quid per Annam nisi sancta Ecclesia figuratur? Phenennæ quippe filij fuisse referuntur: quia cum Redemptor noster in carne apparuit per legem, quam dederat per Prophetas, quos miserat, editos, per filios Synagogæ filios inuenit. Anna autem non erant liberi quia nouitia tunc, & cœlesti sponso nuper coniuncta sancta prædicando adhuc nequaquam pariebat. Vnde, & eiusdem sponsi voce in Cantico dicitur: *Soror nostra parua est & vbera non habet.* MYSTIC. Gregor. *Anna, & Phenenna, quid.* Cantic. 8.

3 *Et habuit duas vxores.* Theodoret. ibi q. 4. Neque iussit lex cum duabus aut pluribus simul coniungi vxoribus, aut habere concubinam; sed neque prohibuit, concedens, maius, vt prohiberet minus, & eorum enim, qui accipiebant, potentia motiebatur leges. Hoc diuinus etiam dicit Apostolus. Ad Hebr. 7. *Nihil enim perfecit lex.* LITTERAL. Theod. *An liceret habere duas vxores.* Hebr. 7.

4 *Et habuit duas vxores.* S. Iustin. Martyr in Dialogo cum Triphone. Ideo licuit patribus illis plures habere coniuges: vt futura Christi mysteria delinearent. MYSTIC. Iustin.

5 *Et habuit duas vxores.* Cyrill. Alexand. lib. 11. Comment. in Gen. Maiores illi rem honestissimam censuerunt pluribus fœtis vxoribus humani generis propagationi studere, & benedictioni diuinæ, & multiplicationi hominum, qui terræ vastitatem incolerent. LITTER. Cyrill. *Cur priſci habuerunt plures vxores.*

6 *Et habuit duas vxores.* S. Cyprian. lib. 1. Testimoniorum ad Quirinam cap. 20. Iacob accepit duas vxores, Liam oculis infirmioribus, in typum Sinagogæ: Minorem speciosam Rachel in typum Ecclesiæ, quæ & sterilis diu mansit, & postea peperit filium Ioseph, qui & ipse fuit typus Christi. Et in Βασιλ. 1. legitur, Helcanam habuisse vxores duas: Fenennam cum filiis, & Annam sterilem, ex qua nascitur Samuël, non secundùm ordinem MYSTIC. Cyprian. *Christus adumbratus.*

generandi,

generandi, sed secundùm Dei miserationem, & promissionem cum illa orasset in templo, & natus Samuel typus fuit Christi.

MYSTIC. Berchor. *Laici interdum meliores Ecclesiastici.*

7 *Et habuit duas vxores.* Petrus Berchor. lib. 9. Moralitat. cap. 1. Duæ vxores Christi, sunt duæ sectæ Clericorum, & Laicorum. Prima vita Ecclesiastica, primò fuit virtutibus abundans, & fertilis, & pro certo modo facta est sterilis, & inanis. E contra verò sæcularium vita modò est in virtutibus fertilior, quia vt communiter plures inueniuntur cæteris paribus boni sæculares, quàm boni Ecclesiastici, vel boni Regulares.

MYSTIC. Idem. *Iustus superbus, peccator humilis.*

8 *Et habuit duas vxores.* Idem ibidem. Istæ duæ vxores significant duo genera personarum: scilicet quosdam virtuosos & fertiles, de sua tamen virtute præsumentes, & alios irridentes, qualis fuit Pharisæus ille, qui se ipsum commendabat, & Publicanum condemnabat. Item alios steriles, & peccatores, flentes tamen & pœnitentes, & de sterilitate sua dolentes, & pro partu bonorum operum Deum exorantes, & spiritum tribulatum sacrificantes.

HISTOR. Eucher.

9 *Et habuit duas vxores.* Eucherius, vel potius Author Commentariorum in Reges. Iste ergo laudabilis vir habuit duas vxores, nomen vnius Anna, & nomen secundæ Phenenna, habebat autem filios de secunda Phenenna: sterilis verò erat prior illa, quæ & nobilior erat. Similia inuenies etiam in Genesi (cognata enim sibi est Scriptura diuina) inuenies ibi primam vxorem Abrahæ Saram nobiliorem; secundam verò Ægyptiam Agar ignobilem fuisse; & antè patrem effectum Abraham de ignobili, quàm de nobili. *Eadem verba nihilo immutata sunt apud* Origenem *homil. de Elcana.*

Origen.

MYSTIC. Hugo Vict. *Synagoga & Gentilitas quales.*

10 *Et habuit duas vxores.* Hugo Victorin. lib. 5. Allegor. cap. 1. Phenenna est Synagoga, quæ fœcunda primò filios generabat per legem: sed iam propter infidelitatem infœcunda manet; Anna sterilis, Ecclesia Gentium, quæ olim sterilis à patre spirituali, nunc gratia Christi redempta parit prolem Deo. Anna, quæ interpretatur gratia, Deo filios per baptismum genuit, & per Spiritum Sanctum.

HISTOR. Angelom. *Gaudia post mœrorem.*

11 *Et habuit duas vxores.* Angelom. in Stromatibus. Conuenienter Annæ sterilitas commemoratur. Cuius partus celebrior futurus erat instar priorum Patrum, vt maius gaudium post longum mœrorem de percepta fœcunditate parentum insinuaretur.

LITERAL. Carth. *An liceret habere duas vxores.* Gen. 4.

12 *Et habuit duas vxores.* Hugo Char. in Postilla. Sed numquid peccauit in hoc, quia naturaliter vna vxor vnius viri est? Præterea Lamech culpatur Gen. 4. Quia duas habit vxores, adulterium faciens contra legem naturæ, & decretum. Solutio. Ex dispensatione Spiritus sancti habuit duas, & ideò non peccauit. Lamech verò ex libidine, & sine dispensatione, & ideo peccauit.

MYSTIC. Char. *Anna, & Phenenna quid?*

13 *Et habuit duas vxores.* Idem ibid. Annam scilicet, & Phenennam; id est Synagogam & Gentilitatem, ideſt Ecclesiam de gentibus. Phenenna, est Synagoga quæ primo Deo filios genuit per legem; sed postea per infidelitatem facta est infœcunda. Anna primò sterilis, est Ecclesia de Gentibus, quæ olim sterilis à prole spirituali; tandem per gratiam spirituales filios genuit.

MYSTIC. Idem. *Duo vitia.*

14 *Et habuit duas vxores.* Idem ibid. Scilicet vitam actiuam & contemplatiuam quæ debent esse vxores, non concubinæ; vt vero sponso prolem bonorum operum faciant; non adultero, id est mundo per inanem gloriam, vel diabolo per superbiam.

LITERAL. Carthus. *Elcana, non libidinosus.*

15 *Et habuit duas vxores.* Carthusian. ibi art. 1. Non ex libidine, sed quia, vt dicitur, prima eius vxor fuit Anna, quæ erat pulchra, ac sterilis, ideo sterilitatem eius expertus, aliam superaccepit.

MYSTIC. Interlin.

16 *Et habuit duas vxores.* Anselmus Laudunensis in Glossa Interl. Conuersionem scilicet à malo, & gratiam.

LITERAL. Abulens. *Licuit habere plures vxores.*

17 *Et habuit duas vxores.* Abul. ibi. q. 3. Dicitur autem quòd habebat duas vxores iste Elcana, quia non videbatur esse illicitum in veteri Testamento, quòd aliquis simul, multas haberet vxores: sic enim multi sancti illas habuerunt, vt patet de Abraham, qui habuit duas simul scilicet Saram, & Agar. Genes. 26. Iacob autem habuit quatuor, Gen. 29. & 30. Sic quoque de Dauid patet infra, 2. Regum 3.

Genes. 26. 29. & 30. 2. Reg. 3.

LITERAL. Gaspar. Santius. *Phenenna vxor proletaria.*

18 *Et habuit duas vxores.* Centumputeolanus in Commentario. Est autem satis verisimile, ideo Elcanam accepisse Phenennam, secundariam nimirum, & quasi proletariam vxorem, quia Annam, quæ mater erat familias, & instar Reginæ, iam longo vsu sterilem esse cognouerat.

MYSTIC. Hieron. *Anna, & Phenenna, quid?*

19 *Nomen vni Anna.* Hieron. de nominibus Hebraicis 1. Reg. tom. 3. Anna, gratia; Phenenna, conuersio.

HISTOR. Comest. *Anna pulchra.*

20 *Nomen vni Anna.* Comestor in Historia Scholastica, 1. Reg. 1. Erat autem Anna pulchra, sed sterilis: Phenenna verò fœcunda.

MYSTIC. Berchor. *Maria Virgo per Annam.*

21 *Nomen vni Anna.* Berchor. lib. 9. Moralitatum cap. 1. Anna sterilis, est Beata Virgo, quæ Samuelem, ideſt Christum miraculosè peperit, quem ablactatum in templo obtulit, qui etiam tandem magnus Propheta factus fuit in Israel.

MYSTIC. Lauret. *Anna quid?*

22 *Nomen vni Anna.* Hieronym. Lauretus in Sylua Allegoriar. Anna ideſt, gratiosa siue misericors, aut requiescens, vel donans, quæ, vt interpretatur Gratia, & genuit post Phenennam, hoc est conuersionem; designat profectum virtutu, & opera excellentiæ vitæ contemplatiuæ; generat autem Samuelem, hoc est, opera perfecta; & generat serò, quia serò venitur ad perfectionem operum vitæ contemplatiuæ.

MYSTIC. Serarius Iren. 4. *Phenenna, Rubinus.*

23 *Nomen vni Anna.* Nicolaus Serar. in Comm. in fine c. 1. Anna interpretatur *Gratia*: Phenenna verò *Gemma* pretiosissimùm quæ rubinus dicitur ab interprete nostro Iren. 4. *Ebur antiquum.*

LITERAL. Rang.

24 *Nomen vni Anna.* Claudius Rangolius in Comment. tom. 1. Annam priorem duxerat, eámque habuit suæ pubertatis vxorem. Sed cùm sterilis esset, alteram duxit, vt liberos ex ea susciperet: Annam tamen repudiare noluit, neque illi aliquando molestus fuit; aut illam veluti inutile familiæ suæ pondus neglexit; sed cùm virtutem adamaret, eam præcipuo semper honore coluit; erat enim singulari quadam pietate, atque modestia prædita.

MORAL. Eucher. Ephes.

25 *Et nomen secundæ Phenenna.* Eucherius seu potius Author Commentariorum in Reges. Phenenna interpretatur Conuersio: Anna autem interpretatur Gratia. Vnusquisque ergo nostrùm, qui vult effici possessio Dei, istas sibi duas coniúgat vxores, & cum ipsis sibi nuptias celebret. Primam sibi coniungat, quæ nobilior est, & generosior, gratiam: Hæc enim nobis per fidem prima coniungitur, sicut & Apostolus dicit: *Gratia salui facti estis per fidem.* Ephes. 2. Secundæ verò iungimur Phenennæ, ideſt, conuersioni, quia post gratiam credulitatis

credulitatis emendatio fit morum, & vitæ conuersio.

LITERAL. Comest. 26 *Et nomen Secundæ Phenenna.* Comest. in Historia Scholastica. Cùm debuit dicere alteri de duobus, dixit Secundæ: innuens, quòd, licèt pares essent in nomine vxorio; tamen hæc secunda erat in amore viri.

MYSTIC. Lauret. 27 *Et nomen secundæ Phenenna.* Lauret. n Sylua Allegor. Phenenna, ideſt, gemma, siue facies nostra.

MORAL. Origen. *Conuersio ad Deum, præcedat.* 28 *Fueruntque Phenennæ filij.* Orig. Hom. vnica de Elcana, tom. 1. Prima nobis parit filios Phenenna: quia primos fructus de conuersione proferimus, & prima iustitiæ germina de actibus, & operibus procreamus. Primum namque iustitiæ opus, est conferti à peccatis: quia nisi ante conuertamur, & declinemus à malo; nec de Anna effici patres, nec de gratia poterimus filios generare.

ALLEG. Idem. *Matrimonia spiritualia.* 29 *Fueruntque Phenennæ filij.* Idem Hom. 9. in Gen. tom. 1. Primo quidem dicitur de Phenenna filios suscepisse, ideſt de conuersione, & postmodùm de Anna quæ est gratia; profectus etenim sanctorum Scriptura figuraliter per coniugia designat. Vnde & tu poteris, si vis, huiusmodi nuptiarum maritus existere: vt verbi gratia si hospitalitatem libenter exerces, hanc tibi coniugem videberis assumpsisse. Huic si adhibueris pauperum curam, Secundam videberis sortitus vxorem.

MYSTIC. Beda. 30 *Fueruntque Phenennæ filij.* Beda lib. 1. Expos. Allegoric. cap. tom. 4. Synagoga semper, ex quo Domino desponsata est, spirituales ei filios non desinit generare, docendo: Gentilitas autem, etsi ipsa in aliquibus, tametsi paucis, eius gratiæ nunquam subdi cessauit; nullos tamen liberos, qui spiritualiter viuerent, prædicando gignere potuit.

MYSTIC. Strab. 31 *Fueruntque Phenennæ filij.* Glos. Ordinar. Per quam significatur Iudæa, quæ filios habuit, scilicet Prophetas & Legisperitos.

LITERAL. Carth. 32 *Fueruntque Phenennæ filij.* Carthus. ibi art. 1. Ideſt, Phenenna filios habuit ex Elcana, atque vt dicunt Hebræi, decem habuit filios.

MYSTIC. Gregor. 33 *Anna autem non erant liberi.* Gregor. 1. Variarum cap. 1. Vel certè non pro inæqualitate ætatis filios non habuisse dicitur; sed fœcunditatem sterilitatis. Quæ est ergo sterilitas Annæ nisi obduratio Iudææ? Quæ enim dura corda Iudæorum ad redemptoris fidem conuertere non potuit, nimium sterilis fuit.

MISTIC. Isidor. 34 *Anna autem non erant liberi.* S. Isidor. Hispalensis. in Allegoriis veteris Testamenti. tom. 2. Anna quæ fuit sterilis, & postmodùm fœcunda facta est, Ecclesiam Christi significat, quæ prius in gentibus erat sterilis; nunc largiter pollet per vniuersam terram prole numerosæ fœcunditatis.

LITERAL. MYSTIC. Interl. 35 *Anna autem non erant liberi,* Glos. Iterlin. Vt quanto desiderabilior, tanto acceptior partus. *Non erant liberi.* Filij gratiæ, qui in contemplatione semper ad sunt Deo.

LITERAL. Abul. *Anna vnde sterilis.* 36 *Anna autem non erant liberi.* Abul. ibi. q. 4. Secundùm quosdam, Deus priuauerat Annam, ad tempus, potestate pariendi; vt infans, qui gignendus erat, precibus haberetur à Deo; & mirabilius hoc fieret; sicut interdum Deus aliquem percutit, vt postea sanet.

LITERAL. Mendoza. *Sterilitas* 37 *Anna autem non erant liberi.* Franciscus Mendoza, Annot. 5. sect. 3. §. 13. Fortasse hæc Annæ sterilitas naturalis fuit, quòd aliter inflicta non fuerit, quàm natura sic exigente; præsertim si quis dicat cum Hildeberto Cænomanensi Episcopo epist. 41. Annam sub hoc tempore iam octogenariam esse. *Annæqualis* Hildeb.

MYSTIC. Auth. Cat. *Annæ fœcunditas præluxit partui Virginis.* 38 *Anna autem non erant liberi.* Auth. Caten. Annæ octogenariæ fœcunditas, quæ non solum natura & adulta ætate sterilis fuerat, sed & diuino consilio partum Virgineum prænuntiare, & emolliire credenda est; vt minus portentum maximo præluxerit.

TROPOL. Ioan. Palaf. 39 *Anna autem non erant liberi.* Ioannes Palafoxius Episc. Angelicanus lib. 1. Hist. sacræ Regalis. Cùm vtraque lætitiæ haberet materiam: altera ex fœcunditate: ex viri præcipuo amore altera; vtraque dolore premebatur: infœcunda, quod careret filiis: fœcunda, quod mariti amorem inuideret. Ea est humani ingenij natura, quòd cùm lætitiæ, & doloris materia supereſt, ad malum potissime intendimus.

VERSVS III.

Vulgata. Et ascendebat vir ille de ciuitate sua, statutis diebus, vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni, & Phinees, sacerdotes Domini. Vulgata.

Vulgata Ioannis Benedic. in Margine. Et ascendebat vir ille *à diebus in dies.* Benedict.

Textus Glossa Ordinaria in margine. Vir ille de ciuitate sua *annuatim.* Textus Glossæ.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Et ascendebat vir ipse è ciuitate sua, à diebus in dies, ad incuruandum se, & immolandum Deo exercituum in Siloh, & ibi erant duo filij Heli Chophni, & Pinchas Sacerdotes Domino, Pagn.

Hebraica ex Francisco Vatab. Ascendit vir ille, quotanis, ce ciuitate sua, vt adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo, vbi erant duo filij Eli, Hophni, & Pinhas Sacerdotes Domini. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et ascendit vir ille de vrbe sua à tempore solemnitatis ad solemnitatem, ad adorandum, & ad sacrificandum ante Dominum exercituum in Silo; Et ibi dico filij Gheli, Hhophni, & Pinhas ministri coram Domino. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et ascendebat homo ille ex diebus in diem de ciuitate sua, de Aramathaim, ad adorandum, & sacrificandum Domino Sabaoth in Sylo, & ibi erat Heli, & duo filij eius Ophni, & Phinees Sacerdotes Dei. Compl. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtiana. Et ascendebat homo ex diebus in dies de ciuitate sua, de Armathem, adorare, & sacrificare Domino Deo Sabaoth in Selom, & ibi Heli, & duo filij eius Ophni & Phinees Sacerdotes Domini. Sixtia.

Augustinus seu potius Author quæst. Veteris Testamenti, q. 46. tom. 4. Ascendebat in diebus statutis de ciuitate sua Ramathaim, adorare, & sacrificare Deo omnipotenti Sabaoth. August.

Origenes Hom. vnica de Elcana tom. 1. Immolare Domino in Silo; erant autem Heli ibi & duo filij eius. Origen.

Caietan. in Comm. ex Hebræo. Immolare Iehouah exercituum: & ibi erant duo filij Heli Cophni & Pinchas Sacerdotes Domini. Caiet.

Pagni

Pagn. *Pagninus in margine* Ex ciuitate sua *annuatim.*
Vatab. *Vatab.in Scholiis.* Chaldæus Paraphrastes vertit
Santi. *statotempore anni.*
Gaspar Santius in Comment. Hebraice, *De die in diem* nempe singulis.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. *Scriptura ciuitas fortis.*

1 *ET ascendebat vir ille è ciuitate sua.* Gregor.1.Variar.cap.1.Quæ Spiritualis ciuitas Redemptoris nisi Scriptura Sacra extitit? Hæc nimirum ciuitas suis ciuibus tot defensionum munimina contulit, quot præcepta: tot arma eis præbuit, quot consilia salutis quid autem fuit Redemptori nostro ascendere, nisi in humanitatis forma diuinitatis Alta reuelare?

MYSTIC. Beda.

2 *Et ascendebat vir ille.* Beda lib.2. Expos. Allegor.cap.1. Ascendebat Dominus de communi vita fidelium, hæc est enim ciuitas Dei nostri, in monte sancto eius, in sanctis suis proficientibus & ascendentibus de virtute in virtutem.

MYST'C. Carthus.

3 *Et ascendebat vir ille* Carthus. ibi art.2. Sic & Christus statutis diebus venit Hierosolymam, intrauitque in templum, & secundum naturam assumptam adorauit Patrem, sacrificans ei sacrificium perfectissimæ orationis,&deuotissimę laudis.

LITERAL. Abul. MORAL. *Opera bona coram fiant vt glorificet.*

4 *Et ascendebat vir ille.*Abul. ibi quæst.7. Dicunt quidam Iudæi, quòd Elcana non ascendebat in Sanctuarium semper eadem via, sed nunc vna via, & alio tempore aliâ; vt annunciaret omnibus Israelitis, quòd iret ad adorandum Dominum; quia ipsi nimis defides erant; potissimè quiâ detrahebant eos quibusdam sacrificiis filij Heli Ophni & Phinees, vt patet sequenti cap.

MORAL. Charen. *Iusti ascendunt.*

5 *Et ascendebat vir ille.* Hugo Char.in Postilla. Tota vita iustorum est ascensus: è conuerso tota vita impiorum est descensus, Isaiæ 31. *Væ qui descendunt in Ægyptum.*

LITERAL. Vatab.

6 *Et ascendebat vir ille.*Vatab.in Scholiis. Subaudi, ter. Ascendebat quidem ter in anno ad Tabernaculum fœderis, vt ex Deuter. 16. liquet; ascendere mares cogebantur; sed semel dum taxat in anno ducebat secum omnem familiam.

MORAL. Serari. *Pietas Elcanæ.*

7 *Et ascendebat vir ille.* Serarius in Comment. Parentis huius religio in Deum ex ascensu ad tabernaculum, quod in Silo tunc erat, Iosue 18. Intelligitur; cùm præscripto, Exodi.23. tempore diligenter, & religiosè ascenderet; præsertim cùm suas vxores secum pietatis causa deduceret, totámque simul domum, vt offerret non præceptas tantùm ibi hostias, sed alias etiam ex voto vers.21. Immò addunt ibi Septuag.eum terræ suæ decimas omnes obtulisse.

LITERAL. Mendoza. Adricom.

8 *Et ascendebat vir ille.* Fran. Mendoza ibi. Dicitur Elcana ex sua ciuitate ascendere. Primò, propter situm locorum, nam licèt tota Tribus Ephraim, in qua erat ciuitas Silo esset montuosa, tamen ciuitas Silo, adhuc erat sublimior; quia, vt refert Adricomius in Theatro terræ sanctæ in Ephraim num.93. extructa erat in altissimo monte eiusdem nominis, qui supereminebat vniuersæ terræ Sanctæ, ideóque illò euntes, ascendere dicebantur. Secundò potest dici ascendere propter dignitatem muneris, ad quod exequendum pergebat. Tertiò planiùs, ac simpliciùs dicitur ascendere, hoc est pergere, proficisci, nulla habita ratione inæqualitatis locorum: sic enim frequens est vsus huius verbi apud Hebræos.

LITERAL. Centùput *Silo in quo loco.*

9 *Et ascendebat vir ille*, Centumputeol. in Comm.num.22. Dicitur ascendisse Elcana in Silo, vbi tunc erat tabernaculum, cum tamen potiùs descendisse,dicere debuerit, cùm Ramath, vel Ramatha, iuxta sui nominis notationem, loco sita sit sublimi; vel quia Silo, quò tunc progressum Elcana moliebatur locus erat excelsus, & multò magis quàm Ramatha, aut quia verbum tam *ascendo*, quàm *descendo* ex proprietate sermonis Hebraici,idem est quod *venio*,

LITERAL. Mendoza.

10 *Vir ille.* Mendoza ibi. Respondeo solius Elcanæ fieri mentionem non quòd vxores simul ac filij non ascenderint; sed quòd sub viro vxor: sub parente filij intelliguntur.

LITERAL. Idem.

11 *De ciuitate* sua. Idem Ibid. §.10. Cur dicitur *sua*? An quia Elcana erat illius princeps? an potiùs, quia erat illius incola? hoc posterius certum est: sic enim dicitur Ioann. 1. Bethsaida ciuitas Andreæ & Petri. Illud prius non improbabile.

LITERAL. Hieron. Rupert.

12 *Statutis diebus.* Hieronymus. Vel potiùs Author Traditionum Hebraic. tomo 3. Tribus festiuitatibus Paschæ videlicet, & Pentecostes, & Solemnitate Tabernaculorum ascendebat in domum Domini. *Eadem verba habet* Rupert.

ALLEG. Gregor.

13 *Statutis diebus* Gregor. 1. Variar. cap.1. statuti dies sunt promissionis de se, in Sanctis Scripturis positæ. Dies quippe sunt, quia ad cognoscendum eum electis lucent.

LITERAL. Liran.

14 *Statutis diebus.* Liranus ibi, Vtrùm iste ascenderit semel in anno, vel pluries, non habetur expresè ex textu: Videtur tamen magis, quòd semel; eò quòd subditur postea, *sicque faciebat per singulos annos cùm redeunte tempore ascenderent templum Domini.*

LITERAL. Carthus.

15 *Statutis diebus.* Carthus. ibi art.1. De isto legis præcepto scilicet ter eundi ad domum Dei in anno, habetur Exod.23.16.& Deuit.23.34.Porrò cum habitantibus remote à Tabernaculo frequenter dispensabatur; itaque non nisi in Pascha illuc pergere tenebantur. Vnde quibusdam probabilius esse videtur, quòd Vir iste non ascendit nisi in Pascha, quoniam paulò post dicitur, *Sicque faciebat per singulos annos, cùm redeunte tempore ascenderent in Domum Domini.* Sed hoc ex verbis illis non sequitur, imò magis apparet ex Textu, quòd ter ascendit in anno, quia iam dictum est: *Ascendebat vir ille statutis diebus.*

MYSTIC. Charen.

16 *Statutis diebus.* Charen. in Postilla. Idest in Pacha,Pentecoste,& Scænopegia.In Paschaascendimus, cum recolimus Dominicam passionem: in Pentecoste cum recolimus sancti Spiritus missionem: in Scænopegia, cùm cogitamus de die iudicij;quia tunc erit fixio Tabernaculorum.

LITERAL. Caietan.

17 *Statutis diebus.* Caietanus in Comment. Apud Hebræos anceps est sensus ad singulos annos, vel ad singula tempora:hoc est de tempore in tempus, & sic littera sonaret, quod temporibus singulis ibat Elcana in Silo.

HISTOR. Santius. *Deus bonus custos.*

18 *Statutis diebus.* Gaspar Santius in Commentario num.20.In quibus Deus, sic peregrinantium rebus, & commodis consulebat, sic desertas domos,& vrbes tuebatur,vt nunquam magis essent ab hoste securæ,quàm cùm abeuntibus viris ab omni humano præsidio desertæ videbantur.

HISTOR. Salian.

19 *Statutis diebus.* Iacobus Salian.tom.3. Annal.Anno Mundi 2900.num.11. Festo scilicet Paschæ, Pentecostes,& Tabernaculorum: Semel autem cum tota familia sua; quando cum ea coram

Domino

Domino epulabatur, & singulis partem suam tribuebat, siue in festo Tabernaculorum, vt quibusdam placet, siue potiùs in Solẽnitate Azimorũ, quæ erat maxima omnitũ solemnitatum, quando plures, quàm vllo alio tẽpore in domũ Domini confluebãt.

LITERAL. Author Catenæ, *Elcana quoties templum subiret.* Exod. 23. 15. 16. 17. & 34. 23. Leu. 23. 24. Deut. 6. 13. & 31. 10. Author Tradition. Rupert. Carthus. Charens. Vatab. Salian. Iuuencus.

20 *Statutis diebus.* Author Catenæ. Dubitari potest an semel tantùm in anno in festo Paschatis Elcana Tabernaculum subiret, an etiam, in duabus aliis festiuitatibus in lege præscriptis, scilicet Pentecostes, & Tabernaculorũ, Exod. 23. 15. 16. 17. & 34. 23. Leuitici 23. 24. Deuter. 6. 13. & 31. 10. Ter quidem id in more habuisse affirmant Auctor Traditionis. Rupert. Carthus. Char. Vatab. Salianus & alij, inde persuasi quòd in Textu dicitur *statutis diebus*: Statuti autem dies in lege, vt diximus, tres erant. Confirmare idem possent exemplo Christi Domini, (cuius typum Elcana gessit) de quo cùm puer adhuc esset canit Iuuencus omnibus festiuitatibus in parentum comitatu templum inuisisse lib. 1. Historiæ Euangelicæ.

Ad Templum latis puerum perducere festis
Omnibus annorum vicibus de more solebant.

Mihi tamen verosimilius est, non nisi semel in festo Paschæ templum conscendere consueuisse, 1. quia aliqua exemplaria legunt: *Ascendebat vir ille de ciuitate sua annuatim*, vt legunt etiam ex Hebræo Pagn. & Vatab. hic enim legit *quotannis*. Idem innuitur illis etiam verbis versus septimi; *sicque faciebat per singulos annos cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini.* Vnde verbum illud *statutis diebus*, de singulis annis, aliqui interpretantur, in quibus est Franciscus Ribera in cap. 4. Amos. Ibi: *Hebraice à diebus in dies*, idest, *ab anno in annum.* Mecum etiam sentit Liranus. Licèt ergo ex lege ter Tabernaculum subire tenerentur, facilè tamen propter distantiam locorum, vel ob alias rationabiles causas, dispensabatur. De Christi verò Domini parentibus, solum dicitur quod *ibant per omnes annos in Hierusalem in die solemni Paschæ.* Ioan. 2. 42. Quòd autem Iuuencus *festis* pro *festo* posuit poëticum est. Denique idem Christus à fratribus inuitatus, vt Hierosolymam ad festũ Scænopegiæ, seu Tabernaculorum, ascenderet; priùs quidem negauit iturum, Ioan. 7. & 6. &c. quod minimè fecisset, nisi potuissèt licitè, & sine scandalo celebritatem illam omittere. *Vide v. 7.*

Pagn. Vatab. Ribera. Liranus. Ioan. 2. 41. Iuuencus. Ioan. 7. 6.

MYSTIC. Gregor.

21 *Vt adoraret & sacrificaret.* Greg. 1. Variarum, cap. 1. Ascendit, vt adoraret, & immolaret, quia ad hoc cognosci Christus voluit, vt moriendo redimeret, quos viuendo docuisset. Adorauit quippe, quia in exemplum electorum se Deo patri totum humilem, & abiectum per obedientiam præbuit. Immolauit autem, quia, qui nobis exempla humilitatis viuendo dedit, se Deo Patri in ara Crucis, oblationem, & hostiam tradidit, & quos viuendo docuit moriendo redemit.

LITERAL. Augustin. *Elcana vnde obtulerit?*

22 *Vt adoraret & sacrificaret.* Augustin. seu potius Author Quæst. in vetus Testam. q. 46. tom. 4. Vt plenius quæstio discuti, possit, etiam illud tractemus, quod dictum est de Elcana, quia veniebat ex diebus in dies, offerre munera, & decimas. Quomodo decimas offerebat qui nihil possidebat: Leuitæ enim non acceperunt agros quia de decimis, quæ à plebe dabantur, victum quærebant? Sed potest fieri, & sic datur intelligi, quia potuit habere possessionem vxoris suæ, aut emptam; quia de aliis tribubus vxores, non solum hi; sed & cæteri, itaut, & sacerdotes acciperent de aliis Tribubus vxores; nam Ioiade sacerdos Magnus vxorem duxit de Tribu Iuda filiam Regis Ioram.

HISTOR. Abul.

23 *Vt adoraret & sacrificaret.* Abul. ibi q. 9. Quæret aliquis, an Elcana ascenderet solum in locum Sanctuarij ad adorandum, & sacrificandum? Respondendũ est, quod non. Quia Elcana erat Leuita de genere Chaatitarum. 1. Paralip. 6. Leuitæ autem debebant ministrare in Sanctuario temporibus suis, cum perciperent decimas. Ergo Elcana illuc ibat aliquo tempore, & isti non erant dies statuti, de quibus hic dicitur.

LITERAL. MORAL. Mendoza. *In sacrificiis quanta reuerentia.*

24 *Vt adoraret & sacrificaret.* Franc. Mend. ibi. §. 17. Dicendum non sacrificasse per se, sed per Sacerdotes, offerendo illis victimas, quas ipsi Deo immolarent. Mysterio non vacat, quod prius adorarit, & postea sacrificarit; vt quanta cum reuerentia sacrificandum sit significetur.

MORAL. Sanctius. *Indecens est vacuus adorator.*

25 *Vt adoraret, & sacrificaret.* Gaspar Santius ibi. n. 24. sic adorare voluit vt etiam manus sacrificiis, ac donis oneratas attulerit.

MYSTIC. Gregor.

26 *Domino exercituum.* Greg. 1. Variar. c. 1. Notandum, quia cum Ephrathæus ascendere dicitur, Deus Omnipotens, cui immolat, Deus exercituum nominatur. Cur hoc fieri cognoscitur, nisi quia Redẽptoris morte, nó vnus Iudaicus populus, sed omnes gẽtiles redimebãtur? quidenim sunt fideles multitudines nationũ nisi Dei omnipotentis exercitus.

LITERAL. Caietan.

27 *Domino exercituum.* Caietan. in Comm. Iuxta Hebræum habetur *Iehouah exercituum in Silo*; & hic locus in quo primùm Deus cognominatus est Iehouah exercituum. Et quia Iehouah est nomen essentiæ, Author huius libri ex Geneli sumpsisse videtur hanc appellationem.

LITERAL. Vatab.

28 *Domino exercituum.* Vatab. in Scholiis. Nempe cælestium & terrestrium: quasi dicat: Deo cui omnia subiecta sunt tam cælestia, quàm terrestria.

LITERAL. Mend. *Angeli quare exercitus.*

29 *Domino exercituum* Franc. Mend. ibi §. 20. Id-est Dominus Angelorum; namque Angeli exercitus dicuntur, 1. ob eximium ordinem, & ornatum, quẽ habent. 2. ob singularem erga Deum obedienti am.

MYSTIC. Origen. *In templo euelluntur vitia.*

30 *In Silo* Orig. Homil. de Elcana tom. 1. Silo nomen est loci, in quo sacrificia Domino offerebãtur, priusquàm templum ædificaretur in Hierusalem. Silo autem interpretatur Auulsio vel Excalceatio, hoc est calceamenti resolutio: & vterque sensus cõuenienter aptatur. Locus enim in quo peccata purgantur rectè avulsio nominatur; vbi auellitur cor lapideum, & inseritur cor carneum: Vel excalceatio; quia omnes donec ad sanctum locum veniamus excalceati sumus: Cùm autem peruenerimus ad Deum discalceari iubemur. Sic dicitur ad Moysem. *Solue corrigiam calceamenti tui* Exodo 3. Exod. 3.

MYSTIC. Gregor. *Christi Obedientia.*

31 *In Silo.* Greg. 1. Variarum 1. Locus etiam immolationis declaratur, quia dicitur *in Silo.* Silo enim *missus*, siue *missio* interpretatur. Quid namque per hanc missionem nisi summi Patris iniunctum vnigenito præceptum obedientiæ designatur? Quid est etiam quod in Silo immolare dicitur, nisi quia non aliter se morti dedit, quàm à Patre mandatum habuit.

HISTOR. Angel.

32 *In Silo.* Angelomus in Stromat. tom. 9. Bibliot. Veterum Patrum. Silo ciuitas est in tribu Ephraim in quo loco Arca Testamenti mansit, & Tabernaculum Domini à tempore Iosue, filij Num. Est autem Silo in nonagesimo milliario Napoleos in regione Arabitena.

MORAL. Char. *Prælatus quàm sanctus.*

33 *In Silo.* Hugo Cardinal. in Postilla. Silo interpretatur *auulsus, diuisus, translatus.* Prælatus enim debet esse, auulsus à carne, diuisus à mundo, translatus ad cælestia.

LITERAL. Abul. *Sanctuarium vbi situm.*

34 *In Silo.* Abul. ibi quæst. 8. Dicitur autem quod ascendebat in Silo, quia hic erat locus Sanctuarij: fuit enim à principio locatum Sanctuarium scilicet ex quò Israelitæ introierunt in terram Chanaam

naam;nam cum acquisita esset tempore Iosue,conuenerunt omnes Israelitæ,& fixerunt Tabernaculum Domini in Silo,Iosue 18.mansitque ibi annis ferè quadringentis septuaginta sex, vt patet ex discursu, & computatione Iosephi lib.5. Antiquit. Fuit autē inde ablatum Sāctuarium post hoc:nam tempore Heli Sacerdo is capta est Arca Domini à Philistinis,quæ postea numquam rediit in Silo,sed transiuit ad alia loca.Est autem Silo ciuitas in sorte Ephraim, quæ distat ab Hierusalem quatuor Milliarib.& à Sichem viginti, vt patet in libro de situ terræ Sanctæ.

HISTOR. Adric. *Silo in excelsis.*

35 *In Silo.*Adricomius in descriptione Tribus Ephraim n.93.Silo mons altissimus est omnium in circuitu Hierusalem,atque adeò supereminet vniuersis terræ sanctæ montib.

HIST. Sant.

36 *In Silo* Gaspar Santius ibi.n.23. Fuit porrò Tabernaculum cum Arca in Silo per annos fermè trecentos sexaginta.

MORAL. Author Catenæ. *Prælatus quæ bona sibi vendicet.*

37 *In Silo.* Author Catenæ. Terra quidem Tribus Ephraim aspera, erat & montuosa, vt patet ex Adricomio & Hieron.epistola 27.ad Eusthocium, in ea tamen vrbs Silo Arcæ, & Tabernaculi sedes. Apprehendant inde disciplinam Prælati; Iosue namque possessionum, ac rerum distributor,ex tēporalibus infimum:ex spiritualibus verò optimum sibi bonum adscribit, Arcam videlicet, & terram montuosam.

MYTSIC. Origen. *Parentes filios corrigant.*

38 *Erant autem ibi duo filij Heli.* Orig. Hom. vnica de Elcana,tom.1. Heli interpretatur Arabs, siue Extraneus: Extraneus quippe est à Deo, qui non tenet disciplinam; qui delinquentem filium non castigat, non corripit,vt emendet.

LITERAL. Abul.

39 *Erant autem ibi duo filij Heli.*Abul. ibi.q.9. Dicitur quòd erant isti duo sacerdotes in Silo.Non quidem quòd isti soli essent ibi, quia erat ibi pater eorum Heli. Erant quoque multi alij Sacerdotes, qui per tempora sua ministrabant.

LITERAL. Mendoza. *Elcana virtus.*

40 *Erant autem ibi duo filij Heli.Ophni,& Phinees.*Francisc. Mendoza ibi §.26. Cur hic solum Ophni & Phinees commemorentur,cùm ibi plures fuerint Sacerdotes:Respondeo 1.quia de his, propter eorum iniquitatem magis poterat dubitari.2. vt maior Elcanæ virtus probaretur. Nam cùm hi duo filij Heli,propter iniurias, quas faciebant venientibus in Silo, homines ab ingressu domus Domini deterrerent:tamen Elcanæ tanta fuit constantia,vt quibuscumque iniuriis se exponeret; ne diuinis sacrificiis deesset.

MYSTIC. Lauret. *Heli quid significet.*

41 *Duo filij Heli.* Lauretus in Sylua Allegor. Heli,idest, Deus meus, Pontifex domus Domini interpretatur secundum aliquos Arabs, seu extraneus,quia extra disciplinam.

MYSTIC. Remon. *Heli quid?*

42 *Duo filij Heli.*Ildefonsus Remon.in Etymologia sacra.Heli eleuatio,siue oblatio,aut eleuans, seu offerens,seu pila, nomen sacerdotis illius qui Samuelem vnxit in Prophetam.

HISTOR. Salian.

43 *Erant autem ibi duo filij Heli.* Iacobus Salian.tom.3.Annal.Anno Mundi 2090. Erant quippe filij Aaronis ex Ithamare, & adhuc iuniores in ordine suo cum patre nondum Pontifice ministrabant;adhuc fortasse boni,& religiosi.Nunc autem patre facto Pontifice admodùm inter Sacerdotes eminebant; ex quibus Ophni primogenitus, vt apparet,ad summum sacerdotium post parentis obitum destinabatur.

MYSTIC. Hieron. *Ophni, & Phinees, quid.*

44 *Ophni & Phinees.*Hieronym. lib.de nominibus Hebraicis tom.3. Ophni discalceatus, siue insania conuersionis. Phinees os requieuit, siue os mutum,vel silens.

MYSTIC.

45 *Ophni & Phineu.*Orig.hom.de Elcana,tom. 1. Interpretatur Ophni *excessus conuersionis.* De Phenenna autem paulo ante diximus quòd esset conuersio; hic autem qui excedit è longè efficitur ab emendatione, nec conuerti vult ad Dominum, propterea impius manet. Phinees significat in lingua nostra oris obturatio:vel ori parcens. Peccator ergo, & qui duritiam habet ad loquendū,obturatum habet os:Iustus vero parcit ori suo.Sunt autem aliqui & secundum istum Phinees filij Heli Sacerdotis,qui obturatum os habent, siue imperitiæ vitiò,siue conscientia peccatorum, sed hoc est quod deprecor,vt si quis est, qui in Sacerdotalem ordinem se adscriptum velit, satis agat eruditioni, & emendationi operam dare.

MORAL. Origen. *Ophni & Phinees quid? Vitia Sacerdotum.*

46 *Ophni & Phinees.*Beda lib.1.Allegor. cap.1. Heli Deus meus, Ohpni discalceatus: Phinees os mutum dicitur.Erant igitur imminente Dominicæ incarnationis tempore Sacerdotes Domino consecrati,in lege boni quidem Sacerdotij, & recte credentium sacerdotum filij sed actionis prædicationisque debitæ gratia destituti.

MYSTIC. Beda. *Sacerdotes veteres quales.*

47 *Ophni,& Phinees.* Rupert. in Commentario lib.1.cap.8.tom.1.Interpretatur autem Ophni quidem *discalceatus*:Phinees *os requieuit*:quibus nominibus recte Pōtificum Annę & Cayphę vitia denotantur,qui ore quidem post Dominum requiescebant:operibus autem discalceati erant.

MYSTIC. Rupert. *Annas & Cayphas quales?*

48 *Ophni,& Phinees.*Hugo Victorin.lib.1. Alleg.in primum Reg.cap.4. Ophni discalceatus vel insania conuersionis: Phinees mutum Scribas & Pharisæos significant,qui filij Heli dicuntur, quia Heli typum tenet sacerdotij.

MYSTIC. Hugo Vict. *Scribæ & Pharisæi quales.*

49 *Ophni*, Idem Ibid.c.5. Ophni insania conuersionis interpretatur.Meritò sic vocatur qui differt mutari in melius.

MORAL. Idem. *Bonum non procrastinandum.*

50 *Ophni & Phinees.* Hieronimus Lauret. in Sylua Allegor.Idest pignus vel pugillus, aut cooperiens,filius Heli Sacerdotis.

MYSTIC. Hieron. Lauret. *Ophni quid*

51 *Phinees*,Idem Ibidem.Interpretatur oris obturatio, designat Sacerdotes, qui obturatum habent os ad scientiam,& ad loquendum bonum, & ad confitendum peccata.

MYSTIC. Idem. *Phinees quid?*

52 *Sacerdotes Domini* Gregor.1. Variarum c.1. Cum dicuntur sacerdotes Domini per insignia fidei à Simulachrorum cultoribus discernuntur,his enim verbis eorum fides,& non vita prædicatur, quia & prauitatem exercebant operis; sed non errabant in fide conditoris.

LITERAL. Gregor.

53 *Sacerdotes Domini* Hugo Char.in Postilla. Sacerdotes Domini dicuntur; non quia essent boni,sed quia ad officium faciendum electi erant.

LITERAL. Haren.

54 *Sacerdotes Domini.*Franc.Mendoza ibi §.28. Cur appellantur Sacerdotes Domini, qui propter sua sacrilegia potiùs erant appellandi Sacerdotij violatores & prophanatores. Respondeo: vt hac eorum laude præmissa, maior postea eorum culpa videatur.

TROPOL. Mendoza. *Malorum maior est culpa.*

VERSVS IV.

Vulgata. Venit ergo dies, & Immolauit Elcana,deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes. Vulgat.

VERSIONES.

*Hebraica ex Xante Pagn.*Et fuit dies & immolauit Elcana,deditq; Peninnah vxori suæ,& omnibus filiis eius, & filiabus eius distributiones, vel partes. Pagnin.

*Hebraica ex Franc. Vatab.*Et cum esset dies ille (festus)immolauit Elcana,deditq; Phenīnæ vxori suę,& cunctis filiis eius,atque filiabus eius partes. Vatab.

Idem in Scholiis. Cum autem venisset dies ille immo Idem.

immolauit Elcana, deditque Peninnæ vxori suæ, & cunctis filiis, atque filiabus eius portiunculas.

Montan. *Chaldaica ex Benedicto* Ariasmontano in Bibliis Regiis. Et fuit dies solemnitatis, & sacrificauit Elkanach, & dedit Peninnæ vxori suæ, & omnibus filiis eius, & filiabus, partes.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta, in Complutensi & Regia.* Et facta est dies, & immolauit Helcana, & dedit Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana*, Et facta est dies, & sacrificauit Elcana, & dedit Phenennæ vxori suæ, & filiis eius partes.

Mendoza. Franciscus Mendoza ibi §. 11. Aliqui transferunt: *Dedit missiones* seu *missum*.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. *Elcana typus Christi.* Isay. 53. 7.

1 *VEnit ergo dies.* Gregor. 1. Variarum cap. 1. Quem diem istum esse credimus nisi quem Scripturæ Sacræ testimonio Isaias statuit, dicens: *Tanquam ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondente se, sine voce non aperiet os suum.* Isay. 53. 7. Venit quippe dies cum claritas promissi oraculi tempus ostendit Dominicæ passionis. Tum immolauit Elcana, quia se Redemptor noster æterno Patri in Sacrificio nostræ absolutionis per mortẽ crucis obtulit. Tunc Phenennæ, & filiis & filiabus eius dedit partes; quia nimirum electos Iudææ, quos apud inferos reperit ad paradisi gaudia reportauit.

ALLEG. Hug. Char. *Prælatus, qualis?* 2 *Venit ergo Dies.* Hugo Charensis in Postilla. Dies immolationis venit, quando necessitas benè operandi incumbit; Tunc oportet Elcanam, idest, Prælatum dare partes vxoribus, idest actiuæ, & contemplatiuæ. Partes actiuæ, quas debet Elcana dare sunt nouem; scilicet septem opera misericordiæ, & prædicatio, & martyrium: hæc enim omnia dare tenetur Prælatus.

LITERAL. Abul. 3 *Venit ergo dies.* Abul. ibi. q. 10. Venit aliqua festiuitas de illis, in quibus lex iubebat iri in locum Sanctuarij, & ibi immolauit Elcana, scilicet faciens hostias pacificas.

LITERAL. Vatab. 4 *Venit ergo dies.* Vatab. in Scholiis. Quo scilicet solebat Elcana curare immolari hostias pacificas. Quidam dicunt fuisse festum Tabernaculorum.

LITERAL. Mendoza. Philo Biblicus. *Quale festũ fuerit.* 5 *Venit ergo dies.* Franciscus Mendoza ibi. §. 3. Dico tandem hunc diem fuisse Paschæ, licèt enim festum propriè Paschale vno tantùm die absolueretur, tamen post illum sequebantur septem dies festi Azimorum. Hanc conclusionem postquam institui, incidi in Philonem Iudæum, lib. Biblic. Antiquit. eamdem ibi expresse asserentem.

LITERAL. Santius. 6 *Venit ergo dies.* Gaspar Santius ibi n. 27. Quis sit iste dies non constat; fuit autem vnus ex illis tribus in quibus lex vndique masculos ad Tabernaculum aduocabat.

LITERAL. Carth. 7 *Et immolauit Elcana.* Dionysius Richel. ibi art. 1. Venit ergo dies opportuna & immolauit Elcana; quamuis Leuites extiterit, tamen non licebat ei sacrificare nisi per manum sacerdotis.

LITERAL. Abul. 8 *Et immolauit Elcana.* Abul. ibi quæst. Idest, dedit animalia ad immolandum.

LITERAL. Mendoza. 9 *Et immolauit Elcana.* Francisc. Mendoza ibi. §. 4. Cùm superiori numero diceretur Elcana ascendisse, vt adoraret, & sacrificaret; cur hic tantùm immolasse dicitur? Literalis sensus est nó exprimi hoc loco actũ adorandi, quia iã supra expressus fuerat: Tum quia in actu immolandi satis intelligebatur. Vtrùm Elcana obtulerit sacrificium cruentum, an potius incruentum? Dicendum est fuisse cruentum, quia sacrificium incruentum Pauperum erat.

10 *Deditque Phenennæ &c.* Hieronym. seu potius Author Tradit. Hebraic. in primum Reg. tom. 3. Hæ partes, vestes intelliguntur, quæ iisdem tribus festiuitatibus iuxta morem illius gentis vxoribus & liberis, ac famulis tribuebantur. *Eadem verba habent* Rupert. & alij.

LITERAL. Hieron. Rupert. *Vir prouideat Familiæ.*

11 *Deditque Phenennæ &c.* Petrus Comestor. in Historia Scholast. 1. Regum. cap. 2. Quidam putant hoc dictum esse de vestibus nouis, quas distribuebat vxoribus, & liberis in die festo. Sed magis putandum est, esse dictum de partibus sacrificiorum, quæ contra gebantoffierentibus.

LITERAL. Comestor.

12 *Deditque Phenenna.* Beda lib. 1. Expositionis Allegoricæ cap. 1. tom. 4. Dedit Dominus, in carne patiens humana, & ad diuina prouocans, Synagogę, & cunctis in ea credentibus, timentibusque se, pusillis cum maioribus, diuersas virtutum operationes, diuisionesque gratiarum.

MYSTIC. Beda. *Elcana typus Christi.*

13 *Deditque Phenenna.* Hugo Victor. lib. 1. Allegoriarum cap. 1. Qui vult effici possessio Dei, has duas vxores ducat, actiuam prius, & contemplatiuam deinceps: præcipue Doctor ex amplexibus Phenennæ, transeat ad amplexum Annæ; vtrique partes tribuat, virtutibus virtutes subnectens.

ALLEG. Hugo Vict. *Doctor vtrique vitæ incumbat.*

14 *Deditque Phenenna.* Angelom. in Stromatib. Hæ partes, partes sacrificiorum, quas de immolatis dedit, intelliguntur secundũ consuetudinem legis, quamquam opinio Iudæorum vestes intelligi velit.

LITERAL. Angelom.

15 *Deditque Phenenna.* Glossa Ordin. ibi. Nam Deus Prophetis, & Regibus, & Sacerdotibus Iudęorũ fecit gratias multas, qui dicũtur filij Iudææ.

ALLEG. Glossa.

16 *Deditque Phenenna.* Liranus ibi. Idest nouas vestes, pro solemnitate, vt dicunt aliqui. Melius tamen videtur, scilicet quod per hoc intelligantur partes sacrificij: faciebat enim Elcana hostiam pacificam Domino, pro gratiarum actione.

LITERAL. Liran. *Partes Quid?*

17 *Deditque Phenenna.* Abul. ibi, q. 12. Nec solum ipsis offerentibus, licitum erat comedere de sanctificatis in hostiâ pacificam; sed etiam famulis eius, & amicis, & omnibus, quos ipsi offerentes vocarẽt ad epulas. Deuter. 12. Non ponitur primò de Phenẽna tanquam ipsa esset honorabilior; nam illa erat secunda vxor; & Elcana magis diligebat Annam, quã Phenennam; sed ponitur ad significandum causam doloris Annæ, scilicet quòd Phenennæ tanquam habenti filios primò datæ sũt partes Sacrificiorũ.

LITERAL. Abul. Deuter.

18 *Deditque Phenenna.* Vatab. in Scholiis. Offerentes edebant partes hostiarum coram Domino, idest in atrio è regione Tabernaculi fœderis.

LITERAL. Vatab.

19 *Deditque Phenenna.* Francisc. Mendoza ibi. §. 10. Dubitatur cur potius Phenennæ, quam Annæ suam contulerit portionem? non quòd prius illi, quã huic partes sacrificij distribuerentur, sed quod plura de Anna cõtinuò dicẽda erat; quo pacto Christus Dominus, Matth. 1. dicitur prius filius Dauid, & deinde filius Abraham.

LITERAL. Mendoza.

19 *Deditque Phenenna.* Author Catenæ. Iustus Elcana describitur, vnicuique suum reddens: Deo quidem preces, & hostias; vxoribus autem, & filiis victum, seu vestes, vt Hebræi interpretantur. Neque enim paterfamilias ea solùm, quæ ad Dei cultum spectant curare tenetur; sed quæ ad domesticum vsum, & victum pertinent prouidere. Hinc enim laudatur fortis illa virago apud Salomonem Prouerb. 31. 13. *Quæsiuit lanam & linum & operata est consilio manuum suarum.* Et deinde, *omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.*

TROPOL. Author Catenæ. *Paterfamilias sũa prouidere.* PROV. 31. 13

20 *Et cunctis filiis eius & filiabus partes.* Hugo Char. in Postilla. Elcana dedit Phenennæ, idest Synagogæ, & filiis partes, idest bona temporalia,

MYSTIC. Charen. *Iudæi temporalib. abundant.*

iuxta illud. *Dedit illis regiones gentium & labores eorum possederunt.*

LITERAL. Carthus. 22 *Et cunctis filiis eius & filiabus partes.* Carthusian. ibi art. 1. Ideſt vnicuique illorum aliquam partem, de carnibus hoſtiæ immolatæ. Obtulerat enim hoſtiam pacificam, cuius adeps incendebatur ſuper altare; pectuſculum vero, armúſque dexter erant ſacerdotis; reſiduum extitit ſacrificantis, & de illo, diuidebant offerentes iis, qui ſecum aſcenderant, præſertim domeſticis.

LITERAL. Salian. 23 *Et cunctis filiis eius & filiabus partes.* Salian. tom. 3. Annal. Anno Mundi 2900. num. 12. Partes ſcilicet victimarum, etſi partes interpretatus ſit Rupert. *veſtes*, ſecutus traditiones Hebræorum.

VERSVS. V.

Vulgata Annæ autem dedit partem vnam triſtis, quia Annam diligebat, Dominus autem concluſerat vuluam eius.

Author. Caten. Ioan. Bene. Gloſſa. Hieron. Ioſeph. Caietan. Abulenſ. Mendoza Pagn. Vatab.

Author Catenæ Ioannes Benedict. legit. *Partem* vnam *honoriſicam.* Textus autem Gloſſæ *honorabilem*, Hieron. in Traditionib. Hebraicis *duplicem.* Rabbi Ioſeph *partem irarum & triſtitia.* Abul. quæſt. 12. *Pulchram* vel *triſtem.* Caietan. ex Hebræo *furores* vel *facies* alij apud Mendozam *præcipuam.*

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnino. Et ipſi Chanaah dedit diſtributionem vnam facierum, quoniam Chanaah diligebat; & Dominus concluſerat vuluam eius.

Hebraica ex Franc. Vatab. Hannæ vero vnam duntaxat partem dabat demiſſo vultu, nam diligebat Hannam: Dominus autem concluſerat vterum eius.

Ariaſm. *Chaldaica ex Benedicto Ariaſm. in Regia.* Et Hhannæ dedit partem vnam electam, quoniam Hhannam amauit, & exante Dominum prohibitus fuit ab ea natus.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* At Annæ dedit partem vnam ſecundùm faciem, quia non erat ei filius; verum quia diligebat Helcana Annam magis quàm Phenennam, & Dominus concluſit vuluam eius.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtiana.* Et Annæ dedit partem vnam, quia non erat ei filius: veruntamen Annam diligebat Elcana ſuper hanc; & dominus concluſerat, quæ circa vuluam eius, quia non dederat ei Dominus filium ſecundùm tribulationem eius, & ſecundùm triſtitiam tribulationis eius.

Charen. *Hugo Charen. in Poſtilla.* Quia Dominus concluſerat eam.

Vatab. *Vatab. in Scholiis.* Partem *facierum*; vel *vultus* dabat. Alij partem *irarum* vertunt. Alij *portionem iræ* interpretantur &c. quamuis Dominus concluſiſſet vuluam eius.

Serarius ibi. Hebraice dicitur *pars facierum*, quod Pagn. explicat, quaſi *partem cum furore*: vel *in ira* ipſi Annæ daret.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. 1 *Anna autem dedit partem vnam triſtis.* Gregor. 1. Variarum cap. 1. Quid eſt quòd cum partes Phenennæ, & filiis, & filiabus dedit, triſtis nequaquam fuit; cùm verò partem vnam Annæ tribuit triſtis fuiſſe perhibetur: ſed quid eſt vna pars Annæ, niſi temporalis afflictio ſanctæ Eccleſiæ? hanc enim ei partem dabat, cùm dicebat: *Amen dico vobis quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Ioann. 16. Annæ autem partem triſtis tribuit, quia non compati ei (*Eccleſia*) non poterat, quam mortis coniugem relinquebat & crucis hæredem. Vnde & patienti Stephano apertis cœlis Ieſus ſtare perhibetur; ſtare enim eius compati eſt. Ioan. 16.

MYSTIC. Beda. 2 *Anna autem dedit partem vnam triſtis.* Beda lib. 1. Expoſitionis Allegoricæ cap. 1. tom. 4. Eccleſiæ gentium, quæ in paucis adhuc credentibus erat v.g. Centurione, & Syro phœniſſa muliere, his quoque qui aſcendentes, vt adorarent in die feſto dixerunt ad philippum: *Domine volumus Ieſu videre*, & cæteris talibus fidei tantum ſolius munera Dominus contulit: Chriſmatum vero gratiam interim dare diſtulit.

MYSTIC. Gloſſa Ordinaria ad Galat. 2. *Paulus pars pulchra & electa.* 3 *Anna autem dedit partem vnam triſtis.* Gloſſa Ordinaria ibi: In Hebræo habetur *Vnam partem pulchram*, per quam intelligi poteſt Paulus Apoſtolus à Chriſto datus Doctor Gentium, ſicut ipſe dicit ad Galatas 2. *Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes.*

LITERAL. Comeſt. 4 *Anna autem dedit partem vnam triſtis.* Comeſt. in Hiſt. Scholaſt. cap. 1. Hebræus ſermo magis videtur ſonare: dedit Annæ *miſſionem* vnam duplicem, quaſi æquipollentem duabus.

LITERAL. Abul. 5 *Anna autem dedit partem vnam triſtis.* Abul. ibi quæſt. 12. Vnicam dedit Annæ, quia ipſa ſola erat non habens liberos, & ob hoc fuit triſtis Elcana in dando, quia cum ipſam diligeret Annam, voluiſſet eam magis honorare, ſed non poterat.

LITERAL. Vatab. 6 *Anna autem dedit partem vnam triſtis.* Vatab. in Scholiis. Partem ſelectam, & honorabilem, vt ſcilicet eam exhilararet, ſciebat enim eſſe triſtē quòd eſſet ſterilis. Chaldæus Pharaphraſtes, *Electam*, ſubaudi ſumma diligentia ex aliis omnibus, in quam ſcilicet oculos coniecerat, vt quæ etiam in conuiuio lauto apponi poſſet coram claris conuiuis. Alij: partem irarum vertunt, ideſt, quam cum triſtitia dabat, & moeſtus. Alij portionem iræ interpretantur, ideſt, portionem, quæ daretur illi ad iram alienandam.

LITERAL. Lira. 7 *Partem vnam triſtis.* Lira. ibi. Non ſcilicet de dilectione, ſed quia non habebat liberos de Anna, quibus partes darentur.

LITERAL. Angelom. 8 *Partem vnam triſtis.* Angelom. in Stromatibus. Triſtis videlicet erat, quia Dominus concluſerat vuluam eius.

MYSTIC. Charen. 9 *Anna autem dedit partem vnam triſtis.* Hugo Charen. in Poſtilla. Annæ autem, ideſt Eccleſiæ de gentibus dedit partem vnam, ideſt, naturale ingenium. *Triſtis* quia Annam diligebat, & ideo compatiebatur ei triſti propter ſterilitatem ſuam; propter quod non niſi vnam partem habebat.

LITERAL. Serari. Pagni. 10 *Partem vnam triſtis.* Serarius in Comment. Quæ pars licet à Septuaginta, non aliter explicetur, Hebraicè tamen dicitur pars *facierum*, quod Pagn. explicat quaſi partem cū furore, vel in ira ipſi Annæ daret. Quod cum eam diligeret, indignaretur plures ei partes dare ſe non poſſe: vel dabat, inquit, partem ſuper faciem proſtratus precans pro ſua vxore ſterili, vt habetur Genes. 19.

LITERAL. Gen. 19.

LITERAL. Author. Catenæ. 11 *Partem vnam triſtis.* Author Catenæ loco partis vnius triſtis, in Hebræo eſt vox admodum æquiuo

MORAL. *Beneficentia amoris testes.*

æquiuoca : æque enim significat *facies, furores* aut, *tristitias*, adhæc cum Hebraica nomina sint indeclinabilia, nec per casus, vt Græca, & Latina flectantur, deficientibus etiam articulis & præpositionibus, variant admodùm Interpretes in coniunctione partium, alij enim *tristis* coniungunt cum Elcana : alij cum dono seu portione data partem tristem : alij cum Anna, *Annæ tristi*. In tanta tamen varietate vnus est sensus Elcanam tristem dedisse Annæ partem vnicam, quòd filios quibus illa impartiretur non haberet. Tristatur Elcana imo parturientis more furore bacchatur, vt Hebræus innuit, quia cum Annam ardenter amaret muneribus, & honore prosequi præ æmula non liceret, ergo amoris leuamen prestitque quasi ignis exhalatio, beneficentia est, cui si obsistatur, clamabit

Apoc. 12. parturiens, & cruciabitur vt pariat Apoc. 12.

LITER. Mendoza.

12 *Partem vnam tristis.* Franciscus Mendoza ibi §. 2. in Hebræo quidem est *Aphaim*, id est, partem facierum ; quod intuentium vultus quantumuis mœstos exhilarare posset. Quo sensu panes propositionis Exodi 25. dicuntur in Hebræo panes facierum quod Dei oculos ad se raperent.

LITER. Idem. MORAL. Liran. *Amor vsque ad Aras. Elcana iustitia.*

13 *Partem vnam tristis.* Idem ibidem. Tristis dicitur Elcana à contrario sensu, id est, lætus, vt hac vultus hilaritate donationis exiguitatem compensaret. Secundò dicitur tristis propriè, facie reuera tristi ; non quidem de donatione, vt Liranus aduertit ; sed de exiguitate donationis. Efficere potuit amor Elcanæ, vt quantum fauoris conferre licuerit, conferret : vt tristaretur quod plus aliquid conferre non liceret ; nunquam tamen effecit vt plus illi, quam ius, & fas postulabat, indulgeret. In quo viri probitas, & æquitas spectatur.

LITER. Sanctius.

14 *Partem vnam tristis.* Gaspar Sanctius ibi num. 30. vbi Vulgatus *tristis* Hebraice est. אַפַּיִם *aphaim* quæ vox facies, aut furores, seu tristitias valet ; sed quia in homine facies est pars omnium honestissima, sic opinor, vt pars, seu portio, quæ data est Annæ esset omnium electissima, & optima. Sic sane mercatores quod optimum est atque speciosissimum in mercibus coram statuunt, vt emptorum capiat oculos.

LITER. Hugo.

15 *Quia Annam diligebat.* Hugo Charen. in Postilla. Contemplatiua diligenda est, quia pulchra ; quia tuta ; quia quieta ; quia iucunda.

LITER. Abul.

16 *Quia Annam diligebat.* Abul. ibi quæst. 12. Ideo fuit tristis Elcana, dando partem vnam Annæ, quia diligebat eam, & voluisset eam honorare super aliam vxorem.

LITER. Carthus.

17 *Quia Annam diligebat.* Carthus. ibi. Ideo de eius sterilitate, afflictione, opprobrio amplius tristabatur ; nec dubium quin & Phenennam dilexit, sed per istum modum loquendi innuitur, quod Annam magis dilexit, non solum amore coniugali ; sed & spirituali amore ; nec ideo tantum, quantum Anna pulchrior fuit, sed & ideo maxime, quia erat virtuosa.

LITER. Caietan.

18 *Quia Annam diligebat.* Caietan. in Comment. Dictio interpretata *Tristis* iuxta Hebræum sonat, *furores*, vel *facies*. Ex quoniam sine omni tam articulo, quàm propositione, dictio hæc scribitur, varias sortitur expositiones : nam à quibusdam refertur ad virum dantem partem, & mutantes furorem in tristitiam dicunt, quod dedit tristis partem vnam, eò quod voluisset ei dare partes multas, hoc est, voluisset Annam habere filios, vt occasionem dandi ei multas partes haberet. Ab aliis verò referentibus quoque ad virum dicitur, quòd Elcana dedit partem vnam, sed facie benigna, quia Annam diligebat : ita quod defectum multarum partium suppleuit iucunditate vultus. Qui autem referunt hanc dictionem non ad virum ; sed ad partem vnam quam debat, legunt : dedit partem vnam, *facies*, hoc est, partem vnam gratiosam, seu dignam aspectu, quia Annam diligebat. Quamcumque autem elegeris expositionem, aduerte quòd in litera ratio partis vnius redditur, quia *Deus concluserat vuluam eius*. Ratio autem siue tristitiæ, siue iucunditatis, siue honorabilis partis redditur, *quia Annam diligebat*.

19 *Quia Annam diligebat.* Franciscus Mendoza ibi : Qua fuit causa huius amoris ? quia Anna fuit mitissimi ingenij, vt paulo inferius patebit ex æmulæ suæ conuitiis, & è sermone, quem habuit cum Sacerdote Heli. Mansuetudinem autem, esse amoris altricem patet Ecclesiast. 3. *fili*, inquit, *in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.*

MORAL. Mendoza. *Mansuetudo animos pellicit.* Eccl. 3.

20 *Dominus autem concluserat vuluam eius.* Chrysost. hom. vnica de fide Annæ tom. 1. Neque enim, vt in cæteris somnus, & congressus tantùm parentum, verùm & preces, & lachrymæ, fidesque fuerunt huius generationis principia.

MORAL. Chrysost.

21 *Dominus autem concluserat vuluam eius.* Theodoret. ibi. Docet lectores hæc oratio ne matrimonio confidamus, sed Creatoris inuocemus auxilium. Quomodò enim agricolæ est proprium semen deiicere, Dei autem deiecta perficere ; ita matrimonij quidem est propria coniunctio ; Dei autem est proprium annuere naturæ vt effingat, & efformet animal.

MORAL. Theodor. *Deus author filiorum.*

22 *Dominus concluserat vuluam eius.* Abul. ibi quæst. 12. Faciendo illam sterilem. Istud est redditiuum causæ superioris, scilicet quia Anna non habebat aliquem filium : non quidem quod vir non accederet ad eam ; nam diligebat eam nimis : sed quia Deus fecerat eam sterilem.

LITER. Abul.

23 *Dominus autem concluserat vuluam eius.* Carthus. ibi. Ideſt, fœcunditatem ei non præstitit, & erat ex naturali causa sterilis, vt apparet. Vel Dominus pia dispensatione abstulit ei fœcunditatem ad tempus ; vt interim sua oratione & patientia mereretur suo tempore felicius fœcundari.

LITER. Carth. MORAL.

24 *Dominus autem concluserat vuluam eius.* Hugo Charen. in Postilla. Ideſt nondum aduenit tempus miserendi, vt spirituali prole, ideſt, gratia fœcundaretur.

MYSTIC. Charen.

25 *Dominus autem concluserat vuluam eius.* Gaspar Sanctius ibi num. 33. Hic loquendi modus in Scriptura sacra frequens est ; quo significatur infœcundæ vuluæ dura necessitas. Sic de se Sara Gen. 16. *Concluſit me Dominus ne parerem*, quæ loquendi forma omnino indicat vim omnis fœcunditatis à Deo prouenire, qui clauem secum habet naturæ, quæ infœcunda est, & rerum omnium egena cùm claudit : quando verò aperit, rebus omnibus ad humana commoda necessariis abundat.

LITER. Sanctius. *Deus fœcunditatis author.* Gen. 16.

VERSVS VI.

VVlgata. Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, intantum, vt exprobraret quòd Dominus conclusisset vuluam eius.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnino. Et irritabat eam, angustiatrix eius etiam ira, vt fremere faceret eam,

Pagn.

eam, quia concluſerat Dominus ſuper vuluam eius.

Vatab. *Hebraica ex Franciſco Vatab.* Porro diuexatrix eius etiam ad iram concitauit eam, propter quod Deus clauſerat vterum eius.

Arias. *Chaldaica ex Bened. Ariaſm. in Regia.* Et irritans illam angustiatrix eius, etiam prouocans illam, vt ad inuidiam duceret eam, quoniam veritus fuit ab ante Dominum ab illa natus.

Complut. Regia. *Graca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et affligebat eam æmula eius, & irritatione, eò quòd ſperneret ipſam, quia concluſit Dominus vuluam eius, vt non daret ei filium.

Vaticana. *Graca ex Sept. in Vaticana.* Quia non dederat ei Dominus filium, ſecundum tribulationem eius, & ſecundum triſtitiam tribulationis eius, & triſtabatur, propter hoc, quoniam concluſerat Dominus, quæ circa vuluam eius, non dando ei filium.

Pagn. *Pagninus in margine.* Et irritabat eam inimica eius propterea quod improperaret ei.

Vatab. *Vatablus in Scholiis.* Prouocabat autem æmula etiam ira (*ideſt identidem ad iram*) vt triſtitia & & mœrore afficeret eam, quod Dominus concluſiſſet vuluam eius.

Caietan. *Caietanus ex Hebræo.* Et contriſtabit eam anguſtiatrix eius etiam ira, vt faciat iraſci eam: quia clauſit Iehouah vuluam eius.

Mendoza. *Franciſcus Mendoza* ibi, §. 4. Faciebat eam tonare à verbo רגם *Ragham* quod eſt tonare, non quod Anna præ ira tonaret; ſed quod Phenenna conuiciis tonans occaſionem illi dederit pariter & tonandi. Ex Hebræo & Chaldæo legi poteſt *aduerſatrix eius.*

Author. Ioan. Ben. *Author Catenæ.* Aliqua exemplaria, vt notauit in margine Ioannes Benedictus, habent; *Irritabat quoque æmula eius, vt commoueret eam, eò quod Dominus clauſiſſet vterum eius.*

Iſidorus Clarius in ſua Biblia. Irritabat quoque eam æmula eius.

PP. ET AVCTORES.

Litter. Chryſoſt. Moral. *Annæ patientia.* 1 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Chryſoſt. hom. vnica de fide Annæ. Hanc fœminam non anxietas modò ab ſterilitate prouenies, verum & aliud quoddam obſidebat malum, ira videlicet propter æmulæ opprobria. Et quemadmodum ventis inter ſe ſe concurrentibus, mediam quoque ſcapham, dum inter ſe depugnant, corripientibus, ac multis fluctibus partim à prora, partim à puppi inſurgentibus, gubernator clauo aſſidens ſeruat nauim, vndarum incurſus gubernandi prudentia depellens: ſic & mulier tum illa, cùm ira & angor in animum ipſius facerent impetum, rationem illius perturbantes, multóſque fluctus excitarent, non iam biduum aut triduum, aut dies viginti; ſed ad totos annos, (nam hoc, vt ait Scriptura, ex multo tempore factum eſt) fortiter pertulit tempeſtatem, nec paſſa eſt rationem demergi.

Mystic. Gregor. 2 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Gregor. 1. variar. cap. 1. Vuluam quippe ſanctæ Eccleſiæ Dominus claudit, quia ſummo eius iudicio repulſum Iudæorum populum in Redemptoris noſtri fide generare non potuit. Quam nimirum eius æmula afflixit, quia contra eam Synagoga minis atque exprobrationibus ſæuit.

Mystic. Beda. 3 *Affligebat quoque eam æmulæ eius.* Beda lib. 1. expoſ. Allegor. cap. 1. Affligebat Synagoga gentilitatem exprobrans eam à Deo propter ſcelera ingentia neglectam, nec Dei colloquium, nec oracula Prophetarum, quibus accepta à Deo proles animarum gigneretur potius ſe, mereri; atque ideo vuluam mentis eius ſpirituali, vel virtutum cœleſtium, vel credentium populorum ſemine priuata.

Litter. Angelom. Moral. 4 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Angelomus in Stromatibus cap. 2. Demonſtratur, quod ſicut Saram ſterilem Agar concipiens deſpexit: ita & Annam ſterilem Phenenna prole fœcunda æmulabatur: malorum enim eſt ſolatium, bonorum vitam carpere.

Mystic. Hugo Victor. 5 *Affligebat quòque eam æmula eius.* Hugo Victorinus lib. 1. Allegoriarum cap. 1. ſicut Phenenna Annam; ita gentilitatem Synagoga deſpiciebat.

Moral. Abul. 6 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Abul. ibi quæſt. 12. Vocatur hic Phenenna æmula Annæ, id eſt inuidens illi, ſeu contraria. Sunt enim æmuli competitores in aliqua re, vt in honore vel ſimilibus. Phenenna autem affligebat eam, ſcilicet prouocando eam ad magnas amaritudines, proferendo verba duriſſima in illam.

Moral. Charen. Mystic. 7 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Hugo Charen. in Poſtilla. Ideſt, Actiua exprobrat Contemplatiuam, quia quanto magis laboribus Actiuæ intendimus, tanto magis miſerias, & defectus ſæculi intelligimus; & opera Actiuæ magis neceſſaria inuenimus; & tunc fructus Actiuæ exprobrat ſterilitatem Contemplatiuæ. *Æmula eius*, id eſt, inuidia, inuidebat enim Phenenna Annæ, quòd plus diligebatur à viro, ſicut Agar Saræ; & Ioſeph, fratres eius.

Litter. Carthuſ. 8 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Carthuſ. ibi art. 1. Ideſt, inimica ſeu inuida, putà Phenenna. Rarò quippe concordant vxores eiuſdem mariti, præſertim cùm maritus, plus diligit vnam, quàm aliam.

Litter. Caietan. *Zelotypiæ malum.* 9 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Caietan. ibi. Vides deſcribi Phenennam tactam inuidia maioris amoris, quem vir oſtendebat Annæ, tendentē ad addendam afflictionem afflictæ; ita quod excandeſcebat aduerſus eam, vt maiorem ei triſtitiam inferret, exprobrando ſterilitatem, non qualemcumque, ſed inflictam à Deo.

Litter. Moral. Serar. Rabbi. Salomon. Ruth. 4. 10 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Serarius ibi. Notat Rabbi Salomon duas vnius viri vxores vocari Sorath, id eſt, æmulas, ſeu inimicas, quia inter eas inimicitiæ, & rixæ fere ſemper. Vnde Ruth 4. Chaldæus ait, propinquum illum, noluiſſe Ruth, quod vxorem iam haberet, & nihil niſi contentiones ex altera naſcerentur.

Litter. Salian. 11 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Salian. tom. 3. annal. anno Mundi 2900. num. 15. Inſipiens mulier, & de fœcunditate ſuperbiens, ſterilem, cui compati debuerat, vexabat; oblita, eius ſterilitatem cauſam eſſe fœcunditatis ſuæ; neque enim Elcana duxiſſet Phenennam; niſi Anna ſterilis fuiſſet.

Litter. Mendoza. 12 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Franc. Mendoza ibi. Non explicat litera, verbis ne tantùm affligeret, an etiam factis crediderim vtriſque; tum quia hæc afflictio, vehemens fuiſſe dicitur: tum quia muliebre ingenium iracundum & rixoſum eſt, pronumque ingerere calumnias, ac nullis parcere modis laceſſendi. Dubitari poteſt vtrum Phenenna aduerſaretur Annæ ſpernendo illam tanquam vilem & abiectam, an potius inuidendo illi tanquam ſublimi & glorioſæ.

Litter. Sanctius. 13 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Gaſpar Sanctius ibi. Accedebat ad dolorem ex diuturna ſterilitate conceptum æmulæ hoc ipſum exprobrantis, iniuria: quod fuiſſe aſſiduum, & pene familiare

familiare conuitium, ex hoc loco non obscurè liquet. Sumebat autem occasionem ex partibus, quas ex immolatis hostiis ipsa pro se ac liberis copiosas acceperat, cum tamen ad Annam, vtpote solitariam pars vna tantùm perueniret.

MORAL. Author Catenæ. 13 *Affligebat quoque eam æmula eius.* Author Catenæ. Particula seu coniunctio *quoque* emphasi non vacat, nam cum immediate prædixerit à Deo immissa sterilitate laborasse, subiunxit: *affligebat quoque eam æmula eius*; durissimus quippe est in malorum exhibitione Dei & hominum concursus.

Iob 19.22. Vnde dolore percitus Iob, *quare*, inquit, *persequimini me sicut Deus?* sufficeret misero grauis vtique Domini manus, quid vestra quoque grauior accedat?

MORAL. Carthus. 14 *Et vehementer angebat.* Carthus. ibi. Ideſt ad magnam induxit angustiam, cum tamen afflicto non sit addenda afflictio; & de his quæ insunt naturæ non mereamur laudari, aut vituperari.

LITER. Abul. 15 *Et vehementer angebat.* Abul. ibi quæst. 12. Ideſt, erat durissima afflictio, quam Phenenna prouocabat super Annam, scilicet affligebat eam quantum poterat. Est autem afflictio tunc durissima; cùm quis affligitur ex ea parte, qua impotens est. sed quia erat deficiens filiis, quod reputabatur tanquam vituperium inter antiquos, cùm maxima felicitas fœminarum esset in pluralitate filiorum, ideo affligebatur nimis Anna.

HISTOR. Philo. 16 *Et vehementer angebat.* Philo Iudæus vel potius Pseudophilo in Antiq. Bibl. Quid tibi prodest (aiebat Phenenna) quod te diligit Elcana vir tuus? Tu verò es lignum siccum, & ego scio, quia dilecturus est me, delectatus in conspectu filiorum meorum adstãtium in circuitu eius, tanquam plantatio oliueti. Non est dilectio mulieris si diligat eam vir, aut pulchritudinem illius. Nec glorietur in specie sua Anna; sed qui gloriatur, glorietur, cum videt semen suum ante conspectum suum, & quando inter mulieres non ita fuerit fructus ventris eius, in vanum fiet dilectio. Quid enim profuit Rachel, quod dilexit eam Iacob? Et nisi datus fuisset ei fructus ventris illius, in vanum fuerat dilectio eius.

MORAL. Chrysost. 17 *Intantum vt exprobraret, &c.* Chrysostom. hom. 24. in epistolam ad Ephesios quando audieris Scripturam dicentem, quod Dominus conclusit eius vuluam, & quod ipsam ad iracundiam prouocabat eius æmula; cogita quod velit ostendere mulieris philosophiam.

LITER. Mendoza. 18 *Intantum vt exprobraret, &c.* Franciscus Mendoza ibi. Phenenna à leuioribus quibusdam bellitationibus exorditur. *Affligebat eam æmula eius.* Deinde acriores excitat vires in certamen, & *vehementer angebat.* Tandem extranei furoris arma & maleuolentiæ tela iaculatur. *Intantum, vt exprobraret, quod Dominus conclusisset vuluam eius.*

LITER. Abul. *Phenenna Probra.* 19 *Quod Dominus conclusisset vuluam eius.* Abul. ibi quæst. 12. Ideſt, afflictio quam faciebat Phenenna super Annam interdum extendebatur ad tantum, vt improperaret & exprobraret ei quod esset sterilis. Et non solum quod esset sterilis sed etiam quòd Deus fecisset eam sterilem. Quod Deus voluit te facere infelicissimam mulierum, quia eras pessima inter omnes: & sic te reputauit, & inflixit tibi pœnam maximam, scilicet sterilitatem.

MORAL. Carth. *Ingratitudinis pœna.* 20 *Quod Dominus conclusisset vuluam eius.* Carthus. ibi art. 2. Sic Phenenna de beneficiis suæ fœcunditatis intumuit, atque inaniter gloriabatur; & Deo fuit ingrata, & iustam personam iniustè fecit mœrere, propter quod, collatis beneficiis meruit mox priuari.

VERSVS VII.

VVlgata. Sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini: & sic prouocabat eam. Porro illa flebat & non capiebat cibum. Vulgata.

Benedictina in margine. Cum ascenderet ipsa ad templum Domini.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnino. Et sic faciebat anno in anno ab ascendendo in eam domum Domini. Sic irritabat eam: & flebat, & non comedebat. Pagn.

Hebraica ex Francisco Vatab. Cumque is annua vice id faceret; cum ista quoque ascenderet ad domum Domini, illam quoque diuexabat, quæ flebat, nihilque comedebat. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et sic fecit anno in anno in tempore ascendendi ad domum Sanctuarij Domini; sic prouocans illam, & plorauit, & non comedit. Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Sic faciebat singulis annis, cum ascenderet ipsa ad domum Domini, & tristabatur, & flebat, & non comedebat. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Romana. Sic faciebat annum per annum in ascendendo ipsam in domum Domini, & tristabatur, & plorabat, & non comedebat. Roman.

Pagninus in margine. Et sic faciebat annuatim à tempore quo ascendebat ipsa. Pagn.

Vatablus in Scholiis. Sic autem facere solebat, (*subaudi Elcana*) annuatim, & cùm illa (*subaudi Phenenna*) ascendisset in domum Domini, sic prouocare solebat eam (*subaudi Annam*) flebat ergo, &c. Ideſt sic quotannis Elcana ascendebat ad Tabernaculum Domini, & illic sacrificabat.

PP. ET AVCTORES.

1 *Sicque faciebat per singulos annos.* Caietan. in Comment. Vide disparitatem, vel explanationem; disparitatem quidem, si superius legitur quod Elcana ascendebat in Silo de tempore in tempus: nam ipse quidem ascendebat ad domum Dei omnibus temporibus decretis à Lege: ipsa verò cum familia sua ascendebat semel in anno: clarè enim hic describitur quod sic faciebat annuatim. LITER. Caietan.

2 *Sicque faciebat per singulos annos.* Rangolius ibi. Quis huius fœminæ pertinacem malitiam satis miretur, quæ pluribus annis potuit in eadem maledicendi libidine perseuerare? *Esuriendi libido* (inquit Saluianus lib. 3. de prouid.) *terminum habet: detrahendi libido terminum non habet. Nam sæpe admodum cibo videtur satiari, detractione nunquam satiatur.* MORAL. Rangol. Saluian.

3 *Sicque faciebat per singulos annos.* Franc. Mendoza ibi. Paulò inferius repetitur, *& sic prouocabat eam.* Plerique vtramque phrasim referunt ad Phenennam, vt per hanc repetitionem actior eius æmulatio exprimatur. Nihilominus facilè potest hoc loco omnis Thautologia, seu repetita oratio vitari; si priori hoc loco intelligitur Elcana; posteriori Phenenna: vt Vatablus ex litera Hebræa LITER. Mendoza.

recte interpretatur, itaut sensus sit sic: Elcana faciebat sacrificium diuidendo, & sic Phenenna facta diuisione Annam prouocabat: nam in priori loco est verbum masculinum *Tabeseh*, id est, faciebat vir: in posteriori verbum fœmineum. *Thachimenah*, id est prouocabat fœmina.

Mystic. Beda.

4 *Cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini.* Beda lib. 1. expositionum Allegor. cap. 1. tom. 4. Templum Domini Tabernaculum testimonij vocat, quod ad hæc vsque tempora mansit in Silo. Singulos autem annos, vel singulas virtutes accipe, quibus Synagoga proficiebat in domo Domini, Gentilesque, quod ab hac longè essent arguens prouocabat in fletum.

Litter. Abul.

5 *Cum redeunte tempore ascenderent, &c.* Abul. ibi quæst. 12. Dicunt aliqui quod solum Elcana ascendebat semel in anno ad locum Sanctuarij, scilicet in festo Azimorum. Sed adhuc dato, quòd duæ festiuitates essent dispensabiles, non colligitur ex hoc, quod semel tantum in anno ascendebat Elcana, in locum Sanctuarij. Nam cum dicitur quòd per singulos annos hæc faciebat Phenenna tempore quo ascenderent in templum Domini, id est, aduenientibus temporibus, de ascendendo, quia quodlibet illorum trium temporum vocatur tempus ascendendi, vt dicitur quod sic faciebat per singulos annos, cum ascenderent in templum Domini: non quidem quòd solum Phenenna affligeret Annam quando ascenderent in locum Sanctuarij; sed etiam affligebat eam omnibus aliis temporibus, quandocumque contingeret eas contendere; sed isto tempore habebat maiorem opportunitatem affligendi ipsam, obiiciens illi sterilitatem, cum tunc haberet maiorem occasionem ad hoc, quàm aliis temporibus.

Tropol. Mendoza. *Reuerentia templi.*

6 *Cum redeunte tempore ascenderent.* Franc. Mendoza ibi. Vnde non solum personæ; sed etiam loco iniuriam faciebat, quia domum orationis vertebat in forum contentionis.

Litter. Idem.

7 *Ascenderent ad templum Domini.* Idem ibid. non intelligitur templum Salomonis, quod multo post Hierosolymis ædificatum est; sed Tabernaculum Moysis, quod in vrbe Silo constitutum erat. Nam sicut templum Salomonis aliquando dicitur Tabernaculum Psalmo 131. Ita & vice versa, vt Beda hoc loco, & Chrysostom. in Psalmum 14. aduertunt.

Psalm. 131. Beda. Chrysost.

Tropol. Mesa. *Reuerentia templo.*

8 *Ascenderent ad templum Domini.* Didacus Mesa in Mensa spiritualium ciborum, verbo, Templum numer. 9. Hoc valde displicuit Domino, maxime autem quia hoc faciebat in templo Domini, cui maxima reuerentia debetur.

Literal. Menoch.

9 *Ascenderent ad templum Domini.* Stephanus Menochius, in sua Biblia. Occasio eo tempore exprobrandi duplex videtur fuisse: altera quod Phenenna sciret Annam, vt in votis habebat fœcunditatem, ita eam à Domino postulare, tunc potissimum cum ascenderet ad locum Tabernaculi. Exprobrabat ergo, quasi Deus illi iratus, quod postulabat concessurus non esset: altera frequentius Annam incessendi causa erat, quod occasione itineris cum marito Elcana, simul ipsæ fere semper agere cogerentur, cuiusmodi necessitatem domi non habebant, vbi cum in diuersis conclauibus habitarent, commodius Phenennæ exprobrationes Anna poterat declinare.

Moral. Chrysost.

10 *Et sic prouocabat eam.* Chrysost. hom. 62. ad populum Antiochenum, tribulatio Philosophiæ magister est. Anna suam habens æmulam contumelia eam persecuta non est. *Anna patientia.*

Moral. Idem. *Fructus lachrymarum, lætitia.*

11 *Porro illa flebat.* Idem homilia vnica de fide Annæ tom. 1. De hac muliere forsitan aliquis non absurde dixerit. *Qui seminant in lachrymis in exultatione metent. Psalm. 125.*

Psalm. 125. Moral. Chrysost. *Anna patientia.*

12 *Porro illa flebat.* Idem homil. 24. in epistolam ad Ephesios. Considera: habebat maritum, qui ei inseruiebat; ei enim dicebat: *Non ego tibi sum melior, quam decem filij?* & ipsam ad iram prouocabat eius æmula, hoc est probris afficiebat, & insultabat, & eam nunquam est vlta, neque illi est imprecata, neque dixit: Quoniam me opprobriis afficit æmula mea, me defende, & vindica.

Moral. Idem.

13 *Porro illa flebat.* Idem hom. 6. in Matthæum. Idcirco sterilitatem eius in fœcunditatem Deus mutauit, & quasi è duro quodam saxo agrum fertilem reddidit.

Mystic. Gregor. Rom. 9.

14 *Porro illa flebat.* Gregor. 1. variar. cap. 1. Cui (*Synagoga* aut *Saulo*) profecto pereunti, quia sancta Ecclesia condoluit sequitur. *Porro Anna flebat.* Nam & doloris sui lamenta protulit dicens. *Tristitia est mihi magna & continuus dolor cordi meo. Optabam quidem, & ipse anathema fieri pro fratribus meis à Christo, qui sunt cognati mei secundum carnem.*

Moral. Idem.

15 *Porro illa flebat.* Idem ibidem. In fletu ardens desiderium diuinæ contemplationis ostenditur: in dedignatione vero eius despectum lætitiæ transeuntis. Mens enim, quæ feruentibus desiderijs interna desiderat, dum terrenæ lætitiæ blandimentum respuit, dum instantibus gemitibus infundi sibi supernæ lucis amœnitatem expetit; flet vtique, & cibum non capit. Hunc namque cibum fastidiebat, qui dicebat: *renuit consolari anima mea.*

Moral. Idem.

16 *Porro illa flebat.* Idem hom. 11. in Ezechielem. Si planxit mulier quæ quærebat filium; quomodo debet plangere anima, quæ quærit Dominum.

Histor. Comestor.

17 *Porro illa flebat.* Comestor in Historia Scholast. Porro Anna tristis erat pro sterilitate, & non sumebat cibum.

Mystic. Glossa Ordinar.

18 *Porro illa flebat.* Glossa Ordinaria ibi. Gentiles ad fidem Christi conuersi flebant & ieiunabant propter peccata, in gentilitate commissa, & maxime in Idolorum cultura; conuersi vero de Iudaismo non habebant talem occasionem flendi & ieiunandi, quia non fuerant idololatræ, sed cultores vnius veri Dei.

Litter. Angelom.

19 *Porro illa flebat.* Angelom. in Stromat. Porro illa flebat & non capiebat cibum læta corporeum; sed cum Propheta: *fuerunt* illi *lachryma panes die ac nocte, & potum* suum *cum fletu* temperabat.

Histor. Ioseph.

20 *Porro illa flebat.* Iosephus lib. 5. Antiq. Iudaicarum cap. 11. Anna videns alterius liberos cum matre confidentes, in lachrymas prorupit admonita orbitatis, & solitudinis.

Litter. Carthus.

21 *Porro illa flebat.* Carthusia. ibi artic. 1. Non ex impatientia, malitia, aut inordinato mœrore, sed desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ, & cum moderatione tristabatur, quod marito suo fructum connubij proferre nequiret.

Litter. Abul. *Fletus solatium est.*

22 *Porro illa flebat.* Abul. ibi quæst. 12. Idest cum Anna grauiter afflicta foret, erat sibi sua vita amara, & tædebat eam viuere si sic super viuendum esset. Vnde non capiebat cibum, sed ruebat

in

in lachrymas. Hoc enim sibi erat vnicum solatium. Est enim conditio afflictorum, & generaliter omnium iratorum, quòd quando vindictam expetere non possint, fletus sit eis quoddam solatium. Sic enim calidi furores & ipsa iræ materia exhalat.

TROPOL. Tertul. *Ieiunij fructus.*

23 *Et non capiebat cibum.* Tertul. lib. aduersùs Phisicos. Ieiunium in Deum reuerentiæ opus est, per quod Anna, quoque ambiens vxor Elcanæ retro sterilis impetrauit facilè à Deo inanem cibo ventrem filio implere, & quidem Prophetæ.

TROPOL. Basil. *Ieiunij fam.*

24 *Et non capiebat cibum.* Basil. Oratione prima de ieiunio. Iam Samuelem nonne deprecatio cum ieiunio coniuncta donauit matri?

TROPOL. Idem. *Samuel ieiunij fructus.*

25 *Et non capiebat cibum.* Idem Orat. 2. de Ieiunio. Ieiunij fructus est Samuel: ieiuna nonne Anna Deum deprecata est? *Adonai*, &c.

TROPOL. Hieron.

26 *Et non capiebat cibum.* Hieron. lib. 2. contr. Iouinianum tom. 2. Anna vxor Elcanæ inanem cibo ventrem filio meruit implere.

TROPOL. Anthioc.

27 *Et non capiebat cibum.* Sanctus Anthioch. hom. 7. de ieiunio. Anna filium impetrauit præsidio freta orationis, & ieiunij.

MYSTIC. Greg.

28 *Et non capiebat cibum.* Gregor. 1. Variarum cap. 1. Cibum (*Ecclesia*) caperet si de Iudææ integra conuersione refectionem lætitiæ habuisset. Quæ ergo fleuit, cibum non accepit, quia quæ de pereunte Iudæa doluit, de eius salute gaudium non recepit, sed cibus lætitiæ, qui de Iudæorum conuersione non datur Sanctæ Ecclesiæ, per sponsi cohortationem porrigitur.

LITERAL. Charen. *Parum pro nihilo.* Pisa. 13.

29 *Et non capiebat cibum.* Hugo Charen. in Postilla. Contra; infra statim dicitur. *Surrexit Anna postquam comederat in Silo.* Solutio. Vulgariter dictum est *non capiebat cibum*; Ideſt parum comedebat; secundum quod solet dici; Vos nihil comeditis, ideſt, parum comeditis: simile in Psalm. 13. *Non est, qui faciat bonum.* Ideſt, rarus est qui faciat bonum.

LITERAL. Carth. Iob 22.

30 *Et non capiebat cibum.* Carthus. ibi Art. 1. Vt moris est aliis, scilicet cum iucunditate, & consueta mensura, & quod parum est reputatur pro nihilo; iuxta quod Iob 22. legitur: *nudos*, ideſt parùm vestitos, *spoliasti vestibus*, vel *non sumebat cibum*, ideſt partè ei à viro suo collatam, tunc non comedit. Homines enim in magna tristitia positi, minus afficiuntur ad cibum, & sancta fœmina ista potius desiderauit compunctioni, & orationi, quàm comestioni insistere.

LITERAL. Liran.

31 *Et non capiebat cibum.* Liran. ibi. Ideſt, parum de cibo capiebat, & quod modicum est quasi nihilum repudiatur, vt habetur 2. Phisicorum.

LITERAL. Serarius.

32 *Et non capiebat cibum.* Serarius in commentario, Sed quomodo v. 9. dicitur: *Post quam comederat & biberat?* Ex ipso textu dixeris eam initio quidem ab omni cibo & potu abstinuisse; postea tamen mariti hortatu, aliquantulum gustasse.

LITERAL. Mendoza.

33 *Et non capiebat cibum.* Francisc. Mendoza ibi. §. 4. Probabilius mihi est nihil comedisse, sic enim transtulit Vatab. *Nihil comedebat.* Nam ingens animi afflictio ad hoc illam ieiunium vrgebat.

LITER. Sanct.

34 *Et non capiebat cibum.* Gaspar Santius ibi. Fortè id accidit quoties statutis a lege temporibus ad tabernaculum tota Elcanæ domus ascendebat; quia eadem erat aliis etiam diebus causa, quæ lachrymas excuteret, & ciborum omnium

LITER. Auth. Cat.

non solum fastidium, sed odium moueret.

35 *Et non capiebat cibum.* Author Catenæ. Vatablus clariùs vertit, *nihil comedebat*, contra Liranum, Hugonem, & Abul. qui parum (quod pro nihilo reputatur) affirmant sumpsisse cibi. Et contra Angelorum, Carthusianum, & Antelmum, Laudunens. qui negant sumpsisse cum lætitia. *Non capiebat*, inquiunt, *cibum lætæ.* Verius est initio nihil comedisse; quod importat verbum, *non capiebat*, ex præterito imperfecto; postea verò ex vsu horatu seu imperio modicum gustasse. Sic Gregor. Serarius, & alij ex Neotericis. Vnde Anna abstinentiæ suæ addidit obedientiæ meritum, & dignitatem. Quoties vero Elcana templum seu tabernaculum quotannis subiret diximus suprà, v. 3. Vide ibi dicta, & Toletum, & Maldonatum ad caput Ioannis secundum, 41. Et Balthasarem Paez in Canticum Moysis textu primo Annotat. 5.

Vatab. Abul. Hugo. Lira. Angelom. Carth. Laudunens. Greg. Serar. Tolet. Mirion. Paez.

Abstinentia Annæ qualis?

MORAL. *Obedientia ieiunium exaltat.*

VERSVS VIII.

Vulgata. Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi sum quam decem filij?

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Dixitque ei Elcana vir suus: Channaah vt quid flebis? & vt quid non comedes? & vt quid male habebit cor tuum? Nonne ego bonus tibi præ decem filiis? Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Dixit autem ad eam Elcana maritus eius Hanna, cur fles? & quare non edis? quid vero turbatur cor tuum: Nonne ego apud te potior sum quàm decem filij? Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et dixit illi Elkanah maritus eius, Hhanah cur ni ploras? & cur non comedis, & cur male est cordi tuo? nonne voluntas mea bona tibi à decem filiis. Ariasm.

Graca ex Sept. in Complut. & Regia. Et dixit ei Elcana vir eius, Anna quid est tibi quod fles, & quare non comedis? & quare affligitur cor tuum? non bonus ego tibi magis, quàm decem filij? Compl. Regia.

Graca ex Sept. in Sixtina. Et dixit ei Elcana vir eius: Anna, & dixit ei, ecce ego domine: & dixit ad eam. Quid est tibi quia ploras, & vt quid non comedis: & vt quid verberat te cor tuum? Nonne bonus ego tibi super decem filios? Sixtia.

Pagninus in margine. Vt quid fles? & vt quid non comedis, & vt quid malè se habet cor tuum? nonne ego melior sum quam decem filij. Pagn.

PATRES ET AVCTORES.

1 *Dixit ergo ei Elcana vir suus.* Abul. ibi. quæst. 12. Videbat enim Elcana quod afligeretur Anna, nec poterat plane ei adhibere remedium. Ideo consolabatur in verbis, vt poterat. LITER. Abul.

2 *Dixit ergo ei Elcana vir suus.* Dionys. ibi art. 1. Bonus maritus cõdoluit conthorali, cuius virtutes cognouit, & ideo consolabatur eam pro posse; quasi dicat non decet te taliter contristari. LITER. Carth.

3 *Dixit ergo ei Elcana vir suus.* Francisc. Mendoza ibi §. 1. Si Elcana Annam consolatur, cur etiã Phennenam non reprehendit? Reiponderi potest. Primo, quia fortè nesciebat contumelias, quas Phenenna in eam iaciebat. Secundo, quia quamuis sciret, impunitam nihilominus relinquebat vt acerbiùs puniret, vel tanquam immedicabilem repudiaret. LITER. Mendoza. *Phenina non reprehensa à viro.*

pudiaret. Tertio; quod mihi ad literam propius accedere videtur, reprehensam quidem fuisse Phenennam ab Elcana; huius tamen reprehensionis Scripturam non meminisse, qui non Phenennæ rem agebat, sed Annæ.

MYSTIC. Gregor. 4 *Anna cur fles.* Gregor. 1. Variarum, cap. 1. Quasi ergo per internæ inspirationis solatium, menti Doctoris Redemptor dicat: frustra de amisso fructu prædicationis quereris, quæ eò abundantiorem fructum recipis, quò effectum charitatis etiam inimicis impendis. Inde ergo doles, vnde gaudere debuisses. Et quia ipse est electorum præmium interrogat dicens: *Numquid non ego melior sum tibi quam decem filij?* Decem namque filios filios Anna pareret, si primitiua Ecclesia Iudæorum populum sub decalogo legis positum, in fide genuisset.

MYSTIC. Idem. 5 *Anna cur fles.* Idem ibidem. Potest etiam & per hoc quòd, cur fleat, inquiritur, ipsius Iudææ perditio designari; quasi dicat: otiosè plangitur, cui iustorum prece nequaquam indulgetur.

MISTIC. Idem. 6 *Anna cur fles.* Idem ibidem cap. 2. Quasi dicat, cur de non habita contemplationis perfectione contristaris? cum si rudis non obtines, proficiens obtinebis. Vnde, & quæ affecta ab æmula comedere noluit, à viro cohortata manducauit.

HISTOR. Philo. 7 *Anna cur fles.* Pseudo-Philo in Antiq. Bibl. Quare tristis es? & quare non es? Et vt quid concidit cor tuum in te? Nonne meliores sunt mores tui, super decem filios Phenennæ?

LITERAL. Abul. 8 *Anna cur fles.* Abul. ibi. q. 12. Quærebat Elcana cur fleret: non quidem tanquam nesciret, quia immediate apparet ex verbis eius, quod sciret: sed est modus loquendi quo sæpe quærimus ab aliis ea de quibus certi sumus, vt eos ad respondendum de eo, quod volumus, inducamus.

LITERAL. Mendoza. 9 *Anna cur fles.* Francis. Mendoza ibi. §. 4. In Hebræo sunt verba de futuro, *Cur flebis? Cur non comedes?* Vel quia tam obstinatè flebat, & ieiunabat, vt non videretur tam citò lachrymas, & ieiunium depositura. Vel potius quia hæc verborum commutatio futuri pro præsente, & vice versa Hebræis familiarissima esse solet.

LITERAL. Auth. Cat. 10 *Anna cur fles?* Author Catenæ. Prudenter illi consolationem adhibet, per emphaticam interrogationem, vt mœroris, & lachrymarum rationem excutiat, & imminuat; cum filiorum inopiæ maritalis amoris & beneuolentiæ bonum præualeat, ac de viri amore potius gaudere debeat, quam de sterilitate mœrere.

MYSTIC. Gregor. 11 *Et quare non comedis?* Gregor. 1. Variarum, cap. 1. quasi dicat. Cum orbem vniuersum parere debeas; frustra non gaudes, quod ea, quæ proiecta è Synagoga, erroris tenebras non relinquat.

MORAL. Abul. *Lachrymæ mendaces, quæ Fœmina ad fletum facilis.* 12 *Et quamobrem affligitur cor tuum?* Abul. ibi. quæst. 12. Videbat enim quod lachrymæ Annæ non erant mendaces, sicut interdum lachrymæ fœmineæ sunt, cùm nullo dolore: promptissimum enim est cuicunque fœminæ plorare, etiam si nulla causa subsit.

13 *Nunquid non ego melior tibi sum, quam decem filij?* Petrus Damianus epist. 6. ad Agnetem Imperatricem, tom. 1. Christus te societatis humanæ consoletur absentiam. Hic tibi, vel pro omnium iussione, & alloquutione sufficiat. Hic velut alter sed longe præstantior Elcana veraciter dicat: Non iam Anna, sed Agnes, *cur fles, & quare non comedis, & quamobrem affligitur cor tuum? nunquid non ego*, &c.

14 *Nunquid non ego melior tibi sum, quam decem filij?* Beda lib. 1. expos. Alleg. cap. 1. Decem filij propter legis Decalogi acceptores, seu obseruatores, significantur. Consolatur ergo Dominus Ecclesiam ne grauiter ferat quòd non ei, sicut Synagogæ legislatio promissa, & testamentum, non credita sint eloquia Dei; sed summo gaudio lætetur, & exultet, quod omnibus his donum maius, meliorémque gratiam, ipsum mediatoris Dei & hominum hominis Iesu Christi, quem expectare, & sperare non nouerat, suscipere tam meruerit aduentum. MYSTIC. Beda.

15 *Nunquid non ego*, &c. Abul. ibi. q. 12. Aliqui intelligunt hoc de filiis Phenennæ, scilicet ego melior sum tibi, quam decem filij quod ego diligo te magis non habentem filios, quam Phenennam, etiam si haberet decem filios. Aliter potest intelligi. Melior ego sum tibi, quam decem filij; idest præualeo cum te diligam, quam si haberes decem filios. Sed ista comparatio non videtur esse conueniens. Ideo tenetur alius sensus scilicet præcedens. LITER. Abul.

16 *Nunquid non ego*, &c. Hugo Victor. lib. 5. Allegoriarum cap. 1. Melior est Ecclesiæ vir suus ideest Christus, quam decem filij, quos Deo Synagoga edebat. MYSTIC. Hugo Vict.

17 *Nunquid non ego*, &c. Caiet. ibi. Communi modo loquendi consolatur eam; proponendo enim magnitudinem amoris proprij erga illam, optime reuocat ab amore filiorum quibus caret, etiam si decem haberet. Nec falsum dicit, quia contingit meliorem esse mulieri maritum valdè diligentem ipsam, quam decem filij: vt experientia quandoque, & fortè sæpe testatur. LITERAL. Caiet.

18 *Nunquid non ego*, &c. Vatablus in Scholiis quasi dicat; Nonne deberes me pluris facere, quam decem filios? aut nonne possum plura in te beneficia conferre, quam decem filij? LITERAL. Vatab.

19 *Nunquid non ego*, &c. Carthus. ibi artic. 1. Quod iuxta Hebræos intelligitur sic: Ego melior tibi sum propter dilectionem, fidelitatem, & consolationem meam ad te, quam decem filij Phenennæ sunt ei. Sed melius videtur à Catholicis sic exponi: ego melior tibi sum, ac magis gaudere debes de me, quam si decem filios haberes: Maritus namque & vxor sunt vna caro, & vir coniugis suæ solatium est. LITERAL. Carthus.

20 *Nunquid non ego*, &c. Lira. ibi. Quod exponunt Hebræi de pueris Phenennæ, quasi dicat: in tantum diligo te, quod ego sum melior tibi quàm decem filij Phenennæ matri suæ. Hoc dicens, ad illius consolationem. Alij exponunt, quam decem filij, idest, quam si haberes decem filios. Sed ista expositio non videtur rationabilis; quia si haberet decem filios, non propter hoc excluderetur amor Elcanæ ad ipsam, vel minueretur; sed magis incenderetur, & augeretur. LITERAL. Liran.

21 *Nunquid non ego.* Salianus tom. 3. Annal. Anno Mundi 2900. num. 17. Quanto hoc verius iustiusque dicere potest mortalibus variarum rerum desiderio gementibus, ac iacturam lamentantibus amantissimus ille sponsus animarum nostrarum, vt in ipsius vnius amore, & prouidentia quiescamus; Nunquid non ego melior tibi sum, quam decem filij? imo quam orbis terrarum vniuersus? MORAL. Salian. *Vnus Christus pro toto orbe.*

22 *Nunquid non ego*, &c. Franciscus Mendoza ibi. Quæri potest, cur non consoletur eam de iniuriis à Phenenna acceptis? Respondetur primo, quia consolando eam de sterilitate, consolari pariter videbatur de iniuriis, quæ in sterilitate fundabantur LITERAL. MORAL. Mendoza.

tur: præsertim, quia probatæ fœminæ durius erat meruisse iniurias, quam audiuisse. Secundo, quia dolor de iniuriis melius obliuione, quàm locutione curatur.

LITERAL. Santius. 23 *Nunquid non ego*, &c. Gaspar Santius ibi n.36. Consolatur Elcana vxorem ea ratione, quæ vulgo hominum existimatur grauissima. Illa enim fœmina fortunata creditur, quę virum habet honestum & nobilem sui amatorem, & qui cum illa bene conuenit, qualis sine dubio fuit Elcana.

LITERAL. Idem. 24 *Quam decem filij.* Idem ibidem. Dicendum est omnino hic *decem* ex frequenti Scripturæ consuetudine sumi pro multis, neque alium esse sensum, quàm virum apud vxorem multorum filiorum instar obtinere.

LITERAL. AuthCat. 25 *Quam decem filij.* Author Catenæ. Hinc Hebræorum magistri, decem filios Phenennæ commemorant. Verùm cum aliud desit fundamentum, diuinare potius est, quàm certi aliquid asserere; Cum Scripturæ frequens phrasis sit numerum decimum, vel etiam septimum, pro multitudine vsurpare, vt probant Cantapetrensis, & alij.

Cantap.

VERSVS IX.

Vulgata. *Vulgata.* Surrexit autem Anna postquam comederat & biberat in Silo, & Heli sacerdote sedente super Sellam ante postes templi Domini.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Surrexitque Channah. post comedere in Siloh, & post bibere; & Heli sacerdos sedens super solium super postem templi Domini.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Surrexit itaq; Anna postquam comedisset in Silo, & postquam bibisset, & Heli sacerdos sedebat super solium iuxta postem templi Domini.

Ariasm. *Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et surrexit Hhannah postquam comedit in Siloh, & postquam biberunt, & Gheli Sacerdos sedens super sedem in latere postis templi Domini.

Compl. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et surrexit Anna postquam comederunt ipsi in Silo, & postquam biberunt: & Heli Sacerdos sedebat super sellam, in liminibus templi Domini.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtiana.* Et surrexit Anna postquam ipsi comederant in Silon, & stetit coram Domino: & Heli Sacerdos super sellam super limina templi Domini.

Pagn. *Pagninus in margine.* Postquam comederant in Siloh & postquam biberant, & Heli Sacerdos sedebat super solium iuxta postem templi Domini.

Vatab. *Vatablus in Scholiis.* Et Heli sacerdos sedebat super sedem ad alterum ex postibus.

Chrys. *Chrysostomus Homil. 24. in epistolam ad Ephesios ita legit:* Surgebant omnes de mensa, & illa confestim non ad somnum conuersa est, non ad quietem.

Hugo. *Hugo Caren. in postilla.* Hebræi talem habent literam. Surrexit autem Anna postquam comestum est.

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Chrys. 1 *Surrexit autem Anna.* Chrysostom. in Homilia, de fide Annæ tom. 1. Quod omnes faciunt tempus relaxationis, illa fecit tempus deprecationis. Post conuiuium accurrens ad deprecationem, fontes lachrymarum emisit, mentemque præse tulit sobriam, ac vigilantem, ac post epulas à Deo intentè orauit, vt donum acciperet supra naturam. Igitur à fœmina discamus & post conuiuium orare. *Anna magistra oranti.*

MORAL. Idem. 2 *Surrexit autem Anna.* Idem hom.24. in epist. ad Ephes. tom.4. Vis discere vigilias animæ? Vade ad Annam, audi ipsa eius verba. *Adonai Eloi Sabaoth.* Imò verò audi, quæ verba ista præcesserunt. *Surgebant*, inquit, *omnes de mensa, & illa confestim non ad somnum conuersa est, non ad quietem.* Vnde mihi videtur etiam, cum ad mensam sederet, leuiter refecta, & non cibis quibusdam grauata fuisse; non enim tot alioqui lachrymas emisisset. *Anna pietas*

TROPOL. Idem. 3 *Surrexit autem Anna.* Idem hom.79. ad populum Antiochenum. Si namque nos, cùm sobrij sumus, & ieiuni ita vix oramus, ita multo magis illa post mensam, ita non orare potuisset, nisi circa mensam ieiunantibus fuisset assimilis. Reuereamur viri mulierem, confundamur de regno supplicantes, & oscitabundi; considerantes de filio precantem, & fundentem lachrymas.

MYSTIC. Greg. 4 *Surrexit autem Anna.* Gregor. lib.1. cap.1. Variarum, cap.1. Quid fuit tunc Sanctæ Ecclesiæ manducare, nisi cibum solatij diuina cohortatione susciperé? & bibere ei quid extitit, nisi infusa sibi internæ consolationis suauitate gaudere? nam si cibus confortat, potus exhilarat; cibum ergo sumimus quando visis æterni præmiis inter aduersa roboramur.

MYSTIC. Beda. 5 *Surrexit autem Anna.* Beda lib.1. Expositionis Allegoricæ cap.1. Surrexit Ecclesia de longo desolationis suæ mœrore, accepta iam Domino supplicandi fiducia, postquam corpore eius sacrosancto refecta, & pretioso sanguinis eius calice est inebrieta & manentibus adhuc in Iudaismo, quasi in Silo Doctoribus, veterisque Sacerdotij super cathedram Moysis ministris aditum regni cœlestis obseruantibus, vt & ipsi intrarent, & eos qui voluissent intrare docerent; ipsa lachrymis & precibus cæpit à Domino quærere bona. *Anna Ecclesia typus.*

HISTOR. Ioseph. 6 *Surrexit autem Anna.* Iosephus lib.5. Antiquit. cap.11. Cumque consolationem mariti non admitteret, abiit in tabernaculum supplicatura, votumque factura; ablata sterilitate, martem factam, primum filium se consecraturam ad ministeria Dei non vulgari modo educatum.

LITERAL. Charen. 7 *Surrexit autem Anna.* Hugo Charensis in Postilla. Hebræi dicunt quòd ipsa non comedit; & talem habent literam, *surrexit autem Anna postquam comestum est.*

MORAL. Liran. 8 *Surrexit autem Anna.* Liranus ibi. Hic consequenter describitur modus orandi humilis & deuotus, cum dicitur: *Surrexit autem Anna* vt iret ad locum orationis iuxta Tabernaculum.

LITER. Serarius. 9 *Surrexit autem Anna.* Serarius in Commentario. Ad Dei se templum contulit, quod tunc Tabernaculum erat, sed amplius quibusdam ædificiis iam circumseptum, vel parentibus certe locis amplissimis, vt in ea, qui orare, aut legem audire vellet, intrare posset semper.

MORAL. Mendoza 10 *Surrexit autem Anna.* Franciscus Mendoza ibi. En primus præcedentis consolationis effectus. Tristis erat Anna, audita consolatione læta exiliit, nam verbum *surgendi* in Scriptura lætitiam importat. *Surge, illuminare Ierusalem.* Esa.60. Iudicum.5. 12. Iob.31.29. Esay.60.

11 *Surre*

MORAL. Author Caten. *Temperantia cibi.*

11 *Surrexit autem Anna.* Author Catenæ: efficax quidam est Annæ temperantiæ disciplina, pulchrum documentum, ita enim moderate victus adhibendus est, vt vires reficiantur, non vt ingluuie, & crapula opprumantur; ita vt ex mensa ad preces; ex prandio ad orationem facilis fiat transitus.

MYSTIC. Gregor.

12 *Postquam comederat & biberat in Silo.* Gregorius 1. Variarum enarrat. cap. 2. Quæ affecta ab æmula comedere noluit, à viro cohortata manducauit, quia saniori consilio ima despicit; perfectionem contemplationis habet in spe, quam nondum habet in virtute experientiæ.

LITERAL. Abulens.

13 *Postquam comederat & biberat in Silo.* Abul. quæst. 12. Est intelligendum, quod quamquam Anna modicum de cibo, & potu præ tristitia sumeret; aliquid tamen sumebat, & sic cum dicitur suprà, quòd Anna flebat, & non sumebat cibum, intelligendum est, quòd non sumebat ad abundantiam, sicut si iucunda foret: quod autem modicum est, tanquam nihilum reputatur; quia nihil & inutile æquiparantur.

LITERAL. Carthus.

14 *Postquam comederat & biberat in Silo.* Carthus. ibi Articulo 1. Quo constat quod ad mariti sui consolationem, & exhortationem, parum quid sumpsit de cibo, & potu. Surrexit autem vt iret ad fores tabernaculi ad orandum.

LITERAL. Caiet.

15 *Postquam comederat & biberat.* Caiet. ibi, iuxta Hebræum habetur. *Post comedere in Silo, & post bibere*; ita quod impersonaliter describitur comedere & bibere; nec ex litera ista habetur, quod ipsa comedit aut bibit, sed quod non surrexit è medio prandij, sed post finitum prandium. Rationabile tamen est, quod quamuis priùs fleuerit, & non comederit; post consolationem tamen mariti comederit, & biberit; cuius signum est quod ipsa ad Heli existimantem illam ebriam non dixit; sum ieiuna: sed dixit, quòd non biberit aliquid inebriatiuum.

LITERAL. Vatab.

16 *Postquam comederat & biberat.* Vatablus in Scholiis. Victimæ pacificæ non edebantur in atrio, sed extra atrium, vbicumque visum esset iis, qui sacrificium pacificorum curauerant.

TROPOL. Mendoza. *Fœminarum à vino abstinentia.*

18 *Postquam comederat & biberat.* Francisc. Mendoza ibi §. 2. Quamuis Chaldæus solum actum comedendi illi tribuere videatur, non autem bibendi; quasi ipsa sola comedisset, reliqui autem eius familiares insuper & bibissent; quod vel dixit modestiæ causa, ne fœminæ, quæ frugalior in potu esse debet, actum bibendi tribueret, vel certe quòd Anna vinum, & omne quod inebriare potest non biberit, vt ipsa numer. 15. testatur.

LITERAL. Idem.

19 *Postquam comederat, & biberat in Silo.* Idem Ibid. num. 4. De loco huius epuli non constat. Dico nihilominus Annam, nec intra atrium, neque extra templum comedisse. Quod vt intelligas aduerte ex Abulensi, Iosue 18. quæst. 1. Quamuis hostiæ pacificæ in deserto intra atrium à quibuscumque offerebantur, ederentur; non tamen postquam ad terram promissionis ventum est: tunc enim totum Sanctuarium, ex Tabernaculo & atrio constans, includebatur intra magnã domum, quę Templum etiam dicebatur, in quam ingredi, poterant populares, vel orandi causa, vel offerendi, vel cuiusque negotij liciti obeundi; non tamen in ipsum atrium quod solis sacerdotibus patebat.

Abul.

MORAL. Salian.

20 *Postquam comederat & biberat in Silo.* Salianus tom. 3. Annal. Anno Mundi 2900. n. 20. In gratiam videlicet mariti sui, à quo tenero affectu se iuuari sentiebat, & cui vt par erat, mutuum amorem & venerationem debitam exhibebat, & concepta voti faciendi voluntate, venit in Tabernaculum fœderis.

MORAL. Santi. *Annæ obedientia.*

21 *Postquam comederat & biberat in Silo.* Gaspar Santius ibi. obsequuta est coniugis voluntati, ac monitis, cui in summo etiam dolore ciborúmque fastidio repugnare, scelus arbitrabatur.

MORAL. Baeza. *Vitiat temperantia.*

22 *Postquam comederat & biberat in Silo.* Didacus Baeza tom. 1. in Euangelia. lib. 5. cap. 7. §. 2. Inusitatum sane conuiuium hominibus mundanis, quod mentem præparat ad conspectum Domini, sed sanctissimæ fœminæ familiare, quæ à mensa ab epulis digna euolat diuinis fauoribus.

HISTOR. Theodor.

23 *Heli Sacerdote sedente.* Theodoretus ibi, quæst. 6. Exqua gente esset Heli Pontifex? ex gente Ithamar, sed propter filiorum nequitiam totum genus fuit priuatum honore pontificali.

MYSTIC. Greg.

24 *Heli Sacerdote sedente.* Gregor. 1. Variarum, cap. 1. Heli ergo sedebat ante postes templi, idest foris, quia Doctores Sinagogæ à spirituali Scripturarum intelligentia expulsi erant; & tamen in subuersione subiecti populi authoritatem habebant magisterij & dignitatem prælationis.

HISTOR. Angelom.

25 *Heli Sacerdote sedente* Angelom. in Stromarib. Heli iste summus sacerdos erat, & post Samson populum Israël regebat (vt in Hebræorum libro inuenitur) annis quadraginta; secundùm Septuaginta autem Interpretes, annos viginti.

HISTOR. Lira.

26 *Heli Sacerdote sedente.* Liranus ibi. Idest, super sellam magnam & honorabilem, vt dicunt Hebræi, ex hac sessione dicentes, quòd illa die fuit institutus Iudex super populum, sed hoc non videtur verum.

HISTOR. Abul.

27 *Heli Sacerdote sedente.* Abul. ibi. quæst. 12, Dicunt Hebræi quidam, quòd illa die factus fuerat Pontifex, & Iudex ipse Heli, & ob hoc sedebat tanquam ad iudicandum causas. sed hoc nihil est. Erat autem sedens in magna sella apud ostium templi, fortè ad recreationem, & gaudium. Sic dicitur infra cap. 4. quod Heli sedebat super sellam contra viam expectans.

HISTOR. Naucler. *Heli Vnde.*

28 *Heli Sacerdote sedente.* Ioannes Nauclerus volum. 1. Generat. 30. Veteris Testamenti anno 4048. ab exordio mundi post Samsonem iudicauit Israel Heli Sacerdos, & translato sacerdotio à filiis Eleazar qui fuerunt Phinees, Abiezer, & Buzi: hic primus de filiis Ithamar accepit Sacerdotium, rexit populum Domini quadraginta annis.

LITERAL. Mendoza. Abul. Ioseph. Comestor. Genebrar. Sigoni. Torniel. *Heli, an summus sacerdos.*

29 *Et Heli Sacerdote sedente.* Francisc. Mendoza. ibi. Coniunctio, &, aut redundat more Hebræorum, aut præcedentem orationem *surrexit Anna*, coniungit cum sequenti *& orauit*. Dubitatur fuerit ne Heli summus Sacerdos; an ex minoribus tantum. Ratio dubitandi est quia summum sacerdotium pertinebat ad primogenitum Aaronis Eleazarum & per eius filios primogenitos ducebatur; & patet ex Leuitico 21. 10. At Heli non per Eleazarum, sed per Ithamar, primogenitum Aronis descendebat, vt Abul. 1. Reg. 2. quæst. 28. ostendit. Nihilominus fuisse summum Sacerdotem docet Ioseph. cui Petrus Comestor. Genebrardus, Carolus Sigonius, Augustin. Torniell. & Interpretes communiter assentiuntur.

LITERAL. Santius.

30 *Et Heli Sacerdote sedente.* Gaspar Santius in Commentario. Sedebat etiam ante ipsius Tabernaculi postes, nempe in vestibulo, vbi iudiciarius erat thronus, aut Pontificia sella, quæ vltro ingredien

ingredientibus Tabernaculum, Pontificem offerret.

LITERAL. Comel. 31 *Et Heli sedente super sellam.* Cornel. à lapide in commentario Heli Hebraicè idem est quod *super me*, vel *ascensio mea* vel *solium meum*: aptè, quia ipse nimis lenis, & lentus permisit filios sibi dominari, & impunè, impiéque viuere, ideóque ipse cum filiis ceu solium vento raptum, citò Pontificatu & vita priuatus est.

LITERAL. Auth. Car. Bellouac. Ioseph. Pineda. Genebrar. Chrysost. *An Heli legitimus Pontifex.* 32 *Et Heli Sacerdote sedente.* Auth. Catenæ. Sedebat vtiq; vt populi Iudex ad audiendas causas, aderat quoque vt summus Sacerdos ac Pontifex in tabernaculo. Dubitari tamen potest an legitimus fuerit Pontifex, cum non ex Eleazaro & Phinees; vt præcedentes Pontifices, sed ex Ithamare ab Aarone descenderet, vt affirmat Iosephus lib. 5. Antiquitatum cap. vltimo, & alij communiter. Porrò intrusum, & non legitimum credidit Vincentius Bellouacensis tom. 4. libr. 2. Speculi, cap. 68. Cui adhæsisse videtur Pineda Franciscanus lib. 3. Monarchiæ cap. 14. §. 1. & 2. idem etiam innuit Genebrardus, illum videlicet factum iam iudicem sibi ac familiæ suæ Sacerdotium occupasse. *Heli Sacerdos*, inquit, *iudex factus transtulit summum sacerdotium de domo Eleazari in suam.* Communior tamen sententia contrarium docet, quàm mirificè confirmat authoritas Chrysostomi lib. 4. de Sacerdotio, ibi. *Neque enim Heli studiosè, ambitiosève dignitatem eam sibi præparauit. Et quid dico præparauit, cum ne illi quidem id muneris detrectare per legis necessitatem fas fuerit, vt qui vnus fuerit ex Tribu Leui, ad quem ipsum oporteret, dignitatem eam ad se iam à maiorum suorum retro origine descendentē suscipere.* Hęc Chrysost. cui lubens assensum præbeo; cuius vero filius, aut nepos Heli fuerit ex Scriptura non patet; tota enim generationis series ab Ithamare Eleazaris fratre vsq; ad Heli prætermissa est. Nescitur etiam causa ob quam summum sacerdotium à nepotibus Eleazari ad Ithamaris posteros translatum sit.

MORAL. Interl. *Sacerdos prædicet.* 33 *Ante postes templi Domini.* Glossa Angelica. Vt ingredientibus, & egredientibus templum, verbum Dei ministraret, Sacerdotes enim claues scientiæ habent.

LITER. Abul. 34 *Ante postes templi Domini.* Abul. ibi. q. 12. Idest, sella sua erat posita ante postes templi, quia fortè in ostio templi, erant postes pulchri; vel fortè in porticu, & apud illos sedebat Heli expectans introeuntes Sanctuarium; & sic potuit videre Annam quando orabat, neque enim procul ipse erat ab ea, & ab ostio templi alioquin non potuisset videre quomodo Annæ mouebantur labia.

LITERAL. Carthus. *Iudicis facilis sit aditus.* 35 *Ante postes templi Domini.* Carthus. ibi art. 1. Quatenus à querentibus consilium faciliter inueniretur.

LITERAL. Vatab. 36 *Ante postes templi Domini.* Vatablus in Scholiis idest, ad alterum ex postibus, ad alterum atrij latus. Per *Echal*, intellige atrium, aut totum illud ædificium, quod atrium & Tabernaculum fœderis complectebatur. Sacerdotibus neque edere, neque sedere licebat in atrio.

LITERAL. Saa. 37 *Ante postes templi Domini.* Emanuel Saa. in Biblia trium Patrum idest atrij, dicunt quidam in ipso Atrio, nec sacerdotibus sedere licuisse, aut edere.

VERSVS X.

VVlgata. Cum esset Anna amaro animo orauit ad Dominum, flens largiter. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Et ipsa amaro animo: orauitque super Dominum, & flendo fleuit. Pagn.

Hebraica ex Francisco Vatab. Ipsa verò cùm esset mæsto animo precata est Dominum: abundéque fleuit. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et ipsa amaro animo, & orans ante Dominum, & plorans plorauit. Ariasm.

Graca ex Sept. in Complut. & Regia. Et ipsa amaro animo: & orauit Anna ad Dominum, & flens fleuit. Complut. Regia.

Graca ex Septuaginta in Fortunatiana. Et ipsa mœsta animo, & orauit ad Dominum, & plorans plorauit. Fortun.

PP. ET AVCTORES.

1 *CVm esset Anna amaro animo.* Chrysost. hom. vnica de fide Annæ tom. 1. Hanc fœminam non anxietas modò à sterilitate proueniens; verum & aliud quoddam obsidebat malum, ira videlicet propter æmulæ probra. MORAL. Chrysost. *Ira obsideat non expugnet cor.*

2 *Cum esset Anna amaro animo.* Gregor. 1. Variarum Enarrat. c. 1. Quia porum Annæ ad lætitiam retulimus Sanctæ Ecclesiæ, quæ lætari ostenditur, amaro animo fleuisse, quomodo narratur? Sed rationabiliter intelligi potest, quia ad lætandum hanc contemplatio supernæ retributionis extulerat, & compassio repulsæ Iudeæ in amaritudinem animi, afficiendo concitauit. MYSTIC. Greg. *Ecclesia vndemansa.*

2 *Cum esset Anna amaro animo.* Hugo de sancto Charo in Postilla. Hæc est efficax oratio, quæ cum amaritudine animi fit. MORAL. Haren.

4 *Cum esset Anna amaro animo.* Greg. 1. Variar. c. 1. Veraciter orare, est, amaros in compunctione gemitus non verba composita sonare. MORAL. Greg. *Bona oratio qua?*

5 *Cum esset Anna amaro animo.* Abul. ibi. q. 12. Idest tunc habebat Anna amaritudinem cordis cum introiuit ad orandum. Afflixerat enim nimis illam æmula eius, obiiciens eius sterilitatem. MORAL. Abul.

6 *Cum esset Anna amaro animo.* Carthus. ibi. artic. 1. Idest in magna tristitia constituta ob causas prætactas; sicque amaritudo non sumitur hìc, vt est vitium: sed pro amaritudine laudabili compunctionis, aut contritionis, siue mœroris; quia fortasse ob sua peccata putauit, se fructu vteri esse priuatam. De hac amaritudine loquitur Ezechias. Esa. 38. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* LITER. MORAL. Carth. *Anna compunctio.*

7 *Cum esset Anna amaro animo*, Anselmus Laudunensis in Interlineali. *Qui deridetur ab amico.* ait, Iob, *sicut ego rogabit Dominum, & ipse exaudiet eum.* MORAL. Interlin.

8 *Cum esset Anna amaro animo.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Quomodo erat amaro animo, quam Elcana, tam blandis verbis deliniuit? Vt intelligas quam parum proficiant consolationes hominum. Exulcerare possunt homines ægros animos, non sanare. Sicut & Magi Pharaonis, quibus permisit Deus plagas addere; non tollere. MORAL. Mendoza. *Homines mali consolatores.*

9 *Orauit ad Dominum.* S. Ephren Syrus serm. in mulierem MORAL. Ephren.

mulierem peccatricem, tom.3. Tunc Deum purissimum & immaculatissimum, ô homo, & me iam bono responso recrea, per Deum te sanctum adiuro, qui Annæ Samuelem dedit cum dolore oranti, & in afflictione cordis.

HISTOR. Nyssen. 10 *Orauit ad Dominum.* Gregor. Nyssen. hom. de humana Christi generatione: Consenuerat autem Ioachim sine liberis, quod non erat coniux eius apta ad procreandos filios. Erat vero ex lege quidam honor matribus, quem non adipiscebantur, quæ carebant filiis. Imitatur ergo illa, quæ narrantur de matre Samuelis; & cùm fuisset intra templum sanctorum, fit supplex Deo, rogans, ne excideret ab ea, quæ est ex lege, benedictione, cum in legem nihil peccaret; fieret autem mater, & Deo consecraret id quod pareret.

MORAL. Chrysost. *Filij à solo Deo.* 11 *Orauit ad Dominum.* Chrysost. hom. de fide Annæ tom.1. Nouerat enim humanitatem Domini, eóque sola illum adiit, & quidquid voluit impetrauit. Neque enim humanum auxilium, sed diuinam gratiam requirebat illius desperationis correctio, quod ea non nascebatur ex iactura pecuniarum vt aliquis allato auro delere posset angorem.

MORAL. Aug. 12 *Orauit ad Dominum.* August. epist. 121. c. 16. tom.2. Orauit & coniugata in dolore animi, & afflictione cordis, quia filios non habebat: tunc ipsum Samuelem impetrauit; & acceptum Deo reddidit, quia cùm posceret vouit.

MORAL. Theodor. *Oratio filios generat.* 13 *Orauit ad Dominum.* Theodoretus ibi. q.5. Dei est proprium annuere naturæ, vt effingat, & efformet animal. Hoc cùm aperte sciret Anna; nam cùm longo tempore cum viro habitasset, fructum non produxit: Confugit ad opificem, & intensa oratione, & lachrymis mutilam curauit matricem, & clausam aperuit.

HISTOR. Calixtus. 14 *Orauit ad Dominum.* Nicephorus Calixtus lib. Historiæ Ecclesiasticæ c.7. Cùm (*Anna mater Marie*) ob sterilitatis causam non haberet communes cum matronis, & matribus à lege tributos honores, exemplo matris Samuelis, ipsa quoque fit supplex Deo, & in templo sedulò versatur, ne scilicet à benedictionibus legis excluderetur, sed vt ei matrem esse liceret, orans.

MYSTIC. Hugo Vict. 15 *Orauit ad Dominum.* Hugo Victor. libr.5. Allegor.c.1. Multi ex gentibus Redemptoris aduentum, (vt in Iob reperitur) expectauerunt, & quia in prece perseuerauerunt, tandem Redemptor flenti, & non capienti cibum Annæ consolationem adhibuit.

LITERAL. Vatab. 16 *Orauit ad Dominum.* Vatablus in Scholiis. Subaudi in atrio ante Tabernaculum fœderis.

HISTOR. Serarius. 17 *Orauit ad Dominum.* Serarius ibi, orat verò primò flendo largiter, deinde preces multiplicãdo.

MORAL. Mendoza *Laus Anna.* 18 *Orauit ad Dominum.* Francisc. Mend. ibi. §.2. Cùm videret Anna, non posse sui cordis amaritudinem humani eloquij suauitate dulcorari, non se contulit ad externam aliquam voluptatem, quæ plane solet esse fallax, & adulterinũ tristitiæ leuamẽ.

LITERAL. Mendoza. 19 *Orauit ad Dominum.* Idem ibid. Septuaginta in Sixtiana addunt. *Stetit coram Domino.* quod ipsa Anna de se dixit paulo inferius, n.26. Vnde aliquis fortasse crederet, non solum Annam stando orasse, sed & reliquos Hebræos, stãdo orare solitos fuisse. Sed hæc interpretatio non est in vniuersum vera; Nam in primis verbum *standi*, aliquando significat solam assistentiam, & ex aliis passim locis constat Hebræos etiam flexis genibus orare consueuisse. Sic igitur credendum est orasse & Annam, quamuis dicatur stetisse, vel translatè pro adfuisse, vel mystice pro constanter orasse.

20 *Flens largiter.* Ephren Syrus ser. de Iudicio extremo tom.1. Anna per lachrymas Samuelem accepit Prophetam in exultationem, & gloriam cordis sui. MORAL. Ephren. *Lachrymarũ vis.*

21 *Flens largiter.* Chrysost. hom.23. in epist. ad Ephes. tom.4. Præoccupauerunt linguam lachrymæ. Istis inflectere Dominum speraret: vbi lachrymæ sunt, illic tribulatio est. Vbi tribulatio, ibi est multa Philosophia, & attentio. MORAL. Chrysost. *Lachrymarũ laus.*

22 *Flens largiter.* Greg. hom.11. super Ezechielem. Si sic planxit mulier, quæ quærebat filiũ, quomodo debet plangere anima, quæ quærit Deum? TROPOL. Greg.

23 *Flens largiter.* S. Antioch. hom.107. de compunctione. Vbi lachrymæ, ibi exorabilis Dei clementia. TROPOL. Antioch. *Lachrymarum laus.*

24 *Flens largiter.* Rupert. lib.5. Comm. in Reges c.3. tom.1. Est igitur orationis fructus Samuel sanctus, magna fide, & largo fletu matris comparatus. MORAL. Rupert.

25 *Flens largiter.* Laurentius Iustinian. libr. de triumphali Agone Christi c.15. Fleuit Anna Samuelis mater coram Domino. Quamobrem sterilitate pulsa, Deo gratissimã meruit suscipere prolem. MORAL. Laurent. Iustinian. *Lachrymarũ vis.*

26 *Flens largiter.* Laurent. Iustinian. in ligno vitæ de Orat.c.9. Orandum est cum lachrymis, & gemitu: *Cum esset*, inquit, Scriptura, *amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter*; & abundè obtinuit quod petiuit. Nemo ad Deum aliquando flens accessit qui non quod postulauit acceperit: Nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui non impetrauit; ipse est enim qui consolatur flentes: dolentes curat: pœnitentes informat. O lachryma humilis tua est potentia; tuum regnum: tribunal Iudicis non vereris: amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis: non est qui te ad Deum accedere vetet. Si sola intres vacua non redibis. Quid plura? vincis inuincibilem: ligas omnipotentem: inclinas filium Virginis, aperis cœlum, fugas Diabolum. TROPOL. Laur. Iust.

27 *Flens largiter.* Carthus. ibi art.1. Ideſt, copiosè, ex abundantia suæ deuotionis. Ideò Oratio eius fuit potens, & exaudibilis valdè. MORAL. Carthus.

28 *Flens largiter.* Abul. ibi. q.12. Ideſt, effudit lachrymas multas in oratione. Istud enim patet ex præcedenti; nam cùm haberet amaritudinem animi, poterat plorare abundantius, quia ira mouet ad lachrymas. LITER. Abul.

29 *Flens largiter.* Hugo Charens. in Postilla. Hæc sunt duo brachia, videlicet oratio & lachrymæ, quibus Iacob luctatus est cum Domino. Vnde Oseæ 12. *Directus est Iacob cum Angelo, & inualuit ad Angelum & confortatus est. Fleuit & rogauit eum, & in Bethel inuenit eum.* MORAL. Charen. Osee.12.4. *Oratio, & lachryma brachia animæ.*

30 *Flens largiter.* Radulph. Flauiacensis lib.1. in Leuit. c.4. Multi est apud Deũ meriti cordis contriti & cõpunctio lachrymarum, quia *sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, & cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Lachrymæ sunt quæ Samuelis ortum impetranerunt, quæ aperierunt Tobiæ oculos, & à nuru eius Dæmonem excluserunt. TROPOL. Radulph.

31 *Flens largiter.* Simon de Cassia lib.6. v.10. Scriptura dicit: *Desiderium suum iustis dabitur.* Prouerb.10. Petiuit Anna filium, & accepit, modumque addidit, & intentionem rectam, vt lachrymaretur, & fleret amaro animo, & si acciperet, dedicaturam illum Domino repromisit. TROPOL. Cassia.

32 *Flens largiter.* Franciscus Mendoza ibi. §.5. Nota dici hoc loco Annam largiter flere non autem supra n.7. sed tantùm flere; quia vberiores lachrimas in colloquio cum Deo, quàm in iurgio cum æmula profundebat. MORAL. Mendoza. *Lachryma ante Deum vberiores.*

INSTI

INSTITVTIO I.

Moralis.

Vera lachrymæ numquam à diuino conspectu vacuæ redeunt.

Ad illa verba Flens largiter cap. 1. vers. 10.

1 LArgissimus Annæ fletus, prolixi gemitus, exuberantes lachrymæ, ad longam nos, & prolixam gemituum, & lachrymarum collaudationem inuitabant; in quod nos etiam opus sacrarum Scripturarum sanctorúmque interpretum effusæ conclamationes, & elegantes lachrymarum panegyrici pertrahebant: neque exiguum temporis spatium sibi vindicaret dies, & multiplex materia. Cæterum breuitati vt par est consulentes, oportet cuncta perstringere; eámque tantùm lachrymarum laudis partem exornare, quæ absque loci præsentis iniuria prætermitti non posset; Veras videlicet lachrymas nunquam è Dei præsentia tristes ac vacuas, vt dedecet, è conspectu Principis exisse. Cuius testimonium Annæ negotiatio persuadebit.

Lachryma interdum falsæ. Abul. *Lachryma mulieris sæpe falsa.*

2 Veras dixi lachrymas, vt à meo instituto illas arceam, quæ falsæ interdum, & fucatæ, quales plerumque fœmineæ esse solent, quæ abundantes licet, ex sicco pectore, & arenti corde procedunt; vt in præsenti annotauit Abulens. quæst. 12. veras Annæ lachrymas commendans, vt pote ex afflicto corde & amaro animo. *Videbat*, inquit, *Elcana, quòd lachryma Annæ non erant mendaces sicut interdum lachryma fœminea sunt cum nullo dolore. Promptissimum enim est cuicumque fœmina plorare; etiam si nulla causa subsit.* & Euripides. *Mulier ad lachrymas nata est.* Huic fœmineæ leuitati lepidè allusisse videntur, festiui illi Paranymphi, qui cùm ad Christi Domini Sarcophagum, seu manè iam sepulchrum, Mariæ Magdalenæ largissimos fletus, non sine inuidia cótemplarentur, ignorantiam simulantes interrogant. *Mulier quid ploras?* Ioannes 20. Non vocant Mariam, quam satis nomine nouerant, *sed mulierem*, quasi per iocum, & dicterium, vt mulierum in lachrymas inanes promptitudinem carperent, quod argutè annotauit Hieronymus epist. 105. q. 5. *Vt ex eo*, inquit, *quòd appellarunt mulierem arguant frustrà plorantem.* Et Seneca lib. de Tranquillitate animi cap. vltimo. *Plerique lachrymas fundunt, vt ostendant, & toties siccos oculos habent, quoties spectator defuit.* Longe ab hoc ementito lachrymarum genere Annæ lachrymas considera; quæ vt ipsa testatur infra, ver. 15. Effudit animam suam in conspectu Domini. Animam inquam, non inanem tantum humorem; ita vt toto pectore totisque viribus gemitus, ac singultus emittens, quasi colliquatam animam per oculorum fontes profuderit, cui cum Ieremia optimo flendi præceptore, liceat dicere. *Oculus meus depradatus est animam meam.* Threnorum 3. cùm per eos tota cordis atque animi facultas effluxerit, vt exponit Paschasius ibi libro 3. dicens; *Oculus depradari dicitur animam, quando omne affectus doloris, & mœroris effuderit: quando omnem langorem, & ardorem per lachrymas monstrauerit; quando omne, quod in ea est, quasi fluuius de fonte effluxerit.* Hæc ille.

Thren. 3. Paschas. *Anna lachryma vera.*

3 Veri ergo erant Annæ singultus; veræ, & non fucatæ lachrymæ. Restat vt eius exemplo quanta earum vis; quanta penes Deum sit dignitas videamus. Quámque certò quidquid intenderint assequantur. Et quidem Annam in primis lachrymarum præsidio naturam superasse, ac correxisse, eiusque authorem in petitionem suam, ac votum impulisse, sancti annotarunt Patres in præsenti, vt nuper vidimus. Ephren Syrus, *per lachrymas*, inquit, *Anna Samuelem accepit Prophetam.* Rupertus. *Largo fletu matris Samuel comparatur.* Antiochus. *Vbi lachryma, ibi exorabilis Dei clementia.* Chrysost. *Præoccupauerunt linguam lachryma, istis insistere Deum speras.* In quem loquendi modum cæteri Interpretes conspirant.

Ephren Syrus. Rupert. Antioch. Chrys.

Lachryma terrã animo fœcundant.

4 Tertiæ deserræ, & inuiæ, & inaquosæ, per similis Anna fuerat, ex qua nullos vnquam sobolis fructus, pius Elcana speraret; lachrymarum vero quasi cœlestibus imbribus madefacta, vel etiam inebriata, in miram vbertatem erupit; ita vt non solum Samuelem; sed plurium quoque filiorum fructus pareret. Sic vtique rem contemplabatur Chrisolog. ser. 73. *Anna*, inquit, *Sara consterilis lachrymis orationum suarum madefecit aridstatem sui corporis, & natura quandiu fuerat longo vitæ tempore negata posteritas.* Chrisologo consonat Chrysost. hom. 6. in Matthæum sic fatus. *Idcirco sterilitatem eius in fœcunditatem Deus mutauit, & quasi è duro quodam saxo agrum fertilem reddidit.* Et iterum hom. 3. de fide Annæ profusius. *Volo*, ait, *vos ad Annam introducere, atque in pratum virtutum illius inducere sermonem. In pratum, inquam, non quod rosaria profert aut alios flores, qui marcescunt; sed quod deprecationem ac fidem, magnámque tolerantiam; siquidem hæc sunt longe vernio floribus redolentiora, vt quæ non aquarum fontibus, sed lachrymarum imbre rigantur; neque enim perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, vt plantam deprecationis fontes lachrymarum irrigantes, faciunt in summam altitudinem excurrere; quod huic contigit mulieri, simul enim vt locuta est, subuolauit in cœlum eius deprecatio, ac fructum ipsi produxit tempestiuum, sanctum videlicet Samuelem. Hucusque Chrysost.* Lachrymarum ergo cœlestis irrigatio non solùm fœminæ, vt virtutum germina gigneret animum fœcundauit; sed & vt procrearet filios, adaptauit corpus.

Chrisol. Chryst.

5 Annæ forte immemor non erat Psaltes cùm clamabat. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Ps. 142. Arida vtique sordida & sterilis. Quid ergo? Aperiantur fontes abyssi; rumpátur cataractæ cœli; vel planius ac simplicius, oculorum profluant gurgites, irrigéntque sitientem animæ terram, vt flores, fructúsque pariat. Audi Augustin. ser. quodam ad fratres in Eremo. tom. 10. *Fletum imbribus debemus irrigare terram mentis nostræ, vt pariat fructus bonorum operum diuersósque florum virtutum.* Quod vt præstitit Anna, & mentis, & corporis fructus vberrimos, ac pingues generauit. Iterùm Chrys. hom. 4. ad populum Antiochenum. *Non sic*, inquit, *semina delatus imber germinare & crescere facit, vt pietatis semen excitat, & vernare facit ex lachrymis ruens imber.* Petrus denique Celensis, lib. de panibus c. 12. *Cum profusione lachrymarum tota irrigatur conscientia, ligna producuntur, fructum vitæ facientia.*

Ps. 142. Augustin. Chrysost.

Lachryma omnia consequuntur.

6 Ita plane Anna lachrymarum beneficio, quidquid exoptauit obtinuit. Restat, vt videas, & non illi singulariter tam faustè plácitus cessisse industriã; sed pari quoq; benignitate & felicitate cum omnibus iis agi, qui gemitum, ac lachrymarum præsidio se se instruxerint. Quocirca innumera sunt & sacræ Paginæ testimonia, & effusi quoque Patres &

Interpretes. *Ingemuit* Tobias ait Scriptura, *& cepit orare cum lachrymis.* Tob. 3. 2. An votis suis cecidit? Ingemuit quoque Raguel, & exauditam se esse minime dubitauit. *Non dubito*, inquit, *quod preces & lachrymas meas in conspectu suo admiserit.* Ibidem 7. 13. Dei indulgentiam fusis Iudith lachrymis postulauit. Iudith. 8. 14. Nonne quidquid in animo habuit, assecuta est? an verò Ezechias spe sua elusus cùm lachrymas fudit? *Audiui*, ait Deus, *orationem tuam, & vidi lachrymam tuam.* 4. Regum 20. 5. *Facilis Deus*, inquit, Tertullianus libr. 5. contra Marcionem *Ezechiæ fletibus flexit.* Fleuerunt Dauid & Petrus. Vter exauditus non est? Luxit Maria Magdalene, nec alia opus habuit opera; & sexcenta alia. Concludat ergo Chrysostom. *Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non, quod postulauit, acceperit: nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui non impetrarit: Ipse enim est, qui consolatur flentes; dolentes curat; pœnitentes informat.* Quæ eo aperta sunt, vt ne Ethnicorum quidem notitiam, & experientiam effugerint. Athenienses enim Clementiæ aram struentes non victimarum sanguine imbuendam, sed solis lachrymarum imbribus obruendam, & suspiriorum, ignibus struendam iudicarunt atque statuerunt, vt author est Euseb. libr. 12. iis enim potius hostiis Deum promereri sibi persuaserant, ac si credidissent Cassiodoro in Psalmum 38. dicenti. *Violenta sunt in precibus lachryma, & ad clementiam medicinalem animum miserantis adducunt.*

Tob. 3. 2. Ibid. 7. 13. Iudith 8. 14. 4. Reg. 20 5. Tertul. Chrysost. Euseb. Cassiod. *Lachryma præstat alijs bonis operibus.*

7 Mirum quidem est, cum tot Deus clementiæ suæ conciliandæ instrumenta hominibus piissime reliquerit, tantum lachrymas & singultus cæteris cunctis præstitisse, vt non solùm potissimum illæ sint humanarum calamitatũ remedium, sed interdum singulare & vnicum; quo vno deficiente reliqua omnia quasi inania & enervata videantur. Vnde Ioanni Climacho apud Eliam Cretensem, in orationem Nazianzeni de Gorgonia licuit dicere. *Lachryma nisi diuinitus data essent; pauci inuenti essent, qui salutem consequerentur.* Huc quoque referunt aliqui difficilem illum Isaiæ locum, cap. 21. 2. *Ascende, Ælam; Obside Mede: omnem gemitum eius cessare feci.* Qui obscurus satis cùm sit, varias admittit expositiones, nam Septuaginta ita vertunt, vt contrarius Vulgatæ sensus videatur; nempe. *Contra me Ælamita, & Legati Persarum veniunt. Nunc ingemiscam, & consolabor me.* Mirificè tamen in nostrum institutum, vtraque lectio conspirat. Nam si iuxta Septuaginta legamus, sensus erit planus. Audio aduersus me potentes hostes insurgere; nempe Ælamitas & Persas. Restat mihi tamen ad manum certum præsidium, videlicet singultuum, & lachrymarum, quo consolatus incolumitatem, & victoriam sperabo. Fauet hic sensui Hieronym. ibidem tom. 5. in spiritualem intelligentiam ita conuertens. *Ælamita interpretantur, Despicientes; Persæ, Tentantes. Veniant igitur hi, qui despicere solent, contemnere atque tentare: sed ego ingemiscam, & gemitus meus erit mea consolatio.* Ecce aduersus animæ superbissimos hostes nos pro nihilo ducentes, & tentationibus vrgentes, rursum, & singulare præsidium: fleto, ingemisco, lachrymis tanquam duplicibus armis instruere, & minime de victoria desperato. Iuxta Vulgatam verò si legas; ita accipe, vt sensus sit: Inuitari ab irato Deo Ælamitas & Persas in Babylonis perniciem & interitum; quos vt confirmet, & certa prædæ spe ad arma concitet, prius exponit, omni iam præsidio, ac munitione destitutam incursantibus exponi; cùm vnicum illud foret luctus, gemitus, & lachrymarum effusio; quæ cùm Dominus cessasse, & de medio sublata fuisse cõfirmet; certæ & inuitabili ruinæ, atque excidio ciuitas misera obiacebat. Nam licet ieiuniorum, eleemosynarum, & quarumcunque aliarum virtutum præsidiis munirerur, lachrymis deficientibus totum rueret, nec vlla staret peccatrici Reipublicæ spes salutis.

Ioan. Clym. Elias Cret. Isa. 21. 2. Sept. *Lachryma optimũ præsidium.* Hieron.

8 Babylone Niniuem transeamus, cuius Princeps dum Ionæ comminationes percepisset instaréque vrbis fata, non solum ipse ad lachrymas, & pœnitentiam impigrè conuolauit, sed & cuiusuis ætatis & sexus homines ad eandem confugere ieiuniorum, fletuum, ac singultuum arcem præcepit. *Operiantur*, inquit, *saccis homines, & iumenta & clament ad Dominum in fortitudine*; Ionæ 2. 8. Nec infaustè succesit industria. *Et misertus est* Deus *super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Ibidem, v. 9. Ecce pœnitentiæ prærogatiua: Ecce lachrymarum præsidium. Age tamen, & ipsi deinde Domino cum Iona secreto colloquenti admoueamus auditum. Nam cùm mutati consilij, & concessæ vrbi indulgentiæ querulo Prophetæ rationem redderet; sic fatur. *Ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram, & sinistram suam?* Ibid. cap. 3. 11. An, inquit, tot innocentium puerorum & infantium simplicitati ac innocentiæ non attendam? An insontes paruulos cum parentibus supplicio immolnam? Horum quidem causa cum agatur, hæreo, concidit è manibus gladius, friget ad pœnam feruor, nec ad atrox eorum excidium fertur animus. Hæc Deus. ex quibus insurgit difficultas. Fatetur quidem se infantium considerata innocentia, torpere, nec posse se insontium sanguinem fundere; quorum respectu sontibus quoque indulgeri oportere. Contra: Num puerorum & paruulorum modo innocentia creuerat? Num numerus? Minime quidem: at qui cùm prius delendam funditus vrbem Deus statuisset, infantium eorundem causa quoque agebatur. Nec ea tanti apud Deum steterit, vt eorum ratione parentibus, & conciuibus parcendum fore Deus crediderit; quid ergo eisdem manentibus causis, se se Deus eorum innocentia præpediri, & coarctari, ad facinus omittendum fateatur? Recens quidem causa nulla apparet, nisi ipsorum innocentium lachrymæ, singultus & miserabilis eiulatus, quorum virtute in tantum Dei furor constringitur, vt & ipse ad pœnitentiam, & resipiscentiam trahatur velut inuitus; vt videas plus reis ciuibus parnulorum gemitus profuisse, quam innocentiam; maiorisque fuisse emolumenti lachrymas, quam innocuos mores; quæ nisi accessissent, ipsa eriam innocentia locum misericordiæ minime inuenisset. Nunc accipe Ambrosium in caput 3. Ionæ. *Non sufficiebat*, inquit, *ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata parnulorum innocentia deploraret.* Non solitariè innocentia, sed innocentia deplorans: vnæ namque innocentium lachrymæ, diuinæ iræ incendia restinguere potuerunt, de quibus liceat dicere. *Extinxerunt impetum ignis.* Hebræor. 11. 34.

Lachryma Deũ placant. Ionæ 3. 8. Ambr.

9 Nunc luctum & gemitus cum oratione & eleemosyna lubet conferre; vt simul videas has

ab

ab illis non modicam virtutem atque efficaciam mutuare, ipsisque præstantissimum decus, & splendorem acceptum referre. Cui alluſit certe Raphael Angelus sic olim illuminato nuper Tobiæ fatu: *Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem, in domo tua, & nocte sepelisebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Tobiæ 12. 12. expende, & orationem, & misericordiæ opera, eleemosynas, & mortuorum sepelitionem, cum lachrymis allociatas, & exornatas Deo, vt gratissimæ forent, referri oblatas, à quibus decorem acciperent, & dignitatem. *Holocaustum siccum*, ait Gregor. in Psalm. 20. *est bonum opus quod orationis lachryma non infundunt. Holocaustum pingue est, quando hoc, quod benè agitur, corde humili etiam per lachrymas irrigatur.* De oratione, audi Hieronymum in Isaiam dicentem. *Oratio Deum lenit, lachryma cogit; hac ungit; illa pungit.* Hæc duo sunt brachia lachryma, & oratio; Hi validi lacerti, quibus Iacob Deum ipsum in agone superat, & quam expetit, benedictionem extorquet, vt ex Hugone Charensi infra videbimus, num. 15. De eleemosyna vero lege Ecclesiast. 11. 1. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas.* Super qualnam aquas? an in flumen proiiciat cum desperatione prouentus, & vt Hispanicum proloquium fert *Elrio abajo?* Minime quidem, sed super aquas lachrymarum, quæ irrigant paradisum. *Aqua hac paradisum rigat*, ait Petrus Celensis supra relatus. De his enim aquis exponit Catena Græca, dicens. *Cum lachrymis fac eleemosynam omni transeunti.* Et meritò: nam cum illæ sint Deo pergratæ, gratum quoque munus ipsarum sit commendatione, & consortio.

Lachryma orationi & eleemosynæ præstant.

Tob. 12. 12.

Hieron.

Gen. 32. 26. Hugo.

Eccles. 11. 1.

Petr. Cel.

Catena Græca.

10 Nihil igitur non consequitur gemitus: nihil lachrymis imperuium, nihil impenetrabile. Ignea etiam romphea, quæ paradisi foribus viam obstruit, lachrymis cedit, vt aquæ ignis, teste Augustino sermon. 11. ad fratres in eremo. tom. 10. *Paradisum simul lachryma aperit, infernum claudit. O felix tabula! ô vitalis navicula!* Nec extrema hæc est lachrymarum potentia. Ipsas enim sempiternas Erebi flammas, tartareáque incendia, si vel modica attingeret lachrymula, ipsa restingueret, si Chrysologo fides adhibenda, qui sermon. 93. *Quanta*, inquit, *vis est in lachrymis peccatorum. Rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam.* Accedat versio Chaldaica loci illius. Psalmi 83. 6. *Beatus vir cuius est auxilium à te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum.* Quæ verba sic Paraphrastes conuertit apud Genebrardum ibid. *Peccatores, qui transeunt per profundum gehennæ flentes fletu sicut fontem ponent illud.* Quasi diceret. Si damnatis gehennam patientibus darentur lachrymæ, absque dubio non tantùm voraces flammarum globos extinguerent, sed earum beneficio ardentem quoque fornacem in locum irriguum, & amænum, quasi ex perenni fonte conuerterent. Ex quo Hieronymus ad illa verba. Lucæ 16, *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Negat de vero fletu exponenda esse, nec doloris fletum esse, sed fumi vi lachrymas elicitas, & excussas. Hinc etiam lumen datur ad penetrandam Diuitis auari, inter gehennæ incendia, petitionis naturam, cùm ad Abraham conuersus orat, vt Lazarum sibi remittat, *vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Lucæ. 16. 24. Quanta enim est aquæ guttula, tot flammarum vorticibus, tot rogorum incendiis? Hæccine refrigerabit linquam, quam totus tartarus adurit? Vtique quidem si stilla sit aquæ lachrymarum, quam enixè ille optabat & deposcebat in cassum. Sic saltem meditabatur Bernard. ser. in illud Iob. 5. *In sex tribulationibus.* dicens. *Vtinam nunc quis daret capiti meo aquæ. Ideoque forte huius aqua guttam ad restinguendam flammam postulauit in flammis Diues auarus.* Fauet huic existimationi; inopes, qui linteolis non abundant, Lachrymas solere digitorum extremitatibus abstergere. Iis igitur digitorum extremitatibus, quibus sæpe Lazarus ærumnis & egestate pressus ad lachrymarum tersionem vsus fuerat, impœnitens Diues inhiabat; nam lachrymas ad suâ prorsus conducere salutem, & ad beatitudinem vnicè spectare iam nouerat; Nec tantum beneficas pauperis manus exposcebat, quam digitos Crystallino sæpe Lachrymarum humore madentes, nectare Angelorum intinctos. Vnde mirari desino Petri Celensis exaggerationem libr. de panibus capit. 12. dicentis. *Suam tolerabilius Diabolus sustinet flammam, quàm lachrymam nostram: acriúsque contriti cordis lachryma, quam flamma infernalis incendij torquetur.* Ratio est, quia si lachrymæ damnatis concederentur, solueretur tartarus; rueret totum Dæmonis imperium. Damnati quoque in beatos earum beneficio repente transirent. De hac vtique aqua loquebatur S. Maximus hom. 2. de eleemosyna, cùm rogitat. *Qua est illa aqua, qua consumit flammas, neque ipsa consumitur à peccatoribus; sed gehennæ consumit incendia?*

Luc. 16. 24.

Bernard.

Petr. Cel. *Lachryma diabolum torquent.*

Maxim.

Lachryma gehennam extinguerit.

Augustin.

11 Alia quoque est lachrymarum dignitas, alia luctus prærogatiua, vt ipsæ solitariæ, ac tacitæ lachrymæ, nulla sermonis voce, nullo sono, aut spiritu animatæ, efficaciter clament, efficacissimè negotientur, vt in ipsius Annæ luctu videre licet, de qua Chrysostomus hom. 24. in epistolam ad Ephesios. *Linguam*, inquit, *præcurrebant lachryma.* Neque enim linguæ, vel loquacibus saltem nutibus lachrymæ carent. Sed *Interdum lachryma pondera vocis habent.* Et Author Glossæ Interlin. in caput 7. Iudith 18. *fusis lachrymis postulemus, qua pondera vocis habent. Quæ impetrant, non supplicant.* Ambros. verò libr. 10. in Lucam. *Lauant lachryma delictum, quod voce, pudor est confiteri, & veniæ fletus consuluns & verecundiæ. Lachryma sine horrore culpam loquuntur: lachryma crimen sine offensione verecundiæ confitentur: lachryma veniam non postulant, & merentur.* Hæc ille, Augustinus libro meditationum, capit. 36. tomo 9. *Ipsa quoque lachryma tuum in me testantur amorem: ipsa prodant, ipsa loquantur, quantum te dilexit anima mea.* Hieronymus Threnorum 2. *Quando cum gemitibus Dominum deprecamur, sic quando ad eum lachrymas fundimus, eo tempore pupilla oculi mei clamat ad Dominum.* Chrysostomus denique homilia 6. in Mathæum de Anna locutus. *Labia eius mouebantur, vox autem eius non audiebatur. Sola quidem lachryma emittebant vocem ad Dominum omni buccina clariorem.* Hinc Petrus post negationem fleuisse dicitur, non orasse, aut veniam petiuisse; vocis tamen vices fletus egit, vt ponderat

Lachryma voces habet.

Chrysost.

Ouid. Interlin.

Ambros.

Aug.

Hieron.

Chrysost.

Petrum luxit, non clamauit.

Maximus. S. Maximus hom. 3. de Petri negatione, quæ & Ambrosio tribuitur, in hæc verba. *Inuenio quod fleuerit, non inuenio quid dixerit. Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego, quia quod fieri solet, non solet excusari, & quod defendi non potest, ablui potest, lauat enim lachryma delictum, quod est pudor confiteri: lachryma verecundiæ pariter consulunt, & salutis. Neque enim lachryma erubescunt impetrando, & impetrant in rogando: veniam non postulant, & merentur.* Et Ambros. ser. 46. de Pœnitentia Petri. *Lachryma, tacita quodam modo preces sunt. Veniam non postulant, & merentur: causam non dicunt & misericordiam consequuntur.* Vnde vulgaris est hæc phrasis in Scriptura. *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei*, Psal. 6. 9. *Auribus percipe lachrymas meas* Psal. 38. 9. Cùm ad oculos potius spectantium lachrymæ pertinere videantur. *Nec taceat pupilla oculi tui* Threnor. 2. 18. Imò iuxta Maximum, *visiores lachrymarum sunt quam sermonum, voces, quia sermo in precando fortè fallit, lachryma omninò non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, lachryma semper totum prodit affectum.* Præstant igitur Orationi, ac precibus lachrymæ, quæ tacitæ, ac solitariæ facundæ sunt, rogant, obtinent, persuadent.

Ambros. Pf. 6. 9. Pf. 38. 9. Threnor. 2. 18. Maximus.

Lachryma vinum sunt Angelorum & Dei.

12 Inquiris tandem causas ptopter quas tantum Deus cedat lachrymis, flectatur luctu, gemitibus placetur, qui ieiunia interdum reiicit, despicit sacrificia, preces & orationes non exaudit? Cuius quidem duplex est ratio: altera, quia ea est lachrymis vis, quæ vino; vt instar nimio bibentis, capiant sensus, opprimant potentias, mentem alienent, atque ita extrahant; vt non mens, non animus, sed lachrymæ ipsum animum possidentes operentur. Alia ratio est, quam supra tradidit Hieronimus, & ex eo Interli. Iob 3. *Oratio Deum lenit, lachryma cogit: hæc vngit, illa pungit*, ita vt Deum quoque quasi renuentem cogat, & ad vota tandem pertrahat.

Bernard. Eccl. 20. 4. Luc. 15. 7. Circa priorem audiendus est Bernardus serm. 30. in Cantica, vbi sic habet. *Lachryma pœnitentium, vinum sunt Angelorum, quia in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ.* Hæc ille. Nec immeritò, quia si vinum lætificat cor hominis, Ecclesiastici 20. 4. Lachryma exhilarat mentes Angelorum. *Gaudium enim est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Lucæ 15. 7. Sed certè parùm diximus, cùm non solùm lachrymæ vinum Angelorum dici possint, sed & ipsius quoque Dei, quo oblectatur, & quasi inebriatur, vt Noë. Hoc ne mirum fortè, & temerarie dictum videatur, notare oportet verba illa Psalmi 55. 9. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Vbi Septuaginta in Complutensi & Regia ita legerunt. *Tu pone lachrymam meam in vtre tuo.* Consonat Tigurina. *Lachrymas meas repone in lagunculam tuam*, est autem laguncula vasculum vitreum, vel fictile, quo interdum apud lautè viuentes, vel bibentes, pretiosius vinum asseruatur, Hispanicè, *Botisa* vel *Garrafa*. Quod etiam innuit. *In vtre tuo.* Quasi ad tuam ipsius specialem oblectationem, & voluptatem: vt sua paraphrasi exposuit Agellius ibi. *Oro*, inquit, *vt lachrymas meas temere fundi, ac perire non sinas, sed eas per stillas quasdam modo collectas in vtre tuo condas, & in rationibus tuis digestis earum numerum habeas.* Suspicor autem in his ad id genus vini pretiosissimum alludi, quod lachrymæ vinum vulgo vocant, quod ex vuis nondum prælo compressis, sed suo pondere, & quasi sponte guttatim stillat, & sensim liquefit, quoad lauta quæque conuiuia, & Procerum mensas, est vsus. Vinum ergo lachrymæ diuino calici, & oblectationi summa solicitudine asseruari Prophera curat, & postulat, vt qui Dei gustum optime nouerat, sciebátque lachrymarum liquorem non Angelis modò, sed Angelorum quoque Domino metum esse summæ voluptatis, cui nullum aliud genus, nec Græcum, nec Phalernum conferri possit. Hinc idem Psaltes. *Calix*, inquit, *meus inebrians quam præclarus est?* Psal. 22. 5. Vbi August. lib. Meditationum cap. 36. tom. 9. legit. *Calix tuus*, & de lachrymarum accipit poculo, per hæc piissima & deuotissima verba Deum allocutus. *Da mihi gratiam lachrymarum benedicte & amabilis Deus precipue ex multa dulcedine amoris tui, & commemoratione misericordiarum tuarum. Prepara hanc mensam famulo tuo, in conspectu tuo, & da mihi eam in potestatem, vt quoties volo satier ex ea. Tribue pro pietate, & bonitate tua, vt iste calix tuus, & inebrians & præclarus saties sitim meam.* Hæc August. Quod si legas. *Calix tuus*, potes de calice Dei quasi passiuè accipere quo scilicet iucundatur Deus. Si *meus*, idem est sensus, quasi dicat. Calix lachrymarum mearum, quam præclarus est; quam Deo gratus, & acceptus! Insuper inebrians est, eo enim Deus quasi ebrius, iucundus, hilaris, ac lætus redditur, mihique quidquid expecto lubens concedit: nec iam peccata mea cogitat, nec reseruat iram.

Pf. 22. 5. August. *Lachryma Deum inebriant.*

Hieron. 13 Posterior ratio ob quam tanta est ad Deum compellendum lachrymarum virtus; vt quasi renuentem Deum cogat, & constringat, vt supra aibat Hieronymus, ea videlicet est, quòd lachrymis vis quædam innata est, cui resisti minime possit. *Oratio Deum lenit, lachryma cogit: hæc vngit, illa pungit.* Pungit, inquam; nam lachrymæ sagittæ quædam sunt aqueæ, quæ violentam Deo plagam infligunt. Sic enim eas vocat Clemens Alex. in exhortator. ad Gentes circa finem. *Confligamus*, inquit, *instructa acie aduersus Malum. Ignita Mali iacula extinguamus aqueis à verbo tinctis cuspidibus. Aqueis*, ait, *à verbo tinctis cuspidibus*, cuspides enim aqueæ sunt lachrymæ, quas Verbi diuini quasi eleboro tinginus, vt solent venatores iacula veneno medicari, vt insanabile sit vulnus. Hoc Dei pectori validè inferimus, cùm ploramus: hoc eum immedicabiliter saucia-mus: cuius quidem vulneris ille conqueritur, cùm ad sponsam fatus clamat. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum* Canticorum 4. 9. *In vno* inquit *oculorum tuorum.* Subintellige munere: duo enim sunt oculorum munia; alterum videre, alterum flere. In vno igitur istorum nempe in munere flendi & lachrymas fundendi, se se Deus in medio cordis vulneratum causatur: nullum enim adeò violentum est vulnus. Vnde Ambros. serm. 15. *Cogimus*, inquit, *regnum cœlorum, & vim quodammodo facimus non compellendo sed flendo: non prouocando iniuriis, sed lachrymis exorando.*

Clemens Alex. *Lachryma sagitta sunt veneno medicata.* Cant. 4. 9. *Lachryma cor Dei feriunt.* Amb.

14 Nec sagittæ solum lachrymæ sunt, sed & arcus quoque, quo sagittæ iaciuntur, quod suadet Dauidis authoritas Saulis & Ionathæ neces amarè deplorantis 2. Reg. 1. 17. nam cum pio muneri satisfaceret: *præcepit vt docerent filios Iuda arcum.* Verba quidem obscura satis; iussio vt videtur parùm ad rem pertinens. Quorsum enim cùm de luctibus, & lamentatione res esset, artem sagittandi, vt filios Iudæ doceant pius fatagit Rex? quid arcus cum luctu,

Lachryma sunt arcus ad sagittandum Deum. 2. Reg. 1. 17.

Agellius. *Deus lachrymas sibi seruat in vtre, seu phiala.*

luctu,& lachrymarum effusione ? quò hæc animo? quo consilio : sed facilis solutio est, si cum aliquibus legas, pro *arcu*, *planctum*, in hunc modum. Præcepit, vt docerent filios Iudæ *planctum*, hoc est, plangendi artem,& solemnem flendi ritum. Abul. ibi quæst. 12. *In quibusdam libris nostris habetur. Præcepit, vt erudirent filios Iudæ planctum.* Vbi videas arcum, & luctum promiscuè, & pro eodem vsurpari ; nec immerito ; sunt enim lachrymæ non modo sagittæ ; sed & validissimus, calybæúsque ad sagittandum arcus, quo Dei pectus sauciamus in vno oculorum officio, nempe flendi & lachrymas emittendi. Optimo ergo iure Cassiodorus supra. *Violenta sunt in precibus lachryma.*

Abul.

Cassiod.

Lachryma sunt brachia, & lacerti animi.

15 Neque his tamen conquiescit animus, sed & brachiorum etiam munus lachrymas sortiri, probare intendero, quibus distenditur arcus, & proiiciuntur aqueæ hæ, violentæque cuspides lachrymarum. Huc refero Iacobi historiam cum Deo per preces & lachrymas colluctantis, atque etiam prævalentis, de quo Osee 12.3. *Directus est cum Angelo & inualuit ad Angelum, & confortatus est: Flenit & rogauit eũ.* Qua rogo fortitudine? quibus brachiis? quibus lacertis directus est ad Angelũ Angelorum Domini personã agentẽ, & inualuit? *Flenit*, inquit, *& rogauit eum.* Ecce brachia, ecce validissimi lacerti, quibus Deum ipsum edomuit. Accipe Hugonem de S. Charo in Postilla 1. Regum 10. *Hæc sunt duo brachia, videlicet oratio, & lachryma, quibus Iacob luctatus est cum Deo.* Vnde Osee 12. *Directus est Iacob, &c.* O robustissimæ lachrymarum vires ! O validi lacerti ! O inuincibilis potentia ! *O lachryma humilis*, concludat Laurentius Iustinianus lib. de ligno vitæ cap. 9. *Tua est potentia, tuum est regnum. Tribunal Iudicis non vereris : inimicorum tuorum accusationibus silentium imponis. Non est qui te ad Deum accedere vetet. Si sola intres, vacua non redibis. Quid plura ? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem.*

Osee 12.3.

Iacob lachrymis Deum superauit.

Hugo.

Lachryma Deum vincunt.

Laur. Iustin.

16 Magna quidem, & diuina prorsus, quæ hucusque de lachrymarum dignitate & potentia diximus : restat tamen maximum earum encomium, & vt Colophonem insuper addamus ; tanti videlicet eas esse valoris, ac pretij, vt Christus Dominus sanguini quoque suo superaddendas, ad humani generis redemptionem, & patris iram emolliendam, duxerit ; & qui diuino cruòri satis fiderat ad perficiendum redemptionis opus, lachrymarum tamen virtutem, atque efficaciam adiunxerit. Quocirca Paulus annotauit ad Hebræos 5. 7. cum clamore valido & lachrymis se se Deo patri pro nobis obtulisse, & exorasse. *Qui in diebus*, inquit, *carnis suæ preces supplicationésque ad Deum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens.* Vbi de passione, instanti iam mortis articulo, sermonem esse suadet clamor ille, quo quasi de deferente se patre conquestus est; vel quo animam exhalauit. Vt videas iuxta sanguinem etiam, & mortem Christi lachrymarum quoque lucere dignitatem, nec earum fulgore offuscari. Hinc Augustinus sermon. 11. ad Fratres in Eremo tom. 10. Passionis Christi vicarias lachrymas appellat. Ibi : *O lachryma ! tu contra ruinas hominum suaue solatium, quia passionis Christi es vicaria.* Et Ambrosius lib. 6. in Lucam. *Bona lachryma in quibus est redemptio peccatorum.* Nec mirum id cum lachrymæ quoque sanguis sint, teste Niceno orat. funebri de Placilla, ibi. *Dolor in corde delitescens per fletus, & lamentationes significatur ac vulnerum animi tanquam sanguis lachryma sunt.* Idem etiam principium habent, ac sanguis defœcatissimus, videlicet cor ; eundémque sortiuntur locum, quia, *non est aliud lachryma, quam aquosus humor ab oculis profluens ex imo corde.* Verba sunt Cœlij Rodiginij lib. 12. Lectionum Antiquarum cap. 3. Vnde ex Christi Domini corde, lanceæ mucronẽ scisso vnà prodierunt sanguis, & aqua; hanc verò lachrymas figuralle author est Chrysost. dicens. *Aqua lachrymas obumbrat, qua non præcedit sanguinem in latere Christi, quia nec & in æstimatione.* Hæc Chrysost. Ne tantam lachrymarum dignitatem crederes, vt sanguini quoque præponeres. Decedit quidem cruori pro Deo effuso lachryma pro ipso diffusa; vtrumque magnum, & alterius consortio quasi dignius ac pulchrius in Dei conspectu redditur. Vnde Chrysost. hom. 2. in Psalm. 50. lachrymas cum martyrio comparare non veretur, dicens: *Grandis lachrymarum virtus. Dicam tibi quid valeant lachryma : attende diligentius. Quid martyribus manus, qui animam ponunt pro amico suo ; grandis gloria martyrum : martyres effundunt sanguinem : peccatores effundunt lachrymas. Meretrix non fudit sanguinem, sed fontes lachrymarum profudit, & deleuit peccata sua.* Ecce qualis lachrymarum prærogatiua ; quantum meritum, cuius quidem prælagus fuisse videtur Rachelis animus, dum filios pro Christo ab Herode impiissimo tyranno iugulatos offerret ; innocuo enim eorum sanguini suarum lachrymarum aquam admiscuit; *vox in Rama audita est ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos.* Matthæi 2. 18. vt quos effusus pro Christo cruor glorioſos effecerat martyres, matris quoque lachrymæ decorarent, & quasi pœnitentes redderet Deo quidem ex duplicis sanguinis commendatione gratissimos, ita meditabatur Ambros. epist. 39. in lib. 6. tom. 5. sic fatus. *Rachel plorauit filios, vt lachrymis ablutos suis pro Christo offerret infantulos.* Totum denique institutum confirmet Hieron. epistol. 83. & martyrio, & Baptismo lacrymas conferens, & vtriusque illas habere virtutem. *In Chanaa*, inquit, *conuertit Christus aquam in vinum; in morte effluxit aqua, vt significaret virtutem abluendi sacri Baptismi, & Martyrij, quorum virtutem concessit aquis lachrymarum.* O eximium lachrymarum præconium ! mira dignitas ! inæstimabile meritum! insignis prærogatiua ! Plura de lachrymarum dignitate recentiores, præsertim Andreas noster Pintus lib. 3. in Cant. cap. 7. vers. 4. §. 2.

Lachryma prodeunt à cerae.

Rodig.

Lachryma ex pectore christi.

Chrysost.

Idem.

Lachryma martyrio comparantur.

Lachryma innocentes pueros decorant.

Matth. 2. 18.

Ambr.

Lachryma Baptismo & martyrio comparantur.

Hieron.

Pintus.

Hebr. 5. 7.

Christus suo sanguini lachrymas addidit.

Augustin.

Lachryma passionis Christi vicaria & corredemptrices.

Amor.

Lachryma, sanguis animæ.

Nissen.

VERSVS XI.

VVlgata. Et votum vouit dicens. Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius.

Vulgata.

Benedictina in margine. Seruæ tuæ semen virile, *vel* prolem masculam.

Benedict.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnino. Et vouit votum, & ait: Domine exercituum, si videndo videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus fueris mei, & non oblitus fueris ancillæ tuæ, dederisque famulæ tuæ semen virorum, & dabo illud Domino omnibus diebus vitæ eius: & nouacula non ascendet super caput eius.

Pagn.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Votum deinde vouit dicens: Domine exercituũ, si respexeris afflictionem ancillæ tuæ, & recordatus fueris meî, nec fueris oblitus ancillæ tuæ; sed dederis ancillæ tuæ filium, dedicabo eum Domino cunctis diebus vitæ suæ, neque nouacula admouebitur capiti eius.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Arias. in Regia.* Et iurauit iuramentum, & dixit: Domine exercituum, si reuelari reuelabitur ante te humilitas ancillæ tuæ, & intrabit memoria mei ante te, & non elongabis ancillam tuam, & dabis ancillæ tuæ filium in medio filiorum hominis: & tradam eum, quod erit ministrans ante Dominum omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non erit super illum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et vouit votum dicens: Domine Sabaoth, si respiciens videris in humilitatem famulæ tuæ, & recordatus fueris mei, & non oblitus fueris ancillæ tuæ, & dederis seruæ tuæ semen viri, & dabo eum coram te datum vsque ad diem mortis eius, & ferrum non ascendet super caput eius.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et vouit votum Domino dicens: Adonai Domine Eloë Sabaoth, si respiciens respexeris super humiliationem seruæ tuæ, & recordatus fueris mei, & dederis seruæ tuæ semen virorum, & dabo eum coram te, datum vsque ad diem mortis eius, & vinum, & inebriamentum non bibet, & ferrum non ascendet super caput eius.

Vatab. *Chaldaica apud Vatab. in Scholiis.* Semen inter filios hominum. Et terror non ascendet super eum.

Basil. *Basilius orat. 2. de ieiunio.* Adonai Domine Deus omnipotens, si respiciens respexeris ad ancillam tuam, dederisque mihi prolem masculinam, dabo illam in conspectu tuo donum. Vinum, & siceram non bibet vsque ad diem obitus sui.

Chrysost. *Chrysost. hom. de fide Annæ tom. 1.* Adonai Domine Eloi Sabaoth, si respiciens respexeris ad humilitatem ancillæ tuæ, meique memor fueris, nec oblitus ancillæ tuæ dederisque ancillæ tuæ prolem masculam; offeram illam dono in conspectu tuo, vsque ad diem mortis ipsius: vinum & quicquid inebriat non bibet, & ferrum non ascendet super caput eius.

Idem. *Idem hom. 23. in epistol. ad Ephesios, tom....* Si audiendo audieris deprecationem Ancillæ tuæ, & dederis mihi filium dabo illum donum Domino omni tempore *hom. 79. ad populum Anthioc. tom. 5. etiam variat.*

PP. ET AVCTORES.

Moral. Tertull. *Abstinentia vini.* 1 *Et votum vouit.* Tertull. lib. de ieiuniis. Habet & abstinentia vini suos titulos quæ & Samuelem Deo vouerat, & Aaronem consecrarat, nam de Samuele mater, *& vinum*, inquit, *& ebriamen non bibet*, talis enim & ipsa Deum orabat.

Moral. Philo. *Samuelis abstinentia.* 2 *Vt votum vouit.* Philo Iudæus lib. de Temulentia. Samuël Regum Prophetarumque maximus, vinum atque id, quod epotum inebriat sicut sacra eloquia testantur ad extremum vsque diem non bibit.

Histor. August. 3 *Et votum vouit.* August. in Psalm. 98. tom. 8. Mater Samuelis sterilis fuit: volens habere filium orauit ad Dominum cum gemitu magno, & petens, vt daret ei Deus filium, ostendit quia non carnaliter habere voluit, quem natum illi dedit, qui eum esse voluit, vouit enim cum Domino Deo, & ait; *si mihi masculus natus fuerit, tempto tuo seruiet*; & ita fuit.

Histor. Prosper. 4 *Et votum vouit.* Prosper Achitan. lib. de Promissionibus part. 2. cap. 24. Anna vxor Elcanæ, quæ sterilis fuit votum vouit Deo; si ei daret filium, eum ab infantia vsque ad senium futurum in domo Domini. Datus atque ex ea natus est Samuël quem ablactatum vt promiserat reddidit Domino.

Moral. Paulin. 5 *Et votum vouit.* Paulinus Nolanus epist. 10. Seuero rom. 5. Bib. PP. imitata est (*Melanea*) conditione qua potuit Annæ sterilis fidele votum, nam & istam damnosa fœcunditas sterili proximam fecerat, & talis effici post euacuatam fœcunditatem timens, qualis illa fuerat ante promeritam fœcunditatem; diuersum Deo munus simili dicauit affectu: ista de parto pignore; illa de concipiendo sollicita.

Moral. Nazianz. 6 *Et votum vouit.* Nazianzenus orat. 3. in Sanctum Lauacrum. Anna prius quàm natus esset Samuël, illum Deo vouit, natúmque confestim sacris initiat, ac in sacra educat stola, non humana formidans, sed Deo credens.

Mystic. Damasc. 7 *Et votum vouit.* Ioannes Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 15. Quemadmodum prisca illa Anna, cùm sterilitatis morbo laboraret, per orationem, ac promissionem Samuëlem procreauit, eo modo hæc etiam (*Anna Maria mater*) per obsecrationem, & promissionem Dei genitricem à Deo accepit.

Mystic. Beda. 8 *Et votum vouit.* Beda lib. 1. expositionis All. cap. 1. vouit Ecclesia, si nationibus verbum comitatur, & fidei gratia tribuatur, populúsque ex eis fortis virtutibus oriatur; seruiturum hunc Domino vsque ad tempora gentium impleta.

Moral. Angelom. 9 *Et votum vouit.* Angelomus in Strom. Recordabatur forsan verborum beati Iob, quibus dixit. *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, inuocabit Dominum, & exaudiet eum*, quia ipse laborem, & dolorem suorum considerat. De quo scriptum est. *Tibi Domine derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor*; Cui vota iustorum sunt placabilia, & oculi eius ad preces eorum.

Litter. Abul. 10 *Et votum vouit.* Abul. ibi q. 22. Habuit causam rationabilem Anna ad vouendum, quia ipsa nondum habebat filium, & naturaliter videbatur sibi impossibile. Si autem daretur illi, hoc esset per preces eius; ideò tunc magis pertineret filius ad eam, quam ad patrem suum: ideò rationabile erat vt ipsa posset vouere illum. Nec tamen hæc solùm fecit, sed etiam Elcana pater Samuëlis consensit voto Annæ, & ipse nouiter vouit.

Moral. Sanctius. 11 *Et votum vouit.* Gaspar Sanctius ibi n. 39. Magnum orationi suæ pondus addiderat Anna, dum ad preces addit lachrymas: sed addit multò grauius, dum non tam orat, quod suo, quàm quod ipsius Dei futurum sit vsui.

Litter. Chrysost. 12 *Domine exercituum.* Chrysost. hom. 23. in epistolam ad Ephesios tom. 4. *Adonai Domine Eloi Sabaoth.* Hoc verò est, si interpreteris; *Domine Deus virtutum.*

Moral. Idem. 13 *Domine exercituum, &c.* Idem homil. 79. ad populum Anthioc. tom. 5. Qualis hæc verborum multitudo? Verumtamen quia cum attentione, & solertia fecit hanc orationem, quæcunque volebat expediuit, & deficientem correxit naturam, & matricem conclusam aperuit, seque multam induxit in fiduciam, ex sterili femine fœcundam metens segetem.

Moral. Idem. 14 *Domine exercituum, &c.* Idem in Psalm. 129. Audi quomodo Anna orabat de profundis. Huiusmodi

intinodi fontis aquarum, emittebat; quomodo per orationem euehebatur in sublime.

HISTOR. Philo.

15 *Domine exercituum.* Pseudophilo in antiq. Bibl. Nonne tu Domine speculatus es cor omnium generationum, antequam plasmares sæculum? Quæ autem vulua aperta nascitur aut quæ clausa moritur nisi volueris? Et nunc ascendat oratio mea in conspectu tuo hodie, ne descendam inde vacua, quoniam tu scis cor meum, quomodo ambulaui in conspectu tuo ex die iuuentutis meæ.

LITER. Abul. Rabbi Salomon. *Rabbinorum ineptiæ.*

16 *Si respiciens videris.* Abul. ibi. quæst. 12. Rabbi Salomon dicit. *Si respiciens videris.* Idest, etiam si nolueris respicere, respicies, quia si nolueris respicere votum meum, ego simulabo amorem cum aliquo viro, ita quod vir meus, hæc sciens concipiat spiritum zelotypiæ, atque coget me subire purgationem aquæ amarissimæ, & tunc, quia innocens ero, dabis mihi necessariò filios, promisisti enim quòd mulier, hoc subiens, si esset innoxia faceret prolem, & gigneret multos liberos; de quo num. 5. Sed hoc nihil est; quia non intendebat hoc Anna.

LITER. Carthus.

17 *Si respiciens videris afflictionem.* Carthus. ibi art. 1. Id est si pietatis tuæ affectu alleuiaueris cordis mei mœrorem misericorditer succurrendo.

LITER. Varab.

18 *Si respiciens videris.* Varab. in Scholiis. Hebraismus, *videndo videris*, idest, si dignatus fueris contemplari.

LITER. Marian.

19 *Si respiciens videris.* Ioannes Mariana in Scholiis. Hebræi putant Annam primùm omnium, Deum sic compellasse: *Domine exercituum*: nam & si superiùs vers. 3. legitur; scriptor id posuit, qui postmodum fuit. *Si respiciens videris*: geminatio ad maiorem asseuerationem spectat.

LITER. Mendoza. *Oculi Dei benefici.* Gen. 4. Exod. 33.

20 *Si respiciens videris.* Franciscus Mendoza ibi §. 4. Sensus est. Si benevole respiciens afflictionem meam me ab illa liberaueris; nam respicere Dei fauor est, ac benefacere: Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel.* Exod. 33. *Respice populum tuum, gentem hanc.*

LITER. Carthus.

21 *Et recordatus mei fueris.* Carthus. ibi art. 1. Idest per piam exauditionem ostenderis, te esse memorem mei.

LITER. Charen.

22 *Et recordatus mei fueris.* Hugo Charen. in Postilla. Deus oblitus dicitur esse alicuius; cùm eum tribulationi exponit, nec liberat rogantem; cùm autem liberat, tunc dicitur recordari.

MORAL. Author Catenæ. *Seruitus Dei gloriosa.* Ps. 115. *Anna præfertur Dauidi & Abrahamo.* Chrysost.

23 *Nec oblitus ancillæ tuæ.* Author Catenæ. O quam est seruitus Dei gloriosa! regnare vtique est. Semel & iterum ex ea se se iactat magnus ille Rex. Psalm. 115. *O Domine, quia ego seruus tuus: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Cedat tamen vir fœminæ hæc enim non bis, sed ter ancillæ cognomento gloriatur. Eidem etiam ex Chrysostomi sententia cesserit Abrahæ erga Deum pietas, quandoquidem ille ex diuino imperio filium obtulit: hæc ex vna studiosæ mentis deuotione sacrauit.

MYSTIC. Ambros. *Anna Christum exoptabat.*

24 *Dederisque seruæ tuæ sexum virilem.* Ambros. serm. 17. in Psalm. 118. Tacita clamabat, & interiori voce piæ mentis excitabat IESVM.

MYSTIC. Gregor. *Viri ne molliscant.*

25 *Sexum virilem.* Greg. lib. 1. variarum ep. 1. Quid est quod Anna virilem sexum à Domino postulat, nisi quia eos, quos Sancta Ecclesia parere prædicando appetit, Euangelica perfectione fortes esse concupiscit? Anna igitur dum virilem sexum sibi dari postulat à Domino, quid aliud expetere cernitur, nisi tales per Euangelium gignere, qui fortes appareant, & exteriori munditia corporis, & interna charitate.

MORAL.

26 *Sexum virilem.* Theophil. Alex. epist. 2. Paschali cõtra Origenem. Culpæ subiacet Anna vxor Elcanæ semen virorum postulans, vt propter desiderium mulierculæ animæ in cœlis periclitentur, & vna earum peccato graui labatur in certam, ac pristinam beatitudinem deferat? *confutat errorem ab inconuenienti.* Theophil. Alex. *Beneficia sine alterutrum.* *Error Origenistarum explodituri.*

27 *Sexum virilem.* Abul. ibi. q. 14. Petiuit masculum quia vouit eum stare Domino ad ministrandum coram eo. Ad hoc tamen filia inepta erat, quia nulla fœmina poterat ministrare coram Domino. LITER. Abul.

28 *Sexum virilem.* Hugo Charen. in Postilla. Ecce opus virile; debet enim opus Dei esse virile, vt non fiat negligenter. Ier. 48. *Maledictus qui opus Dei negligenter facit.* MORAL. Charen. Ier. 48. *Opus Dei non negligenter.*

29 *Sexum virilem.* Gaspar Sanctius ibi n. 40. Nullus hic de fœminea sobole sermo, vel oratio; non quia talem Anna non admitteret, cùm vehementer horreret infœcundæ nomen, sed quia de voto, & consecratione fœtus cogitabat: fœmina autem apta non erat templi ministerio. LITER. Sanctius. *Anna cur marem petiit.*

Sexum virilem. Author Catenæ. Filium non filiam expetit, non quòd eum vellet ministerio Tabernaculi dicare, vt volunt Abul. & Sanctius, quia votum dedicationis potiùs erat medium, quo diuinam pietatem sollicitaret ad largitionem filij, quàm finis obtenti, & iam possessi. Masculum tamen exoptat. 1. quia origo, & familiæ decus per mares propagabatur, non autem per fœminas. Secundò, quia matres ardentiùs amant masculos, vt experientia discimus. Tertiò quia perfectiores sunt viri, quàm fœminæ, doni autem excellentia, piæque petitionis audacia non leuiter diuinam sollicitat magnanimitatem, cui petentis pusillitas, & manca fides obsistit. LITER. Author Catenæ. Abul. Sanctius. *Anna cur marem exoptat.*

31 *Dabo eum Domino.* Cyrillus Alex. lib. 11. in Leuiticum. Sed & alium considera, qui se ita vouit Deo sicut Anna fecit Samuëlem; ante enim quam nasceretur, obtulit eum dicens: *& dabo eum Domino datum omnibus diebus vitæ suæ.* MORAL. Cyrill. Alex.

32 *Dabo eum Domino.* Nazianz. orat. 20. in laudem Basil. Samuël ante natiuitatem donatus, & post natiuitatem confestim sacer. Quid Basilius: nonne ab infantia, & ab ipsa matrice Deo consecratus? MORAL. Nazianz. *Basilij laus.*

33 *Dabo eum Domino.* Hieronymus epist. 4. ad Rusticum monachum, Anna Samuëlem non sibi, sed Tabernaculo genuit. MORAL. Hieron.

34 *Dabo eum Domino.* Gregor. 1. variarum c. 1. Domino filium dat, qui de eo, quem prædicando gignit aliquid suis laudibus non vsurpat. MORAL. Gregor.

35 *Dabo eum Domino.* Idem ibid. cap. 2. Natum filium omnipotenti Deo vouet, qui gaudium contemplationis ad fructum mentis expetit; non ad fauorem vanitatis. MORAL. Idem.

36 *Dabo eum Domino.* Gregor. Presbyter in vita Nazianzeni Deo ante conceptionem (ô fidem incredibilem! ô prædicandum animi feruorem!) se filium oblaturam (*Nazianzeni mater*) spondet, quemadmodum Anna Samuëlem. MORAL. Gregor. Presbyter.

37 *Dabo eum Domino.* Abul. ibi, q. 21. Sciendum est, quòd, cùm votum consistat in spontanea promissione facta Deo de rebus nostris, quilibet potest tantùm vouere de re, quantum ad eum pertinet: filius autem ex aliqua parte pertinet ad parentes, & ex aliqua est sui iuris: in quantum enim filij sunt paruuli pertinent ad iura parentum, cùm sunt quædam pars ipsorum, iuxta Arist. Ethic. 6. scilicet *filius est, quædam pars patris, donec sit pelicon*, idest, emancipatus, vel magnus. Cùm autem filij efficiuntur magni, perueniunt ad iura sua; ideo patres non possunt de ipsis quicquam disponere. LITER. Abul. THEOL. *Votum ex proprijs.* *Filij pars parentum.* Arist.

38 *Dabo*

LITERAL. Mendoza. *Sacerdos dominus dicitur.*

38 *Dabo eum Domino.* Franciscus Mendoza ibi num.7. Domino dixit, pro tibi, more Hebræorum, qui nominibus loco pronominum vtuntur. Nisi quis dicat sumi *Dominum* pro summo Sacerdote Heli, sicut paulo inferius num.23. verbum Domini sumitur pro verbo Sacerdotis.

TEOLOG. Author *Voti materia.*

39 *Dabo eum Domino* Author Catenæ. Licèt Samuel ex ratione Leuitici muneris teneretur ad assistentiam, & ministerium Tabernaculi, potuit tamen ratione voti ex integro obligari; Cùm materia voti sint etiam actus debiti, & imperati tam lege naturali, quam positiua; vt docent nobiliores Theologi 2.2. quæst.88. Votum autem ex eo quod strictius religat efficacius impetrat.

S.Thom.

MORAL. Greg.

40 *Omnibus diebus vitæ eius.* Greg.1. Variarum c.1. Omnibus quoque diebus vitæ suæ hunc filium Domino tribuit, qui in virtutibus, in quibus subditus meliorando proficit, propriis fauoribus nihil adscribit.

MORAL. Beda. *Omne pulchrum. Deo.* Cor.15.

41 *Omnibus diebus vitæ eius.* Beda lib.1. expos. All. cap.1. Si dies allegoricè virtutes intelligas, omnes dies vitæ suæ Domino dauitam, quidquid honestum vnet, quidquid lucidum mente, vel corpore gerit, non sibi tribuit, sed cum Apostolo professus: *gratia autem Dei sum id quod sum.* 1. Cor.15.

MYSTIC. Beda.

42 *Omnibus diebus vitæ eius.* Idē Ibidem. Verius hæc Annæ verba possunt ab Ecclesia de ipso Domino dicta intelligi, quem illa semper desiderat in filio, nascimque puerore, nouæ gratiæ virtute generari. Ipse enim solus veraciter, quia sine peccato vixit in carne, omnes dies vitæ suæ Domino datus, nihil in se omninò, quod pœnitendo resecaret inuenit.

LITERAL. Abul.

43 *Omnibus diebus vitæ eius.* Abul. ibi. quæst.19. Samuel vel aliquis alius. Leuita non poterat vouere ad ministrandum Domino solùm, sed oportebat poni aliquam determinationem, per quam superadderetur aliquid ad obligationem ministrationis Leuiticæ, scilicet quòd nunc, vel tunc, aut tali die, vel tali ministraret, vel omni tempore.

MORAL. Chrisost. *Anna laus*

44 *Omnibus diebus vitæ eius* Chrysost. Hom.23. in epistol. ad Ephesios tom.4. Non dixit Vnum duntaxat, aut alterum annum, quemadmodum solemus; neque dixit: Si dederis mihi puerum dabo pecunias, sed ipsum totum donum retribuam primogenitum, & orationis filium: ipsa erat Abrahæ filia. Ille postquam petitus fuerat, filium suum dedit: ista verò ante petitionem dedit.

LITERAL. Mendoza. Abul. Vatab. Caietan. Sa. *Nazareatus Samuelis perpetuus.*

45 *Omnibus diebus vitæ eius.* Franciscus Mendoza ibi. §.13. Nihilominùs dic cum Abul. Vatab. Caietan. & Saa. Nazareatum Samuelis fuisse perpetuum, quia illa verba *omnibus diebus vitæ eius*, non solùm cum antecedentibus, sed etiam cum consequentibus facilè construuntur; & proinde non solùm in administrationem Leuiticam, sed etiam in nazareatum perpetuitatem inducunt.

MORAL. Hieron.

46 *Et nouacula non ascendet super caput eius.* Hieron. lib.2. contra Iouinian. tom.2. Samson & Samuel vinum, & siceram non biberunt; erant enim filij repromissionis; & per abstinentiam, ieiuniumque concepti.

MYSTIC. Gregor. *Prædicator ne sit cupidus.*

47 *Et nouacula non ascendet super caput eius.* Gregor.1. Variar. 1. Nouacula cùm super caput ascendit capillos radit; quid enim per capillos, qui corpori superfluunt, nisi abundans terrenæ substantiæ copia designatur? & quid per nouaculam, nisi malorum pastorum cupiditas exprimitur, qua nouacula nati filij caput radi-

tur, cùm bona subditorum per prædicatorum cupiditatem rapiuntur.

ALLEG. Beda.

48 *Et nouacula non ascendet super caput eius.* Beda lib.1. expos. All. cap.1. Et redargutio peccati non violabit eius conscientiam; sed in quantum homini possibile est, omnes suos cogitatus; sermones, & actus, qui velu de cerebro cordis sensum prodeunt, quasi verus nazareus Christo consecrare satagit.

MORAL. Theodor.

49 *Et nouacula non ascendet.* Theodoret. ibi. quæst.5. Cùm autem peperisset, implenit promissum, consecrauit enim eius comam, & eum docuit aquæ potionem; ea est enim lex Nazareorum.

ALLEG. Sthephan. Cantuar. *Inanis gloria malum.*

50 *Et nouacula non ascendet.* Stephanus Cantuariensis apud Godefridum in Allegoriis Bibliæ: Filius Annæ est opus aliquod contemplatiuæ: huius filij caput raditur, cùm opus contemplationis, ad inanem gloriam fertur.

LITERAL. Comestor.

51 *Et nouacula non ascendet.* Petrus Comestor in historia Scholast. 1. Reg. 1. Domine exercituum si dederis mihi sexum virilem, dabo eum tibi nazareum omnibus diebus vitæ suæ.

LITERAL. Abul.

52 *Et nouacula non ascendet.* Abul. ibi. quæst. 22. Dixit quod nunquam ascenderet nouacula super caput eius; non quidem solùm intelligens obligare eum ad hoc, sed etiam ad totum votum Nazareorum. Expressit tamen de capillis nunquam tondendis, quia principalis cæremonia Nazareorum consistebat in capillis.

MORAL. Cyrill. *Iustorum omnia bona.*

53 *Et nouacula non ascendet.* Cyrill. Alex. lib. 8. in Leuiticum. Sanctus seruare debet omnem capillum, & si possibile est, neque ascendere debet ferrum super caput eius; ne abscindere aliquid de cogitationibus eius, aut dictis, aut operibus possit. Vnde denique est, quod & Samuelis ferrum dicitur; non ascendisse super caput; sed & omnibus Nazareis, qui sunt iusti, quia *iusto* sicut scriptum est Psal.1. *omnia quæcumque faciet prosperabuntur, & folia eius non decident.* Hinc & discipulorum Domini etiam capilli capitis dicuntur esse numerati, Mathæi 10. hoc est, omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum apud Dominum seruantur, quia iustæ, quia sanctæ sunt. Psal. 1. Matth.10.

LITERAL. Liran.

54 *Et nouacula non ascendet.* Liranus ibi. Ex hoc datur intelligi, quòd deberet tenere ritum Nazareorum, sicut dictum fuit Iud.13. de Samsone.

LITERAL. Caiet.

55 *Et nouacula non ascendet.* Caietan. ibi. Non vouet Nazareatum filij perpetuum quoad omnia spectantia ad Nazareatum, sed quoad exemptionem capitis à raforio gladio.

LITERAL. Carthus.

56 *Et nouacula non ascendet.* Carthus. ibi art.1. Idest Nazareus erit, & iuxta ritum Nazareorum capilli capitis sui nunquam abradentur, prout in Numer.6. De Nazareis præcipitur. Aliqui autem erant Nazarei Dei, idest Deo consecrati ad tempus; sicut ibidem habetur. Quidam perpetuò sicut & Samson, vt Iud.13. legitur.

ALLEG. Charen. *Adulatio est Nouacula.* Psal.140.

57 *Et nouacula non ascendet.* Hugo Charen. in Postilla. Sicut in Samsone. Iud.14. quod Nazareus erit filius Annæ opus est contemplatiuæ, nouacula adulatio: caput intentio. Nouacula caput ascendit, quando quis adulatione seductus in opere suo humanam laudem intendit Psal.140. *Oleum peccatoru non impinguet caput meum.*

LITERAL. Vatab. *Mali reget nouacula compatienter.*

58 *Et nouacula non ascendet.* Vatab. in Scholiis. Quasi dicat Nazareorum viuendi modum sectabitur. Templi minister fuit Samuel, & Nazareus Chaldæus Paraphrastes pro nouacula vertit, *terrorem*: tunc vox Hebræa haberet *aleph* in fine, quæ signifi

significat terrorem: *terror non ascendet* &c. Ideſt, imperium hominis, nam imperium eſt terror homini, ideſt nemini vnquam ſeruiet, præterquam Deo. Rectiùs tamen verteris *nouacula*.

Literal. Mendoza. 50 *Et nouacula non ascendet.* Franciſcus Mendoza ibi §. 12. hoc eſt Nazareus erit Metonimyce oſtendens à ſigno viuendi rationem: nam Nazarei intonſos crines nutriebant. Aduerte Septuaginta pro nouacula dixiſſe *ferrum* non quidem fruſtrà, quia Nazareis non ſolùm raſura; ſed etiam tonſura interdicta erat.

Literal. Santius. 60 *Et nouacula non ascendet.* Garpar Santius, ibi num. 40. Hec leuia non ſunt; cùm cæſaries caput non modicè grauet, & dolores afferat interdum non exiguos. Sane Abſalon auream cæſariem quam habebat ſpecioſam, cùm ſtudioſus eſſet elegantiæ, vltra annum ſuſtinere non poterat, de quo 2. Reg. 14. *Semel in anno tondebatur quia grauabat eum cæſaries.* 2. Reg. 14.

VERSVS XII.

Vulgata. *Vulgata.* Factum eſt autem 3. cùm illa multiplicaret preces coram Domino, vt Heli obſeruaret os eius.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et fuit cùm multiplicaret orare ad facies Domini, & Heli obſeruans os eius.

Vatab. *Hebraica ex Franciſco Vatab.* Cúmque conſtanter oraret coram Domino, Heli obſeruabat os eius.

Ariaſm. *Chaldaica ex Benedic. Ariaſm. in Regia.* Et fuit ex quo multiplicauit orationem ſuam ante Dominum, & Gheli expectans illam vſquequo finiat.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et factum eſt quando multiplicabat orans coram Domino; & Heli Sacerdos obſeruabat os eius.

Sixtin. *Græca ex Sept. in Sixtiana.* Et factum eſt quando multiplicabat orans coram Domino, & Heli Sacerdos obſeruabat os eius.

Pagn. *Pagninus in margine.* Et fuit cùm diu oraret coram Domino, & Heli obſeruabat os eius.

Vatab. *Vatablus in Scholiis.* Cúmque multiplica, et ad orandum.

Caiet. *Caietanus in Commentario ex Hebreo.* Et fuit cùm diu oraret coram Domino, Heli obſeruabat os eius.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Chryſoſt. 1 *Cùm illa multiplicaret preces* Chryſoſt. Hom de ſide Annæ tom. 1. Scriptor geminam hîc virtutem in fœmina comprobauit, in precibus aſſiduitatem; cùm ait: Multiplicauit: & Animi vigilantiam, cùm addidit in conſpectu Domini: nam omnes quidem oramus; ſed non omnes in conſpectu Domini.

Moral. Idem. *Oratio breuis & frequens.* 2 *Cùm illa multiplicaret preces.* Idem Ibidem. Aſſiduè ſonabat eadem, nec deſtitit eiſdem verbis iterandis multùm temporis abſumere. Ad hunc modum Chriſtus in Euangelio docuit orare. Cùm enim iuſſiſſet diſcipulis; ne more gentium orarent vtentes multiloquio; etiam modum precationis docuit, oſtendens, vt exaudiamur non eſſe ſitum in verborum multitudine, ſed in vigilantia mentis.

Moral. Idem. 3 *Cùm illa multiplicaret preces coram Domino.* Idem Ibid. Non ſermone prolixo, ſed crebris ac frequentibus precibus adiit Deum.

Mystic. Gregor. 4 *Cùm illa multiplicaret preces.* Gregor. lib. 1. Variarum enarrat. cap. 1. Quid fuit Sancta Eccleſiæ pro pariendi deſiderio preces coram Domino multiplicare, niſi aſſiduis orationibus pro conuertenda Synagoga inſiſtere? Et quid fuit Iudaico ſacerdotio os eius obſeruare, niſi prædicationi ſanctæ Eccleſiæ inſidiari? Os namque eius obſeruauit, quia rectam prædicationem fidei reprehendere vehementer ſtuduit. Benè autem tunc os eius obſeruaſſe dicitur; cùm illa preces multiplicaret, quia tantò callidius ei nocere ſtuduit, quanto maiora eius deſideria in prædicationis inſtantia cognouit. Denique os eius non obſeruaret, ſed attenderet, ſi prædicationem fidei noſtræ ad ſalutis ſuæ fructum audire voluiſſet.

Moral. Idem. 5 *Cùm illa multiplicaret preces.* Idem Ibid. cap. 2. Dehinc profectus noſtros precum multiplicatio ſequitur, quia eò iam libentiùs, ſæpius, & inſtantiùs æterna orando quærimus, quò in ſolo futurorum bonorum ſolatio reſpiramus.

Mystic. Beda. 6 *Cùm illa multiplicaret preces.* Beda lib. 1. Expoſ. Allegor. cap. 2. Factum eſt cùm multiplicari inciperet Eccleſia per orbem, multiplicari noua deuotionis eius inſignia, Cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt, vt Sacerdotes Iudæorum opera conſiderarẽt eius apparentia, foras videlicet gentiliter an Iudaice viueret? Porrò illa Iudaiſmo paulatim relicto, fidei potius, quæ corda purificaret, myſteria ſola ſequuta fide ſapientia inuiſibili Chriſto placere gauiſa eſt.

Literal. Carth. 7 *Cùm illa multiplicaret preces.* Carthuſ. ibi. art. 1. Ideſt, orationem ſuam diu protraheret.

Literal. Abul. 8 *Cùm illa multiplicaret preces.* Abul. ibi. quæſt. 23. Dicitur quòd illa multiplicabat preces coram Domino, ideſt, multa verba effundebat, quæ autem illa eſſent dicitur ſupra, quod fecit iſtum votum ſcilicet: *Domine exercituum &c.* Sed iſta pauca verba ſunt; ideò non poterat dici quod multiplicaret preces; niſi fortè dicatur, quòd ſæpe iſta verba dicebat: magis tamen videtur dicendum, quod ipſa addebat multa alia verba, exprimentia amaritudinem cordis ſui, ſcilicet, quomodo affligeret eam æmula eius.

Literal. Vatab. 9 *Cùm illa multiplicaret preces.* Vatablus in Scholiis. Hebraiſmus multiplicaret ad orandum, ideſt quandiu oraret coram Deo, hoc eſt verſus eam partem, in quam Dominus ſe præſentem exhibebat.

Moral. Mendoza. *Oratio quamin.* 10 *Cùm illa multiplicaret preces.* Franciſcus Mendoza ibi. §. 2. Anna multiplicauit preces; quamuis ea precum multitudo non ſcribatur. Nec immeritò; nam multiloquium in oratione, quamuis inane ſit, quando cum oſtentatione, & ſine deuotione exercetur; iuxta illud. *Orantes nolite multum loqui* Mathei 6. Non tamen ſi humiliter, & deuotè exerceatur; cùm à Chriſto Domino Luc. 18. non ſolùm prolixitas, ſed etiam perpetuitas orationis commendetur. Math. 6. Luc. 18.

Moral. Mendoza. Eccleſ. 7. 11 *Cùm illa multiplicaret preces.* Idem Ibidem §. 3. Quia aliqua verba idem ſignificantia repetebat: quòd ſi aliquando vitioſum ſit, quando ſcilicet contingit ex defectu fidei, aut reuerentiæ in Deum, iuxta illud. Eccleſiaſtici. 7. *Non iteres verbum*

verbum in oratione tua. Tamen quando fit ex feruore spiritus, Laudabile est, & ab Ecclesia in canonicis precibus valde vsitatum. Rectè igitur Annæ multiplicabat preces, non cumulando verba, sed iterando, vt non multa; sed multùm oraret.

MORAL. Chrysost. *Oratio cordis Domino fiat.*

12 *Coram Domino.* Chrysost. Hom. de fide Annæ tom. 1. Omnes quidem oramus, sed non omnes in conspectu Domini. Etenim cum corpore in terram prostrato, & ore frustrà delirante, mens vbique per domum, ac forum circumuagatur. Quo ore talis posset dicere, quòd orauerit in conspectu Domini? Nam in conspectu Dei orat vndequaque, colligens suam mentem, nihil habens in terra commercij, sed ad ipsum Deum totus commigrans, omni cogitatione humana, ab animo depulsa, quemadmodum id temporis fecit hæc mulier.

MORAL. Idem.

13 *Coram Domino.* Idem. Hom. 79. ad populum Anthioc. Si corpore humi prostrato, & ore in cassum nugante, mens totam domum, & forum circumeat, quomodo talis dicere poterit, quod in conspectu Dei precatus sit?

MORAL. Carth. *Oratio prolixa sit.*

14 *Coram Domino.* Carthus. ibi art. 1. In quo patet orationis illius instãtia, nec obest quod ait Saluator Matthei 6. *Orantes nolite multum loqui*, quia hoc intelligitur, de inutili, & superflua verborum multiplicatione; non de diuturna orationis protractione: Cùm scriptum sit apud Lucam. 6. & 22. *Erat Iesus pernoctans in oratione* quia & passione instante orauit prolixius.

LITERAL. Abul.

15 *Coram Domino.* Abul. ibi quæst. 25. Scilicet quod Anna erat intra templum coram Domino fundendo preces.

LITERAL. Serar.

16 *Coram Domino.* Nicolaus Serari. in Commentario. Orabat coram Domino attentione, & reuerentia maxima.

MORAL. Author Catenæ. *Bona opera Deo dirigantur.*

17 *Coram Domino.* Author Catenæ. Orabat quidem Anna etiam coram sacerdote: ex eo tamen coram Deo solùm orasse scribitur, quòd vni Deo placere studebat. Bona quippe opera coram hominibus patranda sunt; ita tamen, vt vnum glorificent patrem, qui in cœlis est.

MORAL. Chrys. *Anna obediens.*

18 *Vt Heli: obseruaret os eius.* Chrysost. Hom. Vnicade fide Annæ tom. 1. Posteaquam Sacerdos illi obstruxit os: nam hoc est quod ait: *obseruabat os eius, & labia eius mouebantur, vox autem illius non audiebatur*; coacta est obedire Sacerdoti, & ab orando desistere. Et vox quidem illi intercluſa est; at non est excluſa fiducia, sed vehementius etiam cor clamabat intus.

LITERAL. Carthus.

19 *Vt Heli obseruaret os eius.* Carthus. ibi art. 1. ideſt considereret, an aliquid loqueretur.

LITERAL. Lira.

20 *Vt Heli obseruaret os eius.* Liran. ibi. Attendens, si aliquod verbum exprimeretur, vel à motu labiorum cessaret.

LITERAL. Abulens.

21 *Vt Heli obseruaret os eius.* Abul. ibi. quæst. 23. Ideſt, accidit, quòd Heli sacerdos attenderet ad os illius, vt audiret quid loquebatur. Hoc autem faciebat forte, quia vidit eam intrantem vultu turbato, ex amaritudine cordis, & desiderauit scire, quid illa diceret: vel quia morabatur nimis in oratione, & videbat semper, labia illius moueri: ideò existimabat quòd aliquid vtile valde; vel speciale diceret, & ob hoc scire volebat.

LITERAL. Char.

22 *Vt Heli obseruaret os eius.* Hugo Charen. in Postill. c. 1, expectans, quòd aliquid esset dictura.

MORAL. Mendoza. *Oculi à fœmina auertendi.*

23 *Vt Heli obseruaret os eius.* Franciscus Mendoza ibi. §. 5. Desiderabit aliquis hoc loco modestiam Sacerdotis Heli, quòd in fœminam oculos intenderit, & os eius obseruauerit; cùm à viro probo nihil magis alienum videatur. Nihilominus si quis velit Sacerdotem ab omni intemperantiæ nota vindicare, facilè poterit, si dicat Sacerdotem simplici corde, & animo minimè malo id fecisse, quod non est vituperandum. Vltimò si quis asserat, Sacerdotem non tam oculos, quàm aures intendisse, & si enim vtrisque vteretur, tamen non tam curiosè intendebat oculos, vt videret; quàm applicabat aures vt audiret, sic enim Lyra. Abul. & Hugo Cardinalis exponunt. *Modestia Sacerdotum.* Lir. Abul. Hugo.

24 *Vt Heli obseruaret os eius.* Author Catenæ. Os significat tam faciem, quàm labia, seu buccam, Sacerdotis autem modestiam, non tam in vultum fœminæ, quàm in labia credas intendisse: sumpta occasione ex crebra illorum motitatione. Tunc autem Prælatus os subditi obseruare dicitur; cùm illius verba, & doctrinas obseruat; cui magnopere officio tenetur incumbere, ne liber erroribus pateat aditus. LITERAL. MORAL. Author Catenæ. *Prælatus obseruet doctrinas.*

VERSVS XIII.

Vulgata. Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantúmque labia illius mouebantur, & vox penitùs non audiebatur. Æstimauit ergo eam Heli temulentam.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pag. Et Canaath ipsa loquens in corde suo, tantùm Labia eius mouentia se se; sed vox eius non audiebatur. Et reputauit eam Heli in ebriam. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Hanna autem loquebatur in corde suo; & dumtaxat labia eius mouebantur; vox autem eius non audiebatur. Heli ergo eam temulentam esse iudicabat. Vatab.

Chaldaica ex Benedic. Arias Mon. in Regia. Et Hhanna ipsa orans in corde suo, tantùm labia eius mouebantur: & vox eius non audiebatur. Et reputauit eam Hheli, vt mulierem ebriam. Ariasm.

Græca ex Septuag. in Complut & Regia. Et ipsa loquebatur in corde suo, at labia eius, mouebantur, & vox non audiebatur. Et æstimauit eam Eli temulentam. Compl.

Græca ex Septuag. in Sixtiana. Et ipsa loquebatur in corde suo, & labia eius mouebantur, & vox eius non audiebatur: & reputauit eam Heli in ebriam. Regia. Sixtia.

Chrysost. Hom. de fide Annæ tom. 1. Obseruabat os eius, & labia eius mouebantur vox autem illius non audiebatur. *Et Hom.* 79. *ad populum Anthioc. tom.* 5. Vox eius non audiebatur labia verò tantum mouebantur, *& serm.* 24. *in epist. ad Ephesios, tom.* 4. Vox eius non audiebatur, nec labia eius mouebantur. Chrysost.

PP. ET AVCTORES.

1 *Porrò Anna loquebatur in corde suo.* Gregor. lib. 1. Variarum Enarrat. cap. 1. Quid est aliud cor sanctæ Ecclesiæ nisi ea, quæ intra se est deuota, & erudita beatitudo fidelium? Corde autem suo Anna locuta est, quia sanctæ Ecclesiæ prædicatio eis tantum profuit, qui vero lumine illustrandi erant ex diuina prædestinatione. MYSTIC. Gregor.

2 *Porro Anna loquebatur in corde suo.* Paschasius lib. 4. LITERAL. Paschas.

lib. 4. Comment. in Threnos litera *Coph* Clamat Moyses cui dicitur ; *Quid clamas ad me ?* quando orabat pro populo. Sic alij clamant in corde : alij loquuntur. Loquebatur autem Anna, quia pro priuatis orabat rebus, id est pro filiis.

LITERAL. Carthus. 3 *Loquebatur in corde suo.* Carthus. ibi art. 1. Idest cum intima attentione intra se protulit verba suæ afflictionis.

LITERAL. Abul. 4 *Loquebatur in corde suo.* Abul. ibi. q. 24. Non intendit Scriptura dicere, quod ipsa loquebatur in corde suo, idest solum formabat conceptus in corde, quia dicitur hic quod labia illius mouebantur, quia labia nunquam mouentur, nisi cùm est aliqua realis vocum formatio. Sed dicitur quòd Anna loquebatur in corde, idest voce submissa ; ita quòd nullus audiret verba illius, & sic Heli non audiebat, aliqua tamen verba fiebant extra cor.

THEOLOG. Author Catenæ. *Cantus Ecclesiasticus vindicatur.* Hentic. Hilar. Breit. Vuicleph. Magdeb. 5 *Loquebatur in corde suo.* Author Catenæ. Tacitæ huius orationis fundamento impij nituntur Hæretici, Henricus, Hilarius, Petrus Bruis, Ioannes Vuicleph, Magdeburgenses, & alij vt Ecclesiasticũ cantum reprehendant, & irrideant, cúmque Sacerdotibus Baaliticis Catholicos conferãt, quod elatis vocibus preces, & cantica in templis proferamus. Sed facilè argumentum eluditur cum Bellarmino. Aliud enim est priuata oratio, qualis Annæ erat, cui vox submissa aptior est, ne clamore alij turbentur : alia autem est publicæ orationis ratio, & diuinarum laudum acclamationis, quibus cantus, & musica instrumenta apprimè conueniunt, tam, ex ritu Ecclesiastico, quàm Conciliorum ordinatione, & Patrum veterum doctrina : vt constat ex Agatensi cap. 3. De quo fusè & perdoctè Thom. Vualdensis tom. 3. tit. 2. Bellarm. tom. 3. contr. lib. 1. de bonis opéribus in particulari, cap. 16. Alfonsus à Castro de Hæresibus libr. 4. verbo *cantus*, & Marcus de la Camara in Quæstionario, quæst. 164.

Concil. Agaten. Vual. Bellarm. Castro. Camara.

MORAL. Æphren. *Semper orandum.* 6 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Æphren. Syrus de Patientia & Consummatione huius sæculi tom. 1. Licèt labores manibus, mente ora ; nam & beata Anna mater Prophetæ Samuelis orabat, & labia eius tantummodo mouebantur. Oratio autem ipsius in aures Domini Sabaoth intrauit, conceſſaque est ei petitio sua. Ideò frater charissime licet manus occupatas teneas ; mente tamen ora : nam & tacentes exaudit Deus.

MORAL. Chrysost. *Lachryma clamant.* 7 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Chrysost. hom. 6. in caput secundum Matthæi, tom. 2. Illas in quam ego requiro lachrymas, quæ non ostentationi proficiunt, sed compunctioni, quæ funduntur occultè. Quales certè illæ erant Annæ aliquando lachrymæ, de qua dicitur : *labia eius mouebantur, vox autem eius non audiebatur.* Solæ quidem lachrymæ emittebant ad Dominum vocem omni buccina clariorem.

MORAL. Idem. *Vox interna efficacior.* 8 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Idem hom. vnica de fide Annæ, tom. 1. vox quidem illi intercluſa est, at non est excluſa fiducia ; sed vehementius etiam cor clamabat intus. Nam illa potissimùm est deprecatio, cùm ab intimis sursum voces feruntur. Hoc præcipue mentis est excitatæ, non intensione vocis, sed animi feruore precationem absoluere. Sic orauit & Moyses, cui, cùm nihil voce resonaret, Deus tamen, *quid*, inquit, *clamas ad me ?* Homines quidem externam hanc vocem tantùm audiunt ; at Deus & ante hanc intus inclamantes audit. Et exaudiuit eam Deus. Tantus erat illius clamor internus.

9 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Idem homil. 29. de oratione tom. 5. Hinc mihi mulieris pietatem considera. *Vox*, inquit, *eius non audiebatur : labia vero tantum mouebantur.* obtinere volens ista à Deo, accedit non fatiscens, nec oscitans, neque se scabens aut negligens. Nonne poterat & sine oratione Deus præbere ? nonne sciebat, & ante orationem mulieris desiderium : sed si ante petitionem dedisset, non apparuisset mulieris studium, non virtus fuisset manifestata ; nec inde præmium possedisset. *Eadem repetit serm. 24. in epist. ad Ephes.*

MORAL. Idem. *Anna pietatem.*

Tantúmque labia illius mouebantur. Ambros. sermon. 17. in Psal. 118. Est interioris clamor affectus, qui auditur è cœlo. Anna quoque, cùm oraret tacita, clamabat : labia non mouebat, & interiori voce piæ mentis excitabat Iesum.

MORAL. Ambros. *Clamor cordis qualis.*

11 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Idem in Psal. 40. Quæ nostra est vox nisi ista, quæ est melior, quæ nescit errare, quæ ad Deum peruenit, quæ tacente Moyse clamauit ad Dominum, qua etiam Anna impetrauit filium, quem antea diu non impetrauerat, cùm corporis voce clamasset.

MORAL. Idem.

12 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Gregor. lib. 1. variarum c. 1. Quid est motus labiorum, nisi signorum præmotio in sanctis Prædicatoribus ? qui profectò, etsi velut foris loquentia labia, & in imo stare videantur, dum cæcis visum, auditum surdis, vitam mortuis dabant ; magnos vtique meritorum motus exhibebant.

MYSTIC. Gregor.

13 *Tantúmque labia illius mouebantur.* S. Chromatius Aquileiensis. Matthæi 5. tom. 1. Bibliothecæ PP. Inuenimus Annam illam sanctissimam huius Euangelicæ doctrinæ præcepta complentem. Nam cùm sine aliquo vocis sono in cordis sui secreto, in conspectu Domini fideliter orans desiderij sui preces effunderet ; statim exaudiri à Deo meruit.

MORAL. Chrom.

14 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Beda lib. 1. Expos. Alleg. c. 2. Ecclesiastica planè operatio & diuino respectu dignissima, quia & ipsa Domini hortamenta deuotione præcessit dicentis. *Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito* Matthæi 6.

MORAL. Beda. *Oratio secreta.* Matth. 6.

15 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Angelomus in stromatibus. Hoc loco impletur illud, quod scriptum est, 1. Reg. 16. Homo videt in facie : Deus autem intuetur cor ; quia Heli tantum os deprecantis Annæ intuebatur, & vocem eius penitus non audiebat, sed morum labiorum cernebat, æstimabat ebriam esse : illa autem quia sursùm eleuabat cor, & confitebatur Domino in toto corde suo ; respexit Dominus ad orationem eius, & non spreuit preces illius.

MORAL. Angelom.

16 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Carthus. ibi art. 1. Per motum labiorum non excluditur motus mẽti ac dentium, quorum motio morum consequitur labiorum. Sed tantum labiorum eius mota dicuntur, ad insinuandum, quòd orauit tam silenter seu basse, quòd verba eius audiri non potuerunt.

LITERAL. Carthus.

17 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Serarius ibi. Stabat ante ipsum Heli sacerdotem, in templo sedentem, foris tamen : ita labia mouebatur, vt ebriæ instar os distorquere, nimiúmque deprauare videretur.

HISTOR. Serar.

18 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Gaspar Sanctius ibi n. 43. Lymphatici, aut ebrij est, aut eius qui aliquid patitur à Pithone & Fauno, corporis, & oris maxime gesticulatione, ac motu significare animi

LITERAL. Sanctius.

animi fanaticos, atque impotentes motus, sine vllo vocis de articulatæ, atque rationalis sono. Quare non sine aliquo fundamento coniectabat Heli aliquid Annam à vino pati.

Liter. Menoch. 19 *Tantúmque labia illius mouebantur.* Menochius ibi. Naturale est, vt iis, qui commoto sunt animo, siue ira, siue timore, siue dolore, labia moueantur & quasi tremant.

Moral. Cyprian. 20 *Et vox penitùs non audiebatur.* Cyprian. de oratione Dominica. Debemus non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modestè Deo, tumultuosa loquacitate iactare; quia Deus non vocis, sed cordis est auditor, nec admonendus clamoribus, qui cogitationes videt. Quod Anna Ecclesiæ typum portans custodit, & seruat, quæ Dominum non clamosa petitione, sed modestè & tacitè, intra ipsas pectoris latebras precabatur, prece occulta, sed manifesta fide: loquebatur non voce, sed corde, quia sic sciebat Deum audire; & impetrauit efficaciter, quia fideliter postulauit.

Moral. Chrysost. 21 *Et vox penitùs non audiebatur.* Chrysost. Hom. de fide Annæ tom. 1. Vox penitùs non audiebatur, & exaudiuit eam Deus; tantus erat illius clamor internus.

Moral. Idem. 22 *Et vox penitùs non audiebatur.* Idem in Psal. 140. Magna, aut exili voce esse præditum, sunt naturæ commoda, ea autem non faciunt, vt vel audiamur, vel non audiamur. Et quid dico eum, qui est tenui, & exili voce, cùm vel tacens audiretur Moyses, & Anna minimè loquens? Quid ergo dicit: clamaui ad te, exaudi me? clamorem hic dicit internum, quem cor inflammatum peperit, & contritus animus.

Moral. Idem. 23 *Et vox penitùs non audiebatur.* Idem Hom. 8. in Varios locos Matthei. tom. 2. Cùm sine aliquo vocis sono in cordis sui secreto, in conspectu Domini fideliter orans, desiderij sui preces effunderet, statim exaudiri meruit à Domino.

Moral. Ambr. *Charitas dat vocem.* 24 *Et vox penitùs non audiebatur.* Ambr. ser. 19. in Psal. 118. Anna non clamabat in corde suo, sicut Moyses, sed loquebatur; fortasse quia filios postulabat, hoc est bona quidem, sed priuata, non publica. Clamabat autem Moyses, quia non pro se sed pro omni populo precabatur.

Moral. Hieron. 25 *Et vox penitùs non audiebatur.* Hieronymus in caput sextum Matthei. tom. 9. *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum &c.* Et simpliciter intellectum erudit auditorum, vt vanam orandi gloriam fugiat: sed mihi videtur hoc magis esse præceptum, vt inclusa peccatoris cogitatione, labiisque compressis oremus Dominum: quod & Anna in Regum volumine fecisse legimus: *labia*, inquit, *eius tantum mouebantur, & vox illius non audiebatur.*

Tropol. Paschas. 26 *Et vox penitùs non audiebatur.* Paschasius lib. 4. Comment. in Math. Quid putas? Numquid vt videretur orabat non vtique; sed clauso ostio, scilicet tacita conscientia, vt exaudiretur in cubiculo, Deum, cui præsto sunt omnia, rogabat; & ideò exaudita est; quia cum eo qui vbique præsens est largiter flens in sese versabatur. Clauso itaque ostio Deum orat quisquis ea, quæ foris improbe se immergunt, vi spiritus & obtectationis custodia, funditus ne subrebant, repellit.

Moral. Philo Carpati. *Clamor cordis.* 27 *Et vox penitùs non audiebatur.* Philo Carpatius, in caput quartum Canticorum. Sæpe multi piorum ore quidem tacent, corde verò clamant, gratas Deo preces offerentes. Anna, cùm tacita deprecaretur, fructum suauissimum suæ orationis accepit, magnum scilicet Samuelem.

Moral. Imperf. 28 *Et vox penitùs nõ audiebatur.* Imperf. hom. 13. in Mat. Quod clamosè orans iuxta te alterum non permittis orare, vocibus enim tuis rapis sensum illius ad tuos sermones: ideò non solùm non exaudiris quia malè oras, sed adhuc peccatum colligis, dum alios orare non permittis: sic ergo ora sicut orauit Anna.

Moral. Cæsar. *Oratio sua secretè.* 29 *Et vox penitùs non audiebatur.* Cæsarius Arelatensis Hom. 29. tom. 1. Bibliothecæ. PP. Audiant hæc omnes, & imitentur, præcipue illi, qui tam alta garrulitate, sine vlla verecundia cum strepitu vocis orant, vt iuxta se alios orare non permittant.

Litera Carth. 30 *Et vox penitùs non audiebatur.* Carthusibi art. 1. Prolut tamen verba in ore, sed circa interiora ita erat attenta, quod instrumenta vocalia à vocis exterioris formatione sonora remittebantur: & forsitan tam quietè orauit etiam, ideo ne verborum suorum strepitu alium quempiam à suæ orationis aduertentia impediret.

Histor. Philo. 31 *Et vox penitùs non audiebatur.* Pseudophilo in Antiq. Bibl. Tunc enim cogitauit, ne forte non sim digna exaudiri, & erit vt plus me celans, improperet mihi Phenenna, sicut quotidie dicit: *Vbi est Deus tuus in quo confidis?*

Liter. Abul. 32 *Et vox penitùs non audiebatur.* Abul. ibi, q. 24. Ex hoc etiam apparet quòd Anna erat apud Heli satis propinqua ei, alioquin quanquam Heli non audiuisset vocem illius, sed vidisset labia moueri, non æstimasset aliquid malum de ipsa, sicut infra sequitur; quia putaret quod quanquam ipse non audiret voces propter distantiam, tamen illa realiter quid loquebatur.

Moral. Rabban. 33 *Et vox penitùs non audiebatur.* Rabbanus Maurus, in Glossa. Forma orandi hic nobis traditur, vt non in multiloquio, sed in compunctione, & lachrymis Dominum inuocemus, cùm *sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

Moral. Helmeti. *Clamor cordis efficatior.* 34 *Et vox penitùs non audiebatur.* Henrichus Helmesius Hom. 10. de Visitatione, Exclamauit voce magna, Elizabeth, non tam clamosa quàm deuota: deuotio namque magnus clamor est, ita vt vsque ad cœlum accedat. Vnde Dominus ad Moysem dixit: Quid *clamas ad me?* cùm tamen ore taceret, & cordis desiderio clamaret & feruore. Anna mater Samuelis Domino loquebatur in corde suo, *& vox penitùs nõ audiebatur*, & Dominus exaudiuit vocẽ fletus eius, & deprecationẽ eius suscepit.

Liter. Mendoza. *Cur Anna submissè oraret.* 35 *Et vox penitus non audiebatur.* Franc. Mendoza ibi, §. 2. Sed quorsum Anna tam submissa voce inter orandum, vtebatur. Multiplex quidem ratio assignari potest: Vna, quia dolor intercludebat vocem, ne clarè, & distinctè loqueretur: altera, quia non petebat bonum publicum, sed priuatum; non spirituale, sed temporale; quasi quodammodo erubescceret vocem attollere, quia priuatum ac temporale bonum postulabat. 3. ratio traditur à Philone Hebræo in Antiquitatibus Biblicis, quia verebatur, ne ab æmula sua Phenenna magis illuderetur, si forte, quæ à Deo postulabat, propter sua demerita non impetraret.

Philo.

Liter. Chrysost. *Vnde hac Heli suspicio?* 36 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Chrysost. Hom. de fide Annæ tom. 1. Vnde autem hoc suspicari potuit Sacerdos? neque enim ridentem vidit, neque saltantem, neque vertigine concidentem. Non audiuit vllum verbum obcenum, aut illiberale sonantem. Vnde igitur concepit hanc suspicionem? Haud ille quidem temerè, nullâque de causa

causa sed ex diei tempore, erat enim meridies cùm precaretur illa.

MYSTIC. Gregor. *Ebrietas spiritualis quid? Paulus sancto spiritu, inebriatus.*

35 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Gregor.1. Variarum cap.1. Heli tantum Annæ labia mota conspexit, & vocem penitus non audiuit; æstimauit ergo eam temulentam. Hoc nimirum etiam iuxta historiam Actuum Apostolorum agnouimus, quia diebus Pentecostes Sancti Apostoli ebrij crediti sunt, cùm accepta sancti Spiritus plenitudine, Christi magnalia omni lingua loquerentur. Spiritualiter autem sancta Ecclesia ebria creditur, quam Iudæa æstimat, non vera asserere, sed Hæretica & falsa prædicare. Ebria tamen erat non potatione erroris sed repletione Spiritus Sancti. Etenim mutare cor, mentem alienare consueuit ebrietas: mutato autem corde pergebat, qui nuper domos intrans fideles quosque inuis terrens, cædibus lanians, iam eum quem persecutus Iesum fuerat, verum esse omnipotentis Dei filium prædicabat.

MYSTIC. Beda.

36 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Beda lib.1. Expos. Allegor. cap.2. Æstimauit superbia Sacerdotij Iudaici conuertam gentilitatem peccatorum adhuc conturbatione prægrauatam. Dixitque ei, vsquequo originalis culpæ vinculo rea teneberis? circumcisione mundare, & sic in proselytorum numero saluare.

HISTOR. Comest.

37 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Petrus Comestor in Historia Schol. Et attendens Heli motum labiorum, vocemque non audiens, æstimans temulentam ait: *digere &c.*

HISTOR. Ioseph.

38 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Iosephus lib.5. Antiquit. cap.11. In huiusmodi precibus longas moras pertrahentem animaduertens Heli Pontifex, qui ante Tabernaculum sedebat, tanquam parùm sobriam iussit abire.

TROPOL. Interlin.

39 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Glos. Interlin. ibi. Temulenta à *temeto* quod antiqui vinum dicebant.

LITER. Liran.

40 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Lira. ibi, ideſt, plenam bono vino, & dicitur à *temeto*, quod significat bonum vinum, & *lentos*, quod est plenum.

LITERAL. Caietan.

41 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Caietan. ibi. Clare scribitur Hebraicè *ebriam*, humana enim vsus est coniectura.

MORAL. Charen. *Potentes. irridentur infirmi.*

42 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Hugo Charen. in Postilla. Ita diuites huius mundi ebrios & insanos putant dolentes de peccatis, & pœnitentes; & religiosos. Vnde & Iudæi irridebant Discipulos dicentes, *quia mustо pleni sunt.* Actor.2.

LITERAL. Abul.

43 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Abul. ibi. quæst.24. Cùm enim ille esset propinquus illi, & videret labia eius moueri, Nihilque audiret; putauit quòd nihil loquebatur, sed quod erat ebria, & quod ex ebrietate mouebat labia nihil loquens. Existimauit etiam hoc quia Anna nimis morabatur in orando, & hoc iam non putabat Heli esse orationem, sed ebrietatem vel insaniam, quia oratio breuiter fit.

HISTOR. Salian.

44 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Salian. tom.3. Annal. Anno Mundi 2900. num.28. Vidit mulierem sacerdos incomitatam fortasse, nam oratio secessum amat, & solitudinem, alieno tempore diutius sine voce preces submurmurantem; accedebat fortè rubor in facie, natantes lachrymis oculi, gesticulationes capitis, manuum, brachiorum; qualia ingentes animi affus non aduertentibus excutiunt, & comitantur. Itaque existimauit temulentam, iudicio quidem falso; non tamen, vt videtur, plane temerario. Et fortè pleraque iam mulierculas inuenerat in illiusmodi culpa, post paschales epulas; cumque esset Sacrorum & Reipublicæ Princeps existimauit, sui muneris esse, eam in culpa, vt videbatur, flagranti deprehensam grauius obiurgare.

45 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Franc. Mendoza ibi, §.14. Tria indicia, quibus Heli in hanc suspicionem venerit, esse potuerunt; Vnum, illa labiorum agitatio, sine vlla verborum prolatione. Alterum, diuturna illa precum multiplicatio; Vinum enim fandi copiam subministrat. Tertium, ipsa circumstantia temporis, à prandio. LITERAL. Mendoza.

46 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Author Catenæ. *Ergo* coniunctio est illatiua. Ex fundamento seu præmissis. Igitur prouidit Scriptura Sacerdotis innocentiæ & reputationi, qui ex sufficientibus præmissis fœminæ intemperantiam intulerat, cùm gesticulationes, & inordinati labiorum motus ebrietatis seu insaniæ specimen præ se ferebant: Prælatis autem, quibus aliorum incumbit correctio, seueriori licet iudicio de subditorum actionibus opinari: præsertim cùm lex Leuitic.10. 9. prohiberet vinum Tabernaculum ingressuris. LITERAL. MORAL. Author Catenæ.

47 *Æstimauit ergo eam Heli temulentam.* Petrus Vermillius Hæreticus in Comment. Solebat non rarò accidere, vt illis festis conuiuis homines plusculum se inuitarent ad bibendum; quod Paulus 1. ad Corinth.10. grauiter taxat: *Alius*, inquit, *esurit, alius autem ebrius est.* LITERAL. Vermil. 1.Cor.10,

VERSVS XIV.

VVlgata. Dixitque ei: vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum quo madet. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xanto Pagnino. Dixitque ad eam Heli: vsquequo ebria eris? Remoue vinum tuum de super te. Pagni.

Hebraica ex Franc. Vatab. Dixitque ad eam Heli: quousque ebria eris? Depone vinu tuum à te. Vatab.

Caldaica ex Benedicto Arias. in Regia. Et dixit illi Hheli: vsquequo tu delirans? an non digeres vinum tuum à te? Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et dixit ei Heli: vsquequo ebria eris? aufer vinum à te. Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Sixtiana. Et dixit ei puer Heli: Quousque eris ebria? aufer vinum tuum, & vade à facie Domini. Sixtia.

Philo Hebræus libro de temulentia. Quousque temulenta es? aufer istam temulentiam à te. Philo.

Chrysost. hom. de fide Anna tom.1. Et dixit illi puer Heli: Quousque eris ebria, discute vinum tuum abs te, & recede à conspectu Domini. Chrysost.

Salianus tomo 3. Annal. Anno Mundi 2900. numer. 31. ex Septuaginta: Quousque inebriaberis? Salian.

PP. ET AVCTORES.

1 *Dixitque ei.* Philo Hebræus lib. de Temulentia prope finem. Cæterùm quæcunque anima impleta fuerit gratia, gaudet confestim, & ridet, exultat MORAL. Philo. *gratia inebriat animã.*

exultatque;bacchatur enim ; ita vt vulgò ebria videatur ; insanire rapta extra se , & idem dicitur ad eam à quodam puerulo non vno , sed à quolibet iuueniliter petulante: *Quousque temulenta es? aufer istam temulentiam à te.*

LITERAL. Chrysost. 2 *Dixitque ei.* Chrysost. hom. de fide Annæ tom. 1. Vt Satanas prospexit eam magnò animo ferre sterilitatem, addit Sacerdotis puerum, qui magis illam exacerbaret.

MORAL. Carth. 3 *Dixitque ei.* Carthus. ibi art. 1. Pertinuit quippe ad Præsulem , & iudicem populi ex suo officio corripere reos.

LITERAL. Serari. 4 *Dixitque ei.* Serarius ibi. Videtur à Græcis significari , reprehendisse quidem ipsum Heli Annam quasi ebriam, sed per puerum; vel quia paulò ab ea longius aberat , vel grauitatis , & modestiæ ergo.

LITERAL. Santius. 5 *Dixitque ei.* Gaspar Santius ibi num. 48. Est longè probabilius magisque ad lectionem Vulgatam, & Hebræos Codices, non à seruo, sed ab ipso Sacerdote , Annæ exprobratam fuisse vinolentiam.

LITERAL. Mendoza. Pagn. Vatab. 6 *Dixitque ei.* Franc. Mendoza ibi. §. 2. Vulgata non exprimit , quisnam hoc dixerit. Exprimitur tamen in Hebræo fuisse Heli , Ex quo Pagnin. & Vatablus similiter transtulerunt : vnde veritas Hebraica præferenda est. Ad Septuaginta responderi potest primò, mendum irrepsisse in eorum translationem, quam aliis quoque locis scriptoris iniuria depraua tam esse Patres, & Interpretes fatentur: 2. Bis dictum fuisse Annæ illam contumeliam semel ab Heli, vt est in Hebræo , & iterum à puero Heli, vt habent Septuaginta. 3. Illam orationem : *Dixit ei puer Heli*, esse intransitiuam ; itaut puer non sit alius ab Heli, sed vnus, atque idem Sacerdos puer appelletur, quo pacto veteres Patriarchæ, frequentissimè in Scriptura pueri dicuntur. Abraham Psal. 104. *Quod habuit ad Abraham puerum suum.*

Psal. 104.

LITERAL. Salian. *Filij Heli quales.* 7 *Dixitque ei.* Salianus tom. 3. Annal. anno mundi 2900. in Scholiis. Non negauerim animum meum illa suspicione pulsari, ne hoc loco memoratus puer Sacerdotis non eius famulus esset , sed filius iunior, qui contemptim dicitur puer , quem Heli pro sua nimia in liberos indulgentia coram se peccantem, & mulieri Sanctæ contumeliosè insultantem non reprehenderit, quod in famulo nequaquam videtur fuisse laturus.

LITERAL Author Catenæ. Philo. Chrys. Serari. 8 *Dixitque ei.* Author Catenæ. Septuaginta in Bibliis Sixtianis verba hæc non Sacerdoti, sed eius puero, seruo, aut filio adscribunt. Vnde etiam Philo Hebræus, & Chrysost. hauserunt. Concordia tamen cum Vulgata facilis est; si vt exponit Serarius verba ad Sacerdotem referantur, non immediatè , sed medio puero, quo interprete aut internuncio , vel distantia loci, vel authoritate vsus sit.

MORAL. Chrysost. *Annæ patientia.* 9 *Vsquequo ebria eris?* Chrysost. Hom. de fide Annæ tom. 1. Hic potissimum licet huius mulieris philosophiam percipere. Domi exprobrabat æmula; venit in templum, & Sacerdotis puer afficit illam contumelia , & increpat ipse Sacerdos. Effugerat domesticam tempestatem ; venit in portum , & rursùs inuenit vndas. Venit acceptura medicamen , & vulnus exasperatum est. Scitis quomodo animi in mœrore constituti aduersus contumelias, & conuitia sint affecti ; quemadmodum acerba vulnera , ne leuem quidem manus contactum ferunt ; sic & animus perturbatus difficilis est, ac morosus , & ad omnia indignatur , quotiisque verbo mouetur , & offenditur. Verùm hoc non accidit huic mulieri , ne tum quidem cùm à puero conuiciis peteretur. Nam si Sacerdos fuisset conuiciatus , non erat perinde miranda tolerantia , propterea quod dignitatis magnitudo , ac magistratus authoritas , vel inuitam illam compulisset ad modestiam. Nunc verò nec aduersus Sacerdotis puerum indignata est ; quo magis etiam sibi conciliauit Deum.

MYSTIC. Gregor. 10 *Vsquequo ebria eris?* Gregor. lib. 4. Variarum Enarrat. cap. 1. Quia ei silentium inducere tentauit , adiunxit : *Digere paulisper vinum quo madet.* Vinum quo madebat Anna digereret , si à feruore prædicationis sancta Ecclesia Iudæorum minis victa tepuisset ; & quia vltro prædicationis sensum ei subtrahere nitebantur , vinum Annæ paulisper digerere iubetur, an non digerere Annam Heli tunc iussit, cùm Iudæorum Principes cæsis Apostolis denunciauerunt , dicentes : ne vltrà loquerentur in nomine Iesu: sed qui illud , quo madebant digerere vinum noluerunt , respondentes dixerunt : *obedire oportet magis Deo quam hominibus.*

Actor. 5.

HISTOR. Comest. 11 *Vsquequo Ebria eris?* Petrus Comest. in Historia Scholast. cap. 2. Attendens Heli motum labiorum eius, vocemque non audiens , æstimans temulentam, ait: *digere paulisper &c.*

MORAL. Glossa. Ordinaria 12 *Vsquequo ebria eris?* Glossa Ordin. ibi. Homo videt in facie , Deus in corde. Heli æstimabat ebriam , qui tantum os intuebatur : Dominus autem respexit ad orationem eius, qui videbat cor eius.

LITERAL. Abul. 13 *Vsquequo ebria eris?* Abul. ibi. quæst. 24. Quasi dicat : iam multum durat , cùm moueris labia à multo tempore nihil loquens. Cessa igitur ab hac ebrietate; existimauit enim Heli non esse conueniens, quod mulier illa maneret ibi, si ebria erat, quoniam vilipenditur sic Sanctuarium, quod recipiantur in eo ebrij, vel insanientes.

MORAL. Author Catenæ. *peccatum peccata Vocat.* 14 *Vsquequo ebria eris.* Author Catenæ. Rarò error vnus, aut crimen existit , sed tacito & naturali quodam studio alios, & alios annectit. 2. vulneratur modestia Sacerdotis , qui obseruabat os eius , deinde inordinatum iudicium , ne dicam temerarium accedit: denique probra & contumeliæ. Igitur *principiis obsta* , ne te comprimant catenati eorum implexus. Cæterùm excusari Heli potest ex rationibus suprà scriptis.

MORAL. Palafox. 15 *Vsquequo ebria eris?* Ioannes Palafoxius lib. 1. Hist. sacræ Regalis. Propria quidem ac familiaris afflictæ fœminæ fortuna. Cuncta illi ad malum dantur. Non edit præ angustia ; à marito reprehenditur. Filios non habet , ab æmula probris impetitur: Orat in templo , à sacerdote notatur ebrietatis..

LITERAL. Glossa Ordin. 16 *Digere paulisper vinum.* Glossa Ordinaria ibi. Id est dormiendo excoque.

LITERAL. Lira. 17 *Digere paulisper vinum.* Lira ibi. Quasi dicat: Vade prius ad dormiendum , & postea venias ad orandum.

LITERAL. Cart. 18 *Digere paulisper vinum.* Carthus. ibi art. 1. Id est : Vade & dormi ad tempus , vt quiescendo digestio potus fiat in te , nec humores os tuum sic impleant.

LITERAL. Abul. 19 *Digere paulisper vinum.* Abul. ibi. quæst. 24. Idest: successiuè vel leuiter , sine tali motu corporis maneas : in quo suadebat ei , quod iret ad dormiendum: & sic paulisper digeretur vinum: nullus enim melior modus ad tollendam ebrietatem est, quàm somnus.

LITERAL. Idem. 20 *Vinum quo madet.* Idem, Ibid. Quod significat superabundantiam; nam si quis Vinum sumpsit sobriè, ad mollificandum cibum requiritur , & ad

conseruan

conseruandam interiorem temperiem: cùm verò quis super modum suppressit, dicitur madere, scilicet qui à vino videtur esse profusus tam intra, quàm extra.

VERSVS XV.

Vulgata. *Vulgata.* Respondens Anna: nequaquam inquit Domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinúmque, & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.

Benedict. *Benedictina in margine*: nam mulier molesto animo ego sum: vinumque & siceram non bibi.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et respondens Channanh, & ait: non domine mi: mulier dura spiritu ego, & vinum, & sechar non bibi, sed effudi animam meam ad facies Domini.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Respondit Hanna & ait: minime mi domine, ego mulier sum ægro animo: vinum & siceram non bibi; sed effudi animum meum coram Domino.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et respondit Anna, & dixit: non domine mi: mulier tribulata spiritu ego; & vinum noqum, & antiquum non bibi, & dixi afflictionem animæ meæ in oratione ante Dominum.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et respondit Anna, & dixit: nequaquam domine. Mulier in dura die ego sum, & vinum, & quod inebriare potest non bibi: & effundam animam meam in conspectu Domini.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtiana.* Et respondit Anna, & dixit: nequaquam domine. Mulier dura dies ego sum, & vinum, & inebriamentum non bibi, & effudi animam meam coram Domino.

Pagn. *Pagninus in margine.* Non domine mi sum ebria; sed mulier dura spiritu sum.

Philo. *Philo Hebræus lib. de Temul.* Mulier dura dies ego sum: vinum aut potum inebriantem non bibi, & effundam animam meam coram Domino.

Chrysost. *Chrysost. hom. 15. in Acta Apost. tom. 3.* Mulier in amaro die ego sum.

Sanctius. *Gaspar. Sanctius ibi num. 50.* Mulier duri, siue amari spiritus ego sum.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Comestor. 1 *Respondens Anna.* Petrus Comestor in Historia Scholastica cap. 2. Quæ respondit nequaquam domine, sed mulier infelix ego sum vsque adhuc. Ora pro ancilla tua.

Moral. Mendoza. *Contumeliarum responsio.* Eccles. 3. 2 *Respondens Anna.* Francisc. Mendoza ibi §. 1. Tacuit ad contumelias Phenennæ; respondit ad contumelias Heli; sciens tempus tacendi, & tempus loquendi, Ecclesiast. 3. Ratio est quia Phenenna erat persona priuata; Sacerdos autem publica, & proinde huic, non illi satisfacere oportebat. Itē quia Phenenna loquebatur ex odio: Sacerdos ex zelo. Vnde illud negligendū erat, hic autem instruendus.

Moral. Sanctius. *Anna prudentia. Prælatus vt Deus habendus.* 3 *Respondens Anna.* Gaspar Sanctius ibi n. 46. Nihil respondit immoderatum, & asperum, aut contra Pontificem, à quo sciebat seuerum illud manasse conuitium; neque contra puerum, cuius ætati, ac conditioni nullam videbat reuerentiam deberi, aut quia non tam illud conuicium à puero, quàm ab eius domino prōfectum agnouerat, aut quia iam assueta ab æmula sua non dissimiles audire contumelias, aut certe, quia illum fructum, si modò vera, parit oratio; vt nemo ad huiusmodi insultus maneat ignauus, & iners. Sed illud pro religiosis præclarum est documentum; non spectandum à quo proxime correctio prodeat, nimirum ab homine, sed à quo primum, & à cuius imperio, nempe à Deo.

Moral. Author Catenæ. *Contumeliarum responsio qualis culpa moralis reprehensibilis.* 4 *Respondens Anna.* Author Catenæ. Quid causæ est, quod Anna ab vtroque contumeliis petita, Sacerdoti quidem responderit, ad Phenennæ autem conuicia conticuerit? Ratio duplex est. Prima quia Pontificis animum non maleuolum ex sua responsione moderatum iri credebat: æmulæ autem odium nulla ratione curari posse sperabat. Secunda quia Phenenna naturalem illi defectum, seu notam obiecerat, qui quidem sunt extra hominis arbitrium: at Sacerdos moralem culpam intemperantiæ, quam expurgare oportebat. Sic Christus Dominus ad Phariſæorum probra dæmonium se habere inficiatus est, cùm de opprobrio naturæ seu patriæ quod Samaritanus esset, subticuisset. Ioan. 8. 49. Ioan. 8. 49.

Moral. Chrysost. *Modestia Annæ. Contumeliarum responsio.* 5 *Nequaquam domine mi.* Chrysost. hom. de fide Annę tom. 1. Qui contumelioſè locutus fuerat, eum appellat dominum: non dixit, vt plerique solent; istene Sacerdos? iste qui alios docet, temulentiam mihi exprobrat? Sed illud spectabat quomodo suspicionem depelleret, licèt falsam. Nos contra: si quando conuitiis appetimur, cùm oporteret excusare, & in gratiam referre, frequenter excitamus incendium, ac ferarum in morem insilimus in conuiciatores præfocantes stricto collo trahentes, pro dictis supplicium reposcentes. Atqui his ipsis factis suspicionem de nobis confirmamus. Nam si cupis, exprobrantibus ostendere te non esse temulentum, ostende per mansuetudinem: ostende per humanitatem, non per contumelias & conuicia.

Moral. Gregor. *Anna modestia.* 6 *Nequaquam domine mi.* Gregor. 1. variarum cap. 1. Dominum vocauit, cui ministerium prædicationis exhibuit. Sed Dominum vocans, ebriam se esse abnegat; vt superiori ordini ex humilitate se subderet, & falsæ obiectioni ex veritate contrairet. Dominum namque eum vocans honorauit, & ebriam se esse abnegans, quod non erat, satis humiliter ostendit.

Moral. Theod. *Annæ modestia.* 7 *Nequaquam domine mi.* Theodoretus ibi. q. 5. Operæ pretium est autem etiam admirari eius morum modestiam, probro enim appetita, quòd esset ebria, leniter tulit, & depulsa suspicione docuit afflictionem, qua laborabat, & Pontificalem assequuta est benedictionem.

Mystic. Beda. *Reuerentia senioribus.* 8 *Nequaquam domine mi.* Beda lib. 1. expos. Allegor. cap. 2. tom. 3. Respondens Ecclesia de Gentibus: nequaquam inquit; ô Sacerdos Iudææ putes oneratam peccatis, quæ baptismatis fonte, sacrique corporis, & sanguinis participatione iam purgata, templum Christi intus facta sum. Quem iure dominum voco, quia me tam antiquo electionis tempore præcessisti.

Histor. Anton. 9 *Nequaquam domine mi.* S. Antoninus Florentinus 1. p. tit. 2. cap. 6. Cùm reprehenderetur ab Heli quod ebria oraret, illa humiliter se excusauit, indicans suam afflictionem.

Literat. Abul. 10 *Nequaquam domine mi.* Abul. ibi. q. 24. Nolebat reputari Anna ebria, nec decebat, sed magis voluit significare Sacerdoti causam orationis suæ, vt sic fortè adiuuaret eam; quod & factum est.

Moral. Charen. 11 *Nequaquam domine mi.* Hugo Charen. in Postilla. Nota humilem responsionem mulieris in

confusionem multorum religiosorum, qui contumelias, neque etiam correctionem sustinent, sed durius respondent.

MORAL. Salian. *Anna quanta patientia.*

12 *Nequaquam domine mi.* Salianus tom.3.annal. anno mundi 2900. num. 30. Vides igitur insignem mulieris modestiam, & quam multa in vno exemplo patientiæ argumenta concurrant. Primum mulieri infirmæ, ac fragili, & perturbato iam animo, afflictóque noua ingerebatur afflictio. Secundò mulieri, quæ nullo modo se conscium istius culpæ esse sentiret; nam *Qua venit ex merito pœna ferenda venit.* Tertiò quod conuitium præsertim in honesta atque honorabili Matrona atrox esset ac probrosum; non enim tantum ebria dicitur, vt in Hebræo Latinóque textu, sed ebriosa. Id enim valet illa vox *vsquequo*, & Septuaginta in *ebriaberis.* Quartò, quòd non à Pontifice, sed à paruulo iuxta Chrysostomum, & Septuaginta Interpretes accepit iniuriam: Quintò; quòd fœdo conuicio honorificam reddit appellationem. Sextò, quòd nec iudicij temeritatem in Sacerdote arguit, nec Phenennam æmulam fontem doloris sui accusat.

TROPOL. Vermil.

13 *Nequaquam domine mi.* Petrus Vermilius Hæreticus in comment. Non dixit: In misera mulierecula culpam, quæ nulla est, videre potes: filios vero tuos ebrios & sacrilegos non vides. Sed neque fecit quod nonnulli solent, qui dum admonentur insolentissime respondent: suspicentur de me homines quæ volunt; mihi satis est mea conscientia.

MORAL. Mendoza. *Bona confessio qua?*

14 *Nequaquam Domine mi.* Franc. Mendoza ibi. §.4. Factum in primis negat, nam sicut iusti proprium est, ingenuè fateri culpam, quam habet; ita quam non habet strenue diffiteri. Vnde non minùs pœnas dedit Amalecites ille 2.Reg.1.10. tribuendo sibi homicidium Saülis, quod non commisit, quàm Cain. Gen.4.9. negando homicidium Abelis, quod patrauit.

TROPOL. Author Catenæ. *Anna, & Christi mansuetudo.*

15 *Nequaquam domine mi.* Author Catenæ. Inuerecundum puerum dominum suum vocat, vel ex reuerentia loci sacri; vel potius Pontificis, cui puer famulabatur, strenuum humilitatis, & mansuetudinis exemplar: perfectius tamen Domini Saluatoris, qui post inflictam alapam ab alio Pontificis seruo obstupescentibus cœlis super hoc miro mansuetudinis portento leniter rogat. *Si male locutus sum testimonium perhibe de malo: si autem bene cur me cædis?* Ioann.18.23.

Ioan.18.23.

MORAL. Chrysost.

16 *Nam mulier infelix nimis ego sum.* Chrysost. hom.de fide Annæ tom.1. subtexuit: *mulier in duro die sum ego; vinum & quod inebriat, non bibi.* Obserua quomodo nec hic commemorat æmulæ conuitia, neque traducit illius malitiam, nec domesticam calamitatem exaggerat eulgans. Sed hactenùs aperit suam anxietatem, vt tantum se se apud Sacerdotem purgaret.

MORAL. Idem. *Annæ mansuetudo.*

17 *Nam mulier infelix nimis ego sum.* Idem hom.25. in Acta Apost. tom. 3. Nihil reuera afflictioni par philosophiæ mater est. Ista etiam æmulam habens non affecit illam contumelia. Sed quid? ad Deum confugit, & orans illius nec meminit, neque dicit, quoniam opprobriis affecit me quædam; vltor meus esto: adeò philosophiæ assueta erat mulier. Confundamur viri, quamuis, scitis, quod zelo nihil parcit.

MORAL. Philo.

18 *Nam mulier infelix nimis ego sum.* Philo Hebræus lib. de temulentia post medium. Meritò igitur ad iuuenilem irrisionem venerandæ, austeræque vitæ insultantem respondetur. *Mulier dura dies ego sum, vinum aut potum inebriantem non bibi, & effundam animam meam coram Domino.* Ingentes opes animæ, quæ gratiis Dei plena est. Primùm duram diem vocat se ipsam, respiciens illudentem puerulum, nam huic, & cuiuis insipienti aspera, ardua, difficillimáque videtur via ducens ad virtutem.

19 *Nam mulier infelix nimis ego sum.* Greg.1. variarum cap.1. Quasi dicat: tu me labentis mundi felicitatem appetere cogitas: sed ego tanto infeliciorem me video, quanto felicitatis meæ gaudia, hinc longiùs recognosco. MORAL. Gregor.

20 *Nam mulier infelix nimis ego sum.* Idem ibid. Mulier sancta Ecclesia dicitur pro fœcunditate. Infelix nimis pro fortitudine, quia, & orbem verbo paritura erat; & orbis gloriam non posset perfectè despicere; si non eam supremus amor mira fortitudine roboraret. Vel nimis infelix fuit quia de perditione populi sui non parum doluit, nimis infelix fuit, cui nullum de sæculo blandimentum placuit. MYSTIC. Idem.

21 *Nam mulier infelix nimis ego sum.* Beda lib.1.expos. Alleg. cap.2.tom.3. Vocat se Anna infelicem propter duo. Primò propter defectum prolis; nam si mulieres propter abundantiam prolis vocabantur felices. Gen. 30. ita à contrario vocabuntur infelices propter defectum prolis. Secundò vocatur infelix quia affligebatur nimis ab æmula sua, & vitam ducebat amaram. LITTER. Beda.

22 *Nam mulier infelix nimis ego sum.* Liranus ibi. Tum propter defectum prolis; tum propter verba Phenennæ me prouocantis. LITTER. Liran.

23 *Nam mulier infelix nimis ego sum.* Carthus. ibi art.1. Ideſt valdè misera, loquendo de miseriis pœnæ, non culpæ, saltem mortalis; hoc est aduersitatibus sum repleta ex sterilitate, dolore, opprobrio, & insultationibus, ideò non delectat me vinum potare. LITTER. Carthus.

24 *Nam mulier infelix nimis ego sum.* Caietanus in commentario. Iuxta Hebræum habetur. *Mulier dura spiritu ego*, ad instar rei duræ, quæ non cedit tangenti, quæ nec flectitur, sed perseuerat in suo rigore, describit proprium spiritum circa prolem generandam, & est sensus: quod spiritus meus non cedit consolantibus, nec flectitur diuturnitate temporis, sed perseuerat desiderando prolem. LITTER. Caietan.

25 *Nam mulier infelix ego sum.* Ioannes Pineda in cap.30. Iob vers.35. Quamuis frequenter durus dicatur actiue, qui se durum ac difficilem præbet, vel contumacem, & rebellem. Tamen aliquando etiam accipitur quasi passiue pro eo, qui dura patitur, ideſt difficilia ad tolerandum. Vnde 1. Reg.1. *Mulier infelix nimis ego sum.* Pagninus ex Hebræo, *mulier dura spiritu.* LITTER. Ioan. Pin.

26 *Nam mulier infelix nimis ego sum.* Franc. Mendoza ibi. §.5. Suæ innocentiæ tripliciter fidem facit. Primò appellando Dominum, à quo dicta fuerat contumelia. Neque enim tanta patientia iuncta esse poterat cum temulentia. Secundò fidem facit appellando se mulierem. *Nam mulier*, inquit, *infelix, &c.* quia nihil magis à muliere alienum, quam ebrietas videatur: iuxta illud. *Mulier ebriosa ira magna, & contumelia*, Eccles.26. Tertiò tandem Anna suam probat sobrietatem, omnémque ebrietatis calumniam repellit, ratione status nimium infelicis, in quo est. LITTER. Mendoza. MORAL. Eccl. 26.

27 *Vinúmque, & omne quod inebriare potest, non bibi.* Philo Hebræus lib.de Temulent. post medium. Negat se vino & potu inebriante vsam, & perpetua vitæ sobrietate gloriatur. Nam obtinere cogitationem liberam, puram immunémque MORAL. Philo Iudæus.

ab

ab affectionibus perturbatricibus res est profectò admiratione dignissima.

MORALIT. Gregor. 28 *Non bibi.* Greg. 1. variarum cap. 1. Vinum namque non bibit, quia de prædicationis officio temporalia lucra non petiit. Aliud quod inebriare potest non bibit, quam in lapsum vitiorum carnis concupiscentia non euertit.

HISTOR. Iosephus. 29 *Non bibi.* Iosephus lib. 5. Antiquit. cap. 11. Quæ cùm respondisset aquam se potare, sed mœstam, quòd liberis careat, precibus à Deo sterilitatis remedium petere; bono animo eam esse iussit.

TROPOL. Simon. 30 *Non bibi.* Simon de Cassia lib. 8. cap. 51. Anna ni argueretur bibisse quod non bibebat vinum; filiam Belial se negabat, quia non biberat ac per hoc Diaboli se filiam profitebatur, si aliquando bibisset. Anna miraculosè suscepit filium Samuelem, quoniam quod inebriare poterat nunquam biberat.

LITERAL. Liran. 31 *Non bibi.* Lira. ibi. Quia liquorem inebriatiuum non biberat illa die, vel si biberat, acceperat ita parùm, quod quasi nihil esset reputandum.

LITERAL. MORAL. Abul. *Famine à vino abstinent.* Ps. 101. 32 *Non bibi.* Abul. ibi. quæ. 24. Fortè hoc erat quia Anna erat totaliter abstinens à vino, secundùm quod multæ de fœminis propter honestatem faciunt. Vel fortè quia illa die nihil de vino sumpserat, quia vinum est ad lætificandum Psalm. 102. Anna autem erat in amaritudine, & consolari nolebat; ideò non erat bibitura vinum.

MORAL. Gueuara. *Parentum auspicia fausta filiis.* 33 *Non bibi.* Hieronymus Gueuara. tom. 1. in Matthæum obseruatione 1. vers. 2. verè permisit Deus iaculatam ebrietatis calumniam in nobilem fœminam instante Samuelis conceptione, vt Samuelis sanctitas, qui ex parentis voto Nazaræorum religioni erat dedicatus, illustria auspicia nanciscereturà matris conceptione, quæ se à vino abstinuisse testata est. Iam in corde matris inueniebat Samuel Nazaræi instituti obseruationem, & de matris corde effusus, de ipsamet legis Nazarææ custodia natus, seu partus videbatur.

MORAL. Philo. 34 *Sed effudi animam meam.* Philo Iudæus lib. de Temulentia post medium. Quid aliud sibi volunt illa verba: *Effundam animam meam in conspectu Domini*; nisi totam me ipsam ei consecrabo? Id fit quoties quis abruptis, quibus prius stringebatur vinculis, quæ mortalis vitæ indiderant vana studia exolutis omnibus, & in tantum exspatiatus, extentus, effusúsque, vt vel ad extremos mundi pertingat terminos, ad pulcherrimá celebertimámque illâ ingeniti contẽplationem penetrat.

HISTOR. Philo. 35 *Sed effudi animam meam.* Pseudophilo in Antiq. Biblicis. Mulier sum Elcanæ; & quoniam concludens conclusit Deus metram meam, orauiin conspectu eius, vt non eam ad eum sine fructu de sæculo hoc, & non moriar non habens imaginem meam.

MORAL. Chrysost. *Oratio effusa cordis.* 36 *Sed effudi animam meam.* Chrysost. hom. de fide Annæ tom. 1. Non ait: deprecor Dominum, supplico Domino, sed effundo animam meam coram Domino; hoc est, me ipsam totam conuerti ad Dominum: mentem meam exinaniui apud illum: toto animo totáque virtute precationem meam peregi: Deo narraui calamitatem meam: ostendi vulnus, ille potest dare remedium.

ALLEG. Gregor. *Prædicator qualis?* 37 *Sed effudi animam meam.* Greg. 1. Variar. c. 1. Effundere animam in conspectu Domini est conceptam in mente Dei verbi scientiam pro solo conditoris amore prædicare.

MORAL. Steph. Tilman. 38 *Sed effudi animam meam.* Stephanus Cantuar. de inani gloria apud Tilmanum in Allegoriis Bibliæ. Nota quod in effusione res patet, quid sit, & res effusa vilis reputatur: sic pœnitens debet ostendere, quæ facit, & se vilem reputare. *Pœnitens qualis?*

HISTOR. Zonar. 39 *Sed effudi animam meam.* Ioannes Zonaras tom. 1. Annal. Neque vinum inquit bibi Domine, nec aliud quidquam quod inebriet, sed dolore orbitatis contabesco.

LITERAL. Abul. 40 *Sed effudi animam meam.* Abul. ibi. q. 24. Potest autem intelligi effusio animæ dupliciter: vno modo, quòd accipiatur anima, pro parte rationali: alio modo quòd accipiatur pro ira. Primo modo dicitur quis effundere animam, idest exprimere omnia secreta, quæ habuit in corde, vel proponere omnes conceptus suos; & ita fecit Anna. Secundo modo dicitur effundere animam id est iram. Anima enim, & spiritus idem sunt. Sed spiritus interdum pro ira accipitur. Sic patet Isai. 2. *Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius.* Anna autem effudit animam suam coram Domino, id est, iram.

LITERAL. Char. 41 *Sed effudi animam meam.* Charensis in Postilla, Perdeuotam orationem.

LITERAL. Vatab. 42 *Sed effudi animam meam.* Vatablus in Scholiis. Id est deprompsi quidquid habebam in animo.

LITERAL. Pineda. 43 *Sed effudi animam meam.* Ioan. Pineda. tom. 2. in Iob cap. 30. v. 26. Cùm variæ cogitationes, & confusæ, perturbatæque curæ coram Deo exponuntur inter orandum.

LITERAL. Castro. 44 *Sed effudi animam meam.* Christophorus à Castro lib. 5. comment. in Ieremiam Thren. 2. n. 22. Hoc est, explicaui, inquit Anna, desiderium meum Domino.

LITERAL. Marian. 45 *Sed effudi animam meam.* Ioan. Mariana in scholiis. Quod animum meum penitùs aperui.

LITERAL. MORAL. Mendoz. *effundere animã quid?* 46 *Sed effudi animam meam.* Francisc. Mendoza ibi. 5. 9. Sicut effusa aqua nihil coloris, aut saporis, aut odoris in vase relinquitur; ita effusa anima coram Domino nihil proprij arbitrij, aut propriæ voluntatis in ea retinetur. Tum denique quia significat affectus semel Deo creditos nunquam in posterum repetendos, sicut aqua effusa ex vrna, nunquam postea in vrnam reuocatur.

TROPOL. Cassia. 47 *Sed effudi animam meam.* Simon de Cassia lib. 10. cap. 26. Cùm anima tota effunditur in conspectu Domini, non expedit orationem multis verbis aërem verberare.

VERSVS XVI.

Vulgata. *Vulgata.* Ne reputes ancillam tuam quasi vnã de filiabus Belial; quia ex multitudine doloris, & mœroris mei locuta sum vsque in præsens.

Benedict. *Benedictina in margine.* Ne ponas ancillam tuam coram Domino &c.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Ne dederis ancillam tuam ad facies filiæ sine profectu, quia ex multitudine meditationis meæ, & indignationis meæ locuta sum hactenùs.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatab.* Ne connumeres me ancillam tuam inter filias Belial, nam ex multitudine meditationis meæ, & turbationis meæ hactenùs locuta sum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasmontana in Regia.* Ne exprobres ancillæ tuæ ante filium improbitatis; nam à multitudine inuidiæ mei, & irritationis mei dilatauí in oratione vsque nunc.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complutenſi & Regia.* Ne iam des ancillam tuam in faciem in filiam peſtilentem, quia ex multitudine meditationis meæ, & ex multitudine triſtitiæ meæ conſumpta ſum vſque nunc.

Sixt. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Ne dederis ſeruam tuam in filiam peſtilentem, quoniam ex multitudine meditationis meæ extendi vſque nunc. *Aly*, extabui vſque nunc.

Theod. *Theodotio.* Ne reputes ancillam tuam tanquam vnam indiſciplinatarum.

Pagn. *Pagninus in margine.* Ne reputes quòd ancilla tua ſtet coram Domino tanquam filia impia, quia ex multudine eloquij mei, & indignationis meæ, locuta ſum hactenus.

Vatab. *Vatablus in Scholiis.* Ne ponas me coram filia impia: nam præ multitudine querelarum (querimoniarum) mearum, & ægritudinis (animi) mei hactenùs locuta ſum.

Chryſoſt. *Chryſoſt. hom. vnica de fide Annæ, tom. 1.* Ne des ancillam tuam in faciem, in filiam peſtilentem. *& ſerm. 23. in epiſtolam ad Epheſios tom. 4.* Ne reputes ancillam tuam tanquam filiam perditam, quoniam ex multitudine meditationis meæ expleta ſum hucuſque. *Et hom. 79. de oratione ad Popul. Antioc. tom. 5.* Ne des ancillam tuam in filiam peſtis, quoniam ex multitudine ſermones meos extendi vſque nunc. *Et hom. 24. in epiſtol. ad Epheſ. tom. 4. in editione Antuerpienſi anni* 1614. Ne reputes ancillam tuam filiam nihili, quoniam ex multitudine meditationis meæ liquefacta ſum hucuſque.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Idem. *Cura de bono nomine.* 1 *NE reputes ancillam tuam.* Chryſoſt. hom. de fide Annæ tom. 1. Rursùs ancillam appellat ſe ipſam, multam adhibens curam, ne à Sacerdote malam referat opinionem; nec apud ſe dixit. Quid mihi curæ eſt illius calumniæ? Ignoranter ac temerè accuſat: ſuſpicatur vbi nihil erat opus. Mea conſcientia pura eſto; & omnes me traducant. Sed Apoſtolicam illam impleuit legem, quæ iubet, vt prouideamus bona, non tantùm coram Domino, ſed etiam coram hominibus, atque omninò ſuſpicionem depulit, cùm ait; *ne des ancillam tuam in faciem, in filiam peſtilentem.* Quid eſt autem in faciem? Ne me exiſtimes effrontem, & impudentem eſſe. Angoris non vinolentiæ eſt hæc audacia: mœroris non ebrietatis.

Moral. Idem. 2 *Ne reputes ancillam tuam.* Idem ſerm. 23. in epiſtol. ad Epheſ. tom. 4. Iſtud verè cordis contriti eſt, quando erga eos, qui nos conuiciis afficiunt, non iraſcimur: quando moleſtè non ferimus: quando nos excuſamus. Nihil adeò cor philoſophicum facit, quam tribulatio.

Moral. Idem. 3 *Ne reputes ancillam tuam.* Idem hom. 79. ad popul. Antioc. de oratione tom. 5. Hoc contriti cordis eſt, cùm in contumeliam facientes, non indignamur, ſed etiam nos excuſamus. Nihil enim ita cor continens efficit, vt tribulatio, & ſecundùm Deum luctus.

Mystic. Gregor. 4 *Ne reputes ancillam tuam.* Gregor. lib. 1. variarum cap. 1. Quaſi dicat Eccleſia quæ tibi æternæ vitæ bona loquitur velut idololatra deſpici non meretur. Ancillam quoque ſuam ſe aſſerit, vt cognoſcat ex nomine miniſterij, quia ad æterna appetit ei lucra famulari.

Mystic. Beda. 5 *Ne reputes ancillam tuam.* Beda lib. expoſ. Allegor. cap. 2. Ne me compares animabus diabolica fraude deceptis, quia ex toto corde pœnitentiam agens commiſſorum abrenunciaui Satanæ, & omnibus operibus eius ac pompis illius: inſuper & iugum Chriſti ſuauiſſimum, quod ille dudum de collo ſuo ſuperbus excuſſit, vnde, & Belial, ideſt, abſque iugo appellari meruit, ſedula ſuſcepi.

Literal. Abul. Moral. 6 *Ne reputes ancillam tuam.* Abul. ibi. quæſt. 24. Orat Anna ne Heli conciperet malam opinionem, ſcilicet, quòd eſſet ebria, quia hoc pertinet ad filios Helial: *dicuntur autem homines Helial homines* indomiti, vel ſine iugo: ſic patet Iudicum 19. ſcilicet: *venerunt viri ciuitatis illius filij Helial*, ideſt abſque iugo; ad homines autem non habentes iugum pertinet inebriari, ſcilicet quia non ſubiiciunt ſe regulæ rationis; ſed ſequuntur omnia deſideria ſua.

Literal. Carthuſ. 7 *Ne reputes ancillam tuam.* Carthuſ. ibi art. 1. Ideſt noli me computare in numero mulierum guloſarum, atque rebellium, quæ ſine iugo legis, & abſque freno diſciplinæ cõuerſantur, & peccant.

Literal. Pined. 8 *Ne reputes ancillam tuam.* Ioann. Pineda tom. 2. in Iob cap. 32. v. 2. aliquando dictio *coram*, videtur vnius cum alio comparationem habere, vt 1. Regum 1. 16. *Ne reputes ancillam tuam, &c.* ex Hebræo, *ne reputes ancillam tuam ad faciem filij Belial.* Quod idem eſt quod coram filia Belial.

Literal. Mendoza. 9 *Ne reputes ancillam tuam, &c.* Franc. Mend. ibi §. 1. Quaſi diceret: ancilla tua ſum, cura, vt omnis à me ignominia propulſetur; ne in tè Dominum meum, quod fieri ſolet, refundatur.

Moral. Author Catenæ. *Humilitas exaltat animam.* 10 *Ne reputes ancillam tuam.* Author Catenæ. Notatu digna eſt lectio Chryſoſtomi. *Ne reputes me ancillam tuam filiam nihili, quoniam ex multitudine meditationis liquefacta ſum.* Vnde ſpiritualem hunc ſenſum confice. Ne me nihili feceris, imò magnam me exiſtimato, quoniam me in conſpectu Domini exinaniui vi meditationis meæ: iuxta ipſius Domini ſententiam. *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Deinde nota; quæ Pontificem dominum ſuum dixerat, conſequenter ſe ipſius ancillam profitetur, ab illis admodùm diuerſa, quibus Dominus Lucæ 6. *Quid autem vocaſtis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* hoc eſt: quid me Dominum nuncupatis, cùm tanquam ſeruos vos agere negligatis. Luc. 6.

Literal. Rupert. Angelom. 11 *Quaſi vnam de filiabus Belial.* Rupert. lib. 1. comment. in Reges cap. 2. tom. 1. Belial interpretatur abſque iugo: & notandum quòd omnes, qui ebrietatem ſectantur, filij Belial vocantur. *Eadem verba habet* Angelom.

Literal. Liran. 12 *De filiabus Belial.* Liranus ibi. Id eſt ſine iugo diſciplinæ.

Literal. Caietan. Moral. 13 *De filiabus Belial.* Caietanus ibi. Alias dictum eſt, quod Beli-iahal ſignificat abſque iugo, & applicatur ad omne vitium, pro quanto deſcribit perſonam tanquam ſine lege agentem.

Moral. Dracrian. 14 *De filiabus Belial.* S. Dracrianus in ſpeculo monachorum. Filia Belial, quæ iniquitates, tanquam meretrix impudens, colluit ſine verecundia.

Literal. Salian. 15 *De filiabus Belial.* Salianus tom. 5. Annal. anno Mundi 2900. num. 32. Intelligitur huiuſmodi voce, ſeu conuicio omne vitij genus contineri. Vnde in 2. Reg. 1. torrentes Belial, dicuntur viri improbi, qui quaſi torrentes inundantes Dauidem inuaſerant.

Literal. Mendoza. Moral. 16 *De filiabus Belial.* Franc. Mendoza ibi §. 1. Rectè temulenta dicitur filia Belial ſeu filia peſtilens; non minùs etenim à temulentia, quàm à peſtilentia fugiendum. Vltimò venit mihi in mentem an Belial ſignificet ipſum Bacchum, qui

qui planè sine iugo,& liber dicitur: filiæ vero Belial significent ipsas Bacchi sacrificulas, quæ Bacchæ, siue Mænades dicebantur, & lymphatæ, seu potius mebriatæ nocturna Bacchanalia celebrabant; de qua re multa Poëtæ. Quasi diceret Anna: Ne me reputes quasi vnam de filiabus Bacchi, quæ omnes erant temulentæ.

Mystic. Greg. 17 *Quia ex multitudine doloris, &c.* Gregor. 1. Variarum, c.1. Quasi apertiùs loquatur, & dicat: hinc agnoscę, quia nihil à malo spiritu habeā, quia ex multa pœna persequutionis ad loquēdum venio, & prædicationis instantiam, non vllis pœnis victa derelinquo. Potest etiam Annæ dolor ad afflictionem sanctæ Ecclesiæ, mœror eius referri ad passionem.

Literal. Charen. 18 *Quia ex multitudine doloris, &c.* Hugo Charen. in Postilla. Non est hoc ex ebrietate, quod facio, vt putas, sed ex doloris anxietate.

Literal. Carthus. 19 *Quia ex multitudine doloris.* Carthus. ibi art. 1. Idest huc vsque oraui, seu alia quæque locuta sum ex vehementi dolore de mea præsenti sterilitate, & mœrore persequutionis, quamdiu sustinui. Dolor equidem propriè est de malo præsenti; mœror seu tristitia de malo præterito.

Literal. Abul. 20 *Quia ex multitudine doloris.* Abul. ibi. q. 24. Quasi dicat, non feci aliquid istorum ex ebrietate, sed ex multitudine doloris, quia illa impellebat me ad faciendum, & si forte fecissem aliquos motus facie minùs honestos, non est imputandum ebrietati, sed dolori. Solent enim interdum homines irati efferatum vultum habere, & membra mouere inhonestè.

VERSVS XVII.

Vulgata. *Vulgata.* Tunc Heli ait ei: Vade in pace: & Deus Israël det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et respondit Heli, & dixit: Vade in pace, & Deus Israel det petitionem tuam, quam petiisti à cum eo.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Cui Heli respondens ait: Vade in pace: Deus Israel præstet tibi petitionem tuam, quam petisti ab eo.

Arias m. *Chaldaica ex Benedicto Arias m. in Regia.* Et respondit Heli, & dixit: Ito in pace, & Deus Israel dabit postulationem tuam, quam postulasti ab ante eum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et respondit Heli, & dixit ad eam: Vade in pace: Dominus Deus Israel det tibi omnem petitionem tuam, quam petisti ab eo.

Sixtin. *Græca ex Sept. in Sixtiana.* Et respondit Heli, & dixit ei: Vade in pace: Deus Israël det tibi omnem petitionem tuam, quam petiisti ab eo.

Chrysost. *Chrysost. hom. vnica de fide Annæ tom. 1.* Dabit tibi Dominus Deus Israel omnem petitionem, quam ab eo petisti.

Liran. *Liranus ibi. in Hebræo habetur.* Dabit tibi petitionem.

Caiet. *Caietanus ibi iuxta Hebraum habetur.* Elohe Israel dabit petitionem tuam.

PATRES ET AVCTORES.

Mystic. Greg. *Tunc Heli ait ei, &c.* Gregor. lib. 1. Variarum, cap. 1. Prius quippe Heli oranti Annæ prolatis conrumeliis contradixit: postea verò in eius sibi deuotione complacuit. Quid est hoc nisi quod Iudaicū Sacerdotium, & per alios sui officij ministros prædicanti Ecclesiæ obstitit, & per alios cognitæ demum fidei nostræ veritati consensit.

Liter. Moral. Charth. 2 *Tunc Heli ait ei, &c.* Carthus. ibi art. 1. Compatiens mulieri deuotæ in tantis afflictionibus constitutæ, ait ei. *Vade in pace*, idest tranquillitatem pectoris, & quietem forinsecùs ab infestantibus habe pergendo, *& Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.* Hebraica veritas habet. *Dabit tibi*: hoc etenim dixit Heli ex confidentia bona, quoniam vidit Annam tam ardenter, & instanter orasse: & quoniam sciuit Deum specialiter pronum, audire constituros in graui afflictione, & aduersitate; quemadmodum ait Psalm. 90. *Cum ipso sum in tribulatione*: & forsan ex repentino instinctu Spiritus sancti dixit hoc Heli pro mulieris consolatione: Prælati quippe diuersimodè tanguntur à Spiritu sancto, ad loquendum, atque agendum propter subditorum salutem, aut vtilitatem: nam & Anna verbum illud quasi ex ore Dei prolatum accepit, & credidit sic futurum.

Literal. Abul. 3 *Tunc Heli ait ei.* Abul. ibi. q. 24. Quia vidit Heli, se fuisse deceptum circa Annam, & illam iustissimam habuisse causam doloris, locutus fuit ei blandè & consolatoriè.

Literal. Salian. 4 *Tunc Heli ait ei.* Salianus tom. 3. Annal. Anno Mundi 2900. numer. 33. Non quærit quid illa particulariter rogarit, sed vniuersè ei benè precatur.

Liter. Sanct. 5 *Tunc Heli ait ei.* Gaspar Sanctius ibi. n. 55. Ebrietas modestiæ est, & rationi contraria quare in ebriis nihil sani est, nihil ingenui, nihil, quod sit cum officio, pudoréque coniunctum: quocirca cùm Anna, licèt verbis lacessita, quæ illius pudorem, & ingenium non illibetale non decorent; responderet tamen modestè, neque contra quam Pontificia dignitas exigebat, facilè sibi persuasit Pontifex, satis Annam sobriam esse, & fœminei pudoris non immemorem.

Liter. Theod. 6 *Vade in pace.* Theodoretus ibi. q. 3. Depulsa suspicione docuit affectionem, qua laborabat, & Pontificalem assecuta fuit benedictionem.

Histor. Ioseph. 7 *Vade in pace.* Iosephus lib. 5. Antiquit. Iudaicarum cap. 11. Bono animo eam esse iussit, pollicitus habituram ex Dei munificentia filium.

Mystic. Beda. 8 *Vade in pace, &c.* Beda lib. 1. expositionis Allegoricæ. c. 1. Quam prius ebrietatis notauerat, modò accepta facti sui sanctificatione benedixit. Et Principes Sacerdotum inuidi salutaria cæpta deridentes Ecclesiæ, velut ebrioso, similia spernebant. Quorum tamen nonnulli postmodum cognita de his diuina voluntate annuere credentibus.

Liter. Abul. 9 *Vade in pace.* Abul. ibi. q. 24. Idest cum tranquillitate magna, cessans à dolore; pax enim significat quandam quietem, quæ est in adeptione desideratarum rerum.

Histor. Comest. 10 *Vade in pace, &c.* Petrus Comestor in Hist. Scholastica c. 2. Intelligens eam Heli sterilem, ait, Det tibi Deus Israel petitionem tuam. Hebræus tamen habet; *dabit.*

Liter. Mendoza 11 *Vade in pace.* Franc. Mendoza ibi. §. 1. Frequens hæc est apud Hebræos salutatio, cùm amici abinuicem

abinuicem digrediuntur. Exod.4.18. 1.Reg.20.24. &c. Qua salutatione omnia bona pacis nomine significari solita imprecabantur.

MORAL. Chrysost: *Mansuetudo Annæ.*

12 *Et Deus Israel det tibi.* Chrysost.hom.vnica de fide Annæ tom.1. Considera illius prudentiam. Non inquisiuit curiosè de genere calamitatis: non exactiùs scrutatus est angoris causam. Sed quid ait? *Vade in pace. Det tibi Dominus Deus Israel omnem petitionem, quam ab eo petisti.* Mulier ex acculatore fecit patronum. Tanta res est humanitas ac mansuetudo. Pro contumelia copioso accepto viatico discessit, eumque nacta est propugnatorem, & intercessorem, quem habuerat obiurgatorem.

MYSTIC. Gregor.

13 *Et Deus Israel det tibi,* &c. Gregor.1.Variarum, c.1. Tunc Heli pro voto fœcunditatis Annæ precatus est, cùm sacerdotum plurima illa turba, fidei obediens per prædicationem Sanctæ Ecclesiæ Doctorum numerum multiplicari desiderauit.

TROPOL. Damian.

14 *Et Deus Israel det tibi.* Petrus Damianus opusculo 6. Enimuero, quis Heli sacerdotem nesciat reprobum, & tam pro lenitate sua, quàm pro liberorũ efficenata licentia diuinæ animaduersionis sententia condemnatum: eius tamen benedictione non fuit sterilis vterus Annæ, cui nimirum fœcunditatem imprecatus est, vuluæ; ait enim Scriptura: *Benedixit Heli Elcanæ & vxori eius, & dixit: reddat tibi Dominus semen de muliere hac &c.* móxque subiungit: *Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias.* Hanc itaque benedictionem efficacem reddidit, non meritum hominis, sed officium Sacerdotis; & quod non habebat causa ministri, virtus exhibuit ministerij.

HISTOR. Philo.

15 *Det tibi petitionem tuam.* Pseudo Philo in Antiq. Biblicis. Dixit ad eam Heli sacerdos: Ambula quoniam scis pro quibus oraueris, exaudita est oratio tua. Noluit autem ei dicere Heli sacerdos; quis prænumeratus est ex ea Propheta; ipse enim audiuit, cùm dixit Dominus pro eo.

LITERAL. Abul.

16 *Et Deus Israel det tibi.* Abul.ibi. q.24. Id est det tibi petitam rem. Non exprimit hic Heli petitionem Annæ, quia forte non expressit Anna, quid peteret; sed solùm dixit se infelicem nimis: quod aliqualiter apparet infra.v.22.

LITERAL. Caiet.

17 *Et Deus Israel det tibi.* Caietan. ibi. Iuxta Hebræum habetur. *Dabit petitionem tuam.* An imprecantis, an prophetantis fuerint verba nescitur.

LITERAL. Salian. *Heli prophetauit.*

18 *Et Deus Israel det tibi.* Salian.tom.3. Annal.anno mundi 2900. num.33. Fateor probabilius videri Heli tunc in gratiam Annæ prophetiam edidisse diuinitus, idque non parum confirmat illa constantia atque, æquanimitas, qua deinceps hæc sancta mulier fruebatur, quæ rectius prophetiæ, quàm bonæ precationi tribuatur.

LITERAL. Mendoza. *Heli prophetauit.*

19 *Et Deus Israel det tibi.* Franc. Mendoza ibi.§.5. Existimo hæc verba esse prophetantis. Primo quia in Hebræo est, *dabit tibi*, quæ locutio absoluta magis redolet prophetiam; quamuis nec vulgata illam penitus excludat. Nam etiam per modos imperatiuos prophetia declaratur, vt patet ex multis locis. Ps.68.24. Ps.108.6. &c.

LITERAL. Idem. *Cur sacerdos predixit ortum Samuelis.*

20 *Et Deus Israel det tibi.* Idem ibidem §.6. Dubitabis: cur natiuitates Isaac, Samsonis & Baptistæ per Angelos reuelentur; Samuelis autem per sacerdotem? Primo quia Anna tantam habebat fidem, vt Angelo nunciante non indigeret ad credendum; sed vel homini reuelanti firmissimè assentiretur. Secundò quia oportebat, vt sacerdos magnam de Samuele opinionem haberet, quo eum in Tabernaculo educandum de rebus diuinis diligenter instrueret, & ab eo se postea instrui de rebus futuris humiliter pateretur.

LITERAL. Idem.

21 *Et Deus Israel det tibi.* Idem ibid. §.8. Dubitabis cur Heli dixerit: *Deus Israel det tibi*, cùm tamen Anna imploraverit Dominum exercituum? Respondeo, quia hoc nomen *Dominus exercituum* timorem sonat: illud *Deus Israel*, fauorem. Vnde significatur Anna cum timore ad orationem venisse: recessisse cum fauore.

LITERAL. Auth.Cat. Hebræus. Chald. MORAL. Chrysost.

22 *Et Deus Israel det tibi.* Auth. Catenæ. Dubitant Interpretes an verba hæc prophetica fuerint; an solùm voti, & imprecationis? Probabile hoc posterius, & vulgatæ conformius: illud autem ex mea sententia probabilius iuxta Hebræum, & Chaldaicum, Chrysost. & alios scilicet, *dabit tibi.* Idem secundò confirmat turbatæ antea, & inquietæ Annæ subsequuta quies, & confidentia.vers.18. Tertiò; quia si impius Caiphas ex eo solum quod esset Pontifex anni illius aliquando prophetauit, quidni pius sacerdos circa rem grauissimam, Samuelis videlicet conceptionem prophetauerit? Certe si prophetica Pontificis mens non fuerit, prudens tamen admodum & scientificus discursus fuit, qui ex Annæ intentis precibus, & diuturnus singultibus felicem, optatumque euentum ita certò prædixerit, ac si iam dudum audiuisset. *Petite & accipietis; quærite, & inuenietis; pulsate & aperietur vobis* Luc.11.9.

LITERAL. MORAL. Author Catenæ. Genes.32.

23 *Et Deus Israel det tibi.* Idem. Quamuis Anna Deum exercituum imploraverit, v.11. Sacerdos tamen Deum Israel deprecatur. Ratio est, quia Israel *prænalens Deo* interpretatur. Vbi allusio resplendet ad singulare certamen Iacobi cum Deo, Gen.32. In quo orationis, & lachrymarum militiæ cessit Deus: Iacob autem suam petitionem obtinuit. Sensus igitur est: Deus Israel qui Iacobi olim precibus, & lachrymis cessit, tuis etiam concedat votis, & singultibus, singularémque ab eo obtineas benedictionem.

VERSVS XVIII.

Vulgata. Et illa dixit: Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam & comedit, vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et dixit: Inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam & comedit, & facies eius non fuerunt ei vltra.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatab.* Quæ ait: impetret ancilla tua gratiam apud te. Abiens ergo mulier itinere suo comedit, neque fuit amplius mœsta.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit: Inueniat ancilla tua misericordias in oculis tuis. Et iuit mulier ad viam suam & comedit, & vultus mali non fuerunt ei vltra.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Illa autem dixit: inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, & comedit cum viro suo & bibit, & vultus eius non concidit amplius.

Sixtin. *Græca ex Septuag. in Sixtiana.* Et dixit: inueniat serua tua gratiam in oculis tuis: Et iuit mulier in

in viam suam, & intrauit in diuersorium suum; & comedit cum viro suo, & bibit, & facies eius non concidit vltra.

Pagn. *Pagninus in margine.* Itaque facies eius non fuit ei vltra.

Vatab. *Vatab. in Scholiis.* Hebraismus. Neque vultus fuerunt ei amplius.

Chrysost. *Chrisost. hom. de fide Annæ.* Et cùm abiisset non amplius concidit.

Isidor. Clarus. *Isidorus Clarius ibi.* Vultus eius non sunt amplius collapsi.

PP. ET AVCTORES.

Liter. Chrysost. 1 V *Tinam inueniat ancilla tua gratiam.* Chrysost. hom. vnica de fide Annæ tom. 1. Hoc est Vtinam è fine rerúmque exitu discas quòd hanc deprecationem, obsecrationémque fecerim, non ex vinolentia, sed ex angore.

Liter. Gregor. 2 *Vtinam inueniat ancilla tua gratiam.* Gregor. 1. Variarum cap. 1. Quasi dicat. Iuxta intuitum desiderij tui opus ministerij mei subsequatur, gratia diuinæ dispensationis.

Literal. Charen. 3 *Vtinam inueniat ancilla tua gratiam.* Charen. in Postilla. Vt scilicet ores pro me.

Literal. Carthus. 4 *Vtinam inueniat ancilla tua gratiam.* Carthus. ibi art. 1. Ideſt cupio, vt digneris esse mihi gratiosus, & orans pro me.

Literal. Abul. 5 *Vtinam inueniat ancilla tua gratiam.* Abul. ibi quæst. 24. Aliqui exponunt hoc quod intelligatur: vtinam Deus exaudiat te, sic enim consueuimus dicere: cùm enim quis imprecatur bona alteri, consueuit ille cui fit imprecatio dicere: Vtinam Deus exaudiat verbum tuum. Sed non stat ista sententia, quia tunc deberet dicere: vtinam famula tua inueniat gratiam coram Domino, scilicet quòd compleat petitiones eius, sicut tu dicis.

Literal. Idem. 6 *Vtinam ancilla tua inueniat gratiam.* Idem Ibid. Vtinam famula tua, ideſt ego quæ sum famula tua inueniam gratiam in oculis tuis, scilicet quod tantam gratiam mihi facias, vt ores pro me, dicebat hoc Anna, quia cùm esset Heli summus Sacerdos, & magnæ authoritatis putabat, quod oratio eius plurimum valeret apud Dominum.

Literal. Vatab. 7 *Vtinam inueniat ancilla tua gratiam.* Vatab. in Scholiis. Quasi dicat: ineam tecum hanc gratiam, vt pro me ores.

Literal. Mendoza. 8 *Vtinam inueniat ancilla tua gratiam.* Franc. Mendoza ibi. §. 2. Inuenire gratiam coram aliquo, seu in oculis alicuius, idem est in Scriptura quòd placere, seu gratum esse, vt patet Gen. 18. 3. Exod. 33. 12.

Liter. Idem. 9 *Vtinam inueniat ancilla tua gratiam.* Idem Ibid. §. 1. Quorsum Sacerdotis orationem exigebat, quæ suam, vt diximus, ex diuina reuelatione sciebat implendam? Respondeo 1. vt Sacerdotis oratio petitionem saltem accelleraret. 2. vt confirmaret; sciebat enim diuinas promissiones esse conditionales, & proinde suo demerito posse reuocari. 3. vt filius à Deo datus non tam suæ, quàm Sacerdotis orationi tribueretur in quo singularis Annæ humilitas elucet.

Mystic. Greg. 10 *Et abiit mulier in viam suam.* Gregor. 1. Variarum cap. 1. In viam suam mulier abiit, quia sancta Ecclesia verbum fidei gentibus prædicauit, quod & Apostoli Iudæis communicantes dicunt, Actor. 13. *Quia indignos vos fecistis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes.* quæ benè mulieri tunc dicitur, cùm recedit; quia per prædicationem Redemptoris exhibitura erat in gentibus fructum magnæ fœcunditatis.

Mystic. Beda. 11 *Et abiit mulier in viam suam.* Beda lib. 1. expos. Allegor. cap. 2. Et proficiebat Ecclesia ſpe ſupernæ pietatis erectæ in fidem, dilectione méque Christi, qui est via, veritas, & vita consolatoriisque & confortatoriis Sacræ Scripturæ dapibus refecta, nullis exinde pressuris, aut blãdimentis ab illo, quẽ semel agnouit Deo vero, potuit in errorum diuersa mutari. *Parasti* enim inquit *in conspectu meo mensam aduersus omnes qui tribulant me.* Psal. 60. Psal. 60.

Histor. Ioseph. 12 *Et abiit mulier in viam suam.* Ioseph. lib. 5. Antiquit. cap. 11. tum demum hilaris ad maritum reuersa, cibis antè præ mœrore fastiditis vsa est.

Litter Comest. 13 *Et abiit mulier in viam suam.* Comestor in Historia Scholastica. Mulier ex promissione Sacerdotali secura abiit, vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati; Ideſt animus eius non est deinceps distractus in varietates dubitationis.

Literal. Abul. 14 *Et abiit mulier in viam suam.* Abul. ibi. q. 24. Ideſt recessit Anna in terram suam: vel recessit in viam suam. Ideſt ad virum suum, scilicet quia ipsa surrexerat de loco in quo erat vir suus, & æmula sua Phenenna, & venit in templum adorandum, nunc autem finita oratione, & locutione, cum Heli, abiit in viam suam, scilicet rediens ad virum suum in eadem vrbe Silo manentem, & ista est melior sententia quàm prima.

Literal. Fortunat. 15 *Et abiit mulier in viam suam.* Fortunatus Schacus Myrothecio 1. cap. 39. Ideſt reuersa est domi; siue id egerit, via qua venerat, siue alia redierit, parum interest, dummodo redierit domi, & cap. 26. de Dauide dicitur. *Abiit autem Dauid in viam suam*, cùm tamen Dauid nequaquam, qua venerat redierit via.

Literal. Author Catenæ. 16 *Et abiit mulier in viam suam.* Author Catenæ. Potest hoc intelligi vel de via versùs diuersorium Siluntinum, vbi vir, & familia manserant, vt innuunt Septuaginta in Sixtiana. *Et intrauit in diuersorium suum.* vel de via, quam fecit in Ramathan vrbem suam, cui fauent quoque Septuaginta in Complutensi; *& comedit cum viro suo & bibit.* Quod de conuiuio proximo & immediato credi non potest, cùm paulò ante comedissent. Loquitur ergo de habituali cum viro conuiuio, quod in posterum iam patriæ restituta obseruauerit: nec nouum in Scriptura est, ea, quæ postea referenda sunt, per anticipationem adumbrare. Sic via Annæ ad ciuitatem suam, quæ immediate describitur, anticipata relatione indicitur. Vnde extremus hic sensus probabilior apparet.

Mystic. Greg. 17 *Et comedit.* Gregor. 1. Variar. cap. 1. comedit, & bibit, & tamen vultus eius non sunt amplius in diuersa mutari, quia magna lucra de conuersione gentium habuit; sed persecutionem, quam in Iudæa passa fuerat etiam in gentibus inuenit.

Literal. Abul. 18 *Et comedit.* Abul. ibi. quæst. 24. Scilicet postquam consolata rediit de templo. Dicitur hoc, quia ante istud, præ nimia amaritudine cordis Anna non sumebat cibum. v. 7.

Literal. Serar. 19 *Et comedit.* Serarius ibi. Dum spei plena abiit. 1. suum in Silontinum hospitium: postero deinde die Ramathan, cibúmque iam lætabunda sumpsit: nec tristi deiectoque vultu amplius fuit, sed æquabili, & constanti.

Literal. Salian. 20 *Et comedit &c.* Salianus tom. 3. Annal. Anno mundi 2900. numer. 35. Abiit itaque mulier ab

orationis loco, rediit ad coniugem, reliquamque familiam, quam orandi causa domi reliquerat.

LITERAL. Mendoza. 21 *Et comedit.* Franc. Mendoza ibi §. 2. Nec intelligendum est de vnico actu, sed de facili vsu, nam antea præ tristitia ieiunabat; postea hilariter comedebat.

MORAL. Hieron. 22 *Vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati.* Hieronym. in caput. 3. Tren. tom. 5. Qui ad cupita peruenire voluerit, reflectere mentem à studio orationis non debet, & magis perseuerare intentione cæpta illum oportet. Hinc est quod in lib. Regum de Anna Scriptum est, quod postquam orauerat, *Vultus eius nō amplius in diuersa mutati.*

MORAL. Idem. *Stultus lenis* 23 *Vultusque illius &c.* Idem in caput 15. Prouerbior. Cor stultorum etiam sibimetipsi dissimile erit, dum mutabilitate diuersarum cogitationum varium se exhibet, & nunquam idem, quod fuerat, manet: Cui contra de Anna, cùm Dominum intenta mente supplicaret, dicitur, *vultusque eius non sunt amplius in diuersa mutati.*

MORAL. Chrysost. *Anna fuit* 24 *Vultusque illius &c.* Chrysost. hom. de fide Annæ tom. 1. Vides mulieris fidem: priusquam acciperet, quod postularet, perinde confisa est, ac si iam accepisset. In causa erat, quod oraret multo cum feruore, multoque studio citra omnem hæsitationem, aut diiudicationem. Hanc ob rem abiit animo pacato, quasi totum impetrasset. Quin insuper Deus iam totam anxietatem illi excussit ex animo, largiturus donum, quod petebat.

TROPOL. Aug. 25 *Vultusque illius.* Augustinus lib. Meditationum cap. 36. tom. 9. Reminiscor pie Domine illius bonæ mulieris Annæ, quæ ad Tabernaculum rogatura pro filio venit, de qua Scriptura refert quod vultus eius post lachrymas & preces *non sunt amplius in diuersa mutati.* Sed memor tantæ virtutis, tantæque constantiæ, dolore torqueor, & verecundia confundor: quia me miserum nimis deorsum iacere intueor. Si enim ita fleuit, & in fletu perseuerauit mulier, quæ quærebat filium, quomodo plangere, & in planctu persistere debet anima mea, quæ quærit, & amat Deum, & ad eum peruenire desiderat?

LITERAL. Theodor. 26 *Vultusque illius &c.* Theodoretus ibi. q. 5. Cum tanta autem fide audiit benedictionem, vt omnem abiecerit tristitiam, & cum fiducia ad virum accesserit, & conceperit.

MORAL. Vualf. 27 *Vultusque illius &c.* Vualfridus lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 12. In oratione discenda est instantia humilis, & post orationem perseuerantia salutaris; legitur si quidem de illa Anna, quia *Vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati.*

MORAL. Beda. 28 *Vultusque illius &c.* Beda lib. 1. Expos. Allegor. cap. 2. Nec sit vultus noster amplius in diuersa mutatus, sed in eodem, quem in oratione conceperit, etiam post lachrymas, compunctionis ardore, & deuotione persistat.

MORAL. Rupert. 29 *Vultusque illius &c.* Rupert. lib. 1. Comment. in Reges cap. 2. Habet in matre eius Anna virtutis exemplum, quod imitetur nostra sterilis anima, si mater fieri optat, si verbi Dei sanctarumque virtutum cupit esse fœcunda. In quo? in eo videlicet quod dictum est. *Vultusque eius non sunt amplius in diuersa mutati*: quod idem est, ac si diceretur, intentione perstitit, orando perseuerauit. Hoc ergo fidelis anima imitetur, & quærens inueniet, petens accipet, pulsanti aperietur.

MORAL. Idem. 30 *Vultusque illius &c.* Idem lib. 3. in Cantica. c. 4. Quid erat illa vniformitas vultuū, non se ampliùs in diuersa mutantium? nimirùm identitas cogitationu, & valde intēta caritas perseuerātia precū.

31 *Vultusque illius &c.* Idem lib. 12. in Ioannem ad caput 17. Hæc Pontifex summus propitiator ipse, & propitiatorium: Sacerdos, & sacrificium pro nobis orauit, & *vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati*: non enim cessantibus verbis, validus cordis clamór conquieuit. MYSTIC. Idem.

32 *Vultusque illius &c.* Idem in vita S. Hereuerti cap. 13. Facit hoc instanter, & sicut de sancta Anna prophetissa scriptum est, *vultus illius non sunt amplius in diuersa mutati.* Non ante destitit donec suis condignum meritis responsum cælitus accepit. MORAL. Idem.

33 *Vultusque illius &c.* Gilibertus Abbas, ser. 10. in Cantica. Non sint vultus eius in diuersa mutati, quia nihil imminutum est desiderij semel concepti: & quid aliud sonat quod dicit: *Non dimittam illum*; nisi, non mutabo in diuersa vultum, & intuitum mentis aliò non diuertam ab illo. Felix Noë si instar Annæ huius vini nunquam degustasset virtutem. Illa enim foris castigato corpore mentis est passa temulentiam, & sanctam, quam postea non euacuaret ebrietatem. Nam hoc sibi vult, quod non vlteriùs vultus eius sint in diuersa mutati. MORAL. Gilib.

34 *Vultusque illius &c.* Richardus de Sancto Laurentio. lib. 4. de Laudib. B. Mariæ. Maria in omnibus consummatam iustitiam conseruauit; ideò figurata est per Annam, cuius *Vultus non sunt in diuersa mutati*: & hoc iustè, nam Anna gratiam, & ipsa dicta est *gratia plena.* MYSTIC. Richar. Laurent. *Anna peipera Typus Mariæ vniformis.*

35 *Vultusque illius &c.* Idem lib. 5. de laudib. B. Mariæ. Oculi Mariæ intellectus & affectus, vel identitas cogitationum, & operum: vel simplicitas, & vultus vniformitas; ipsa enim est Anna ideſt gratia, cuius vultus non sunt in diuersa mutari. MYSTIC. Idem.

36 *Vultusque illius &c.* Paterius ex S. Gregorio lib. 33. Moral. cap. 27. Quia videlicet mens eius, nequaquam post preces inepta lætitia lasciuiendo perdidit, quod orationis suæ tempore gemitium rigore exquisiuit. LITERAL. Pater. Greg.

37 *Vultusque illius &c.* Angelom. in Stromat. Quod tunc dignè fit, si oratione completa, nos in eodem tenore iustitiæ permanebimus. MORAL. Angelom.

38 *Vultusque illius &c.* Idem Ibid. Quia Ecclesia in eadem gratia atque deuotione, quam percepit, perseuerauit, rectè de ipsa dicitur: *Vultusque illius &c.* Videlicet quia quod à Deo postulauit ex fide credens adipisci se non dubitauit; siue quia in vero affectu compunctionis permansit vsquedum adepta esset, quod postulauit. MYSTIC. Idem.

39 *Vultusque illius &c.* Glossa Interlinealis ibi. Quia in cæpto scilicet voto firmiter perseuerauit. Sicut nos perseuerare debemus si exaudiri à Domino volumus. MORAL. Interlin.

40 *Vultusque illius &c.* S. Petrus Damianus epist. 143. ad Blancam Comitissam circa finem. Tu autem veneranda soror, quæ scilicet Euangelicæ quadrigæ, ac rotarum cælestium animalia sequeris, quorum sunt pedes recti, quæque cùm ambulant non reuertuntur, nequaquam, vt pro certo confidimus, Loth sequeris vxorem; sed Annæ potius imitaberis stabilita virtutem, cuius *vultus non sunt amplius in diuersa mutati.* Damian.

41 *Vultusque illius &c.* Idē ser. 48. de Cruce, tom. 2. *Caperunt conspuere in eum.* Mat. 16. Quare hoc: vt facies tua illuminetur, illuminata confirmaretur, & diceretur de te: *Vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati.* MORAL. Idem.

42 *Vultusque illius &c.* Carthus. ibi, art. 1. Ideſt apparatus, seu dispositio faciei eius mansit de LITERAL. Carthus.

CAETO

cætero vniformis, & benè se habens, eo quòd cor eius fuerat tranquillatum, ac firmiter consolatũ ex certa spe suæ exauditionis. Ex varia etenim dispositione cordis, facies, & præcipuè oculi diuersimodè disponuntur, & alterantur. Quodã hæc verba exponens passiones inquit iræ & tristitiæ, quæ mutãt faciem in diuersos colores recessêrunt ab Anna ex consolatione exteriori verborum Heli, & ex interiori consolatione gratiæ Dei.

Literal. Lira. 43 *Vultusque illius*, &c. Liran. ibi. Quia passiones iræ, & tristitiæ, quæ mutant faciem in diuersos colores recesserunt ab ea.

Literal. Abul. 44 *Vultusque illius, &c.* Abul. ibi. q. 24. Idest post hoc non fuit Anna tristis, sicut à principio: Ante enim hoc mutabatur vultus eius, quia interdum læta erat, scilicet quando non recordabatur, vel non cogitabat sterilitatem suam. Interdum autem erat amara nimis, scilicet quando affligebat eam æmula sua obiiciens ei sterilitatem.

Literal. Vatab. 45 *Vultusque illius*, &c. Vatab. in Scholiis. Hebraismus. Neq; vultus fuerunt ei amplius, subaudi tristes, vel collapsi; idest: exinde exuit omnem tristitiam. Vultum vocat faciem illam vultuosam, quæ præ se fert mœstitiam, ac tristitiam.

Literal. Caiet. 46 *Vultusque illius*, &c. Caiet. ibi. Quamuis Hebraicè non tot scribantur sententiæ, tamen rectè redditur. Refocillata siquidem tunc animo ex oratione propria, & verbo Pontificis, tum corpore, & assumpto cibo conuenienti non est passa amplius mutationem vultus, qualis accidere solet turbatis animo, & minùs refectis corpore.

Literal. Naucler. 47 *Vultusque illius*, &c. Ioannes Nucler. vol. 1. Chronographiæ Gener. 31. Vnde mulier quasi secura abiit gaudens nec dubitans.

Literal. Pradus. Villapand. 48 *Vultusque illius*, &c. Hieronym. Pradus, & Ioannes Villapand. in Ezechiel. c. 4. n. 3. Hoc est, non erubuit amplius: conseruauit perpetuam faciei serenitatem, & lucem.

Literal. Delr. 49 *Vultusque illius*, &c. Martin. Anton. Delrius adagio 174. Cùm Hebræi *facies* in plurali numero vsurpant, sæpe pro mœrore vel ira vsurpãt, eo quòd homo mœrés, vel irascens aliũ vultũ assumit pro læto, & miti, seuerum, & minabundũ. Sic Ps. 21. n. 10.

Moral. Lorin. 50 *Vultusq; illius*, &c. Ioan. Lor. in ep. Iacobi c. 5. 13. Post orationẽ votumq; Anna desiit amaro mœstoque animo esse, & corde afflicto, & flere, nec vultus illius sunt amplius in diuersa mutati; siue, vultus eius non cecidit amplius.

Literal. Daza. 51 *Vultusque illius*, &c. Iacobus Daza in epist. Iacobi c. 1. 12. n. 37. Ideſt, eius in ore constãs & perpetua lætitia resplenduit, nulli obnoxia mutationi. Nisi forte sensus sit: anxia illa, & gesticulatoria oratio cum frequenti mutatione vultus; ob quam in suspicionem ebrietatis venit, iam deinceps supersedit: etenim mutare os, aut vultum dicitur, qui variis distorquet gestibus. Ita Dauid in conspectu Achis regis, & familiarum delatus 1. Reg. 21.

Literal. Salian. 52 *Vultusq; illius*, &c. Salian. tom. 3. Annal. anno mundi 2900. n. 35. Quid porrò est vultus Annæ non fuisse amplius in diuersa mutatos? tristitiam nimirum & lætitiam alternatim vultui eius non insedisse; nec vltra illam vultu prætulisse tristitiam. Nec mirum: cùm enim ex corde eiecta esset, non potuit sine hypocrisi facies testari tristitiam, quæ non erat.

Literal. Sanct. 53 *Vultusque illius*, &c. Gasp. Sanct. ibi. n. 57. Pro affectuum varietate multiplici multiplex esse solet vultus mutatio: cùm Anna, vt est verisimile aduersus Phennenæ iniurias succenseret, illius vultus, aut inflammabat furor, aut distorquebat dolor: deinde cũ in se sterilitatis vitiũ agnosceret, dimittebat vultũ, quod faciunt illi, quos ignominiæ pudet, at ex illa oratione sic prodiit affecta, vt illã neq; æmulæ, aut domesticorũ iniuriæ ita cõmouerint, vt furoris in facie signũ ostenderet: neq; dolor, & pudor ex prolis desiderio conceptus vultus dimitteret. Egressa quippe fuit è Tabernaculo spei plena, & animo ad omnia perferẽda alacri ac prõpto, qui orationis fructº, aut præcipuº est, aut inter præcipuos numeratur.

53 *Vultusque illius*, &c. Franc. Mend. ibi. §. 10. Literal. Mendoza. Omnium igitur summa est: frontem sic exhilarauit, vt nulla eam in posterum tristitia occuparit.

VERSVS XIX.

Vulgata. Et surrexerunt manè, & adorauerunt coram Domino, reuersiq; sunt, & venerunt in domũ suam Ramatha. Cognouit autẽ Elcana Annã vxorem suam, & recordatus est eius Dominus. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Et manicarunt in mane, & incuruauerunt se ad facies Domini: reuersiq; sunt, & venerunt in domum suam in Ramath. Et cognouit Helcanah Channah vxorem suam; & recordatus est Dominus. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Consurgẽtes igitur manè adorauerunt corã Domino, & reuersi venerũt in domum suã in Ramatha. Cognouit itaque Elcana Hannã vxorem suã; & Dominus recordatus est eius. Vatab.

Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia. Et anticipauerunt manè, & adorauerunt ante Dominũ: & redierunt ad domum suam ad Ramatha. Et cognouit Elkana Hhannam vxorem suam; & intrauit recordatio ad ante Dominum. Ariasm.

Graca ex Sept. in Compl. & Regia. Surgentes autem manè adorauerunt Dominum, & abierunt viã suam: & ingressus est Elcana domum suam in Aramathaim. Et cognouit Annam vxorem suam; & recordatus est eius Dominus, & concepit. Complut. Regia.

Graca ex Septuag. in Sixtiana. Et surgunt manè & adorant Dominum, & vadunt viam suam: & intrauit Elcana in domum suam Aramathaim. Et cognouit Annam vxorem suam: & recordatus est eius Dominus, & concepit. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

1 *Et surrexerunt manè.* Greg. lib. 1. variar. Enarrat. in libr. 1. Reg. c. 1. Manè cum viro suo Anna surgere dicitur; quia sancta Ecclesia in exortum interni lumini ad Gentes transiit cum verbo prædicationis. Vel manè surgit, quod Iudæam in nocte infidelitatis deseruit. Manè etiam surgit, quia prosperum iter in conuersione Gentium inuenit. Mystic. Gregor.

2 *Et surrexerunt manè.* Beda lib. 1. Expos. Alleg. c. 2. Profectus Ecclesiæ ostenditur crescentis. Primũ surgit sola ad orandũ Anna, nec hora, qua oratũ est, exprimitur nunc accepta benedictione Sacerdotis surgit manè, nec sola, sed cum viro, & tota eius familia precibus instat. 1. in paucis Ecclesia Dominũ quærebat, at vbi susceperat à fideliũ Iudæorum Doctoribus incrementa fidei, discussis iam tenebris gentilitatis; *à finibus*, inquit *terra ad te clamaui*: tanta cœlestis muneris gratia abundans, vt ipsum quoq; Dominum videlicet virum suum orans, Aduocatum apud patrem non dubitetur habere. Mystic. Beda.

3 *Et surrexerunt manè.* Franc. Mend. ibi §. 5. Quæro, cur hoc loco dicantur surrexisse manè ad redeũdum, non tamen supra ad veniendum? Respondeti potest, tum quia mulieres promptiores esse debent ad repetendam, quàm ad deferendam domum, tum etiam, quia non solùm ad redeundum, sed etiam ad orandum surrexerunt. Moral. Mendoza. *Cur manè surrexerunt.*

LITERAL. Author Catenæ. 4 *Et surrexerunt manè.* Auth. Catenæ. Manè anceps vox est; potest enim pro hora matutina stare, vt Isaiæ 5. 11. vel diem crastinam significare, vt Exod. 26. 6. *Et manè videbitis gloriam eius.* Existimo autem hic vtrumque indicari, & diem immediatè sequutam, & horam matutinam primo lucentis auroræ, quæ iter facientibus apta est.

MYSTIC. Gregor. 5 *Et adorauerunt coram Domino.* Greg. supra. Coram Domino adorauit Ecclesia, quia in repulsione Synagogæ incõprehensibile iudiciũ venerata est omnipotẽtis Dei. Adorauit quippe, & recessit, quia cũ à gẽtis suæ prædicatione, pro sola Dei omnipotentis ordinatione recederet, diuino iudicio per obediẽtiã obsecuta est, quod petrare intelligenda non potuit.

MYSTIC. Idem. 6 *Et adorauerunt coram Domino.* Idem ibid. c. 2. seu in secunda parte Commẽtarij. Manè adorant, & in ciuitatem suam reuertuntur. Post multiplicationem precum Anna cum coniuge. Manè adorare, est, inter magna virtutũ dona, humilitatis virtutẽ custodire. Et quia in illa sublimi visione diutiùs stare non potest anima, quæ adhuc ista corruptionis sarcina prægrauatur, aptè in ciuitatem suam reuertí referuntur.

LITERAL. Vatab. 7 *Et adorauerunt coram Domino.* Vatab. in Schol. Idest conuersi ad eã partẽ, in qua erat Arca Domini.

MORAL. Abul. 8 *Et adorauerunt coram Domino.* Abul. ibi. q. 24. Primò iuerunt diluculo ad Sanctuarium, vt adorarent ibi Dominum, & tunc pergerent in viam suam, qui est modus religiosus, scilicet vt primò homines curent de iis, quæ Dei sunt; deinde ad negotia sua deuoluantur: & tunc prospera veniunt cuncta, quæ tractauerint: iuxta illud Matthæi 7. *Primum quærite regnum Dei, &c.* Matth. 7.

MORAL. Author Catenæ. Ioseph. *Oratio viaticum. Eucharistia viaticum.* 9 *Et adorauerunt coram Domino.* Author Catenæ. In patriam profecturi, duplex viaticum procurant: primum orationis, quo eam titulo insignit. Iosephus lib. 2. de obsidione Hierosolimitana, c. 16. locutus de Iacobo peregrino. *Viaticum verò addiderunt, tantùm accepisse orationem.* Deinde viaticum humanæ peregrinationis Eucharistiam in mystico arcæ & Manna typo, Prophetico instinctu venerantur, quam adhuc suscipere non dabatur.

MYSTIC. Gregor. 10 *Et venerunt in domum suam Ramatha.* Gregor. 1. var. c. 1. Quia ciuitatem Ramatha cœlestem patriam designare iam diximus, quomodo hoc sanctæ Ecclesiæ conuenit, quæ statim vt à Iudæorum prædicatione cessauit, ad cœlestem patriam non ascendit? Verùm quia resurgens à mortuis Dominus, missis in prædicatione Doctoribus loquitur, dicens. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Matthæi vlt. Absurdum non est, vt cum eo sancta Ecclesia surgere, & reuerti censeatur. Matth. vlt.

MORAL. Beda. 11 *Et venerunt in domum suam Ramatha.* Beda lib. 1. expos. Allegor. cap. 2. *Ramatha* interpretatur *altitudo.* Et nos ergo completa oratione, vt postulata obtineamus, vt post luctuosam mentis infructuosæ sterilitatem sacrando Deo, valeamus virtutum germina proferre, non ad superuacua foràs agenda, sed ad nostræ conscientiæ fide, & veritate sublimata, studeamus habitacula reuerti.

HISTOR. Abul. 12 *In Ramatha.* Abul. ibi. q. 24. Est ista ciuitas Ramatha, quæ supra vocatur Ramathaim, & ista nunc, & tempore Christi vocabatur Arimathia. Iste enim est locus de quo erat ille vir nobilis Ioseph, qui Christum sepeliuit, & erat discipulus eius.

LITERAL. Charen. 13 *Ramatha.* Hug. Char. in Postil. Hæc est Ciuitas quæ supra, secundùm Hieron. dicta est Ramathaim.

LITERAL. Author Catenæ. 14 *In domum suam Ramatha.* Author Catenæ. Apud Septuaginta Rhama, quo ipso nomine nostra appellatur Asturica ab Abrahamo Ortelio in Thesauro Geographico, verbo Asturica: & à Mauro de Castella lib. 1. c. 20. de aduentu S. Iacobi in Hispaniam. Verùm Ptolom. lib. 2. c. 6. Robert. Steph. Ant. Nebric. Sebast. Couarr. in Thesauro, & latiùs Petrus Iuncus in libello de fundatione Asturicæ eã vocant *Rhoma*, quo etiam nomine caput orbis appellatur.

MYSTIC. Gregor. 15 *Cognouit autem Elcana.* Greg. supra. Elcana Annam coniugem suam tunc cognouit, cùm Redemptor noster præfinitum tempus vocandæ Gentilitatis aspexit, quo dum nouæ sponsæ, Sanctæ videlicet gremio, gratiam superni amoris infunderet, nouam ex eo prolem fidelium generaret.

LITERAL. Carthus. 16 *Cognouit autem Elcana.* Carthus. ibi art. 1. Post reditum siquidem eundo ad templum seu Tabernaculũ Dei existendóque in vrbe, cultus diuini, tempore festi, & redeundo continuerunt viri ac fœminæ vsque ad reuersionem in propria. Vnde postea venerunt viri ac fœminæ separatim.

LITERAL. Liran. 17 *Cognouit autem Elcana.* Liran. ibi. Scilicet postquam reuersus fuit in domũ suam, quia Iudæi euntes in Hierusalẽ cum vxoribus suis ad diem solemnem, vel causa sacrificij, seu orationis, vsque ad reditum suum in domos suas continebant ab vxoribus suis. Et ad hoc meliùs seruandũ, postea fuit constitutum, quòd, quando de eadem ciuitate ibant Hierusalem, propter dictam causam, plures viri, & plures mulieres, viri ibant in vna comitiua, & mulieres in alia.

LITERAL. Abul. 18 *Cognouit autem Elcana.* Abul. ibi. q. 24. Potissimè, quia nunc fortè Deus mouebat eum, cùm vellet dare Annæ filium, quem poposcerat.

LITERAL. Caietan. 19 *Cognouit autem Elcana.* Caietan. ibi. Post regressum in propriam domum scribitur vsus coniugij ad insinuandum, quòd abstinuerunt ab illo diebus, quibus fuerunt in Silo.

LITERAL. Mendoza. MORAL. 20 *Cognouit autem Elcana.* Franc. Mendoza ibi. §. 6. Honestis verbis coniugalis vsus indicatur. Nam in Hebræa lingua, quæ propterea non immeritò Sancta dicitur, nullum est vocabulum, quo res, aut actio turpis proprie declaretur, vt testatur Rabbi Moyses lib. 3. Ductorij Dubiorum cap. 10. & addit rationem, quia non oportet, vt talia nominentur, ne dum eis nomina imponantur. Moyses.

LITERAL. Sanctius. 21 *Cognouit autem Elcana.* Gaspar Sanctius ibi. num. 58. Modestè Scriptura exprimit coniugalem operam, quod facit sæpe in explicandis illis, quæ propriis notata vocabulis pudicis auribus aliquid obũceret tetrum, & obscœnum.

HISTOR. Ioseph. 22 *Et recordatus est eius Dominus.* Iosephus lib. 5. Antiquitatum cap. 11. In patriam deinde reuersa, breui vterum gerere cœpit.

MYSTIC. Rabban. 23 *Et recordatus est eius Dominus.* Rabbanus in Glossa. Quia Anna Dominum deuorè postulauit, concepit, & peperit: sic Ecclesia per naturalem intellectum orans mysterium Incarnationis corde concepit, ore confessionis genuit.

LITERAL. Carthus. 24 *Et recordatus est eius Dominus.* Carth. ibi art. 1. Idest supernaturaliter dedit illi virtutẽ concipiendi.

LITERAL. Abul. *Conceptio Samuelis miraculosa.* 25 *Et recordatus est eius Dominus.* Abul. ibi. q. 24. In quo videtur quòd ista conceptio fuerit miraculosa, quia opere Dei facta est.

LITERAL. Sanctius. 26 *Et recordatus est eius Dominus.* Gaspar Sanctius ibi. num. 58. Loquitur Scriptura iuxta hominum morem, qui tunc aliquem oblitum esse putant, cùm nullum apparet memoris animi signum, aut officium, qualis iuxta hominum sensum videri poterat Deus; cùm post tot annos non abstulisset ab Anna sterilitatis opprobrium.

VERSVS XX.

ET factum est. Post circulum dierum concepit Anna, & peperit filium, vocauitque nomen eius Samuël: eò quòd à Domino postulasset eum. Vulgata.

VERSIO

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et fuit in reuolutionibus dierum, & concepit Channah, peperit filium, vocauitque nomen eius Samuel, quòd à Domino petiui eum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Nam factum est, vt reuolutis aliquot diebus conciperet Hanna, & filium pareret, cuius nomen vocauit Samuel (dicens nempe) quoniam à Domino postulaui eum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedic. Ariasm. in Regia.* Et fuit in tempore perfectionis dierum, & concepit Hhanna, & peperit filium, & vocauit nomen eius Samuel, quia dixit, ab ante Dominum petiui eum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Factum est autem in tempore dierum, & peperit, Anna filium, & vocauit nomen eius Samuel dicens: à Domino omnipotente postulaui eum.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et factum est in tempore dierum, & peperit filium, & vocauit nomen eius Samuel; & dixit quoniam à Domino Deo Sabaoth petij eum.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. 1 *ET factum est post circulum dierum*, Gregor. lib. 1. variar. enarrat. in lib. Regum c. 1. Quid est hoc loco circulus dierum, nisi innumeris Spiritus sancti ostensa radiis manifestatio diuinæ voluntatis? quæ profectò dum Prædicatorum suorum mentibus in contemplatione suspensis claritatis supernæ dispositionis innumeras exhibet, nimirùm veluti plures dies tẽporum circulus clausas tenet.

MYSTIC. Idem. 2 *Post circulum dierum*, Idem ibid. cap. 2. Post dierum circulum concepisse, & peperisse dicitur, quia dum ex consuetudine, contemplatio ad superna rapitur, in visione superni luminis munus accipit desideratæ fœcunditatis. Circulus namque dierum est infusio diuinæ lucis. Post dierum circulum concipit, quia priùs à mutationis suæ vertigine instandi robur anima ducitur, & cùm stare fixa ex vsu in contemplatione didicerit, gaudium perfectæ deuotionis in fructu suæ fœcunditatis apprehendit.

MYSTIC. Beda. 3 *Post circulum dierum.* Beda lib. 1. exposit. alleg. c. 3. Factum est post illustrationem plurimæ scientiæ spiritalis, & virtutum ostensionem, quibus coruscauerunt Apostoli orbi terræ, concepit Gentilitas catechizando, & peperit baptizando populum Deo credentem; imò creditum suo in populo Deum; Vtrumque enim recte fatendum non solum ratio fidei, ac veritatis, sed ipsum Samuelis nomen intimat. Interpretatur enim *ibi ipse Deus*; siue *nomẽ eius Deus.* Ibi ipse Deus in populo, qui nasceretur.

LITERAL. Interlin. 4 *Post circulum dierum.* Interlineal. ibi. Post anni reditum.

LITERAL. Angelom. 5 *Post circulum dierum.* Angelom. in strom. idest post anni reditum peperit Anna puerum, vocauitque nomen eius Samuel, qui interpretatur *postulatio Dei*, siue *nomen eius Deus*: quia Author natiuitatis eius Deus erat, qui à sterili exoratus, concessit habere filium, qui dignus haberetur in templo Dei cunctis diebus assistere ad seruitium eius.

LITERAL. Carthus. 6 *Post circulum dierum.* Carth. ibi art. 1. Videlicet euolutis diebus suæ reditionis, cùm cognosceretur à suo marito. Vel dicitur post circulum dierum cõcepisse, quantũ ad animationẽ fœtus in vtero, quę facta est materia adhoc satis parata, & organizata, ad quod numerus certus dierum requiritur.

LITERAL. Abul. 7 *Post circulum dierum.* Abul. ibi. q. 24. idest Anna non concepit immediatè, vt rediit de Silo, sed aliquanto tempore post. Hoc autem fuit, quia, quãuis Deus exaudiuerit orationem eius, non assignauit ei tempus, in quo daret filium. Dicitur etiam quòd post circulum dierum concepit Anna, quia non immediatè concepit, vt cognita est post aduentum de Silo, sed post aliquot dies: in quibusdam tamen dicitur quod ad primum concubitum conceperit, vt patet in Thamar.

8 *Post circulum dierum.* Vatab. in Scholiis. Idest, post aliquos dies, siue menses. LITERAL. Vatab.

9 *Post circulum dierum.* Franc. Mendoza ibi. §. 2. Sentio concepisse ante circulum dierum, & post illum peperisse; quem sensum Septuag. interpretes manifestè expressérunt: sic enim habent. *Concepit, factum est autem in tempore dierum, & peperit Anna filium.* Neque vulgata editio aduersatur, quæ vtitur vt sæpè aliàs recapitulatione. LITERAL. Mendoza. Septuag.

10 *Post circulum dierum.* Gaspar Sanctius ibi. n. 61. Ego ad primum cõcubitum arbitror in Annæ vulua conceptum fuisse nobilem illũ fœtum. Neq; enim credo orationis tam inflãmatę, atq; anxiæ dilatũ esse fructum. Neq; modus ille loquendi huic cogitationi quidquã incõmodat: circulus enim dierũ non significat, vt apparet necessario aliquos dies à primo congressu fuisse transactos; sed præteriisse legitimum aliquod tempus intra quod rei vxoriæ operam dare, aut lex aut consuetudo non permitteret; quale fortasse fuit, quod proxime ab adito Tabernaculo, seu immolatis victimis consecutum est. Nisi mauis tunc dictam esse, concepisse, cùm conceptionis aliquod signum deprehensum est; qualia multa natura ipsa præbet, & ipsæ norunt fœtæ. Ex vsu porrò Scripturæ vt sæpiùs à nobis obseruatum est, tunc aliquid fieri dicitur, quando factum esse cognoscitur. Id verò docet exemplum omninò simile 2. Reg. 19. 5. LITERAL. Sanctius.

11 *Post circulum dierum.* Author Catenæ. Alii per circuitum dierum, anni spatium intelligunt, quibus non assentior; quid enim maritalis concubitus mentio fieret, si ex eo ad Samuelis conceptionem anni spatium præteriisset? Rectiùs ergo alij circulum dierum, dicunt spatium inter conceptionem, & natiuitatem intercedens, nouem scilicet aut decem mensium. LITERAL. Author Catenæ.

12 *Concepit Anna, & peperit filium.* Origen. hom. vnica de Elcana. Qualis hic filius est? Samuël, inquit, qui interpretatur *vbi ipse Deus.* Vides quales filios generat gratia. MORAL. Origen.

13 *Concepit Anna, & peperit filium.* Chrysost. lib. 2. de orando Deum ad finem tom. 5. Hæc eadem oratio sanctum Prophetam Samuëlem produxit; etenim cùm natura matris esset aduersa ad gignendum; exorta deprecatio mox correxit naturæ imbecillitatem. Talis est deprecationis fructus: talem edidit deprecatio Prophetam: Quapropter in cœlis illustre nomen consecutus est Samuël, supra quam fert humana conditio, cùm homo sit potiùs Angelorum admirator. Nimirùm talem decebat ostendi deprecationis culmen, & spicam, qui reliquos anteiret bonitate, virtutibus, ac moribus, tantúmque interuallo omnes retro Sanctos antecellere videretur, quantùm in segetibus felices eminẽt spicæ. MORAL. Chrysost. *Samuel oratione fructus. Samuelis laus.*

14 *Concepit Anna, & peperit filium.* Hieron. epist. ad Letam de institutione filię. Vidimus aliquid temporibus nostris de Prophetalibus libris, Anna sterilitatem alui fœcunditate mutauit: tu luctuosam fœcunditatem, viratis liberis commutasti: fidens loquor accepturam te filios, quæ primum fœtum Domino redidisti. Sic natus est Samuël, &c. MORAL. Hieron.

HISTOR. Hildebert. 15 *Concepit Anna,& peperit filium.* Hildebert. Cænomanen. epist.41. Anna fœcundior octogenaria,quàm iuuencula fuit.

HISTOR. Seuerus. 16 *Concepit Anna, & peperit filium.* Seuerus Sulpitius lib.1. sacræ Historiæ tom.5. Bibliothecæ Patrum. Heli Sacerdos erat:sub hoc Samuel natus est:huic pater Elcana:mater Anna. Hæc diu sterilis cùm conceptum à Deo peteret, vouisse traditur, si puer nasceretur, sacrandum Domino ; ita enixum puerum Heli Sacerdoti tradidit.

MORAL. Leo. 17 *Concepit Anna,& peperit filium.* S.Leo Papa ser.10.de Natiuitate Domini Anna diu fœcunditatis aliena Samuelem Prophetam, quem Deo offerret,enixa est vt & partu clara esset, & voto.

LITERAL. August. 18 *Concepit Anna,& peperit filium.* August.lib. Quæstionum ex veteri testam. q.17. tom.4. sancti Viri cùm cupidi essent filiorum ; & non id obtinerent , existimabant peccata obstare, & dolebant ignorantes Dei esse prouidentiam,cui seruabantur. Denique ad Dei procurationem,& Anna concepit, & peperit Samuelem , & Elizabeth Ioannem , & vxor Manue Samsonem.

MORAL. Damasc. 19 *Concepit Anna, & peperit filium.* S.Ioannes Damascen.de Pentecoste.

Veteri inferacis fregit olim compedes,
Contrà feracis fregit insolentiam,
Vox sola supplex, Anna quam profuderat.
Pectus dolore deferens fractum graui.
Ad præpotens numen,& scientia.

HISTOR. Philo. 20 *Concepit Anna.*Pseudophilo in Antiq. Bibl. In tempore dierum illorum concipiens peperit filium , & vocauit nomen eius Samuel , quod interpretatur *fortis* , secundùm quod vocauerat Deus nomen illius , cùm prophetaret & puer erat speciosus valdè.

HISTOR. Iosephus. 21 *Concepit Anna, & peperit filium.* Iosephus lib.5.Antiquitatum cap.11. Vbi pariendi tempus aduenit , enixa filium Samuelis nomen indidit, quasi dicas exoptatum à Deo.

MYSTIC. Hugo Vict. 22 *Concepit Anna,& peperit filium.* Hugo Vict. lib.5.Alleg.c.3. Quia Anna ante Dominum deuotè postulauit , concepit,& peperit. Ecclesia per naturalem intellectum orans Mysterium Incarnationis concepit corde , ore confessionis genuit. Samuel nomen eius *nominatus Deo* , vel, *postulatus à Deo* Annæ primogenitus Propheta : quis est hic nisi Deus homo ?

MORAL. Rupert. *Samuel orationis fructus.* 23 *Concepit Anna , & peperit filium.* Rupert. lib.1. Commentariorum , c.3. Est igitur orationis fructus Samuel sanctus,magna fide,largo fletu matris comparatus.Habet in matre eius Anna virtutis exemplum , quod imitetur nostra sterilis anima, si mater fieri optat;si verbi Dei sanctarumque virtutum cupit esse fœcundam.

HISTOR. Salian. *Samuel quãdo natus.* 24 *Concepit Anna , & peperit filium.* Salianus tom.3.Annal.anno Mundi 2901.n.1.Nascitur hoc anno 2901. ineunte , Samuel magnus aliquando Propheta Domini futurus, & iniit vitam cum nouo sæculo ab exortu rerum trigesimo.

MORAL. Cyrill. 25 *Vocauitque nomen eius Samuel.* Cyrillus Alex.tom.1.in Collectaneis. Samuel interpretatur *Dei obedientia.*

MYSTIC. Hieron. 26 *Vocauitque nomen eius Samuel.* Hieron. de Nominibus Hebraicis 1. Reg. tom.3. Samuel *nomen eius Deus.*

HISTOR. Idem. *Samuelis nomen prophetatum.* 26 *Vocauitq; nomen eius Samuel.* Idem epist.139. ad Cyprianum ad verba Ps.98. *Moyses,& Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel*, &c. Videtur nostræ sententiæ contraire quomodo Moysis sit , qui Samuelem nominet,quem multa post tempora fuisse cognoscimus. Huius quæstionis facilis solutio est: Prophetatum nomen esse Samulis,qui tanti meriti fuit,vt cum Moyse poneretur.

HISTOR. Hilarius. *Samuelis nomen prophetatum.* 28 *Vocauitque nomen eius Samuel.* S.Hilarius in Prologo Psalmorum.Nulli mirum,aut difficile videri oportet , vt tantus Propheta , tanti Prophetæ postea licèt futuri nomen ediderit, cùm in Regnorum libris Iosiæ Regi nomen sit antequam nascatur prophetatum , per quod non incredibile esse oportere,vt Samuel à Moysi prædicatus sit.

LITERAL. Philo Iudæus. 29 *Vocauitque nomen eius Samuel.* Philo Hebr. lib. de Temulentia. Is Samuel fuit fortassis homo, accipitur tamen non vt compositum animal,sed vt mens solo Dei cultu,ac ministerio gaudens:interpretatur enim *ordinatus Deo*,eo quòd actiones eas, quæ à vana gloria proficiscuntur , grauem turbationem ordinis existimet.

MYSTIC. Idem. 30 *Vocauitque nomen eius Samuel* Idem lib.quod Deus sit immutabilis initio. Huic successit Anna ipsius disciplina,donum diuinæ sapientiæ. Interpretatur enim hoc nomen *gratia*.Hæc enim diuino semine grauida,vbi perfectum pariendi tempus aduenit,enixa morem Deo sacratum,cui faustum nomen imposuit,Samuel, quod interpretatur *ordinatus Deo.*

MYSTIC. Pseudo Philo. 31 *Vocauitq; nomen eius Samuel.* Pseudo Philo in Antiquitatib.Biblicis. Samuel interpretatur *fortis.*

MYSTIC. Gregor. *Prædicator Deus.* 32 *Vocauitque nomen eius Samuel.*Greg.1.Variar. c.1. Samuel interpretatur *nomen eius Deus.* Quem ergo nobis Samuel conuenientius insinuat , quàm Prædicatorum ordinem , qui ad fidem vocatus est ex Gentilitate?Quia enim fortis conuersatione est, potestate sublimis , & dum in eo speciale signum gratiæ diuinæ conspicitur,ad veneration em prædicationis eius deuotæ auditorum turbæ deducuntur, rectè nomen eius nuncupatione declaratur. Hinc est,quòd ad Moysem à Domino dicitur. *Posui te in Deum Pharaonis.* Exod.7.

MYSTIC. Ambr. 33 *Vocauitque nomen eius Samuel.* Ambros. in Exhort.adVirgines post mediũ. *Postulatus meus,petitus meus* , inde enim etiã Samuel nomen accepit.

MYSTIC. Rabban. 34 *Vocauitque nomen eius Samuel.* Rabban.Maurus,in Glossa.*Postulatio Dei*, vel, *nomen eius Deus* qui author est scilicet nativitatis eius, quia sterili oranti concessit filium , qui cunctis diebus sibi in templo deseruiret.

LITERAL. Abul. 35 *Vocauitq; nomen eius Samuel.* Abul. ibi,q.25. In signũ,quod petiuerat eum à Deo,& Deus exaudierat eam. Nam Samuel in Hebræo interpretatur *exauditio mea*, sic etiã Ismael,nam idem significãt. Sed Ismael *exauditio*, vel *exauditus* interpretatur.

LITERAL. Caiet. 36 *Vocauitque nomen eius Samuel.* Caiet.ibi Legendum esset *Semuel.* Et est Samuel nomen cõpositum ex integro,& corrupto;hoc est,ex *El* , quod est nomen Dei,& *Semo*,deducto à postulatione,vt litera ipsa testatur , reddendo nominis rationem.

LITERAL. Mendoza. Maldon. 37 *Vocauitque nomen eius Samuel.* Franc. Mendoza ibi.§.6. Planior mihi videtur , & expeditior opinio Maldonati , Mat. & Luc.1. existimantis nullam fuisse de hac re (nominum filiorum impositione) ius inter Hebræos;sed hoc munus ad vtrũlibet parentem absque vllo discrimine spectasse.Et probatur , quia ius naturale nullum est:positiuum autem non apparet. De facto Anna imposuit nomen Samueli. Sed cur Anna potiùs quàm Elcana? Fortè quia Anna suis eum precibus à Deo impetrauit.

LITERAL. Idem. 38 *Vocauitq; nomen eius Samuel.*Idem Ibid.§.11. Cùm hoc loco impositio nominis Samuelis exprimitur , satis eius circumcisio indicatur;

cùm

cùm neutra ab altera separaretur: quamuis non tam circumcisionis, quàm impositionis fiat mentio, quòd huius potius notitia, quàm illius, ad sequentem historiam texendam requiratur. Samuelem ergo appellauit, quod diuinum beneficium exprimebat; vt quoties filium nominaret, toties diuinum beneficium recordaretur.

MORAL. 39 *Vocauitque nomen eius Samuel.* Idē ibid. §. 18. Quanta Samuelis gloria Dei nomen in suo præferre? Si in illis quibus Deus nomen imponit peculiaris quædam nobilitas reperitur, quanta in iis, quibus suum proprium nomen communicauit?

MORAL. Idem. *Samuelis gloria.*

LITERAL. Venet. 40 *Vocauitque nomen eius Samuel.* Franc. Georgius Venetus, tom. 1. Probl. 442. Samuel interpretatur, *positus a Deo.*

LITERAL. Auth. Cat. 41 *Vocauitque nomen eius Samuel.* Author Catenæ. Variant Interpretes circa nominis Samuelis etymon, cùm Anna satis id clarè expresserit, *eo quòd à Domino postulasset eum:* quamuis enim ex verbo שָׁאַל. *postulo*, vnam primam literam ceperit, id ad etymologias sufficit: nam vt ait Vatab. non hæ semper exigendæ sunt iuxta regulas Grammatices. Addit Vatab. suæ rationi, nomen puero, non à viro docto, sed à fœmina impositum: in quo non omninò placet cum Anna Hebraici idiomatis, vtpote materni, Vatablo peritior esset. Mos fuit frequens apud veteres Patriarchas, imò etiam apud Gentiles Romanos ex aliquo euentu vel singulari casu, tam parentum: quàm filiorum liberis nomina componere, sic Cæsar à cæso vtero. Sic Manasses Iacobi primogenitus ab oblitione, quam patri veterum laborum intulit Gen. 42. dicenti: *Obliuiscere me fecit Deus omnium laborum meorum.* Sic filius alter Ephraim hoc est *crescens* ex patris gaudio asserentis. *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis mea*, & alia id genus non pauca. Inde Anna filium Samuelem dixit, cuius ratio subiungitur *eo quòd à Domino postulasset eum.*

Vatab.

MORAL. Gregor. 43 *Eo quod à Domino postulasset eum.* Gregor. supra. Notandum quia hoc loco postulare dicitur, quod postulando promeruit. Apertis ergo verbis ostenditur cur Annæ primogenitus tanto nomine censeatur. Quod tale est, ac si dicat; idcircò ei tantum nomen imposuit; quia is, qui superno munere nascitur, meritorum gratia magnus fiet.

LITERAL. Santius. 44 *Eo quòd à Domino postulasset eum.* Gaspar Santius ibi. num. 64. Non tam etymon nominis, quàm rationem, cur tale nomen puer habuerit, reddidit Anna, neque enim Samuel dictus est, à *Saal* quod postulare sonat, sed vel à *Sem*, quod est nomen & *El*, Deus, quasi nomen habeat Dei, vel à Deo fuerit nominatus, vel à verbo שָׂם *Sam*, idest pono, quod verius puto, quia illum posuit in rerum natura, & quasi genuit Deus.

VERSVS XXI.

Vulgata. *VVlgata.* Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino Hostiam solemnem, & votum suum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnin.* Et ascendit vir Helcanah, & omnis domus eius ad immolandum Domino Hostiam dierum, & votum suum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Ascendit autem vir ille Elcana, & tota familia eius ad sacrificandum Domino sacrificium dierum, & votum suum.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et ascendit vir Elkana, & omnis homo domus eius ad sacrificandum ante Dominum sacrificium solemnitatis, & ad reddendum vota sua. Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et ascendit homo Elcana, & omnis domus eius ad immolandum in Silo hostiam dierum, & vota sua. Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta Sixtiana. Et ascendit homo Elcana, & vniuersa domus eius, sacrificare in Selom sacrificium dierum, & vota sua. Sixtia.

Pagninus in margine. Ad immolandum hostiam anniuersariam. Pagn.

PATRES ET AVCTORES.

1 *Ascendit autem vir eius Elcana.* Greg. 1. variar. Enarrat. in 1. Reg. c. 1. Potest ascensus solemnis hostiæ ad altitudinem sanctæ prædicationis referri. Nam de ascensu viri eius per Prophetam scriptum est. *Ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum.* Psal. 17. MYSTIC. Gregor. Ps. 17.

2 *Ascendit autem vir eius.* Beda lib. 1. Expos. Allegoricæ cap. 3. *Vnusquisque in suo sensu abundet.* Roman. 14. Ascendit Dominus, & Ecclesia perfectorum, quæ est domus, & sedes eius ad offerenda patri, qui est in cœlis, suorum vota operum, & manet adhuc domi Ecclesia in his, qui nondum solido cibo vti possunt. ALLEG. Beda.

3 *Ascendit autem vir eius.* Gaspar Sanctius ibi num. 65. Ascendit opinor Elcana exacto anno post quam contigerunt, quæ nunc à nobis exposita sunt. Quod si superiora illa in vltima solemnitatum contigêre (Nam tribus solemnitatibus cum tota familia ascendere solitum ad Tabernaculum, Elcanam statim in principio capitis audiuimus) ante expletum annum natus est Samuel; & quidem quando profectionem moliebatur Elcana, iam Anna lactabat infantem, & sic erat à puerperij langore confirmata, vt ipsa quoque proficisci potuerit. HISTOR. Sanct.

4 *Ascendit autem vir eius.* Author Catenæ. Ascendere ex vulgari Hebraica acceptione non est rigorosè in loca altiora conscendere, sed etiam quocunq; pergere vt hoc eodem c. v. 3. dictum est. Inde ergo non probatur loci, in quo inerat Tabernaculū, præ cæteris eminentia, sed aliunde constat. LITERAL. Author Catenæ. *Ascendere quid?*

5 *Et omnis domus eius.* Abul. ibi q. 25. Idest omnes famuli fuerūt cum eo in Silo, ad offerendū Deo solēniter pro puero nato, mater tamē non ascendit. LITERAL. Abul.

6 *Et omnis domus eius.* Franc. Mendoza ibi. §. 1. Omnis domus dicitur ascendisse duplici Synecdoche; vna quia domus ponitur pro domesticis: altera, qua omnes ponuntur pro pluribus; neque enim omnis omninò domus simpliciter ascendit; nam Annà cum puero domi remanente, necesse fuit aliquas saltem ancillas remanere. Morem autem esse Scripturæ, vt aliquando omnes pro maiori tantum parte vsurpentur, testantur D. Chrysost. hom. 23. in c. 11. epist. ad Hebræos, Theophilact. &c. LITERAL. Mendoza. Chrysost. Theoph.

7 *Et omnis domus eius.* Author Catenæ. Omnis domus ad Tabernaculum ascendisse dicitur, cùm postea immediatè Annam non reliquos comitatam fuisse subiungatur. Anna ergo domus domina, & tanquam regina, non æqualiter inter reliquos domesticos omnes computatur. Per Annam Petrus Berchorius hoc ipso cap. vers. 2. Mariam Deiparam adumbratam docet. Hæc ergo domus dominicæ Regina, cum reliquis omnibus nequaquam annumeratur, vt cùm Paulus dicat. *Omnes in Adam peccauerunt*, Mariam cum cæteris homini LITERAL. Author Catenæ. *Maria sine peccato originali concepta.* Berchor. Rom. 5. 12.

hominibus comprehensam minimè credas, vt pote, quæ in omnibus singularis, (*Virgo singularis*) nullo cum homine etiam sanctissimo numerum faciat; ad eum modum quo dies primus ab orbe condito non primus, sed vnus dicitur; ne cum reliquis subsequutis diebus ordinem, aut numerum componere videretur, vt annotauit Basilius hom. 2. in Gen. ad finem. dicens, *Factum est vesper & mane, dies vnus, caput temporis, non primam sed vnam nominauit, is enim qui vnici principij, ac incommunicabilis ad aliud, præ se fert formam, accommodatè sanè, atque appositè vnus est nuncupatus*, Maria ergo, quæ *est dies quam fecit Dominus*, nullum cum aliis diebus, hoc est, Sanctis quibuscumque ordinem facit. *Omnia supra naturam*, ait Germanus Orat. de Zona Virginis, *omnia ingentia, & tum cæterorum vires superantia.* Hinc illa Eccles. 24. *Tum præcepit, & dixit mihi, Creator omnium, & qui creauit me.* Omnium Creatorem Deum vocat, Deinde sui ipsius creatorem proclamat, neque enim vniuersali termino, & voce *omnium* se se comprehensam credidit, nisi sui ipsius specialis, & potissima mentio fieret, vt enim ait Damascenus orat. 1. de Dormitione Mariæ *Matris Dei, & seruorum Dei, infinitum est discrimen.* Hinc quoq; Rex Assuerus ad Esther Reginam egregium Mariæ typũ, quæ communẽ legem confregerat delineauit: *Non morieris*, inquit, *non enim propter te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Esther 15. Pro omnibus inquit, minime autem pro Regina, quæ sub generali voce *omnium* nusquã includitur, vt annotauit Petr. Comest. in Histor. Scholast. sua periphrasi. *Nolli timere: pro subditis data lex est; tu vero mihi coregnas.* Hinc denique Mariã ad cœlos ascẽdente, cælestes spiritus in admirationem rapti cogitabant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto.* Canticor. 8. 5. Orbis enim terrarum, omnium gentium habitatione repletus, Mariæ respectu eremus est & vasta solitudo: vt enim ait Sophronius. *Sicut in comparatione Dei nemo bonus; ita in comparatione matris Dei nulla inuenitur perfecta, quamuis virtutibus eximiis comprobetur.*

Gen 1. Basil.

S. Germ. Eccles. 24.

Damasc.

Esther 15.

Comest or.

Cant. 8. 5.

Mystic. Greg.

8 *Vt immolaret Domino.* Gregor. supra. Quæ est immolatio solemnis hostiæ, nisi illa Sanctæ Ecclesiæ amoris oblatio, qua Conditori coniungitur in æterna contemplatione? ad hanc autem Elcana tunc ascendit, cum Redemptor noster iam de morte triumphans, iam passibilitatis nostræ tenebras superans, carnem, quam pro nostra salute suscepit, ad cælestia sublimauit. Cum quo & omnis domus eius ascendit, quia priores electos Synagogæ in altitudinem immortalitatis extulit. Tunc immolauit solemnem hostiam cum se æterno Patri, per glorificatæ carnis materiam in cœlo exhibuit, & Angelorum naturam sicut de redemptione nostra, ita etiam de eorum reparatione, lætificauit.

Literal. Carthus. Luc. 7.

9 *Vt immolaret Domino.* Carthus. ibi art. 1. Idest Sacrificium, quod Deo promisit, si puerum sibi concederet, seu oblationem votiuam, siue spontaneam, de quibus hostiis dicitur Luc. 7.

Literal. Abul.

10 *Vt immolaret Domino hostiã solemnem.* Abul. ibi. q. 26. Erat hostia solemnis oblatio multorum animalium, & forte omnium generum sacrificiorum; sicut Principes in dedicatione sanctuarij obtulerunt sacrificia solemnia, & quilibet eorum obtulit omnia tria genera sacrificiorum, scilicet sacrificium pacificum, & holocaustum, & hostiam pro peccato, & in quolibet istorum generum obtulerunt multa animalia, vt patet Num. 7. Elcana autem qui erat vir diues sic faceret. In Hebræo dicitur *Hostiam dierum*, id est hostiam dierum statutorum à lege, scilicet in tribus festiuitatibus suprà declaratis. Et ista vocatur secundùm litteram nostram Hostia solemnis, quia erat pro solemnitatibus legis, & tunc erit sensus, quod cùm ascensurus esset Elcana ad offerendùm votum pro filio, obseruauit tempus illud, quo teneretur alias ire, scilicet dies solemnes, vt non cogeretur toties ire.

Literal. Vatab.

11 *Hostiam solemnem.* Vatab. in Scholiis. *Hostiam dierum*; idest quod facere solebat singulis annis.

Literal. Caiet.

12 *Hostiam solemnem.* Caiet. ibi. Iuxta Hebræos habetur *sacrificium dierum, & votum suum*. Hoc est sacrificium congruum tempori, & præter hoc solitum sacrificium ad persoluendum votum suum, quod tacitum fuerat. Insinuatur enim, quòd voto vxoris addidit maritus aliquod proprium votum, ad quod persoluendum describitur venisse.

Literal. Mendoza

13 *Hostiam solemnem.* Franc. Mendoza ibi. §. 2. Quænam fuerit Hostia dubitatio est? Vera responsio est; fuisse hostiam aliquam ex iis, quæ tribus anni celebritatibus offerri ex diuina lege consueuerant; & propterea hostiam solemnem, seu, vt habent Septuaginta, *Hostiam dierum*, hoc est vt Pagn. & Vatab. ex Hebræo transferunt hostiam anniuersariam appellari.

Pagn. Vatab.

Literal. Salian.

14 *Hostiam solemnem.* Salianus tom. 3. Annal. anno Mundi 2901. n. 2. Idest solitam quotannis offerri eo tempore, vt vox ipsa indicat. Vnde Hebraicè, & Græcè dicitur *sacrificium dierum*, siue *anniuersarium*, quod videlicet, statutis diebus celebrioribus recurrebat.

Literal. Abul.

15 *Et votum suum.* Abul. ibi. q. 25. Idest præter hostiam solemnem adhuc obtulit, id quod vouerat. In quo innuitur, quod Anna veniens de Silo nunciauit viro suo Elcanæ, quòd vouerat Domino filium ad ministrandum, si daret ei conceptum, & quomodo orauerit, & locuta fuerit ad Heli sacerdotem: Vir autem suus, quia diligebat eam, consensit voto illius, & super hoc ipse vouit Domino offerre aliqua magna dona, si daret ei filium, quo nato ascendit in Silo, vt offerret Domino id quod vouerat.

Literal. Mendoza.

16 *Et votum suum.* Franc. Mendoza ibi. §. 6. Quodnam erat hoc votum? aliud profectò non est, quam quod Elcana vouit; si filium à Deo impetraret. Et quamuis in superioribus nusquam fiat mentio talis vori, tamen ex hoc loco satis intelligitur fuisse emissum. Solet enim Scriptura aliquas circumstantias, quas narrat, præterire, & eas præterea obiter inculcare.

Literal. Salian.

17 *Et votum suum.* Salianus supra. Addidit præterea votum suum; non enim tantùm vxori suæ votum approbauit, sed peculiare etiam addidit, & proprium, pro amore in Annam suo, & prolis ex ea suscipiendæ desiderio. Quod autem votum istum fuerit, quia explicatum nõn est, diuinari non potest.

Literal. Sanct.

18 *Et votum suum.* Gaspar Santius ibi. numer. 66. Habebat præterea Elcana votum: qua de re conceptum non constat; verisimile tamen est commune cum Anna votum nuncupasse; nempe si ex illa prolem suscepisset, allaturum se ad tabernaculum donum aliquod, aut victimam ex earum numero, quæ in sacrificiis pacificis numerantur.

VERSVS

VERSVS XXII.

Vulgata. Et Anna non ascendit: dixit enim viro suo: non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et Channah non ascendit, quia dixit viro suo: donec ablactetur puer, & adducam eum, & conspiciatur cum facie-bus Domini, & maneat ibi vsque in sæculum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Hanna verò non ascendit, sed dixit marito suo: cùm puer fuerit ablactatus, tunc ducam eum, vt appareat coram Domino, & maneat ibi perpetuò.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et Hhanna non ascendit, quia dixit ad maritum suum: vsquequo ablactetur infans, & adducam eum, vt videatur ante Dominum, & sedeat ibi vsque in sæculum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. Complut. & Regia.* Et Anna non ascendit cum eo, quia dixit viro suo: non ascendam donec ascendat puer mecum, cùm autem ablactauero eum, & apparebit faciei Domini, & sedebit ibi vsque in sæculum.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtiana.* Et Anna non ascendit cum eo, quoniam dixit viro suo: donec ascendat puer. Si ablactauero eum, & apparebit faciei Domini, & sedebit vsque in sæculum ibi.

Pagn. *Pagnin. in margine.* Quia dixit viro suo *non ascendam*, donec ablactetur *infans*, & adducam eum, *vt* conspiciatur *coram Domino.*

Chrysost. *Chrysost. hom. de Anna & Samuelis educatione tom. 1.* Non ascendam, donec ascendat puer mecum: cùm autem ablactauero illum, offeretur in conspectu Domini, & sedebit illic in æuum.

Galatin. *Petrus Galatinus lib. 11. de Arcanis cap. 5.* Et adducam eum, & apparebit in conspectu Dei, & morabitur Icolam.

Burgens. *Paulus Burgensis in Scrutinio Scriptur. part. 1. dist. 8. cap. 5.* Et apparebit ante faciem Domini, & habitabit ibi ad helam.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Hieron. 1 *Et Anna non ascendit.* Hieron. epist. 7. ad Letam tom. 1. Postquam concepit, & peperit, non est ausa ad Templum accedere, & vacua apparere coram Domino, nisi priùs redderet quod debebat.

Mystic. Gregor. 2 *Et Anna non ascendit.* Gregor. 1. variar. cap. 1. Ad hanc solemnem hostiam Anna innitatur, quia sancta Ecclesia supernis iponsi spirituali cohortatione ad æternam contemplationem diuinæ claritatis per quotidiana desideria amoris accenditur, quæ tamen ab ascensu suo abstinet, vt filium lactet, quia, vt prosit hic Christi paruulis dilationem suæ gloriæ patienter sustinet.

Moral. Hugo Victor. *Qui creandi sint Sacerdotes.* 3 *Et Anna non ascendit.* Hugo Vict. lib. 5. Allegor. cap. 4. Sed & hoc, quòd Anna remanſit, & cùm viro suo non ascendit, donec ablactaretur puer, nobis insinuat, quòd Ecclesia nullum ad Sacerdotium prouehit, dum lactis infantiæ particeps est, non solidi cibi, & intelligentiæ spiritualis.

Literal. Mendoza. 4 *Et Anna non ascendit.* Franc. Mendoza ibi. §. 11. Dico Annam absque vllo peccato vtramque legem prætermisisse, quia neutra obligabatur. Nam prior illa lex de primogenitis offerendis, & redimendis, Leuitas, qualis fuit Samuël, non comprehendebat. Posterior verò fœminas de Tribu Leuitica, qualis fuit Anna, pariter non obligabat. Cùm enim munera, quæ in Tabernaculo offerebantur cederent in vtilitatem Leuitarum, & illorum iura dicerentur, vt ex cap. 5. & 18. Numer. constat, non debebant ab ipsis Leuitis persolui, ne semetipsos sibiipsis facerent debitores. *Anna non peccauit remanendo.*

5 *Et Anna non ascendit.* Gaspar Sanctius ibi. n. 74. Puto ante hoc tempus, quadragesimo à partu die, sicut aliæ fœminæ, obiisse Annam Tabernaculum, & duas Præsentationis, ac Purificationis leges impleuisse: deinde rediisse domum, vt postquam à lacte depulisset infantem, iterum rediret, illo ad sacrum Altaris ministerium in Tabernaculo relicto. Histor. Sanctius. *Anna bis templum obiit.*

6 *Et Anna non ascendit.* Author Catenæ. Quòd Tabernaculum Anna cum viro non adierit, nullum moueat; lex enim ascendendi tribus festiuitatibus, Exod. 34. & Deuter. 16. viris, non fœminis sancita fuerat. Si tamen instes saltem legem de purificatione matris Leuit. 12. 2. Et præsentatione primogeniti Exod. 13. 2. Et Numer. 18. 15. fœminis latam fuisse. Respondeo hic solum negari ascensum Annæ in comitatu viri, & familiæ, non autem ante hoc tempus, quadragesimo videlicet à partu die; neque enim succincta historia omnia refert: nam eodem quoque modo, vers. 20. Samuëlis circumcisio subticetur, de qua dubitari impium esset. Nec assentior Abulensi, & Mendozæ excusantibus Annam à lege purificationis, ex eo quòd esset de Tribu Leuitica, munera autem, seu hostias pro purificatione in commodum Leuitarum offerri ex lege consueuisse. Non inquam assentior: 1. quia non est inconueniens, vt cæteri Leuitæ hostias seu munera acciperent à Leuita. Secundò; quia Lex non solum intendebat munerum, & victimarum oblationem; sed etiam matris in Tabernaculo stationem, religionis, & gratitudinis ergo; nam alias sufficeret munera per seruos mittere, matribus domi remanentibus. Histor. Author Catenæ. Leuit. 12. 2. Exod. 13. 12. Num 18. 15. Abul. Mendoza.

7 *Dixit enim viro suo non vadam.* Francisc. Mendoza ibi. §. 2. Hoc est non ascendit, quia petiit à viro suo facultatem remanendi: alias ascendenti comes adhæreret. Moral. Mendoza.

8 *Non vadam donec ablactetur infans.* Chrysost. hom. de Anna, & Samuëlis educatione tom. 1. Non solùm ex eo quòd illum Deo spopondit; verum etiam ex eo quòd non ausa sit ascendere in templum, priusquàm ablactasset infantem fœminæ pietatem licet prospicere. Non existimabat esse tutum, relicta domo ascendere in Templum, quod cùm accepisset donum, non sustineret absque dono comparere. Rursùs adducto illo, ac mox recepto descendere verebatur; eóque tanto tempore remansit, vt cum dono compareret. Moral. Chrysost. *Anna gratitudo.*

9 *Non vadam donec ablactetur infans.* Gregor. suprà. Anna se cum viro suo ascendere abnegat, donec filium lactat: quia sancta Ecclesia tandiu vitauit alta prædicando contingere, quandiu cognouit rudes auditores suos, velut paruulos alta capere nequaquam posse. Mystic. Gregor.

10 *Non vadam donec ablactetur infans.* Stephanus Cantuar. in Allegoriis Tilmani 1. Reg. 1. Donec à mamma mundi separetur. Multi ascendunt antequam ablactentur, quia multi promouentur antequam aliquid sciant. Moral. Stephan. Tilman.

11 *Non vadam donec ablactetur infans.* Rabbanus in Glossa. Idest, Ecclesia ex nationibus priùs Mystic. Raban.

lacte nutriuit filium, quem concepit per fidem, id-est simplici intellectu, in suis auditoribus.

LITERAL. Carthus. 12 *Non vadam donec ablactetur infans.* Carthus. ibi art. 1. Nonne Anna tenebatur in die Purificationis suæ puerum suum cum oblationibus præsentare, & offerre in domo Dei, iuxta quod Dominus iusserat Leuit. 12. Insuper quomodò licuit deuotissimæ Annæ abstinere à visitatione Tabernaculi Domini vsque ad Samuëlis ablactationem, cum cæteræ vxores cum suis maritis ad mimus in Pascha ascenderent domum Domini, sicut iam dictum est de Phenenna coniuge Eleanæ. Respondendum videtur, quod vtique secundùm communem Legem fieri debuit, prout in præallegato libro Leuitici de purificandis pueris continetur. Sed cùm Samuel erat Domino sic promissus, & deputatus, quod in eius cultu iugiter permaneret, appareret quòd mater eius ex inspiratione, & dispensatione diuina infantulum domi retinuerit; quousque ablactaretur. Ex eadem quoque ratione poterat interim à visitatione Tabernaculi abstinere.

MORAL. Berchor. *Prælatus adulatorem vitet.* 13 *Non vadam donec ablactetur infans.* Petrus Berchor. lib. 9. Moralit. cap. 1. Per hæc significantur verba adulatoris à quo pro certo summè debet ablactari, & recedere, qui in templo Domini vult viuere, vel manere, & ibi in aliquo officio, vel beneficio ministrare, vel in mensam Ecclesiasticæ dignitatis ascendere, vel sedere.

LITERAL. Abul. 14 *Non vadam donec ablactetur infans.* Abul. quæst. 27. Quæret aliquis an ista occatio, quam allegabat Anna, esset sufficiens ad hoc quòd non ascenderet nunc in Sanctuarium? Respondendum est, quòd satis erat rationabilis, sed non erat necessaria, quia non obligabatur ipsa relinquere in Sanctuario puerum immediatè. Fuit tamen satis congrua scilicet, quod puer ille, qui specialiter Deo traditus erat, non esset sicut cæteri pueri, qui, postquam præsentantur coram Domino, & incipiunt pertinere ad eum, redeunt ad popularia.

LITERAL. Idem. 15 *Non vadam donec ablactetur infans.* Idem ibidem quæst. 28. Samuël erat de Leuitis, & non erant pro eo soluendi aliqui sicli, quia ipse sanctificatus erat Domino ad ministrandum, eo quòd erat Leuites, & præter hoc erat sanctificatus a matre sua, quæ vouit illum ad ministrandum omnibus diebus vitæ suæ coram Domino, ergo non debebat præsentari post vnum mensem, vel post dies quadraginta, quando præsentabatur mater ad purificationem.

LITERAL. Idem. 16 *Non vadam donec ablactetur infans.* Idem ibid. quæst. 29. Dicendum est, quòd Anna non se præsentauit in tempore purificationis coram Domino, eo quòd ipsa non obligabatur purificari; quia ista purificatio erat in oblatione quorundam sacrificiorum; vt patet Leuit. 12. & ista sacrificia sunt iura debita Sacerdotibus à popularibus, quia pro eis Deum orant, & ministrant ei: mater autem Samuëlis erat de Leuitis; sed Leuitæ non offerebant aliqua iura Sacerdotibus, sicut supra diximus quæst. 16. de redemptione primogenitorum, cum ipsi essent ministri Dei, sicut Sacerdotes, ergo vxores eorum non tenebantur aliquid offerre in purificatione.

LITERAL. Salian. *Samuel an fuerit Deo præsentatus?* 17 *Non vadam donec ablactetur infans.* Salianus tom. 3. Annal. anno Mundi 1901. n. 5. Non opus erat, vt quadragesimo ab ortu die offerretur Deo, licèt esset primogenitus, lex enim, quæ id videtur exigere, ad eos dumtaxat pertinebat, qui redimendi erant quinque siclis; quod non conuenibat Leuitis; ideoque neque Samueli Leuitæ, qui etiam propter peculiare votum perpetuæ Nazaræatus de ipso conceptum, Deo consecratus redimi non debebat. Quidam existimant hanc legem purificationis, vt pleraque alias in vsu non fuisse vsque ad templum à Salomone conditum, quod parùm probabile videtur, cùm extaret iam pridem locus, quem elegerat Dominus, in quo coleretur. An dici potest nihil legitimum ab hac sancta muliere prætermissum; matris autem purificatio facta fuerit, nec tamen narrata, vt pleraq; alia omittuntur, cui rei temporis dispositio satis fauet. Cùm enim sub initium Ianuarij filium peperisset, venit ad nonum Februarij in Silo, & ritu purificationis perfuncta domum redierit, nec eo sub vicina festa Paschalia redire voluit cum marito.

18 *Non vadam donec ablactetur infans.* Franc. Mendoza ibi §. 1. Posset eodem typo Annæ Beatissimam Virginem intelligere Gregorius nolentem cum ascendente filio ascendere, vt in terris adhuc paulisper immunita plures ei filios lucraretur; quasi vellet sua se beatitudine paulisper defraudari, vt hominibus per suum patrocinium tuendis, ac promouendis, & Christo Domino per ampliorem prolem lætificando, & glorificando inseruiret. MYSTIC. Mendoza. Gregor. *Maria Virgo cum filio non ascendit.*

19 *Non vadam donec ablactetur infans.* Idem ibid. §. 17. Quia ibi non poterat lactari, cum nullæ in Tabernaculo fuerint fœminæ nutrices (quidquid sit de Virginibus, quæ ibi hospitabantur) quod si quis dicat potuisse in Tabernaculum duci, ibique Domino offerri, & postea in domum propriam nutriendum reuocari. Respondeo hoc ipsum nullo modo Annæ placuisse, quæ volebat, vt filius sacros lares semel attingens, nunquam amplius ad proprios remearet. LITERAL. Idem.

20 *Vt ducam eum, & appareat.* Rangol. ibi. Ducere dixit, non ferre, nam & si forte per ætatem illud iter conficere non potuit; voluit tamen suis pedibus Tabernaculum ingredi, ne magis offerri à matre, quàm seipsum offerre videretur. TROPOL. Rang.

21 *Et appareat ante conspectum Domini.* Gregor. supra. Ablactatus infans ante conspectum Domini, vt appareat, ducitur, cum per adhortationem Prædicatorum, quisquis subiectus benè proficiens bonis operibus adornatur. Qui enim ad hoc ducitur, vt appareat, non tantum vt videat, defertur, sed vt videatur. MYSTIC. Gregor.

22 *Et appareat ante conspectum Domini.* Franc. Mendoza ibi §. 19. Non dicit vt seruiat, vt laboret, vt ministret, neque enim infantilis ætas Samuelis his muneribus exequendis apta erat, sed, vt appareat; hoc est, vt adsit, vt assistat. LITERAL. Mendoza.

23 *Et maneat ibi iugiter.* Gregor. suprà. Iugiter namque ibi apparemus, vnde nunquam discedimus. Iugiter ergo in conspectu Domini apparere est, decorem bonæ conuersationis nullis vitæ tenebris obscurare, quia qui ad illicita nulla deflectit à secreto diuini intuitus nunquam exit; & quasi in luce positum hunc diuina bonitas respicit, quia eas, quas damnauit peccatorum tenebras, electione sui examinis non attendit. MORAL. Gregor.

24 *Et maneat ibi iugiter.* Liranus ibi. In Hebræo habetur vsque in sæculum, id est vsque ad quinquagesimum annum, quia vltra non debebant Leuitæ seruire in templo, vt habetur Numer. 9. Vnde & infra cap. 7. dicitur quod Samuel factus Iudex populi ibat per singulos annos circumiens Bethel, & Galgal, & Masphah, & iudicabat Israëlem in supra dictis locis. LITERAL. Liran.

25 *Et maneat ibi iugiter.* Petrus Galatin. lib. 11. de Arcanis cap. 5. Si *Olam* pro sæculo accipiatur, tunc LITERAL. Galatin. *Iugiter quid?*

tunc *Olam* non æternitatem, sed tempus determinatum importat. Ad quod probandum illud in primis afferam, quod de Samuële ab Hanna matre eius primi libri Reg. 1. cap. sic dictum est. *Et adducam eum, & apparebit in conspectu Dei, & morabitur ibi Leolam.* Ideſt, *in saeculum*; vbi Gloſſa Rabbi Salomonis ait. *Ideſt, vsque in saeculum Leuitarum*; sicut dictum est Numer. 8. Et *a Filio quinquaginta annorum cessauit negotium seruiendi, & non seruiet vltra.*

Rabbi Salomon. Numer. 8.

LITERAL. Abul.

26 *Et maneat ibi iugiter.* Abul. q. 29. In hoc fundatur intentio Annæ, scilicet, si ego portarem eum nunc coram Domino, quia nondum est ablactatus, non posset ibi manere, sed oporteret, quòd ducerem eum mecum. Ego tamen voui, quòd darem eum Domino, vt ministraret coram eo iugiter. Volo ergo ire illuc tali tempore, vt cùm eum præsentauero Domino, possit ibi iugiter manere.

LITERAL. Burgen. *Helam quid significet.*

27 *Et maneat ibi iugiter.* Paulus Burgen. in Scrutinio Scripturarum, part. 2. dist. 8. cap. 5. Dictio significans perpetuitatem durationis limitatam, seu peryodicam est hæc dictio *Helam*, quæ propriè significat in Hebræo, sicut hæc dictio *Saculum* in Latino. Vnde cùm coniungitur alicui dictioni significanti rem, cuius duratio limitatur per vitam hominis, tunc tale *Helam*, seu *saculum* significat totum ambitum durationis vitæ ipsius hominis. Similiter 1. Regum 1. Anna dicebat de Samuële filio suo: *& adducam eum, & apparebit ante faciem Domini, & habitabit ibi ad Helam*, id est in sæculum.

VERSVS XXIII.

Vulgata. Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablactes eum, precorque, vt impleat Dominus verbum suum, mansit ergo mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum à lacte.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagnino. Dixitque ei Elcanah vir suus: Fac bonum in oculis tuis; mane donec ablactare te eum: verumtamen confirmet Dominus verbum suum. Mansitque mulier, & lactauit filium suum, donec ablactaret eum.

Vatab.

Hebraica ex Franc. Vatab. Respondit ei Elcana maritus eius: fac quod tibi videtur, mane donec ablactes eum, modò Dominus confirmet verbum suum. Mansit itaque mulier, & lactauit filium suum donec eum ablactaret.

Ariasm.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et dixit ei Elcana maritus eius: fac quod firmum in oculis tuis: expecta vsquequo ablactes illum: verùm firmabit Dominus verbum suum, & expectauit mulier, & lactauit filium suum vsquequo ablactauit eum.

Complut. Regia.

Graca ex Sept. in Complut. & Regia. Et dixit ei Elcana vir suus: Fac placitum coram te: sede donec ablactes eum. Verùm statuat Dominus omne exiens ex ore tuo, & sedit mulier, & lactauit filium suum, donec ablactauit eum.

Sixtia.

Graca ex Sept. in Sixtiana. Et dixit ei Elcana vir eius: Fac quod bonum in oculis tuis: sede quoad vsque ablactaueris eum: sed firmet Dominus quod exiit ex ore tuo. Et sedit mulier, & lactauit filium suum, donec ablactasset eum.

Chrysost. hom. 2. de Anna tom. 1. Sedit & lactauit Samuëlem. Chrysost.

Caietan. ibi. Tantum firmet Iehouah verbum suum. Caietan.

PP. ET AVCTORES.

1 *Fac quod bonum tibi videtur.* Gregor. 1. variar. cap. 1. Quid est quod Annæ consilium viri sui authoritate roboratur; nisi quia propositum sanctæ Ecclesiæ, non ex humano præsumitur iudicio, sed ex diuino. Nam quicquid sancta Ecclesia in subiectis sibi nationibus disponere voluit, tunc demum id ratum habuit; cùm ex internæ veritatis iudicio quid disponendum esset, agnouit. MYSTIC. Gregor.

2 *Fac quod bonum tibi videtur.* Vatab. in scholiis. Hebraismus, quod bonum est in oculis tuis. LITERAL. Vatab.

3 *Fac quod bonum tibi videtur.* Franc. Mendoza ibi §. 1. Solent etiam boni viri vxoribus morem gerere, vt domestica tranquillitas conseruetur, & intestina iurgia procul abigantur; quibus coniugalis vita frequentissime infestatur iuxta veterem paremiam à Diuo Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum vsurpatam, *qui non litigat, cælebs est.* MORAL. Mendoza. Hieron.

4 *Donec ablactes eum.* Abul. ibi. quæst. 29. Causa huius erat, quia dum puer non est ablactatus non potest manere sine nutrice: sed nulla nutrix poterat esse cum eo semper in Sanctuario, siue esset mater eius, siue aliqua alia, quia nulli fœminæ licebat semper manere in Sanctuario. LITERAL. Abul.

5 *Precorque vt impleat Dominus verbum suum.* Gregor. supra. Quod est verbum, quod implendum asseritur, nisi prædestinata conuersio Gentilitatis; & quia per eius sanguinem reconciliamur Deo, ipse pro implendo verbo precatur, cuius obtentu salus nostra perficitur. Precari etiam ei est, se in humanitate assumpta pro salute nostra æterno Patri continuè exhibere. Quod, dum sic se offerre non desinit, receptioni nostræ aditum ad vitam facit. MYSTIC. Gregor.

6 *Vt impleat Dominus verbum suum.* Hugo Charen. in Postilla. Verbum tuum, quod vouisti: vel suum, quod promisit per Heli, cùm ait: *det tibi Dominus petitionem tuam.* LITERAL. Hugo.

7 *Vt impleat Dominus verbum suum.* Carthus. ibi. art. 1. Quid necesse fuit hoc precari, quasi verus, & sanctus Deus possit suum verbum non implere? Respondendum: quia verba diuinæ promissionis intelligenda sunt semper sub implicita conditione, videlicet, nisi homines suis excessibus mereantur oppositum: ideò Elcana hoc rogauit, vt verbum illud, quod Heli dixit ad Annam: *Dominus dabit tibi petitionem tuam*, impleatur; vt scilicet Samuël sic Deo offerretur, ac ministraret in Tabernaculo omnique tempore vitæ suæ Nazaræus Dei consisteret, vt Anna promiserat. LITERAL. Carthus. *Deus sub conditione promittit.*

8 *Et impleat Dominus verbum suum.* Lira. ibi Anna petebat à Domino filium, qui viueret, & ministraret ei in templo Domini, vt patet ex prædictis; & hoc precabatur Elcana à Domino impleri; quia licèt Samuel esset natus, non tamen adhuc erat in statu, quo posset in Tabernaculo ministrare. LITERAL. Liran.

9 *Vt impleat Dominus verbum suum.* Abul. ibi. quæst. 29. Hoc orat Anna scilicet, quod Deus det LITERAL. Abul.

vitam

vitam illi puero, vt possit ministrare multo tempore coram eo. Et sic impleuit verbum suum de puero, quod ministraret coram eo. Rabbi Nehemias dicit, quod in Silo audita fuerat quædam vox Dei dicentis: *quidam puer nasciturus est nomine Samuel, qui liberabit Israel de manu Philistiim*, Quamobrem omnes mulieres vocabant filios suos Samuel, vt aliquis eorum esset. Cùm autem vocauit Anna filium suum Samuel, dixit Elcana: *precor vt impleat Dominus verbum suum*; scilicet verbum, quod locutus est in Silo, compleat in isto puero, vt liberet Israel de manu Philisthiim. Sed istæ fictiones sunt ita apertæ, vt non expediat contra eas arguere, nam Anna non vocauit filium suum Samuelem ex hac causa.

Rabbi Nehem. *Rabbinorum nuga.*

LITERAL. Caiet.

10 *Vt impleat Dominus verbum suum.* Caietan. ibi. Incertum est an verbum Heli Pontificis ad Annam, *dabit tibi Deus petitionem tuam*, appelletur verbum, *Iehonah*, an votum vxoris, quia directè tendebat in Deum appelletur verbum *Iehonah*, an aliqua reuelatio diuina de Samuele præcesserit, & fuerit narrando citata, (quemadmodum & votum ipsius Elcanæ hactenùs fuerit tacitum) & nunc commemorando manifestetur. Et hic tertius sensus amplectendus videtur, quoniam sæpe in sacra Scriptura multa tacentur narrando, quæ postea supplentur commemorando.

LITERAL. Vatab.

11 *Vt impleat Dominus verbum suum.* Vatab. in Scholiis. Quasi dicat: peto tantùm à Deo, vt non infirmet quod nobis promisit per Heli.

LITERAL. Salian.

12 *Vt impleat Dominus verbum suum.* Salianus tom. 3. Annal. ann. mundi 2901. n. 6. Non quod peculiare quidpiam editum fuerit de Samuele vaticinium, sed vt explicat Abul. cùm Dominus exoratus concessisset filium iuxta parentis votum, dicitur quoque illi vitam spondisse iuxta intentionem eius, vt posset Domino iugiter ministrare.

Abul.

LITERAL. Sanctius.

13 *Vt impleat Dominus verbum suum.* Gaspar Santius ibi. num. 71. Non apparet quodnam sit illud verbum, aut illa Dei promissio, quam nunc optat Elcana impleri à Domino. Nam si Deus Annæ filium promisit, cùm oraret in Tabernaculo, & coram Domino spiritum effunderet, aut certè per Sacerdotem summum, cùm dixit *Vade in pace, & Deus Israel det tibi petitionem tuam*: iam illud Deus orto Samuele compleuerat. Quare non apparet quò spectet Elcanæ votum, & oratio.

LITERAL. author Catenæ. *Verbum quid significet.*

14 *Vt impleat Dominus verbum suum.* Author Catenæ. Nullam hic anteactæ diuinæ promissionis mentionem fieri crediderim, cùm de Samuelis ortu, quæ per Heli facta fuerat completa iam fuerit. Nam Rabbinorum cerebro exorta commenta risu potius, quàm plausu excipienda sunt. Existimo ergo sensum hunc esse. Compleat Dominus, quæ tam faustis auspiciis cepta sunt, & sui cultus perpetuum ministrum protegat. Fauet nomen Hebraicum דבר *dabar*, apud Latinos *verbum*, quod non promissum, sed rem quamlibet factibilem significat: sic Lucæ 1. *Quia non erit impossibile apud Deum omnes verbum.*

Luc. 1.

MORAL. Chrysost.

14 *Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum.* Chrysost. hom. 2. de Anna tom. 1. Ergo conspiciebat deinceps infantem illum, non tantum, vt infantem, verùm etiam vt rem Deo consecratam, cóque matri geminus amoris stimulus insitus est; alter à natura, alter à gratia; & è mea quidem sententia etiam reuerebatur filium suum; etenim si, qui phialas, poculave aurea Deo dicaturi sunt, postea quam ea iam confecta acceperunt, domique reposuerint nequaquam ea, quasi profana vasa intuentur, sed tanquam Deo sacra, nec audent ea temerè citraque causam attingere, quemadmodum cætera; multò magis hæc mulier simili animo attendebat ad puerum, etiam priusquam illum in Templum adduceret, & diligebat impensiùs tanquam filium, & curabat tanquam Deo dicatum, existimans super illum sanctificatum iri, quando domus ipsius iam erat facta Templum, vt quæ Prophetam, ac Sacerdotem intra se contineret.

LITERAL. MORAL. Mendoza.

16 *Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum.* Francis. Mendoza ibi. §. 3. Cur Anna per se lactauit filium, non nutrici tradidit lactandum? Prima ratio, vt miraculi fides certior esset. Secunda, vt maiorem erga filium amorem testaretur. Tertia, vt eum sibi redderet similiorem, nam alumni sæpe numero similiores nutricibus euadunt, quàm filij parentibus.

MORAL. Author Catenæ. *Matres filios lactent.* Anonym. Satomaior.

17 *Et lactauit filium suum.* Author Catenæ. Non vtique nutrici filium lactandum commisit, sed illum ipsa suo lacte enutriuit; quod præstare similiter deberent matres omnes, dum licet per valetudinem; *Cui enim mulieri, vel Reginæ, per Deum immortalem, dedecens esse potest lactare filium, quem ex propriis visceribus eduxit, nouemque integris mensibus, plus minúsve in penitissimis, & abditissimis, reconditissimísque vteri recessibus proprio sanguine aluit?* verba sunt anonymi apud Ludouicum Soto Maior in caput octauum Cantic. ad illa verba: *Quis mihi te det fratrem meum sugentem vbera matris meæ.* Saræ Anna exemplum secuta est, de qua Genesis 21. 7. *Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium suum?* Vbi elegans est Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 7. *Prouocantur fœminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos. Hæc enim matris gratia, hic honos, quo se propriis commendent viris. Denique eos plus amare filios solent, quos ipsa matres lactauerint vberibus suis.* Hæc Ambros. Cuius quidem vel authoritas, vel ratio, nempe, quòd lactatio filiorum eorundem amorem accendit, sufficere poterat, vt matres conuincerẽtur, ne filios à suis vberibus amouerent. Quas iterum reprehendit lib. 5. in Examer. cap. 18. Aliumque exemplo, & documento, quæ proprios semper fœtus enutriunt, & Clemens Alex. lib. 3. Pædagogi. cap. 4. Illa verò ratio potissima in hoc negotio esse deberet, quam Philologi, ac Medici adstruunt; nempe eam esse lacti vim, quæ seminibus esse solet, vt alitum alenti reddat simillimum; cùm autem sæpe nutrices vilioris sint conditionis, & ingenij, non mediocre alumnis detrimentum inferunt, dum suos illis illiberales mores communicant, ac sibi assimilant. Vnde morali illi fabellæ fundamentum fuit, cùm Herculem Deum facere procurarent, vnicum illud medium ad diuinizationem ad manum fuisse, quod paruulum adhuc puellum insciæ Iunonis vberibus lactandum apponerent; quo quasi diuinos sugeret animos, ac mentem, vt lepidè lusit Alciatus emblem. 137. dicens de eo.

Mendoza. Cant. 8. Gen. 21. 7. Ambros. Clemens. Alex. Idem. Alciat.

Nec prius esse Deus potuit, quàm sugeret infans
Lac sibi quod fraudis nescia Iuno dabat.

Vnde Guillielm. Abbas lib. 1. de Vita Bernardi cap. 1. de eius matre locutus ait: *alienis vberibus nutriendos filios committere illustris fœmina refugiebat, quasi cum lacte materno, materni quodammodo boni infundens eis naturam.* Ad hæc, & nutrices maternitatem quandam, respectu alumnorum habent; matres autem quæ filios non lactant,

Guillel. Abbas.

non

non integræ matres, sed quasi dimidiatæ, & partiales matres sunt, quæ autem eos proprio enutriunt lacte, totales eorum, & quasi dupliciter matres fiunt. Hinc enim maturè Fauorinus mulieri nutricem inquirenti puero recens nato, quo matrem, quæ illustrior erat, lactandi molestia liberaret: *Oro te*, inquit, *mulier, sine eam totam ac integram esse matrem filij sui.* Vt Author est Aul. Gellius. lib. 12. cap. 1. quem consule. Qui de hac materia plura velit, Legat Mendozam, Rangolium, & Cornelium in præsenti, Plutarchum lib. de educandis liberis. Phaucinum philosophum apud Gellium lib. 12. cap. 1. Chrysostomum. hom. 1. in Psal. 50. & hom. 60. ad Populum Anthioc. latiùs verò, & admodùm eruditè Tiraquellum de Nobilitate. cap. 20. n. 8. & sequentibus.

Fauorin. Liran. Zamore. Mendoza. Cornel. Plutar. Phaucin. Gellius. Chrysost. Tiraq.

MORAL. Procop.

18 *Donec amoueret eum à lacte.* Procop. Gazæus in caput 21. Gen. Notandum nullibi de impiis dici, ablactati sunt. Iustus erat Samuel de quo idem prædicatur. Ismaelis ablactatio nullibi in Scriptura comprehenditur; quapropter natus annos viginti, adhuc puer nominatur.

HISTOR. Salian.

19 *Donec amoueret eum à lacte.* Salianus tom. 3. Annal. anno Mundi. 2903. n. 4. Quis vnquam dixit puerum anno septimodecimo, aut duodecimo amoueri à lacte & non potius. 2. vel. 3.

VERSVS XXIV.

Vulgata. *Vulgata.* Et adduxit eum secum postquam ablactauerat in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini; & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus.

Benedic. *Benedictina.* Et vno modio farinæ.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Ascendereque fecit eum secum, cùm ablactauit eum in iuuencis tribus, & modio vno farinæ, & vtre vini, & adducit eum domum Domini in Siloh, & puer, puer.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Cùmque ablactasset eum, duxit illum secum cum tribus iuuencis, & epha farinæ, atque vtre vini, & introduxit eum in domum Domini in Silo, eratque admodum puer.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et ascendere fecit eum secum, cum ablactauit eum in iuuencis tribus, & mechilta vna farinæ, & vtre vini, & adduxit eum ad domum Sanctuarij Domini ad Silo. Et puer erat paruulus.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et ascendit cum eo in Silo, in vitulo trino, & oëphi siliginis, & amphora vini, & ingressi sunt in domum Domini in Silo, & puer cum ipsis.

Græca ex Septuaginta in Sixtiana. Et ascendit cum eo in Selom in vitulo trienni, & panibus, & oëphi similaginis, & Nebel vini, & intrauit in domum Domini in Selom, & puer cum eis, & adduxerunt coram Domino.

Pagnin. *Pagninus in margine.* Cum iuuencis tribus, & modio vno farinæ, & vtre vini, & adduxit eum ad domum Domini in Siloh. Et puer erat valdè puer.

Cald. Vatab. *Chaldæus apud Vatablum in Scholiis.* Et puer erat adhuc lactens.

Chrysost. *Chrysostom. hom. 2. de Anna tom. 1.* Ascendit cum illo in Silon, in vitulo triennante.

Rabbi Kimhi. Serar. *Rabbi Kimhi apud Serarium.* Et puer excutiebat, *siue*, dicernebat inter bonum, & malum, sicut cribrant excutit.

Author Catenæ. Clarius. Codices S. Germani Brugen. *Author Catenæ.* Plura vetusta Exemplaria habent, (& corrigenda sunt), in vno modio farinæ, sic etiam Isidorus Clarius, sic quoque Exemplaria Sancti Germani; paruum Societatis Iesu Aubrum Sarbonicum Correctorium, & alia apud Lucam Brugensem in Annotationibus.

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Origen. 1 *Et adduxit eum secum.* Origen. tract. 3. in Matheum. Statim transmutatus, à matre ad Deum; & appositus Deo à matre, quæ vocabatur Anna interpretata hebraicè *Gratia*, & si quis fuerit gratiæ filius, vt quærat, quasi in templo Dei nutritus, carnes, sanctam escam perfectorum, simul & Sacerdotum.

MORAL. Chrysost. 2 *Et Et adduxit eum secum.* Chrysost. hom. 2. de Anna tom. 1. Adduxit, ac reliquit; nec puer à mamma diuulsus modestè tulit; cùm sciatis, quàm soleant indignari pueri, quoties à lacte depelluntur. Verùm nec ipse puer ægrè tulit à matre diuulsus, sed ad Dominum respexit, qui matrem creauerat: nec ipsa mater doluit à puero seiuncta, propterea, quòd naturalem affectum vicit interueniens gratia; & vterque se alteri conuiuere existimabat, quemadmodum eodem in loco fixa vitis in longum producit palmites, & vua multo interuallo pendens cum radice habet commercium.

MORAL. Idem. 3 *Et adduxit eum secum.* Idem ibidem. Ascendit igitur præclarum illud germen transplantant: & quemadmodum industrij agricolæ, primum semen in terram deponunt cupressi, aut aliarum arborum similium; deinde vbi conspexerunt ex semine factam arborem, non relinquunt in eadem terra, sed inde reuulsam plantulam, in aliud transferunt solum, vt terra in recens gremio suo exceptam illius radicem putam, & integram vim suam proferat ad nouam educationem: itidem & hæc effecit mulier, quæ puerum præter spem proseminatum in illo vtero, à domo transtulit, & in templum transplantauit, vbi perpetuæ sunt fontium scatebræ, & irrigationes spirituales.

HISTOR. Chrysol. 4 *Et adduxit eum in domum Domini.* Petrus Chrysol. serm. 73. Anna quoque Sarræ consterilis, quæ lachrymis orationum suarum tandiu madefecit ariditatem sui corporis, & naturæ, quandiu fuerat longo tempore negata posteritas, Samuelem diuino munere susceptum, ablata, tum mox diuinum refundit in munus, & lætitiam suam sacrificiorum victimis, ad plenitudinem liberationis accumulat.

HISTOR. Theod. 5 *Et adduxit eum secum.* Theodoret. in Proœmio ad Epist. Pauli. Samueli Prophetæ, cùm esset adolescentulus, nec postremum quidem ministerium à Sacerdotibus obire permissum est; immatura enim ætas eum à munere obeundo arcebat.

HISTOR. Idem. 6 *Et adduxit eum secum.* Idem in præsenti, quæst. 5. Cùm peperisset, implcuit promissum, conseruauit enim eius comam. Cùm primùm autem ablactasset eum, obtulit Deo, & cum eo vitulum ei tempore æqualem, qui pro eo accepit mactationem, & sacrificium.

7 Et

MORAL. Nicetas. *Anna pietas.*

7 *Et adduxit eum secum.* Nicetus in orationem 40. Nazianzeni in sanctum Baptisma. Anna Samuelem, statim vt in lucem editus est, consecrauit, naturæ infirmitatem aduersùs corporis, affectuúmque reuelantium impetus minimè reformidans: Verùm Dei ope freta certóque sibi persuadens, eum imbecillitati humanæ subditio futurum.

TROPOL. Damia. *Pueri, Dei cibus electus.*

8 *Et adduxit eum secum.* Petrus Damia. epist. 105. Cum de grege suo faciat potestatem quisque, quod velit, quo pacto non licuit Creatori tuo, te velut agnum tenerrimum mensæ refectionis apponere, reliquumque gregem in exterioris adhuc vitæ pascuis reseruare, vt te iam intra propria viscera speciali quadam familiaritate traiiciat, dum alios interim suis temporibus conuertendos moderamine piæ dispensationis expectat? Samuel namque puerulus tanquam tener agniculus cum tribus farinæ modiis, & amphora vini mensæ Domini, vt ita loquar, apponitur; dum Heli Sacerdoti, & templo Dei, quod erat in Silo, à parentibus dedicatur. Ioannes Baptista non solùm ipse Agnus: sed & Agnum prædicaturus, qui tollit peccata Mundi, de grege Sacerdotalis domus eligitur, & in deserta contendit, vt eo Dominus velut epulo suauis edulij delectabiliter saginetur.

HISTOR. Nissen. *Maria præsentatio.*

9 *Et adduxit eum secum.* Gregor. Nissen. hom. de Humana Christi generatione. Cùm iam creuisset puella (*Virgo Maria*) vt non ampliùs opus haberet sugere mamillam, eam Deo tradidit Anna, & promissum impleuit, & ad templum adduxit. Sacerdotes autem interim quidem ad similitudinem Samuelis inter Sanctos educabant puellam. *Eadem prorsùs verba habet Simeon Methaphrastes loquens de ortu, & educatione Mariæ.*

Metaphr.

MYSTIC. Beda.

10 *Et adduxit eum secum.* Beda lib. 1. Expos. Allegoricæ cap. 3. Adducit Ecclesia suos filios, quibus rationabiliter, & sine dolo lac ministraret, eosque à puerilibus noui hominis rudimentis, ad perfectiora iam educando prouexerat. Adducit inquam eos, quos auxiliata esset Christi gratia, sensu fortes efficit, ad societatem eorum, qui templum Dei fuerunt iam per diuinæ legis obseruantiam facti.

HISTOR. Ioseph.

11 *Et adduxit eum secum.* Ioseph. lib. 5. Antiquit. Iudaicar. cap. 11. Cùm parentes gratias acturi Deo pro acepto filio, & sacrificaturi rediissent, simulque decimas ex more afferentes; mulier voti rea puerum Heli tradidit Deo consecratum, Prophetamque futurum. Itaque & comam alebat, & aqua tantum in potu vtebatur, degebatque circa fanum, cuius ministeriis educabatur.

HISTOR. Canisi. *Duæ Annæ quàm similes.*

12 *Et adduxit eum secum.* Petrus. Canisi. lib. 1. de Beata Virgine. cap. 12. Tam pulchrè matres hæ duæ (*vtraque Anna*) inter se consentiunt; totque modis similia faciunt, vt non frustra eodem etiam dici nomine, & quasi germanæ sorores, & eiusdem ferè classis esse viderentur. Quod prior Anna ob sterilitatem contempta, precibus à Deo contendit, & exorauit, vt Deo caram haberet, offerretque in templo sobolem; id nostra etiam Anna, cùm simili morbo laboraret, ac eodem remedij genere vteretur, feliciter est consecuta pro Samuele Mariam summo Deo dedicans, ac templo instituendam relinquens.

MORAL. Barradas.

13 *Et adduxit eum secum.* Sebastianus Barradas lib. 6. in Exod. cap. 7. nûmero 2. Non enim solùm verbis, sed etiam oblatione gratias Anna egit. Denique non solùm vitulos obtulit, farinam, & vinum, sed eundem etiam filium, quem postulauerat.

MORAL. Origen.

14 *Postquam ablactauerat.* Origenes hom. vnica in libros Regum, igitur quicunque à lacte non depellitur, sed paruulus est, non potest ascendere ad templum Domini, non potest ascendere ad ministeria Sacerdotum, nec sacrificiis interesse, sed nec mater eius ascendit, cùm posset ascendere: Gratia est enim mater eius Anna, quæ seruat, & custodit eum, & nutrit eum, vt tempore opportuno pariter cum ipso ascendat; quæ cùm viderit ipsi adesse tempus, vt iam recedens à lacte, solidis & fortibus cibus vtatur, vt possit & Sacerdotibus interesse, & de Altaris edere sacrificiis; tunc eum Deo consecrat.

LITERAL. Hieron.

15 *Postquam ablactauerat.* Hieron. 1. contra Iouinianum tom. 2. Samuel ab infantia nutritus in Tabernaculo est. Et Epist. 7. ad Letam tom 1. Samuel nutritur in templo. Ioannes in solitudine præparatur. Et Epist. ad Cromacium. O beata domus, in qua morantur Anna vidua, Virgines, Prophetissæ, geminus Samuel nutritus in templo.

MORAL. Chrysost.

16 *Postquam ablactauerat.* Chrysost. hom. 21. in Epist. ap Ephes. non dicebat expectabo donec crescat puer, vt rebus mundanis vtatur, vt paululum pueri ætate immoretur, sed relictis his omnibus vnum dumtaxat intendit, quomodo statim ab ipsis vitæ exordiis spiritualem imagiunculam Deo fingendam offerret.

MORAL. Idem. *Samuelis consecratio.*

17 *Postquam ablactauerat.* Idem hom. 2. de Anna tom. 1. Quanquam puero ætas erat immatura virtus tamen aderat matura; nam ascendentibus in templum omnibus, multæ religionis, ac pietatis magister factus est. siquidem illi, dum inquirunt, discuntque modum natiuitatis illius; abundè magnum solatium accipiebant spei, quæ est erga Deum. Neque quisquam viso puero tacitus descendebat, sed omnes glorificabant illum, à quo præter spem datus erat.

MORAL. Idem. *Samuel natura dicatus Deo.*

18 *Postquam ablactauerat.* Idem ibidem. Neque enim post malitiæ experientiam venit ad malitiæ remissionem, sed ab ipsis cunabulis ad virtutem transiliit. Non habuit consortium cum consciis obnoxiis; neque communicationem habuit cum conuenticulis impietate plenis, sed prima statim pueritia à mamma matris venit ad mammam spiritualem.

HISTOR. Aug.

19 *Postquam ablactauerat.* August. in Psal. 98. tom. 8. Natus Samuel fuit apud matrem tempore lactis: mox, vt eum ablactauit, dedit in templum, vt ibi cresceret, ibi roboraretur in spiritu, ibi Deo seruiret.

HISTOR. Nazian.

20 *Postquam ablactauerat.* Gregor. Nazianzen. orat. 20. in Laudem Basilij. Samuel ante natiuitatem donatus, & post natiuitatem confestim Sacerdos, & Vnctor Regum, ac Sacerdotum.

HISTOR. Idem.

21 *Postquam ablactauerat.* Idem Orat. 22. in laudem Machabæor. Iam cũ Anna celebrabimur (*Mater Machabæorum*) nisi fortè eo etiam magis, quod illa vnum dumtaxat diuino beneficio sibi concessum, eumque infantem, ego contra septem viros, eosque volentes Deo consecraui.

MORAL. Idem. *Pueri Deo sacrantur.*

21 *Postquam ablactauerat.* Idem Orat. 40. in sanctum Baptisma. Infans tibi est, ne occasionem improbitatis arripiat, ab infantia sanctificetur, ab ipsis vnguiculis spiritui consecretur; at propter naturæ imbecillitatem figillum metuis? Quam imbecillis animi mater es. Atqui Anna Samuelem priùs etiam, quàm procreatus esset

Deo

Deo promisit, atque in lucem editum, statim consecrauit, nihil humanum vetita, sed Deo fidem habens.

HISTOR. Philo

23 *Postquam ablactauerat.* Philo Hebræus lib. *quòd Deus sit immutabilis, initio.* Mox Anna acceptum datori reddidit, nullum suum proprium bonum iudicans, nisi ex diuina gratia. Sic enim in 1. Reg. ipsa loquitur: *do tibi eum donum*, ac si diceret, eum qui donum est, dono gratuito, acceptum tibi do.

MYSTIC. Angelom.

24 *Postquam ablactauerat.* Angelom. in Strom. Benè ait *postquam ablactauerat.* Quia videlicet Anna, ideſt, sancta Ecclesia ex nationibus, de quibus Dominus ait. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient*, prius lacte enutriuit filium, quem corde concepit per fidem ideſt simplici intellectu in suis auditoribus, de quo Paulus Apostolus ait. *Lac vobis potum dedi, non escam.* Cæterum Allegoricè, quod noluit illum ducere ad Domum Domini, antequam ablactaret, significat, matrem Ecclesiam, quemlibet filiorum suorum non ante ad Sacerdotium prouehere, quam illum à lacte infantiæ, & paruitate sensus educatum, effecerit capacem spiritualis doctrinæ.

LITERAL. Charth.

25 *Postquam ablactauerat.* Carthus. ibi art. 1. Itaque iuxta textum videtur dicendum, quòd statim post ablactationem à lacte materno sit Samuel oblatus, & relictus in Tabernaculo, & ibi per tẽpus nutritus, deinde imbutus; sicque adhuc puerulus exorsus sit ministrare. Nam & infrà habetur, *puer autem erat adhuc infantulus*, quod Deo iam ibi adducto asseritur. Puer autem decem, duodecimve annorum non videtur aptè infantulus dici. Est item probabile, quòd in tantæ electionis puero, tam supernaturaliter dato, fuit ab infantiæ annis aliquid ingeniositatis, capacitatis & agilitatis supra vires naturæ. Itaque in quinto aut sexto anno poterat aliqua parua exercere obsequia.

LITERAL. Hugo.

Samuel quã. do \ oblatus Tabernaculo.

26 *Postquam ablactauerat.* Hugo Charensis in Postilla. Hoc videtur mirum, puerum bimum quasi nouiter ablactatũ, adductum ad ministrandũ in Tabernaculo. Propterea distinguunt triplicem ablactationem. Prima est à lacte mammillæ, quæ quæ fit in tertio anno. Secunda à lacte infantiæ, quæ fit septimo anno. Tertia à lacte pueritiæ, quæ fit duodecimo anno. In prima amouetur infans à nutrice; in secunda puer à pædagogo. In tertia adolescens à tutore, & à puerili conuersatione. Dicunt ergo eum adductum post secundam ablactationem ad imbuendum literis. Vnde infrà legitur, quòd per singulos annos mittebat ei mater tunicam paruam. Alij dicunt eum adductum post tertiam ablactationem, quasi iam idoneum ad ministrandum. Vnde statim sequitur *puer autem, &c.*

Comest.

Eadem verba habet Comestor.

LITERAL. Liran.

27 *Postquam ablactauerat.* Liranus ibi. Duplex est ablactatio, vna est à lacte mammillæ, & ista fit circa principium tertij anni, vel circiter: Alia est ablactatio, quãdo abstrahitur puer à lactè pueritiæ, quando incipit vti aliis cibis communibus, & lacticiniis non nutritur amplius, & hoc fit circa decimum annum vel circiter, & de hac ablactatione loquitur hîc Scriptura, quia ante decimum annum, vel circiter pueri non sunt apti ad faciendum aliquod officium in Templo Domini.

LITERAL. Caiet.

28 *Postquam ablactauerat.* Caietanus ibi. Nisi fuisset consuetudo, vt pueri trium annorum dicati Deo (saltem Leuitici generis) in domo Domini manerent, nequaquam fuisset oblatus, & receptus Samuel triennis.

HISTOR. Castro.

29 *Postquam ablactauerat.* Chrystophor. à Castro Historia Deiparæ c. 3. n. 3. Mox, vt à lacte remotus est infantulus, Deo oblatus est ministraturus in templo. Delinat quicunque mirari, quòd in tam tenera ætate Virgo infans oblata sit, ita enim ferebat vsus.

LITERAL. Pineda.

30 *Postquam ablactauerat.* Ioannes Pineda lib. de Rebus Salomonis cap. 17. n. 4. Cæterum illud videtur certò ex Scriptura elici, ablactationem Samuelis, de qua est sermo, esse illam primam ab vberibus depulsionem: quid enim clarius, quàm illud, *Lactauit filium suum, donec amoueret eum a lacte?* Tum præterea puerum nondum perfectè nutritum, aut educatum; indiguisse itaque, vt in Tabernaculo Domini enutriretur, vtpote Sanctus & Nazaræus.

HISTOR. Serarius. Actius *Ablactatio quando.*

31 *Postquam ablactauerat.* Serarius ibi. Vera ablactatio apud Actium serm. 4. cap. 28. Fit mense vigesimo, quando infans frumentaceo pane vti incipit. Sed anno tertio in Iudæa fieri solitam dixi Genes. 21. Propriam hic ablactationem accipiendam patet 1. Ex illa communi regula, quæ verborum proprietatem, nisi quid impediat, retineri semper vult in historia præsertim. Secundo Quam ablactationem vocat vers. 23. & 24. eandem Latinus Interpres vers. 23. vocat amotionem à lacte. Tertio. Apertissimè indicatur vers. 24. *Puer erat adhuc infantulus*; & apertius Hebraicè, & Chaldaicè. Quartò ex vitulis tribus, qui annis respondent.

LITERAL. Mendoza.

32 *Postquam ablactauerat.* Francisc. Mendoza ibi. vers. 22. §. 13. Nihilominus de priori ablactatione propria hunc locum probabilius intelligo. Vt enim Anna filium suum Deo sisteret, nihil amplius expectauit, quàm vt eum à lacte depelleret. Confirmatur; quia numero sequenti expressè dicitur, Annam mansisse domi, donec amoueret eum à lacte: non autem donec amoueret eum à lusibus puerilibus. Ratio verò contraria facilè soluitur, quia Samuel oblatus fuit non solùm, vt operaretur, sed præcipuè, vt sanctificaretur, vt statim patebit ex illis verbis: *Vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter*, vbi solà præsentia ab eo exigitur, non operatio, præsertim quando erat per naturæ vires impossibilis.

HISTOR. Salian.

Samuel qua ætate oblatus.

33 *Postquam ablactauerat.* Salianus tom. 3. Annal. anno Mundi 2903. numer. 3. Cùm iam duobus totis annis lacte nutritus esset Samuel, & aliquot insuper mensibus vsque ad festum Paschatis, quo videtur Anna cum tota familia de more in Silo ascendisse, rectè sub initium huius anni tertij dicemus eum sugendi materna vbera finem fecisse. Dicendum secundo hoc ipso tertio anno Samuelem à matre in Silo ad Heli fuisse delatum; eodem, Domino in templo oblatum; eodem sacrificia facta in gratiarum actionem; eodem, canticum Deo à matre decantatum, & ibidem relictum eodem tempore vt maneret iugiter in conspectu Domini. Si enim septimum, aut decimum, aut etiam duodecimum annum pueri expectandum putemus, quomodo mulierem sanctissimam tandiù Tabernaculo Domini credimus carere potuisse, præsertim cùm peregrinatio non admodùm longa esset, & Ramatha à Silo vix vidui itinere abesset?

LITERAL. Sanct. 34 *Postquam ablactauerat.* Gaspar Sanctius ibi num. 67. Triennio plerumque apud Hebræos lactabatur infans, vt indicat mater illa, quæ lib. 2. Machabæorum c. 7. Sic est moriturum pro patria, religione filium alloquuta. *Te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi*; videtur autem ex illius regionis consuetudine locuta.

LITERAL. Idem. 35 *Postquam ablactauerat.* Idem ibidem, numer. 68. Alij, & meo iudicio verè, triennalem puerum oblatum esse putant, neque ab eo tempore ad paternam domum, aut maternum complexum rediisse, & quidem vbi nihil occurrit absurdi, maximè in historia significatio propria deserenda non est.

LITERAL. Author Catenæ. Lira. Comest. Charen. *Samuel quãdo oblatus.* 36 *Postquam ablactauerat.* Author Catenæ. Quid hoc aliud, quàm quod dixerat vers. 22. *Donec amoueret eum à lacte?* Vnde apparet patrum probabilitatis præ se ferre sententiam Lirani, & anonimorum quorundam, (forte Rabbinorum) apud Magistrum Historiæ, & Charen, metaphoricas quasdam ablactationes excogitantium; cùm sensus historicus ibi expressius nullius metaphoræ sit capax. Textus ergo veram à lacte amotionem exprimit, quæ plerumque post biennium fiebat apud Hebræos, (licet Torniellus post triennium malit anno Mundi 2904.) Eundem sensum amplectuntur Chronologiæ, & Patres, & communis Interpretum. Idem suadet ablactationis, & præsentationis Dominæ nostræ Deiparæ infantulæ exemplar, quæ exacto biennio extitit: ex Epiphanio, Nisseno, Euodio, Ignacio, Metaphraste, & aliis, quos vide apud Canisium lib. 1. de Beata Virgine cap. 12. & Christophorum Castrensem in Historia Deiparæ cap. 3. Vide quoque Pinedam suprà relatum. Et Ferdin. Camargum in Chronol. sacra.

Torniell. Epiphan. Nissen. Euodius. Ignacius. Metaph. Canisius. Castro. Pineda.

MORAL. Chrysost. Camarg. *Anna decertauit cum Abraham.* 37 *In vitulis tribus.* Chrysost. hom. 2. de Anna tom. 1. Iam geminum fit sacrificium. Et erat vitulus hic irrationalis ille rationalis: & illum quidem Sacerdos immolauit; hunc verò dedicauit mulier: erarque mulieris victima melior, quàm hostia, quam obtulit Sacerdos, propterea quòd hæc suorum viscerum facta est immolatrix. Imitata est Patriarcham Abraham, cumque illo certamen suscepit. Sed ille quidem filium receptum reduxit de monte; Hæc vero reliquit in templo, vt illic perpetuò maneret. Quin potius ille quoque totum dedicauit, caue iam illud expectes, quod non occidit, sed quod animo tantum peregit. Vidisti fœminam cum viro decertantem: Vidisti nihil à sexu vetitam quominus æmularetur Patriarcham.

MYSTIC. Gregor. 38 *In vitulis tribus.* Greg. supra. Quid per vitulum hoc loco significatur, nisi propositũ imitandæ vitæ perfectorũ? Sed vitulus est, cùm in corde exoritur proficientis: bos autem, cùm per robur virtutis ad effectũ perducitur magnæ conuersationis. Samuel ergo in vitulis tribus ad domum Domini ducitur, cùm benè quisque proficiens prospexit, vt & labore prædicationis prodesse valeat proximis, & ex secreto quietis inhærere intimæ visioni conditoris; & quia id benè exhibere animus imperiti nunquam poterit, in tribus etiam farinæ modiis offertur; ex farina quippe, cùm panes fiunt, præparatio refectionis perficitur. In vitulis adducitur pro proposito fortitudinis: in farinę modiis pro doctrina verbi: in amphora vini pro intentione charitatis.

MORAL. Idem. *Trinitati gratia agitur.* 39 *In vitulis tribus.* Idem ibid. in 2. p. Comment. Natus puer in tribus vitulis ad Tabernaculum ducitur, quia de largitate spiritualis muneris gratias referre debemus summæ Trinitati.

MYSTIC. Beda. 40 *In vitulis tribus.* Beda supra. Adducit eos Ecclesia in personis tribus, coniugatorum scilicet, continentium, & Doctorum, qui suæ vitæ munditia diuinis apti sacrificiis corpora pro Christo mori parata habent.

MYSTIC. Rabban. 41 *In vitulis tribus.* Rabban. in Glossa. Tres vituli tria tempora significant, quibus Christum expectabat Ecclesia. Tres modij farinæ, fides, spes, charitas, quas obtulit Ecclesia: siue tres filij Noë, ex quibus plures Ecclesia per fidem Deo obtulit. Hæc dona pro puero offert Ecclesia Gentium, vt ostendat se puerum genuisse, id est fidem Christi percepisse, & operibus demonstrare velle.

MYSTIC. Angelom. 42 *In vitulis tribus.* Angelom. in Strom. Tres vituli tria tempora significant: Ante legem videlicet sub exemplis Patriarcharum; & sub lege, sub dictis Prophetarum scilicet, quibus præfiguratus est Dominus, & eum expectabat Ecclesia; & ideò tristabatur, quia gratiam incarnationis nondum habebat: in tertio tempore gratiæ eo apparente iam, & fidem percepit credendo, & prædicationem quodammodo præsentauit, quia manifestè credidit.

LITERAL. Carth. 43 *In vitulis tribus.* Carthus. ibi art. 1. Non adduxit omnia ista ad immolandum, sed vnum vitulum ad offerendum, alios duos ad dandum domui Heli, vt puer gratiosius tractaretur, quem gubernationi Sacerdotis commiserunt. Nam subditur 2. *& immolauerunt vitulum.* Similiter de tribus modiis.

LITERAL. MYSTIC. Charen. 44 *In vitulis tribus.* Charen. in Postilla. Cum vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, qui faciunt Ephi. Sed obiicitur. Numer. 28. Præcipitur cum singulis vitulis offerri tres decimas: sed hic fuerunt tres vituli, ergo nouem decimas obtulerunt, quæ non faciunt ephi, sed deest vna decima, ergo non tres modios. Potest dici quòd non totam illam farinam obtulit, sed partem dedit Sacerdoti, vt libenter susciperet puerum in ministerio. In tribus seruiendum est Deo: in mentis hilaritate; in operis discretione; in cordis compunctione. Per vitulum intelligitur hilaritas; per farinam discretio; per vinum compunctio.

LITERAL. Abul. 45 *In vitulis tribus.* Abul. ibi. quæst. 29. De vno vitulo istorum apparet infra, quòd immolatus fuerit de duobus reliquis nihil dicitur, sed satis videtur, quod fortasse dederit illos Anna viuentes Sacerdotibus; sicut populares interdum offerebant animalia Sacerdotibus, non vt immolarent coram Domino, sed vt manerent in potestate Sacerdotum.

MORAL. Gratian. 46 *In vitulis tribus.* Decretum secunda parte, causa prima, q. 1. §. *sequitur.* Quæritur an pro ingressu monasterij pecunia sit exigenda, vel exacta persoluenda? Hoc vtrumque licitè fieri vtriusque testamenti serie comprobatur. Legitur enim in 1. lib. Regum quòd Anna detulit secum Samuelem, postquam ablactatus fuerat in tribus vitulis, & tribus modiis farinæ, & amphora vini ad dominum Domini in Silo.

HISTOR. Pineda. Kimhi. 47 *In vitulis tribus.* Ioannes Pineda. lib. 1. de rebus Salomonis c. 17. n. 6. Ex illis vitulis, vnum Sacrificio; duos epulo destinatos existimat Rabbi Dauid Kimhi; sed duos tamen pro Sacrificio pacifico, vnde etiam epularentur offerentes & Laici, mactatos fuisse alij docent.

MORAL. Sanctius. 48 *In vitulis tribus.* Gaspar Sanctius ibi. n. 76. Est ad moralem sensum grauis illa Septuaginta translatio; nam vitulus ille triennis, triennis item pueri personam referebat. Eodem natus est

tempore

tempore, cum illo creuit; creuit tamen, vt cùm triennis esset duceretur ad aram, & cultrum subiret, sic etiam crescebat Samuel, vt auulsus ab vbere victima fieret, quia reuera, qui Deo conuersatur, qualis est Religiosus, & Sacerdos mortem subiit.

TROPOL. Vermil. 49 *In vitulis tribus.* Vermillus hæreticus ibi. Ex hoc loco satis liquet Patres in sacrificiis nihil parcè, aut sordidè fecisse, sed omnia luculenter, ac splendidè, cùm alioqui domi suæ moderatè, ac frugaliter viuerent. At hodie contrà fit, quandoquidem in eleemosynis, distribuendis nimis parci & restricti sumus: sed in conuiuia, & luxum domesticum omnia profundimus.

LITERAL. Author Catenæ. 50 *In vitulis tribus.* Autor Catenæ. Aliqui cùm inferiùs legant, vnici vituli mactationem, conuiuium excogitant post pueri oblationem instructum, instar Abrahę epuli in die ablactationis Isaac. Genesis 21. cui duo alij vituli, & superstes farina, & vinum deseruirent: probabilis quidem coniectura; verùm certi nihil adstruitur; cùm neque ex Textu pateat, nec conuiuiorum ablactationis certa sit regula, & quod caput est, epulum non in Tabernaculo, sed domi celebrandum esset.

ALLEG. Gregor. 51 *Et tribus modiis farinæ.* Gregor. supra. Modius farinæ sanctæ prædicationis præparationem significat. Sed in tribus modiis farinæ infans adducitur, quia dum prædicare proponimus, verbum scientiæ præparamus, peccatoribus ad conuersionem, iustis ad statum perseuerantiæ: & nobis ad supernam contemplationem. Vel certè vnus modius est, vt diximus pro conuersione peccatoris: alius pro disciplina coniugati: tertius verò pro excellenti puritate continentis: & modij quidem dicuntur pro mensura discretionis.

LITERAL. Hieron. Numer. 29. 52 *Et tribus modiis farinæ.* Hieronym. vel potius autor traditionum Hebraic. tom. 3. In Hebræo non tribus modiis farinæ, sed modio farinæ legitur. Quem locum apud Latinos Scriptorum vitio constat esse depraua tum. Si enim cum tribus vitulis tres modios farinæ obtulit, contra legem fecit; in lege namque præcipitur tres decimas per singulos vitulos: duas decimas per arietem: vnam decimam per agnum. *Hæc verò decima: decima pars erit ephi.* Vnde datur intelligi, quod Elcana non obtulit tres modios farinæ cum tribus vitulis, sed nouem decimas, quibus secundùm Hebraicam mensuram vnus efficitur ephi. *Eadem verba transcribit Rupert. in comment. cap. 3.*

Rupert.

MYSTIC. Angelom. 53 *Et tribus modiis farinæ.* Angelom. in stromat. Per tres modios farinæ, tres virtutes in vnitate fidei compactas accipere debemus, fidem videlicet, & spem, & charitatem, quas perfectas obtulit Ecclesia.

LITERAL. Comestor. 54 *Et tribus modiis farinæ.* Magister historiæ ibi cap. 3. Eum ablactatum duxit in Silo cum vitulis tribus, & modiis farinæ tribus: Hebræus tamen habet, *& in modio farinæ, & cum amphora vini*, quæ est mensura trium modiorum, nec attulit similam, & vinum ad libandum tantùm; cùm in libaminibus vitulorum pauciora sufficerent: præsertim cùm non nisi vnum vitulum obtulisset; sed intelligendum est quod residuum dedit domui Sacerdotum.

MORAL. Damian. 55 *Et tribus modis farinæ.* S. Petrus Damian. epist. 105. Samuël puellus tanquam tener agniculus cum tribus farinæ modiis, & amphora vini mensæ Domini, vt ita loquar, apponitur; dum Heli Sacerdoti, & templo Dei à parentibus dedicatur.

LITERAL. 56 *Et tribus modiis farinæ.* Abul. ibi. quæst. 29. Sciendum, quòd tres modij farinæ, de quibus hic, valdè paruam mensuram dicunt; nec sunt, vt apud nos, quia vna puella satis debilis poterat portare in palliolo suo sex modios tritici, & amplius; vt patet Ruth. 3. Abul. Ruth. 3.

LITERAL. Saa. 57 *Et tribus modiis farinæ.* Emanuel Saa in Scholiis. Id est satis; vt patet ex Hebræo, & Septuaginta, vbi legitur, *& ephæ*, quæ constat tribus latis.

LITERAL. Brugen. 58 *Et tribus modiis farinæ.* Lucas Brugensis in Notationibus. Hebraice est, *& ephi vno farinæ.* Ephi autem siue epha Latinus Interpretes aliquando modium, aliquando tres modios vertit. Modium reddit Deuter. 25. 14. & 15. *Neque erit in domo tua modius maior, & minor. Modius æqualis & verus erit tibi.* Iterum Iudic. 6. 19. *Coxit hædum, & farinæ modio azimos panes.* tres modios interpretatus est Ruth. 2. 17. *Inuenit hordei, quasi ephi mensuram, id est tres modios.* Verba ista, *id est tres modios*, explicandi gratia Interpres adducit. Ephi igitur nunc tres modios, nunc modium interpretatus est. Sunt enim diuersi modij. Atticum modium vnum continet ephi, &c. *Modius quæ mensura?* Deut. 25. 14. Iudic. 6. 19. Ruth. 2. 17.

LITERAL. Salian. 59 *Et tribus modiis farinæ.* Salian. suprà n. 10. Dici etiam rectè potest totam hanc farinam ad libamen non pertinuisse, sicut nec tres vitulos, sed tantum, quod à lege requirebatur, reliquam autem farinam ad panes similagineos conuiuij fuisse reseruatam.

ALLEG. Gregor. 60 *Et amphora vini.* Gregor. suprà. Virtus bonæ intentionis est charitas Dei, quæ in electorum cordibus diffunditur per donum Spiritus sancti, quod nimirum charitatis donum rectè vini appellatione figuratur, quia mentem occupat, & à terrenis affectibus alienat, vt intentionem ad cælum non habeat, quam ad appetenda sola cœlestia inflammat.

MYSTIC. Beda. 61 *Et amphora vini.* Beda suprà: Quia amphora mensuræ genus est, modum amoris quo proximum quisque sicut seipsum diligere iubetur, insinuat.

MYSTIC. Angelom. *Eucharistiæ typus.* 62 *Et amphora vini.* Angelom. supra. Nonnulli etiam in farina modiorum corpus Domini accipiunt, & in amphora vini sanguinis mysterium ipsius, quæ mysteria quotidie celebrat Ecclesia offerendo, & sumit ore ad imitandum.

MYSTIC. Interlin. 63 *Et amphora vini.* Glossa Interlin. ibi. Gratiâ eruditionis scilicet, & fide sanctæ Trinitatis instructum, vt posset dicere: *reddemus vitulos labiorum nostrorum*; & dignè offertet Sacramentum corporis & sanguinis Domini.

LITERAL. Marian. 64 *Et amphora vini.* Ioannes Adriana in Scholiis. Hebraice *vere vini*, sed vox *Nebel* pro lagena, & cado sumitur etiam.

LITERAL. Abul. 65 *Et adduxit eum ad domum Domini.* Abul. ibi quæst. 29. Scilicet, quòd sicut Deus in eodem loco sibi concesserat filium; ita ibi pro illo gratias redderet. Etenim, vt ipsa commendaret eum Heli.

LITERAL. Mendoza. 66 *Et adduxit eum ad domum Domini.* Franc. Mendoza ibi. §. 1. Vt Annæ filium offerentis alacritas exprimatur, semel ac iterum dicitur, filium in Tabernaculum adduxisse.

LITERAL. Rabbi Dauid. 67 *Puer autem erat adhuc infantulus.* Rabbi Dauid Kimhi in commentario. *Et puer, puer erat.* Rabbi Dauid est erat valdè puer, ac tener, non enim expectauit, dum esset robustus, sed statim post viginti quatuor menses, quod est ablactationis, tempus, ablactatus fuit.

LITERAL. Abul. 68 *Puer autem erat adhuc infantulus.* Abul. ibi. quæst. 29. Idest Samuel, qui vocatur hic puer,

erat infantulus, id est nimis infans, cùm nondum esset duorum annorum, & dimidij: nam immediate vt ablactatus est, duxerunt eum parentes eius in templum.

LITERAL. Pineda. 69 *Puer autem erat adhuc infantulus.* Ioannes Pineda supra. Licèt nomen *naghar*, propriè significet puerum iam idoneum alicui externo ministerio, & eius ætatis, cùm ex molliori parentum cura, & matris gremio excutitur, qui solet appellari in Scriptura, *Filius excussus*, videlicet iam ad duodecimum, vel quatuordecimum annum; at quia ibi repetitur eadem vox originalis, videlicet, *naghar*, tam pro puero, quàm pro infantulo, quod est puer, puer, certè ea repetitione crescit significatio vocis, iuxta subiunctam materiam in hunc sensum. Licèt puer esset *naghar*, vt qui excuteretur ex matris gremio, & ad ministrandum in templo; at erat puer puer, ideſt valdè puer.

LITERAL. Salian. 70 *Puer autem erat adhuc infantulus.* Salianus suprà num. 6. Sicut non est existimandum Beatissimam Virginem in templo versantem, oneri fuisse; sic neque Samuelem. Estque non parùm credibile ibi, cum parentum sumptibus educatum, dum aliquid ministerij in domo Dei exhibere posset; ne grauarentur Sacerdotes.

LITERAL. Author Catenæ. 71 *Puer autem erat adhuc infantulus.* Author Catenæ. Vox, *infantulus* determinat æquiuocam significationem vocis Hebraicæ *naghar*, quæ tam puellum, quàm adolescentem exprimit: qui sensus, vt indicetur, Hebraicè habetur: *erat puer, puer*, qua emphatica reduplicatione, primo prima infantia declaratur.

VERSVS XXV.

Vulgata. *Vulgata.* Et immolauerunt Vitulum, & obtulerunt puerum Heli.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et iugulauerunt iuuencum, & adduxerunt puerum ad Heli.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Mactantes autem iuuencum, adduxerunt puerum ad Heli.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedic. Ariasm. in Regia.* Et mactauerunt iuuencum, & adduxerunt ad Heli.

Compl. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et adduxerunt puerum, & immolauerunt vitulum.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et adduxerunt coram Domino, & mactauit pater eius sacrificium, quod faciebat à diebus in dies Domino, & adduxit Anna mater pueri ad Heli.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Greg. 1 *ET immolauerunt vitulum.* Gregor. 1. Variarum cap. 1. Si ibi erat tunc Elcana, & cùm ducebatur, & cùm offerebatur, quare non dictum est, *adduxerunt*, sicut dictum est, *& immolauerunt, & obtulerunt?* Sed quia hæc ad Ecclesiam, & ad Christum retulimus illi lactari, illi adducere pertinet, & offerre & immolari sibi & Christo: ipsa quippe instituit verbo prædicationis, sed quibus doctrinam insinuat virtutem adimplendæ operationis nequaquam subministrat.

MYSTIC. Idem. 2 *Et immolauerunt vitulum.* Idem ibidem. Immolatur vitulus, cùm diuina gratia cordi bona petenti, infunditur, vt bona quæ destinando deliberat, studio boni operis hilariter impendat. Vitulus enim tunc immolatur, quia victima boni operis propositi ab omnipotenti Deo deuotæ mentis oblatione suscipitur, si id, quod ei vouendo mens exhibet, totum Deo mactatur per hilaritatem.

MYSTIC. Idem. 3 *Et immolauerunt vitulum.* Idem Ibid. in 2. parte Comment. Benè vnus vitulus immolatur, cùm tres relati referantur, quia etsi personarum trinitas confessione fidelium in diuinis laudibus canitur; earundem personarum inseparabilis vnitas prædicatur.

MYSTIC. Beda. 4 *Et immolauerunt vitulum.* Beda lib. 1. Expos. Allegoricæ cap. 3. Populus Gentium erat nuper ad fidem conuersus, & dederunt Martyres non paucos, qui vnanimi deuotione pro Christo sanguinem fuderunt; & inseruerunt oleastrum in bonam oliuam. Hæc facerunt Ministri sermonis.

LITERAL. Carthus. 5 *Et immolauerunt vitulum.* Carthus. ibi art. 1. In sacrificium per manum Sacerdotis, ipse videlicet Elcana, & Anna: similiter de tribus modiis farinæ, ideſt, similæ, & amphora vini, tantum debebant pro libamine sacrificij sicut oportuit, atque residuum dederunt Pontificis domui.

LITERAL. Lira. 6 *Et immolauerunt vitulum.* Lira ibi. Ex quo videtur, quòd vnum vitulum obtulerunt in sacrificium Domino, & alios duos obtulerunt Heli Sacerdoti, quia puerum dimittebant in cura ipsius.

LITERAL. Abul. 7 *Et immolauerunt vitulum.* Abul. ibi. quæst. 29. In quo genere sacrificij fuerit oblatus iste vitulus, videtur dicendum, quòd in holocausto, vel in hostia pacifica. Nam nulla causa erat, quare offerretur pro peccato.

LITERAL. Mendoza. 8 *Et immolauerunt vitulum.* Franc. Mendoza ibi. §. 2. Quæres cur potiùs vitulum, quàm agnum immolarint? Respondebit aliquis ob futurum præsagium, fore vt Samuel vituli robur ad sustentandum populum imitaretur. Propriùs tamen ad literam respondeo idcircò vitulum obtulisse, quia hæc erat propria victima nobilium, ac diuitum, qualis fuit Elcana.

LITERAL. Idem. 9 *Et immolauerunt vitulum.* Idem ibidem. §. 3. Mihi videtur fuisse holocaustum, tum quia holocaustum erat Deo gratius; tum etiam, quia holocaustum erat præsenti actioni congruentius. Sicut enim tota victima in holocausto comburitur; ita totus Samuel in diuinum obsequium tradebatur; nimirum in statum Leuitarum, & Nazaræorum.

MORAL. author Catenæ. Arist. 10 *Et immolauerunt vitulum &c.* Author Catenæ. Vilesceret irrationalis hostia, si à passiua immolatione mactantes expertes fierent; ex eo & filius hostiæ additur, qui pars quædam est parentum, vt loquitur Philosoph. atque oblatio vtraque perficitur simul, vt ex præsilius indicat Hebræus. *Mactantes autem iuuencum adduxerunt puerum*, vt simultanea pueri oblatione irrationalis victima decoretur.

MORAL. Pineda. 11 *Et immolauerunt vitulum.* Ioan. Pineda. lib. 1. de Rebus Salomonis cap. 17. num. 7. In ratione ipsa videtur positum; vt recèns ablactati pueri Deo cum aliquo sacrificio offerrentur, quasi nouam vitæ rationem ineuntes, & communem mortali sortem iam ingredientes, id quod & priscis gentibus obseruatum, vt certa quædam numina inuocarentur, quæ pueris ad mandendum, & bibendum per se præsidere credebantur.

August. *Lib. 22. de ciuit. Dei c. 14.*

Greg. 12 *Et obtulerunt puerum Heli.* Gregor. supra. In Heli non solùm personæ Doctorum veterum, sed etiam doctrinæ figurantur. Quid est ergo, quod puer Samuel Heli oblatus asseritur, nisi hoc, quòd apertè cognoscitur, quia quisquis prædicando aliis præesse nititur, non solùm noua scribere debet,

sed etiam vera? *Ideò omnis Scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera.* Matth.13.

Matth.13. MORAL. Chrysost.

13. *Et obtulerunt puerum Heli.* Chrysost. hom. 21. in epist. ad Ephes. Peperisti filium imitare Annam. dice quid illa fecerit. Eum statim deduxit in templum. Quænam vestrum non maluerit filium suum esse Samuelem, quàm millies Regem totius orbis terræ? Et quomodo inquis poterit fieri talis? Si Deò quemadmodum Samuel à prima infantia consecretur.

MORAL. Idem. *Samuel agnellus, vitulus, rosa.*

14 *Et obtulerunt puerum Heli.* Idem hom.2. de Anna tom.1. Ascendit in templum,& agnellum induxit in ouile, ac vitulum perduxit, ad armentum: & in pratum rosam à spinis liberam; rosam inquam, quæ nunquam marcescit,sed floret perpetuò, quæque possit ad ipsum vsque cœlum exilire, cuius fragrantia in hodiernum vsque diem, iuuantur, ac reficiuntur omnes, qui terrarum incolunt orbem.

LITERAL. Damian. *Samuel cibus Dei.*

15 *Et obtulerunt puerum Heli.* Petrus Damianus epist.105. in lib.6. Samuel puerulus tanquam tener agniculus cum tribus farinæ modiis,& amphora vini mensæ Domini, vt ita loquar,apponitur;dum Heli Sacerdoti, & templo Dei à parentibus dedicatur.

LITERAL. Abul.

16 *Et obtulerunt puerum Heli.* Abul. ibi. q.19. Dicitur puer oblatus, non quidem sicut consueuerant offerri alij pueri primogeniti, qui erant de Tribubus popularibus. Nam illi ferebantur in templum, & accipiebantur in manibus Sacerdotum,nec reddebant eos parentibus suis, quousque acciperent pretium quinque siclorum de illis. Luc.2. De hoc Luc.2. *Et cùm inducerent puerum,*&c. Samuel autem erat de filiis Leuitarum, ideò non dabantur pro eo quinque sicli,siue aliqua redemptio, sed oblatus est in manibus Heli Sacerdotis, quia mater sua deuouerat eum Domino, vt semper ministraret coram eo.

HISTOR. Philo.

17 *Obtulerunt puerum Heli.* PseudoPhilo in Antiq. Bibl. Populus autem descendit vnanimiter in Silon,cum tympanis,& choris,cyniris,& nablis, & venerunt ad Heli Sacerdotem offerentes Samuel, quem statuerunt ante conspectum Domini; vnxerunt eum & dixerunt: Viuat Propheta in plebe:& longo tempore fit lumen genti huic.

VERSVS. XXVI.

Vulgat. *Vulgata.* Et ait Anna:obsecro mi domine;viuit anima tua domine:Ego sum illa mulier, quæ stetit coram te hic orans Dominum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et dixit:in me domine mi:viuit anima tua domine mi;ego mulier stans tecum in hoc,ad orandum ad Dominum.

Vatab. *Hebraica ex Franc.Vatab.* Ipsaque dixit:mi domine: Viuit anima tua mi domine: ego sum mulier illa, quæ hic stabam coram te, vt orarem ad Dominum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm.in Regia.* Et dixit: Obsecro domine mi,per vitam animæ tuæ domine mi;ego mulier, quæ steti tecum hic ad orandum ante Dominum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et venit Anna mater pueri ad Heli,& dixit ei: In me domine viuit anima tua. Ego mulier,quæ steti coram [te in hoc, vt orarem ad Dominum.

Sixtia. *Græca ex Septuag.in Sixtiana.* Et adduxit Anna mater pueri ad Heli; & dixit.In me Domine viuit anima tua;ego illa mulier, quæ steti coram te, tecum,cùm orarem ad Dominum.

Chrysost. *Chrysost hom.2. de Anna.* Adiit Sacerdotem, ac dixit illi:In me domine.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Chrysost. 1 *Obsecro mi domine.* Chrysost. hom. 2. de Anna tom.1.Dixit illi:*in me domine.* Quid tandem est istud *in me*? Ausculta, inquit, diligenter, quæ loquar. Quoniam multùm temporis iam intercesserat, studet illa quæ prius dicta fuerant, in memoriam reuocare; ideoque dicit *in me domine*, &c.

LITERAL. Gregor. 2 *Obsecro mi domine.* Gregor. lib.1. Variarum c.1.Quia humiliter loquitur,obsecrando dominum vocat.

LITERAL. Carthus. 3 *Obsecro mi domine.* Carth.ibi art.1. Supplendum est:vt patienter me audias.

LITERAL. Liran. 4 *Obsecro mi domine.* Liran.ibi.Subintelligitur, quod iste puer sit discipulus,& minister eius.

LITERAL. Abul. 5 *Obsecro mi domine.* Abul.ibi.q.29.Anna quasi congratulans volebat tunc declarare quomodo completa fuisset oratio sua,& exaudita petitio; & hoc significat Litera sequens:fit etiam hoc, vt Anna declaret quare offert filium suum Heli Sacerdoti,vouerat namque eum,vt maneret semper coram domino,& ob hoc tradebat eum Heli. *Obsecro mi domine.* idest,obsecro,vt audias me.

LITERAL. Salian. 6 *Obsecro mi domine, Viuit anima tua.* Salian. tom.3.Annal.anno Mundi 2903. n.11. Quæ sunt omnia verba salutantis, ac benè precantis potius, quàm asseuerantis, cum quodam iuramento quasi dicat:Vtinam benè tibi sit, & sospes viuas domine mi,vel salue domine mi,vitam tibi felicem precor. Præmissa ergo salutatione, ac comprecatione benenola,aut attentione postulata, quæ sit, dum in quempiam oculos, animumque conuertimus, rem suam exponit.

LITERAL. Sanctius. 7 *Obsecro mi domine. Viuit anima tua.* Gaspar Sanct.ibi. n.79. Illud *Obsecro*, interiectionis obtinet vim,sicut alia verba plurima, quæ attentionem excitant,& captant cum quadã animi submissione. Interponit autem iusiurandum,vt fidem apud Pontificem consequatur oratio:

LITERAL. Charen. 8 *Viuit anima tua.* Charen.in Postilla. Modus iurisiurandi per confirmationem, quasi dicat: Per animam tuam domine. Aliquando autem per execrationem dicitur,vt infrà 17.*Viuit anima tua Rex, si noui eum.* Quasi dicat:destruat me Deus,& anima tua viuat, si noui eum.

LITERAL. Abul. 9 *Viuit anima tua domine.* Abul. ibi.q.29. Modus iurandi est apud Antiquos, vt cùm dicitur, viuit anima mea, quod hoc sit;idest:Sic viuat anima mea,vt hoc est verum. Sic iuranit Deus Numer.14. Num.14. *Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra.* Idest, ego iuro per vitam meam,quòd omnis terra implebitur gloria.

LITERAL. Vatab. 10 *Viuit anima tua domine.* Vatab. in Scholiis. Asseuerationis genus, quasi dicat:tam vera sunt, quæ dictura sum, quàm verum est te viuere: vel tam vera sunt, quæ ego dictura sum, quàm verum est,quòd ego opto vitam tuam.

LITERAL. Mendoza. 11 *Viuit anima tua domine.* Franc.Mend.ibi.§.5. Fateor Annam hic iurasse, & addo maximam iurandi necessitatem intercessisse: vt miraculum

de natiuitate Samuelis apud Sacerdotem publica, & iurata authoritate firmaretur; quemadmodum, & modò in Ecclesia Sanctorum miracula, & exempla, ad fidelium confirmationem publico iureiurando confirmantur.

Auth. Cat. Salian. 12 *Viuit anima tua domine.* Author Catenæ. Formulam hîc iurisiurandi, vno excepto Saliano, omnes agnoscunt ex multiplici sacræ Scripturæ Exemplari, quod satis est verisimile: non tamen extra rem summissionis, & obsecrationis formam esse dixeris; cui sensui omninò fauet Chaldæus. *Obsecro domine per vitam animæ tuæ,* ac si diceret: Audi me optime Sacerdos, ita feliciter viuas.

Chald.

Tropol. Chrysost. *Annæ modestia.* 13 *Ego sum illa mulier.* Chrysost. hom. 2. de Anna. Non dixit ego sum illa mulier, cui tu exprobrasti, quam maledictis impetiisti, quam velut temulentam, & ebriam irrisisti, eoque Deus tibi declarauit me non esse vinolentam; te verò crimen hoc temerè mihi impegisse. Nihil huiusmodi verborum asperum dixit, sed multa cum mansuetudine loquitur; quanquam, cùm haberet rerum euentum sibi patrocinantem; iure potuisset exprobrare Sacerdoti, quòd id temporis ipsam temere, ac citra causam incusaret.

Tropol. Idem. *Annæ prudentia.* 14 *Ego sum illa mulier.* Idem ibid. Cùm affligeretur, nemini suam aperuit calamitatem, ne Sacerdoti quidem dixit: æmulam habeo mulierem, quæ mihi exprobrans, conuicianique chorum habet liberum. At postquam id vulnus sustulit, Deo dante quod postularat, tum demum Dei beneficentiam aperit Sacerdoti; cupiens illum in agendis gratiis habere consortem: quemadmodum prius habuerat in precando.

Mystic. Gregor. 15 *Ego sum illa mulier.* Gregor. supra. Coram Heli Anna stetit, quia sancta Ecclesia Doctorum Synagogæ, nullis persecutionibus corruit; quod tale est, ac si dicat Ecclesia glorians Synagogæ præpositis. Idcirco orbem patere per Euangelium Deo potui, quia aduersa, quæ mihi intulistis, inuicta toleraui. Nam si pœnis vita vetustati me subderem, nouam Redemptori tot nationum sobolem nequaquam genuissem.

VERSVS XXVII.

Vulgata. *Vulgata.* Pro puero isto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui eum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Ad puerum hunc oraui, & dedit Dominus mihi petitionem meam, quam petij à eum eo.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Pro puero isto oraui, deditque mihi Dominus petitionem meam, quam ab eo petieram.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Super puerum hunc oraui, & dedit Dominus mihi postulationem meam, quam postulaui ab ante eum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Pro puero isto oraui ad Dominum, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui ab eo.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtiana.* Pro puero hoc oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam petij ab eo.

PATRES ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Pro puero isto oraui.* Abul. ibi. q. 29. Orauit Anna pro puero, scilicet Samuele: non quidem pro illo determinatè, sed quod daret sibi aliquem filium, siue illum, siue alium: potuisset sibi dare alium filium, & non illum. Ex quò patet quòd Anna non declarauerat Heli petitionem suam, quando locuta fuit cum ipso in Silo, sed solum dixit: *mulier infelix nimis ego sum.*

Histor. Philo 2 *Pro puero isto oraui.* Pseudo Philo in Antiq. Bibl. Et dixit ad eam Heli: Non tu sola petiisti, sed populus orauit pro hoc: Non est petitio tua solius, sed in tribus antea promissum erat, & per hunc iustificata est metra tua, vt statuas Prophetam populi; & lac mammillarum tuarum constituas in fontem duodecim tribuum.

Literal. Mendoza. 3 *Pro puero isto oraui.* Franc. Mendoza ibi. §. 1. Abul. existimat nunc primum cognouisse Sacerdotem, quid Anna à Deo postulasset. Sed non assentio, iam enim id sciebat Sacerdos. Et confirmo quia sic miraculi fides certior reddebatur; sciens enim Sacerdos filium ab Anna postulatum, & nunc videns natum diuinitus concessum non dubitaret, neque alios de ea re, dubitare patereretur.

Moral. Idem. 4 *Pro puero isto oraui.* Idem ibid. §. 4. Vbi primum Anna in Tabernaculo orauit, filium statim impetrauit, quod si iam antè filium precata fuerat, neque tamen consecuta; peculiaris ratio ad maiorem ipsius Annæ vtilitatem intercessit.

Moral. Idem. *Deus excedit vota.* 5 *Pro puero isto oraui.* Idem ibid. §. 5. Diuina liberalitas inde patet, quod maiora vobis largiatur: nam Anna filium petit, & Prophetam accepit.

Moral. Gregor. 6 *Et dedit mihi Dominus petitionem meam.* Greg. 1. Variar. Enarrat. c. 1. Diuina gratia ad hoc sanctæ Ecclesiæ filios tribuit, vt eos doctrina veritatis instituat, bonis moribus exornet, pia super eos cura vigilet, à malo declinare perfectè faciat, & ad æternam patriam sufficientem bonorum operum copiam præpararet. Hæc profectò ministerij pastoralis sunt; sed electus prædicator ea suis viribus implere posse diffidit.

Literal. Mendoza. 7 *Et dedit mihi Dominus petitionem meam.* Franc. Mendoza ibi §. 2. Petitionem posuit pro re petita; more Scripturæ vtentis sæpe numero abstracto pro concreto.

Tropol. Idem. *Sola bona communicanda.* 8 *Et dedit mihi Dominus petitionem meam.* Idem ibid. Suæ felicitatis socios habere voluit, quæ suam calamitatem sibi vni reseruauit. Patet quia iniurias à Phenenna acceptas nemini aperuit: beneficia à Deo accepta Sacerdoti communicauit. Qua benignitate nulla maior, vt quis suas secum mala concoquat: bona in alios transfundat.

Moral. Author Catenæ. *Templa diuina beneficentiæ fontes.* 9 *Et dedit mihi Dominus petitionem meam.* Author Catenæ. Sæpe aliàs ante tempus hoc liberos Anna à Domino expetiuerat; nec tamen Dominus concesserat, quousque orationes suas ex loci, templi scilicet, dignitate decoraret. Sunt namque templa pulchra diuinæ largitatis instrumenta. Vnde lucro & venditioni incumbentes liberalis Dominus expulit tanquam templo suo largitionis, & gratæ beneficentiæ fonti notam inurentes, addens *domus mea domus orationis est,* &c. Marci 11. Luc. 19.

Marc. 11. Luc. 19.

VERSVS

VERSVS XXVIII.

Vulgata. *Vulgata.* Idcirco & ego commodaui eum domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Et adorauerunt ibi Dominum, & & orauit Anna, & ait,

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et ego etiam petere feci eum Domino omnibus diebus, quibus fuerit ipse commodatus Domino. Et incuruauit se ibi Domino.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et ego quoque mancipaui eum Domino cunctis diebus, quibus ipse mancipatus erit Domino; & gratias egit Domino.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et etiam ego tradidi illum, & erit ministrans ante Dominum omnes dies, quibus ille superstes ministrabit ante Dominum? & adorauit ibi ante Dominum.

Complut. Regia. *Graca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et ego commodo eum Domino cunctis diebus, quibus vixerit ipse vsum Domino.

Sixtia. *Graca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et ego commodo eum Domino omnes dies, quos ipse viuet commodationem Domino, & dixit.

Pagn. *Pagninus in margine.* Et etiam ego commodaui eum Domino, omnibus diebus, quibus est commodatus Domino,

Philo Iudæus. *Philo Iudæus lib. quòd Deus sit immutabilis, initio.* do tibi eum donum.

Gregor. *Gregor. lib. 1. variarum cap. 1.* Idcirco ego commendaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commendatus Domino.

Chrysost. *Chrysost. hom. 2. de Anna.* Et nunc commodo eum Domino.

Caietan. *Caietanus ibi.* Et etiam ego commodaui eum Domino omnibus diebus, quibus fuerit ipse commodatus Domino, & incuruauit sibi Dominо.

Mendoza. Clarian. Benedict. Robert. Vatab. Glossa. *Franc. Mendoza ibi.* §. 7. Multa exemplaria vt Clariana, Benedictina, Roberti, Vatabli, & Textus Glossæ Ordinariæ non habent, *quibus fuerit commodatus*, sed *quibus fuerit accommodatus.*

PP. ET AVCTORES.

Moral. Philo. 1 *Idcirco & ego commodaui eum Domino.* Philo Hebræus lib. de somnis in fine. Adstipulatur mihi Anna Prophetissa, & Prophetæ genitrix, cuius nomen interpretatur *Gratia*: Ait enim se dedicare Samuelem non tam hominem, quàm vitæ genus afflatum diuinitùs, & extra se raptum numine. Samuël autem interpretatur *Ordinatus Deo.*

Moral. Paulin. 2 *Commodaui eum Domino.* S. Paulin. epist. 10. Seuero. Quod si ideò dissimile iudicatur, quia non huius (*Melaniæ,*) ita vt illius filius in templo depositus seruiat Domino, qui & opibus sæculi vtatur, & honoribus, tamen è diuerso compensationem pietatis, & fidei videat æquari, quia hæc idem de semetipsa persoluerit Domino, quod gloriosa Anna de filio.

Histor. Idem. 3 *Idcircò commodaui eum Domino.* Paulinus Nolensis carmine 13.

Vobis & Anna sternitur consortium
Infantis exemplo sacri
Samuël, & iste creuit in templo Dei.
Nunc agnus, & Pastor deinde.
Contexerat illi sedula matris manus
Ephod statura congruum.

4 *Commodaui eum Domino.* August. seu Autor Quæstion. in vetus Testamentum q. 46. tom. 4. Samuel non fuit de filiis Aaron. Sed & illud, quod dicit mater eius ad Dominum, *quia, si mihi*, inquit *dederis filium, commodabo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ.* Non hoc diceret, si natus fuisset Sacerdos, oportebat enim illum seruire Altari, sed quia Leuita erat, & lex Leuitis adhuc non erat posita: sed vnusquisque pro voluntate sua agebat: itavt oberrantes illicita præsumerent, idcircò vouit Anna, dicens. *Commodo eum Domino*, ne cum cæteris oberraret. Histor. August. *Samuël Leuita fuit.*

5 *Commodaui eum Domino.* Greg. 1. variarum c. 1. Nam vt gignere posset obsecrat, & vt hi, quos orando obtinet, in sancta conuersatione permaneant, eos item Ecclesia omnipotenti Deo precibus commendat. Et quia ab eisdem precibus nunquam desinit, cunctis diebus se commendare filium Deo dicit, cunctis namque diebus Domino filium commendare, est, ei pro eorum salute quos generat, omni huius vitæ tempore supplicare. Mystic. Gregor.

6 *Commodaui eum Domino.* Idem ibid. Quia in plerisque Codicibus non *commendatus*, sed *commodatus* legitur, à bono intellectu non vacat. A matre quippe Ecclesia in hac vita filij commodantur, quidquid verò commodamus reddi nobis in fide excipientis expectamus. Dies verò virtutum spiritualium claritates sunt, quibus profectò diebus Annæ filius Domino commodatur, quia ei sancta Ecclesia electos offert in claritate virtutum, vt eos postmodùm ad augmentum sui æterni gaudij sibi omnipotens Deus exhibeat in splendoribus præmiorum. Mystic. Idem.

7 *Commodaui eum Domino.* Decretum 2. parte, causa 20. quæst. 1. cap. *quicunque.* Quicunque à parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus, nouerit se ibi perpetuò mansurum. Nam Anna Samuël puerum suum natum, & ablactatum, Deo pietate obtulit, qui & in ministerio templi, quo à matre fuerat deputatus, permansit, & vbi constitutus est deseruiuit. Tropol. Gratian.

8 *Commodaui eum Domino.* Petrus Damian. epist. 147. Anna vxor Elcanæ vnicum filium in Tabernaculo ad seruandas legis diuinæ cæremonias iugiter excubare constituit, eumque, sicut Scriptura testatur, Domino, velut in fœnore commodauit. Hinc est, quòd eadem sancta mulier ad Heli Sacerdotem dicit. *Idcirco & ego commodaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit accommodatus Domino.* Fecit etiam Sacerdos Heli: *Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore; quod commodasti Domino.* Porro, quod pro fœnore commodatur non simplex summa; sed multiplicata recipitur; vnde & illi præstò subiungitur: *Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias.* Qui ergo pro vno filio tam vberem prolem reddidit, quanto magis vos in propagando semine de sancti vestri coniugij charitate lætificare potuit? qui filium vestrum non in terreno Tabernaculo seruire præcepit, sed potius in illa cœlesti Hierusalem, ante suæ Maiestatis obtutum perpetuò regnare constituit. Faccssant ergo, dilectissimi, de oculis vestris lachrymæ, gemitus, & suspiria reprimantur. Tropol. Damian. *Elemosynæ præmium. Consolatio pro filio mortuo.*

9 *Commodaui eum Domino.* Charen. in Postilla. Idest pro alio filio dedi. Literal. Charen.

10 *Commodaui eum Domino.* Carthus. ibi art. 1. Idest Deo, & eius obsequio deputaui, & quasi con- Literal. Moral. Carthus.

cessi magis, quàm dedi ; cùm vniuersa sint Dei ; & istum infantem sic commodaui, vt à Domino obtineamus mercedem, tam puer quàm ego.

MORAL. Chrysost. *Anna pius.*

11 *Commodaui eum Domino.* Chrysost. hom. 2. de Anna. Vide quàm sit modesta, ne putes, inquit, me magnam rem, aut admirandam facere, quòd infantem dedico. Nam ego huius benefacti sum autor, sed persoluo debitum. Depositum accepi, & ei hoc restituo, qui dedit : Atque hæc dum loquitur, seipsam quoque dedicauit cum puero, quasi solido quodam naturæ affectu seipsam templo obligans. Etenim si vbi est thesaurus hominis, illic est & cor eius. Matth. 6. Multò magis ibi puer mulieris & mens illius erat, atque vterus illius rursum implebatur benedictione.

Matth. 6.

LITERAL. Abul.

Commodaui eum Domino. Abul. ibi: q. 29. Idest quia Deus dedit mihi, ego dedi eum Deo, scilicet vouendo ipsum adhoc, quòd maneret semper ministrando coram Domino, & quòd semper haberet votum Nazaræorũ in obseruatione. Dicitur autem commodare, idest dare ad vsum; scilicet quia Anna potuerat eũ applicare ad sæculares conuersationes, & commodauit, idest dedit illum ad vsum Deo.

LITERAL. Vatab.

13 *Commodaui eum Domino.* Vatab. in Scholiis. Commodani, vel mutuaui : idest, vt mihi à Deo donatus est, ita etiã ego illi ipsum dono: vel decreui, & voui me traditurum illum vtendum Domino.

LITERAL. Marian.

14 *Commodaui eũ Domino, &c.* Mariana in Biblia Trium Patrum. Prodatus, idest dum vixerit, & superstes erit. Septuaginta, & Chaldæus. Porro Hebraicè *Paranomasia* est, nam potiùs commodaui, commodatus, ab eadem radice *Saal* veniunt, nam id verbum, & petere, & dare significat.

LITERAL. Serar.

15 *Commodaui eum Domino.* Serarius ibi. Domino commodare est simpliciter ad sacrum vsum donare ; vel, quem à Deo accepisset, reddere, non autem vt Hebraica & Græca ostendant *commendare*, prout olim S. Gregor. legerat.

TROPOL. Sanctius. *Parentum debitum.*

16 *Commodaui eum Domino.* Gaspar Sanctius ibi num. 84. Hinc discant parentes, non esse, quòd doleant, quod filij paterna domo, & sæculi commoditate relicta Deo se totos in religione consecrent, & ab humana ad diuinam quodammodo familiam commigrent.

LITERAL. Mendoza.

17 *Commodaui eum Domino.* Francisc. Mendoza ibi. §. 2. commodare non tantum significat tradere rem iam acceptam, quàm tradere rem iterùm accipiendam. Secundò significat verbum commodandi, dare aliquid ad vsum, vt notat Abul. retinendo dominium ; itaut eadem numero res, quæ commodatur, licèt ad vsum pertineat commendatarij sub dominio tamen commodantis confertur. Meritò igitur Anna dicitur commodare filium suum Domino, quia sic eum non amittebat, sed potiùs eum conseruabat. Tertiò significat verbum Commodandi, seu שָׁאַל *Saal*, quod est in Hebræo, dare fœnori : ita vt res, quæ traditur, semper cum fœnore, & vsura recipiatur. In hoc sensu dicitur Anna commodare filium suum Domino; quia non solum eum non amisit ; verùm etiam cum magno cœlestium bonorum auctuario possedit. Vltimò significare potest verbum Commodandi, hoc loco positiuum, adhærere alicui, seu sociare aliquem. Probat hoc Pagninus ex multis Scripturæ locis Isai. 14. 2. & 56. 3. & c. Quod vt melius intelligas, aduerte debitores apud Hebræos solitos fuisse suis creditoribus adhærere, & tanquam seruos in eorum societatem se ingerere iuxta illud: *Qui accipit mutuum, seruus est fœneratoris.* Prouerb. 22. 7. Cùm igitur Anna filium suum à Deo donatum, ac Deo debitum agnosceret, eum more suæ gentis in eiusdem Dei societatem consecrat, vt perpetuam apud Deum seruiat seruitutem.

Pagn. Isai. 14. 2.

Prou. 22. 7.

HISTOR. Chrysost.

18 *Cunctis diebus, quibus fuerit commodatus.* Chrysost. hom. 4. in Acta Apost. Considera Samuëlem, qui post quadraginta annos cum populo rem administrasset, tamen adhuc nutriebatur in templo,

MORAL. Hieron.

19 *Cunctis diebus.* Hieron. in Ezech. c. 44. Anna obtulit Samuëlem, qui æterna Sanctitate permãsit. Et ep. 7. ad Letam. Anna filium quem Deo vouerat, postquam obtulit in Tabernaculo nunquam recepit, indecens arbitrata, vt futurus Propheta in eius domo cresceret, quæ adhuc filios habere cupiebat.

MORAL. Augusti.

20 *Cunctis diebus.* Augustin. in Psalm. 48. tom. 8. Samuël infans ad templum datus, omnes ætates suas inter sancta Sacramenta Dei peregit, ab incunte ætate Dei famulus.

MORAL. Damian.

21 *Cunctis diebus.* Petrus Dam. epist. 78. in lib. 5. Puer Samuël post ablactationem, nequaquam domum cum parentibus remeat, sed circa templi ministerium iugiter perseuerat.

LITERAL. Carthus.

22 *Cunctis diebus, &c.* Carthus. ibi art. 1. Idest per omne tempus vitæ ipsius, quo ipse in Dei cultu sponte permanserit.

LITERAL. Abul.

23 *Cunctis diebus, &c.* Abul. ibi. q. 29. In hoc significatur forma voti, scilicet, quòd non vouebatur ille puer ad aliquam certam ministrationem, aut præfinitum tempus, sed in omnibus diebus, quibus fuerit accommodatus Deo ; idest, quibus Deus voluerit, quòd sit sibi accommodatus, idest, quòd ministret sibi. Nam eo tempore, quo Deus voluerit eum viuere, erit sibi accommodatus.

LITERAL. Caietan.

24 *Cunctis diebus, &c.* Caietanus ibi. aduerte prudens Lector, vt fiat punctus post verbum *fuit*. Nam explanatio est temporis coæui. Et est sensus. Cunctis diebus, quibus fuit, Samuël ipse commodatus est Domino. Nec mireris quòd non dixit, *quibus erit*. Sed aduerte, quòd commodatio præsupponit esse, & hoc significat præteritum, *fuit*, relatiuè ad commodatum : quamuis possit etiam hoc referri ad tunc præteritum, explanando, quòd non nunc incipio dicare ipsum Deo; sed ex puo Samuël fuit etiam ex meo vtero, fuit commodatus Deo.

LITERAL. Vatab.

25 *Cunctis diebus.* Vatab. in Scholiis. Idest quandiu erit superstes, profectò datus est Domino.

LITERAL. Salian.

26 *Cunctis diebus, &c.* Salian. tom. 3. Annalium anno Mundi 2903. num. 14. Euanescit itaque illa opinio de Samuele à matre ad aliquod tempus dumtaxat, & non potiùs ad totam vitam oblato. Quod autem tandiu non mansit in ministerio Tabernaculi, sed defuncto Heli ad supremum populi magistratum vocatus est, id extra intentionem, & scientiam matris fuit.

LITERAL. Sanctius.

27 *Cunctis diebus, &c.* Gaspar Sanct. ibi. n. 80. Prudens mater offert filium Sacerdoti ac templo; ita vt sibi necessitatem imponat, nunquam illum à templo reuocandi; non tamen filio, vt si voluerit, cùm plenum habuerit rationis vsum aliter de se, vitæque modo statuere possit. Ita videtur locus iste, quem alij variè accipiunt, exponi posse. Aliter enim otiosum videretur illud, *cunctis diebus quibus fuerit commodatus.*

LITERAL. Author Catenæ. Rabbi. Salomon. Liran. Galatin.

28 *Cunctis diebus, &c.* Autor Catenæ. Ecce iterũ perpetuitas oblatæ Samuëlis assistentiæ in Tabernaculo adstruitur. Dixerat enim iã suprà Text. v. 22. *Vt maneat ibi iugiter*; vt desinant iam Rabbi Salomon. Liran. & Galat. affirmare eius deuotam assistentiam, & matris votum ad quinquagesimum tantùm annum extendi. Nam sese opponunt non solum Patrũ expositioni, & doctrinæ, sed Textui tam vulgato.

Samuël perpetuò additur Tabernaculo.

vulgato. Ver. 11. ibi *Omnibus diebus vitæ eius*: quàm Hebraico, scilicet, *Omnibus diebus quibus fuerit ipse*. Sed & Græcus habet. *Omnes dies, quos ipse vixit*. Anna ergo Samuelem filium non in tempus determinatum, sed in omnes vitæ ipsius annos obtulit Tabernaculo, licèt secùs postea ex diuina dispositione prouenerit.

MORAL. Mendoza. *Optimum temporis Deo.*

29 *Quibus fuerit commodatus.* Franc. Mendoza ibi. §. 8. Lectio, *quibus fuerit accommodatus*, venustè post illustrari iis qui potiorem vitæ partem mundo: deteriorem Deo tradunt.

MYSTIC. Gregor.

30 *Et adouerunt ibi Dominum.* Gregor. supra. Et nos membra Sanctæ Ecclesiæ, cùm per Scripturas Testamenti veteris venerationi, & præcepto Conditoris submittimur, ibi profectò Dominum adoramus, quia Patrum veterum fidem tenemus, & eandem fidem per dilectionem in bono opere exercemus.

MYSTIC. Beda.

31 *Et adorauerunt ibi Dominum.* Beda lib. 1. Expositionis Allegoricæ cap. 1. Quod Dominus sine remissione iubet orare, & non deficere, sub Annæ figura gerit Ecclesia, quæ in initiis votorum suorum, in profectibus, & in ipsa completione Domino supplicare non desistit.

MORAL. Lira. 1. Timh. 2.

32 *Et adorauerunt ibi Dominum.* Lira ibi. Quia gratiarum actio est quædam species orationis, vt habetur prima ad Thimotheum 2.

LITERAL. Vatab.

33 *adorauerunt ibi Dominum.* Vatab. in Scholiis. Gratias egerunt Domino. Subaudi Heli, quasi dicat, tunc Heli acquieuit precibus mulieris quæ petebat, vt ipse Deo gratias ageret, Ille gratias egit de beneficio, quòd illa accepisset.

LITERAL. Maria.

34 *Et adorauerunt ibi Dominum.* Maricana in Scholiis. Hebraicè, *& adorauit ibi Dominum.* scilicet Heli. Sic Chaldæus, sic Pagnin. & alij.

LITERAL. Mendoz.

35 *Et adorauerunt ibi Dominum.* Franc. Mendoza ibi. §. 13. Vulgata vtitur numero plurali *adorauerunt*, vt non solùm vtrumque coniugem munera offerentem, sed etiam Sacerdotem sacrificantem comprehendat.

LITERAL. Origen. MORAL. Rabban.

36 *Et orauit Anna* Origen. hom. vnica de Elcana. Non inuenitur orare in hoc cantico, nisi per duo verba tantum. Vnum est vbi dicit. *Lætata sum in Salutari tuo.* Alterùm ibi, *quia non est Deus præter te.* Sed iustus orat sine intermissione, quia non desinit benè agere.

LITERAL. Abul.

37 *Et orauit Anna.* Abul. ibi quæst. 29. Tam Elcana, quam Annâ orauerunt, sed quia oratio Elcanæ non fuit aliquid speciale, non descripta est hic: Oratio autem Annæ continebat magnas laudes Dei, & habebat modum prophetiæ, & creditur quòd ipsa à Deo illuminata specialiter hoc orauit.

HISTOR. Philo.

38 *Orauit Anna & ait.* Pseudophilo in Antiq. Bibl. Orauit Anna & dixit. Venite in voce mea omnes gentes, & intendite alloquutioni meæ omnia regna, quoniam apertum est mihi os vt loquar.

METAPHRASIS.

CAPVT PRIMVM.

Ex superiori interpretum doctrina.

ANNO annum orbis conditi millesimum nongentesimum, florebat Arimathiæ Elcana Vir Princeps, & constans animi filius Hieroham, nepos autem Eliu, qui cùm primò Annam duxisset vxorem, eius cognita sterilitate, prolis studiosus, secundò Phenennam duxit, ex qua liberos suscepit. Obiit is aliquando Tabernaculum in Silo constitutum, (vti quotannis consueuerat, tribus scilicet lege statutis festiuitatibus) eúmque Sacris per Sacerdotem peractis, ex hostiæ pacificæ reliquiis vxoribus, & liberis conuiuium instruxisset, Annæ, quæ carior sibi erat, partem ex dapibus vnicam (præstantem tamen) vtpote liberis carenti, non sine gemitu exhibuit: secundariæ autem vxori filiorum choro circumdatæ, pro liberorum numero partes plures. Hinc Annæ angustiæ; inde tamen acerbitatis maiores fructus, quod Phenenna tum prolis numerositate superbiens; tum zelotipiæ stimulis acta, ex viri in Annam teneriori affectu, eam conuiciis, eam probriis impeteret, filiorumque inopiam culpæ, infensique numinis vindictæ iniquo plausu adscriberet. Nec semel hæc ingruebat tempestas, sed quoties religionis ergò in Tabernaculum conueniebant. Sequebantur Annæ singultus, oris macies, & ciborum nausea. Elcana verò caræ coniugis dolori condolens, malorum lauamen consolationemque adhibere constanter laborabat, sua in eam, præ filiorum bono, beneuolentia prælata. Respirauit ex his oppressa angustiis fœmina, & ex viri hortatu, leuiter gustato cibo atrium subiit Tabernaculi, preces, & gemitus effusura. Huc, inquit, ades cœli, terræque dominator; nam si ancillæ tuæ votis acquieueris, & prolem dederis masculam, nusquam eam vtibus meis addixero, imò religionis, & Tabernaculi officiis perpetuò adscribam sacris Nazaræorum ritibus institutam. His votis dum prolixiùs immoratur, & precibus ardenter insistit, Heli Pontifex, qui fortè ex aduerso aderat, ius populo dicturus, anxiis fœminæ obseruatis vultibus, & crebra labiorum sine voce motitatione, hora maxime post prandium annuente, temulentiæ, crapulæque tribuit, eamque templo excedere cum obiurgatione iubet. Cui illa, Nusquam optime Pontifex mero me indulsisse credideris, quæ angustiæ potius & doloris fluctibus immergor. Nam dum sterilitatis ignominia laboro, ardentibus Deum pro mali mei remedio precibus impetro, quamque ab eo expesco prolem ipsius aris, & officiis seriò deuoueo. Lenitur his Pontificis animus, nec solùm fœminæ benè imprecatur, sed exoptatam prolem spiritu actus prophetico spondet. Discessit inde iam hilaris mulier Pontificis deprecationem obtestata. Ad virum venit, cui rem totam exponit, & voti sui consortem rediit; nec deinceps mœrori vsquam nec timori locum fecit. Die igitur postera adorato numine domum suam vnà cum viro, & familia remeauit. Nec Sacerdotalis oraculi labefactata est fides, breui enim concepit Anna, & euoluto nouem, aut decem mensium curriculo filium peperit, quem, quia à Deo postulatus, Samuelem dixit. Cùm autem Elcana, vt moris illi erat, Tabernaculum cum familia vna ex statutis festiuitatibus adiret, bonâ mariti venià domi Anna remansit, negans se, quousque filium à lacte suo amotum, secum ferret Silo obituram, vt ibi voti sui compos Deo Samuelem offerret; ibidemque perpetuò Domini obsequio addictum manumiteret. Annuit maritus, & pro fausto benè cæptorum exitu Deum deprecatus est. Sic se tandem res habuit; ablactatum enim post biennium, vna cum viro ad Tabernaculum duxit, vbi immolato vitulo triennj, & oblato farinæ modio cum vini amphora, puerum

puerum quasi triennem Pontifici commisit, præhabitum olim cum eo sermonem in memoriam reuocans. Ecce inquit, quæ tibi aliquando dolorem meum hoc in loco aperui, cuique mitiorem tu fortunam ominatus fuisti: nec Deus eluſit ſpem noſtram, En paruulus, quo me Dominus beatam reddidit, quem, vt pari par referam ipſi, qui dedit, ſacrum facio, & vt ita dicam, do fœnori, vt quandiu vita vel certè valetudo, viresque superſint, Leuitico incumbat muneri. His peractis tum Pontifex, tum coniux vterque adorato numini grates reddidere. Anna vero Deifico afflata ſpiritu, aliis ex eius ore ſuſpenſis propheticum, fœtumque miſteris canticum proclamauit.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS.

ANna & prole, & eius conſecratione, ac voti adimpletione lætiſſima, Deo in gratiarum actionem canticum concinit, quo & ſuam felicitatem, & Dei iuſtitiam, ac prouidentiam circa bonos, & malos publicè commendat. Domum deinde repetit filio interdum in Tabernaculo manente molli iam ingenio, modeſtia, & puerilibus aliis virtutibus floreute. Sub eo verò tempore duo Sacerdotis filij totius pietatis, ac pudoris obliti, nihil de Sacerdotali munere, nihil de morum ſinceritate cogitant, & ſacros ritus contemnentes, & ad Sanctuarium conuenientes peſſimis officiis, ac vexationibus à ſacrificiis & religione deterrentes. Nec innocentior pater erat, qui, ſceleratos filios molli quadam indulgentia, ac nulla ſeueritate corriperet: Deus autem Prophetam mittit, qui deſidi Pontifici, & accepta exprobraret beneficia, & propter effrænatam filiorum intemperantiam, ac patris inertiam, grauiſſimum vtriſque ſupplicium comminetur.

CAPVT SECVNDVM.

1. EXultauit cor meum in Domino, & exultatum eſt cornu meum in Deo meo: dilatum eſt os meum ſuper inimicos meos: quia lætata ſum in ſalutari tuo.

2. Non eſt ſanctus, vt eſt Dominus: neque enim eſt alius extra te, & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

3. Nolite multiplicare loqui ſublimia, gloriantes: recedant vetera de ore veſtro: quia Deus ſcientiarum, Dominus eſt. & ipſi præparantur cogitationes.

4. Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore.

5. Repleti priùs, pro panibus ſe locauerunt: & famelici ſaturati ſunt, donec ſterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.

6. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.

7. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat.

8. Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem: vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.

9. Pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit, & impij in tenebris conticeſcent: quia non in fortitudine ſua roborabitur vir.

10. Dominum formidabunt aduerſarij eius: & ſuper ipſos in cælis tonabit: Dominus

nus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo,& sublimabit cornu Christi sui.
11 Et abiit Elcana Ramatha, in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis.
12 Porro filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum, 13. Neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, 14. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, siue in cacabum: & omne quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi. sic faciebant vniuerso Israeli venientium in Silo. 15. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam. 16. Dicebatque illi immolans: Incendatur primùm iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi. 17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à sacrificio Domini. 18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. 19. Et tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, vt immolaret hostiam sollemnem. 20. Et benedixit Heli Elcanæ & vxori eius:dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum. 21. Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias: & magnificatus est puer Samuel apud Dominum. 22. Heli autem erat senex valdè, & audiuit omnia quæ faciebant filij sui vniuerso Israëli: & quomodò dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi: 23. Et dixit eis: Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? 24. Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt trangredi faciatis populum Domini. 25. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir,quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos. 26. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino quam hominibus. 27. Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Nunquid non aperte reuelatus sum domui patris tui, cum essent in Aegypto in domo Pharaonis? 28. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israël mihi in sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me:& dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israël. 29. Quare calce abiecistis victimam meam, & munera mea quæ præcepi vt offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos quam me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei? 30. Propterea ait Dominus Deus Israël: Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui, ministraret in conspectu meo, vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: absit hoc à me: sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum:qui autem contemnunt me,erunt ignobiles. 31. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua. 32. Et videbis æmulum tuum in templo, in vniuersis prosperis Israël: & non erit senex in domo tua omnibus diebus. 33. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. 34. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni & Phinees: In die vno morientur ambo. 35. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. 36. Futurum est autem, vt quicumque remanserit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis,dicatque: Dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem, vt comedam buccellam panis.

VERSVS PRIMVS.

VERSIONES.

Vulgata. *Vulgata.* Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sunt in salutari tuo:

Hebaica ex Xante Pagnino. Et orauit Channah,& dixit. Exultauit cor meum in Domino: & exaltatum est cornu meum in Domino. Dilatatum est os meum super inimicos meos,quia lætata sum in salute tua. Pagn.

Hebraica

Vatab. *Hebraïca ex Franciſco Vatab.* Orauit ergo Anna & ait. Exultat cor meum Domino: cornu meum exaltatur in Domino: dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos; quoniam lætata ſum in ſalute tua.

Ariaſm. *Chaldæica ex Benedicto Ariaſm. in Regia.* Et orauit Anna in Spiritu prophetiæ, & dixit: Valuit cor meum in parte, quam dedit mihi Dominus: eleuatum eſt cornu meum in dono, quod numerauit mihi Dominus: apertum eſt cor meum ad loquendum magnalia ſuper autores inimicitiæ meæ, quoniam gauiſa ſum in liberatione tua.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complutenſ. & Regia.* Orauit Anna & dixit. Firmatum eſt cor meum in Domino: exaltatum eſt cornu meum in Deo meo: dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos: quoniam lætata ſum in ſalutari tuo.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Confirmatum eſt cor meum in Domino. exaltatum eſt cornu meum in Deo meo: dilatatum eſt ſuper inimicos meos os meum: Lætata ſum in ſalute tua.

Eucher. *Eucherius in Commentario.* Confirmatum eſt cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo ſalutari meo.

Eutim. *Eutimius ibi.* Firmatum eſt cor meum in Domino: exaltatum eſt cor meum in Deo meo.

Mendoza. Franciſcus Mendoza ibi. §. 7. Geſtiuit cor meum in Domino.

Author Catenæ. *Autor Catenæ.* Aliqua exemplaria, vt notat Abul. quæſt. 32. pro *Cornu meum*, habent *Cor meum.* Alia è contra pro, *Cor meum*, habent, *Cornu meum.*

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Origen. *Gaudium in Domino quale?* 1. *Exultauit cor meum in Domino.* Origen. hom. vnica de Elcana tom. 1. Neceſſariè addidit, *in Domino.* Eſt enim exultatio, quæ non eſt in domino; ſicut & illud dicitur. *Gaudete in Domino ſemper.* Poteſt enim quis gaudere in carnalibus, & non in Domino. Si enim gaudeã quod inueni theſaurum viſibilem; iſtud gaudium carnis eſt, & non in Domino. Si gaudeam, quod me homines laudant, & forte non pro merito, non eſt hoc gaudere in Domino. Si gaudeamus in rebus fragilibus, & caducis, hęc omnia non habent laudabile gaudium. Si verò gaudeam, quoniam dignus habitus ſum pro nomine Domini iniuriam pati, iſtud gaudium in Domino eſt, quia ipſe dixit, *ſuper hũ gaudete, & exultate, quia merces veſtra multa eſt in cœlis.*

Literal. Auguſt. *Anna Prophetiſſa fuit.* 2 *Exultauit cor meum in Domino.* Aug. lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 4. tom. 5. Mater quoque ipſa Samuëlis Anna, quæ priùs fuit ſterilis, & poſteriore fœcunditate lætata eſt, prophetare aliud non videtur, cùm gratulationem ſuam Domino fundit exultans; quando eundem puerum natum, & ablactatum Deo reddidit, eadem pietate, qua vouerat. Dicit enim. *Confirmatum eſt cor meum,* &c.

Iſidor. *Eadem verba tranſcripſit Iſidorus in Quæſt.*

Myſtic. Auguſt. & Eucher. 3 *Exultauit cor meum in Domino.* Idem ibidem. Itane verba hæc vnius putabuntur eſſe mulierculæ, de nato ſibi filio gratulantis? Tantumne mens hominum à luce veritatis auerſa eſt, vt non ſentiat ſupergredi modum fœminæ huius dicta, quæ fudit. *Eadem Eucher.*

Myſtic. Auguſt. Iſidor. 4 *Exultauit cor meum in Domino.* Idem ibidem. Dicat ergo Eccleſia, Chriſti ciuitas Regis magni, gratia plena, prole fœcunda; dicat, quòd tanto ante de ſe prophetatum per os huius piæ matris agnoſcit. *Confirmatum eſt cor meum in Domino,* &c. Verè confirmatum eſt cor, & cornu verè exaltatum, quia non in ſe, ſed in Domino Deo ſuo.

Myſtic. Greg. *Anna Eccleſia typus.* 5 *Exultauit cor meum in Domino.* Greg. lib. 1. Variar. Enarrat. cap. 2. In Annæ perſona ſanctæ Eccleſiæ typum latere iam oſtendimus, quæ nimirum nato iam puero in Domino exultare ſe perhibet, quia de eo, quod ad fidem Redemptoris Gentilem populum traxit; vanè non tumuit; ſed in eo lætitiæ ſuæ intentionem tenuit, à quo fœcunditatis ſuæ dona ſuſcepit.

Literal. Idem. 6 *Exultauit cor meum in Domino.* Idem ibidem. Quia fructum ſui propoſiti conſecuta eſt. Quo loco notandum eſt, quia hoc quod glorians loquitur; oraſſe perhibetur. Nam præmiſſum eſt, *& orauit Anna, & ait, exultauit cor meum in Domino.* Quæ autem nihil à Deo petere flagitando cognoſcitur, cur oraſſe perhibetur? ſed quia hoc futurum eſſe per prophetiæ ſpiritum ſancta mulier mouerat, & id fieri vehementer optabat, & exultando loquitur, & orando. Exultabat quidem de certitudine futurorum, vehementer exoptans fieri quod nouerat reuelatione Sacramenti.

Moral. Idem. *Reprobus nõ habet cor.* Ioan. 13. 7 *Cor meum.* Idem libro 2. capite 1. Reprobi quidem corda ſua non habent, quia ea diabolus poſſidet. Vnde & de proditore dicitur. *Cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotes.* Ioan. 13. Si enim Iudas cor ſuum, & non diabolus poſſideret, ipſe potiùs in eo bonum, quàm diabolus malum poneret.

Literal. Eutim. 8 *Exultauit cor meum in Domino.* Eutimius ibidem. Quaſi dicat: Cor meum, quo ob ſterilitatis dolorem laxatum, & molle effectum fuerat, nunc confirmatum eſt, conſolidatúmque, & corroboratum à Domino. Exaltata quoque eſt gloria mea propter Deum meum, nam poſt filij partum gloriam adepta ſunt.

Literal. Theod. 9 *Exultauit cor meum in Domino.* Theodoret. ibidem quæſt. 5. Admiratione dignus eſt Annæ hymnus; neque ſolum enim ob ea, quæ accepit, laudibus celebrauit donatorem, ſed etiam hymnum temperauit prophetia, & filij gratiæ fuit particeps. Nam cùm concepiſſet Prophetam, prophetat poſt partum. *Eadem verba tranſcripſit Procopius.* Procop.

Hiſtor. Catena. Trium. Patrum. Theodor. 10 *Exultauit cor meum in Domino.* Catena trium Patrum apud Theodoret. Nimirum fide, quando petiit, vt daretur ſibi gratia pariendi filij. Hoc Canticum Annæ admiratione dignum eſt, non ſolùm enim laudauit largitorem ob ea, quæ accepit, ſed etiam Vaticinationi hymnum miſcuit, & particeps fuit illius gratiæ, quam filius habuit. Enixa enim Prophetam, ipſa quoque poſt partum vaticinatur. Prædicit namque diaboli euerſionem, & aſſumptionem Domini noſtri IESV CHRISTI in cœlos, & aduentum Spiritus ſancti in Apoſtolos: atque etiam glorioſum Chriſti aduentum, in nouiſſima die, & bonarum, malarumque rerum remunerationem.

Moral. Damaſc. *Anna Maria Mater.* 11 *Exultauit cor meum in Domino.* S. Ioan. Damaſcen. orat. 2. de Nat. B. Mariæ. Merito igitur Anna diuino Spiritu plena læto hilarique animo perſonet. Congaudeat mecum hodie Anna illa Phenennæ aduerſaria, & nouum hoc atque inopinatum miraculum, quod in me geſtum eſt, ſuo exemplo concelebret.

Literal. Beda. 12 *Exultauit cor meum in Domino.* Beda lib. 1. Expoſ. Allegor cap. 4. Canter igitur ore dilatato læta Mater, quæ prius amaro animo loquebatur in corde ſuo, & dum ſua præſentia narrat, futura totius Eccleſiæ gaudia prænarret.

13 *Exultauit*

MORAL. Rupert. 13 *Exultauit cor meum in Domino.* Rupert. lib. 1. comment. in Reges cap. 5. Vbi sola fœcunda est caro, non est vnde exultet cor: neque enim exultatio cordis vlla est, nisi in Domino. Proinde cùm dicit: *Exultauit cor meum in Domino*, illam se vniuersalis Ecclesiæ exultationem decantare indicat, quam Propheta alius denuncians: *à timore*, inquit, *tuo Domine, concepimus, & peperimus spiritum salutis.*

MYSTIC. Angelom. 14 *Exultauit cor meum in Domino.* Angelom. in Stromat. 1. Regum 2. Hinc iam manifestissimè Anna in cantico seu mutationem veteris Testamenti, seu Sacerdotij in nouum Testamentum, seu Sacerdotium, qui est Christus, prophetare videtur: quamquam nonnulli non prophetasse dicant, sed tantummodò propter filium impetratum, Deum exultanti prædicatione laudasse.

MYSTIC. Hugo Victor. 15 *Exultauit cor meum in Domino.* Hugo Victor. lib. 5. Allegor. cap. 3. canticum Annæ post conceptionem, & natiuitatem Samuëlis, significat gratiarum actionem sanctæ Ecclesiæ, siue pro incarnatione Redemptoris nostri, siue pro conuersione, & perfecta iustificatione cuiuslibet peccatoris.

MYSTIC. Comest. 16 *Exultauit cor meum in Domino.* Comestor. in Historia Scholastica cap. 3. Canticum est propriè non oratio, & continet tria Canticum hoc. Primum est Gratiarum actio pro beneficiis sibi præstitis. Secundum est inuectio inuectio in superbos, occasione Phenennæ, vt ibi. *Nolite multiplicare loqui sublimia.* Tertiò prophetat de regno Christi, vt ibi. *Dominus iudicauit fines terræ.*

LITERAL. Carthus. 17 *Exultauit cor meum in Domino.* Carthus. ibi artic. 3. Id est tam vehementi iucunditate impletum est spirituali, quod redundauit in partem sensitiuam atque in corpus; iuxta illud Psalmi 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

MYSTIC. Idem. 18 *Exultauit cor meum in Domino.* Idem ibid. art. 4. Christi Ecclesia videns omnem plenitudinem gratiæ sibi à Deo collatam, & quicquid diuinorum charismatum olim fuit in Synagoga in se præclarissimè esse translatum, cum gratiarum actione fatetur, *exultauit, &c.*

LITERAL. Haren. 19 *Exultauit cor meum in Domino.* Haren. in Postilla. Mos erat antiquitus post adeptam victoriam, aut euasa pericula, canticum Domino decantare in gratiarum actione. Exod. 15. Iudic. 5. Esa. 38. Sic & Anna post gaudium fœcunditatis sibi collatæ gratias agens, cantauit canticum. Quod licèt oratio dicatur, tamen propriè canticum est, & tria continet: primum est Gratiarum actio pro beneficiis sibi præstitis; vt dixit *exultauit, &c.* Secundum est inuectio in superbos occasione Phenennæ, vbi dixit. *Nolite multiplicare, &c.* Tertium Prophetia de regno Christi, ibi: *Dominus iudicabit fines terræ.*

MORAL. *In Domino*, non in me meis meritis attribuens vt superbi non in laude hominum, vt vani, non in vanitate sæculi, vt auari, sed *in Dominum.*

LITERAL. Abul. 20 *Exultauit cor meum in Domino.* Abul. ibi. quæst. 1. Non dicitur lætari, sed exultare, quia exultare significat maiorem abundantiam gaudij: nam lætari significat concipere quoddam gaudium intra animam, quod extrà non prodiit: exultare autem est quoddam gaudium intrà conceptum, quod cùm intrà concipitur, in exteriora prorumpit, & manifestatur in motibus corporis.

LITERAL. Idem. 21 *Exultauit cor meum in Domino.* Idem ibid. quæst. 32. Dicitur, quòd orauit Anna, non dicitur hic, quòd cecinit: licèt enim ista oratio Annæ sit metrica, non tamen vocatur carmen, sed oratio. Ideò apud Iudæos aliter legitur ista, quàm legantur ea, quæ vocantur carmina, scilicet Canticum Moysis Exod. 15. Et canticum Debborę. Iudic. 5. Num ibi dicitur cecinit. Ideò Hebræi legunt ista canendo: Oratio autem ista legitur voce depressa, & continua, sicut cætera purè prosaica.

LITERAL. Vatab. 22 *Exultauit cor meum in Domino.* Vatab. in Scholiis. In Domino vel per Dominum idest autore Domino, & illius beneficio.

Titelm. 23 *Exultauit cor meum in Domino.* Franc. Titelmanus in Elucidatione. Cor meum, & Spiritus meus præ gaudio gestiuit, & exultauit in Domino.

LITERAL. MORAL. Marian. 24 *Exultauit cor meum in Domino.* Mariana in Scholiis. Contraria iis, quæ in afflictione dixerat: & vide quomodo lætitia loquax est, in afflictione pauca dixit.

HISTOR. Mendoza. *Anna ex tempore prolocuta.* 25 *Exultauit cor meum in Domino.* Franc. Mendoza ibi. Annot. 13. section. 2. §. 2. Quæret aliquis, vtrùm Anna ediderit hoc canticum extemporale, nulla eius meditatione præeunte? crediderim affirmandum: nam Prophetæ, non tam proferunt, quæ ipsi meditantur, quàm quæ illis diuinitus inspirantur.

MORAL. Idem. *Dei retributio qualis* 26 *Cor meum.* Idem ibidem §. 18. Meritò Anna corde exultat, quæ paulò ante cap. 1. vers. 8. corde affligebatur, vt impleatur illud Dauidicum. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ consolauerunt animam meam.* Psalm. 93. Psalm. 93.

MORAL. Mendoza. *Vera lætitia.* 27 *Exultauit cor meum in Domino.* Idem ibid. §. 12. Præcipua huius exultationis sedes fuit cor. Profana quidem lætitia corpus aliquando circumfluit; in cor tamen non illabitur.

MORAL. Sanctius. 28 *Exultauit cor meum in Domino.* Gaspar Sanctius ibi. num. 2. Quemadmodùm capsæ, quæ aromata, aut vnguenta continent, odorem retinent, etiam dum vacuæ sunt, quem à re odorata aliquando libarunt: sic etiam Anna, quæ nouem mensibus Sacerdotem, & Prophetam in visceribus condidit, aliquid inde hausit, quod ad Prophetale, & Sacerdotale negotium pertineret, quare diuinas canit laudes, quod Sacerdotis est; & futura prædicit, quæ Prophetæ.

HISTOR. Idem. *Oratio Annæ Metrica.* 29 *Et exultauit cor meum in Domino.* Idem ibid. n. 5. Modulatur, inquam, quia numerosam instruit orationem, quæ etsi ab Anna Poëtria non cantatur, eius tamen modi est, vt ab aliis musicis numeris cantari possit.

LITERAL. Hieron. *Cornu quid?* 30 *Et exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Hieronymus, seu potius Autor Traditionum Hebraic. cornu filium vocat, quia, quando sine filio erat, absque cornu videbatur sibi esse.

MYSTIC. Gregor. 31 *Et exaltatum est cornu meum.* Gregor. supra. Quid est cornu Annæ nisi potestas sanctæ Ecclesiæ; quod profectò cornu tunc mirabiliter se extulit, cùm Dei Filius per assumptam humanitatem naturæ nostræ participem se fecit. In eo igitur Cornu sanctæ Ecclesiæ exaltatum est, in quo humana natura iam splendet supra Angelos eleuata. Quia exaltatum Cornu suum refert, latenter indicat, quia ante Cornu habuerat, quod exaltatum non erat: Sancta quippe Ecclesia ante Redemptoris aduentum Cornu habuit, quia in Patriarchis, & Prophetis iam rectè viuendi ordinem, quem delinquentis corrigendi potestatem diuinitus accepit. Sed tamen Cornu exaltatum non habuit, quia, etsi viuere iustè poterat; tamen ad Paradisi gaudia sine Redemptoris præsentia, redire non poterat.

TROPOL. Idem. 32 *In Deo meo.* Idem ibidem. Non ait in Deo noſtro,ſed in Deo meo.Meum náque de eo dicitur, quem familiariter,ac ſingulariter diligit. Ad quam certè diuinæ familiaritatis dignitatem peruenerat,qui dicebat. *Deus meus es tu,& confitebor tibi: Deus meus es tu, exaltabo* ꝛc. Pſal.116.

ALLEG. MORAL. Origen. 33 *Et exaltatum eſt cornu meum.*Origen.ſuprà. Sunt quædam cornua Iuſtorum, quibus vtantur, vel agentes aliquid,vel loquentes;ſicut cùm dicit: *In te inimicos noſtros ventilauimus cornu.* Oportet ergo nos habere iſta cornua,quæ iuſtis de apicibus Crucis Chriſti conferuntur;vt deſtruamus,& deiiciamus aduerſarias virtutes de anima noſtra.

LITERAL. Chryſoſt. 34 *Et exaltatum eſt cornu meum.*Chryſoſt.hom. de Anna.tom.6.Quid igitur tandem cornu(Dauid) nominatur? Potentiam, gloriam,claritatem,nimirùm à brutis animalibus hanc tranſlationem mutuatus, namque Deus ornamenti ac teli vice cornua illis addidit,quibus abiectis præcipuam virium partem amittunt: & quemadmodùm inermis miles, ita & Taurus abſque cornibus facilè capitur. Nihil igitur aliud dicit hæc mulier, quàm exaltata eſt gloria mea.

TROPOL. Idem. 35 *In Deo meo.*Idem ibid. Huic etiam in tuto eſt hæc celſitudo, vt quæ firmam atque immobilem radicem habeat; gloria enim, quæ eſt ab hominibus gloriantium vtilitatem imitatur. Vnde fit, vt non magno negotio ſubuertatur. At non ſic gloria Dei, ſed immobilis manet in perpetuum? *Omnis caro fœnum.* Iſa.40. De Dei autem gloria non ſic. At quomodo? *Verbum autem Dei in æternum manet*: id quod vel in hac muliere patet. Reges enim, & Imperatores, & Reguli, qui nihil non tentarunt, vt immortalem poſt ſe relinquerent memoriam, & monumenta ſibi ſplendida exædificauerunt, & ſtatuas, atque effigies multas multis in locis poſuerunt, & rerum geſtarum Commentarios non paucos reliquerunt, nunc tacentur, & ne nomine quidem noti ſunt. Hæc autem mulier vbique gentium nunc celebratur:& ſiue in Scithiam proficiſcaris, ſiue in Ægyptum, ſiue in Indiam, ſiue ad ipſos Orbis terminos, omnes audies benefacta eius decantantes. Denique quantu terrarum à Sole illuſtratur,totum hoc Anna ſua gloria occupat.

Anna quanta gloria.

MYSTIC. Rupert. 36 *Et exaltatum cornu meum.* Rupert ſuprà. Singulariter,& Propheta:*exaltabitur*,inquit, *ſicut Vnicornis cornu meum.*Idemque pluraliter:*& exaltabuntur*,inquit,*cornua iuſti.*Et res non diuerſa eſt. Nam vnum Eccleſiæ cornu, vnus eſt Chriſtus, & plura ipſius cornua plura ſunt dona ſancti Spiritus.

MYSTIC. Angelom. 37 *Et exaltatum eſt cornu meum.* Angelom. ſuprà. Quid per cornu Eccleſiæ, niſi regnum ipſius accipere debemus? ſicut enim cornu carnem excedit, ita Regnum ſanctæ Eccleſiæ aduerſa huius mundi, & deſideria carnis tranſcendit. Sed hoc Regnum in Domino exaltatum dicitur, quod ab ipſo vtique ſublimatur.

LITERAL. Charth. 38 *Et exaltatum eſt cornu meum.*Carthuſ.ſuprà. Id eſt,motus,& affectus ſpei meæ per Dei auxilium conſequutus eſt optatum effectum:quoniam quod orando obtinere ſperaui,obtinui. Rursùs,*Exaltatum eſt cornu meum in Deo*, Id eſt, fortitudo mihi gratioſè conceſſa præualuit.

MYSTIC. Gloſſa. 39 *Et exaltatum eſt cornu meum.*Gloſſa Ordin. ibi. Id eſt,Chriſtus, qui defenſor eſt Eccleſiæ, propter quod de ipſo dicitur. Luc. 1. *Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui.*

LITERAL. Lira. *Cornu quid ſignificet.* 40 *Et exaltatum eſt cornu meum.*Lira ibi.Cornu in ſacra Scriptura accipitur pro motu cordis tendentis in aliquid arduum. Sic autem mouebatur Anna in augmentum gratiæ conſequendum à Deo in vita præſenti,& complementú gloriæ in futurú.

41 *Et exaltatum eſt cornu meum.* Abul.ibi.q.1. Qui legit *Cor.* Cor exultare pertinet ad lætitiam. Cor exaltari pertinet ad magnitudinem:eſt ſenſus. Exaltatum eſt cor meum;id eſt eleuatum eſt ad magnam altitudinem,quia ante hoc erat depreſſum. LITERAL. Abul.

42 *Et exaltatum eſt cornu meum.*Caiet.ibi.Exaltata ſiquidem eſt potentia eius generatiua;conſueuerunt enim Hebræi Potentiam,appellare Cornu. LITERAL. Caiet.

43 *Et exaltatum eſt cornu meum.* Abul. q. 32. Vocatur Cornu in ſacra Scriptura quidam motus cordis tendentis ad arduum,& quod nos conſueuimus vocare ſpem,quoniam ſpes ſemper eſt ardua. LITERAL. Abul.

44 *Et exaltatum eſt cornu meum.*Petrus Palat. lib.9.de Arcanis, cap.14.In Midras Tehilim,id eſt in expoſitione Pſalmorum legitur. *Decem Cornua ſunt,quæ Deus ſanctus & benedictus dedit Iſraeli. Cornu videlicet Abrahæ*, &c. Cornu prophetiæ de quo dictum eſt. 1. Regum.2. *Exaltatum eſt cornu meum*, &c. Quando autem peccauit Iſraël ablata fuerunt ei cornua hæc,& data Gentibus ſæculi, ſicut dictum eſt Dan.7. HISTOR. Galat. Midras. Dan.7.

45 *Et exaltatum eſt cornu meum.*Serarius ibid. Cornu in Scripturis ſæpiſſimè robur & gloriam ſignificat.Luc.1.Pſal.74. Et quidem maximam gloriam vt Regiam ducta metaphora non à Moyſis Cornibus,vt Abul.ait,ſed à cornigeris animalibus, quæ & cornibus defenduntur,& decorantur. Vnde ipſæ Coronæ Regiæ,earumque radij cornua interdum dicuntur;vt probat Pierius lib.7.Hierony. Vnde etiam Moyſem cornutum,id eſt radioſum fuiſſe cenſet. LITERAL. Serarius. Abul. Pierius.

46 *Et exaltatum eſt cornu meum.*Vatab.in Scholiis. Cornu pro gloria metaphora ab animalibus cornigeris, quæ cornibus tutantur vitam ſuam. Vnde & propter cornua, gloriari ſolent. LITERAL. Vatab.

47 *Et exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.* Franc.Mendoza ibi.§.29.Rectè dixit Anna in Deo meo,non autem in Deo tantum, nam improbi homines Deum non audent vocare ſuum. MORAL. Mendoz.

48 *Et exaltatum eſt cornu meum.*.Gaſpar Sanctius ibid. §.4. Quod ſi ita ſtatuas; Exaltatum appellari poteſt Cornu illud; cùm à Deo, & ab eius Sacerdote puer admiſſus eſt, vt in templo degeret, & à paterna domo, atque vbere diuulſus perpetuum Domino exhiberet obſequium. LITERAL. Sanctius.

49 *Et exaltatum eſt cornu meum.*Autor Catenę. Cornu Eccleſiæ Chriſtus eſt,gloria ipſius,& poteſtas,qui in Cruce exaltatus tartareas poteſtates,& inanem ſæculi gloriam ventilauit. *Cornua* enim *Rinocerotis, cornu eius in ipſis ventilabit gentes.* Deut.33.17. Deut.33.17. MYSTIC. Author Catenæ.

50 *Dilatatum eſt os meum.*Origenes ſuprà.Scriptum eſt;*Dilata os tuum,& implebo illud*, & nunc dicit ei Iuſta: *Dilatatum eſt os meum.*Si idoneus,& fortis fuero in verbo effectus,& validus,in ſapientia;itavt non anguſtis aſſertionibus, ſed dilatatis & affluentibus confutare poſſim omnem ſcientiam, extollétem ſe aduersùs fidem,& veritatem Chriſti; tunc dignè poſſum etiam ego dicere: *Dilatatum eſt os meum.* TROPOLO. Origen.

51 *Dilatatum eſt os meum.* Chryſoſt. hom. de Orat. Annæ tom. 1. Non dixit acutum factum eſt os meum ſuper inimicos meos, non enim ad contumelias, & conuicta præparatum erat,non ad accuſationé,& opprobria. Sed ad conciliu, & admonitioné,& correctioné,& inſtructionem:propterea nō dixit,acuta facta eſt lingua mea ſuper inimicos meos,ſed dilatatú eſt os meum. Remiſſioné,inquit, MORAL. Chryſoſt. Idem tom.6.

aſſequuta

assequuta sum, possum liberè loqui; nunc pudorem excussi. *Eadem verba habet hom. 5.*

MORAL. Aug. 52 *Dilatatum est os meum.* Aug. lib. 17. de Ciuit. Dei c. 4. tom. 5. Quia & in angustiis pressuratum sermo Dei non est alligatus, nec in præconibus alligatis.

LITERAL. Beda. 53 *Dilatatum est os meum.* Beda suprà. Dum dilatatur cor meum ad exultandum in IESV, ideſt in salutari tuo; dilatatur & os meum super omnes fidei, & veritatis inimicos ad confitendum, prædicandúmque nomen eius.

LITERAL. Rupert. 54 *Dilatatum est os meum.* Rupert. suprà. Humilientur, & de terra loquantur quondam loquaces inimici mei filij carnis, & non fidei: mihi namque nunc versa vice loquendi autoritas data est, vt non iam in angulis mussitem aut ore dimidiato loquar, sed ore dilatato, sic eloquar super inimicos meos, qui mihi sterilitatem exprobrabant; vt audiat in toto mundo. Rectè os suum dilatat, qui non se ipsum, sed Dominum prædicat. Benè cornu suum exaltat, qui non suam, sed Dei iustitiam commendat.

THEOPOL. Isidor. Clar. 55 *Dilatatum est cor meum.* Isidor. Clarius in Scholiis. Vide, vt doceat, quid nobis faciendum sit, quoties assequimur à Deo quod optamus. Nam continuò ad contemplandam Dei, & potentiam, & benignitatem, conuerti debemus; Is enim debet esse finis acceptorum ab eo beneficiorum.

LITERAL. Eutim. 56 *Dilatatum est os meum.* Eutimius suprà. Maiori cum libertate, atque imperterritè admodum locuta sum. Per inimicos autem eius intelligendi sunt Phenenna, atque illius cognati, qui eo vsque de Annæ sterilitate exultauerant.

MYSTIC. Rabban. *Prædicatores os Ecclesiæ.* 57 *Dilatatum est os meum.* Rabbanus in Glossa. Os Ecclesiæ Prædicatores, quorum doctrina dilatata est super inimicos, quia excessit scientiam Scribarum, & Pharisæorum.

LITERAL. Theodor. 58 *Dilatatum est os meum.* Theodoretus suprà. Cepi & ego audaciam dicendi: Non sum sterilis; id quod Phenenna exprobrat eiusque filij; ad ipsos enim respiciens dixit ea quæ sequuntur: Ne gloriemini, neque loquamini sublimia.

HISTOR. Rabbi Ion. 59 *Dilatatum est os meum.* Rabbi Ionathan filius Oziel. apud Abul. ibi. q. 34. Cognouit Anna propheticè, quòd Philistim propter captiuationem Arcæ, & deductionem in terram suam percutiendi erant à Domino, in tantum, quod compellerētur remittere super plaustrum nouum, honoratam muneribus suis infrà cap. 6. Pro quo nimis grauia dixit, *dilatatum est os meum*, ad narrandum vindictam Dei super inimicos meos, ideſt, super Philistiim, qui erant inimici populo Israel.

LITERAL. Carthus. 60 *Dilatatum est os meum.* Cinarthusibi art. 3. Ideſt aduersarios meos iuste irrisi puta Phenennam, & liberos eius, qui me oderunt & afflixerunt; quamuis ego diligerem eos. Imbecilles quoque animi hostes, qui me ad pusillanimitatem, & immoderatam tristitiam trahere nitebantur derisi, & vici.

LITERAL. Idem. 61 *Dilatatum est os meum.* Idem ibid. Ideſt, latè apertum ad laudandum, & glorificandum Deum. Super inimicos meos, ideſt, iuxta eorum deiectionem. Vel super eos, ideſt plus quàm os eorum.

LITERAL. Caren. 62 *Dilatatum est os meum.* Caren. in Postilla. Os cordis os; operis.

LITERAL. Titelman. 63 *Dilatatum est os meum.* Titelmanus suprà. Tanta bona conferendo Deus mihi quasi os aperuit, & latè aperuit ad glorificandum super, & contra inimicos meos, vt audacter loqui iam possim.

Ioan. Ferd. 64 *Dilatatum est os meum.* Ioan. Ferdinand. in Thesauro, verbo *dilatare*. Dilatare pro dono prophetiæ legimus 1. Reg. 2. Vbi Anna Samuelis ait. *Dilatatum est os meum, super inimicos meos.*

LITERAL. Lorin. 65 *Dilatatum est os meum.* Ioan. Lorin. in Ps. 34. vers. 21. tom. 1. Dilatatio oris in bonam partem accipi potest, nisi quid obstet; vt *dilata os tuum, & implebo illud.* Ps. 80. In malam, cum super alium fieri dicitur. *Super quem dilatatis os?* Isa. 57. Mater Samuelis in cantico. *Dilatatum*, inquit, *est os meum super inimicos meos.*

LITERAL. Sanctius. 66 *Dilatatum est os mum.* Gaspar Sanctius suprà n. 8. Fortè alluſum est ad tempus illud, de quo c. 1. In quo Anna sic afflictabatur, aut verecundabatur, vt non auderet os aperire, aut vllum proferre verbum, sed motu tantùm labiorum tacito, & suum votum, & animi dolorem exponebat.

MORAL. Nauar. 67 *Dilatatum est os meum.* Aloysius Nouarin. in Adagiis SS. PP. Excursu 90. n. 64. Pro maledictis respondere bonis monitis debemus, reponenda bona consilia pro opprobris quæ in nos iaciuntur. Hoc valet Anna cum caneret: *Dilatatum est os meum, &c.*

LITERAL. Author Catenæ. 68 *Dilatatum est os meum.* Author Catenæ. Dum oraret Anna, pressuram cordis sequebatur oris angustia: voti autem iam compote animi latitudinem adsequitur oris dilatatio: & cuius labia solummodò mouebantur, pleno iam ore optimi largitoris panegyrim buccinatur.

MORAL. Chrysost. 69 *Super inimicos meos.* Chrysost. hom de Orat. Annæ tom. 1. Nec hic nominatim mulierem ritualem dixit; sed simpliciter dixit indefinita nuncupatione, quasi quædam persona tantæ tristitiæ autorem abscondit. Non dixit quod multæ dicunt mulieres: confundit eam Deus: dissipauit, & deiecit scelestam, arrogantem, & magniloquam; sed simpliciter *dilatatum est os meum super inimicos meos.*

LITERAL. Abul. 70 *Super inimicos meos.* Abul. ibi. q. 37. Vocantur inimici Phenennæ, & filij sui; quia fortè omnes eam affligebant, & non vocantur isti inimici Annæ, quasi ipsa illos exosos haberet; sed quia ipsi eam affligebant: vel quia Anna habebat exosam malitiam illorum, licet non personas eorum.

LITERAL. Menoch 71 *Super inimicos meos.* Menochius ibi. *Super*, idem ac *magis*. Quasi dicat plus ego possum vnico Samuele nato, quam Phenenna multiplici sua prole gloriari.

Auth. Cat. 72 *Super inimicos meos.* Autor catenæ. Cùm vnius Phenennæ infensio descripta fuerit, cur inimicorum in plurali numero Anna meminerit? Respondeo primò iuxta literam sæpè in Scriptura vnum pro altero numerum vsurpari, per figuram Enalagem. Sic Mat. 27. 44. *Id ipsum autem, & latrones, qui crucifixi erant pro eo improperabant ei.* Cùm ex Luca 23. 39. de vnius tantùm blasphemia constet: *Vnus autem de his, qui pendebant Latronibus blasphemabat eum.* Respondeo secundò, moraliter vnius fœminæ infensionem pro pluribus hostibus valere, iuxta Ecclesiasticí parœmiã cap. 25. *Non est ira super iram mulieris.* Tertiò respondetur Theodoreto Abulensi, & aliis, filios etiam Phenennæ inimicorum sortiri nomen, quia Annæ etiam infestierant. Non placent, qui hæc eorum in verecundia nusquam ex Scriptura constat. Nisi dixeris parentum culpas in liberorum etiam perniciem, & infamiam permanare. Vnde à Beata Deipara omnem Originalis culpæ labem longe reieceris; ne in filij dedecus materna iniuria trahatur. Nam vt grauiter Rex loquitur Theodoricus apud Cassiodor. 1. Variar. 11. *Horror matris transit ad filios, & nouo infelicitatis euentu fit dedecus proprium, scelus alienum:*

Mat. 27 44. Luc. 23. 39.

Cali. 25. MORAL. Theodor. Abul. Theodoric. Cassiodor. *Deipara sine peccato Originali concepta.*

MORAL. Origen. 73 *Quia lætata sum in salutari tuo.* Origen. supra. Si lætatus fuero in salutari Dei, tunc dilatatum est eos meum super inimicos meos.

MORAL. Chrysost. 74 *In salutari tuo.* Chrysost. suprà. Non simpliciter in salutari, sed in salutari tuo. Non enim quoniam saluata sum, sed quoniam per te saluata sum, propterea lætor & exulto.

MYSTIC. August. 75 *Quia lætata sum in salutari tuo.* August. supra. Christus est ipse IESVS, quem Simeon sicut in Euangelio legitur Senex amplectens paruulum, agnoscens magnum. *Nunc dimittis*, inquit, *Domine seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Dicat itaque Ecclesia: lætata sum in salutari tuo, quoniam non est sanctus, vt est Dominus.

MYSTIC. Gregor. 76 *Quia lætata sum in salutari tuo.* Greg. supra. Qui inimici Ecclesiæ alij, quam Iudæi intelligendi sunt? supra quos nimirum dilatatum os habet, quia contra eorum perfidiam omnium gentium iam fidelium linguas mouet.

LITERAL. Euthim. 77 *Quia lætata sum in salutari tuo.* Eutimius suprà. Salutem enim mihi præstitit hæc proles, cùm antea præ immenso, atque immoderato dolore periclitater.

LITERAL. Ianſen. 78 *Quia lætata sum in salutari tuo,* Cornelius Ianſenius in Paraphrasi. Lætata enim sum de salute tua, quam mihi attulisti, optata me donans prole, qua me liberasti ab insultantium opprobrio.

LITERAL. Caiet. 79 *In salutari tuo.* Caiet. ibi. Donum filij appellat salutem sibi collatam à Deo: saluauit siquidem eam Deus per hoc, à malo sterilitatis cum lætitia.

LITERAL. Vatab. 80 *In salutari tuo.* Vatablus in Scholiis. Vel per salutem tuam, ideſt, beneficium; quasi dicat. Quoniam maximum beneficium accepi à te, beneficio tuo fœcunda facta sum.

LITERAL. Charen. 81 *In salutari tuo.* Charen. in Postilla. In te, ô Domine, qui saluasti me de opprobrio sterilitatis, quod obiiciebat mihi Phenenna; & verè in te lætandum est.

LITERAL. Abul. 82 *Quia lætata sum in salutari tuo.* Abul. ibi. q. 1. Ideſt in salute à te data. Aliter potest intelligi, quod non accipiatur hîc *Lætari* proprie, sed pro *Confidere*, & tunc est propria causalitas, scilicet, quòd Anna confidit in Domino, quod daret ei petitionem suam, & propter hoc dilatatum est os suum.

LITERAL. Sanct. 83 *In salutari tuo.* Gaspar Sanctius ibi num. 9. Hebræorum porrò more à tertia persona in qua de Deo loquebatur, ad secundam traducitur sermo; quod in graui aliquo affectu, quicunque ille sit, non raro contingit.

VERSVS. II.

Vulgata. *VVlgata,* Non est sanctus vt est Dominus: neque enim est alius extra te: & non est fortis sicut Deus noſter.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Non sanctus sicut Dominus: quia non est præter te; & non petra sicut Deus noſter.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Non est sanctus vt est Dominus; quoniam nihil est præter te; & non est petra, vt Deus noſter.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Non quis sanctus nisi Dominus: quoniam non est præter à te, & populus tuus dicet: non est, qui fortis, nisi Deus noſter.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Compl. & Regia.* Quia non est vt Dominus, & non est iustus, vt Deus noſter, & non est sanctus extra te.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Quonia non est sanctus, sicut Dominus, & non est iustus, sicut Deus noſter: Non est sanctus præter te.

Origen. *Origen. hom. vnica in libros Regum.* Non est sanctus, sicut Dominus, quia præter te, & non est. Non est potens sicut Deus noſter.

Chrysost. *Chrysoſtom. hom. de Orat. Annæ tom.* 1. Non est sanctus, vt est Dominus, & non est iustus sicut Deus noſter, & non est sanctus præter te, incomprehensibile namque iudicium eius, & munda, infallibilisque sententia. *Sic etiam Eutimius.*

Eutim. Chrysost. *Idem hom.* 5. *de Anna tom.* 6. Etenim irreprehensibile, inquit, iudicium eius, & incorrupta infallibilisque sententia.

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Origen. 1 *NOn est sanctus, vt est Dominus.* Origen. hom. vnica, in libros Regum tom. 1. Si scriptum esset, non est sanctus nisi Dominus, consequens erat omnes nos renunciare nobismetipsis ab hac spe, vt sancti efficeremur; nunc autem necessaria distinctione vtitur, & dicit, *non est sanctus sicut Dominus*, hoc est, etsi sint multi sancti, sed nullus ita sanctus est, sicut Dominus. Possunt ergo multi sancti fieri, sicut & mandatum Dei dicit. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Sed quantumcunque quis in sanctitate proficiat: quamtumlibet puritatis & sinceritatis adquirat, ita esse sanctus homo non potest, sicut Dominus; quia ille largitor sanctitatis est.

MORAL. Chrysost. 2 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Chrysost. hom. de Orat. Annæ, tom. 1. Vidisti gratæ cogitatum animæ? non intra se dixit, quid enim mihi magni factũ est? Quid verò magis quam aliis? Quod olim æmula fulcepit, & cum magna quidem copia, hoc ego post multum temporis cum labore, & lachrymis, & precibus, & supplicatione, multaque fatigatione. Sed quoniam bene sentiebat de Dei prouidentia, factorum rationes à Domino non petiit, quod multi faciunt hominum per singulos dies, Deum iudicantes. *Eadem repetit hom.* 5. *de Anna tom.* 6.

LITERAL. Aug. Eucher. Rabbi. 3 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Aug. lib. 17. de Ciuit. Dei c. 4. tom. 4. Dicat Itaque Ecclesia: *lætata sum in salutari tuo, quoniam non est sanctus, sicut Dominus, & non est iustus, sicut Deus noſter, tanquam sanctus, & sanctificans: & iustus, & iustificans.* Non est sanctus præter te, quia nemo fit nisi abs te. *Eadem verba habent Eucher. & Rabban.*

MORAL. S. Ephren. 4 *Non est sanctus, vt est Dominus.* S. Ephren Syrus in Encom. SS. 40. Martyr. tom. 3. Vt tecum veni ad milliare hoc vnum (*mater ad filium martyrem*) sic ad istas tecum Sanctorum mansiones perueniã, vt & ego vnà cum iis Deum prædicem, dicamque, quòd non est sanctus sicut Dominus Deus noſter, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, & erexit cornu omnium seruorum suorum.

MORAL. Richar. *Maria super omnes sancta.* 5 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Richardus de S. Laurentio lib. 4. de Laudibus B. Mariæ Virginis. Sicut dicit Anna in Cantico suo; *non est sanctus, vt est Dominus*; sic dici potest Dominæ certissimè; non est Domina sancta, vt est Domina noſtra.

6 *Non*

MORAL. Idem. *Christus sãctius Sanctorum.*

6 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Idem lib. 12. sicut lignum vitæ viridius erat cæteris lignis, sic Christus sanctior cæteris sanctis, quia sicut dicitur 1. Reg. 2. *Non est sanctus, vt est Dominus*; & propter hoc dicitur sanctus sanctorum.

MYSTIC. Idefons.

7 *Non est sanctus, vt Dominus.* Sanctus Ildefonsus sermone de Parturitione, & Purificatione Mariæ. Iste solus essentialiter sanctus, non per quem mater corrumpatur; sed per quem vulua referetur Ecclesiæ, primogenitus in multis fratribus.

LITERAL. Eutim.

8 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Eutim. ibi. Purus scilicet ac mundus, qui nullam alicui occasionem mali præstat, sed omnia cum ratione administrat.

LITERAL. Gregor.

9 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Greg. lib. Variar. Enarrat. c. 2. In descriptione Redemptoris omnia incomparabilia designantur, inde enim verus Redemptor ostenditur, quod in omni, quod ad eius gloriam dicitur, ei nemo comparatur. In eo quòd Dominus asseritur, sanctitatis eius excellentia commendatur. *Non est sanctus, vt est Dominus* quia quisquis potuit sanctus existere, eius accepit munere, vt sanctus esse potuisset.

LITERAL. Theodor.

10 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Theodoret. in Catena sua. Vt ostendat dæmones non esse sanctos, sed immundos: ad redarguendam enim Deorum multitudinem, & impurorum spirituum, solum Deum dicit esse sanctum, & sanctitatis fontem.

MORAL. Rupert.

11 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Rupert. lib. 5. Comment. cap. 5. Rectè os suum dilatat, qui non se ipsum, sed Dominum prædicat. Benè cornu suum exaltat, qui non suam, sed Dei iustitiam commendat. Parùm dixerat: suppleuit ergo dicendo, *neque enim est alius extra te.* Parque itidem effecit, ac si dixisset, præter illum nemo mundus à sorde. Non est ergo sanctus quisquam, non est alius extra te: non inquam est alius, qui possit sanctificare præter te sancte sanctorum Christi; quod & sancti illi atequam tu venires, olc proprio fatentes; *Sicut pannus menstruata*, inquiunt *omnes vniuersa iustitia nostræ.* Isaie. 64. *& quid vos in fortibus Moyse, & Aaron gloriamini in fortitudine legis & sacerdotij vestri.* Non est fortis sicut Deus noster, sicut Christus noster. Nam Moyses, Aaron, non lex vestra & Sacerdotium vestrum spirituale vicerunt Pharaonem, neque destruxerunt eum, qui habebat mortis imperium, idest Diabolum, sed hic illum vicit, hic infernum contrigit, hic deuicta morte surrexit, ergo non est fortis sicut Deus noster, sicut hic Saluator noster.

Isai. 64.

TROPOL. Isidor. Clar. *Beneficij gratitudo.*

12 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Isidorus Clarius ibi. Vide vt doceat quid nobis faciendum sit quoties assequimur à Deo, quod optamus: nam continuò ad contemplandum Dei, & potentiam, & benignitatem conuerti debemus: Is enim debet esse finis acceptorum beneficiorum.

THEOLOG. Carthus.

13 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Carthus. ibi art. 3. Quoniam ipse solus essentialiter, & independenter sanctus est, & sanctitas infinita, cuius essentia est puritas prorsus intemerata, cæteri sancti sunt per participationem, & gratiam ac certam mensuram.

TROPOL. Idem.

14 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Idem ibid. art. 4. Ideò oportet ei in sanctitate, & iustitia iugiter deseruire: maledictusque est, qui opus eius efficit negligenter.

TROPOL. Liran.

15 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Lira. ibi. Quia ipse est sanctus per essentiam, alij autem per participationem, & hoc modo exponatur, quod subditur, *non est fortis, sicut Deus noster.*

TROPOL. Abul. *Honor Deo.*

16 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Abul. ibi. quæst. 1. Postquam Anna descripsit bonum suum, & gaudium sibi collatum, conuertitur ad describendum laudes quasdam Dei: nam pro susceptis bonis à Deo, tenemur rependere quod possibile nobis est. Istud autem in solo honore consistit, quoniam Deus boni nostri non eget. Ideò cùm cætera bona nostra ei non conueniant, honorem ei impendimus, non quidem tanquam necessarium, sed tanquam expressiuum magnitudinis reuerentiæ eius.

LITERAL. Idem.

17 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Idem ibid. q. 32. Hic laudat Deum, scilicet, quòd Deus, qui beneficit ei est sanctus, scilicet habens exosam malitiam; & non est alius, qui tantùm eam exosam habeat; ideò videns malitiam Phenennæ, & filiorum eius contra Annam, dedit Annæ filium.

LITERAL. Ianseni.

18 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Ianseni. in Paraphrasi. Iam ipsâ experientiâ edoctâ, meritò fateri debeo, non esse quenquam tam sanctum, quàm est Dominus in omnibus verbis, & factis suis, quoniam neque sanctus quisquam verè dicendus est præter te solùm Dominus.

LITERAL. Vatab.

19 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Vatab. in Scholiis. Per sanctitatem intelligit misericordiam, clementiam, iustitiam, & reliquas virtutes.

LITERAL. Caiet.

20 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Caiet. ibi. Ex manifesta dispositione propria ascendit ad diuinas laudes, tum quoad sanctitatem; tum quoad deitatem; tum quoad fortitudinem: Sic enim ordinantur in littera, quia secunda laus affertur, vt ratio primæ, sed secundum rectum ordinem secundæ debetur primus locus. Primum enim est quod Iehouah est solus: solus enim est sic, quod deesse nulla ratione potest: & hinc sequitur, quòd non est sanctus sicut Iehobah, hoc est, non est mundus aliquis sicut fons essendi, quia ipse solus est actus purus.

TROPOL. Suarius.

21 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Franc. Suar. tom. de Trinit. lib. 1. de essentia Dei c. 8. n. 17. Quia nullus ita adhæret suo bono per adhæsionem, vt ita dicam, essentialem, sicut Deus. Neque potest esse creatura ita munda, & incapax omnis maculæ moralis sicut ipse.

THEOLOG. Valent. *Dei vnitas.*

22 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Gregor. de Valentia tom. 1. q. 11. punct. 2. Ne quid desit in hac testificatione sexus, postremò probatur ex Scriptura, Dei vnitas testimonio Annæ matris Samuelis, quæ diuino spiritu afflata inter cætera cecinit. *Non est sanctus, &c.*

TROPOL. Mendoz.

23 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Franc. Mendoza ibi. §. 2. Meritò Anna illud Dei attributum priùs laudat, quod sibi vtilissimum fuisse recognoscit. Exorditur autem diuinas laudes à sanctitate, non quòd hæc sit prima omnium, quæ in Deo distinguntur; nam & natura diuina, & nonnulla attributa, vt sapientia, veritas, & similia nostro intelligendi modo diuinam sapientiam antecedunt. Sed vt Deus ostendat, quanti facienda sit à nobis sanctitas, de nulla re magis, quàm de sua sanctitate gloriatur.

LITERAL. Rang.

24 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Rangol. ibi. Arbitror hoc loco non aliam esse huius dictionis Emphasim, quàm quæ religionis cultum præ cæteris ampliorem Deo attribuat; neque enim alium quemquã similem cum eo veneratione mereri, eum solũ venerandum, augustũ suspiciendũ esse: etenim ea vox ex vsu antiquorum ad religionem pertinet.

LITERAL. Sanctius. 25 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Gaspar Sanctius ibid. num. 10. *Sanctus* epitheton est Dei. Quare sensus est meo iudicio germanus, & facilis; non esse inter Deos vllum sicut Dominus, quem colit Israël. Postea verò quasi seipsam corrigat Anna, quod Deos alios nominasset, ait; extra Deum, à quo ipsa singulare illud beneficium accepisset, nullum esse Deum. Id enim valet illud: *Neque enim est alius extra te*, videlicet qui sit sanctus id est, Deus.

LITERAL. Author Catenæ. 26 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Autor Catenæ. Relucet æmulatione diuinæ sanctitatis magnitudo. Ideò quamuis teste Anna nullus præter Deũ sanctus sit; *neque enim est alius extra te*: sanctitas extra Deum artificiosè effingitur; vt apposita iustitiæ diuinæ, sanctitatis veritas deprehendatur.

TROPOL. Idem. Caiet. *Sanctitas quantum æstimabilis.* 27 *Non est sanctus, vt est Dominus.* Idem. Priùs sanctitatem extulit, quàm essentiam, vt adnotauit Caietanus. Vt ad morum institutionem de vitæ integritate potiùs, & iustitiæ exercitio, quàm de existentia glorietis. Hinc Alex. cognomento Magnus potiores tribuebat partes magistro, à quo benè viuere, quàm parenti, à quo vtcumque viuere accepisset. Hinc etiam potissimùm Seraphini. Isa. 6. & mystica quatuor Animalia Apoc. 4. Non imparticipatam, & independentem Dei naturam; non potentiam, aut similia attributa, sed vnam efferebant, & proclamabant sanctitatem. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercitum.* Hinc denique Gabriël Angelus Verbi incarnationem Mariæ Virgini annuncians: *Quod nascetur ex te*, inquit, *sanctum vocabitur filius Dei.* Luc. 2. Priùs sanctum, quàm filium Dei Verbum diuinum appellauit.

Isai. 6. Apoc. 4. Luc. 1.

THEOLOG. Origen. 28 *Neque enim est alius extra te.* Origen. Suprà. Quid est quod dicit, non est præter te, non planè capio. Si dixisset non est Deus præter te, vel non est Creator præter te, aut tale aliquid addidisset, nihil requirendum videbatur; nunc autem mihi hoc videtur in loco designari, nihil eorum, quæ sunt naturaliter, habere. Tu solus es cui, quod es, à nullo datum est: nos enim omnes, id est vniuersa creatura, non eramus antequam crearemur, & ideò quod sumus, voluntas est Creatoris, & quia aliquando non fuimus, non est integrum si dicatur de nobis, quia sumus, quantum ad illud spectat cùm non essemus, sed solus est Deus, qui quod est, semper habuit, & non accepit vt esset initium.

LITERAL. Gregor. 29 *Neque enim est alius extra te.* Gregor. suprà. Subauditur sanctus. Extra eum sanctus vllus esset, si absque dono vnigeniti sanctificationis spiritum habere potuisset. Sed quis hoc asserere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam constat: Scriptum quippe est. *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Verbum Domini est vnigenitus Dei.

LITERAL. Beda. 30 *Neque enim est alius extra te.* Beda lib. 1. Allegor. cap. 4. Quod ait: *neque enim est alius extra te*; & non addit, Creator, vel Dominus, vel aliquid tale singulariter; æternam eius existentiam designat; quam à creaturæ fragilitate distinguens Psalmista. *Mutabis*, inquit, *ea, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Psalm. 101.

LITERAL. Angelom. *Deus solus sanctus.* 31 *Neque enim est alius extra te.* Angelom. in Strom. Quia nullus fit sanctus nisi, ab ipso sanctificatus fuerit: & non solùm sanctus, sed nec consistere valet, nec aliquam fortitudinem habere, nisi ab ipso perceperit. Hinc Paulus Apostolus ait; *Quoniam in ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Actorum 17.

Actor. 17.

THEOLOG. Carth. 32 *Neque enim est alius extra te.* Carthus. ibid. art. 3. Nam Pater in Filio, & Filius in Patre: Pater quoque ac Filius in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus in Patre & Filio.

LITERAL. Abul. 33 *Neque enim est alius extra te.* Abul. ibidem. quæst. 1. Idest nullus est Deus prætet te, quia quanquam Gentiles plures Deos appellent, illi tamen Dæmonia sunt. Et Deus noster verus Deus in cœlo, & in terra. Sed primus sensus est melior, scilicet quod nullus est sanctus præter Deum.

LITERAL. Vatab. 34 *Neque enim est alius extra te.* Vatab. in scholiis. Quasi dicat tu solus sanctus es.

LITERAL. Charen. *Neque enim alius est extra te.* Charen. in Postilla. Id est, nullus est extra te, quia sicut Deus est in omnibus; ita omnia sunt in Deo suo modo. Deus est in omnibus essentialiter, potentialiter, præsentialiter. Omnia sunt in Deo vt causatum in causa, efficiente, conseruante, ordinante. Vnde Rom. 11. *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.*

Rom. 11.

LITERAL. Interlin. 35 *Neque enim est alius extra te.* Glossa Interli. ibid. Immutabilis sicut tu.

LITERAL. Marian. 36 *Neque enim est alius extra te.* Mariana in Scholiis. Scilicet dignus, quem deprecet vel laudem.

THEOLOG. Mendoza. 37 *Neque enim est alius extra te.* Franc Mendoza ibi. §. 14. Dicit extra te, quia intra Deum alius, & alius reperitur, nam Pater est alius à Filio: & Filius alius à Spiritu sancto: ita tamen, vt quælibet persona in qualibet per perfectissimam circumincessionem, vt Theologi loquuntur, includatur.

LITERAL. Author Catenæ. 38 *Neque enim est alius extra te.* Autor Catenæ. Sensus est. Non enim est alius vllus sanctus præter te, scilicet essentiali, & primitiua sanctitate. Vel est. Nullus enim aliùs nisi tu verè est, aut existit: Carent enim omnia vero esse imparticipato, & per consequens carent vera iustitia, & sanctitate, quæ veræ solùm essentiæ innititur.

LITERAL. Carthus. 39 *Et non est fortis sicut Deus noster.* Carthus. ibi. art. 3. Videlicet, Deus Israël, qui solus est verus, atque omnipotens Deus, cuius fortitudo est independens, imparticipata, & penitus infinita.

LITERAL. Idem. 40 *Et non est fortis, sicut Deus noster.* Idem. ibi. art. 4. Qui solus potest humanæ, ac fragili creaturæ tantum conferre gratiæ robur.

LITERAL. Hugo. 41 *Et non est fortis, sicut Deus noster.* Charen. in Postilla. Quia Deus ex se, & per te, & ipso fortis est: Omnia alia ab illo non tolum fortitudinem, sed etiam esse habent.

LITERAL. Abul. 42 *Et non est fortis, sicut Deus noster.* Abul. ibid. quæst. 1. Alio modo accipitur fortitudo pro potentia; & isto modo accipitur hic, quia quanquam Deus non sit robustus, quia non est corporeus, habet tamen potentiam ad efficiendum quodcunque vult, quæ non est virtus corporis.

LITERAL. Vatab. 43 *Et non est fortis, sicut Deus noster.* Vatab. in Scholiis, qui legit *Petra*. Per petram omnipotentia Dei declaratur. Solus est potentissimus.

LITERAL. Rabbi Ionathan. Abul. 44 *Et non est fortis, sicut Deus noster.* Rabbi Ionathan. apud Abul. ibid. quæst. 34. Id est nullus de Diis Gentium habet tantum fortitudinem, vt potuisset sub isto occidere tot millia virorum; sicut occidit Deus noster. 4. Reg. 19.

LITERAL. Rabbi. Dauid. 45 *Et non est fortis, sicut Deus noster.* Rabbi Dauid Kimhi. Idcircò Deum fortem appellat, quod vi sua potuerit ipsius naturam immutare.

LITERAL. Rabbi. Leui 46 *Et non est fortis, sicut Deus noster.* Rabbi Leui. In secundis causis nihil est, quod ita res fingere, ac formare valeat, sicut Deus.

47 *Et*

LITERAL. Iansen. 47 *Et non est fortis, sicut Deus noster.* Iansenius in Paraphrasi. Ipse enim, & sanctitatem suam maximam, & fortitudinem, potentiámque summam in me egregiè declarauit.

LITERAL. Sanctius. MORAL. *Deus petra refugij.* 48 *Et non est fortis, sicut Deus noster.* Gaspar Sanctius ibi num. 10. Vbi vulgatus *Fortis.* Hebraice est צור *Sur*, quæ vox Petram significat, saxum, rupem, quæ miseris refugium præbent. Quæ vox Dei fortitudinem, & illius opportunitatibus auxilium perbellè significat; vt enim scopulus in medio maris à fluctibus allidirur, & à ventis vndequaque concutitur, neque tamen conuellitur, aut nutat, præbétque naufragantibus commune perfugium: sic etiam Deus multò magis tutus est ab omni tempestatis iniuria, nec vllum, qui ad illum verè appellere voluerit, à sua clementia, & protectione repellit.

MORAL. Author Catenæ. *Deus Petra.* Chrysost. Psalm. 17. 2. Reg. 22. 49 *Et non est fortis, sicut Deus noster.* Autor Catenæ. In Hebræo est. Et non est צור *Petra.* Piscis est, qui, vt historiæ naturalis Autores referunt, imminentem præsagiens tempestatem calculo ori admoto se se aggrauat, ne rapidis fluctibus hinc inde facilè trahatur. Anna ergo contra Phenennæ domesticam tempestatem, sic enim eam vocat Chrysost. hom. de Anna tom. 1. Petram, quæ Christus est, ori suo admouet, quâ firmiter solidata: *Non est*, inquit, *petra sicut Deus noster*, Dauid autem Psalm. 17. *Dominus petra mea, & robur meum, & Saluator meus*, 2. Regum 22.

LITERAL. Rupert. 50 *Et non est fortis, sicut Deus noster.* Rupert. supra. Nempe alij falsò sunt fortes, de quibus in Psalm. 58. Prophetæ: *Et irruerunt*, inquit, *in me fortes.* Hic verè fortis, & vera humilium fortitudo.

VERSVS III.

VVlgata. Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes; recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est: & ipsi præparantur cogitationes.

Benedictina in margine. Nolite multiplicare, *verba, vt loquamini magnifica.* Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi *diriguntur conatus.*

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Ne multiplicetis loquamini altum altum: egrediatur verus ex ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus, & non directa sunt opera.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Ne sitis multi in loquendo magnifica, ac superba: Cesset asperior sermo ex ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, & conatus eius perficiuntur.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Non multiplicabitis ad loquendum, magnalia, magnalia: non exibunt blasphemiæ ex ore vestro; quoniam Deus nouit omnia. Dominus super omne factum, suum extendens iudicium; etiam vobis futurus ad retribuendum vltionem culparum vestrarum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Non gloriemini, vt loquamini sublimia in excelsum: & non egrediatur magniloquentia ex ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus, & Deus præparans adinuentiones suas.

Sixtin. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Nolite gloriari, & nolite loqui excelsa: Non procedat magniloquentia de ore vestro; quoniam Deus scientiarum Dominus, & Deus præparans adinuentiones suas.

Pagn. *Pagninus in margine.* Ne multiplicetis, vt loquamini valdè sublime verbum. Egrediatur vetus verbum ex ore vestro; quia Deus scientiarum Dominus, & ipsi directa sunt opera.

Vatab. *Vatablus in Scholiis.* Ne multiplicetis vt loquamini sublime sublime: neque egrediatur verbum arrogans ex ore vestro, quia Deus cogitationum Dominus est, & ipsi præparantur opera magnifica. *Vel*, & ipsi numerantur opera, *vel*, & non numerantur opera eius.

Augustin. *Augustinus lib. 17. de Ciuitat. Dei cap. 4. tom. 4.* Nolite gloriari superbe: & nolite loqui excelsa; neque exeat magniloquium de ore vestro: quoniam Deus scientiarum Dominus ipse, & nemo scit, quod ipse scit, & præparans adinuentiones suas, *vel*, Deus scientiarum Dominus ipse vos scit, & vbi nemo scit.

Origen. *Origen. hom. vnica de Elcana.* Nolite multiplicare loqui excelsa: Non exeat magniloquium de ore vestro, quia fortis scientiarum Dominus, & non emendauerunt excusantes.

Idem. *Idem lib. 1. in Iob.* Nolite loqui superba in superbia, &c.

Cyprian. *Cyprianus lib. 3. Testim.* Nolite gloriari, neque loquamini elata, & non procedat magniloquentia ex ore vestro. *Sic etiam Eusebius ad Marinum, &* Eusebius. *Diodorus Tarsensis.* Diodor.

Theod. *Theodoretus in sua Catena.* Ne gloriemini, & ne loquamini sublimia ad fastum; Neque exeat magniloquentia ex ore vestro, quoniam Deus cogitationum Dominus est, & Deus præparans exercitationes suas.

Simmachus. *Simmachus.* Et non sunt apud eum prætextus, & excusationes. *Pro* & ipsi præparantur, &c.

Codex Flaminius. *Manuscriptus apud Scholiastem Sixtiana.* Nolite loqui excelsa, eminentia; quia Deus scientiæ Dominus.

Angelom. *Angelom. in Stromat.* Quia ipse est scientiarum Dominus, & ipsi necesse est vt præparentur bonæ cogitationes.

Eutimius. *Eutimius ibi.* Et nolite loqui sublimia ad excellentiam, &c. Et Deus præparans studia sua.

Caietan. *Caietanus ibi ex Hebræo.* Non multiplicabitis loquimini celsitudinem, celsitudinem, exibit vetustas, *vel*, exibit fortitudo de ore vestro, quia est scientiarum Iehouah, & non fuerunt directa opera.

Tygurina. *Tygurina.* Et conatus eius perficiuntur.

Isidor. *Isidor. Clarius.* Loqui valdè sublimia.

PP. ET AVCTORES.

TROPOL. Origen. *Excelsa loqui quando.* 1 *Nolite multiplicare loqui sublimia.* Origen. hom. vnica de Elcana. Cur non dixit: Nolite loqui excelsa? Ergo licet mihi aliqua loqui excelsa: multiplicare autem excelsa, & ardua non mihi licet. Hoc enim videtur designari per id quod dictum est: *nolite multiplicare, &c.* Respicienti quippe ad imbecillitatem conditionis humanæ sufficiat tibi ea de excelsis & arduis, vel, inquisisse, vel, proloqui, quæ vitam, vel, inquirentibus, vel loquentibus tribuant. Nolite ergo multiplicare loqui excelsa nisi de Patre, & Filio, & Spiritu sancto.

MORAL. Idem. 2 *Nolite multiplicare.* Idem in librum Iob. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

1.Pet.5. *tiam.* 1.Pet.5. his similiter etiam Anna Mater Samuelis dicit: *Nolite loqui superba in superbia, & non exeat magniloquium ex ore vestro.* Sed horum immemor Diabolus,& alios docuit, & ipse magna locutus dixit: *circuiui totam terram, quæ sub cælo est.* Iob.1.

Iob.1.

Mystic. Augusti. 3 *Nolite multiplicare, &c.* Augustin. lib.17. de Ciuit.Dei cap.4. tom.4. Hæc dicuntur aduersariis Ciuitatis Dei ad Babyloniam pertinentibus, de sua virtute præsumentibus, in se non in Domino gloriantibus; ex quibus sunt etiam carnales Israelitæ terrenæ Hierusalem Ciues terrigenæ, qui vt dicit Apostol. *Ignorantes Dei iustitiam*: id est, quam dat hominibus Deus, qui solus est iustus, & iustificans, & suam volentes constituere, id est, velut à se sibi paratam non ab illo impetitiam iustitiæ Dei non sunt subiecti.

Tropol. Idem. *Non alta sapere.* 4 *Nolite multiplicare, &c.* Idem serm. 15. ad Fratres in Eremo tom.10. aut illius operis Autor. Nolite multiplicare loqui sublimia de Dei omnipotentia: de vnigeniti eius coæternitate: de sancti Spiritus magnificentia,ô Fratres mei,& lætitia cordis mei.Si volumus scire quantum pater immensus sit, apprehendere non valemus. Si imaginari cupimus,quomodo filius coæternus sit, & consubstantialis, mens humana omnis naturalis succumbit.Si significare desideramus qualis Spiritus sanctus omnia continet,& non continetur,omnis humana ratio deficit. Ideò hæc omnia discutere non curemus. Quærite tantum quomodo præcepta Dei seruare possitis: quomodo Diabolum in Eremo superare debeatis: quomodo patientiam, quam Christus, docuit, amplecti valeatis.

Mystic. Gregor. 5 *Nolite multiplicare loqui.*Gregor.1.variarum c.2.p.1.comment. Quasi dicat, dum incomparabiliter noua cernitis, gesta antiquorum reprehensibiliter effertis, quasi enim vmbra, illa præcesserant. Sed nunc palam veri fides hæc Redemptoris nostri opera venerabiliter adorant,quia quod vmbrabatur ibi in occultatione Sacramenti,in aduentu Redemptoris patuit expectasse corpus reuelandæ veritatis.

Mystic. Idem. *Nolite multiplicare loqui.* Idem ibid.lib.2.cap.1. Sublimia, & vetera Spiritus maligni loquantur, cùm alta, quæ videntur huius sæculi appetenda, fidelibus suggerunt.

Moral. Idem. 7 *Nolite multiplicare.* Idem 1. variarum cap.2. in posteriori p.commentarij. *Nolite* quia non modum locutionis prohibet,sed affectum intentionis.

Literal. Eutimius. 8 *Nolite multiplicare loqui.*Eutimius ibi.Sermo est ad Phenennam, atque ad eius cognatos, & per eos ad omnes alios, qui in felicitate aliqua constituti gloriantur.

Literal. Theod. 9 *Nolite multiplicare loqui.*Theodor.in sua Catena. Quoniam illudebatur à Phenenna:meritò inquit non glorietur Phenenna ob humanas felicitates: omnes enim res & aduersæ,& secundæ vicissitudinem recipiunt, præsertim cùm Deus voluerit.

Mystic. Rupert. 10 *Nolite multiplicare loqui.* Rupertus lib. 1. commentar. cap. 5. Multùm gloriamini, multum erigimini; multa sublimia per inanem gloriam loquimini,verbi gratia,dicentes: Pater noster Abraham est; nostrum est testamentum, nostra est legislatio,nostrum est obsequium,nostra sunt promissa, nostra est gloria, nostra est adoptio filiorum Abraham,Isaac,& Iacob, Patres nostri sunt. Nolite sic loqui, nolite sic multiplicare sublimem loquelam oris magnifici.

Mystic. Angelom. 11 *Nolite multiplicare loqui.* Angelomus in Stromat.tom.9.Bibliot.PP.editionis Colonien.Redarguit sancta Ecclesia Iudæos, & Sapientes huius sæculi, extollentes se contra scientiam Dei ne superbè sapiant nec prauè de Deo sentiant, sed humilia, & sapiant, & loquantur.

Literal. Charen. 12 *Nolite multiplicare loqui.* Charen.in Postilla.Inuehitur contrà inimicos,idest Phenennam,& filios eius, qui gloriantes de fœcunditate matris improperabant sterilitatem ipsi Annæ: *Nolite multiplicare*, id est multiplicare sublimes locutiones, quia, vt dixit Salomon Prouerb. 10. *multiloquio non deerit peccatum.* Pron.10.

Mystic. Beda. 13 *Nolite multiplicare loqui.* Beda lib.1.Allegor. cap.4.tom.4. Nobis imperatur loqui sublimia gloriantes,hoc est quæ sursùm sunt,sapere,& quærere,non quæ super terram:verùm *non plus sapere, quàm oportet sapere,sed sapere ad sobrietatem.*Gentilibus præcipitur loqui sublimia,Dei veri mysteria prædicando, & non multiplicare eloquia sublimia, per multa deceptorum nomina errando.

Literal. Abul. 14 *Nolite multiplicare loqui.* Abul.tibi.quæst.1. Applicatur hoc ad præcedentem literam dupliciter: vno modo referendo ad Deum,scilicet, nullus est fortis sicut Deus noster; ideò non debet aliquis multiplicare loqui sublimia. Alio modo intelligitur referendo hoc ad Annam, etiam increpando Phenennam, scilicet, quòd non loquatur aliquis sublimia, gloriando seipso, id est de bono suo; & hoc quia Deus fortis est super omnes alios, ideò potest immutare illa, in quibus homines gaudent, & tristantur.

Histor. Philo. 15 *Nolite multiplicare loqui sublimia.* Pseudophilo in Antiq. Bibl. Nolite festinare magna eloqui; nec eiicere de ore vestro verba alta; sed delectamini in gloriationem; tum enim exiet lumen ex quo nascetur sapientia,vt qui non possident plurima, dicantur diuites, sed quæ peperunt in abundantia, matres audient.

Literal. Rabbi Ionatham. Abul. 16 *Nolite multiplicare loqui.* Rabbi Ionathan, apud Abul. ibi q. 44. Cognouit Anna prophetice, quòd Nabuchodonosor Rex Babylonis destructurus erat ciuitatem Hierusalem, & templum, & captiuaturus Iudæos,de quo maximè gloriabatur,putans, quòd omnia veniebant propter fortitudinem suam; de quo redarguit eum Anna hic dicens: *nolite multiplicare loqui, &c.*

Literal. Vatab. 17 *Nolite multiplicare loqui.*Vatablus in Scholiis.Hebraismus: *Ne multiplicetis, vt loquamini sublime,sublime,*subaudi *verbum,*idest,ne posthac loquamini superba contra Deum quod non sit omnipotens.

Literal. Interlin. 18 *Nolite multiplicare loqui.* Interlin.ibi.Nolite loqui altiora capacitatem intellectus transcendentia.

Mystic. Glos. Ord. 19 *Nolite multiplicare loqui, &c.* Glossa Ordinaria ibi. Idest, loqui superba contra Christum, & Ecclesiam.

Literal. Caietan. 20 *Nolite multiplicare loqui.* Caietan.ibi. Nam & Phenenna multiplicabat quotannis verba celsitudinis propriæ, & filij huius sæculi multiplicauerunt ac multiplicant verba propriæ celsitudinis.

Mystic. Ricard. *Maria humilis.* Psalm.11. 21 *Nolite multiplicare loqui.* Richardus Laurentinus lib.4.de laudibus Mariæ Virginis.Gracilitas vocis,humilitas sermonis.Non enim Maria fuit de illis,qui dicunt,*labia nostra à nobis sunt.*Ps.11. nec illis, quibus dicitur 1.Reg.2. *Nolite, &c.*

Mystic. Ricard. 22 *Nolite multiplicare loqui sublimia.* Idem lib.12. *Mulier sensata, & tacita.* Ecclesiast.26. & suo exemplo in suis imitatoribus restringit supra dictum, quasi dicat. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.*

Mystic. Idem. 23 *Nolite multiplicare loqui.* Idem ibid. *Quasi palma*

Maria superflua amputat.

palma exaltata sum. Spatulas habet Maria pro foliis, & est spata bellicum instrumentum, cuius diminutiuum spatula, quasi parua spata. Folia verba sunt: spatulæ palmæ humilia verba Mariæ, quibus quantum in se est à nobis resecat per exempla superfluitatem, & magniloquium verborum, quasi diceret: *nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.*

Moral. Titelm. *Vana gloria vitanda.*

24 *Nolite multiplicare loqui.* Franc. Titelman. ibi in Elucidatione. Superbam gloriationem meritò debet compescere consideratio fortitudinis, & omnipotentiæ Dei, cui facile est donare ei, qui non habet, id propter quod despicitur, vel auferri ei, qui habet, id in quo extollitur.

Literal. Moral. Mendoza.

25 *Nolite multiplicare loqui.* Franc. Mendoza ibi §. 1. Nexus præcedentium cum sequentibus optimus planè: cùm ex consideratione diuinæ fortitudinis seu potentiæ in præcedenti numero gloriatio humanæ felicitatis, & amplitudinis in præsenti remoueatur: cum enim Deus potentissimus sit ad naturas rerum, & fortunas humanas immutandas, nemo debet ex sua felicitate inaniter gloriari, veritus ne illa ab omnipotentia diuina facile interturbetur.

Tropol. Idem. *Reprehensio sit lenis.*

26 *Nolite multiplicare loqui.* Idem ibid. §. 6. Cur Anna non reprehendit, quòd fuerint gloriati. Sed monet ne glorientur? Ratio planè est, vt maiori in reprehendendo lenitate vteretur: monendo enim ne superbirent, leniter, & latenter reprehendebat, quod superbissent; & proinde non tam obiurgare de præterito, quàm informare de futuro videbatur.

Literal. Sanctius.

27 *Nolite multiplicare loqui.* Gaspar Sanctius num. 12. Hic obseruandus nouus loquendi modus, qui in Scriptura sacra infrequens non est, vbi Verbum pro Aduerbio sumitur, aut certè per aduerbium explicandum est, vt *Magnificauit facere*, pro, *Magnificè fecit.* Sic nunc *multiplicare loqui* idem est, ac iterum ampliùs, aut sæpius loqui.

Literal. Agellius.

28 *Nolite multiplicare loqui.* Antonius Agellius in expolit. Septuaginta verterunt, *ne exeat magniloquentia de ore vestro.* Ne magni, & superba pleno ore iactetis, neque alios contemnendo vos laudetis, & efferatis; nam Hebraico sermone eiusmodi verba iactantiæ, tumorisque plena, vetera dicuntur: cùm etiam in Psalm. 30. sic dictum sit in Hebræo; *Qui loquuntur aduersum iustum vetera in superbia, & abusione.*

Literal. Author Catenæ. Moral. *Reprehensio lenis. Prædicator sit piscator non venator.* Matth. 4.

29 *Nolite multiplicare loqui.* Autor Catenæ. Vt superiùs vnam Phenennam pluraliter per Sylepsim inimicos dixerat; sic etiam modò sub plurium nomine in eandem leniter inuehitur, & confuso sub pluralitate obiecto reprehensionis acerbitatem temperauit. Cuius benè uolum, prudensque consilium à Prædicatoribus obseruari pulchrum, sanumque erit, vt perstringatur culpa, verecundia autem non opprimatur. Hinc enim Christus Dominus suis Discipulis, *faciam*, inquit, *vos fieri piscatores hominum.* Matth. 4. Piscator vtique nullum determinatè piscem captare conatur, confusè enim rete committit aquis: secùs autem venator in prædam singulariter, & determinate fertur. Euangelicus ergo concionator piscatorem non venatorem agat.

Literal. Hieron.

30 *Recedant vetera de ore vestro.* Hiero. vel potius Autor traditionum Hebraicarum tom. 3. In Hebræo ita habetur. *Exeant vetera de ore vestro.* Et est sensus: exeant humilia de ore vestro, de quo antea grandia, & superbia exibant, quibus verbis Phenennam, & filios eius increpat, qui ob fœcunditatem sibi concessam, contra Annam eleuabantur.

Mystic. Gregor.

31 *Recedant vetera de ore vestro.* Gregor. supra. Tale est ac si dicat: Dignum est, vt ab eorum narratione fileas, quorum nouos, & splendidos sensus ignoras, quæ nimirum, etsi subtiliter intelligis, tumorem arrogantiæ tibi præstare non debent; quia *Deus scientiarum Dominus est.* Vetera loquitur, qui postpositis sacræ Scripturæ eloquiis, sæcularibus verbis occupatur.

Literal. Rupert.

32 *Recedant vetera de ore vestro.* Rupert. suprà. Hæc sublimia, quæ vox adhuc multiplicastis loqui, vetera sunt, iam inueterauerunt, & nouis superuenientibus proiicienda sunt.

Literal. Clarius.

33 *Recedant vetera de ore vestro.* Isidor. Clarius in Commentario. Videtur Spiritus sanctus altiùs extulisse huius mentem, & os, vt Christi aduentum ex Dauide nascituri subindicaret. Noua est hæc excogitatio, nec ante nota hominibus.

Moral. Carthus.

34 *Recedant vetera de ore vestro.* Carthus. ibi art. 4. Idest omnia verba inordinata vitiosa, illicita, deinceps vitate. *Si quis loquitur quasi sermones Dei, sermo vester semper in gratia sit sale conditus.*

Literal. Idem.

35 *Recedant vetera de ore vestro.* Idem ibid. art. 3. Idest à verbis iniquis & solitis, pungitiuis, derisoriis contra me sæpe prolatis, cessate: *quia Deus scientiarum Dominus est*, idest, ipse in seipso sapientissimus, & dator, ac Dominus omnis sapientiæ. Ideò omnia ei constant, & superborum verba vitiosa detestatur, & punit.

Moral. Bonauent. *Vana Philosophia.*

36 *Recedant vetera de ore vestro.* Bonauentura serm. 1. Dominicæ quartæ post Epiphaniam tom. 3. editionis Moguntinæ. Vetera sophisticæ narrationis, & philosophicæ argumentationis, quasi nullius valoris recedant de ore vestro; non quòd, non debeatis de philosophia loqui: sed non debetis ei inniti, quia Dominus Iesvs Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, est Deus scientiarum, cognoscens omnia nouissima, & antiqua, & *ipsi præparantur cogitationes*, vt dirigantur in via veritatis, & iustitiæ, secundùm dictamen rectæ rationis non sophisticæ.

Literal. Idacius. *Oculi Dei quàm lucidi.*

37 *Recedant vetera de ore vestro.* Idacius Clarus lib. 3. contra Varimundum tom. 3. Bib. PP. Parisiensis 1575. oculi Domini multò amplius lucidiores sunt Sole: conspiciunt omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentur, & absconditas partes, vt in Reg. *Recedant vetera de ore vestro, quoniam scientiarum Dominus est.*

Literal. Abul.

38 *Recedant vetera de ore vestro.* Abul. ibi q. 1. Potest exponi ista litera in laudem Dei; scilicet, *recedant vetera de ore vestro*, idest laudes veteres. Consueuerant enim homines ab antiquo laudare Deos, quos sibi fixerant, & de istis dicit Anna, quòd vetera, idest laudes istorum recedant de ore humano, quia postquam Deus Israël cognitus est, vt Deus verus, ipse apparet dignus omni laude, alij autem dij nequaquam.

Literal. Idem.

39 *Recedant vetera de ore vestro.* Idem ibidem quæst. 32. In Hebræo est nomen æquiuocum ad pinguedinem, & ad vetustatem, hìc sic potest intelligi. Recedant de ore vestro vetera vel pinguia: vocantur enim pinguia illa verba, quæ pertinent ad magnam delectationem.

Literal. Charen.

40 *Recedant vetera de ore vestro.* Charen. in Postilla. Idest antiqua opprobria, quia sublata est causa improperij, idest, sterilitatis.

41 *Recedite*

LITERAL. Marian. 41 *Recedant vetera de ore vestro.* Ioannes Mariana in Scholiis. Vox Hebræa, & vetus significat, & durum. Nec vetera, quæ solebatis verba loquamini: aut ne dura, sed benigna.

LITERAL. Author Catenæ. *Phœnenna qualis furor. Prophetæ Dij Volantur.* 42 *Recedant vetera de ore vestro.* Author Catenæ. Chaldæus habet: *non exibunt blasphemia de ore vestro*: quia fortasse, non solùm in Annam æmula vacabatur; sed & furore inuidiæ percita etiam in Deum detonabat. Anna verò suas omittens, diuinas tantum iniurias vindicat. Probra etiam in Dei seruos blasphemiæ nuncupantur; non solùm quia vt proprias, Deus æstimat; sed quia & Dei serui Dij sunt. *Ego* inquit Regius vates, *Dixi, Dij estis vos, & filij excelsi omnes.* Sed de Prophetis speciali titulo Deitas, seu diuinitas prædicatur. *Annunciate quæ ventura sunt, & sciemus, quia Dij estis vos.* Vbi ergo Anna propheticum hoc canticum proclamat, æmulæ in se conuicia rectè blasphemias appellat, vtpote cuomitas in illustrem Prophetissam.

Psal. 21. 6.

Isa. 41. 23.

MORAL. Greg. 43 *Quia Deus scientiarum Dominus est.* Gregor. suprà. Audiat itaque sciens & arrogans, quia non ipse scientiarum Dominus est, sed Deus. Nam rectè glorians diceret si eius, qua tumeret scientia, non omnipotens Deus, sed ipse Dominus extitisset.

MORAL. Bernard. 44 *Quia Deus scientiarum Dominus est.* Bernard. serm. 13. in Cantica. Origo fontium & fluminum omnium mare est, virtutum, & scientiarum Dominus IESVS Christus. Qui enim Dominus virtutum, nisi ipse est Rex gloriæ? Sed & iuxta Annæ Canticum idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Continentia carnis cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solùm autem, sed & si quis valet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est, inde scientiæ, inde sapientiæ sermo, thesauri siquidem sapientiæ, & scientiæ ibi omnes abscónditi sunt.

MYSTIC. Angelom. 45 *Quia Deus scientiarum Dominus est.* Angelom. suprà. Quia Iudæi gloriantes in lege altiora se quærentes, & nescientes, quia Deus est scientiarum, & arbiter conscientiarum; & carnaliter sapientes ita agere despexerunt à fastu suæ superbiæ, corruentes humiliati sunt.

LITERAL. Vatab. 46 *Quia Deus scientiarum Dominus est.* Vatab. supra Scientiarum, vel cogitationum, idest omnia nouit opera, & cogitationes hominum.

LITERAL. Caiet. 47 *Quia Deus scientiarum Dominus est.* Caietan. suprà. Ratio redditur vitandæ iactantiæ vtriusque, quia fons essendi est, *El* scientiarum, hoc est, summè, fortis ad dirigendum, & faciendum omnia quæ sciri possunt. Vel est *El* scientiarum hoc est fortitudine propria superat omnes scientias; & est sermo de scientiis practicis hoc est de ratione rerum agendarum.

LITERAL. Kimhi. 48 *Quia Deus scientiarum Dominus.* Rabbi Kimhi. Deus scientiarum numero multitudinis, vt Deum sapientissimum esse intelligamus, vt qui particularia omnia intueatur.

LITERAL. Valentia. 49 *Quia Deus scientiarum Dominus est.* Iacobus de Valentia ibi. Quasi dicat nemo eleuetur in superbiam in prosperis, quia nescit casus futuros nisi solus Deus.

LITERAL. Pineda. 50 *Quia Deus scientiarum Dominus est. &c.* Ioan. Pineda. tom. 1. in Iob. c. 5. v. 12. num. 3. Firmantur, confirmantur, stabiliuntur, firmæ, stabiles, efficaces sunt illius cogitationes.

LITERAL. Daca. 51 *Quia Deus scientiarum Dominus est.* Didacus Daca in epist. Iacobi cap. 1. v. 17. §. 3. num. 34. Nomen substantiuum casu pluali gignendi Hebræis pro adiectiuo nomine esse solet; vt Daniel. 2. *Vir desideriorum es tu*, &c. *Deus scientiarum Dominus est*, id est Deus sciens, & intelligens.

TROPOL. Sanctius. *Modestia in prosperis.* 52 *Quia Deus scientiarum Dominus est.* Gaspar Sanctius ibi num. 14. in omnibus fortuna considerandum est, non quid præsens ferat status, aut quod sit hominum de nostro statu, ac conditione iudicium; sed quid Deus de nobis, aut videat, aut cogitet.

LITERAL. Agel. 53 *Quia Deus scientiarum Dominus est.* Agellus in Commentario. Sicut dicitur Deus vltionum, quia vlciscitur; & Deus retributionum, quia retribuit, & Deus Saluatarium, quia saluat; item dicitur Deus scientiarum, non quasi alienarum, sed quia ipse scit omnia; & nihil eum latet: hæc que prima inter Dei conditiones recensetur.

LITERAL. Aug. 54 *Et ipsi præparantur cogitationes* Aug. supra, & *præparans adinuentiones suas.* Quas adinuentiones putamus nisi vt superbi cadant, & humiles surgant?

LITERAL. Greg. 55 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Gregor. ibi. Quasi dicat, quem blasphemare non metuis non solum linguæ habebis iudicem, sed & cordis, Vnde & per Isaiam comminatur dicens: *Ego opera, & cogitationes eorum venio, vt congregem.* Isaiæ 56.

Isai. 56.

LITERAL. Gregor. 56 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Idem ibidem. Quasi à minore culpa subintellecta comparatione nos terreat dicens; hinc otiosa loquentes cogitent quantum metuere culpam locutionis debeant, si is cui loquendo delinquitur, etiam cogitationum excessus ad iudicij sui examen seruat.

LITERAL. Eutimi. 57 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Eutimius ibi. Sibi ipsi dispensationes præparat, vel præparat consilia sua: quænam autem hæc sint, audi. *Arcus fortium infirmatus est &c.*

MORAL. Rupert. 58 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Rupertus suprà. Subauditur sensatæ nam è contrario à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu ille auferet se. Ipsi Deo scientiarum Domino cogitationes præparantur pro munere. Si vis ab illo promereri, vel impetrare scientiæ donum, non multæ oblationes arietum, & taurorum, sed sanctæ cogitationes, eius rei præparatoriæ sunt.

MORAL. Charen. 59 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Charen. in Postilla. Omnes & omnium tam bonæ, quàm malæ, *Dominus enim nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.*

LITERAL. Interl. 60 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Interlinealis ibi. Idest intentio Iudæorum; vel disciplina philosophorum, qua de se præsumebant, & fidei simplicitate deridebant.

LITERAL. Carthus. 61 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Carthus. ibi. hoc est ei ostenduntur, ac innotescunt ad iudicandum.

LITERAL. Vatab. 62 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Vatab. in Scholiis. Hebraismus: ipsi præparantur idest ordine fiunt ab eo opera magnifica; hoc est mirabilium operum est patrator.

LITERAL. Caiet. 63 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Caietan. ibi. Ratio igitur vitandæ iactantiæ humanæ integratur, & ex eo quòd Deus est El scientiarum, & ex hoc quòd directio operum non impletur secundum rationes humanas.

LITERAL. Iansen. 64 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Iansenius in Paraphrasi. Ipse solus est cuius omnes cogitationes præparantur, & diriguntur; non enim in hominis potestate est, vt quæ apud se cogitauit, præpa

præparet, dirigat, & adimpleat; sed solus Dominus est, qui quicquid cogitat, præparare potest, & perficere. Proinde Domini aduertentes tum scientiam, tum omnipotentiam, cessate à solita vestra superba gloriatione.

LITERAL. Titelma. 65 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Titelman. suprà. Hoc est ab eo præparantur cogitationes: ipse præparat cogitationes: ipse separat ad agendum quæcumque cogitauit, non aspicit quid nos iactemus gloriando, sed quæ sibi videntur bona, facit.

LITERAL. Isidor. Clarius 66 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Isidorus Clarius ibi. Ipsi cedunt cogitationes humanæ, nec sine eo perficiuntur conatus filiorum hominum.

LITERAL. Marian. 67 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Mariana in Scholiis. Ideſt ne cogitationes quidem illum latent.

LITERAL. Saa. 68 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Emanuel Saa in Scholiis, quasi dicat, Quicquid cogitabit facere, exequetur. Vel, ab ipso cogitationes hominum diriguntur.

LITERAL. Villap. 69 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Ioannes Villalpandus in Ezechiel. tom.2. part.2. hoc est: ab ipso tantum cogitationes firmantur, & ad cupitum felicem exitum perducuntur, & ideo nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, vobis ipsis fauſtos exitus promittentes absque eo, cuius ope deficiente, vanæ sunt omnes hominum cogitationes, & infelices exitus sortiuntur.

LITERAL. Idem, 70 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Idem ibidem cap.28. parte 1. hoc est ipse eas ponderat.

LITERAL. Lorin. 71 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Lorin. tom.1. Psal.39. vers.6. Quæ cogitat, ac veluti studia eius perficit, quod sæpe homines non possunt. Vel horum cogitationes studiaue in numerato habet, nouit corda omnia, vana, astutaque consilia.

LITERAL. Santius. 72 *Et ipsi præparantur cogitationes* ibi n. 14. Hæc erit huius loci accommodata sententia. Videant homines quid faciant aut cogitent, quia omnia Deus expendet, & numerat, qui spirituum ponderator est, neque quidquam relinquit impunitum.

LITERAL. Mendoza. 73 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Francisc. Mendoza ibi. §.46. Hoc est in eius laudem diriguntur.

LITERAL. Agel. 74 *Et ipsi præparantur cogitationes.* Agelli. ibi. Ipse solus quæ cogitauit, etiam perficit; cùm in hominibus sæpe numero cogitatis facta minimè respondeant, sed à Deo irritentur. Ipse solus hoc habet, vt quod cogitauit, opere compleat.

VERSVS IV.

Vulgata. *Vulgata.* Arcus fortium superatus est; & infirmi accincti sunt robore.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Arcus fortes confracti sunt; & vacillantes accincti sunt robore.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Arcus fortium contritus, & qui impingebant accinxerunt robur.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedic. Ariasm. in Regia.* Arcus virorum confringetur: & qui fuerunt debiles, factæ sunt eis virilitates.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Arcus potentium infirmauit, & infirmi accincti sunt robore.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Arcus potentium infirmatus est, & infirmi accincti sunt virtute.

Pagn. *Pagninus in margine.* Arcus & fortes confracti sunt, & debiles accincti sunt robore.

Cyprian. *Cyprian. lib.3. Testimon.* Inualidus factus est arcus.

Origen *Origen.hom. de Elcana.* Et infirmi accincti sunt fortitudine.

August. *Augustinus lib.17. de Ciuit. Dei cap.4.* Arcum potentium fecit infirmum & infirmi præcincti sunt virtute. *Vel*, arcus potentium infirmatus est, & infirmi præcincti sunt virtute.

Eutim. *Eutimius ibi.* Arcum potentium debilitauit, & debiles accincti sunt robore.

Caiet. *Caietan ibi.* Arcus fortium fracti, & qui cæspitabant accincti sunt robur.

Mendoza. *Francis. Mendoza* ibi. §.17. In Hebræo habetur: qui cadebant, seu, qui vacillabant, seu, qui pedibus debilitabantur.

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Origen. 1 *Arcus fortium superatus est.* Origen. hom. vnica de Elcana. Iacula maligni, quæ dicuntur ignita, per arcum potentium emittuntur. Potentes autem virtutes dicuntur aduersæ, de quibus dicitur, *Quia ecce peccatores intenderunt arcum, & in ipso paranerunt vasa mortis*: Sed & nunc dicitur, *quia arcus potentium infirmatus est*: si enim tu indutus sis armis Dei, si scuto fidei sis munitus, si galea salutis obtutus, & lorica charitatis, & gladio spiritus accinctus, arcus contra te potentium pro munimentis talibus infirmatur.

MORAL. Cyprian. 2 *Arcus fortium superatus est.* Cyprian. lib.3. Testimon. ad Quirinum. In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. In Βασιλείων primo. *Inualidus factus est arcus potentium, & infirmi accincti sunt virtute.*

MYSTIC. LITERAL. Hieron. 3 *Arcus fortium superatus est.* Hieron. seu Author Traditionum Hebraicarum. Arcus Ægiptiorum, ideſt fortitudo, potentia superata est, & infirmi scilicet Israelitæ confortati sunt. Aliter: *Arcus*, ideſt, superbia, & fortitudo Phenennæ, quæ in filiis gloriabatur, superata est, de Anna, quæ obsterilitatem infirma erat, accincta est robore filiorum.

LITERAL. August. 4 *Arcus fortium superatus est.* August. lib.17. de Ciuitate Dei cap.4. tom.4. *infirmatus est arcus*: ideſt, Intentio eorum, qui tam potentes sibi videntur, vt sine Dei dono, atque adiutorio, humanâ sufficientiâ diuina possint implere mandata: & præcinguntur virtute, quorum interna vox est, *miserere mei Domine quoniam infirmus sum.* Psal.6.

MYSTIC. Gregor. 5 *Arcus fortium superatus est.* Gregor. lib.1. variarum Enarrat. cap.2. priori parte Commentarij. Quis est ille arcus fortium nisi fraudulenta scientia Iudæorum? Ex consulto quippe, quasi ex arcu Redemptori vulnus inflixerant, quem Gentium manibus occidebant. Sed superatus est arcus fortium; quia qui eorum vulnere obiit, à mortuis resurrexit, in cælum ascendit, promissum Spiritum sanctum discipulis misit.

Arcus quid?

Psal.6.

6 *Arcus*

Mystic. Moral. Idem.

6 *Arcus fortium superatus est.* Idem ibidem lib.2. cap.2. in posteriori Commentario. Iam in Allogorica expositione diximus quia immundi Spiritus horum fortium appellatione designantur, qui nimirum, quia à cælesti gloria superbiendo, ceciderunt, aptè elatis Doctoribus ad terrorem proponuntur, vt de se tantùm iam humiliter sentiant, quanto etiam Angelos à superna gloria lapsos per appetitum vanæ gloriæ contemplantur.

Mystic. Theod.

7 *Arcus fortium superatus est.* Theodoret. in sua Catena. Omnia hæc contraria prædicta sunt in Ecclesiam Gentium, & Iudæorum Synagogam, conuerso rerum statu, & gratiâ ad Gentes translatâ; ex quo dixerunt Discipuli Iudæis non credentibus. *Ecce conuertimur ad gentes.*

Act.18.

Literal. Rupert.

8 *Arcus fortium superatus est.* Rupert. lib.5. Commentar. cap.5. Hoc non semel factum est, quando fortitudo, vel potentia Ægygptiorum superata est, & Israëlitæ confortati sunt. Vtique tunc arcus fortium superatus, & infirmi accincti sunt robore: ita & nunc: arcus enim idest superbia, & fortitudo Phenennæ, qua in filiis gloriabatur, superata est; & ego, quæ ob sterilitatem infirmata eram, accincta sum robore filiorum.

Literal. Angeloin.

9 *Arcus fortium superatus est.* Angelom. in Strom. Arcus nomine in sacro eloquio aliquando dies iudicij, iuxta quod per Psalmistam dicitur: *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.* Psal.59. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Aliquando verò sacra eloquia designantur; sicut per eundem Prophetam dicitur: *Arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit Vasa mortis.* Aliquando autem malorum insidiæ, & intentiones figurantur peruersorum, sicut in Psal.36. legimus: *Intenderunt arcum, rem amaram.*

Psal.59.

Psal.36.

Mystic. Angeloin.

10 *Arcus fortium superatus est.* Idem ibidem. Idest intentio Iudæorum peruersa qua prauè senserunt ex veteri testamento prolata, in nouo infirmata est, quia ex hoc, quod carnaliter in lege gloriati sunt, & ea quodammodo defendere superbe voluerunt, infirmati sunt, & malum quod de pharetra sui liuoris intendere voluerunt in ipso versum est, iuxta quod alibi Scriptum est; *Conuersi sunt in arcum pranum.* Psal.77. Arcus enim à quo intenditur, quia prauitas malignæ intentionis, quam de pharetra sui liuoris exercere Iudaica perfidia voluit, in eam conuersa est; quia sua malitia infidelitatis damnata extitit, & gratiam fortitudinis, qua gloriabatur posse sine adiutorio diuino, humanâ sufficientiâ legem implere, amisit, & eandem gratiam valetudinis credentes ex Gentibus, qui priùs infirmi videbantur esse, domino largiente perceperunt.

Literal. Eutim.

11 *Arcus fortium superatus est.* Eutimi. ibi per arcum, vires, seu arma intelligit. In vniuersum autem, orationem suam profert: quamplurimis enim conueniunt hæc verba: Deinde magis peculiarem addit sermonem, dicens; *Repleti primum pro panibus se locauerunt.*

Mystic. Beda.

12 *Arcus fortium superatus est.* Beda. lib.1. Expos. Allegor. cap.4. Intentio superba Iudæorum, quia semper opera legis sanare posse præsumebant, defecit. Exercitium artis dialecticæ, & quasi circumflexa ad deridendum fidei simplicitatem philosophiæ, sæcularis Ioquacitas eneruata est. Cuncta postremo malignorum Spirituum iacula ignita inuictæ veritatis sunt armis obtusa.

Literal. Isidor.

13 *Arcus fortium superatus est.* Isidorus Hispal. in Quæstionibus ad libros Regum cap.1. Nisi fortè quis dicat nihil Annam prophetasse, sed Deum tantummodo propter filium impetratum exultante prædicatione laudasse. Quid ergo sibi vult, quod ait: *Arcum potentium fecit infirmum, & infirmi accincti sunt virtute?*

Mystic. Bonauen.

14 *Arcus fortium superatus est.* Bonauentura serm.1. in Dominica 4. Quadragesimæ tom.3. Arcus fortium idest Dæmonum, multum enim mittuntur Dæmones, cum isto arcu diffidentiæ & desperationis sagittare timidos, & imbecilles homines. Sed quando superatus est arcus ille per considerationem diuinæ benignitatis, quæ parcit faciliter; infirmi resumunt vires, & accinguntur robore confidentiæ.

Mystic. Glossa.

15 *Arcus fortium superatus est.* Glossa Ordinaria ibi. Idest scientia Scribarum Pharisæorum.

Literal. Lira.

16 *Arcus fortium superatus est.* Lira. ibi. Arcum fortium vocat linguam Phenennæ, & filiorum eius, ex qua procedebant verba pungitiua, quasi sagittæ.

Literal. Abul.

17 *Arcus fortium superatus est.* Abul. ibi. quæst.1. Conueniens transumptio, quia arcus est genus armaturæ ad feriendum, sic enim fœcunditas erat Phenennæ occasio affligendi Annam: nam cùm ipsa nimis fœcunda esset, & Anna sterilis, exprobrabat nimis Annæ infœcunditatem, ex hac parte eam feriens.

Literal. Idem.

18 *Arcus fortium superatus est.* Idem ibidem, quæst.32. Arcus ipsorum vocantur verba dura, & pungitiua, quibus fatigabant Annam ducentes vitam in amaritudinem.

Literal. Rabbi. Ionath.

19 *Arcus fortium superatus est.* Rabbi Ionathan apud Abul. quæst.34. Idest Græci debellati sunt, qui confidebant in fortitudine sua. De his cognouit Anna, quod per Mathatiam, & filios eius Machabæos destruendi erant. Omnes etiam illi Reges, qui tunc afflixerunt Iudæos erant de stirpe Græcorum.

Mystic. Lauret.

20 *Arcus fortium superatus est.* Hieron. Lauret. in Sylua Allegor. verbo *arcus* Arcus mendacij, & dolosus, sunt insidiæ hæreticorum, & ora, vel potentia verbositatis eorum, 1. Regum 2. Arcus est etiam fortium superbia Dæmonum; & graues eorum tentationes & insidiæ, quibus animas subuertere nituntur.

Literal. Caiet.

21 *Arcus fortium superatus est.* Caiet. ibi Hebræo more ab vltimo inchoatur. Declaratur siquidem hoc vltimum, videlicet, *Et non fuerunt directa opera*, tripliciter. Primo quoad opera roboris corporalis dicendo: *Arcus fortium fracti, & qui cæspitabant accincti sunt robur.* Perpende in istis non fuisse euentum secundùm rationes humanas, sed potius contrarium, nam arcui fortium secundùm humanam rationem non respondet fractio: & cæspitantibus non respondet robur.

Literal. Ianſen.

22 *Arcus fortium superatus est.* Cornel. Iansen. in Paraphrasi. Ipsius tanta est omnipotentia, vt ipso volente omnia pro arbitrio eius contra hominum expectationem commutentur; per ipsum enim frequenter factum est, vt qui arcubus, aliisque armis bellicis fortes fuerunt, & insuperabiles videbantur, superati sunt: & contra, vt qui impotentes reputabantur, & erant, fortitudine accincti sint, fortes à Deo facti ad gerenda feliciter grauissima bella.

Literal. Titel.

23 *Arcus fortium superatus est.* Titel. in Elucidatione. Facit ipse cum sibi visum fuerit commutationes admodum mirabiles, efficiens non rarò, vt forte confidentes in arcubus, sagittis, hostis, & armis

armis bellicis superentur; itavt illis nihil prodesse possint arma bellica, in quibus confidebant.

LITERAL. Serari. 24 *Arcus fortium superatus est.* Serarius ibid. Hebraicè Arcus est numero singulari, generis fœminei, *at confracti sunt*, pluralis num. & generis masculini.

LITERAL. Carth. 25 *Arcus fortium superatus est.* Carth. ibi. art. 3. Id est armatura, & impugnatio præsumentium de propriis viribus succubuerunt, sicut & iacula Phenennæ, & prolis eius amplius mihi inferri non poterunt.

TROPOLO. Idem. 26 *Arcus fortium superatus est.* Idem ibid. art. 4. Hi qui fortes, & magnos se arbitrantur, iusto Dei iudicio permittuntur faciliter vinci omni vento tentationum, & impetu passionum, & multipliciter labi, siue dum ab aliis patiuntur aduersa, siue dum laudantur, & honorantur à proximis, quia radices humilitatis, & fundamentum timoris Dei non habent. Interdum quoque contingit deuotos, & virtuosos ex sua negligentia, periculosáve securitate, aut tentationum incursu paulatim euacuari, & cadere.

LITERAL. Vatab. 27 *Arcus fortium superatus est.* Vatab. in Scholiis. *Arcus, & fortes confracti sunt.* Quasi dicat Anna: nihil profecerunt fortibus iam, qui modò videbantur superiores, statim vincuntur; & contrà, qui prius videbantur penè victi, at superati, tandem euadunt superiores, ita volente Deo.

LITERAL. Marian. 28 *Arcus fortium superatus est.* Marian. in Scholiis. Hebraicè, *Arcus fortes* (pro & fortes) confracti sunt.

MYSTIC. Ioan. Ferd. *Apostoli fortes falli.* 29 *Arcus fortium superatus est.* Ioan. Fernand. in Thesauro verbo *Arcus.* Arcus fortium denotat humanam fortitudinem. Sic Anna Samuëlis in suo Cantico. *Arcus*, inquit, *fortium superatus est.* &c. Quod satis quadrat in Apostolos, quibus Dominus dixit, *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Mat. 10. Et tamen oues Christi mundi viceruntinuictos. Nam Petrus, & Paulus Romanas arces superarunt, & repugnante Nerone, Crucis vexillum in Capitolio fixerunt.

MYSTIC. Barradas. 30 *Arcus fortium superatus est.* Sebastianus Barradas tom. 3. in Euang. lib. 5. c. 19. Arcus Iudæorum olim fortium fractus est, robur, & fortitudo periit: Christiani verò olim ante fidem infirmi, diuino robore post fidem accincti sunt.

LITERAL. Mendoza. 31 *Arcus fortium superatus est.* Franc. Mendoza ibid. §. 10. Perinde valet atque superata est humana potentia, quæ facilè ruit nisi diuino præsidio innitatur.

LITERAL. Sanctius. 32 *Arcus fortium superatus est.* Gaspar Sanct. ib. n. 18. Exemplum adhibet primum in re bellica, in qua magnas repente fieri videmus rerum conuersiones: cùm ille, qui & viribus pollebat, & omni ad victoriam apparatu erat instructus, ab imbelli, & inermi manu superatus ignominiosè cadat.

LITERAL. Agellius. 33 *Arcus fortium superatus est.* Agellius ibid. Solent sacræ Litteræ ordine præpostero quædam loqui, vt hoc loco, pro eo quod est, fortes arcu superati sunt, dictum est, *Arcus fortium superatus est.* Sic apud Iob. cap. [illegible].

LITERAL. Author Catenæ. 34 *Arcus fortium superatus est.* Autor Catenæ. Per arcum frequenter Scriptura potentiam præcipuè bellicam designat, tanquam primum militiæ illius temporis instrumentum, cui dicendi modo alludit Anna, vt Phenennæ fastum depressum esse significet.

MYSTIC. Origen. 35 *Et infirmi accincti sunt robore.* Origen. suprà. Si videamus quoniam quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & quæ infirma sunt mundi, vt confundat fortia; intelligis quoniam infirmi accincti sunt fortitudine. Infirmus erat gentilis populus quippe qui alienus à Testamento Dei: hic adeptus est fortitudinem. Quam fortitudinem? *Fortitudo mea & laudatio mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Fortitudo ergo mea est Christus Dominus.

MYSTIC. Greg. 36 *Et infirmi accincti sunt robore.* Greg. suprà. Appellatione quidem roboris virtus ostenditur Spiritus sancti; vnde, & eundem spiritum Dominus discipulis repromittens ait; *Vos autem sedete in* LUC. vlt. *Ciuitate, donec induamini virtute ex alto;* Qui verò infirmi hoc loco, nisi Apostoli intelligendi sunt? sed infirmi profectò, cùm arcus fortium tenditur, non cum virtute ex alto vestiuntur.

ALLEG. Idem *Angeli accincti.* 37 *Et infirmi accincti sunt robore.* Idem ibid. Quia voluntariæ subiectionis merito, sancti Angeli interni amoris vinculo Conditori suo coniuncti sunt, quibus aptè accinctionis nomen cõgruit, quia accinctus quilibet, eo quo cingitur cinctorio ex omni parte retinetur; quia videlicet beatissimi illi spiritus sic sunt in æternitate solidati; ne ab ea cadere vnquam possint.

MORAL. Idem. 38 *Et infirmi accincti sunt robore.* Idem ibid. Robur infirmis impenditur, cùm subiectionis merito, mitibus infunditur virtus supernæ charitatis. Accingimur etiam cùm ad Verbi ministerium præparamur.

MYSTIC. Carthus. 39 *Et infirmi accincti sunt robore.* Carth. suprà. Id est gratia, ac virtutibus desuper confortati iuxta quod Isa. 40. scriptum est. *Qui dat lasso virtutem: & robur us, qui non sunt, multiplicat.*

MYSTIC. Rabban. 40 *Et infirmi accincti sunt robore.* Rabbanus Maurus in Glossa. Infirmus erat Gentilium populus, quando à Testamento Dei alienus; nunc autem præcinctus robore, cùm indutus scuto fidei, & galea salutis, & gladio spiritus, poterit ignea tela Diaboli extinguere.

LITERAL. Abul. 41 *Et infirmi accincti sunt robore.* Abul. ibi. q. 1. Hoc dicit Anna quia ipsa primò fuerat infirma, id est, totaliter sterilis, postea verò Deus dedit ei abundantem fœcunditatem.

HISTOR. Rabbi Ionathan. 42 *Et infirmi accincti sunt robore.* Rabbi Ionathan. apud Abul. ibid. q. 34. scilicet Judæi, qui tunc erant infirmi, confortati sunt diuino adiutorio, vt colligitur ex processu Machabæorum.

LITERAL. Caren. 43 *Et infirmi accincti sunt robore.* Caren. in Postilla. Scilicet Anna, & fautores sui.

LITERAL. Mendoza. 44 *Et infirmi accincti sunt robore.* Franc. Mendoza ibid. §. 15. Metaphora est, qua accincti robore, pro robustis, & ad bellum expeditis, quæ est in sacris Literis non infrequens.

LITERAL. Author Catenæ. *Filij fortitudo matris.* 45 *Et infirmi accincti sunt robore.* Autor Catenæ. Suscepto filio, & multiplicis alterius prolis spe, vel prophetica etiam notitia, robore se accinctam Anna prædicat: Sunt enim liberi fœminarum fortitudo, vnde inferiùs. *Et quæ multos habebat filios, infirmata est*: hoc est eisdem filiis spoliata, si Hebræorum Traditionibus habenda fides.

VERSVS V.

VULGATA. *Vulgata*, Repleti prius, pro panibus se locauerunt; & famelici saturati sunt: donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est.

Benedictina in margine. Donec sterilis peperit septem.

VERSIONES.

Hebraica ex Xan. Pagn. Saturi in fame locauerũt Pagn.

se, & famelici defierunt: donec sterilis peperit septem, & multa filiis, infirmata est.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Saturi cibo coacti sunt pro mercede seruire, & famelici cessarunt, donec sterilis peperit septem, & quæ aucta erat liberis, infirmaretur.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedic. Ariasm. in Regia.* Qui fuerunt saturi in pane, redierunt ad locandum se in pane cibi oris sui: & qui fuerunt obscuri, diuites facti sunt, & obliti sunt egestatem suam: & mulier sterilis, quæ non pepetit, futura ad implendum, & plenæ filiis finierunt.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Pleni panibus diminuti sunt, & famelici præterierunt terram: quia sterilis peperit septem; & multa in filiis, infirmata est.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Pleni panibus minorati sunt, transierunt terram: quoniam sterilis peperit septem; & multa in filiis, minorata est.

Pagn. *Pagninus in margine.* Hi qui saturati priùs fuerant, pro pane locauerunt se, & qui fuerunt famelici, defierunt famescere: donec sterilis peperit septem, & quæ multiplicabat filios, infirmata est.

Vatab. *Vatablus in Scholus.* Hebraisinus. Saturi pro pane se locauerunt, & famelici defierunt, adeò vt sterilis pepererit septem, & quæ multiplicabat liberos, infirmata sit.

Simmacus. Theod. *Simmachus, & Theodot.* Saturati panibus.

Aquila. *Aquila.* Pro panibus se locauerunt. Contriuerunt se.

Origen. *Origen. hom. de Elcana.* Saturati panibus deducti sunt ad seruitutem; esurientes, dereliquerunt vsquequo sterilis peperit septem.

Philo. *Philo Hebræus lib. de execrationibus.* Et desolata felix erit, numerosa prole.

August. *August. lib. 17. de Ciuitate Dei c. 4. tom. 5.* Pleni panibus minorati sunt, & esurientes transierunt terram, quia sterilis peperit septem, & multa in filiis infirmata est.

Comest. *Petrus Comestor in historia Scholastica.* Et quæ multos habebat filios secta est.

Caietan. *Caietanus ibi.* Vsquequo sterilis genuit septem, & multa filiorum fuit incisa.

Author Catenæ. Ambros. Hieron. Isidor. Flaminius. *Autor Catenæ.* Variè admodum hunc versiculum legunt Patres, & Interpretes. Ambros. lib. 7. comment. in Lucam cap. 11. tom. 3. *Et populosa in filiis infirmata est.* Hieron. in Cantic. *& fœcunda in filiis.* Isidor. Hispalen. *fœtosa in liberis.* Aliqui aliter. Manuscriptus Codex apud Flaminium in notis Sixtianæ. *Famelici abundantes factis sunt.* Legi etiam potest ex Hebræo *Adeo vt sterilis pareret satietatẽ.*

PP. ET AVCTORES.

Moral. Origen. 1 *Repleti priùs, pro panibus se locauerunt.* Orig. hom. de Elcana. Culpabile ostendit esse saturati panibus, quia Iacob mauducauit, & bibit, & repletus est, & incrassatus est, & recalcitrauit dilectus.

Mystic. August. Euther. 2 *Repleti priùs, pro panibus, &c.* August. lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 4. tom. 5. Qui sunt intelligendi pleni panibus? nisi iidem ipsi, quasi potentes, id est, Israelitæ, quibus credita sunt eloquia Dei. Sed in eo populo ancillæ filij minorati sunt, quo verbo, minùs quidem latinè, benè tamen expressum est, quod ex maioribus minores facti sunt: Quia in ipsis panibus, id est diuinis eloquiis, quæ Israelitæ soli tunc ex omnibus gentibus acceperunt, terrena sapiunt. Gentes autem, quibus illa lex non erat data, postea-

quam per nouum Testamentum ad eloquia illa venerunt, & mutùm eluriendo terram transierunt, quia in eis non terrena, sed cœlestia sapuerunt, & hoc velut quæreretur causa cur factum sit: *Quia sterilis*, inquit, *peperit septem, & multa in filiis infirmata est.* Hic totum, quod prophetabatur, illuxit cognoscentibus numerum septenarium, quo est vniuersa Ecclesiæ significata perfectio.

Literal. August. 3 *Repleti priùs, pro panibus.* August. ibid. Nisi quisquam fortè dicturus sit, nihil istam prophetasse mulierem; sed Deum tantummodò propter filium, quem precata impetrauit exultanti prædicatione laudasse. Quid ergo sibi vult quod ait; *Arcum potentium fecit infirmum, & infirmi præcincti sunt virtute: pleni panibus minorati sunt, & esurientes transierunt terram, quia sterilis peperit septem, & multa in filiis infirmata est?* Nunquid septem ipsa pepererat, quamuis sterilis fuerat? Vnicum habebat quando ista dicebat, sed nec postea septem peperit siue sex, quibus septimus esset ipse Samuël: sed tres mares, & duas fœminas. *Eadem verba habet Isidor. hispal. in lib. Reg. cap. 1.* Isidor.

Mystic. Gregor. 4 *Repleti priùs, pro panibus.* Gregor. lib. 1. variar. enarrat. cap. 2. 1. parte Commentarij. Repleti ergo se locauerunt pro panibus, sed famelici saturantur; quia Synagogæ filij in Scripturis sanctis, pastum fidei de futura incarnatione Redemptoris habuerunt, sed nunc proiectis illis dum Gentiles in eum veraciter credunt, diuinitatis, & humanitatis eius Sacramenta in delectationis internæ refectione suscipiunt.

Tropol. Idem. 5 *Repleti priùs, pro panibus.* Idem ibid. lib. 2. c. 1. Repleti priùs illi sunt, qui dum tumoris cibos in mentis refectione suscipiunt, delicias sanctarum virtutum, velut cibo iam pleni capere non possunt. Sed tamen pro panibus se locant, quia in Scripturis quas intelligunt iuxta magnitudinem sapientiæ se percipere spiritualia munera virtutum putant. Sed saturari nequeunt, quia repletioni arrogantiæ dona sancti Spiritus addere nequaquam possunt.

Mystic. Beda. *Repleti priùs, pro panibus.* Beda lib. 1 expos. Allegoricæ cap. 4. Iudæi prius Scripturarum pane, vino refecti, nunc ad conuiuium boni patris, qui reducem filium iuniorem gratè suscepit, intra se dissimulantes inter spirituales Ecclesiæ dapes egent, & hospites quondam testamentorum nunc gustantes vident, quoniam suauis est Dominus.

Mystic. Rupert. 7 *Repleti priùs, pro panibus.* Rupert. lib. 1. comment. cap. 5. Famelici priùs eramus nos gentes. Repleti autem, id est, saturati erant Iudæi: & constans est, quia nunc Gentiles verbo Dei per Euangelium filij eius IESV CHRISTI saturati sunt: Iudæi autem famelici sunt, solam literæ sectantes paleam, & viuificantem non habentes Spiritum.

Mystic. Theodor. 8 *Repleti priùs, pro panibus.* Theodoret. in sua Catena. Omnia hæc contraria prædicta sunt in Ecclesiam Gentium, & Iudæorum Synagogam, conuerso rerum statu, & gratiâ ad Gentes translatâ, ex quo dixerunt discipuli Iudæis: *Ecce conuertimur ad Gentes.*

Mystic. Glossa. 9 *Repleti priùs, pro panibus.* Glossa Ordinaria ibi. Id est, Sacerdotes, & Scribæ Iudæorum, qui priùs erant repleti notitia legis, & Prophetarum, ita euacuati sunt bonis spiritualibus, sicut illi, qui pro victu quotidiano seipsos locant, indigent bonis temporalibus.

Mystic. Rabban. 10 *Repleti priùs, pro panibus.* Rabbanus in Glossa. Repleti priùs Iudæi scilicet mysteriis eloquiorum pro panibus se locauerunt, id est separauerunt à Deo, vel à propriis sedibus euulserunt, ne

recipe

recìperent Euangelium, agens de pane, qui de cœlo descendit.

Mystic. Moral. Carthus. 11 *Repleti priùs, pro panibus.* Carthus. ibi art.4. Idest qui donis gratiæ abundabant, pro panibus se locauerunt, quando, vt tactum est, ad ruinam sunt deuoluti; & rursùs per pœnitentiam conantur ad pristinam redire mensuram séque humiliant, & eorum orationibus, meritis, ac doctrinis, quærunt refici, ac cibari, quibus aliquando in spiritualibus fuerant ditiores.

Literal. Rabbi Ionath. 12 *Repleti priùs, pro panibus.* Rabbi Ionathan apud Abul.quæst.34. Vidit Anna propheticè tribulationem futuram Iudæis, tempore Aman Agagitę, & filios Israel liberandos ab illa per Mardochæum, & Esther, vt patet in processu libri Esther, & per hoc dixit Anna: *Repleti priùs, pro panibus se locauerunt*, ideſt, Aman, & filij eius, & tota progenies, qui priùs fuerant repleti, ideſt abundantissimi in pecuniis, & in honore.

Literal. Charen. 13 *Repleti priùs, pro panibus.* Charen.in Postilla ideſt, mendicauerunt. Quasi dicat fœcunditas Phenennæ pro nihilo reputata est, comparatione Samuelis.

Literal. Vatab. 14 *Repleti priùs, pro panibus.* Vatab. in Scholiis. Quasi dicat, qui priùs velcebantur ad saturitatem vsque; laborauerunt inopia vsque adhuc, vt pro victu habendo locauerint operam suam.

Literal. Mendoza. 15 *Repleti priùs, pro panibus.* Franc. Mend. ibi.§.1. Eadem est sententia, quæ superior, sed in diuersa materia: quæ tripliciter exponi potest 1. Anagogicè de pane temporalis, & æternæ vitæ. Nam qui in præsenti vita temporalibus deliciis saturantur, in futura à cælestibus ieiunant. 2. intelligi potest Allegoricè de pane spirituali in hac vita. Ita Origenes. Gregor. Theodor. Beda, Rupert. Angelom. Iansenius. aliique exponunt. 3. Exponi potest de pane temporali, & corporeo huius vitæ, siue illius nomine, panis cibarius propriè exprimatur, siue quælibet abundantia temporalis opum, tum honorum, filiorum, aliaque id genus lignificentur.

Origen. Greg. Theod. Beda. Rupert. Angelom. Iansen.

Literal. Sanctius. 16 *Repleti priùs, pro panibus.* Gaspar Sanctius ibi.n.19. Qui repleti priùs fuerant opibus, & perinde etiam repleti panibus, qui deesse non solent illis, quos circundat & fouet rerum abundantia, eò adducti sunt necessitatis, vt pro modico pane, qui famem magis exacuat quàm expleat, aut obtundat, mercenariam operam locent alienis: quod fecerunt Iudæi, quorum ante fuerat domus à frumento felix, cùm ab hoste Chaldæo superati ex suis sedibus ad alienas extorres abierant. Threnor. 5. *Ægypto dedimus manus, & Assyrio, vt saturaremur panibus.*

Thren.5.

Mystic. Origen. 17 *Et famelici saturati sunt.* Origen. supra. *Esurientes dereliquerunt*, illos dicit qui saturati fuerant panibus, quia reliquerunt esurientes. Venit fames, non fames panis, nec aquæ sitis, sed audiendi verbũ Domini. Propterea ergo esuriẽtes dereliquerunt vsquequo sterilis peperit septem, & fœcunda in filiis infirmata est. Multi enim filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum. Sterilis est mater nostra Ecclesia; hæc peperit septem; septenarium scilicet numerum, cui requies adscripta est: & fœcunda in filiis infirmata est. Patroni literæ Iudæi, velim videre quomodo asserunt quod fœcunda in filiis infirmatur, & sterilis quomodo peperit septem: sed illorum fabulis spretis nos consideremus, ne fortè vnusquisque nostrùm habeat intra se sterilem, quæ peperit septem: habeat & fœcundam in filiis, quæ infirmatur. Fœcunda in propagine erat caro mea habens plurimos carnis fructus, fornicationem, immunditiam, impudicitiam, idololatriam, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, incitationes, dissẽtiones. Hęc erat carnis nostræ numerosa progenies: sed cũ venimus ad fidem Crucis Christi, & mortificationem Iesv, cæpimus circumferre in corpore nostro, & mortificare membra nostra, quæ sunt super terram, & exhibere eas seruire iustitiæ, & sobrietati; tum fœcunditas probrosæ huius generationis exclusa est, & hoc modo fœcunda in filiis infirmata est.

Tropol. Vetus homo Qualis

18 *Et famelici saturati sunt.* Gregor. suprà. Valdè saturantur famelici, quia in donorum plenitudine super humiles sanctus Spiritus requiescit. Quod tamen contra negligentes sacri Altaris ministros, atque audaces Dominici corporis susceptores dici non inconuenienter potest. Repleti verò priùs sunt, vitiorumque cibo saturati, qui pro pane se locant, quia corpus ad susceptionem Eucharistiæ præparant, qui nimirum comedunt, & saturari non possunt, quia etsi Sacramentum ore percipiunt, virtute Sacramenti nequaquam replentur. A virtute ergo illa Sacramenti ieiunant, quia priùs repleti fuerant. Non saturantur ergo nisi famelici.

Tropol. Gregor. *Dispositio ad Eucharistiã.*

Literal. Eutimi. 19 *Et famelici saturati sunt.* Eutimi.ibi. *Esurientes dimiserunt terram.* Terram dimiserunt, in qua ob mercedem ærumnosè fatigabantur. Vel dimiserunt colere terram, atque esse amplius agricolæ, effecti nimirum atque agricolarum Domini, & diuites demum ex pauperibus.

Moral. Carthus. 20 *Et famelici saturati sunt.* Carthus.ibi. Benè famelici sunt, qui esuriunt, sitiúntque iustitiam, & famem habent audiendi verbum Dei, qui saturari merentur, & refici à Spiritu sancto. Hi sunt qui quæ retrosunt obliuiscentes, in anteriora extendunt se ipsos.

Mystic. Glossa. 21 *Et famelici saturati sunt.* Glossa Ordinaria ibi. Ideſt Apostoli priùs illiterati per Spiritum sanctum scientia Dei sunt repleti.

Literal. Ionath. 22 *Et famelici saturati sunt.* Rabbi Ionathan apud Abul.ibi.quæst.34. Ideſt, Iudæi, qui tunc erant pauperes, & impotentes liberati sunt à morte per Mardochæum.

Literal. Charen. 23 *Et famelici saturati sunt.* Charen.in Postilla. Anna, quæ priùs famelica erat, nolens comedere præ dolore sterilitatis, saturata est modò comedens, & viuens præ gaudio filij.

Literal. Vatab. 24 *Et famelici saturati sunt.* Vatab. in Scholiis. *Et famelici cessarunt*, vel *desierunt*. subaudi, locare operam suam; ideſt qui fame penè conficiebantur, habuerunt quod edere.

Literal. Hieron. Hebræorũ Traditio. 25 *Donec sterilis peperit plurimos.* Hieronym. vel potius Author Traditionum Hebraicarum. In Hebræo, & in Septuaginta translatione non *Plurimi*, sed, *Septem* leguntur. Iudæi hunc locum ita intelligunt, quòd nato Samuele mortuus sit filius primogenitus Phenennæ, mortui sunt & alij filij. Sed quærendum est quomodo hoc stare possit cum Phenenna septem, Anna autem non nisi quinque filios habuerit? Quam quæstionem Hebræi soluentes duos filios Samuelis cum filiis Annæ annumerant.

Tropol. Origen. *Anima sterilis, Quæ* 26 *Donec sterilis peperit septem.* Origen. Sterilis erat in me anima mea, non afferebat fructus iustitiæ, nunc autem vbi per fidem Christi meruit

meruit gratiam Spiritus ſancti, & repleuit eam ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus Conſilij, & fortitudinis, Spiritus iuſtitiæ, & miſericordiæ, & repleuit eam Spiritus timoris Domini: Certum eſt quòd ſterilis peperit ſeptem, & fœcunda in filiis infirmata eſt.

MYSTIC. Cyprian. 27 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Cyprian. 1. Teſtim. Sterilis ſeptem peperit, & quæ multos habebat filios infirmata eſt. Filij autem ſeptem, ſunt Eccleſiæ ſeptem.

MYSTIC. Philo 28 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Philo Hebræus. lib. de Execrationibus. Continuò reſtituuntur in caſtitatem, virginitatémque priſtinam, & conceptum diuinum ſemen formant, ac viuificant; vt inde naſcantur res mirandæ pulchritudinis: prudentia, fortitudo, temperantia, iuſtitia, ſanctitas, pietas, cæteræque virtutes, ac felicitates, quarum non modò natiuitas magnam prole facit parentem, verumetiam ſpes natiuitatis gaudio magno affecit.

LITERAL. Ambr. 29 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Ambroſ. lib. 7. Comment. in Lucam cap. 11. tom. 3. Vniuerſitas hoc numero aliquoties comprehenditur, propter quod ſeptimo die concluſis mundi operibus requieuit Deus; ideò & ſterilis ſeptem peperit, & populoſa in filiis infirmata eſt.

LITERAL. MYSTIC. Eucher. 30 *Donec ſterilis peperit plurimos.* S. Eucher. ſeu potiùs Author Comment. in Reges, Hic totum, quod prophetabatur, illuxit agnoſcentibus numerum ſeptenarium, quo eſt vniuerſæ Eccleſiæ ſignificata perfectio. Propter quod, & Ioannes Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias eo modo ſe oſtendens ad vnius plenitudinem ſcribere. Et in Prouerbiis Salomonis hoc antea præfigurans. *Sapientia ædificauit ſibi domũ, excidit columnas ſeptẽ.* Sterilis enim erat in omnibus Gẽtibus Dei ciuitas antequam iſte fœtus, quem cernimus, oriretur.

MYSTIC. Procop. 31 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Procopius in Comment. Eccleſiæ fœcunditatem palam prædicat. Septenarius enim numerus multitudinem denotat, quia ſeptem diebus omne tempus reuoluitur, & filij Eccleſiæ vniuerſum terrarum orbem impleuerunt, deficiente Synagoga Iudæorum, quæ multos filios Prophetas & iuſtos habuit. Alias Anna vnicum Samuelem peperit.

MYSTIC. Richar. *Anna Maria typus.* 32 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Richard. de Sancto Laurentio lib. 6. de Laudib. Mariæ Virginis. Maria eſt Anna, quæ prius ſterilis quoad propoſitum Virginitatis, peperit hoc modò plurimos; ideò dicitur Iſraël, ideſt, fidelis populus Deum contemplans.

LITERAL. Eutim. 33 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Eutim. ibi. Hic ſermo etiam priuatum ac particularem reſpicit caſum, per ſterilem enim ſe ipſam intelligit, quæ Dei ope ſeptem filios, hoc eſt multos peperit. Solent enim Hebræi ſeptenario numero vti, quoties multitudinem volunt exprimere, quemadmodum in Pſalmis præmonſtrauimus. Quòd ſi hiſtoriam dicas vnius tantum filij meminiſſe; illud reſponderi poteſt, quòd Samuelem dignum pro multis eſſe intelligat. Iuxta Anagogem, per ſterilem intelligere poſſumus Eccleſiam ex Gentibus congregatam, quæ olim infructuoſa fuit, & poſtmodum recepto fidei, ac religionis ſemine, multos peperit filios.

MYSTIC. HISTOR. Comeſtor. 34 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Petrus Comeſt. in Hiſtoria Scholaſtica cap. 3. Hebræus habet pro *plurimos*: *ſeptem*, & pro *Infirmata eſt*, *fecta eſt*: & tradit quòd ſingulis Annæ filiis naſcentibus, ſinguli Phenennæ filij moriebantur, & quinque filiis Annæ duos filios Samuelis connumerat, vt ſint ſeptem.

MYSTIC. Seuer. Antioch. 35 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Seuer. Antiochen. in Catena Theodoreti. Sic ſterilis quidem, hoc eſt Eccleſia ex Gentibus conflata peperit ſeptem. Synagoga verò, quæ antè multis filiis fœcunda erat, defecit, & plures filij fuerunt mulieris deſertæ, quàm illius, quæ habebat virum.

LITERAL. MYSTIC. Theod. 36 *Donec ſterilis peperit ſeptem.* Theodor. in Catena. Septem poſuit pro multis, & pro illis, quotcunque ſatis eſſent ad faciendum perfectum numerum; nam totum tempus per ſeptenarium numerum procedit. Etenim incipiens à primadie paulatim peruenit ad hebdomadam. deinde claudendo illic dierum numerum, rurſus redibit ad primariam. Septem, ideſt multa, nam diuerſæ ſunt virtutes, & non vna tantum, ſed multæ; quarum matres ſunt animæ Deo ſtudioſæ.

MYSTIC. Didym. 37 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Didimus in Catena Theodoreti. Quantum ab hiſtoria colligere poſſumus: vnum filium Anna peperit Samuelem; quomodo igitur ſeptem dicit peperiſſe, paulò altiùs perſcrutemur. Olim quidem Eccleſia ex gentibus conflata, magna laborabat ſterilitate, cum impia in mundo eſſet, neque ſpem haberet, nec veram opinionem, aut pium dogma pareret; quando tamen tranſiit à Libano, & fuit in vltimo Sabatiſmo Dei peperit ſeptem perfectos intellectus, & actionis virtute ornatos.

LITERAL. Rupert. 38 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Rupert. ſuprà. Quod interponitur: *Repleti prius, pro panibus ſe locauerunt, & famelici ſaturati ſunt*; non ſecundùm præſentem locum hiſtoriæ huius canitur; ſed tamen & hoc, & cætera talia facta ſunt, & fiunt, vt quoties ſuperbit impius, cantare tibi liceat illud Regale Prouerbium: *Non glorietur accinctus, æque vt diſcinctus.*

MYSTIC. Beda. 39 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Beda ſuprà *Saba.* Verbum Hebræum, & ſeptem deſignat, & plurimos, ſed & illius editionis ſenſus elucet agnoſcentibus numerum ſeptenarium, quo eſt vniuerſa Eccleſiæ ſignificata perfectio.

LITERAL. Carth. Rabbi. Paulus. 40 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Carthuſ. ibi. art. 3. Scribit Rabbi Paulus dicẽdo, quòd dictio iſta *Sciheah* in Hebræo non eſt proprie æquiuoca, prout hîc ponitur: Solùm enim ſignificat Septem in propria ſignificatione, licèt ſaturitatem deſignet ſecundùm etymologiam. Sed tranſlatio noſtra, quæ dicit plurimos, obtinuit veritatem ex alia ratione; nam in Hebræo Septem quoque ſignificat plurimos, vt intelligatur numerus determinatus, pro indeterminato, vt Iſai. 4. *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum*: Sicque tranſlator noſter hîc tranſtulit non ſenſum ex ſenſu, ſed etiam verbum è verbo: hæc Paulus, cuius verba longum eſt diſcutere.

MORAL. S. Franc. Vvadin. *Simplicium ſancta ſimplicitas.* 41 *Donec ſterilis peperit plurimos.* S. Franc. Aſſinaſ. apud Wadingum in Annalibus anno Chriſti 1220. num. 30. Sterilis eſt pauperculus humilis, ſanctuſque Religioſus, qui generandi in Eccleſia filios non habet officium. Hic pariet in iudicio multos (quia quos nunc priuatis orationibus, & bonæ vitæ exemplo conuertit ad Chriſtum, illius gloriæ tunc Iudex adſcribit, quæ multos habet filios infirmabitur, quia Prædicator vanus, & loquax, qui multos nunc quaſi ſua virtute genitis gaudet, cognoſcet ſe nihil proprij habere in eis.

HISTOR. Ioſeph. 42 *Donec ſterilis peperit plurimos.* Ioſephus lib. 5. Antiquitatum cap. 11. Elcanæ autem alij præ-

tere

terex filij ex Anna nati sunt, & filiæ tres.

LITERAL. Abul. 43 *Donec sterilis peperit plurimos.* Abul. ibi. q. 1. In quo patet quòd Anna loquuta fuit ista propheticè; quia quando ista dixit: Erat in Silo offerens filium suum Samuëlem Domino, & tunc nullum alium adhuc pepererat, nec poterat ipsa scire, an pluries paritura foret, nisi Deus ei reuelaret, & tamen cognouit, vt hic apparet, ergo propheticè ista dicebat, & hoc fuit, quare sacra Scriptura, istam orationem suscepit.

LITERAL. Ionathan. 44 *Donec sterilis peperit plurimos.* Rabbi Ionathan suprà. Hic prænunciatur secundùm Hebræos quosdam habitudo eorum ad Regnum Romanorum; Et vocatur sterilis gens Iudæorum nunc, quia nihil fructificat, scilicet quia per totum orbem diffusa est, & dispersa per bella Romanorũ, sed dicunt, quòd pariet plurimos, id est, abundabit in prole tempore Messiæ, qui congregabit Iudæos de omnibus partibus mundi.

MORAL. Charen. 45 *Donec sterilis peperit plurimos.* Hugo Charé. in Postilla. De se quasi de alia, ad vitandam arrogantiam loquitur.

LITERAL. Caiet. 46 *Donec sterilis peperit plurimos.* Caiet. ibi. An hoc vltimum dixerit Anna per seipsam, & æmulam suam; an in genere? litera ipsa aperire videtur, videlicet quod in genere hoc dixit, quemadmodum dum & alia duo præcedentia, nam clarè inducitur sterilis, quæ peperit septem, & perspicuum est, quòd ipsa Anna non genuit septem, sed quinque, vel ad summum sex, vt inferius subiuncta testantur. Rursùs Scriptura non refert Phenennam orbatam fuisse filiis, neque etiam cessasse à generatione aliorum filiorum. In genere itaque hæc tria dicta intelligenda sunt, quemadmodum etiam & ea, quæ subiunguntur.

LITERAL. Viues. 47 *Donec sterilis peperit plurimos.* Ludouicus Viues in Scholiis Augustini suprà relati. Hebræi duos filios Samuelis pro filiis Annę numerant, cùm sint nepotes, & ita Septem liberi Phenennæ mortui sunt sigillatim, vt nascebantur filij Annæ, & nepotes.

LITERAL. Marian. *Naga.* 48 *Donec sterilis peperit plurimos.* Mariana in Scholiis. Quidam per Septem Samuelem intelligunt, quoniam literæ vtriusque nominis *Samuel*, & *Sibbath* Hebraicè parem numerum efficiunt.

LITERAL. Serari. 49 *Donec sterilis peperit plurimos.* Serarius ibi. particula *Donec* intelligitur pro *Etiam &*, vel &, quemadmodum habet Chald. Septuaginta *Quia*. Per Septem dicendum intelligi plurimos, vt sit propheta, & de illis quos postea paritura erat Anna, maximè tamen de illis, quos ex omni gente innumerabiles enixura erat Christi Ecclesia.

LITERAL. Mendoza. 50 *Donec sterilis peperit plurimos.* Franc. Mend. ib. §. 9. Triplicem facit sensum, vnum, historicum de Anna, & Phenenna: alterum propheticum de Ecclesia, & Synagoga. Tertium moralem de anima iusta, & iniusta.

LITERAL. Sanctius. 51 *Donec sterilis peperit plurimos.* Gaspar Sanctius ibi. n. 21. Donec Hebraice עד *Ghad*, quæ vox interdũ valet idem, quòd *Adhuc* Ionę 4. 2. Iob. 1. 18. In qua ego significatione præcipuè capio, & obseruo *Adhuc*, cùm post aliam rerum enumerationem adhibetur, habere quandam epitasim, & significare aliquod ad superiora additum incrementum; vt Luc. 14. 26. *Et non odit patrem, & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest*, &c.

LITERAL. Iansenius. 52 *Donec sterilis peperit plurimos.* Iansen. in Paraphrati. Ideò non cessat vnquàm Dominus huiusmodi commutationibus sui me declarare potẽtiam, vt etiam aliquando videri liceat sterilem, quemadmodum in me patet iam, quæ prius sterilis eram; postea quamplurimos parere filios; & contrà, eam, quæ multos habebat filios ita elanguescere, vt ante tempus parere desinat, & quos habuit filios ante tempus amittat.

LITERAL. author Catenæ. Caiet. Sanct. 53 *Donec sterilis peperit plurimos.* Autor Catenæ. Caiet. Sanctius, & plerique alij verba hæc non singulariter de Annæ partubus, sed generaliter de miris diuinæ omnipotentiæ effectibus volunt intelligi. Ex eo quòd nec Anna septem peperit, nec de infirmatione Phenennæ ob filiorum interitum vsquam constet. Diuidicent tamen; quia sterilitatis signa in summam postea fœcunditatem conuersæ, occasio, tempusque huius prolationis eo strictè Annæ congruunt, vt nisi violenter de generali ratione ad literam exponi non possint. Expositio autem vocis *Septem*, quæ est in Hebræo, & Græco nimis arcta, & scrupulosa est, cum in origine non tam determinatum numerum, quam indeterminatum, & copiosum significet, scilicet *Satietatem*, vt plures rectè vertunt. Quamuis autem de infirmatione Phenennæ emortuis liberis ex Scriptura non constet, probabilis est ex Hebræorum traditione. Præterquamquod neque id requiritur, cùm gloria, & filiorum copia Annæ, infirmatio quædam fuerit, & distractio inanis Phenennæ gloriæ ob singularem fœcunditatem superbientis.

MYSTIC. Gregor. 54 *Et quæ multos habebat filios infirmata est.* Gregor. suprà. Infirmari Synagogæ, est institutione legis veteris parere non posse; Quæ enim fidem viri prioris perdidit, Diabolo iam, & non Deo parit. Benè autem dicitur, quę multos habebat filios; quia dum in veritate Scripturarum subiectum sibi populum antiquitùs etudiret, venturi Redemptoris aduentum concupiscens, de complexu cælestis sponsi Filios pariebat. Nunc autem, quæ habebat Filios infirmata est, filios non habet. Scripturas quidem suis auditoribus exhibet: sed quia Redemptorem negat, Deo filios nusquam generat.

MYSTIC. Gloss. ord. 55 *Et quæ multos habebat filios.* Glossa Ordinaria ibi. Cernimus terram Hierusalem priùs fœcundam, nunc infirmatam; quia quicunque in ea filij liberi erant virtutis eius, nunc verò ibi, quoniam litera est, spiritus non est.

LITERAL. Lira. Rabbi Salomon. Leui. Gerson. 56 *Et quæ multos habebat filios.* Lira ibid. Alij Hebræi dicunt quòd quando Anna pariebat vnum puerum, Phenenna sepeliebat duos de suis, & ideò nato quarto ipsius Annæ puero, octo liberi Phenennæ fuerint mortui; & sic non remanserunt sibi nisi duo pueri, quia secundùm ipsos decem habuit. Igitur quando vidit quòd Anna quintum conceperat, & appropinquabat partui, timuit de morte duorum liberorum, qui sibi remanserant. Propter quod humiliauit se coram Anna, & instanter petiit, vt oraret pro vita puerorum sibi remanentium, quod & factum est, & ideò duo illi pueri, licèt essent ipsius Phenennæ, tamen de cætero vocati sunt pueri Annæ, eo quòd eius orationibus erat vita eis concessa. Istæ expositiones non habentur ex Textu, sed ponuntur ab Hebræis, ad verificandum hoc dictum. *Peperit septem.*

LITERAL. Caren. 57 *Et quæ multos habebat filios.* Carensis in Postilla. Hebræus habet *Selia est*, id est, *separata*, à filiis scilicet. Si autem tu dicis, quòd filij Phenennæ non moriebantur, nascentibus filiis Annæ: tunc expone: *Quæ multos habebat filios*, id est Phenenna, *infirmata est*, scilicet quasi non habens filios reputata est à viro suo, quia Elcana plus diligebat Samuelem quam omnes filios Phenennæ.

LITERAL. Bolducus. 58 *Et quæ multos habebat filios.* Iacobus Bolducus in cap.14. Iob vers.10. Idiomate Sancto infirmari nonnunquam prole masculina orbari significat, quod tanto diligentiùs notandum optarem, quanto à nemine vsque nunc obseruatum reperio, sed hoc exemplis constat: nam sic dicitur, *Quæ multos habebat filios infirmata est.* Idest filiis masculis orbata. Item Ieremiæ 15. *Infirmata est, quæ peperit septem.*

LITERAL. Mendoza. 59 *Et quæ multos habebat filios, &c.* Franc. Mendoza ibi. §. 40. Moralis sensus facilè explicatur in anima iusta, & iniusta; quatenùs hæc ad iustitiam se recipit: illa in iustitiam se præcipitat, nam anima iniusta, vt sic sterilis, & nullo bonorum operum fructus parturiens, tandem per pœnitentiam culta, & lachrymis irrigata, plurimos virturum fœtus producit. Contrà verò anima iusti, vt sic fœcunda, & bonarum actionum parens, & nutrix, tandem per concupiscentias carnis, tanquam per immodicos æstus arefacta paulatim sterilescit.

LITERAL. Sanctius. 60 *Et quæ multos habebat filios.* Gaspar Sanctius ibi. n. 24. Quam nunc infirmatam dicit Propheta, existimare possumus eò fuisse reductam, vt vim omnem fœcunditatis amiserit: quale vitium habet illa, cui præ senectute desierunt fieri muliebria, vt accidit Saræ.

LITERAL. Author Catenæ. 61 *Et quæ multos habebat filios, &c.* Autor Catenæ. Phenennam infirmatam fuisse: vel est, orbatam fuisse liberis: vel sterilem, & infœcundam redditam: vel potiùs & ad litteram congruentiùs mœrore, & tristitia affectam ex insperata Annæ fœcunditate. *Infirmari* enim in sacris Literis, sæpe pro *dolere, & mœrere,* sumitur, vt bene notat Ribera in cap.4. epistol. ad Hebræos num.13. & sæpe aliàs. Hinc Amot. 6. *Et nihil patiebatur super contritione Ioseph.* in Hebræo est; *& non infirmabantur super contritionem Ioseph. & plura alia.*

Ribera.

VERSVS VI.

Vulgata. *VVlgata.* Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.

Benedictina in margine. Deducit in sepulchrum, & reducit.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Dominus mortificat, & viuificat: descendere facit ad inferos, & ascendere facit.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Dominus neci dat, & vitæ restituit: deiicit in extremum barathrum, rursusque euehit.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Dominus, qui ipse regnans in sæculo mortificat, & dixit ad viuificandum. Descendere facit ad infernum, etiam futurus ad educere faciendum ad vitas sæculi.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.

Caietan. *Caietan. ex Hebræo.* Dominus facit descendere in foueam, & fecit ascendere.

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Origen. 1 *Dominus mortificat, & viuificat.* Origen. homil. de Elcana. Meipsum mortificauit, cùm me mortuum facit peccato, & meipsum viuificat, cùm me facit viuere Deo: peccator eram, & in delictis viuebam; mortificauit me à peccatis: mori me fecit vitæ priori, & iustificauit me vt in timore suo viuam, & in fide sua stem, & vltrà non viuam peccato, sed Deo, qui me à mortuis suscitauit.

LITERAL. MORAL. Idem. 2 *Dominus mortificat, & viuificat.* Idem homil. 11. in Ieremiam tom. 1. Obiecta omnem thesaurum Scripturarum, & inuenies semper Deum ea primum comminantem, quæ tristia sunt, & ea deinceps inferentem, quæ lætitiam præbeant audientibus. Occidit, & viuificat, percutit, & sanat, ipse dolorem facit, & rursùm restituit. Percussit, & manus eius sanauerunt.

LITERAL. August. 3 *Dominus mortificat, & viuificat.* August. lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 4. tom. 5. mortificauit illam, quæ multa erat in filiis: & viuificauit hanc sterilem, quæ peperit septem; Quamuis commodiùs possit intelligi eosdem viuificare, quos mortificauerit, id enim velut repetiuit addendo: *Deducit ad inferos, & reducit.* Quibus enim dicit Apostolus: *Si mortui estis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Salubriter vtique mortificantur à Domino, quibus adiungit: *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram,* vt ipsi sint illi, qui esurientes transierunt terram. *Mortui enim estis,* inquit. Ecce quomodo salubriter mortificat Deus. Deinde sequitur, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Ecce quomodo eosdem ipsos viuificat Deus.

MORAL. Hieron. 4 *Dominus mortificat, & viuificat.* Hieronymus in Abachuc. cap. 3. num. 13. *Percussisti caput de domo impij.* Non putemus de hac dici morte communi, qua omnes morimur. Sed mors missa est in iniquos, vt qui priùs viuebant iniquitati, mortui peccato, viuerent iustitiæ. Quod quidem Anna in oratione sua significat. *Dominus occidit, & viuificat.* Occidit enim peccatores, mittens in caput iniquorum mortem, vt viuificaret iustitiæ.

MORAL. Idem. 5 *Dominus mortificat, & viuificat.* Idem Threnorum 3. num. 3. tom. 5. *In me vertit, & conuertit manum suam tota die.* Vertit Dominus manum suam, quando iustè in reos debitam vltionem immittit, & conuertit manum suam, quando misericorditer à vindicta sententiam suspendit: Scriptum est enim de illo: *Dominus mortificat, & viuificat.*

LITERAL. Nazianz. 6 *Dominus mortificat, & viuificat.* Gregor. Nazianzen. oration. 32. Dominus mortificat, & viuificat, qui sola voluntate omnia facit, atque immutat: qui ex nocte diem facit: ex hyeme ver; ex tempestate tranquillitatem: ex siccitate pluuiam.

MORAL. Ambros. 7 *Dominus mortificat, & viuificat.* Ambros. sermon. 27. de ieiunio. Occidit quodammodò, antequam viuificet Dominus: occidit enim primùm in nobis, homicidia, adulteria, scelera, furta, per Baptismum, & sic nos tanquam nouos homines æternitatis immortalitate viuificat. Morimur ergo peccatis per lauacrum: regeneramur autem vitæ per spiritum.

MYSTIC. Gregor. 8 *Dominus mortificat, & viuificat.* Gregor. lib. 1. variar.

Variar. Enarrat. c.2. priori parte Comment. Mortificat quidem Dominus quia incomprehensibili iudicio quondam electum Iudæorum populum à cognitione veritatis separat, & in perpetuum damnat. Viuificat, quia Gentilitatem ad actionem sui vnigeniti temporaliter per fidem recipit, & ad eius contemplandam gloriam æternaliter perducit.

Moral. Idem. 9 *Dominus mortificat, & viuificat.* Idem ibid. lib.2. c.1. In his profectò verbis etiam ordo notandus est; priùs quippe mortificare dicitur: Deinde viuificare: quia nisi seculum amare desistimus; Deo per amorem viuere non valemus, Ioanne attestante, qui ait. *Qui diligit mundum, non est charitas patris in eo.* 1.Ioan.2. Vnde & is, qui se mortificatum, & viuificatum, qui se prostratum, & erectum meminerat, loquebatur dicens: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Galat.6. Viuebat sed non mundi vita, quia dicebat. *Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus.* Ibidem 2. Non ergo accinctorum aliquis, sed Dominus mortificat, & viuificat. Mortificatum quippe, & viuificatum esse, est præsentia nulla concupiscere: & æterna desiderare.

1.Ioan.2. Galat.6.

Tropol. Arachel. Cyrill. Hieros. *Manichæi impugnatio.* Luc.12. Act. 5. & 9. 10 *Dominus mortificat, & viuificat.* Arachelaus Episcopus Apud Cyrillum Hierosolymitan. Chathecheſi 6. Si Deum veteris testamenti crudelem existimas (*loquitur cum Mane Manichæo*) quòd ignem se dixerit, cuius erit filius ille qui dicit, *ignem volo mittere in terram.* Luc. 12. si oderis eum, qui dicit *Dominus mortificat, & viuificat*, quare honoras Petrum, qui Tabitham quidem suscitauit: Saphiram autem mortificauit. Actor. 5. & 9. Si oderis eum, eo quòd etiam mortem parauerit, quare non oderis eum, qui dicit, *Ite in ignem æternum.* Mat.25.

Mat.25.

Moral. Rupert. 11 *Dominus mortificat, & viuificat.* Rupertus lib.1. Comment. c.2. Quod mortificat Dominus, iudicij est: & quod viuificat misericordiæ est. Item quod deducit ad inferos iudicij est: quod reducit, misericordiæ est. Quales nisi superbos mortificat, & ad inferos deducit: Humiliat & pauperes facit? Quales è contrario nisi humiles viuificat & reducit ab inferis, ditat, & subleuat?

Literal. Rabban. 12 *Dominus mortificat, & viuificat.* Rabbanus in Glossa, Sterilem: vel eosdem mortificat & viuificat; quod repetit adiungens, *deducit ad inferos, & reducit.* Vnde: *Si mortui estis cum Christo, qua sursum sunt quærite.*

Histor. Rabbi Isaac. *Purgatorij probatur.* 13 *Dominus mortificat, & viuificat.* Rabbi Isaac trac. Roshasanah. cap.1. Tria hominum genera sistuntur in iudicio: perfectè iusti; omninò impij; & mediam sortem tenentes. Primi ad vitam futuri sæculi scribuntur, & obsignantur; Secundi perinde etiá ad gehennam, iuxta Danielis verba: *Multi ex Dormientibus, &c.* Medij, quorum paria sunt merita, & demerita, descendunt in gehennam, ibique expectantes clamant, & ascendunt, quemadmodum scriptum est: *Dominus deducit ad inferos, & reducit.*

Literal. Rabbi Alius. 14 *Dominus mortificat, & viuificat.* Rabbi anonimus in Glossa Ordinaria. Dominus mortificat impios; viuificat autem iustos. Deducit ad inferos ad certum aliquod, & determinatum tempus: postea verò reducit; & ascendere ex eo loco facit.

Mystic. Gloss. 15 *Dominus mortificat, & viuificat.* Glossa Ordinaria ibi. Iudæam dimittendo eam cadere in infidelitatem: & viuificat Gentilitatem per fidei susceptionem.

16 *Dominus mortificat, & viuificat.* Lira. ibi. Pueros Phennennæ mortificat, & viuificat pueros Annæ. Deducit ad inferos. In Hebræo habetur, *Ad fossam*, ideſt, sepulchrum. Et reducit; quia aliquando contingit, quod aliqui de quorum sepultura iam tractatur, ad vitam reseruentur, sicut de Ezechiel. habetur 4. Regum 20. pro humilitate sua. Literal. Lira.

17 *Dominus mortificat, & viuificat.* Didymus, seu Theodoret. in sua Catena. Non solum his verbis prædicit communem hominum reditum è morte in vitam, sed etiam Christum excitaturum esse à mortuis non modò animam Lazari, & filij viduæ, & filiæ Archisynagogi, sed etiam reducturum esse ab inferis omnium sanctorum animas, quando illuc descendit, animatus cùm esset, fecitque vt post ipsius resurrectionem corpora ad tempus resurgerent, & Hierosolymæ conspicerentur. Literal. Didymus. Theodor.

18 *Dominus mortificat, & viuificat.* Beda lib.1. Expos. Allegoricæ cap.4. Mortificat Synagogam: viuificat Ecclesiam; vel eosdem viuificat, quos mortificat; vt existimemus nos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesv. Sed meliùs, & sine vlla controuersia de Domino fatemur impletum, qui mortuus reuixit, descendens ad inferna rusurrexit. Mystic. Beda.

19 *Dominus mortificat, & viuificat.* Appollo Abbas apud Moysem Abbatem in collatione 2. Cassia.c.13. Deum igitur imploremus, vt flagellum istud quod vtilitatis gratia tibi inferre dignatus est, iubeat amoueri, & ignita Diaboli iacula, quæ me arbitro, tibi permisit infligi, Spiritus sui rore redundante restinguat, *Dominus enim mortificat & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.* Moral. Appollo Abbas. Moys. Abb. Cassian.

20 *Dominus mortificat, & viuificat.* Sophron. Hierosol. tom.2. Bibliot. PP. Orat. de Christi Natali. Nihil extat, quod Dei potentiam vincat; nihil quod omnipotenti illi nutui obsistere valeat. *Dominus*, namque *mortificat & viuificat.* Literal. Sophr.

21 *Dominus mortificat, & viuificat.* Angelom. in Strom. 1.Reg.2. Mortificat multam in filiis Synagogam scilicet: Viuificat sterilem Ecclesiam Gentium, quamuis possit commodius intelligi eosdem viuificare quos mortificauerit. Mystic. Angelom.

22 *Dominus mortificat, & viuificat.* Bonauent. in Ps.118. versicul.11. art.3. Mortificare dicitur non auferendo gratiam: sed non afferendo ipsam in animam indispositam. Theolog. Bonauent.

23 *Dominus mortificat, & viuificat.* Abul. ibi. q.1. Non accipitur mortificare, ideſt, occidere; sed mortificare, ideſt deducere, quasi vsque ad terminos mortis: quantum ad Dei potentiam tamen nihil differt, an mortificatum, vel penitus mortuum viuificet. Applicatur hoc ad Annam; quia ipsa erat tanquam mortua, cùm concipere non posset, postea autem viuificata est quia Deus ei conceptum dedit. Literal. Abul.

24 *Dominus mortificat, & viuificat.* Hugo Char. in Postilla. Mortificat, ideſt, fœcundam sterilem facit, & sine filiis: & viuificat, ideſt, sterilem fœcundat, & dat ei filios. Literal. Hugo.

25 *Dominus mortificat, & viuificat.* Caiet. ibi. tract. vltimo, tractat primum; videlicet El scientiarum Iehouah. Tractat autem manifestando, Deum facere contraria, non solùm inter se (putà mortem, & vitam; diuitias, & paupertatem, & alia eiusmodi) sed etiam facere hæc contra rationes rerum (putà dispositum ad viuificare, mortificat; & è conuerso dispositum ad mortem, viuificat.) Literal. Caiet.

26 *Dominus mortificat, & viuificat.* Carthus. ibi. Hæc mortificatio est vitiorum extinctio, sui Moral. Carth.

ipsius à vitiis reformatio : membrorum scandalizantium absciſſio ; id est, eorum ab vſu prauo coërcitio.

LITERAL. Iustin. 27 *Dominus mortificat, & viuificat.* Benedictus Iustinianus ad caput 6. Epist. ad Thimot. Vers. 14. Non dubium est viuificandi verbum de resurrectione plerumque accipi. Sic Anna: *Dominus*, &c.

LITERAL. Mendoza. Mat. 17. Chryſost. *Christus vita & mortis Dominus.* 28 *Dominus mortificat, & viuificat.* Franciſcus Mendo. ibid. §. 14. Non sine mysterio Christus Dominus in monte Thabor inter Moysem iam vita functum, & Eliam adhuc superstitem glorioſus apparuit ; vt scilicet ostenderet mortis, & vitæ autorem se esse, qui inter mortuum, & viuum cerneretur, Mat. 17. Quod ibi D. Chryſost. hom. 57. rectè obseruat.

THEOLOG. Mendoz. *Manichæi impugnatio.* 29 *Dominus mortificat, & viuificat.* Idem ibid. §. 10. Ex hoc loco duplex Manichæorum Hæresis iugulatur. Vna, qua duplex principium, vnũ bonorum, alterum malorum distinguebant ; cùm tamen vtraque, tam bona, quàm mala pœnæ (de quibus sermo est) ab vno Deo oriantur ; vt patet ex multis Scripturæ locis. Nam in hoc Cantico dicitur Deus ab Anna mortificare, & viuificare. Altera, qua duplicem Scripturarum autorem ; vnum noui, alterum veteris Testamenti distinguebant ; hunc immitem, & crudelem, illum facilem, & benignum appellabant, quem errorem hic locus facilè conuincit, in quo Deus veteris Testamenti autor non solùm dicitur mortificare, sed etiam viuificare ; & proinde non modo seuerum, sed etiam misericordem se exhibere.

LITERAL. Sanctius. 30 *Dominus mortificat, & viuificat.* Gaspar Sanctius ibid. num. 25. Credo hæc à nobis accipienda latiùs, & sumi pro eo statu, qui cùm sit planè miserabilis, dignus existimatur, qui commutari cum morte possit. Neque nouum est, vt viuere negetur ille, qui cum mala, atque difficili fortuna conflictatur. Sic sanè Seneca.

Senec. *Miseri non viuunt.*

——*mortis habet vices*
Lentis cum trahitur vita gemitibus

Marti. Et Martial. lib. 6. Epist. 69.

Non est viuere, sed valere vita.

Neque credo mala coniectare, qui in mortuis steriles coniuges intelligeret, qui cùm nullum ex se fœtum producant, sicut neque lignum mortuum, & putridum, mortui vocantur.

LITERAL. Iansen. 31 *Dominus mortificat, & viuificat.* Iansenius ibi in Annotationibus. In mystico sensu, mortificat, & ad inferos reducit dum gratiam suam, quæ vita animæ nostræ est, propter peccata subtrahit, & æternæ damnationi obnoxios facit. Viuificat autem dum per spiritum suum gratiam suam pœnitentibus rursùm infundit.

LITERAL. Author Catenæ. 32 *Dominus mortificat, & viuificat.* Autor Catenæ. Sunt qui hæc explicent de vita, & morte temporali : sunt qui de spirituali morte per subtractionem gratiæ, propter peccatum lethale ; & de spirituali eiusdem gratiæ vita, quia anima iusti verè viuit. Sed ad literã congruentius de Annę fœcunditate, & Phenẽnę sterilizatione ipse libentius exposuerim, quod secũdæ partis huius Cãtici scopus est ; & per varias metaphoras inculcatur. Vnde etiam *deducit ad inferos, & reducit*, prioris asserti repetitio est, per alteram etiam Allegoriam, quod poëticis metris familiare est.

TROPOL. Ephren. 33 *Deducit ad inferos, & reducit.* Ephrem Syrus. De vita spirituali tom. 1. Creatorem nobis propicium reddamus, qui potens est nos, tum morbis affligere, tum sanare : deducere ad inferos, & reducere. Licet enim ad modicum tempus firmitate corporis valeamus : quid posterior tamen paritura sit dies, nescimus.

MYSTIC. Gregor. 34 *Deducit ad inferos, & reducit.* Gregor suprà. Ad inferos ducit, quia districto eius iudicio vltrix gehenna eos puniendos in perpetuum recipit, qui per culpam perfidiæ à veneratione se diuidunt Redemptoris. Reducit ab inferis, quia Gentilem populum ad filij sui fidem deuotè accedentem suscipit, cui velut alta abyssus extitit immensa obscuritas erroris.

ALLEG. Greg. 35 *Deducit ad inferos, & reducit.* Idem suprà. Vt mortificet quippe, ducit ad inferos, & vt viuificet reducit ab inferis. Omnipotenti enim Deo ad inferos deducere, est, peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere ; ei quoque ab inferis reducere, est territas pœnitentium, atque commissa lugentium mentes spe vitæ indeficientis attollere. Tunc quippe peccare desistimus, cùm superna gratia mollitis cordibus, futura tormenta formidamus : & ab inferis reducimur, cùm interno visitationis solatio, ad spem veniæ, de pœnitentiæ lamento respiramus.

MYSTIC. Auguſt. 36 *Deducit ad inferos, & reducit.* Auguſt. suprà. Nunquid eosdem deduxit ad inferos, & reduxit ? hoc vtrumque sine controuersia fidelium, in illo potius videmus impletum capite scilicet nostro, cum quo vitam nostram in Deo Apostolus dixit absconditam. Nam qui proprio filio non pepercit, Rom. sed pro nobis omnibus tradidit eum, isto modo vtique mortificauit eum, & quia suscitauit eum à mortuis, eundem rursùs viuificauit.

LITERAL. Eutim. 37 *Deducit ad inferos, & reducit.* Eutimius ibid. Reduxit enim illinc non tantùm Lazari, aut filij Viduæ, aut filiæ Archisynagogi animas, sed omnes etiam alias, quando nimirum illuc post passionem suam descendit.

MYSTIC. Gloſſa. 38 *Deducit ad inferos, & reducit.* Glossa Ordinaria ibid. Iudæos obstinatos dimittendo eos deducit, & reducit Gentiles ab Idololatria per quam digni erant inferni pœna, reuocando.

LITERAL. Hebræi Gloſſa. 39 *Deducis ad inferos, & reducit.* Hebræi in Glossa Ordinaria. Sunt, qui descendunt in puteum corruptionis, & pro mensura scelerum ibi plectuntur. Sunt etiam qui postquam pro meritis pœnas luerint, scinduntur, & pereunt. Sunt qui ad finem vsque anni integri puniuntur, postea aliquanto superiùs ascendunt, & habitant inter iustos ; ac de his quidem ait Anna. *Dominus deducit eos ad inferos, & reducit.*

LITERAL. Abul. 40 *Deducit ad inferos, & reducit.* Abul. ibi q. 1. Accipitur hic *Inferos* non pro gehennalibus locis, sed, pro Sepulchro, quia in Hebræo eadem dictio significat Infernum & sepulchrum. Potest autem *Infernus quid ?* accipi infernus pro loco gehennali, quia etiam Deus ad locum illum ducit, & inde reducit : omnes enim qui descendunt ad inferos, scilicet, ad purgatorias sedes, vel ad limbum Sanctorum, reducuntur inde, quia in limbo sanctorum Patrum solum steterunt animæ vsque ad Christi passionem, & postea inde reductæ sunt.

LITERAL. Charen. 41 *Deducit ad inferos, & reducit.* Charen. in Postilla. Metaphoricè loquitur, & est sensus. Dominus deducit Phenennam ad inferos, id est, ad summam afflictionem ; id est ad hoc vt videret stragem filiorum suorum, & æmulam suam, quam priùs despiciebat quasi sterilem, in filiis iucundari.

Inuidia Siculi non inuenêre Tyranni *Inuidiæ tormentum.*
Maius tormentum.

Horatius epistola 2. Horatius. Et reducit ab inferis, Annam scilicet, dans ei liberos. Quod autem nomine

nomine Inferni intelligatur grauis afflictio, habemus Ecclesiastes vltimo.

LITERAL. Caiet. 42 *Deducit ad inferos,& reducit.* Caiet.ibi Iuxta Hebræum habetur. *Facit descendere in foueam,& fecit ascendere*, ex eo, quòd verbo præteriti temporis dicitur, *Et fecit ascendere*, cogor nomine foueæ,nec infernum, nec sepulchrum, sed carcerem intelligere; à principio namque mundi vsque ad tempus Annæ nullus ascenderat ex inferno;nullus surrexerat à mortuis.

LITERAL. Titelman. 43 *Deducit ad inferos,& reducit.* Franc.Titelm. ibi. Deducit ad inferos vsque homines, & reducit vsque ad portas mortis,in discrimina vitæ maxima adducit homines, vt iam in portis, & sub vmbra mortis sibi videantur degere,vt sibi videantur morti, & infernalibus claustris proximi, atque iterùm cùm voluerit,adducit hominem de periculis etiam maximis.

LITERAL. Saa. 44 *Deducit ad inferos,& reducit.* Emanuel Saa in Scholiis. *Inferos* ideſt, *Sepulchrum.* Repetitio præcedentis.

LITERAL. Valent. 45 *Deducit ad inferos, & reducit.* Christipolitanus ibi. Ideſt deducit filios Phenennæ ad inferos, ideſt, ad fossam, & filios Annæ ad vitam.

LITERAL. Serar. Rabbi. Rachan. Thalmud. Baba Metſ. Clic. Lainez. 46 *Deducit ad inferos,& reducit.* Nicolaus Serarius ibi. De Purgatorio istum locum explicat Leuit.1. Rab. Racanatensis, Thalmudici tract. Baba Metsia. c. *Antam*, & in 13. art. sui symboli Clichtoueus, & Lainesius tract. de Purgatorio, & fortè vtrumque significat Chaldæus, quando ab inferis deduci air, non simpliciter ad vitam, sed *ad vitas æternitatis.*

LITERAL. Mendoza. 47 *Deducit ad inferos,& reducit.* Franc.Mend. ibi §.29. Dico Deum etiam deducere ad inferos,& reducere per veram,& realem deductionem,si sermo sit de diuersis personis,quarū alias reuera tradit in gehennam: alias à gehenna liberat,seruando ne labantur; seu reducendo ex scelerum abysso, vnde tuendum erat in abyssum tormentorum. Tandem dico, si de vna eademque persona sermo sit, & præterea de vera & reali deductione, certum esse eum neminem deducere ad inferos damnatorum, & reducere. Probatur assertio,quia damnati ita ad eum locum deducuntur, vt nunquam inde reducantur, vt patet imprimis ex Testamento nouo. Mat.25. *Ite in ignem æternum.*

Matth.25.

LITERAL. Mendoza. 48 *Deducit ad inferos, & reducit.* Idem ibid. §.53. Figurata & impropria inferorum significatio triplex esse potest. Prima pro Sepulchro. Secunda pro peccato, seu pro peccatorum loco. Tertia pro quouis labore, & periculo temporali.

Author Catenæ. *Maria cruciatus in passione Christi.* 49 *Deducit ad inferos, & reducit.* Author Cathenæ. Filiorum interitum, & carorum pignorum spoliationem non solùm mortem, sed deductionem ad inferos,dicit Anna, quales ergo dixerim cruciatus tuos, O Virgo Beatissima dum Christi filij tui carissimi inter atrocia morientis tormenta pallentes vultus obseruas? Verè & tu moriebaris, & mori non poteras: verè dolores inferni inuenerunt te. Psalm. 17. Significatio autem vocis *Inferos*, æquiuoca sane est; interdum enim significat Sepulchrum, quidquid in eo inficiando Delrius noster ad fudorem vsque contendat, Adagio 197. veteris Testamenti, veritus ne hac semel accepta significatione, Caluino, & aliis nouatoribus ansa præbeatur ad abolendam Tartari veram existentiam. Interdum etiam significat locum pœnarum seu gehennam, metaphoricè autem graue aliquod malum, seu dolorem. Hic autem pro Sepulchro libentius vsurpabo:est enim repetitio prioris sententiæ.

LITERAL. Delr. Caluinus. *Inferi quid significent.*

VERSVS VII.

VVlgata. Dominus pauperem facit,& ditat:humiliat,& subleuat. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Dominus pauperem facit,& ditat,humiliat,& exaltat. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Dominus pauperem facit,& locupletat:deiicit,& sublimem facit. Vatab.

Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia. Dominus egere faciens,& ditans;deprimens,etiam extollens. Ariasm.

Græca ex Sept.in Compl.& Regia. Dominus mendicum facit,& ditat:humiliat,& subleuat. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtiana. Dominus pauperem facit,& ditat:humiliat,& exaltat. Sixtia.

*Paulinus epist.*10. Qui humiles,& excelsos facit sapientes. Paulinus.

Ioannis Pineda, ad c.13.Iob.v.27. Dominus spoliat,exhæreditat. Pineda.

Franc.Mendoza ibi.§.1. Verti potest. Dominus interficit,& ditat. Mendoza.

PP. ET AVCTORES.

1 *Dominus pauperem facit, & ditat.* Augustlib.17.de Ciuit.Dei c.4.tom.5. Quid hoc sit,vt sciamus,quod sequitur, audiamus. Humiliat, & exaltat. Vtique superbos humiliat, & humiles exaltat,quod enim alibi legitur. *Deus superbis resistit:humilibus autem dat gratiam*;hoc horum habet sermo huius, cuius nomē interpretatur Gratia eius. MORAL. Aug. Iacob.4.

2 *Dominus pauperem facit, & ditat.* Gregor.1. Variar. c. 2. Quia & repulsam Iudæam spiritualibus virtutibus spoliat:& electam Gentilitatem tam pretio fidei,quàm bonorum operum floribus exornat,qui etiā humiliare,& subleuare dicitur;etenim Synagoga à Redemptore recedendo sublimitatis suæ alta deposuit:& sancta Ecclesia Redemptorem venerando ab imo infidelitatis, vbi proiecta iacuerat,in altitudinem rectæ fidei, & Christianæ protestatis celsitudinem surrexit. Quia ergo Dei filium Iudæa contempsit, gentilitas promeruit, recte,& illa humiliata, & ista creditur exaltata. MYSTIC. Greg.

3 *Dominus pauperem facit, & ditat.* Idem lib.2. Variar.cap.1. Sæculi diuites, idcircò de larga facultate gloriantur,quia alto,& incomprehensibili iudicio Dei cœlestia eis bona abscondita sunt. Dominus itaque facit pauperes, quia dum æterna electis bona insinuat, eo se pauperiores tenent, quo à veris se se diuitiis pulsos vident. Vnde & Rex ille, qui sæculi possessione latissimus erat, quia ei veras diuitias Dominus ostenderat clamabat ad eum dicens. *Respice in me & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego.* TROPOL. Idem.

4 *Dominus pauperem facit & ditat.* Rupert. lib.2.Comment.cap.2. Quod pauperem facit iudicij est. Quod ditat misericordiæ est. Itidem quod humiliat iudicij est, quod subleuat misericordiæ est. Itaque per hæc anthitheta, id est opposita vniuersæ viæ Domini, spectabiles propositæ sunt requirentibus testamentum eius & testimonia eius. Sed erga quales iudicium aut veritas; & qualibus reposita est misericordia? Quales nisi superbos mortificat, TROPOL. Rupert.

tificat,& ad inferos deducit; humiliat & pauperes facit? Quales è contrario nisi humiles viuificat,& reducit ab inferis, ditat, & subleuat?

LITERAL. Beda. 5 *Dominus pauperem facit & ditat.* Beda lib.1. exposs. Allegor. cap. 4. Quos in præsenti pauperes, & humiles spiritu propter se facit; eosdem in futuro ditat in se, & subleuat.

MYSTIC. Angelom. 6 *Dominus pauperem facit & ditat.* Angelom. in Strom. Manifesta est historia cum hoc nobis certissimum est; videlicet quia humiliat superbos, & exaltat humiles, sed altiori intelligentia de Domino potest accipi, qui propter nos pauper factus Ioann.3. est voluntate patris, quia *sic Deus dilexit mundum vt ipsum vnigenitum daret nobis*, sicut Paulus ait. Rom.8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Imo etiam, & sua voluntate, vt nos sua paupertate,& hîc diuites faceret in fide, & illic hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. Ipse etiam ditatus est magnificentia maiestatis, quia *in ipso habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

TROPOL. Rabbi Leui. 7 *Dominus pauperem facit & ditat.* Rabbi Leui. Ideo non superbiendum est, si floreamus opibus, nec si premamur inopia, desperandum, quia Deus est qui omnia temperat & regit; & cum vitium fuerit ea commutat.

MYSTIC. LITERAL Gloss. Ord. 8 *Dominus pauperem facit & ditat.* Glossa Ordinaria ibi. Pauperem facit populum Iudaicum spiritualibus bonis, & ditat Gentilem ad se conuersum. Humiliat Iudæos in captiuitate dispersos,& subleuat conuersos Gentiles Iudæis dominantes. Aliter potest exponi de eadem persona ab illo loco. Dominus pauperem facit in temporalibus,& ditat in spiritualibus. Humiliat in præsenti, & subleuat in futuro.

TROPOL. Liran. 9 *Dominus pauperem facit & ditat.* Liranus ibi. Quia diuitiis & honoribus frequenter deiicit aliquos propter eorum superbiam:& aliquos pauperes,& eiectos eleuat ad diuitias, & honores propter eorum humilitatem. Per hoc innuit Anna quod sic factum est à Domino de ipsa, & Phenenna.

LITERAL. Abul. 10 *Dominus pauperem facit & ditat.* Abul. ibi q.1. Ponit primum paupertatem, & postea diuitias; applicando ad se ipsam scilicet, quod ipsa erat pauper,1.non habens filios,deinde multiplicata est in prole, quod est ditari.

LITERAL. Rabbi Ionatham. 11 *Dominus pauperem facit & ditat.* Rabbi Ionathan apud Abulensem ibi quæst.34. Scilicet aliquoties Deus dat paupertatem Regno Iudæorum, & aliquando diuitias,& sicut de aliis Regnis etiam interdum eleuat, & interdum deprimit, & suscitat pauperes de puluere, ac stercore, vt sedeant cum principibus; sicut factum est de Mardochæo, qui priùs erat abiectissimus; postea autem factus est princeps in domo regis Assueri.

LITERAL. Charen. 12 *Dominus pauperem facit & ditat.* Hugo Charen.in Postill. Dominus pauperem facit Phenennam filiis, & ditat Annam. Et repetit idem iisdem verbis. Humiliat Phenennam superbam, & subleuat Annam humilem.

LITERAL. Seraph. 13 *Dominus pauperem facit & ditat.* Seraphinus Cumiranus in Conciliatione locorum. Profecto si Sapiente teste *diuitiæ à parentibus dantur*, cur Prophetissa illa ex aduerso dixerat in suo Cantico, *Dominus ditat hominem*? & hîc, quæ nullam in se prorsus contradictionem cõtinere cernitur,placuit dicendum quòd Sapiens per suam sententiam non excluserat Deum, à quotanquam à fonte nouerat procedere omnia,qui & omnis terræ,& plenitudinis eius Dominus esse dicitur. Nec iudicamus istis diuitiis corruptibilibus relictis à parentibus posse ditari filios, nisi hoc permitteret Deus. Sed non de istis caducis diuitiis fit in prima locutio, quæ & à malis auferri, & possideri possunt.

LITERAL. Mendoza. 14 *Dominus pauperem facit & ditat.* Francisc. Mendoza ibi §. 2. En aliud diuinæ omnipotentiæ argumentum in rebus fortunæ, quàs Deus multipliciter versat. Potentissimum se ostendit, quod pauperem facit & ditat, nam & homines spoliando, & alios locupletando suam sibi videntur potentiam ostentare.

LITERAL. MORAL. Author Catenæ. 15 *Dominus pauperem facit & ditat.* Autor Catenæ. Noua metaphora suam fœcunditatem decantat,& Phenennæ supplicium. Potest etiam non solum circa diuersa, subiecta, sed circa eadem, duplex hæc assertio exponi pro temporum diuersitate; imo & de eodem subiecto secundum eandem actionem; sæpe enim amissio temporalium ex diuina dispositione importat spiritualium opum abundantiam. Præterea,qui religiosam amplectitur paupertatem; non solum virtutum, & gratiarum cœlestium copiam obtinet,sed & temporalium bonorum in communi possessam prædiuitem abundantiam: itaut cum Apostolo gloriari, liceat; *tanquam nihil habentes & omnia possidentes.*

ANAGOG. Gregor. 16 *Humiliat & subleuat.* Gregor. supra. Benè additur humiliat & subleuat, quia in contemplatione cœlestium quam abiecti sint in terra conspiciunt. Sed in eadem abiectione temporalis inopiæ per Dei gratiam meritorum se pennis subleuant ad gaudia perennis vitæ.

LITERAL. Titelm. 17 *Humiliat & subleuat.* Franc. Titelman. in Paraphrasi. Facit non raro viles, & infimæ sortis homines ad amplissimas fortunas conscendere, quemadmodum Dauidem pastorem de gregibus ouium assumpsit ad Augustum regni fastigium, & superbum Saülem inimicum eius penitus humiliauit.

LITERAL. Mendoza. 18 *Humiliat & subleuat.* Franc. Mendoza ibi §.12. Secunda huius humiliationis causa est vt subleuet. Causaliter enim explicari potest hæc assertio, vt de superioribus iam obseruaui: nec immerito: gradus enim ad exaltationem est humilitas.

VERSVS VIII.

Vulgata. Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem,vt sedeat cum principibus,& solium gloriæ teneat:Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.

Benedictina in margine. Vt sedeat cum principibus & eos *hæreditare faciat.*

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Suscitat de puluere pauperem: è stercore eleuat mendicum, vt sedere faciat cum Principibus, & solium gloriæ sortiri faciat eos: Domini enim sunt Cardines terræ, & posuit super eos orbem.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Excitat de puluere tenuem, & inopem, & è stercore extollit,vt collocet eum cum Principibus; facitque vt hæreditate capiat solium gloriæ, quoniam Domini sunt columnæ terræ, & posuit super eas orbem.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Statuens ex puluere egenum; ex stercore extollens obscurum, ad sedere faciendum eos cum iustis

Magnati

Magnatibus sæculi, & solia gloriæ sortificans eis. Quia ante Dominum reuelata sunt facta filiorum hominis: interùs, apparuit gehenna improbis transgressoribus electorum suorum,& iustificantes voluntatem eius fundauit illis orbem.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag.in Complut.& Regia.* Suscitat è terra pauperem,& de stercore eleuat mendicum, vt faciat sedere eum cum Principibus populi, & solium gloriæ in hæreditatem præbens ipsis; præbens votum oranti.

Sixtia. *Græca ex Septuag.in Sixtiana.* Suscitat de terra pauperem, & de stercore erigit inopem, vt sedere faciat eum cum potentibus populi, & sedem gloriæ hæreditatem dans eis.

Cyprian. *Cyprian.*lib.3.Testimon.Et sedere eum facit cum potentibus populi.

Tertull. *Tertullian.*lib.4.contrà Marcionem cap.14. Excitat pauperem de terra, & mendicum, vti sedere eum faciat cum Dynastis populi,& thronis gloriæ.

Hieron. *Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis tom.* 4. Domini enim sunt afflicti terræ.

Eutimius. *Eutimius ibi.* Eleuat à terra pauperem, & de stercore erigit inopem, vt sedere eum faciat cum potentibus populi,& thronum gloriæ hæreditet.

Clarius. *Isidorus Clarius.* Domini enim sunt columnæ terræ, & posuit super eas orbem.

Rabbi Ionathan. *Rabbi Ionatham apud Liran.* Domini enim sunt fortes terræ.

Mendoza. *Franciscus Mendoza ibi* §.16.In Hebræo est *Nedibin.* hoc est spontanei voluntarij liberales à radice *Nadab*, hoc est, sponte largiri.

Isidor.Clarius ibi. Collocet eum cum Principibus, & solium gloriæ hæreditare eos faciat.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Augusti. 1 *Suscitat è puluere egenum.* Augustin. lib.17. de Ciuit.cap.4.tom.5.De nullo melius,quàm de illo intelligo, qui propter nos factus est pauper, cùm diues esset,vt eius paupertate, sicut paulò ante dictum est,ditaremur: ipsum enim de terra suscitauit tam cito, vt caro eius non videret corruptionem. Nec illud ab illo alienabo quod dictum est, *de stercore erigit inopem.* Inops quippe idem est, quòd pauper; stercus verò vnde erectus est,rectissime intelliguntur persecutores Iudæi, in quorum numero cùm se dixisset Apostolus Ecclesiam persequutum, *Quæ mihi*, inquit, *fuerunt lucra hæc propter Christum, damna esse duxi*: non solùm detrimenta, verum etiam *stercora* existimaui esse, *vt Christum lucri facerem*: de terra ergo suscitatus est supra omnes diuites ille pauper,& de illo stercore erectus est supra omnes opulentos ille inops, vt sedeat cum potentibus populi, quibus ait. *Sedebitis super duodecim sedes,&c. Eadem verba habet* Eucher.

Eucher.

Mystic. Gregor. 2 *Suscitat è puluere egenum.* Gregor. 1. variar. cap.2.Egenus,& pauper Gentilis populus intelligitur,qui de puluere suscitatus,& de stercore erectus dicitur;quia cùm recipitur in fidem Redemptoris, & ei minima,& grauiora peccata remittuntur.Quia enim facilè puluis excutitur, & quem stercora inquinãt, horribiliter fœdant;puluis,leuiora:stercus, grauiora peccata significat. Benè etiam de puluere suscitatus egenus dicitur,& de stercore pauper erectus;in illis siquidem dormiebat à quibus leui gratiæ tactu suscitari poterat, in illis verò iacebat, quia lapsus in grauioribus, manu magni auxilij indigebat.

Moral. 3 *Suscitat è puluere egenum.* Idem lib.2. variar. cap.1.Aptè quoque suscitari de puluere egenus dicitur;pauper de stercore erigi,quia intus praua deliberans dormit à contemplatione iustitiæ, foris illicita perpetrans,in iniquitate per actum iacet,& quia iam cum fortibus de malignis spiritibus trophæa consequitur, suscitatus egenus, & erectus pauper quid mereatur, exponit dicens; *Vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Sedere quippe triumphantis est. Egeni quoque rebus, & pauperes sunt propter Euangelium, ea quæ in sæculo habere poterant, cuncta reliquerunt. Qui certè,vt cum Principibus possint sedere,de puluere suscitari debent,& de stercore erigi. Quid enim fauores linguæ, quid sunt aliud labentium dignitatum infulæ, nisi puluis. Idem. Honores, & opes puluis.

4 *Suscitat è puluere egenum.*Idem lib.20.Moral. cap.3. de puluere egenus suscitatur, & de stercore pauper erigitur; cùm mens sæculo abrenuncians, quicquid sibi placere solebat de honore dignitatum, & de abundantia rerum, calcat, dum ad sola æterna respicit, quæ sola ardenter amat. Moral. Idem.

5 *Suscitat de puluere egenum.* Eutim.ibi. Eleuat à terrenis, atque ab humanis cogitationibus eum, qui in vitiis pauper est, aut vitiorum diuitias abiecerit; atque erigit ab affectuum, & passionum fœtore pauperem. Non illum dico qui fortunæ bonis pauper sit; sed eum, qui pauper sit spiritu. Moral. Eutimius.

6 *Suscitat de puluere egenum.*Rupert.lib.1.Comment. cap. 5. Quid est egenum, & pauperem nisi qualem beatificat in Euangelio suo Dominus pauperem spiritu,id est humilem? Illum enim de puluere suscitat,& de stercore erigit, quem sapienter cognoscentem quòd sit puluis,& cinis,& peccatorum suorum stercus erubescentem, iustificat, & exornat splendore gratiæ suæ Dominus, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat, cum his videlicet,quos ante sæcula præsciuit,& prædestinauit,vocauit,iustificauit, & magnificauit. Moral. Rupert.

7 *Suscitat de puluere egenum.* Beda lib.1. expositionis Allegoricæ cap.4. Suscitat à mortuis Christum, ne caro eius videat corruptionẽ,& eleuat ad cœlos ne superetur à Iudæis persecutoribus, quorum traditiones Apostolus arbitratur,vt stercora. Mystic. Beda.

8 *Suscitat de puluere egenum.* Theodoret.in sua Catena. Futura rursùs prædicit. Deprimitur enim Saül elatus: extollitur autem Dauid ab ouibus ad hominum curam à Deo vocatus. Literal. Theod.

9 *Suscitat de puluere egenum.*Idem in Psal.112. Cernimus hæc ipsa à Deo vniuersitatis continuo fieri: sic beatum Dauidem,cùm pastor esset,Regem fecit: & Iosephum,cùm in seruitutem incidisset,in Regali constituit solio. Sic Moysem cum opilio esset,populi Gubernatorem declarauit, Pharaonisque Deum elegit. Sic Gentes impietatis,paupertati seruientes, & in peccati stercore sedentes, bonis, quæ Israëli concessa fuerant,dignatus est. Sic humanam naturam,cùm in ipsum mortis profundum incidisset,assumpsit,& sursum erexit,& collocauit super omnem principatum, & potestatem. Literal. Idem.

10 *Suscitat de puluere egenum.*Helias Cretensis in orationem primam Nazianzeni. Sic Ioseph in seruitutem prolapsum in regio throno collocauit. Sic Moysem ex ouium pastore populi gubernatorem,& Pharaonis Deum creauit. Sic Dauidem,cùm pastor esset, & minimus inter filios Iesse, Regem subito effecit. Literal. Hel.Cret.

11 *Suscitat de puluere egenum.* Glossa Ordinaria ibi. In futura resurrectione. Literal. Glossa.

12 *Suscitat de puluere egenum.*Michaël Aiguanus in Ps.112.v.2001.Deus peccatores,quos quandoq; de Moral. Incogn.

de peccatis suscitat, eos consequéter aliorum Principes facit; vt puta suscitauit Petrum, qui negauerat Christum: Paulum, qui persecutus eum fuerat. Nonne istos Christianorum Principes collocauit? *A quouis discendum.*

Psalm.44. De quibus Psal. 44. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Suscitauit de puluere auaritiæ Matthæum. Nonne constituit eum Principem, quem fecit Euangelistam, & Apostolum? Quos de peccatis suscitat, facit Principes. Vel aliter, vt intelligatur exaltare ad gloriam. Vbi sciendum, quòd Angeli beati dicuntur Principes, quia ipsorum ministerio Deus mundum gubernat, & regit, & etiam quia inter se Principatum habent, sic quod vnus alteri principatur. Vnde Michaël, Angelorum Princeps dicitur, Danielis 11.

Dan. 11.

MORAL. Bonauent. 13 *Suscitat de puluere egenum.* Bonauentura serm. 3. Dominicæ tertiæ post Octauam Paschæ, Suscitat de terra auaritiæ auarum, & inopem erigit de stercore immunditiæ: peccatorem, & pauperem, vt opulentatus veris diuitiis gratiæ sedeat cum Apostolicis Principibus, & solium gloriæ teneat in cœlesti patria.

LITERAL. MORAL. MYSTIC. ALLEG. Charen. 14 *Suscitat de puluere egenum.* Hugo Charen. in Postilla. Ad literam de Phenenna, quam humiliauit Dominus, exponitur, & de Anna, quam exultauit. Vel generaliter de superbo & humili. Mysticè verò de Christo. *De stercore eleuat*, ideſt, de immundo conceptum semine.

MYSTIC. Richard. *Maria eleuat pauperem.* 15 *Suscitat de puluere egenum.* Richard. de S. Laurentio lib. 11. de Laudibus B. Mariæ. Maria exaltans animam timentis se, à terrenis, quæ facit contemnere, ad cælestia, quæ facit appetere, quia de stercore eleuat pauperem, ideſt humilem, vt sedeat cum Principibus, ideſt Angelis, & Sanctis, & solium gloriæ teneat.

MYSTIC. Carthus. 16 *uscitat de puluere egenum.* Carth. ibi. art. 4. Multos enim gentiles vitiis obtenebratos, & sordibus carnalitatum inuolutos, ad tantam diuinorum charismatum exuberantiam erexit, atque prouexit, vt inter Apostolicos viros dignè sint commemorati, & aliorum Prælati effecti, sessurique inter eos, quibus Saluator spopondit. *Vos qui secuti estis me &c.* Mat. 16.

Mat. 16.

LITERAL. Titelm. 17 *Suscitat de puluere egenum.* Titelmanus ibi. Suscitat, erigit, & eleuat pauperem de puluere, id est de vilitate maxima, in qua iacebat, quasi sordidus, & ignobilis. Exaltat eum, iravt sedeat etiam cum Principibus, cum his, qui nobilitate, & dignitate habentur præcellentes, quando etiam humanum genus secundùm corpus vile, & ignobile ad tantam subleuat dignitatem, nunc quidem in gratia, & post in gloria superna, vt nobilissimis illis Angelicis Principibus coæquetur.

LITERAL. Viues. 18 *Suscitat de puluere egenum.* Ioannes Ludouicus Viues in Scholiis Augustini, suprà relati. Paulò plus videtur esse inops in indigentia, quàm pauper; & si inops, cùm ab ope veniat ideſt auxilio, non tam dicitur, qui caret pecunia, quàm, qui opibus, in quibus est auxilium: sic à Virg. senectus dicitur *inops.* 1. Georg. quasi ex se minimum habens, quo iuuetur.

Virgil.

LITERAL. Delr. 19 *Suscitat de puluere egenum.* Delrius Adagio 175. veteris Testam. Videtur sumptum adagium prius ex veterum more: Solebant enim supplices non stare, neque etiam in terra iacere, sed in cineribus, vel puluere sedere. Interdum verò fiebat, vt eorum miseri quibus supplicabant, etiam inter Proceres sedere iuberent.

TROPOL. Mendoza. 20 *Suscitat de puluere egenum.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Ad hunc Annæ versiculum videtur regius Vates suum illum mutuatus. *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem*, non erubescens à fœmina discere, illiusque doctrinâ suam illustrare.

MORAL. Cassiod. 21 *Et de stercore eleuat pauperem.* Cassiodorus in Psal. 112. de stercore, & paupertate erigitur quisquis, de hac labe corporis, per Dei gratiam subleuatur. Rex denique ipse mundanus inops est munerum Dei, & in stercore inuoluitur, cui carnis vitia dominantur. Eleuat ergo ab istis Deus, quoslibet ordines, quaslibet ætates, cùm misericordiæ suæ dona largitur.

MYSTIC. Heli. Cret. 22 *Et de stercore eleuat pauperem.* Helias Cretensis in orat. 1. Nazianz. Quid enim, natura humana pauperius erat? & tamen eam Deus per Incarnationem suam è stercore erexit, ac primitias nostras supra cælos euexit, atque ad dexteram patris sedere fecit.

MYSTIC. Bonauen. 23 *Et de stercore eleuat pauperem.* Bonauent. serm. 1. Dominicæ 16. post Pentec. tom. 3. In stercore solent esse vermes. O quanta gratia, quòd Deus, stercorum vermes collocauit in soliis Principum!

LITERAL. Tertull. 24 *Vt sedeat cum Principibus.* Tertull. lib. 4. contra Marcionem cap. 14. Anna mater Samuelis spiritu Deo gloriam reddens; *Qui*, inquit, *excitat pauperem de terra, & mendicum vti sedere eum faciat cum Dynastis populi*, vtique in regno suo, & thronis gloriæ vtique regalibus.

LITERAL. Idem. 25 *Vt sedeat cum principibus.* Idem ibid. c. 28. Puto iam alibi satis commendatum nos diuitiarum gloriam damnari à Deo nostro, ipsos Dynastas detrahente de solio, & pauperes alleuante de sterquilinio.

MISTIC. Gregor. *Apostoli Principes.* Psal. 44. 26 *Vt sedeat cum Principibus*, &c. Gregor. 1. Variarum cap. 2. Qui Principes hoc in loco nisi sancti Apostoli designantur? De quibus nimirum Principibus Deo per Psalmistam dicitur. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Psalm. 44. Quid est quod pauper cum Principibus sedet, nisi quia ordo Prædicatorum de gentibus electus in sancta Ecclesia culmen Apostolicæ authoritatis obtinet? Cum Principibus quippe sedet, quia de throno cœlestis magisterij doctrinam salutis exhibet. Et solium gloriæ tenet, quia bonæ famæ odorem spargit quibus dignitate præeminet. Vel certè solium gloriæ tenet, & cum Principibus, quia & sublimitatis honore radiat, & miraculis coruscat. *Predicatorum gloria.*

MYSTIC. Rupert. *Christus pauper exaltatur.* Matt. 11. 27 *Vt sedeat cum Principibus.* Rupert. suprà. Hoc non rarò, nec in paucis factum est: amplius autem & principaliter in illo factum hoc esse gratulamur, & iugiter decantamus, quem veraciter constat dixisse. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matt. 11. De quo & illud est. *Et persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.* Psal. 10. Illum enim reuera Dominus pater præcepto charitatis suæ mortificauit, & ad inferos deduxit: pauperem fecit, & humiliauit: eumdemque virtute, & omnipotentia diuinitatis rursus viuificauit, reduxit ab inferis, ditauit, & sublimauit. Suscitauit eum de puluere nostræ mortalitatis: erexit eum de stercore, vt non videret caro eius stercus corruptionis: & ecce cum Principibus, imò super omnes Principes ad dexteram patris sedet, & solium gloriæ tenet. Psal. 10.

MYSTIC. Beda. 28 *Vt sedeat cum Principibus.* Beda suprà. Hunc versum exponit ipse cum scisitantibus se his, quos pauperes faciebat, vt ditaret, humiliabat in terris, vt subleuaret in cœlis: Quid mercedis habituri

turi essent in futuro, respondit. *Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, Iudicantes duodecim Tribus Israel.*

MYSTIC. Theod. 29 *Vt sedeat cum Principibus.* Theodor. suprà. Possunt sanè Discipuli super duodecim soliis gloriosè sedere Iudæos iudicantes, atqui cæteri fideles futuri sunt splendere, & in requie esse, quod Solium indicat.

LITERAL. Incog. 30 *Vt sedeat cum Principibus.* Incognitus in Psal. 112. Suscitat Deus peccatores, vt collocet eos cum Principibus, idest in ordine sanctorum Angelorum ipsos reponat, & collocet, & sic cum ipsis Angelis beatis solium gloriæ teneant. Solium enim meritò dicitur collocatio gloriæ, siue in gloria, quia Solium dicitur quasi Sedes solida. Iste Textus prophetizatus primò fuit ab illa muliere Anna matre Samuëlis dicente. *Dominus suscitat de pulvere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat &c.* Et nota quod Angeli beati meritò dicuntur Principes quia boni Principis conditiones habent.

LITERAL. Mendoza. 31 *Vt sedeat cum Principibus.* Franciscus Mendoza, §. 17. Si attendatur sensus literalis, potiùs de principatu litterali explicandum censeo; atque ita videtur sentire Tertullian. lib. 4. contra Marcionem cap. 14.

LITERAL. author Catenæ. 32 *Vt sedeat cum Principibus.* Auctor Catenæ. Sub noua adhuc metaphora suam gloriam & exaltationem Anna decantat, rationemque apponit idoneam subitæ, neque speratæ mutationis; scilicet Deum naturæ Dominum pro suæ voluntatis libito versari posse omnia, & obscuro iacentem loco ad supremum euehere honoris fastigium, hæc enim de ratione supremi Dominij esse quis dubitet? De sessione autem cum Principibus plerique existimant de Christi Domini exaltatione intelligendum. Principes autem Apostolos dicunt. Quanta ergo Apostolorum gloria ad quorum contubernium euehi summa humanitatis Christi exaltatio prædicatur? cùm ipse eorum sit caput, & princeps. Inde ergo non inani ob stupore percitus protulit Psalmista. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

MORAL. Psal. 138. *Apostolorum dignitas.*

THEOLOG. Ansel. 33 *Et solium gloriæ teneat.* Anselm. in cap. 1. Epist. ad Colossens. Sicut primogenitus omnium fratrum primatum dignitatis obtinet inter omnes fratres; sic humanitas Christi primatum dignitatis obtinet inter omnes creaturas, vt sedeat cum Principibus &c.

MYSTIC. Strab. 34 *Et solium gloriæ teneat.* Glossa Ordinaria ibi. In æquitate patris sedendo, & quia pater omne iudicium dedit filio, & quia regni eius non erit finis.

ANAG. Interlin. 35 *Et solium gloriæ teneat.* Interlin. Vt det eis hæreditatem, idest sedem gloriæ.

LITERAL. Abul. 36 *Et solium gloriæ teneat.* Abul. ibi. quæst. 1. Idest facit quod sedeat in cathedra honorabili, solium enim propriè pertinet ad Reges, & sic Deus interdum pauperibus dat solium: sicut Deus tulit Dauid de pascuis ouium, & fecit ascendere ad regale solium.

LITERAL. Charen. 37 *Et solium gloriæ teneat.* Charensis in Postilla. Ad literam, solium gloriæ tenuit in Samuele filio suo, qui Propheta, & Dauid Regem inunxit.

MORAL. Auth. Cat. *Vita æterna gratis datur.* 38 *Et solium gloriæ teneat.* Author Catenæ. Septuaginta habent: *solium gloriæ in hæreditatem præbens eis.* Quæ ex hæreditate proueniunt, nec labore, nec sudore comparantur. Solium ergo gloriæ iustis tanquam hæreditatem donat misericors Pater, vt eius vnigenito credas dicenti: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Reprobis quoque ex aduerso fidem præbeas confitentibus. *Lassati sumus in via iniquitatis.* Sapient. 5.

MORAL. Hieron. *Humiliatio laus.* 39 *Domini enim sunt cardines terræ.* Hieron. vel Author Traditionum Hebraicar. tom. 4. In Hebræo ita habetur. *Domini enim sunt afflicti terræ.* afflictos terræ Hebræi pauperes spiritu, & humiles corde intelligunt, super quos Dominus orbem posuisse dicunt, quia eorum meritis terram stare autumant. *Eadem verba habet* Rupert. *in commentario.* Rupert.

ALLEG. Greg. 40 *Domini enim sunt cardines terræ &c.* Gregor. suprà. Cardines terræ sunt extrema terræ. Nomine autem cardinum ipsos Prælatos electos de gentibus voluit designari. Extrema quidem terræ dicuntur, quia debili quodam modo, & abiecta gentilitate producuntur. Qui profectò cardines Domini esse dicuntur pro mortificatione propriæ voluntatis. Domini quidem sunt, quia non sua quærunt, sed quæ IESV CHRISTI.

MORAL. Rupert. 41 *Domini enim sunt cardines terræ.* Rupertus lib. 1. de Sapient. cap. 28. Afflicti terræ qui sunt, nisi humiles, & contriti corde? Super illos planè, qui huiusmodi sunt, Dominus orbem posuit; quia super eos, qui præteritam infirmitatem memoriter tenentes, humilis apud se conscientiæ sunt, Dominus Ecclesiam suam collocauit, qui videlicet tanto clementius, tanto compatientius, eundem orbem portare possunt, quanto ampliùs clementis, & compatientis gratiæ se indiguisse meminerunt.

MYSTIC. Beda. 42 *Domini enim sunt cardines terræ.* Beda, suprà. Non solùm promontoria, rupesque præaltas ad defensionem terreni orbis contra feruorem marinæ tempestatis opposuit, verùm multò magis pro conseruando Ecclesiæ suæ statu, ne hanc vlla turbidæ persecutionis vnda deiiceret, fixa fidelium suorum, ac fortia corda locauit. Eosdem ergo cardines, orbem terræ portantes supra Principes in thronis sedentes appellat.

MYSTIC. Petr. Dami. 43 *Domini enim sunt cardines terræ &c.* Petrus Damianus serm. 1. de S. Mathæo. De hoc nouo, & spirituali mundo scriptum est. *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Orbis enim super cardines terræ ponitur, cùm S. Ecclesia, tanquam super bases doctrinis Euangelicis solidatur.

LITERAL. Glossa. 44 *Domini enim sunt cardines terræ.* Glossa Ordinaria ibi. Idest Prælati, & Principes dominantur tantùm in terra, & non in cœlo sicut Beati

LITERAL. Interl. 45 *Domini enim sunt cardines terræ.* Interlin. Quia dominatur à mari vsque ad mare.

LITERAL. Lira. *Domini enim sunt cardines terræ.* Lira. ibi. Hic consequenter ponitur Dei magnificatio, & primò quantum ad potentiam, & hoc est in actu creationis, cùm dicitur. *Domini sunt cardines terræ.* Secundò quantum ad sapientiam in actu gubernationis, cùm dicitur *pedes &c.*

LITERAL. Abul. 46 *Domini enim sunt cardines terræ.* Abul. ibi. q. 1. Possunt multipliciter accipi cardines terræ. Vno modo pro punctis quibusdam assignatis in ea, & sic dicunt quidam punctum Orientis, & punctum Occidentis, meridiei, atque Aquilonis esse cardines terræ; quasi totus orbis sit fundatus super ista quatuor puncta. Alio modo accipitur cardo pro terra ipsa. Scilicet Deus posuit cardines terræ, idest ipsam terram, quæ est cardo totius mundi, eo quòd ipsa est immobilis: cætera autem mobilia, & mobile fundatur super immobile.

LITERAL. Angelom. 47 *Domini enim sunt cardines terræ.* Angelom. in Strom. Cardines terræ quatuor climata mundi intelligun

intelliguntur, videlicet Oriens, Occidens, Septentrio, atque Meridies super quæ posuit orbem, quia videlicet vbique dilatauit Ecclesiam suam hinc Psalmista ait. *Ab ortu solis vsque ad occasum laudabile nomen Domini.* Psal. 111.

Psal. 111.

LITERAL. Charen.

48 *Domini enim sunt cardines terræ.* Charen. in Postilla. Quasi dicat: Dominus facit ita, quia potest; & reuera potest. Domini enim sunt cardines terræ quatuor mundi partes, ideſt totus mundus. Psal. 23. *Domini est terra & plenitudo eius orbis terrarum, &c.*

Psal. 23.

LITERAL. Ianſen.

49 *Domini enim sunt cardines terræ.* Ianseni. ibi in Annotationibus. Rectiùs intelligemus quatuor terræ præcipuas partes, sicut, & eædem in cœlo consideratæ possunt apud Iob. intelligi cardines cœli. Intelligunt autem Hebræi Hebraicam dictionem non proprie significare cardines, sed fundamenta vel bases.

LITERAL. Saa.

50 *Domini enim sunt cardines terræ.* Samuel Saa in Scholiis. Ideſt. columnæ seu sustentacula; scilicet terra ipsa, quæ est velut mundi fundamentum, vel ipsius terræ fundamenta, vt vocat Scriptura. Scilicet partes in medio solidiores, quibus reliquæ nituntur, & fortè saxeæ.

LITERAL. Mendoza.

51 *Domini enim sunt cardines terræ.* Francis. Mendoza ibi. §. 27. Censeo terræ cardines non esse aliud, quàm id ratione cuius terra in loco mundi infimo stabilitur, quòd non est sola voluntas diuina liberè præcipiens; sed est ipsius natura terræ, seu naturalis partium grauitas. Nam cùm infimum totius mundi punctum, sit terræ centrum, quippe quod à cœli circumferentia maximè distet, in illud terræ partes suopte pondere nutant, ac feruntur.

LITERAL. Tirin.

52 *Domini enim sunt cardines terræ.* Tirin. ibi. Ideſt à diuina potentia, sic omnia humana facillimo nutu vertuntur, & subdeque feruntur, ac si terra suos haberet cardines, super quos nullo negotio illam, & omnia in illa contenta Deus quamcunque vellet in partem, raperet, ac verſaret.

MORAL. Gregor.

53 *Et posuit super eos orbem.* Gregor. supra lib. 2. Orbem super eos posuit, qui antequam eis imponeretur sub eis fecit. Nam eum iam in onere tentationum habent, qui eis blandiendo velut subiectus seruiebat, cùm in eo delitias, & voluptates sequendo, recumberent.

LITERAL. Strab.

54 *Et posuit super eos orbem* Strabus Fuldensis in Glossa. Ideſt curam orbis spiritualem & temporalem.

LITERAL. Caiet. *Cardines terræ Quid?*

55 *Et posuit super eos orbem.* Caietan. ibi. Interpretes, cardines metaphoricè appoſuerunt; & hoc pro ratione affertur irreprehensibilis dispositionis diuinæ circa res humanas. Ex eo enim quòd ipsius Dei sunt omnes vires terræ, & super eas effecit habitabiles partes mundi, quas orbem Interpretes appellant, nullus potest conqueri; vtitur enim Dominus iure suo distribuendo, vt vult.

LITERAL. Titelman.

56 *Et posuit super eos orbem.* Titelman. in Paraphrasi. Neque verò hoc cuiquam mirum videri debet; ipse enim est, qui omnipotentia sua creauit terram, & super stabilitatem suam fundauit eam, quasi super cardines suos eam appendens. Et ipsius sunt cardines seu bases aut fundamenta terræ, & in sua manu eam habet. Quod procul dubio non nisi eius est, qui omnia potest.

VERSVS IX.

VVlgata. Pedes Sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent; quia non in fortitudine sua roborabitur vir. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnino. Pedes piorum suorum seruabit: Et impij in tenebris conticescent, quia non in fortitudine roborabitur vir. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Pedes bonorum suorum seruabit: impij verò in tenebris compescentur; quia non in robore validus erit quispiam. Vatab.

Caldaica ex Benedic. Ariasm. in Regia. Corpus suorum iustorum custodiuit à gehenna, & improbi transgressores dicti sui in gehennam in tenebris iudicabuntur, ad ostendendum quod non quisquam, quòd sit in eo fortitudo puritatis ad diem iudicij. Ariasm.

Græca ex Septuag. in Complut. & Regia. Et benedixit annis iusti, quia non in fortitudine vir potens in fortitudine sua. Dominus infirmum facit aduersarium suum. Dominus sanctus. Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Sixtiana. Dans votum vouenti, & benedixit annis iusti, quoniam non in virtute potens est vir. Dominus infirmum faciet aduersarium suum, Dominus sanctus, & non glorietur prudens in prudentia sua: & non glorietur potens in potentia sua: & non glorietur diues in diuitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere, & scire Dominum, & facere iudicium, & iustitiam in medio terræ. Sixtia.

Lucifer, pro S. Athanasio. Non glorietur sapiens in sapientia sua. Lucifer.

S. August. lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 4. Dominus infirmum facit aduersarium eius. August.

Eutimius ibi. Qui dat preces precanti, & benedixit annis iusti, quia non inualescit potens vir in fortitudine sua. Dominus debilem faciet aduersarium suum. Eutim.

Theodoret. in sua Catena. Dans votum precanti, & benedixit adhuc iustus, quoniam non roborabitur vir potens in fortitudine sua. Dominus imbecillem faciet aduersarium eius. Theodor.

Caietan. ex Hebræo. Pedes misericordium suorum custodiet, & impij in tenebris erũt taciti *seu* incisi. Caiet.

Textus Glossæ in margine. Quia nemo in fortitudine sua erit fortis. Gloss.

Paphnutius Abbas. Collatione 3. Cassiani c. 15. Quia non est in fortitudine potens vir. Paphnut. Cassian.

Author Catenæ. Complutensis verba illa. *Præbens votum oranti,* coniungit cum præcedentibus *in hereditatem præbens ipsis,* sine puncto, & sic terminat versum octauum. Biblia autem versionum Fortunati, & Laurentij Beierlinck. cum eisdem verbis dant principium versui nono, & Octauum terminant *hereditatem dans eis.* Verba autem, quæ sequuntur pòst: *Dominus sanctus,* absunt à Complutensi: adduntur autem in Sixtiana, nempe, *& non glorietur prudens &c.* Author Catenæ.

PP. ET AVCTORES.

1 *PEdes sanctorum suorum seruabit.* Gregor. 1. part. Curæ Pastoralis cap. 11. Cæcus est, qui supernæ contemplationis lumen ignorat, qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligẽdo conspicit: quo grauius TROPOL. Greg.

operis porrigat, nescit. Hinc etenim prophetante Anna dicitur: *Pedes Sanctorum suorum seruabit &c.* Claudus verò est, qui quidem quò pergere debeat aspicit, sed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfectæ non valet tenere, quam videt, quia ad virtutis statum dum fluxa consuetudine non erigitur, quo per desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur.

MORAL. Idem. *Prospera & aduersa vincendo.*

2 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Idem lib. 1. Variar. cap. 2. Quasi dicat: Inter onera tam immensa corruerent; si eorum pedes Dominus non seruaret. Pedes quidē sanctorū suorum sunt affectus mentium, qui profectò à Domino seruantur, quia ipsis gratia mitæ deuotionis infunditur, quâ onus tam grataner ferunt. Pedes verò Sanctorum suorū Dominus seruat quando eos mira fortitudine roborat, vt inter tam immensa onera nequaquam cadāt. Quia non pedem, sed pedes seruare dicitur; quid in vtroque pede sanctorum intelligimus, nisi fortitudinem, & humilitatem? ne enim ruamus in vtroque pede consistimus. Quicunque enim fidelibus gregibus præsunt, in via, quâ ad supernam patriam tendunt, modò prospera, modò aduersa inueniunt, ipsa enim prospera, quia elationem menti excitant, eam ad casum valdè impugnant. Veruntamen ne electa mens cadat, hinc subsistere nititur pede fortitudinis: inde cōsistit pede humilitatis. Possunt pedes Sanctorum, fides, & amor Redemptoris intelligi, quibus profectò pedibus gradiuntur, eum, quem per fidem fideles credunt, amore sequuntur.

MORAL. Idem. *Pedes speciosi qui.*

3 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Idem in Explanat. 4. Psalmi Pœnitent. Quia ex prædicationis officio terrenas diuitias Apostoli non quærebant, rectè de eis dicitur, quia pedes eorum speciosi erāt. Hinc namque Anna de Deo prophetauit: dicens. *Pedes Sanctorum suorum seruabit.*

MORAL. Rupert.

4 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Rupert. lib. 1. Commentar. cap. 5. Qui egeni, & pauperes, qui inquam cardines, & afflicti terræ? Ipsi sancti Domini sunt, quorum ipse pedes, inquit, seruabit. Subauditur, qui pedes superborum non seruabit, quorum lapsum ruinamque irrecuperabilem expauescens Propheta dicit. *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.* Psal. 35. & continuò subiungit. *Illic ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Ergo pedes Sanctorum suorum, inquit, pedes inquam seruorū, id est humilium seruabit; vt videlicet ad solium glorię peruenire, imò & impositum super se orbem stabilibus portare possint meritis.

Psal. 35.

LITERAL. Beda.

5 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Beda lib. 1. Expos. Allegor. cap. 4. Actus piorum, sensusque, quibus ad perfectiora, quasi gradatim proficiunt, ab impiorum defendit insidus, & illidem impij tenebrosis, quas bonis tendēre, peribunt in machinis.

MORAL. Glossa.

6 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Glossa Ordinaria ibid. Ne corruant in foueam mortalis culpæ, & inde in foueam gehennæ.

LITERAL. MORAL. Lira.

7 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Lira ibid. Dirigendo eos in via morum, *& impij in tenebris conticescent*; scilicet in tenebris culpæ, & postea in tenebris gehennæ.

MYSTIC. Angelom.

8 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Angelom. in Strom. Licèt pedes ipsi Doctores designentur, sicut per Moysem dicitur. *Qui appropinquant pedibus suis, accipiunt de doctrina illius.* Deuter. 32. Quos Dominus inter scandala persequutorum seruauit. Veruntamen pedes Sanctorum in eius actiones, & ipsum opus prædicationis accipere possumus; quod Dominus in viam iustitiæ dirigit, de

Deut. 32.

qui bus Dominus ipsis Prædicatoribus ait: *In quancunque domum, vel ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos; exeuntes de ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris.* Mat. 20. Pulvis enim leuitas est terrenæ cogitationis, à quo ipsi etiam Summi Prædicatores immunes esse nequeunt; cùm pro auditoribus suis sollicite salubribus curis incessanter intendunt; & quasi per itinera mundi, imò vix calcaneo terræ puluere lingant.

Mat. 20.

Prædicatores Quales?

9 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Bonauent. in Psal. 118. vers. 105. tom. 1. Pedibus, id est affectionibus prouidere debemus ne inquinentur: ne illaqueentur, ne subuertantur, sed puri, liberi, & firmi seruentur. Inquinantur autem per luxuriam; illaqueātur per auaritiam; subuertuntur per superbiam: sed seruantur per sanctimoniam. De primo; *Laui pedes meos* scilicet per pœnitentiam: *quomodo inquinabo illos?* Canticor. 5. scilicet per luxuriam. Ecce pedum inquinatio. De secundo. *Laqueos absconderunt pedibus meis.* Ieremię 18. Ecce pedum illaqueatio. De tertio. *Calamitates meæ illicò surrexerunt; pedes meos subuerterunt.* Iob. 30. Ecce pedum subuersio. De quarto. *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Ecce pedum seruatio.

TROPOL. Bonauent. *Affectuum cura.*

Cant. 5.

Ierem. 18.

Iob 30.

10 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Hugo Charensis in Postilla. Id est gressus seruabit, id est reget, ne offendant in via. *Et impij in tenebris conticescent.* Id est in despectione, itavt nec audeant apparere præ rubore.

LITERAL. Caren.

11 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Caiet. in Commentario. Hactenùs de dispositione rerum humanarum præter rationes humanas tractauit, ad confundendum humanam iactantiam de celsitudine, & fortitudine: nunc contra eandem superbiam humanam, tractat de diuina prouidentia in specie erga bonos, & malos relatiuè ad vitam æternam; & propterea incipit à discretione inter bonos & malos penes diuinam custodiam.

LITERAL. Caiet.

12 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Titelman. in Elucidatione Paraphrastica. Dominus semper obseruabit gressus fidelium seruorum suorum, & eorum pedes custodiet, vt non declinent in vias malas: aut si declinauerint, vt quanto citiùs reuertantur à malitia, neque stent in ea. Impij verò, qui non studuerunt esse de numero seruorum eius, in tenebris æternis in damnationem inferni permanebunt, in silentio perpetuo, in summa tristitia, ærumna, atque miseria.

MORAL. Titelman.

13 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Cornelius Iansenius in Paraphrasi. Si præter illius omnipotentiam, etiam iustitiam illius, & sanctitatem intelligere quis vult, Ecce Dominus Sanctos seruos suos ita in omnibus viis ipsorum semper seruat, conseruabitque, vt non sit permissurus eos errare, cadere, impingere, & impiorum laqueis irretiri, saltem in finem. Impij verò peracto hoc vitæ cursu tandem in tenebris inferni deiecti ibidem quiescere, & silere cogentur.

LITERAL. Iansen.

14 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Franciscus Mendoza. ibid. §. 1. Sancti dupliciter dicuntur, vel secundùm statum, vel secundùm meritum. Priori modo Sancti olim dicebantur omnes Iudæi, iuxta illud Core, & sociorum eius aduersus Moysem, & Aaron coniurantium. Num. 16. *sufficiat*, inquiunt, *vobis, quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus.* Eodem modo in nascentis Ecclesiæ primordiis omnes Christiani dicebantur sācti, vt patet ex Diuo Paulo multis locis. Rom. 1. 7. *Omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis.* Posteriori modo vocantur Sancti, qui iustitiam

LITERAL. Mendoza.

Num. 16.

Rom. 1.

colunt, & gratiam in se habent sanctificantem, quæ significatio vulgarior est in Scriptura, quàm vt debeat illustrari. Exponendum censeo de Sanctis priori modo acceptis, quia Annæ scopus, non erat Iudæos laudare, sola fidei professione Sanctos; operatione verò impios, sed eos, qui germanam colerent sanctitatem absque vlla limitatione ad hos potiùs quàm ad illos, vt de superioribus eius propositionibus iam diximus.

LITERAL. Mendoza. 15 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Idem ibid. §. 6. Cur pedes Sanctorum dicuntur à Domino seruari? Dixerim, esse figuratam locutionem, qua pedes pro toto corpore ponantur. Vnde Chaldæus transfert. *Corpus seruorum suorum.*

MORAL. Author Catenæ. 16 *Pedes Sanctorum suorum seruabit.* Autor Catenæ. Oneris granitas pedibus tanquam basis innititur: Prælatorum autem, quibus orbis importario committitur, pedibus Deus præcipuè consulit, & plantas confirmat, ne subditorum curæ infirmos opprimant, & graue gubernationis officium corruat. Tanti eos Dominus facit, vtpote ex quibus subditorum salus dependet.

MYSTIC. Gregor. 17 *Et impij in tenebris conticescent.* Gregorius suprà. Qui impij hoc in loco, nisi Iudæi intelliguntur, qui à pietate veræ fidei sunt extranei, & Redemptoris morte cruenti? De quibus rectè dicitur in tenebris conticescent, quia Sancti super excelsa statuti Redemptorem Mundi, quem in diuinæ maiestatis claritate conspiciunt, æternis laudibus confitentur. In tenebris ergo tacent impij, quia Iudæi ideò Redemptorem non prædicant, quòd ineffabilis eos illa claritas diuinitatis non illustrat.

MYSTIC. Idem. 18 *Et impij in tenebris conticescent.* Idem lib. 2. Variar. cap. 1. Cùm pedes nostros Dominus seruat; in tenebris tacent impij, quia dum gratia diuina protegimur, vocem, qua nos præcipitent, dare nobis immundi Spiritus nequaquam possunt: in tenebris quippe tacent quia caliginosa reproborum corda possident, à quorum ad nos progredi obscuritate non audent.

MORAL. Rupert. 19 *Et impij in tenebris conticescent.* Rupert. lib. 1. Comment. cap. 5. Impij, inquit, id est superbi, qui nunc in hac die sua extollũt in altum cornu suum, & loquuntur aduersus Deum iniquitatem, ipsi in tenebris conticescent. Ipsi, humilibus solium gloriæ tenentibus, suumque possessorem Dominum Deum laudantibus, in tenebris inferni conquiescent; imo vlulantes dentibus stridebunt, & flebunt.

MORAL. Innoc. *Tenebræ damnatorum pœna.* Iob. 10. Psal. 43. 20 *Et impij in tenebris conticescent.* Innoc. III. lib. 3. de Contemptu mundi. c. 4. de pœnis inferni. Sexta pœna, tenebræ palpabiles exteriores, & interiores. Vnde Iob. 10. *Terra miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis*, &c. *Vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* In Psal. 43. *Et in æternum non videbit lumen*, & alibi: *Et impij in tenebris conticescent.*

LITERAL. Vatab. 21 *Et impij in tenebris conticescent.* Vatab. in Scholiis. Id est intereunt ac pereunt: Impij, cùm moriuntur, demigrant hinc in tenebras, & non in lucem, vt pij.

LITERAL. Abul. 22 *Et impij in tenebris conticescent.* Abul. ibid. quæst. 5. Dupliciter intelligitur. Vno modo de tenebris mentalibus, scilicet quando homines nesciunt dirigere operationes suas, & ob hoc errant & incidunt in magna detrimenta, & hoc modo patiebantur hostes Hebræorum tenebras, quia interdum Deus excæcabat eos, vt facerent bellum, & inciderent in manus Iudæorum. Alio modo potest intelligi de tenebris corporalibus, in quas Deus faciebat interdum incidere hostes Iudæorum. Exodi 10. Exod. 10.

LITERAL. Abul. 23 *Et impij in tenebris conticescent.* Idem ibid. quæst. 33. Est modus loquendi communis, quòd dicamus aliquem tacere, quando nihil agit. Sic etiam accipitur sæpè in Scriptura Exodi 14. scilicet *Dominus pugnabit, & vos tacebitis.* Id est nihil agetis contra hostes. Exod. 14.

LITERAL. Caiet. 24 *Et impij in tenebris conticescent.* Caiet. ibid. Relatiuè ad futuram vitam hæc verificantur in qua obmutescent priuati lumine gratiæ, & gloriæ, & reciti erunt ab vniuersis bonis impij.

LITERAL. Sa. 25 *Et impij in tenebris conticescent.* Emanuël Sa in Scholiis. Scilicet cessabunt à prauis huius vitæ operibus.

LITERAL. Iansen. 26 *Et impij in tenebris conticescent.* Iansen. ibid. in Annotationibus. Quod dicitur *conticescent*, quidam intelligunt eos cessaturos in inferno à laude Dei. Quæ interpretatio, etsi vera, & pia; non tamen exprimit Scripturæ sensum: ponitur enim hic dictio Hebraica, quam in sequenti Cantico Moysis Hieronymus vertit. *Fiant immobiles.*

LITERAL. Mendoza. Plinius. 27 *Et impij in tenebris conticescent.* Franc. Men. ibid. §. 21. Topicè hoc silentium interpretor tribus modis. Primò Conticescent, hoc est, ducta ab auribus ad oculos metaphora, quo pacto silentem Lunam vocat Plinius Lunam cum Sole coëuntem, ac proinde non lucentem. Secundò Conticescent; hoc est immobiles erunt, tenebris tanquam vinculis religati. Tertiò Conticescent; hoc est conuincentur, & confundentur, & quod consequens est, ingenti dolore, ac tristitia afficientur.

MORAL. Gregor. 1. Reg. 18. 28 *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir.* Gregor. lib. 2. Variarum. cap. 1. An non via erat, cui in iuuencularum choro cantabatur? *Saul percussit mille, & Dauid decem millia?* Qui nimirùm, cùm inter onera fortitudini suæ relinquitur, in carnis suæ culpam impulsus corruit, atque in se expertus est, quia vix in se non habet statum roboris, sed lapsum infirmitatis. Vnde, & relabi metuens eum à quo teneri ad statum debeat, exposcit dicens. *Non me derelinquas vsquequaque.* Psalm. 118.

MORAL. Augustin. *Omnis infirmitas.* 29 *Quoniam non in fortitudine sua roborabitur vir.* Augustin. in Soliloquiis cap. 2. Sperabam aliquando in virtute mea, quæ tamen non erat virtus. Et cùm sic volui currere, vbi magistrare credebam, ibi magis cecidi. Quod magis credidi posse per me, minus semper potui. Dicebam enim hoc faciam: illud perficiam. Neque hoc, neque illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas: Aderat facultas, non erat voluntas, quia de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi Domine Deus meus, *quia non in fortitudine sua roborabitur vir.* Non est enim hominis velle quod possit, aut posse, quod velit, vel scire quod velit, & possit, sed potiùs a te gressus hominis diriguntur.

MORAL. Theodor. 30 *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir.* Theodoretus in sua Catena. In humilitatem sermonis trahit, & ne nobis ipsis fidamus.

LITERAL. Eutim. 31 *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir.* Eutimius ibidem. Sed in Deo scilicet. Atque ideò Christus postmodùm dicebat. *Sine me nihil potestis facere.*

MORAL. Rabbi. Leui. 32 *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir.* Rabbi Leui. Sæpè fit vt Princeps potentissimus ab infirmiori superetur, quia non est fortitudo hominum; vt paretur victoria, sed quoniam iusti Deo curæ sunt, ideo vincunt.

33 *Qua*

LITERAL. Liran. 33 *Quia non in fortitudine sua roborabitur vir.* Liran. ibi. Quia per potentiam sæcularem nullus potuit manum Dei euadere.

THEOLOG. August. 34 *Præbens votum vouenti.* Ex Septuaginta in Sixtian. August. lib. 17. de Ciuit. cap. 4. *Ecce nos dimisimus omnia.* Matth. 19. Hoc vorum potentissimi vouerant; sed vnde iis, nisi ab illo de quo hîc continuò dictum est. *Dans votum vouenti?* Alioquin ex illis essent potentibus, quorum infirmatus est arcus. *Dans*, inquit, *votum vouenti*, non enim Domino quisquam quidquam ratum vouerit, nisi qui ab illo acciperet, quod voueret.

LITERAL. Eutim. 35 *Præbens votum vouenti.* Ex Septuaginta. Eutim. ibi. *Qui dat preces precanti*; hoc est, Qui ad finem promissiones perducit, quæ cùicunque factæ sunt: per ipsum etenim Deum omne bonum ad finem perducitur. Vel *Qui dat petitionem petenti*, sicuti & ipsi Annæ tribuit quod petebat.

LITERAL. Theodor. 36 *Præbens votum vouenti.* Theodor. in sua Catena. Hoc est, facit ad finem peruenire hominum promissiones Deo gratas.

ANAGOG. August. 37 *Et benedixit annis iusti.* Ex Septuaginta. August. suprà. Vt cum illo scilicet sine fine viuat, cui dictum est. *Et anni tui non deficient.* Ibi enim constant anni, hîc autem transeunt, imò pereunt, antequam enim veniant, non sunt, cùm autem venerint, non erunt, quia cum suo fine veniunt. Horum autem duûm, ideſt, *dans votũ vouenti: & benedixit annis iusti*: vnum est quod facimus; alterum, quod subimus. Sed hoc alterum Deo largitore non sumitur nisi cum ipso adiutore, primum istud efficitur, quia non in virtute sua, potens est vir. *Eadem omninò verba habet Eucherius.*

LITERAL. Eutim. 38 *Et benedixit annis iusti.* Ex Septuag. Eutimius ibi. Ideſt, Benedixit vitæ iusti.

LITERAL. MORAL. August. 39 *Dominus infirmum faciet aduersarium.* Ex Septuaginta. August. suprà. Illum scilicet, qui homini vouenti inuidet & resistit, ne valeat implere quod vouit. Potest ex ambiguo Græco intelligi & aduersarium *suum.* Cùm enim Dominus possidere nos cœperit, profectò aduersarius, qui noster fuerat, ipsius fit, & vincitur à nobis, sed non viribus nostris, quia non in virtute sua potens est vir. Dominus ergo infirmum facit aduersarium suum, Dominus Sanctus, vt vincatur à Sanctis, quos Dominus Sanctus Sanctorum effecit Sanctos, ac per hoc *non glorietur prudens in prudentia sua, &c.*

LITERAL. Theodor. 40 *Dominus infirmum faciet aduersarium suum.* Theodor. in sua Catena. Declarat, Diaboli euersionem.

LITERAL. Eutim. 41 *Dominus debilem faciet aduersarium suum:* Eutimius ibi. Hostem, atque inimicum suum.

TROPOL. Basil. *Viribus humanis ne fidas.* 42 *Et non glorietur prudens in prudentia sua.* Ex Septuaginta Basil. hom. 22. Quæ est de humilitate. In summa, innumeris exemplis poteris discere, quàm sit inane humana sapientia excellere, & quam exile sit, & humile magis quàm magnificum, ac sublime. Itaque nemo prudens, vel de sua ipsius sapientia, vel aliis prærogatiuis, quas recensui quidquam gloriabitur, sed obtemperabit parænesi beatæ Annæ, & Prophetæ Hierem. qui dicit 9. 23. *Ne glorietur sapiens in sapientia sua, nec glorietur robustus in robore suo, nec diues in diuitiis suis.* Sed quænam est vera gloriatio, & qua in re magnus est homo? *In hoc*, inquit, *glorietur, qui gloriatur, si sciat & cognoscat me esse Dominum.*

Hierem. 9.

LITERAL. Author Catenæ. 43 *Et non glorietur prudens, &c.* Ex Septuaginta. Autor Catenæ. Verba hæc vsque ad illa *in medio terra* desumpta sunt, & si aliqualiter immutata, ex Ieremia 9. 23. Absunt enim ab Hebræo, & Vulgato, sicut etiam à Græco Bibliarum Complutensis, & Regiæ, & solum leguntur in Sixtiana; cuius tamen lectionem seruant Nazianzen. Nicetas, Antiochus, Basilius, August. Eucherius, Eutim. & Theodoretus, ex quibus aliqui paulò aliter prædicta verba verterunt. Nazianz. Nicetas. Antioch. Basil.

44 *Sed in hoc glorietur, &c.* Ex Septuag. Theodoretus suprà. Vt veritas doctrinæ se habet, ita locuta est Anna. Non enim dixit: in hoc aliquis glorietur in rectè agendo, & cognoscendo Dominum; sed primum tanquam sedem, & fundamentum fidem posuit supra lapidem, qui est Christus Dominus, & sic virtutem subiunxit. August. Eucher. Eutim. Theodor. TROPOL. Idem.

45 *Intelligere, & scire Deum.* Ex Septuaginta. Augustin. suprà. Non parua ex parte intelligit, & scit Dominum, qui intelligit, & scit etiam hoc à Domino sibi dari, vt intelligat & sciat Dominum. *Quid enim habes, ait Apostolus, quod non accepisti.* MORAL. August. 1. Cor. 4.

46 *Facere iudicium, & iustitiam.* Ex Septuagint. Idem ibid. Facit iudicium & iustitiam, qui rectè viuit: rectè autem viuit, qui obtemperat præcipienti Deo, & finis præcepti, id est ad quod refertur præceptum, charitas est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. MORAL. August.

47 *In medio terræ.* Ex Septuaginta. Idem ibid. Quid est *in medio terræ*, neque enim non debent facere iudicium, & iustitiam, qui habitant in extremis terræ? Quis hoc dixerit? cur ergo additum est in medio terræ? Quod si non adderetur, & tantummodò diceret facere iudicium, & iustitiam, magis hoc præceptum ad vtrosque homines pertineret, & mediterraneos, & maritimos. Sed ne quisquam putaret, post finem vitæ, quæ in hoc agitur corpore, superesse tempus, Iudicium iustitiámque faciendi, quam cùm esset in carne non fecit, & sic diuinum euadi posse iudicium; *in medio terræ* mihi videtur dictum, cùm quisque viuit in corpore. MORAL. Idem. *Conuersio non differenda.*

48 *Et iustitiam in medio terræ.* Ex Septuaginta. Franc. Mendoza vers. 10. §. 17. Ideſt palam, & in luce hominum; quo fortasse sensu dixit Sunamitis 4. Regum 4. *In medio populi mei ego habito.* Ideſt non amo tenebras, conspectum hominum non fugio: in litigiis non viuo: mea omnia aperta sunt & expedita. LITERAL. Franc. Mendoza. 4. Reg. 4.

VERSVS X.

VVlgata. Dominum formidabunt aduersarij eius: & super ipsos in cœlis tonabit: Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. Vulgata.

Benedictina in margine. Domino conterentur aduersarij eius, & super ipsos in cœlis tonabit, &c. & dabit fortitudinem regi suo. Benedict.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnino. Domine conterantur rixæ eius; super ipsum è cœlis tonabit. Dominus iudicabit fines terræ, & dabit fortitudinem regi suo, & sublimauit cornu Christi sui. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Hostes Domini conterentur, & super ipsis in cœlis tonabit. Dominus iudicabit fines terræ, & dabit robur regi suo, exaltabitque cornu Christi sui. Vatab.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Dominus franget autores inimicitiæ, qui surgentes ad malefaciendum populo suo: super illos de cœlis in voce excelsa impellet. Faciet vltionem de Gog. & de exercitu gentium raptorum, qui venerunt ex finibus terræ; & dabit fortitudinem regi nostro; & multiplicabit regnum Messiæ sui.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Dominus ascendit in cœlos, & tonuit: ipse iudicabit fines terræ, iustus existens; & dabit fortitudinem regibus nostris, & sublimabit Cornu Christi sui. Et reliquerunt ipsum coram Domino ibi, & adorauerunt Domino.

Græca ex Septuaginta in Sixtiana. Dominus ascendit in cœlos, & tonuit. Ipse iudicabit extrema terræ, & dabit virtutem regibus nostris, & exaltabit cornu Christi sui.

August. *August. lib. 17. de Ciuit. cap. 4. tom. 5.* Ipse iudicabit extrema terræ quia iustus est, & dat virtutem regibus nostris.

Caiet. *Caietan. ibi* ex Hebræo. Iehouah. Frangentur litigatores eius super eum.

Isidor. *Isidor. Clarius ibi.* A Domino conuertentur aduersarij eius.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Hieron. Iosue. 10. 1 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Hieronymus. vel potius Autor Traditionum Hebraic. Super aduersarios suos Dominus in cœlis tonabit, sicut est illud in lib. Iosue. *Cùmque fugerunt à facie Israël, & essent in descensu Betheron, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo vsque Azecha, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israel.*

Mystic. Gregor. *Iudicium Dei quale.* 2 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Gregor. ibi. in. 1. parte Commentarij. Tunc formidabunt eius aduersarij, quando crucifixi virtute, omnia moueri conspexerint; cum eius iudicio vniuersa sumenti, cum per excelsos cœlos tonantis iudicia audierint æternæ suæ damnationis.

Alleg. Idem. 3 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Idem ibidem in 2. p. Commentarij. Cœli tunc sumus, cùm in altitudinem diuinæ gratiæ præsidentis nobis, subleuamur: & tonitrua contra eius aduersarios habemus, cùm validis sanctorum desideriorum vocibus, omne, quod nobis de eorum suggestione spirat, elidimus.

Literal. Rupert. 4 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Rupert. lib. 1. Commentarior. cap. 5. Ex tunc manifestius hoc fiet, vt videlicet Dominus super aduersarios suos tonet in cœlis; ex quo is ipse, qui vt egenus, & pauper mortificatus, & ad inferos deductus, rursùs viuificatus, & ab inferis reductus sublimatus est, vt sederet cum Principe Patre, & solium gloriæ teneret. Ex tunc enim tonuit super aduersarios suos magno, & terribili tonitru Euangelij, & vsque in finem sæculi tonare non desinit, quemadmodum & Apostolus dicit. *Reuelatur enim ira Dei è cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem in iustitia detinent.* Hinc illud est, quod & Propheta præcinuit. *Et intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam; grando & carbones ignis.* Psal. 17. Psal. 17. Nouissimus tonantis motus magno, & irreuocabili fulmine formidantes aduersarios faciet: dicet enim eis, qui à sinistris erunt. *Ite maledicti in ignem æternum, qui parat vt est Diabolo, & Angelis eius.* Mat. 25. Mat. 25.

5 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Beda lib. 1. Expos. Alleg. cap. 4. Apertè distincti, & vltimi iudicij diem tremendum pronunciat, in quo, quia Dominum formidabunt aduersarij eius, iam modo necesse est nondum visum illum humiliter formidemus; vt tunc eius visa maiestate gaudeamus. Tropol. Beda.

6 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Glossa Ordinaria ibi. Idest Dæmones, & peccatores obstinati. Literal. Gloss.

7 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Abul. ibi. quæst. 5. Illud intelligitur de bellis, quæ faciebant Iudæi contra Philistinos, & Dei virtute superabant. Hoc autem, quia aduersarij Dei formidabant eum, idest hostes Iudæorum, qui erant aduersarij Dei, timebant eum in pugna contra Iudæos. Vocantur autem inimici Iudæorum aduersarij Dei, quia quando Iudæi colebant Deum, ipse accipiebat hostes Iudæorum tanquam hostes suos. Exod. 23. *Quòd si audieris vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* Histor. Abul. Exod. 23.

8 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Rabbi Ionatham Abenuziel in Tregun, & apud Abulensem. quæst. 34. Scilicet Romani, & alij gentiles secundùm Iudæos, qui timebunt Deum cùm viderint Messiam in magna potestate pugnantem pro Iudæis. Histor. Rabbi Ionath.

9 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Caietan. ibi. Iuxta Hebræum habetur. *Iehouah, frangentur litigatores eius super eum.* Et est vocatiui casus Iehouah; apostrophat enim ad ipsum summum Deum, confitendo, quòd aduersantes Deo frangentur super eum, hoc est super quemlibet ipsorum; & hoc iuxta contextum literæ ad futuram quoque vitam spectat, in qua hoc adimplebitur manifestè; Vnde & aptissime subditur in Hebræo. *In cœlis faciet frangere eos.* Literal. Caiet.

10 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Titelman. in Paraphrasi. Atque ob hoc etiam formidabunt Dominum in sua potentia prævalentem omnibus, cuncti aduersarij eius, & aduersum illos de cœlis aduenies tonabit tonitru terribili, emittet aduersus inimicos suos, quo omnes eos vehementissimè perterrefaciat. Cùm enim veneris in maiestate sua, & apparueris in prævalenti fortitudine sua, tunc, præmisso sonitu terribilis tubæ formidabunt omnes impij aduersarij eius. Literal. Titel.

11 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Iansenius in Paraphrasi. Omnes aduersarij Dei in nouissimo die illum adeò formidabunt, vt nihil audeant, vel possint contra illum, aut hiscere, aut agere. Ipse enim super illos è cœlis horribile tonitru emittet, cùm ad iudicandum aduenies terribilis tubæ sonitum præmittet. Histor. Iansen.

12 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Antonius Agelli. ibi. Iam vel de Christo prophetat, vel de regno futuro de Tribu Iuda; quod quia Samuël dedicauit vncto Dauid in regem, ideò matri eius datum est, vt de eo regno prophetaret. Aut de ipso Samuele hoc dicitur: nam cùm Philisthæi exercitum aduersùs Israelitas duxissent, primo prælio, duce Israëlitarum Samuële, inito atque commisso, *Intonuit*, inquit, *Dominus fragore magno in die illa super Philistiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israël.* Literal. Agel. 1. Reg. 7.

13 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Franciscus Mendoza ibi. §. 8. Totus hic versiculus est prophe Literal. Mendoza.

propheticus de nouissimis Christi temporibus, vt plerique docent Interpretes, quicquid conentur Iudæi cum suo Ionathan. Chaldaico Paraphraste; vt refert Liran. non solùm hunc versiculum, sed totum hoc Canticum de sua republica interpretari. Quibus sanè Abul. plusquam par erat morigerus, priorem huius versiculi partem ad Iudæorum tempora detorquet.

Ionath. Lira. Abul.

LITERAL. Author Catenæ.

14 *Dominum formidabunt aduersarij eius.* Author Catenæ. Confirmatio quædam hæc est superioris immediatæ sententiæ; scilicet: *Non in fortitudine sua roborabitur vir, quia Dominum formidabunt aduersarij eius.* Nihil enim magis à viro forti alienum, quàm formido, quæ imbecillitatem, & impotentiam præ se fert.

MYSTIC. Gregor. Apostoli cœli.

15 *Et super ipsos in cœlis tonabit.* Gregor. ibi in 1. parte Commentarij. Qui cœlorum nomine hoc loco nisi sancti Apostoli designantur quibus profectò cœlis sublimitatis suæ gloriam Dominus repromittens, ait; *Sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel*: Mat. 19. Horum profectò cælorum tonitrua Iudæis Dominus insinuans ait. *Ipsi Iudices vestri erunt.* Super Iudæos igitur impios tunc in cœlis tonabit, quia à sanctis Apostolis tunc terribilia Iudicia suæ damnationis audient, vt eorum examine sententiam æternæ mortis accipiant, quos prædicantes humiliter vitæ æternæ bona persecutionibus affligebant.

LITERAL. Eutim.

16 *Et super ipsos in cœlis tonabit.* Eutim. ibi: *Dominus ascendet in cœlos, & super ipsos in cœlis tonabit*, ex Septuaginta. Prophetia est de Christi assumptione. Simili modo hic Prophetia continetur de sancti Spiritus descensu. *Facta est enim*, inquit, *vox de cœlo repente.* Futura autem prædicit prophetiæ lege, veluti iam facta.

HISTOR. Theod.

17 *Et super ipsos in cœlis tonabit.* Theodoret. ibi. Ex Septuaginta. *Dominus ascendit in cœlos, & tonuit.* Saluatoris nostri assumptionem prædicit, & Spiritus sancti aduentum, & eximiam vocem Apostolorum dogmatum, hoc est cælestem vim, & sonum tonitrui dedit Deus, quando Samuël messis tempore, cùm præsens esset, precatus est, & vôces per tonitrua horribiles edidit, vt dictæ vaticinationes indicant.

MYSTIC. Beda.

18 *Et super ipsos in cœlis tonabit.* Beda suprà. Sedet hodie Dominus ad destruendam prauorum contumaciam de cellis, luminosisque Scripturæ sanctæ paginis, quos spiritus eius ornauit, intonat.

HISTOR. Rabban.

19 *Et super ipsos in cœlis tonabit.* Rabbanus Maurus ibi. Quia justa retributio futura est in die Iudicij. Sed interim tonat de nubibus suis, quas Spiritu sancto impleuit, postquam cœlos ascendit.

LITERAL. Abul.

20 *Et super ipsos in cœlis tonabit.* Abul. ibi. quæst. 5. In quo prophetat Anna quendam euentum bellicum, quem habuerunt Iudæi, & contra Philistim; & fuit pauco tempore post hoc scilicet in ducatu Samuëlis filij huius Annæ infrà c. 8.

LITERAL. Rabbi Ionathan.

21 *Et super ipsos in cœlis tonabit.* Rabbi Ionathan suprà. Scilicet ad faciendum signa pro Iudæis ad destructionem Romanorum.

LITERAL. Hugo.

22 *Et super ipsos in cœlis tonabit.* Hugo Charen. in Postilla. Quasi dicat formidare debent eum aduersarij, & id est quia super ipsos in cœlis tonabit. sic legitur Iosue. *Sic mortui sunt multò plures lapidibus grandinis de cœlo, quam quos percusserunt gladio filij Israel.*

LITERAL. Saa.

23 *Et super ipsos in cœlis tonabit.* Emanuel Saa in Scholiis. Pro *de cœlis*, quasi dicat è cœlo interimet.

24 *Et super ipsos in cœlis tonabit.* Francis. Mendoza ibi. §. 27. Quorsum vera tonitrua? Credo duplicem ob causam, vnam quidem ad terrendos peccatores, qui olim mansuetissimas Dei voces contemnebant. Alteram vt incautos homines non præcipiter in gehennam, sed præmonitos ad pœnitentiam reducat. 2. Exponi potest de mysticis, seu metaphoricis tonitruis; hoc est de accusationibus, obiurgationibus, exprobrationibus, quæ de cœlis, hoc est ab Apostolis.

LITERAL. Mendoza.

LITERAL. Author Catenæ.

25 *Et super ipsos in cœlis tonabit.* Author Catenæ. Particula, seu coniunctio *Et*, interdum vim habet illationis, & causalitatis, nam idem sonat, ac *Quia* in sacro eloquio, cuius passim exempla occurrunt. Prouerb. 14. 7. Mat. 17. 6. Luc. 1. 13. Ioan. 4. 35. Actor. 26. 10. Psal. 54. 20. Formidabunt ergo Dominum aduersarij eius scilicet peccatores, quia super eos, vt in terrorem inducat, de cœlis, seu nubibus tonabit. Quod si inania tonitrua ita perterrefaciunt, quid de potenti dextera fulmina iaculantis dixeris? Meritò *dicent montibus, cadite super nos, & collibus operite nos.*

MYSTIC. LITERAL. Aug. Eucher. Ephes. 4.

26 *Dominus iudicabit fines terræ.* Augustin. lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 4. tom. 5. Prorsus ordinem tenuit confessionis fidelium. Ascendit enim in cœlum Dominus Christus, & inde venturus est, ad viuos, & mortuos iudicandos. Nam *quis ascendit* sicut dicit Apostolus *nisi qui & descendit in inferiores partes terræ*? Per nubes ergo suas tonuit, quas Spiritu Sancto, cùm ascendisset, impleuit, de quibus ancillæ Hierusalem, hoc est ingratæ vineæ comminatus est apud Esaiam Prophetam. *Ne pluant super eam imbrem.* Esaiæ. 5. Sic autem dictum est. *Ipse iudicabit extrema terræ*, ac si diceretur etiam extrema terræ. Non enim alias terræ partes non iudicabit, qui omnes homines proculdubio iudicabit; sed meliùs intelliguntur extrema terræ hominis extrema, quoniam non iudicabuntur, quæ in melius, vel deterius medio tempore commutantur, sed in quibus extremis inuentus fuerit, qui iudicabitur, propter quod dictum est: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Mat. 10. *Eadem verba habet* Eucherius.

Esaiæ. 5.

Mat. 10.

LITERAL. Greg.

27 *Dominus iudicabit fines terræ.* Gregor. ibi in 1. parte Commentarij. Qui sunt fines terræ, nisi vltima huius mundi? Fines verò terræ Dominus iudicabit, vt æquitatis eius sententia impunita, aut irremunerata nulla relinquat, quia dum in iudicio extrema concludit, aliqua non discutienda non deserit.

ALLEG. MORAL. Idem.

28 *Dominus iudicabit fines terræ.* Idem ibidem in 2. parte Commentarij. Non ait terram, sed *fines terræ*; fines quippe terræ sunt, qui vitæ suæ vltima cum culpæ perpetratione clauserunt: nam qui peccat, & corrigit quod delinquit terra est per peccatum, & fines terræ non est, quia delinquendo redemptionis suæ alta deposuit, sed ab imo depositionis suæ ante iudicium resurrexit.

LITERAL. Eutimi.

29 *Dominus iudicabit fines terræ.* Eutim. ibi. Hoc quoque ad vniuersalis iudicij prophetiam pertinet. Per extrema autem terræ vniuersum terrarum orbem significauit, vel homines ipsos, qui ex terra sunt.

LITERAL. Theodor.

30 *Dominus iudicabit fines terræ.* Theod. in Catena. Secundùm Christi aduentum vaticinata est.

LITERAL. Rupert.

31 *Dominus iudicabit fines terræ.* Rupert. suprà. Tanquam diceret: Ista, quam prædixi superborum, & humilium discretio, nondum appareret: nondum enim omnis egenus, & pauper solum

gloriæ tenet, neque in tenebris conticuit omnis impius, nec in præsenti vita Dominum formidant omnes aduersarij eius; imò è contra tanta securitate nunc impij viuunt, & super homines extolluntur, vt pene moueatur humilis adhuc infirmus. Nam ipse est, qui, vel cuius ex persona Propheta in Psalmis ita loquitur. *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super inimicos pacem peccatorum videns.*

Ps. 72.

LITERAL. Angelom.

32 *Dominus iudicabit fines terræ.* Angelom. in strom. Quod quamuis iuxta historiã possit intelligi, quia ipse iudicabit omnes fines terræ, iuxta quod per Prophetam dicitur, *quia in manu eius sunt omnes fines terræ.* Psalm. 94. Videlicet sua potestate cuncta decernens; tamen de futuro, vt diximus, accipitur iudicio, vbi iusta retributio futura est à Domino super filios Adæ. *Fines terræ* scit enim Dominus, quia extrema vitæ nostræ plus iudicat, & idcircò electos suos in fine solicitius purgat. Hinc est quod hic scriptum est, *Dominus iudicabit fines terræ*, quia tanto vltimis nostris inuigilat, quanto in ipsis initia sequentis vitæ pensat.

Ps. 94.

LITERAL. Beda.

33 *Dominus iudicabit fines terræ.* Beda suprà. Certum est Dominum non solùm fines terræ, sed etiam mediterraneas regiones iudicare. Sic ergo dictum est iudicabit fines terræ, ac si diceretur etiam fines terræ, quia *non est, qui se abscondat à calore eius* Sed melius intelligitur *fines terræ* extrema, vel vniuscuiusque hominis, vel totius mundi tempora dicere, quia qualis de corpore quis exierit talis offeretur districti Iudicis examini.

TROPOL. Isidor.

34 *Dominus iudicabit fines terræ.* Isidorus Hispalensis lib. 2. officiorum Ecclesiast. c. 16. Si quis circa finem suum per pœnitentiam desinat esse malus, non ideò debet desperare, quod in termino est vltimo vitæ: quoniã Deus non respicit, quales anteà fuimus, sed quales circa finem vitæ existimus: Ex fine enim suo vnumquemque, aut iustificat, aut condemnat; sicut scriptum est. *Ipse iudicabit extrema terræ.*

MORAL. Paterius. Greg.

35 *Dominus iudicabit fines terræ.* Paterius ex S. Gregor. lib. 29. Maoral. cap. 9. Pius conditor noster facturam suam non deserit; mala hominum, & per suam patientiam tolerat, & per eorum quandoq; conuersionem relaxat. Cùm autem duras, atq; insensibiles mẽtes respicit, modò eamis modò verberibus, modò reuelationibus terret, vt quę pessima securitate durauerant, salubri timore mollescant, quatenus vel serò redeant, & hoc ipsum saltem, quod diu expectati sunt, erubescant; scit enim Dominus quia extrema vitæ nostræ plus iudicat, & idcircò electos suos in fine solicitius purgat. Scriptum quippe est, *Deus iudicabit fines terræ.*

LITERAL. Abul.

36 *Dominus iudicabit fines terræ.* Abul. ibi q. 5. Scilicet, quod super omnes gentes exercebit iudicium suum disponens in illis quidquid voluerit. Et dicitur de finibus terræ, quia quicquid in terminis terræ clauditur; Dei est.

LITERAL. Charen.

37 *Dominus iudicabit fines terræ.* Hugo Charen. in Postilla. Tertia pars est, vbi prophetat de regno Christi. *Fines terræ*, quasi dicat: non solùm formidandus est Dominus, quia tonabit, sed etiam; quia iudicabit fines terræ ideſt non solùm mediterraneas regiones, sed etiam fines terræ, ideſt illos, qui sunt in finibus terræ.

LITERAL. Iansen.

38 *Dominus iudicabit fines terræ.* Iansenius in Paraphrasi. Dominus enim in nouissimo die iudicabit quotquot in omnibus terræ habitant terminis; quod tamen non per se ipsum facturus est, sed per Messiam filium suum, cui ante extremi iudicij diem tradet imperium vniuersi orbis.

LITERAL. Titel.

39 *Dominus iudicabit fines terræ.* Titelmanus in Paraphrasi. Si requiras, quisnam iste sit, qui hæc tanta sit facturus? Ecce Dominus Deus omnipotens, ipse iudicabit fines terræ; ipse dominabitur super vniuersos habitatores terræ ab Oriente, vsque ad Occidentem, & à Septentrione, vsque ad Meridiem.

LITERAL. Valentia.

40 *Dominus iudicabit fines terræ.* Iacobus de Valentia ibi. Iudicabit fines terræ per Samuelem; sed postea dabit imperium, & regnum regi suo Saüli per Samuẽlem, qui vnxit Saülem, sed postea reprobato Saüle sublimabit cornu, id est regnum Christi, ideſt vncti sui Dauid, 1. Reg. 15.

LITERAL. Mendoza.

41 *Dominus iudicabit fines terræ.* Franc. Mend. ibi §. 14. Aptius ad literam de secundo aduentu, extremoque iudicio hic versiculus exponitur. Nam cùm in littera fiat expressa mentio extremi iudicij, non est cur totus de secundo aduentu versiculus non intelligatur.

LITERAL. Augusti.

42 *Et dabit imperium regi suo.* Augusti. suprà. Et dat, inquit, virtutem regibus nostris, vt non eos iudicando condemnet. Dat eis virtutem, qua carnem sicut reges regant & in illo mundum, qui propter eos fudit sanguinem, vincant.

LITERAL. Eutim.

43 *Et dabit imperium regi suo.* Eutimius suprà. Regi nimirum Dauid, atque eius successoribus: atque hæc verba item prophetia non carent; tunc temporis enim Iudæorum populus Regibus nondum, sed Iudicibus regebatur.

LITERAL. Beda.

44 *Et dabit imperium regi suo.* Beda supra. Post vltimæ examinationis discrimen, regnum Christi, quod infideles modo despiciunt, ostensa diuinæ maiestatis suæ gloria sublime monstrabit, cornu autem Christi non solùm vnigeniti Filij Dei, verùm etiam vniuscuiusque electi eius non inconuenienter accipitur.

LITERAL. Theodor.

45 *Dabit imperium regi suo.* Theodoret. suprà. Prædicit eius posteros qui secundùm carnem fuerunt, qui à Dauide vsque ad tempus, quo in seruitutem abducti sunt, durarunt.

LITERAL. Strab.

46 *Et dabit imperium regi suo.* Strabus Fuldensis ibi: ideſt Ecclesiam, vnde *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Vel imperium, ideſt potestatem iudicandi, quia *omne iudicium dedit Filio.*

LITERAL. Rabban.

47 *Et dabit imperium regi suo.* Rabban. in Gloss. Regi suo, Christiano populo cui dat virtutem regendi carnem, vt in eo vincat mundum, qui propter eum fudit sanguinem suum.

LITERAL. Abul.

48 *Et dabit imperium regi suo.* Abul. ibi. q. 5. Scilicet Messiæ, quia tradidit sibi omnes gentes, scilicet quod sicut Deus iudicat omnes fines terræ, ita imperium iudicandi super omnes fines terræ dedit Messiæ, quia *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est.* Ioann. 5.

LITERAL. Caiet.

49 *Et dabit imperium regi suo.* Caietanus ibi. Iuxta Hebræum habetur. *Et dabit fortitudinem regi suo.* Adhuc non erant instituit reges in Israël, & propterea de rege Messia dicitur, quod Deus dabit ei fortitudinem, & sublimabit potestatem eius.

LITERAL. Titelman.

50 *Et dabit imperium regi suo.* Titelm. in Paraphrasi. Messiam siue Christum suum, illum, quem nasci faciet in plenitudine temporis, ipse exaltabit, magnificabit, & glorificabit. Exaltabit caput, siue cornu eius ipsúmque super omnia excelsum ponet, præ regibus terræ.

LITERAL. Aut. Caten.

51 *Et dabit imperium regi suo.* Autor Catenæ.

Rex

Christus Rex temporalis. Rex eius vtique Christus est, qui non solùm spirituale regnum est sortitus, sed & temporale, cum excellenti potestate super omnes reges terræ. *Rex enim Regum est, & Dominus dominantium.* Apoc. 19. Apocalyps. 19. Quod expressè Gabriel Angelus ad Mariam eius futuram matrem prædixerat Luc. 1. Luc. 1. *Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Sedes autem Dauid patris eius, seu regale solium non spirituale, sed temporale fuerat. Imò ipse Dominus Pilato interroganti cum fastu, *Ergo rex es tu?* Ioan. 18. Responsum cum affirmatione exhibuit. *Tu dicis.* Vbi de temporali regno ad mentem interrogantis sensus esse debet. Sed de hac re consulantur Alfonsus Mendoza Relectione de vniuersali Christi regno, & Franciscus quoque Mendoza tomo 1. in libros Regum annot. 5. sect. 3. & Ioann. Solorçan. qui nouissimè lib. de iure Indiarum, cumulatè admodum & eruditè, vt aliàs consueuit, de regno Christi, eiusque Vicarij Pontificis Romani tractauit.

Ioan. 18. Ioan. Solor. Alfonsus. Mendoza. Franc. Mendoza

LITERAL. Augustinus. 52. *Et sublimabit cornu Christi sui.* Augustinus suprà. Quomodo Christus exaltabit cornu Christi sui? De quo enim suprà dictum est. *Dominus ascendit in cælos,* & intellectus est Dominus Christus ipse; sicut hîc dicitur, *Exaltabit cornu Christi sui*, qui est Christus. Christus ergo Christi sui cornu exaltabit, ideſt vniuscuiusque fidelis sui, sicut ista ipsa in principio huius Hymni ait. *Exaltatum est cornu meum in Deo meo*; omnes quippe vnctos eius chrismate, Christos possumus dicere, quod tamen totum cum suo capite corpus vnum est Christus.

LITERAL. Gregor. 53 *Et sublimabit cornu Christi sui.* Gregor. suprà. Quando omnes electos in æterna contemplatione sui vnigeniti recipiet, & eis æterna illa & ineffabili maiestate præsideat, qui dum in præsenti vitæ peregrinatione viuerent, secum non erant.

LITERAL. Eutim. 54 *Et sublimabit cornu Christi sui.* Eutimius ibi. Hoc quoq; de Christo dictum est, cuius potentiam, & gloriam Deus super cælum exaltauit; *Super cælos enim*, inquit, *gloria eius.*

THEOLOG. Rupert. 55 *Et sublimabit cornu Christi sui.* Rupertus suprà. Huic regi imperium dabit, & cornu eius sublimabit, in eo videlicet, vt omnia sub pedibus eius subdita fiant. Dabit autem secundum humanitatem habenti omnia secundum diuinitatem: dabit inquam, per passionem obedienter promerenti, quemadmodum deuicta morte, iam emeritus dicit, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Mat. 28.

LITERAL. Hieron. 56 *Et sublimabit cornu Christi sui.* Hieron. in cap. 3. Abachuc. tom. 6. Moris est Scripturarum, vt semper cornua pro regnis ponant. Nam & illud, quod Anna loquitur in primo Reg. lib. *Exaltabit cornu Christi sui*, magnificentiam regni Saluatoris significat, & in Daniele decem cornua, decem regna demonstrant.

LITERAL. Hieron. 57 *Et sublimabit cornu Christi sui.* Idem in c. 39. Iob. tom. 6. In multis quoque aliis locis Scripturarum Cornu nuncupato, legimus superbiam nominari: licèt & in bonam partem cornu soleat dici, vt est illud; *exaltabis cornu Christi sui.* Nam & ipse Dominus Christus propter singulare imperium suum aliquando, & vnicornis dicitur.

LITERAL. Angelom. 58 *Et sublimabit cornu Christi sui.* Angelom. suprà. Quid per Cornu Christi nisi firmissimam, ac celsam potentiam suam debemus intelligere; quæ cuncta superemineat? de ipso namque Zacharias loquitur dicens; *Erexit cornu Salutis nobis.* Ossa siquidem omnia carne inuoluta sunt: cornu excedit carnem, & ideò cornu salutis regnum Saluatoris Christi vocatur, quod cuncta gaudia huius sæculi superat.

LITERAL. Interl. 59 *Et sublimabit cornu Christi sui*, Glossa. Interl. ibi. Cornu Christi capitis scilicet, & membrorum, regnum sublime monstrabitur, quod nunc ab infidelibus despicitur.

LITERAL. Lira. 60 *Et sublimabit cornu Christi sui.* Lira. ibi. Ideſt vncti sui. Christus enim in humanitate fuit vnctus plenitudine gratiæ.

LITERAL. Abul. 61 *Et sublimabit cornu Christi sui.* Abul. ibi. quæst. 5. Ideſt faciet, excellentiam Messiæ esse valdè magnam, quia præposuit eum omnibus gentibus, & populis. Vocatur autem Messias Christus, ideſt vnctus. Omnes enim reges apud Iudæos vocabantur Vncti, vel Christi; quia efficiebant Reges per vnctionem. Hic finitur Canticum Annæ, quod aliqui totaliter exprimunt de Ecclesia, & Synagoga sicut nos exposuimus de Anna & Phenenna. Sed ista expositio non est litteralis, sed Allegorica.

LITERAL. Lorin. 62 *Et sublimabit cornu Christi sui.* Lorinus in Psalmum 2. vers. 2. De hoc quoque matris Samuelis verba sunt. *Sublimabit cornu Christi sui.* Nam Christus, vt est Deus à patre vnctus est diuinitate; & vt homo tum eadem diuinitate per vnionem hypostaticam; tum gratia creata, quæ non daretur eidem Christo, vt homini, nisi simul esset Deus.

LITERAL. Cornel. 63 *Et sublimabit cornu Christi sui.* Cornelius à Lapide in Commentario. Est hoc quintum sextum, & septimum Annæ oraculum de Christo post mille, & trecentos annos nascituro, quo illi eminus quasi applaudit, & gratulatur. Vbi aduerte Annam esse primam in Scriptura, quæ hic exprimat nomen Messiæ, siue Christi: hucusque enim in Pentatheuco *Iesua* & *Iudica* nomen Christi non audiuimus.

VERSVS XI.

Vulgata. VVlgata. Et abiit Elcana Ramatha in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Abiit autem Helchanah in Ramah in domum suam: puer autem ministrabat Domino coram Heli Sacerdote.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Abiit itaque Elcana in Ramah domum suam, puer verò ministrabat Domino coram Heli Sacerdote.

Ariasm. *Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et iuit Elkanah ad Ramatha ad domum suam: & puer fuit ministrans ante Dominum in vita Gheli Sacerdotis.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Compl. & Regia.* Et receſserunt in Aramathaim in domum suam, & puer Samuel erat ministrans Domino ante faciem Heli Sacerdotis.

Sixtina. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et reliquit eum ibi ante Dominum, & abiit in Armatham, & puer erat ministrans facie Domini coram Heli Sacerdote.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor.

1 *Abiit autem Elcana Ramatha.* Gregor. lib.2. Variarum Expos. cap.2. Quem profectò virum humani generis Redeptorem, Annam verò coniugem eius Ecclesiam;puerum Samuelem credentium de gentibus populum, Ramatha quoque ciuitatem cœlestem patriam designare ostendimus.

MYSTIC. Beda. *Elcana Christi typus.*

2 *Abiit autem Elcana Ramatha.* Beda lib.1. Expos. Allegor. cap.5. Vocata nuper ad fidem Ecclesia Gentium, quod natiuitatem B. Samuelis significare diximus; *abiit possessio Dei*, quæ est coæterna eius sapientia Christus ad illustranda, sicut semper, sanctorum suorum celsa corda fidelium, & Angelorum, & hominum, quæ sunt domus eius supra petram fidei fortissimè contra inferi portas erecta.

TROPOL. Carthus. *Prælati & Prædicatores fortunam studeant.*

3 *Abiit autem Elcana Ramatha.* Carthus. ibi art.6. Per quod significatur quod Sacerdotes, Pastores, Prælati, & Prædicatores verbi Dei, mox vt in Ecclesiis, & circa subditos, vel proximos suum compleuerunt officium, debeant euagationes, & fabulationes vitare atque ad loca intrare secreta, vt ibi conscientiæ suæ domum, seu interiora cordis sui discutiant,& emendent, Deoque vacent quatenus orando, & meditando seque deuotionaliter exercendo, obtineant illuminationem tam copiosam, & feruorem tam validum à Spiritu sancto, quod rursus tempore opportuno queant alios magis idoneè informare, purificare, accendere.

LITERAL. Abul.

4 *Et abiit Elcana Ramatha.* Abul. ibi. q.5. Suprà describebatur oratio, quam fecit Anna, cùm obtulit filium: hic ponitur recessus, scilicet quòd venit Anna cum viro suo Elcana in domum suam, & reliquerunt filium suum in Sanctuario.

TROPOL. Mendoz. *Templorum religio.*

5 *Et abiit Elcana Ramatha.* Franc. Mend. ibi. §.1. Finita oratione cùm iam in templo nihil agendum superesset;in vrbem ac domum suam redierunt;neque enim templum inaniter fabulandi, aut spectandi, aut otiandi locus est, sed piè, deuotè, studioséque orandi.

TROPOL. Salian. *Anne quanta Virtus.*

6 *Et abiit Elcana Ramatha.* Iacobus Salian. tom.3. Annal. Anno Mundi 2903.n.18. Acceptum iam filium Deo dare, & quasi depositum restituere illi, qui dederat, quem tot lachrymis, precibusque coemerat, propter quem tot annis, ieiuniis se se suspiriisque confecerat; hoc demum non muliebris, sed penè heroicæ virtutis fuit. Separare à se filium suum, id erat euellere à se lumen oculorum suorum, viscera sua, gaudium cordis sui, & penè ad pristinam sterilitatem redire.

TROPOL. Author Catenæ. *Fœmina marito deferat.*

7 *Et abiit Elcana Ramatha.* Autor Catenæ. Licèt Septuag. in Sixtiana hanc reditus actionem Annæ adscribant, nempe. *Et reliquit eum ibi ante Dominum, & abiit in Armathem.* Complut, etiam & Regia vtrique coniugi attribuant. *Et reliquerunt ipsum coram Domino ibi, & adorauerunt Domino, & recesserunt.* Vulgata nihilominus vni Elcanæ assignat iuxta Hebræum, & Chaldæum. Ne ergo coniugatæ fœminæ domesticum imperium, & regimen sibi arrogent, sed viris, vt par est, honoris ergo deferant.

MYSTIC. Gregor.

8 *Puer autem erat minister in conspectu Domini.* Greg. suprà. Minister itaque erat Samuel in conspectu Domini, quia in nouæ religionis obsequiis omnipotenti Deo gentilis populus valde acceptus fuit. Quo nimirum verbo Iudææ quoque repulsio latenter innuitur, dum solus Samuel, in quo gentium populus exprimitur ante Dominum ministrare perhibetur. *In conspectu Domini.* Quia placidum omnipotenti Deo ministerium præbuit, minister in conspectu conditoris fuit. In conspectu etenim Domini est, quem in oblatione obsequiorum diuina dignatio libenter aspicit.

HISTOR. Auguſt. *Samuelis infantia.*

9 *Puer autem erat minister in conspectu Domini.* Auguſt. in Pſ.98. tom.8. Samuël quid fecit infans ad templum datus? omnes ætates suas inter Sancta Sacramenta Dei peregit, ab ineunte ætate famulus Dei.

MORAL. Carthuſ.

10 *Puer autem erat minister in conspectu Domini.* Carthuſ. ibi art.5. Qui ab innocentia, & puritate non à morum insolentia puer vocatur; sed & ætate extitit puer: moribus autem, & sapientia fuit vir. *Ante faciem Domini*, qui Samuelis ministerium approbauit.

LITERAL. Lira.

11 *Puer autem erat in conspectu Domini minister.* Lira. ibi. Ex hoc patet quod suprà dictum est, scilicet quòd Elcana pater Samuelis fuerit de Tribu Leui: aliter filius eius non posset ministrare, in templo Domini.

LITERAL. Abul.

12 *In conspectu Domini.* Abul. ibi.q.5. Dicitur quòd ministrabat in conspectu Domini, id est in Templo, & quia Deus ibi specialiter habitare dicitur, quidquid ibi fiebat erat coram Domino. Non est tamen intelligendum, quòd ministraret Samuël faciens sacrificium, vel aliquid Sacerdotale, sed in opere Leuitico, cùm ipse esset de stirpe Leuitarum. Quod autem erat ministerium, quod faciebat Samuël in templo declaratum est præcedenti capite; præcipuè enim vigilabat in custodia Sanctuarij dormiens in Templo qualibet nocte circa locum, in quo erat Arca, vt sequenti capite. Ministrabat quoque in omnibus aliis, quæ iubebat ei Heli Sacerdos.

LITERAL. Caiet.

13 *Puer autem erat minister in conspectu Domini.* Caietan. ibi. Non intelligas Samuelem in tam tenella ætate ministrasse Domino, sed describi ipsum ætate, qua poterat ministrare.

LITERAL. Mendoza.

14 *Puer autem erat minister in conspectu Domini.* Francis. Mendoza ibi. §.2. Non est hîc sermo de illo tempore immediatè post dicessum Annæ à Tabernaculo, sed per anticipationem de illo in quo Samuël per ætatem habilis iam erat ad ministrandum.

LITERAL. Salian. *Samuelis pueri ingenuitas.*

15 *Puer autem erat minister in conspectu Domini.* Salian. tom.3. Annal. an. Mun. 2097. num.2. Scriptura nihil exprimit, significatque dumtaxat puerum indutum Ephod lineo stetisse coram Heli in procinctu ad agendum, quod ille innueret, aut iuberet. Portigebat librum Sacerdoti, cùm opus foret, ac reponebat in loco suo, cùm reddebatur: præferebat Seni lumen, quando illo opus haberet: mox enim oculi eius caliginosi fuisse perhibentur: hunc aut illum è Sacerdotibus ad eius nutum accercebat, aliáque id genus pluscula. Sed omnia multa cum gratia, candore, ac diligentia: nihil in eo querulum, aut litigiosum cum Sodalibus: nihil fictum in loquendo, vel simulatum: nihil in agendo nimis molle, aut delicatum, vt contingit puerulis blandè, atque amabiliter educatis; propterea quòd placebat tam Domino, quàm hominibus. Cui etiam beneuolentiæ non parum seruiebat externa species ingenui corporis; internum ingenij lumen, quod emicaret in oculis; memoriæ promptitudo; loquendi gratia; expeditaque facilitas;

facilitas ; voluntas mitis, & obsequio maiorum egregiè addicta.

LITERAL. Author Catenæ. Mendoza. Augustin. Chrysost. Gregor. Ambros. Ignatius. Bernard. Sulpitius. Isidor. Haimo. Cyrill. Beda. Theodor. Nazian. Prosper. Q. Iulius. Vvalfri. Anselm. Primas. Bertrand. Cõst. Apos. Angelom. Lucifer. Sigonius. Scaliger. Catthus. Nauclerus. Cedrenus. Iosephus. Christopo. Naclant. Adrian. Sarauia. Ederus. Sedulius. S. Thom. Mendoza. Serari. Caiet. Hieron. Aug. Comest. Rabban. Charen. Arboreus. Barclaius. Cornelius. Torniellus. Sabellicus. Genebrar. Bellarm. Sigonius. Lira. Abul. Caiet. Cantap.

Samuël an Sacerdos fuerit.

16 *Puer autem erat minister in conspectu Domini.* Autor Catenæ. Non de eo præcisè tempore post parentum recessum à Tabernaculo sermonem fieri benè aduertit Mendoza: sed de eo etiam, quo Samuel grandior factus habilis iam fuit ad ministrandum. Dubium tamen est & satis contentiosum, quonam ministerij genere, aut gradu ministrauerit, an Sacerdotalis, an tantùm Leuitici. Autoritas PP. & Interpretum, Sacerdotem extitisse Samuëlem satis suadet. Sic enim eum vocant Augustinus lib. 17. de Ciuit. cap. 4. & 5. & in Psal. 98. Chrysost. Gregor. Ambrosius, Ignatius, Bernardus, Sulpitius, Isidorus, Haimo, Cyrillus, Alexand. Beda, Theodoretus, Nazianzen. Prosper, Quintus, Iulius Walfridus, Anselmus, Primasius, Petrus Bertrandus Constitutiones Apostolicæ, libro 8. cap. 1. & 46. Angelom. Lucifer. Carolus Sigonius, Scalig. Theophilactus in cap. 7. epist. ad Hebræos. Carthusianus, Nauclerus, Cedrenus, Iosephus, Christopolitanus, Naclantus, Adrianus, Sarauia, Georgius Ederus, & alij apud Mendozam in præsenti, & Serarium ad caput 7. lib. 1. Regum vers. 9. quæst. 1. Quibus adde Sedulium in priorem Epistolam Pauli ad Corinthios cap. 1. tom. 5. Biblioth. PP. ibi. *Sacerdotem fuisse probatur, quia Heli Sacerdoti successit, & hostias offerebat, & de eo Dominus ait.* Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, &c. Hæc Sedulius. Ratio autem enixè aduersatur. Neque enim de stirpe Aaron, sed de stirpe Leui processit Samuël, vt suprà constat ex cap. 1. vers. 1. Sacerdotium autem vni Aaronis familiæ annexum hæreditate fuisse patet Exodi 29. Leuitici 8. Numer. 3. & 16. 1. Paralipomenon 23. & 2. Paralip. 26. & alias sæpè. Gliscet inde etiam difficultas quod infrà. cap. 7. vers. 9. dicitur Samuel Sacrificium obtulisse, quod ei culpæ minimè datur; hoc autem, cùm vni Sacerdoti liceret, Sacerdotem fuisse probare videtur. Vexat hæc dudum quæstio Scripturæ studiosos. Ipse verò mihi habeo non admodum difficile solui posse; si dixeris, Samuëlem quidem, vtpote ex tribu Leuitica, ex natura rei, vt Philosophi loquuntur, Leuitam, non Sacerdotem fuisse; per accidens autem ex dono, & dispensatione Dei Sacerdotis munus obiisse, & Sacerdotis officio fuisse potitum. Quam sententiam docuisse videtur S. Thom. in caput 7. Epistolæ ad Hebræos lect. 3. Mendoza in præsenti. Serarius c. 7. vers. 9. quæst. & Caietanus ibid. PP. autem, qui Samuëlis Sacerdotium negant, vt sunt Hieronym. August. mutata iam sententia, Comest. Rabban. Charensis. Ioann. Arboreus, Barclaius, Cornelius, Torniellus, Sabellicus, Genebrardus, Bellarminus, Sigonius apud Serarium, Lira, Abul. Caietanus, Cantapet. & alij de Sacerdotio iure hæreditario comparato intelligi, & explicari debent, non autem de Sacerdotio ex singulari priuilegio, & dispensatione Dei, quo vtraque sententia facilè conciliatur, itavt Samuël verus Sacerdos non fuerit, cùm non descenderit ex Sacerdotali Tribu, & tamen Sacerdos dici possit, quòd ex speciali diuini Consilij dispensatione hostias interdum per se obtulerit. Rogas vnde hæc specialis Dei dispensatio pateat. Respondeo eam colligi à posteriori, pie enim credi non potest hominem Sanctissimum, & Deo intimè familiarem munus Sacerdotale impiè præsumptisse absque particulari Dei dispensatione, vel etiam imperio, cùm etiam nullibi ex eo reprehendatur, vt impius rex Hieroboamus, & alij.

17 *Ante faciem Heli Sacerdotis.* Gregor. lib. 2. Variar. cap. 3. Puer Samuël in conspectu Domini minister asseritur, quod tamen ministerium non absolutè, sed ante faciem Heli Domino exhiberi memoratur. His igitur verbis non ostenditur perfectio ministerij, sed humilitatis. Facies namque Heli vnuscuiusque institutoris ratio est arbitrij. Ille namque ante Præceptoris sui faciem Domino ministrat, qui in exhibitione ministerij sui, proprij arbitrij rationem non sequitur, qui eo operis itinere graditur, quod ei magistri sui cognitione præuiderur. Ante faciem ergo Heli, Samuel Domino ministrare dicitur, vt subiecti quique eius exemplo doceantur, quatenùs de ministerio suo sic placere Conditori studeant, vt præter Prælatorum suorum arbitrium agere aliquid non præsumant. TROPOL. Gregor. *Discipuli Magistris obtemperant.*

18 *Ante faciem Heli Sacerdotis.* Petrus Damian. Epist. 18. cap. 28. Planè nec virtus ordinantium eis augmentum est, qui per sinistra gradiuntur. Nec rursùs illorum prauitas illis officit, qui per lineam rectę conuersationis incedunt. Quid enim Samuëli præiudicasse cognoscitur, quod Heli discipulus fuit? aut quid profuit Nicolao, quod eum Apostolica electio in gradum Leuiticæ administrationis assumpsit. TROPOL. Damian. *Præceptoris malitia non officit.*

19 *Ante faciem Heli Sacerdotis.* Abulensis ibid. quæst. 5. Scilicet quod ministrabat ad omnia quæ illi iubebat. Quicunque autem ad mandatum alterius aliquid agit, dicitur agere ante faciem eius. LITERAL. Abul.

20 *Ante faciem Heli.* Saa in Scholiis. Quasi dicat sub disciplina, & imperio Heli. LITERAL. Saa.

21 *Ante faciem Heli.* Vatab. in Scholiis. Id est, de mandato Heli in his quæ illi præcipiebat Heli pro ætatula canendo, & pulsando instrumenta musica docente Heli, discebat Samuel legem Domini, & musicem. LITERAL. Vatab. *Samuel discebat musicem.*

22 *Ante faciem Heli.* Francisc. Mend. ibi. §. 4. Hoc est ad nutum & imperium Heli, quemadmodum & illud tertio Reg. 10. *Beati serui tui, qui stant coram te semper*, hoc est, qui tibi ad nutum famulantur. LITERAL. Mendoza. 3. Reg. 10.

VERSVS XII.

VVlgata. Porro filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnino. Filij autem Heli filij erant impij; nec cognoscebant Dominum. Pagnin.

Hebraica ex Francisc. Vatab. Porrò filij Heli, filij erant Belial, nec cognouerunt Dominum. Vatab.

Chaldaica ex Benedic. Ariasm. in Regia. Et filij Gheli viri improbi: non fuerunt cognoscentes ad timendum ab ante Dominum. Ariasm.

Græca ex Septuag. in Complut. & Regia. Et filij Heli Sacerdotis filij pestilentes & non scientes Dominum. Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Sixtiana. Et filij Heli Sacerdotis filij pestilentes non scientes Dominum. Sixtia.

Chaldæus apud Glossam Ordinariam. Timore Domini erant destituti. Chald. Glossa.

Caietanus. Filij Belhiahal non cognoscebant Dominum. Caiet.

Mendoza ibi. Apud aliquod Codices Græcos est Βελιὰρ. Beliar. Mendoza.

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Hieron. *Hæreticorum pœna.*

1 *PORRÒ filij Heli, filij Belial.* Hieron. in c. 4. Amos tom. 7. Cùm venerit contra Hæreticos dies iudicij atque vindictæ, tunc auferentur in armis, hoc est cum armis suis, quibus aduersùs Ecclesiam dimicauerunt, vel victi armatura Dei, & ab illius pugnatoribus superati mittentur in lebetes, vt exurantur, & excoquantur, qui fuerunt priùs negotiatores pestilentes, ad hoc enim negotiabantur, vt morti traderentur, quos deceperant. Isti sunt de quibus dicitur: filij Heli, filij pestilentiæ, quia cathedra pestilentiæ sederunt.

MYSTIC. Greg.

2 *Porro filij Heli, filij Belial.* Gregor. lib. 2. Variarum Expos. c. 2. Qui filij Heli sunt alij, nisi Israelitæ secundùm carnem, qui Scripturam sacram nouerunt à Patribus traditam, & tamen, quem Scriptura promiserat, nesciebant? Quos nimirum per semetipsum veritas in Euangelio increpat, dicens. *Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Ioan. 8.

Ioan. 8.

TROPOL. Greg. *Superbia obstat disciplinæ.*

3 *Porrò filij Heli, filij Belial.* &c. Idem ibidem cap. 3. Filij sunt, qui spiritualibus Patribus ad eruditionem subiguntur, qui profectò, cùm eorundem Patrum sequi consilia superbiendo despiciunt, Belial filij rectè nominantur, quia eius, qui per superbiam de cœlo cecidit Apostatæ spiritus imitatores fiunt, qui certè tanto deteriùs Dominum nesciunt, quanto eius sibi cognitionem arrogantiùs adscribunt. Eo namque agitur, vt quod scire debent periculosius nesciant quo id quod se scire existimant, nescientes discere non curant.

MYSTIC. Rupert. *Filij Heli quos significent.*

4 *Porro filij Heli, filij Belial.* Rupertus lib. 1. Commentar. cap. 8. Heli senex, & grandæuus significat Sacerdotium Vetus, imo veternosum, & inueteratum, quale tunc temporis extitisse cognoscitur, quando cum illo, & cum templo veteri ruituram Ciuitatem Hierusalem flevit Dominus IESVS Luc. 19. Porrò duo filij Heli, duos eiusdem temporis Pontifices significant Annam & Chaipham, reuera nescientes Dominum nec officium Sacerdotum ad populum, filij tamen Heli, quod interpretatur *Deus meus* non in isto quidem nomine gloriabantur, vt de Deo Patrum suorum dicerent *Deus meus, Deus meus.* Sed ita Deum labiis honorantes corde inhonorabant, & operibus.

HISTOR. Charen.

5 *Porrò filij Heli, filij Belial.* Charen. ibi Ophni & Phinees, circa homines iniurioſi, & circa diuinitatem impij nullique iniquitati parcebant.

TROPOL. Hugo Victor. *Mali Sacerdotes quales.*

6 *Porro filij Heli, filij Belial.* Hugo Victor. lib. 5. Allegor. c. 5. tom. 1. Duos Phinees sacerdotes legimus: alterum iustum filium Eleazari: alterum iniustum filium Heli. Sunt autem in sacerdotibus hodie, qui vtriusque typum tenent; Sacerdotes, qui custodiunt os suum, ne exeat inde aliquid prauum, in filio Eleazari figurantur. Qui autem habent os obduratum, vel imperitia, vel peccatorum conscientia, in filio Heli figurantur. Væ Sacerdotibus nostri temporis, vel noui Testamenti; qui sicut Ophni, & Phinees abiiciunt victimam Domini; qui paternæ & diuinæ correctioni non obediunt, sed quotidie se peccatis miserabiliter inuoluunt, conuersantes *in comessatione, & ebrietate, in cubilibus,* Rom. 13. *& in impudicitiis, in contentione, & æmulatione;* quia sicut illorum culpam sequuta est mors corporalis: hic & illorum vitam (nisi pœniteant) sequetur mors æterna.

HISTOR. Zonaras.

7 *Porrò filij Heli, filij Belial.* Zonoras tom. 1. Annal. Elio qui populum gubernabat, duo fuere filij, homines nefarij, & omni genere scelerum cooperti Ophnis, & Phinees, neque paternis monitis quidquam mouebantur.

TROPOL. Carth. *Clericorũ vitæ prohensio.*

8 *Porrò filij Heli, filij Belial.* Cartus. ibi art. 6. Per impios illos Sacerdotes intimoratos, auaros, adulteros, designantur nunc vniuersi Sacerdotes, & Clerici, Religiosi, atque Canonici, qui amplius quærunt commoda sua, & delectamenta immunda, promotionesque proprias, quàm Dei honorem, & animarum salutem, & Ecclesiastica bona, oblationes fidelium, & quæ Domino offeruntur, expendunt carnaliter, aut superbè, & auaritiæ student. Sicque sub professione, nomine, & habitu spiritualitatis cor gerunt repletum vanitatibus mundi, aut vitiis carnis. Idcircò sunt filij Belial, membra, & serui Diaboli, Satellites Dæmoniorum, quibus ineſtimabilis ira propinquat, & intoleranda damnatio proxima est, quia peccata eorum sunt coram Deo grandia nimis, nam & populum Dei enormiter scandalizant, aut bonis Ecclesiæ sunt prorsus indigni. Et quidam eorum sunt adeò intimorati, ac vitioſi, quod ea, quæ pro reparatione Ecclesiæ, & necessariis in diuino officio, aut condecenti ornatu Basilicæ offeruntur, in suos redigunt vsus, ne dicam in vsus Scortorum, & filiorum suorum. Quid dicturi sunt impij, & infelicissimi isti, cùm diuino tribunali fuerint præsentati.

HISTOR. Sabellicus.

9 *Porrò filij Heli, filij Belial.* Marcus Antonius Sabellicus Eneade 1. lib. 7. tom. 1. Heli duo filij erant Offinius & Phinees, viri effrænata libidine, auaritiaque inexplebili, quippe qui neque matronarum sacra adeuntium pudicitiam tutam esse cuiquam sinerent: neque denariorum quicquam tam sanctum esse, quod sacrilegæ manus non profanarent. Conuerterant populi oculos in se duorum fratrum scelera, sed patris autoritas summaque potestas obstabat; nec erat qui tantæ inuidiæ auderet se vindicem offerre: tacitus igitur tantorum scelerum exitum diuinamque vltionemque expectabat populus, quæ, quò tardior esset, eò atrocior futura sperabatur.

HISTOR. Abul.

10 *Porrò filij Heli, filij Belial.* Abul. ibi. q. 5. Hîc ponitur Secundum, scilicet delectio filiorum Heli; & primò agitur de eorum iniquitate, quæ consistebat in duobus, scilicet in præuaricatione Sacerdotij, & in fornicatione cum mulieribus, excubantibus ad ostium Tabernaculi, de quorum primo agitur hîc. Erant autem hi filj duo Ophni, & Phinees, quorum maior erat Phinees, & iam exercebat actus summi Sacerdotij pro patre suo, præcipiente illo, cùm ipse hoc non posset explere pro senectute, vt ait Iosephus 5. libr. Antiquit. in fine. Ioseph.

LITERAL. Abul.

11 *Filij Belial.* Idem ibid. Idest filij inobedientes. Belial dicitur inobediens, vel discordans, aut sine iugo; & ita omnes homines, qui non obediunt rationi, nec subduntur legi, dicuntur filij Belial. Sic patet Iudic. 19. Dicitur autem hoc de filiis Heli, quia non obediebant legi Dei quantum ad continentiam, cùm fornicarentur cum mulieribus excubantibus ad ostium Tabernaculi, nec obedierunt præcepto patris, & increpationi. Iudic. 19.

LITERAL. Pagn.

12 *Porrò filij Heli, filij Belial.* Pagn. lib. de interpretat. nominum Hebraic. lege *Beliahal.* Hoc est impius, & absque iugo; est enim compositum ex *Beli* quod est absque & *Hol* iugum, quo nomine appellatur, qui legis iugum ferre non vult pro quo *Targhum* ferè semper transfert *Rishal*, idest impietatem, D. verò Hieron. nunc apostatatam; nunc

Diabolum

Diabolum, nunc insipientem; interdum inutilem transfert. Potest dici Heli quasi *Halai*, id est supernè, vel ascensio mea ab *Halahah*, quod est ascendere.

LITERAL. Lauretus. 13 *Porrò filij Heli, filij Belial.* Hieron. Lauretus in Sylua Allegor. Belial, id est pestilens, aut peruersus, vel, absque iugo, siue, non ascendens; significat Diabolum patrem superbiæ, descensionis, & malitiæ 1. Reg. 2.

LITERAL. Mendoza. Marinus. *Belial quid.* 14 *Porrò filij Heli, filij Belial,* Franc. Mendoza ibi §. 2. Suppono nomen Belial non esse simplex, & radicale, quidquid dixerit Marinus in Arca Noë, sed compositum, ac derivatum. Et quidem de prima nominis parte, quæ est בלי *Beli*, & significat *non*, vel, *sine*, nemo dubitat. Secunda, quod non displicet

Leo à Cast. Leoni à Castro in suo Apologet. lib. 6. cap. 243. apud aliquos Codices Græcos est Ἀρὶ legentes Βελιὰρ. *Beliar* imitantes fortasse Hebræum vocabulum בדיאיר *Belier* hoc est sine luce. Nihilominus hæc lectio corrupta est.

LITERAL. Author Catenæ. *Belial quid?* 15 *Porrò filij Heli, filij Belial.* Autor Catenæ. Vocis *Belial* vti multiplex etymologia, varium etiam est significatum. Interpretatur enim, vel absque luce, vel sine iugo, vel sine profectu, vel sine ascensu. Vsurpatur autem vel pro exaggerata malitia, seu viro malitioso, & peruerso. Vnde pro quouis Apostata, pro Diabolo, & pro Antichristo frequenter supponitur, vt probant Primasius, Maluenda lib. 1. de Antichristo cap. 3. Et Salazar tom. 2. Prouerb. cap. 19. num. 101. Mendoza in præsenti & alij. Vnde etiam suprà cap. 1. vers. 16. Anna Sacerdoti ebrietatem exprobranti. *Ne*, inquit, *reputes ancillam tuam, quasi vnam ex filiabus Belial,* hoc est, fœminam turpem, & scelestam. Heli autem interpretatur Ascensio, quo emphatice illius filij, per correctionem filij, non illius, sed filij Belial vocantur. Quod interpretatur sine ascensu, vt degenerum filiorum discessus à paternis institutis, & moribus annotetur, & reprehendatur; nec tam ex paterna stirpe, quàm ex prauæ conuersationis dedecore genus traxisse credatur.

MORAL. Primas. Maluend. Salazar. Mendoza. *Filij Heli degeneres.*

MORAL. Origen. *Nescire Dominum quid?* 16 *Nescientes Dominum.* Orig. hom. 1. in Iudices. Sicut dictum est de filiis Heli, qui erant filij pestilentes *nescientes Dominum*, non quòd ignorarent Dominum, quia vtique & Doctores erant cæterorum, sed quia sic agebant, vt agunt illi, qui nesciunt Dominum.

MORAL. Idem. *Nosse Deum quid.* 17 *Nescientes Dominum.* Idem in Ioann. tom. 19. Sic enim liber diuiditur. Si quisquam alius nouit, quæ ad mundi effectorem pertinent, & quæ ad cultum Sacerdotalem, perspicuum certè est, inter hos fuisse filios Heli Sacerdotis, qui nutriti fuere in Dei cultu. Attamen eo quòd peccauerint scripta sunt hæc de illis in 1. Reg. *Et filij Heli, filij pestilentes non agnouerunt Dominum*, & respondentibus illis hæc ad mundi effectorem pertinere, quæremus quamobrem de filiis Heli dictum sit; *Non cognouerunt Dominum?* Vtrùm propter rationes de Deo mundi fabricatore, an propter malitiam ipsorum? Sed liquet propter malitiam ipsorum eos dici non agnouisse Dominum, quam rem non solum in filiis Heli inuenire licèt, verùm etiam in aliis, qui cùm regnarint in Israël, & Iudæa peccatores fuere. Isto igitur modo Pharisæi patrem non norunt, cùm non viuerent ex sententia patris.

TROPOL. Cyrill. Alexand. *Vera sapientia quæ?* 18 *Nescientes Dominum.* Cyrillus Alex. lib. 6. in Ioann. Sanè ij soli cognoscere Deum dicuntur, qui viam mandatorum eius perambulant, neque ab ea quaque versum declinant. Ideò de filiis Heli peruersis, & ministerio Sacerdotij indigne fungentibus dicit Scriptura. *Porrò filij Heli, filij Belial nescientes Dominum*, & Paulus de transgressoribus mandatorum Dei scribens ad Titum dicit: *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

MYSTIC. Gregor. *Iudæi non cognouerunt Christum.* 19 *Nescientes Dominum.* Gregor. supra. Nescierunt Dominum, qui venientem in carne nostra Redemptorem spreuerunt. Vnde per Esaiam quæritur dicens: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognouit.* Isaiæ 1. Isai. 1.

LITERAL. Hugo. 20 *Nescientes Dominum.* Hugo Charensis in Postilla. Ignorantiâ, vel negligentiâ, vel contemptu. Psalm. 81. *Nescierunt, nec intellexerunt.*

LITERAL. Abul. 21 *Nescientes Dominum.* Abul. ibi. q. 5. Idest isti non cognoscebant Deum ad colendum eum, quanquam bene cognoscerent eum ex lege, & ex miraculis, quæ sæpe fecerat propter Hebræos.

LITERAL. Rabbi. Dauid. 22 *Nescientes Dominum.* Rabbi Dauid Kimhi. Viam Dei nesciebant; hoc est, ius diuinum, & veras ministerij sacri leges.

LITERAL. Caietan. 23 *Nescientes Dominum.* Caietan. ibi. De scientia practica, quæ est ratio agendi, est sermo: nesciebant enim notitiâ electiuâ Deum, vt rationem agendi.

LITERAL. Saa. 24 *Nescientes Dominum.* Emanuel Saa in Scholiis. Idest, non parentes Domino, vt solent, qui superiorem non agnoscunt.

TROPOL. Barrad. *Sacerdotum vitia.* 25 *Nescientes Dominum.* Sebastian. Barrad. lib. 1. Itinerarij, cap. 7. Ecce opera hominum nescientes Dominum: filij Heli nescientes Dominum, nec officium Sacerdotum, fuscinulam habebant tridentem, qua ex ollis carnes Deo immolatas extrahebant. Similem in modum Sacerdotes, si qui sunt, qui nesciunt Dominum, nec officium Sacerdotum, fuscinulam habent tridentem, idest trium dentium plus quàm Elephantinorum, nimirum concupiscentiam carnis: concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Hac tridente fuscinula quidquid possunt, trahunt.

MORAL. Mendoza. 26 *Nescientes Dominum.* Franciscus Mendoza ibi §. 11. Vanissimi Sacerdotes Deum in hac vita contemnentes planè nesciebant: suo tamen malo in futura cognituri, iuxta illud, *cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Psalm. 9. Psalm. 9.

VERSVS XIII.

Vulgata. VVlgata. Neque officium Sacerdotum ad populum: sed quicunque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua.

Benedictina in margine. Nescientes Dominum; & consuetudo Sacerdotum erga populum erat, vt cum quis, &c.

Benedict. *Textus Glossa in margine.* Consuetudo autem Sacerdotum cum populo, erat quod quicunque immolasset victimam, &c.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et consuetudo Sacerdotum cum populo erat, quòd omni viro sacrificanti sacrificium, veniebat puer quando coquebatur caro, & fuscinula tridens erat in manu eius.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Quicunque sacrificabat sacrificium, mox aderat puer Sacerdotis, cùm caro adhuc coquebatur, fuscinulam tridentem manu sua gestans.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et statutum Sacerdotum à populo: omnis vir, qui

mactauit mactationem, & venit puer Sacerdotis dum coqueretur caro, & fuscinula, cui tres dentes in manu eius.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et iustificatio Sacerdotis ab omni populo immolanti. Et veniebat puer Sacerdotis cum coqueretur caro, & fuscinula tridens in manu sua.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et iustificatio Sacerdotis ab omni populo sacrificanti. Et veniebat puer Sacerdotis, dum coqueretur caro, & fuscinula tridens in manu eius.

Caietan. *Caietan. ibi. Legendum est.* Iudicium Sacerdotum cum populo.

Vatab. *Vatab. in Scholiis. Sic vertendum est.* Consuetudo recens inducta à Sacerdotibus cum populo (talis erat) Quicunque immolasset victimam, &c.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Neque officium Sacerdotum ad populum.* Gregor. lib. 2. variar. cap. 2. officium Sacerdotale Iudæa cognosceret, si ad redemptionem humani generis eum, qui à lege, & Prophetis fuerat promissus iam venisse prædicaret. In quem profectò, quia non solùm non credidit, sed etiam persequendo insaniuit; & Dominum nescit, & ad populum officium Sacerdotum.

Literal. Abul. 2 *Neque officium Sacerdotum ad populum.* Abul. ibi q. 6. Dicitur quòd nesciebant officium Sacerdotum ad populum, id est quantum ad illam partem, in qua communicant Sacerdotes ministrantes cum popularibus. Aliquæ enim sunt ministrationes in quibus inter se nihil communicant. Sicut in oblatione Thimiamatis, & panum propositionis, & incensione lucernarum, & ingressu in Sancta Sanctorum. Aliæ autem sunt ministrationes, in quibus communicabant Sacerdotes cum popularibus, sicut in Sacrificiis. Sed in istis adhuc non totaliter sed solùm in hostia pacifica; in qua malè se habebant filij Heli ad populum; quia cùm deberent ab eis accipere certam partem de hostia illa; accipiebant, quod volebant, vt patet infrà.

Literal. Caietan. 3 *Neque officium Sacerdotum ad populum.* Caietan. ibi. Legendum est, & iudicium Sacerdotum cum populo, hoc est ius inter Sacerdotes, & populum.

Literal. Mendoza. *Duplex negatio non affirmat apud Hebræos.* 4 *Neque officium Sacerdotum ad populum.* Francisc. Mendoza ibi. §. 1. Iuxta phrasim Latinam, sine negatione legendum erat, nescientes Dominum, & officium Sacerdotum. Nam addita negatione ad verbum *nescientes*, *neque officium Sacerdotum nescientes*, fit sensus affirmatiuus. Sed quia iuxta phrasim Hebræam duplex negatio non affirmat, sed vehementius negat, propterea vtramque reddidit Latinus Interpres.

Tropol. Mendoza. Ioseph. 5 *Neque officium Sacerdotum ad populum.* Idem ibidem §. 3. Vix adducor, vt credam tam impios homines ab illo sacrilegio abstinuisse, maxime dicente Iosepho eos *contra omne ius & fas omnia sibi licere arbitratos.* Quare non dubito omnia prophanasse; peccatum tamen in officio ad populum dumtaxat expressum esse, vel quod Deus facilius, suas, quàm suorum iniurias dissimulet: vel quod illud peccatum fuerit notius, & maioris scandali instrumentum; dum palam in omnium oculis exercebatur.

Allego. Gregor. 6 *Sed quicunque immolasset victimam.* Greg. suprà. Quid est immolare victimam, nisi veræ fidei omnipotenti Deo offerre confessionem?

Mystic. Idem. 7 *Veniebat puer Sacerdotis.* Gregor. suprà. Quis puer Sacerdotis est alius, quàm perfidis Synagogæ pastoribus subiectus populus; qui aptè puer dicitur, quia dum infirma legis ad literam tenere maluit, in virum perfectum crescere per Euangelium recusauit.

Literal. Isidor. Clarius. 8 *Veniebat puer sacerdotis.* Isidorus Clarius ibi. Iuſ fecerant Sacerdotes erga populum, quòd quicunque immolasset victimam veniebat puer Sacerdotis, &c.

Tropol. Pelusiota. 9 *Veniebat puer sacerdotis.* Isidor. Pelusiota epistol. 69. in lib. 1. An non rabidus venter, & carnium ereptio, & crapula, & insanus mulierum amor effecit, vt Ophni, & Phinees Sacerdotio, & Arca, & Tribuum imperio, & gloria, & honore truncati hostili gladio trucidarentur?

Literal. Abul. 10 *Veniebat puer sacerdotis.* Abul. ibi. q. 8. De isto puero dubitatur, cuius Sacerdotis puer sit? Dicunt aliqui quòd sit puer Sacerdotis Magni; quia hîc ponitur Sacerdos, nihil determinando, ergo intelligitur de Magno. Sed dicendum est quòd non, quia iste puer Sacerdotis, erat illius Sacerdotis, qui percepturus erat iura Sacerdotalia; iste autem non erat semper vnus sed aliquando vnus Sacerdos: & aliquando alius offerebat secundùm tempora sua: offerenti autem proueniebant omnia iura illius sacrificij quod faciebat. Vnde Sacerdos immolans hostiam pacificam habebat omnia iura illius. Luc. 7. Summus tamen Sacerdos non semper offerebat sacrificium; ideò non pertinebat ad ipsum accipere iura ista quotidie.

Literal. Liran. 11 *Veniebat puer sacerdotis.* Liranus ibi. De mandato filiorum Heli, qui erant Sacerdotes sub patre suo.

Literal. Vatab. 12 *Veniebat puer sacerdotis.* Vatab. in Scholiis. Consuetudo recens inducta à Sacerdotibus erat, vt veniret puer Sacerdotis dum coquerentur carnes, &c.

Tropol. Charen. *Episcopi reprehensi.* 13 *Veniebat puer sacerdotis.* Hugo Charen. in Postilla. Hæc est familia Domini, Episcopi habent modò tridentem, quo ad se trahunt omnia quæ possunt. Archidiaconos, Archipresbyteros, famulos: & tria trahunt de caldaria Sacerdotum, alimenta, pecunias, indumenta.

Literal. Saa. 14 *Veniebat puer sacerdotis.* Emanuel Saa in Scholiis. Puer, idest famulus, vel filius.

Literal. Toletus. 15 *Veniebat puer sacerdotis.* Franc. Toletus in cap. 7. Luc. Annot. 1. Nomen pueri tam filiis, quàm seruis & famulis commune est 2. Reg. 1. *Vocauit Dauid vnum de pueris suis.* at verò 1. Reg. 2. *Veniebat puer sacerdotis,* & ib. 12. *mortuo puero surrexisti.* 2. Reg. 1. *Puer quis?*

Literal. Author Catenæ. *Puer quis fuerit.* 16 *Veniebat puer Sacerdotis.* Autor Catenæ. Certum mihi habeo puerum hunc tyrannum, & rapacem alterutrum fuisse de filiis Heli; modò vnum, modò alterum, quam mihi sententiam duplex suadet ratio. Prima ex narratione, quia turpe facinus immediatè sequitur. *Et omne quod leuabat fuscinula, sollebat sacerdos sibi.* Vbi carnis extractor Sacerdos dicitur. Secunda quæ mihi potior est ex conclusione sacri Textus post relationem facinoris, vers. 17. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines à sacrificio Domini.* Vbi certum est, sensum esse de filiis Heli, qui eadem phrasi pueri vocantur. Neque enim credibile est crimen famulorum, imperio filiorum Heli parentium, rapinamque solùm materialiter exequentium, ponderari, & non potius sacrilegium ipsorum filiorum imperantium, & formaliter auertentium à sacrificiis venientes ad Tabernaculum. Nec magni momenti est Abulensis, & Mendozæ impugnatio, cùm sermo non necessariò sit de omni sacrificio, sed de his solùm, quæ vel ad Heli, vel eius

Abul. Mendoza.

impios

impios filios pertinebant, in quibus rapina, & violentia inferebatur. Cui alludere videtur Severus Sulpitius. Sulpitius dum refert. *Filios Heli Sacerdotium patris in quæstum vertisse.*

TROPOL. Nazianz. *Dei iustitia quam acru.*

17 *Et habebat fuscinulam tridentem in manu sua.* Nazian. orat. ad Episcopos. Quid de filiis Heli dicam? quibus ingluuies pestem & exitium accersiuit, quod profanas manus sacris ollis iniecissent. Quum ne ipse quidem Heli mortem effugit. Nam huic quoque tametsi alioqui viro bono, ac iusto, impia filiorum ingluuies perniciem inuexit, quamuis eos asperioribus verbis, probrisque insectari non destitisset. Quod si tantula peccata tam grauis ira Dei subsequuta est, quantò tandem eam in pluribus, maioribusque flagitiis grauiorem, accerbioremque fore existimandum est?

LITERAL. Abul.

18 *Et habebat fuscinulam tridentem in manu sua.* Abul. ibi. q. 8. Id est iste puer Sacerdotis portabat semper fuscinulam ad extrahendum carnes de locis, in quibus coquerentur, vt duceret Sacerdoti. Est autem fuscinula instrumentum pertinens ad ollam, & dicitur fuscinula de *fuscus, a, um*, id est niger, quia nigredinem contrahit propter fumum. Erat autem ista fuscinula de vasis Sanctuarij pertinentibus ad altare holocaustorum: fecerat enim Moyses lebetes, & forcipes, & ignium receptacula, & fuscinulas in altari illo. Exod. 27.

Fuscinula quid? Exod 27.

TROPOL. Mendoza. *Episcopi reprehensio.*

19 *Et habebat fuscinulam tridentem in manu sua.* Franciscus Mendoza ibi. §. 10. Vnde magis horum Sacerdotum improbitas, & iniquitas manifestatur, quod instrumento ad diuina Sacrificia destinato. Exod. 27. 3. ipsi ad sua prophana sacrilegia abuterentur. Quos imitantur illi Principes Ecclesiastici, qui baculo pastorali ad dirigendas oues, & in Christi caulas congregandas instituto ad easdem abigendas, & in Diaboli pistrina deturbandas abutuntur: qui Christi patrimonium ad sustentandos pauperes, transferunt ad locupletandos consanguineos, qui diuitias Ecclesiæ ad templa ædificanda, præposterè conuertunt ad palatia substruenda.

Exod. 27. 3.

VERSVS XIV.

Vulgata. *Vulgata.* Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam siue cacabum: & omne quod leuabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi. Sic faciebant vniuerso Israeli venientium in Silo.

VERSIONES.

Pagni. *Hebraica ex Xante Pagnino*, & percutiebat in concha, vel in aënum, vel in lebetem, vel in ollam; omne quod ascendere faciebat fuscinula, accipiebat Sacerdos sibi. Sic faciebant vniuerso Israeli venientibus illuc in Siloth.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Quam incutiebat in lebetem aut ahenum, in cacabum, aut ollam. Quidquid ergo fuscinula educebat, accipiebat Sacerdos sibi. Ad hunc modum faciebant omnibus Israëlitis, qui veniebant in Silo.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedic. Ariasm. in Regia.* Et infixit sibi in lebete, vel in olla, vel in caldare, vel in tripode; omne quod extraxit fuscinula, accepit Sacerdos animæ suæ: sic facientes omni Israel, qui venientes ad sacrificandum ibi in Siloth.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia.* Et mittebat eam in lebetem, vel in ollam, vel in Chaldariam: & omne, quod ascendebat in fuscinula, accipiebat sibi Sacerdos. Secundùm hæc faciebant vniuerso Israel in Silo venientibus ad immolandum Domino.

Græca ex Septuaginta in Sixtiana. Et percutiebat in lebetem magnum, vel in caldariam, vel in ollam, & omne quodcunque ascenderet in fuscinula, sumebat sibi Sacerdos. Iuxta hæc faciebant vniuerso Israel venientibus sacrificare Domino in Silon. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

HISTOR. Chrysost.

1 *Et mittebat eam in lebetem.* Chrysost. lib. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ. Horum hæc autem fuere crimina: ventris ingluuies, & fornicatio; *Edebant enim*, inquit, *antequam sanctificarentur sacra carnes*: priusquam offerretur Deo sacrificium.

HISTOR. Nazian.

2 *Et mittebat eam in lebetem.* Nazian. orat. 1. Scelus contrà sacrificium committebant, ollas ante tempus delibantes.

MYSTIC. Gregor.

3 *Et mittebat eam in lebetem.* Gregorius lib. 2. Variar. cap. 2. Quid vasa in quibus immolando caro coquitur, nisi fidelium mentes sunt? Qui dum mediatorem Dei, & hominum hominem Christum IESVM esse verum summi patris vnigenitum credunt, nimirùm in his caro coquitur, quæ Deo per deuotionis intimæ obsequium immolatur.

HISTOR. Eucher.

4 *Et mittebat eam in lebetem.* Eucher. vel potius Auror Commentarior. in lib. Reg. Filij Heli diuina sacrificia temerantes peccabant coram Domino, & deridebant per eos multi sacrificia Domini. Vnde Heli Sacerdos pro illorum iniquitate damnarus est, quod eos peccantes minùs seuera animaduersione plectebat.

LITERAL. Abul. *Lebetes qui?*

5 *Et mittebat eam in lebetem.* Abul. ibi. quæst. 8. Lebes est instrumentum æreum in Sanctuario, quod pertinebat ad vasa altaris holocaustorum, nam inter quatuor genera vasorum continentur lebetes. Exod. 27. sed accipitur dupliciter lebes: vno modo pro quodam vase amplo, & capaci disposito ad suscipiendum cineres Exod. 27. alio modo pro quodam vase aliter facto pertinente ad carnium decoctionem. Primo modo accipitur Exod. 27. cùm dicitur. *Faciesque in vsu eius lebetes ad suscipiendum cineres*: Et ilo modo sunt lebetes vasa altaris, vel offerentes dicentur vasa in quibus coquerentur carnes sacrificiorum. Constat autem quòd Moyses non fecit aliqua talia vasa, nec habentur in descriptione eius: potuit tamen esse quòd postea Israelitæ ex deuotione facerent talia vasa, quæ essent in sanctuario ad istos vsus determinata. Exod. 27.

LITERAL. Charen.

6 *Et mittebat eam lebetem.* Hugo Charen. in Postilla. Lebetem vasinus: caldariam vas maius, vt in abbatiis: in olla ænea in cacabumque, est vas fictile de luto.

MORAL. Mendoza.

7 *Et mittebat ea in lebetem.* Francisc. Mendo. ibid. §. 1. Septuag. Peutiebat in lebetem magnum, ad minorum discrimen, quem puer Sacerdotis omnium primum delibat, vtpote plus inde vtilitatis percepturus.

TROPOL. Author Catenæ. *Luxuria crapula comes.*

8 *Et mittebat ei in lebetem.* Autor Catenæ. Notatu dignum ceto inter filiorum Heli scelera effœnam eorum luxuriam non referri, nisi postea versu 22. vbi obit, & per anacephalæosim, seu recapitulationem indicatur: *Et quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium Tabernaculi.* Ratio autem ex mea, si qua est sententia ea est; cùm luxuria crapulæ comes sit, natúrque ventris ingluuiem, vbi capax eorum gula taxatur, satis etiam

eorundem lasciuiam exprimi, vt quę ventri cibis saginato continuò inhæret. Lebetes autem colligendis cineribus inseruiebant ex diuina institutione. Exod. 27. Et vt ita dicam, sarcofagorum munus obibant, vt sepulchri, mortisque memoria delinquentes in lebetibus Sacerdotes gulosos,& rapaces contineret. Neque hæc tamen eos cohibuit,neque vecordes alios, quibus ex more Ecclesiastico cinis capitibus, quotannis imponitur,vt obitus, resolutionisque suæ non immemores, sæculi gloriam, & inanem diuitiarum fastum contemnant.

Mortis memoria fractum.

LITERAL. Abul.

9 *Vel in caldariam, sive in cacabum, aut ollam.* Abul. ibi. quæst.8. Omnia ista sunt vasa seruientia ad decoctionem carnium: differunt autem in materia,& figura: illæ enim interdum fictiles sunt: cacabus autem caldariæ,vel lebetes ænei sunt. Etiam non est eadem figura, vel quantitas. In quolibet autem mittebat puer Sacerdotis fuscinulam, & ob hoc fuscinula erat tridens.

LITERAL. Mendoza.

10 *Vel in caldariam, aut in ollam.* Fran. Mendoza. ibi §.1. Omnia vasorum genera hic commemorantur, vt iniustitia filiorum Heli per omnia latissimè vagata intelligatur; nullum enim erat sacrificium, nullum coquendis carnibus ahenum, in quod ipsi per se,vel per suos ministros raptum, voratumque non inuolarent.

TROPOL. Nazian. *Diuinæ iustitiæ vm.*

11 *Et omne quod leuabat fuscinula,&c.* Greg. Nazian. in Apolog. 1. Tum id quod accidit Heli Sacerdoti,atque aliquanto post Ozæ accidit, compertum habeo; quorum alter sceleris etiam illius, quod aduersus Sacrificia filij committebant, carnium primitias ex ollis,priusquam fas esset, extrahentes,pœnas luit;idque,cùm eorum impietati non modò non suffragaretur, sed grauissimis quoque verbis eos hoc nomine identidem obiurgaret: alter quia Arcam à boue distractam tantummodo attrectare ausus fuerat, ita eam illæsam seruauit, vt sibi interim exitium accerseret.

LITERAL. Achitan.

12 *Et omne quod leuabat fuscinula,&c.* Prosper Achitanich. lib. de promissionibus Dei, parte secunda,cap.24. Dum filij Heli Sacerdotis malignè agerent indebitè præsumentes partes alias vesci ex carnibus immolandis, quas illis non mandauerat Deus; ac primitus sibi, postea Deo debere offerri; infectantes etiam mulieres venientes ad templum cum eis flagitia perpetrabant. Quibus sceleribus confectis iratus Deus, prælium eis aduersæ gentis immisit, in quo non tantùm cæsus populus, quantum etiam illi ipsi Sacerdotes interfecti, ipsa quoque Arca Dei ab hostibus apta est.

LITERAL. Rupert.

13 *Et omne quod leuaba fuscinula,&c.* Rupert. lib.1. Comment.cap.6. Tria scelera filiorum Heli Scriptura præsentat, propter quæ, & nominat eos filios Belial. Primum iam in eo est quod ait, *Et omne quod leuabat fuscinula ollebat Sacerdos.* Non enim quidlibet secundùm legem Sacrificij,sed certas quasdam portiones debbat Sacerdos tollere sibi, scilicet pectusculum,& armum dextrum, pectusculum in quam eleuaticijs,& armum separationis, quemadmodum in Leuit. 7. & Exod.29. plenius dicitur.

MYSTIC. Idem.

14 *Et omne quod leuabat fuscinula,&c.* Idem ibi. cap.8. Non expectabant id quod Doctoribus,& Sacerdotibus erat legitimum: scilicet hostiæ pectusculum, & armum dextrum, id *omne*, inquit, *quod leuabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi*; videlicet non exigebant,vt quisque reuiaret Domino viam suam pura cordis confessione ac deinde faceret fructus dignos pœnitentiæ; quid esset prius pectusculum; ac deinde armum dextrum ab offerente accipere, sed toti intendebant ad satisfaciendum auaritię suę,quod erat quasi carnes expiscari,quascunque poterant fuscinulâ,siue tridente.

15 *Et omne quod leuabat fuscinula,&c.* Iosephus lib.5. Antiquit.Iudaïc.cap.11. Contra omne ius,& fas omnia sibi licere volebant, nec contenti honorariis muneribus,etiam à rapinis non abstinebant. HISTOR. Iosephus.

16 *Et omne, quod leuabat fuscinula.* Angelom. in Stromat. Hic nihil aliud iuxta anagogem dicere possumus, niti secundùm moralem intelligentiam, quam solers Sapientum doctrina Ethicam vocat, qualiter multi per appetitum gulæ, & mucrone concupiscentiæ pereunt, quorum qualitates, vt liquidiùs Lector cognoscere possit, quinque modos, diuinarum Scripturarum freti autoritate, describere conabimur, *&c.* MORAL. Angelom.

17 *Et omne quod leuabat fuscinula.* Abul. ibi. q.8. Id est puer mittebat eam in incertum, non inquirens specialiter, quæ pars ad eum pertineret, sed quodcunque potuisset arripere, portabat in fuscinula pro Sacerdote. LITERAL. Abul.

18 *Et omne quod leuabat fuscinula.* Caiet. ibi. Primum peccatum filiorum Heli scribitur, tollere ex Sacrificijs pacificis absque discretione; Secundùm enim legem determinata erat pars Sacerdotis. LITERAL. Caiet.

19 *Sic faciebant vniuerso Israeli.* Abul. ibi. q.8. Non solum faciebant hoc ad quosdam offerentes, sed ad omnes Israëlitas, in quo erat peccatum grauc, cùm semper esset. LITERAL. Abul.

VERSVS XV.

VVlgata. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem,vt coquam Sacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam,sed crudam. Vulgata.

Textus Glossa in margine. Da mihi carnem, vt assem Sacerdoti.

VERSIONES.

Hebraïca ex Xante Pagn. Etiam antequam suffire facerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat viro immolanti: Da carnem vt asséam Sacerdoti: & non accipiet à te carné coctam, sed crudâ. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat sacrificanti. Da carnem, vt coquam Sacerdoti, neque enim accipiet a te carnem coctam, sed crudam. Vatab.

Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia. Et etiam nondum ascendere facient pinguedinem ad altare, & venit puer Sacerdotis, & dixit viro qui sacrificauit,& dixit: Da carnem ad assandum Sacerdoti, & non accipiet à te carnem coctam, nisi crudam. Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut.& Regia. Et antequam adoleretur adeps coram Domino, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat viro immolanti: Da carnem vt assem Sacerdoti, & non accipiam carnem à te coctam ex lebete. Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Sixtiana. Et antequam adoleretur adeps, veniebat puer Sacerdotis,& dicebat viro sacrificanti: Da carnem ad assandũ Sacerdoti,& non accipiam à te carné coctam de lebete. Sixtiana.

Caietan. ex Hebræo. Et non accipiet à te carnem elixatam, sed viuam. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

TROPOL. Chrysost. 3.Reg.17. *Primitiæ Deo.*

1 *ETiam antequam adolerent adipem.* Chrysost. homil. 15. ex Variis in Mathæum tom. 2. *Festina*, inquit, *& fac primum mihi.* 3.Regum 17. Non primum tibi,& postea mihi: non sicut Cain,& Ophni

Ophni & Phinees filij Heli Sacerdotis, qui despiciebant honorem Dei, primùm sibi Sacrificiorum primitias eligentes ex omnibus bonis, quæ Deo offerebantur.

MORAL. Chrysost. 2 *Etiam antequam adolerent adipem.* Idem hom. 8. in Epist. 1. ad Thessal. tom. 4. Filij Heli quoniam ante thimiama comederant, pœnas cum patre grauissimas soluerunt.

MORAL. Prosper. 3 *Etiam antequã adolerent adipẽ.* Prosper Achitanich. lib. de Promiss. parte 2. c. 24. Indebitè præsumentes primitùs sibi, postea Deo debere offerri.

MORAL. Rabbi Ber. Gerson. 4 *Etiam antequam adolerent adipem.* Rabbi Ber. Gerson. Curabant priùs suam mensam, quam Dei, quia præripiebãt carnes antequã adoleretur adeps.

Filiorum Heli petulantia.

5 *Etiam antequam adolerent adipem.* Rupert. lib. 1. Comment. c. 8. Nimirum peccata populi, quę per adipem hostiæ intelligunitur, nequaquã dignæ orationis incendio concremabant; & tamen pro ipsis peccatis mercedẽ non solũ accipiebant, verùm etiã emeriti mercenarij, siue operarij per vim extorquebãt. Vnde & illud cõtra eos propheticũ oris Domini improperiũ; *Peccata populi mei comedẽt.* Osee. 4.

MORAL. Rupert. *Filiorum Heli iniquitas.* Osee 4.

MYSTIC. Beda. 6 *Etiam antequam adolerent adipem.* Beda lib. 1. Expos. Allegoricę c. 5. Tantùm nequitia Pharisaicæ deceptionis progressa est, vt etiam antequam gratissimæ Deo dilectionis pinque munus offerẽdum docerent, quod ante cæteras virtutũ hostias ei singulare debet in ara cordis immolari, suum diuino cultui præferrent obsequium, dicentes miseris auditoribus, vt suæ quisque concupiscentiæ carnalis illecebras, non æthereę charitatis flamma Deo dignè consumerent, sed in conditoris iniuriam minùs castigatas, pro libito carnalium impenderent præceptorum.

HISTOR. Comest. 7 *Etiam antequam adolerent adipem.* Petrus Comestor, in Historia Scholastica. c. 4. Partem sacerdotalem de sacrificiis, antequam adolerent adipem, tollebant ab offerentibus crudam, vt lautius sibi præpararent eam. Et mittebat puer Sacerdotis fuscinulam in ollam, & quidquid leuabat fuscinula erat Sacerdotis, quod non erat portio, sed rapina.

LITERAL. Caiet. 8 *Etiam antequam adolerent adipem.* Caietan. in Comm. Secundùm peccatum scribitur quoad tempus, quia secundùm legem primùm cremari debebat Deo adeps.

LITERAL. Abul. 9 *Etiam antequam adolerent adipem.* Abul. q. 8. Istud est tertium delictum Sacerdotale scilicet, quod ante crematìonem adipis sumebant sibi partes suas Sacerdotes. Intelligitur autem hoc semper de hostia pacifica, de qua nihil dabatur Deo nisi adeps.

MORAL. Oleast. 10 *Etiam antequam adolerent adipem.* Hieronym. Oleaster Annot. Morali. in cap. 2. Exodi. Qui sancta Dei, ac primitias eius comedit, grauissimas daturus est pœnas, quales dedisse legimus filios Helitita & qui populum Dei deuorant, & in pios sæuiunt, daturi sunt.

MORAL. Mendoz. 11 *Etiam antequam adolerent adipem.* Francis. Mendoza ibi §. 4. Alteram inuenio deformitatem, ratione rei oblatæ, quia sicut non expectabant crematìonem adipis, ita forte neque ipsius separationem à carne, atque adeò cum carne adipem soli Deo debitum auferebant.

HISTOR. Idem. *Filiorum Heli rapinæ.* 12 *Veniebat puer Sacerdotis.* Idem ibidem. §. 14. Itaque minister Sacerdotis in hora sacrificiorum festinus aderat, & si quas carnes inuenisset in lebetibus iam igni applicatas, quia erat periculum in mora, ne si paululum cunctaretur, coquerentur, non postulabat, sed statim abripiebat: Si quas autem inuenisset adhuc à foco sepositas, primùm postulabat, & repulsam passus extorquebat; quæ diuersæ rapinæ tollebantur, vel eodem die à diuersis immolantibus, vel diuersis diebus ab eodem.

LITERAL. Author Catenæ. 13 *Veniebat puer Sacerdotis.* Author Catenæ. Scilicet Ophni, aut Phinees pueri, hoc est filij summi Sacerdotis Heli, & carnem crudam, antequam appararetur, exigebant ab offerentibus, vt allarent, aut curiosiùs, & lautiùs condirent Sacerdoti. *Vt coquã*, seu, vt est in Hebræo, *Vt assè Sacerdoti*, scilicet patri meo, aut fratri, ad quem hodie immolatio pertinet. *Vt coquam* autem dicit, non quod ipse immediatè condiret, sed quod ministris committeret apparationem.

LITERAL. Isidor. Gregor. 14 *Da mihi carnem vt coquam Sacerdoti.* Isidor. Hispal. lib. 2. de differentia spirituali, c. 35. Filij Heli extra morem, crudam ab offerentibus carnem tollebant, quam sibi accuratiùs præpararent.

LITERAL. Angel. 15 *Da mihi carnem vt coquam Sacerdoti.* Angel. in Strom. Prima, sicut hic textus historiæ edocet, filiorum Heli culpa suborta est, quod ex eorum voto Sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratiùs exhiberet. *Eadem omnino verba habet* Gregor. *lib. 30. Moral. c. 13.*

MORAL. Rabbi Leui. 16 *Da mihi carnem vt coquam Sacerdoti.* Rabbi Leui. Curabãt priùs suã mensã quã altare Domini.

LITERAL. Abul. 17 *Da mihi carnem vt coquam Sacerdoti.* Abul. ibi. q. 8. Suprà, veniebat puer ad offerentem, cùm carnes coquebantur, & non expectans, quòd coctæ essent, & quòd offerens daret ei partes, quæ ei proueniebant, ipse per se accipiebat: nunc autem, non erant carnes politę in lebete, sed crudę retinebantur apud offerentem, ideò puer Sacerdotis petebat ab eo, vt daret sibi carnem, quæ ei proueniebat.

MYSTIC. Greg. 18 *Non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam.* Gregor. lib. 2. Variar. c. 3. Carnem crudam puero daret, qui coram persecutoribus humanitatem Christi puram assereret, & eam puer Sacerdotis coqueret, quia per ignem malitiæ Iudaicus populus hoc putaret, quod eius Prælati in mentis suæ refectione libenter exciperent. Venit ergo puer Sacerdotis, & crudam carnem petiit, quando Iudaicus populus litterę legis seruiens diuinitatem Redemptoris negare fidelibus suggessit.

TROPOL. Idem. *Tres gulæ species.* 19 *Sed crudam.* Idem ibidem c. 3. Vt reprehensionis eius causas aperiat, ad omnem immolantem ignorantis Sacerdotis puer cum tridenti fuscinula venire memoratur, & crudam carnem violenter exigere; quibus profecto verbis in auiditate suæ rapacitatis tres gulæ species notantur: nam is, cuius puer, antequam coquerentur carnes, ad inferendam pro eis violentiam veniebat, legitimam refectionis horam sustinere non poterat, & cui carnes quærebantur, simplicibus cibis vti nesciebat: & quia coctam renuens, crudam carnem exigebat, communi præparatione eandem carnem edere fastidiebat.

TROPOL. Angel. *Quinque gulæ species.* 20 *Non enim accipiam à te carnem coctam.* Angelom. in Strom. Quinque gulæ modos diuinarum Scripturarum autoritate fieri, describere conabimur, sicut Papa Gregor. etiam suis dictis asseruit. Aliquoties namque indigentiæ tempora præuenit: aliquoties verò tempus non præuenit, sed cibos lautiores quærit: aliquoties quælibet, quæ sumenda sunt, præparari accuratiùs expetit. Aliquoties autem qualitate ciborum tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi, mensuram refectionis excedit: Nonnumquam verò abiectum est quod desiderat, & tamen ipso æstu immensi desiderij deterius peccat.

TROPOL. Hugo de Foilleto. Tilman. *Malè Religiosi describuntur.*

21 *Non enim accipiam à te carnem coctam.* Hugo de Foilleto, apud Tilmanum in Alleg. Bibliæ. Carnem crudam non coctam quærunt, qui tribulationis ignem fugientes, paupertati se subtrahunt, & labori. In camino enim paupertatis decoqui solent vitia carnis. Tales sunt quidam, qui morantur in claustro, quasi in Silo, qui nihil aliud faciunt, nisi quod, vel quomodo, vel quantum volunt. Hi sunt, qui cum mulieribus dormiunt, dum se carnis desideriis coniungunt.

TROPOL. Berchor.

22 *Non enim accipiam à te carnem coctam.* Petrus Berchor. lib. 9. Moralit. Bibliæ. cap. 2. Carnes crudas, ideſt malas mulieres habere volunt, nec non etiam carnes crudas, ideſt personas iuuenes, & carnales, secum habere eligunt: Coctas verò ideſt eruditas, & maturas repudiant, & dimittunt exemplo Roboam, qui relictis Senibus, iuuenes est sequutus, & sic suis malis scandalis seculares à sacrificando, ideſt à collatione bonorum temporalium Ecclesiis impediunt.

LITERAL. Caiet.

23 *Non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam.* Caietan. ibi. Iuxta Hebræum habetur carnem elixatam. Adiungitur enim malum malo, videlicet præuentioni temporis diuersitas modi, per quam tollebatur à parte Sacerdotis ratio Sacrificij, quod fiebat lixando.

LITERAL. Abul.

24 *Non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam.* Abul. ibi. quæſt. 8. Hoc erat quia volebant Sacerdotes delitiosiùs; ideò accipiebant carnem crudam, vt possent eam aliter, vt vellent, apparare, quod in jam cocta facere non poterant.

LITERAL. Mendoza. *Filiorum Heli iniquitas.*

25 *Non enim à te accipiam carnem coctam, sed crudam.* Franc. Mendoza ibi §. 13. Hebraicè, *sed viuam.* Quòd, si quis carnem viuam proprie accipiat: *Non accipiam à te carnem coctam, sed viuam,* maior Sacerdotum iniquitas apparebit, qui totam victimam integram, & viuentem rapiebant, non solum populum sua portione, sed etiam Deum suo adipe defraudantes.

VERSVS XVI.

Vulgata.

Vulgata. Dicebátque illi immolans: Incendatur primùm iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagn. Dicebarque ad eum vir: fulliendo suffire faciam hac die adipem, & tolle tibi sicut desiderat anima tua. Et dicebat. Nequaquam: sed nunc dabis, & si non dederis accipiam vi.

Vatab.

Hebraica ex Franc. Vatab. vir immolans respondebat ei. Omninò incendent adipem iuxta hoc quod hac die solet, & tunc accipe tibi iuxta animi tui desiderium. Qui respondet. Quin iam dabis, sin minùs vi tollam.

Ariasm.

Chaldaica ex Benedic. Ariasm. in Regia. Et dixit ei vir: Morare vsquequo ascendere facient pinguedinem, & accipe tibi, vt id quod voluerit anima tua. Et dixit: Non; quoniam nunc dabis, & si non, accipiam à te insuper coactionem tui.

Compl. Regia.

Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et dicebat vir immolans: incendatur prius adeps, vt decet, & tunc accipies tibi ex omnibus, quæ desiderat anima tua. Et dicebat: nequaquam, sed nunc dabis. Si autem non; accipiam vi.

Sixtin.

Græca ex Septuag. in Sixtiana. Et dicebat vir sacrificans: adoleatur primùm sicut decet adeps; & sume tibi de omnibus, quæ concupiscit anima tua. Et dicebat: nequaquam: quia nunc dabis: & si non, sumam violentè.

Flami.

Flaminius Nobilius in Scholiis Sixtiana. Pro *tolle tibi.* Alij, Et tunc sume: *vel*, Et tunc sumes quantumcunque &c.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor.

1 *Dicebatque illi immolans.* Gregor. lib. 2. Variar. Enarrat. in lib. 1. Reg. cap. 2. A bestiali siquidem appetitu cruda postulantem auertere nititur, qui ei ad libitum cocta pollicetur, quasi malè esurientibus Iudæis sancta Ecclesia responsum præbeat, & pro humanitate simplici, quam vorare per desiderium cupiunt, diuinitatis cibum repromittat dicens. Prius coqui sinite, quod ad refectionem vitæ habetis in Spiritu sancto intellectum. An non tunc puer Sacerdotis crudam carnem petiit, cùm illuminato à Domino eo, qui cæcus fuerat, natus diceretur. *Da gloriam Deo: nos scimus quia hic homo peccator est.* Quid est dicere: *Da gloriam Deo*, nisi non huic curationis tuæ laudes tribuas, quia Deus non est. Et quia peccator asseritur, non solùm Deus esse negatur, sed etiam homo iustus. Cui profectò crudam, quam petebant, carnem præbere noluit, coctam obtulit, quia quem salutis suæ aurorem instanter asseruit, ex ostenso tantæ admirationis signo, non solum hominem sanctum, sed verum Deum esse monstrauit. Ioan. 9. *Lucas Euangelicus pius.*

LITERAL. Rupert.

2 *Dicebatque illi immolans.* Rupertus lib. 1. Comment. cap. 6. Rectè dicebat immolans: *Incendatur primùm adeps*; quia videlicet adipem hostiæ prius incendi mos erat ex præcepto legis Domini.

LITERAL. Abul.

3 *Dicebatque illi immolans.* Abul. ibi. quæst. 8. Vocatur hic immolans offerens sacrificium: propriè autem immolans est ipse Sacerdos, qui animal occidit; ponitur vnum pro altero.

MORAL. Mendoza.

4 *Dicebatque illi immolans.* Francis. Mendoza ibi §. 1. Qui laicos docere, & corrigere ex officio tenebantur, à laicis docentur, & corriguntur. *Incendatur*, dicit Laicus, *primùm iuxta morem hodie adeps*: quasi diceret: Si ignarus peccas adsum instructor: si malitiosus, adsum hortator. Caue ne aut ignoranter, aut malitiosè delinquas. Igitur peiores erant laicis Sacerdotes. Quid magis præposterum esse potuit?

LITERAL. Abul.

5 *Incendatur primùm iuxta morem.* Abul. ibi. quæst. 8. Volebant offerentes, quòd obseruaretur ordo in ceremoniis, etiam si grauarentur ipsi, non multum curabant. Dicebant ergo *Incendatur primum* &c. in quo erant offerentes deuoti, nam ipsi ex deuotione offerebant, & ob hoc volebant obseruari omnes cæremonias. Sacerdotes autem solum seruiebant desiderio suo, non curantes, an aliquid peruerteretur in cæremoniis.

HISTOR. Charen.

6 *Incendatur primùm iuxta morem.* Hugo Charen. in Postilla. Mos erat in excoriatione animalium adipem præparare, qui primò accendebatur Domino super altare, sicut præceperat Dominus. Leuit. 3. Propterea crudas carnes offerebant ad altare, & oblatas coquebant communiter ipsi offeren

offerentes tam sibi, quàm Sacerdoti. Sed isti Sacerdotes, antequam adoleretur adeps Domino, auferebant partes suas crudas ab offerentibus, & lautiùs faciebant parari: Et præter hoc quantum poterat eorum puer trahere de partibus offerentium, cum fuscinula rapiebat.

MORAL. Author Catenæ. 7 *Incendatur primùm iuxta morem hodie adeps.* Auror Catenæ. Laude digna est pietas, & vrbanitas offerentis: pietas quidem, quia propriis cedit, ne sacri ritus proterantur: Vrbanitas autem, siue religio aduersus impium quoque Sacerdotem, cui non legis diuinæ perpetrationem ex c. 3. Leuitici, sed moris solùm dissolutionem obiecit. *Hodie*, idest hodierna saltem die, pro hac saltem vice, vt superciliosum sacerdotis imperium emolliret.

Leuit. 3.

LITERAL. Saa. 8 *Et tolle tibi quantumcumque, &c.* Eman. Saà in Scholiis; Scilicet solebat offerens dare Sacerdoti carnem elixam.

LITERAL. Abul. 9 *Qui respondens aiebat ei, nequaquam.* Abul. ibi. q. 8. Nam si permitteret priùs incendi adipes, quam ipse acciperet iura sua interim, coquerentur carnes & iam non posset accipere eas crudas, sed coctas, quod erat contra intentionem suam, cùm vellet illas multipliciter apparare.

LITERAL. Idem. 10 *Alioqui tollam vi.* Idem ibid. Quod dicebant, quia Sacerdotes erant Domini in Sanctuario, & viri magnæ potestatis; credebántque posse inferre violentiam quibuscunque.

VERSVS XVII.

Vulgata. *Vulgata.* Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à sacrificio Domini.

Aut. Caten. *Autor Catena.* Aliqua exemplaria habent, *Sacrificio Domini*, in casu dativi, vt sunt Benedictina, & Textus Glossæ.

Benedict. *Benedictina in margine.* Quia extrahebant homines Sacrificium.

Gloss. *Textus Glossa in margine.* Quia contemnebant homines Sacrificium.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Eratque peccatum puerorum magnum valdè coram Domino, quia contemnebant viri sacrificium Domini.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Fuit itaque peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quòd homines despectui haberent sacrificia Domini.

Arias. *Chaldaica ex Benedict. Arias. in Regia.* Et fuit culpa puerorum multa nimis ante Dominum, quòd spreuerunt viri oblationes Domini.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Compl. & Regia.* Et erat peccatum puerorum grande coram Domino nimis, quia detrahebant sacrificio Domini.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtiana.* Et erat peccatum coram Domino puerorum magnum valdè, quoniam contemnebant sacrificium Domini.

Caiet. *Caiet. in Commentar.* Quia abominabantur homines munus Iehouah.

Mendoza. *Francisc. Mendoza ibi. §. 16.* Quia contemnebant, seu blasphemabant sacrificia Domini. Sunt qui transferant. Quia cruebant oculos Maiestati diuinæ.

Isidor. *Isidor. Clarius ibi.* Quia abominabantur homines sacrificium Domini.

PP. ET AVCTORES.

THEOLOG. Augustin. *Manichæi impugnati.* 1 *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis.* August. lib. 1. aduersus Aduersarium legis, & Prophetarum cap. 16. tom. 6. Atenim propterea videtur huic (*aduersario legis & Prophetarum*) Deus legis, & Prophetarum, qui vnus, & verus est Deus crimine crudelitatis arguendus, quia propter leuissimas causas, vel etiam erubescendas pœnam mortis, vel corporalis inflixit; quod Dauid populum numeraliet, quod infantes (sicut iste dicit) filij Heli Sacerdotis de ollis, vel cacabis Deo præparatis aliquid degustassent, &c. Qua in re non dico filios Heli fuisse infantes, vt iste loquitur, nesciens quid loquatur, sed eius ætatis, qua possent, & deberent, pro sacrilego ausu, quo se Domino Deo in Sacrificiis præferebant digna coercitione cohiberi. Quod neglectum Deum non sibi consulens, sed populo, cui religio, pietasque profuisset, bello etiam vindicauit. Vbi Dei timorem potuerunt augere victuri per eorum mortes, qui fuerant, & si senescerent, post non longa temporum spatia morituri.

MORAL. Gregor. *Scandalum grave peccatum.* Ierem. 17. 2 *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis.* Greg. lib. 2. Variar. cap. 2. Grande nimis peccatum esse cognoscitur, quod pœnitentiæ lachrymis non deletur. Hoc namque nimis grande peccatum Synagogæ Propheta intuens ait: *Peccatum Iudæ scriptum est stilo ferreo vngue adamantino.* Ieremiæ 17. Vel certè grande nimis coram Domino peccatum erat, quia ad peccandum alios pertrahebat.

LITERAL. Gregor. 3 *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis.* Idem ibidem cap. 3. Cùm Sacerdotum voluptati seruiret peruersitas famulorum, quid est quod non ipsorum Sacerdotum, sed puerorum peccatum grande nimis etiam coram Domino fuisse memoratur? Sed eisdem verbis Sacerdotum culpa maior ostenditur; nam qui minorum peccatum grande nimis coram Domino fuisse asserit; maiorum iniquitatem in quem damnationis cumulum excreuisse cognouit. Quæ tamen magnitudo reatus asseritur, non solùm pro appetitu illicitæ comestionis, sed etiam pro violentia rapacitatis.

MYSTIC. MORAL. Beda. *Eucharistia qualiter tractanda.* 4 *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis.* Beda lib. 1. Expos. Allegor. cap. 5. Erat peccatum Scribarum, & Pharisæorum grande nimis coram Domino, tametsi coram hominibus se per hypocrisim iustificantium, quia ipsi homines cùm essent, rescindebant præceptum Dei per traditiones suas. Si autem grande nimis peccatum coram Domino commisère pueri, qui pecualium victimarum carnes indignè tractabant, quid putas eos mereri pœnarum qui stultitiâ puerili Filium Dei conculcauerint, & sanguinem testamenti æterni pollutum duxerint.

MORAL. Glossa Ordinaria. 5 *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis.* Glossa Ordinaria ibi. Sic est hodie, Quia propter malam vitam Clericorum, Curatorum, & Prælatorum, multi Laici, tam de Principibus, quàm de vulgaribus retrahuntur à bonis operibus, & ad mala illabuntur.

MORAL. Lira. 6 *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis.* Liran. ibi. Dicuntur pueri moribus, non ætate, quia iam erant homines prouecti.

LITERAL. Abul. 7 *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis.* Abul. ibi quæst. 8. Vocantur pueri, quia erant iuuenes ætate. Vel vocantur pueri illi, quos mittebat Sacerdos ad procurandum iura sua, de quibus

supra dicitur, quòd puer Sacerdotis habebat fuscinulam tridentem in manu sua, &c. Hic tamen magis vocantur pueri, duo filij Heli, scilicet Ophni, & Phinees; & hos quia istis duobus imponitur tota culpa, cùm dicatur suprà, quod erant filij Belial.

LITERAL. Idem. 8 *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis.* Idem ibid. Quamuis filij Heli alia enormia valdè committerent contra honestatem, scilicet, quòd dormiebant cũ mulieribus excubantibus ad ostium Tabernaculi, vt patet infrà, tamen principaliter expressit Scriptura errorem, qui fiebat circa sacrificia; eo quòd illa directiùs pertinerent ad cæremonias cultus eius. Sic enim Deus semper obseruabat in veteri Testamento. Nam quanquam aliqui errassent in præceptis, quæ erant contra ius naturale, vt in occisione, furto, & adulterio, non tam citò neque ita frequenter Deus puniebat illos, sicut delinquentes in aliquibus cæremoniis cultus eius. Sic patet de Nadab, & Abiu, qui solùm erraverunt in quadam cæremonia cultus diuini, scilicet quia obtulerant ignem alienum, & mortui sunt, Leuitic. 10.

LITERAL. Carth. 9 *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis.* Carthus. ibi art. 5. Peccatum erat grande, maximè filiorum Heli, & ministrorum eius.

LITERAL. Author Catenæ. 10. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis.* Autor Catenæ. Vox *Puer* Hebraicè, Græcè, & Latinè æquiuoca est, interdum enim supponit pro seruo. Sic 1. Machabæor. 1. Alexan. Macedo *vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti, &c.* Vbi Duces & Vasalli, pueri dicuntur. Interdum pro filio. Actor. 4. 27. Interdum pro puerulo paruo; denique pro iuuene adulto vt hìc accipi debet. Aduersarius autem ille legis, quem impugnat Augustinus suprà, infantes eos vocat, vel deceptus Græca vòce παιδαρια. Vel quod verius est, vt malitiosè Deo crudelitatem imponeret, qui minusculæ non pepercerit ætati.

1 Machab. 1.

Actor. 4. 27.

August.

LITERAL. MORAL. Mendoza. *Templi reuerentia.* 11 *Coram Domino.* Franciscus Mendoza ibi. §. 12. Dicitur coram Domino non solùm ab illa vniuersali ratione, qua omnia peccata Deo patent, sed etiam duplici alia de causa: vel quia erat immediatè contra Deum violando religionem, & cultum diuinum, & sacrificiorum leges: vel quia erat in loco sacro in Tabernaculo, & coram Arca; vbi diuina præsentia per oracula, & sacrificia peculiari quadam ratione fulgurabat; & ex vtroque cap. grauitas huius peccati incredibiliter augebatur.

MORAL. Gregor. 12 *Quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Gregor. suprà. Quia ad confessionem rectæ fidei progredi infirmorum corda prohibebant. Et notandum, quia qui retrahuntur à sacrificio, homines dicuntur, quia nimirum si in fidei nostræ vera confessione persisterent. Hos diuinus sermo filiorum Dei appellatione signaret, quibus profectò per Psalmistam Dominus dicit. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini.*

Psalm. 81.

HISTOR. Angelom. 13 *Quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Angelom. in Strom. Filij Heli diuina sacrificia temerantes peccabant coram Domino, & deridebant per eos multi sacrificium Domini.

TROPOL. Gratian. *Praui Sacerdotes deponendi.* 14 *Quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Decretum. 1. parte. distinct. 40. cap. *de His verò.* De his verò visum est nobis scribendum esse, qui sacros ordines habentes, & ante, vel post ordinationem contaminatos se esse in capitalibus criminibus confitentur, in quibus, vt mihi videtur, hæc distantia esse debet, vt hi, qui deprehensi, vel capti fuerint publicè in periurio, furto, atque fornicatione, & cæteris huiusmodi criminibus, secundùm Canonum sacrorum instituta à proprio gradu decidant, quia scandalum est populo Dei, tales personas supra se positas habere, quas vltra modum vitiosas esse constat: nempe inde retrahuntur homines à sacrificio Dei, sicut quondam Heli filiis peccantibus feciſse leguntur.

LITERAL. Caiet. 15 *Quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Caietan. in Commentario. Peccatum Sacerdotum, & Ministrorum grande valdè apud Deum describitur, ex eo quòd causabant in aliis abominationem diuinorum sacrificiorum.

MORAL. Mendoza. *Deus suorum potiùs iniurias vindicat.* 16 *Quia retrahebant homines à sacrificio Domini.* Franciscus Mendoza ibid. §. 12. Deus tam ægre fert alienas iniurias, præsertim, quæ in damnum cadunt spirituale animorum, vt de illis potius, quàm de suis conqueratur.

VERSVS XVIII.

VULGATA. Vulgata. Samuël autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnino. Samuël autem ministrabat coram Domino, puer accinctus ephod lineo. Pagn.

Hebraica ex Francisco Vatab. Samuël verò puer ministrabat coram Domino amictus ephod lineo. Vatab.

Chaldaica ex Benedic. Ariasm. in Regia. Et Samuël ministrans ante Dominum iuuenis indutus chardot byssi. Ariasm.

Græca ex Septuag. in Complut. & Reg. Et Samuël erat ministrans ante faciem Domini, puer accinctus ephod. Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Sixtiana. Et Samuël erat ministrans coram Domino, puer accinctus ephod Bad. Sixtian.

Procopius in Comment. Accinctus ephod Bar, & parua tunica. Procop.

Flaminius Nobilius in Scholiis Vatab. Ephod. Achila superindumentum insigne selectum: Scholiastes ex Simmaco. Ephod lineum, & palliolum paruum. Flamin. Achila. Simmacus.

Francisc. Mendoza ibid. §. 2. Coram Domino Hebraicè, Ad facies, seu, in faciebus Iehouah. Mendoza.

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Chrysost. *Samuelis pueritias.* 1 *Samuël autem ministrabat.* Chrysost. hom. 2. de Anna tom. 1. Quanquam ætas esset immatura, virtus tamen aderat matura. Nam ascendentibus in templum omnibus multæ religionis, ac pietatis magister factus est: nec quisquam viso puero tacitus descendebat, sed omnes glorificabant illum, à quo præter spem datus erat.

TROPOL. Greg. *Castitas Deo gratissima.* 2 *Samuel autem ministrabat*, Gregorius lib. 2. Variar. cap. 3. Ad electi pueri narrationem diuinus sermo regreditur, vt in eo non quod reprobandum, sed quod imitandum est, attentiùs consideremus. Quid in ephod lineo nisi continentiæ candor ostenditur? quo nimirum ephod accingimur, cum ad nitorem pudicitiæ ex omni parte retinemur: cùm animæ, & carnis pars nulla à districtionis lege absoluitur, per quam ad luxuriæ caliginem defluamus. Talis itaque minister in

conspectu

conspectu Domini est, quia de omnipotentis Dei sperata visione non fallitur, cui cum tanto accinctionis suæ nitore famulatur.

LITERAL. Clarius. 3 *Samuel autem ministrabat Domino.* Isidor. Clarius ibi. Ministerium illud fuit studium legis diuinæ: cognitio Domini: cantare ore, & ludere instrumentis musicis.

MORAL. Rupert. *Deus substituit loco cadentis.* 4 *Samuel autem ministrabat.* Rupert. lib.1. Comment.cap.6. Ac si apertè diceretur Sacerdotibus viris contemptibile sacrificium Domini reddentibus, reliquus hic erat vnus puer, de quo tanquam paxillo modico tota penderet restitutionis spes, in quo Dominus iniuriam patiens, aliquas honoris sui reliquias appenderet.

LITERAL. Comest. *Ephod quale?* 5 *Samuel autem ministrabat.* Petrus Comest. in Historia Scholast. cap.4. Samuel ministrabat accinctus ephod lineo non Sacerdotali, sed Prophetico.

TROPOL. Damia. *Solitudo quærenda.* 6 *Samuel autem ministrabat.* Petrus Damian. epist.78. Puer Samuel post oblationem, nequaquam domum cum parentibus remeat, sed circa Templi ministerium iugiter perseuerat. Ioannes, vt innocentis vitæ munditiam teneat, ad squallentis Eremi solitudinem tenera adhuc ætate festinat, illícque gratiam Propheticæ prædicationis accepit, quam in turbis popularibus degens promereri non potuit. Nunc autem è contra, ij, qui diuinis sunt cæremoniis mancipati, Ecclesiæ sacraria colere contemnunt: habitare verò inter forensis strepitus murmura concupiscunt.

LITERAL. Liran. 7 *Samuel autem ministrabat.* Liran. ibi. Non in officio Sacerdotali, sed in ministerio sibi competenti. *Accinctus*, idest promptus, & paratus. *Ephod* est vestis quædam linea, qua vtebantur Leuitæ in suis officiis ministrando.

HISTOR. Abul. 8 *Samuel autem ministrabat.* Abul.ibi.quæst.8. Hìc ponitur de bonis exordiis Samuelis scilicet, quomodo à pueritia sua semper fuerit exercitatus in Dei timore, & ministerio, & vsque ad extremum vitæ suæ semper ad maiora ascendens in loco permansit.

LITERAL. Caietan. 9 *Samuel autem ministrabat.* Caietan.ibi. Repetitur hoc ad narrandum Samuelem exemptum fuisse ab huiusmodi peccato.

ALLEG. MORAL. Gregor. 10 *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini.* Gregor. suprà. Dum in conspectu Domini Samuel esse minister dicitur, ephod lineo accinctus memoratur, quia diuina obsequia tunc benè exhibentur, cùm exhibentis persona carnalis voluptatis sordibus non fœdatur. Et acceptum Deo tunc est munus ministerij, cùm per sanctæ conuersationis munditiam, Deo placida est persona ministri.

MYSTIC. Beda. 11 *Samuel autem ministrabat.* Beda lib.1. Expos. Alleg. cap.5. Ministrabat Christus nostræ infirmitati humilis in homine corpus, animamque semper ab omni vitiorum sorde munditissimam gestans. Non enim peccauit, nec malum coram Domino fecit, qui sine iniquitatibus conceptus est, & sine delictis peperit eum mater sua. Ministrat populus Christianus Christo carnem suam crucifigens cum vitiis, & concupiscentiis, castiganſque corpus suum, & seruituti subiiciens.

LITERAL. Sanctius. 12 *Samuel autem ministrabat.* Gaspar Sanctius ibi.n.64. Illud mihi videtur minus absre, concessum esse à Sacerdote summo Samueli, vt in Tabernaculo coram Deo, seu ante faciem Domini, idest in interiori atrio ministraret, quo non quiuis è populari turba, qualis tunc censeri poterat Samuel, admittebatur.

13 *Samuel autem ministrabat.* Abul.ibi quæst.8. Ministerium Samuelis erat custodiendo Sanctuarium; claudendo, atque aperiendo portas, & dormiendo per noctem apud Arcam in custodia Sanctuarij. Ministrabat etiam in omnibus aliis, quæ iubebat Heli Sacerdos, quæ pertinerent ad Leuiticum officium. LITERAL. Abul.

14 *Ante faciem Domini* Abul.ibi.quæst.8. Dicebatur ministrare ante faciem Domini, idest, in Sanctuario vbi Deus erat, & quidquid ibi fiebat, dicebatur fieri ante faciem Domini. LITERAL. Abul.

15 *Ante faciem Domini.* Francisc. Mendoza ibi.§.2. Quia ministrabat ad nutum, seu ad imperium Domini, hoc est in his rebus, quæ illi à Domino imperabantur. Secundò, quia perfectissimè ministrabat, vt qui diuinis, non humanis oculis placere niteretur. Est enim Hebraismus, quo perfectissimè dicuntur fieri, quæ coram Deo fieri dicuntur. LITERAL. Mendoz.

16 *Puer accinctus ephod lineo.* Hieron. lib.1. contra Iouinian. Ab infantia nutritus in Tabernaculo est, & vestitus ephod bad, quod interpretatur vestis linea. LITERAL. Hieron. *Ephod quid?*

17 *Puer accinctus ephod.* Idem.in Psal.98. Samuel Leuitici Ordinis regulam tenet, Quod ephod illud lineum, atque candidum figurauit, ostendens candidum effici posse, qui per pœnitentiam nomen Domini inuocans, nigredinem peccati diluerit. MYSTIC. Idem.

18 *Puer accinctus ephod.* Author Quæstionum veter. Testamenti, inter opera August.q.46.tom.4. Hinc, inquiunt; Sacerdos videtur fuisse Samuël, quia vestitus erat ephod; quasi non hodie Diaconi dalmaticis vtantur, sicut Episcopi. Ephod autem etiam Dauid legimus fuisse indutum, & duplicem ephod. Samuel autem adhuc puerulus succinctus erat ephod. Nunquid puerulus potuit Deo munera populi offerre? Vide ergo quia ephod vnum quidem nomen est, sed non vnam rem significat. Sacerdotes enim portabant; non vestiebantur ephod. Reges verò, & Leuita Samuël induebantur ephod. Aliquando ergo vestis: aliquando quasi armariolum, quod portabant Sacerdotes ad interrogandum Dominum, significatur Ephod. Quantum apparet, probatum Samuelem, non Sacerdotem, sed Prophetam fuisse. LITERAL. August.

19 *Accinctus ephod lineo.* Gregor.lib.2. Variar. Enarr.in lib.Reg.cap.2. Subtilior quàm lanea vestis, linea esse cognoscitur. Aptè autem Samuel lineo ephod indutus asseritur, per quem Sacerdotum ordo electus ex Gentibus designatur, nam in comparatione Legalis vitæ, noua Euangelij conuersatio lini subtilitas est. Ibi enim aliquid animale præceptum est, ibi omnis maledicitur, à quo semina propagationis in Sion nulla relinquuntur. In nouo autem Testamento, quia subtiliora sunt omnia, quisquis eius præceptis vtitur, velut delicatiori lini veste decoratur. Ibi quippe connubij abstinentia damnatur: hìc miris laudibus colitur. MYSTIC. Greg. *Sacerdotium nouæ puritatis.*

20 *Accinctus ephod lineo.* Theodoret. ibi. quæst.8. Est verisimile, quòd Heli, cùm in eo florentem diuinam vidisset gratiam, esséque natus admirabiliter, & intus aleretur in Tabernaculo: tanquam Sanctum & Nazaræum, & à Deo petitum, etiam admodùm iuuenem eo honore excoluisset. LITERAL. Theod.

21 *Accinctus ephod lineo.* Procop. ibi. Aquila exponit, indumentum insigne: Symmachus ephod lineum, LITERAL. Procop.

lineum,& veſtem exteriorem,ſiue pallium paruum. Theodocion.Ephod bar.

LITERAL. Angel. 22 *Accinctus ephod lineo.* Angelom. in Strom. Hoc eſt ſuperhumerali lineo, quod diſtat ab illo ephod,quo induebatur Pontifex ex quatuor coloribus, & conceſſum minoribus gradibus erat ad vtendum.

LITERAL. Hugo. 23 *Accinctus ephod lineo.* Carenſis in Poſtilla, ideſt, Superhumerali,non tamen Sacerdotali,ideſt Pontificali,ſed Prophetico, quod minus erat, & minoribus Sacerdotibus conceſſum. Vnde infrà 22. dicitur, quod Doech trucidauit ſeptuaginta quinque viros veſtitos ephod lineo.

LITERAL. Abul. 24 *Accinctus ephod lineo.* Abul. ibi.q.9. Quod non intelligebatur de illo ephod Sacerdotali, cùm dicatur de ephod lineo.Illud tamen, quod pertinebat ad ſummum Sacerdotem non erat lineum, ſed de multis coloribus ſcilicet de auro & hyacinto,& purpura,coccoque bis tincto, & byſſo retorta.Erat igitur iſtud Ephod Samuël, quædam veſtis tota alba, qua induebatur Samuël ſuper cæteras veſtes ſuas communes, vt miniſtraret coram Domino, ſicut nunc Clerici ſimplices vtuntur veſtibus albis miniſtrando in Eccleſia, qui autem celebrant ſacra,vel celebranti adſtant,vtuntur aliis veſtibus, ſcilicet Præsbyteri, Diaconi, & Subdiaconi. Ita enim erat differentia in Veteri Teſtamento inter Leuitas,& Sacerdotes.

LITERAL. Caiet. 25 *Accinctus ephod lineo.*Caietan.ibi. Hinc patet clarè ſuperhumeralem veſtem communem fuiſſe Leuitis,loco cuius hodie omnes Clerici in templo Dei vtuntur lineo amictu.

LITERAL. Mendoza. *Ephod quale.* 26 *Accinctus ephod lineo.*Franciſ. Mendoza ibi. §.4. Quod attinet ad propriam ſignificationem Ephod, illa armarioli ſignificatio hẽta eſt,& ſine vllo in Scriptura fundamento:nec refert, quòd Sacerdotes dicantur portare Ephod, nam etiam veſtes portari dicuntur.Imò falsò additur Sacerdotes portare tantum, & non inducere Ephod, cùm illi octoginta Sacerdotes,quos Saül occidendos curauit, omnes fuerint veſtiti Ephod,infrà.22.18.Thuribuli ſignificatio ſicut ſine vllo fundamento inducitur,ita ſine vllo argumento reiicitur. Tandem ſignificatio ſimulachri, ſeu Idoli, nullo ex citatis locis conuincitur. Nam cap.8. Iudic. non dicitur Iedeon totam illam pecuniæ ſummam in vno ephod conficiendo expendiſſe,ſed intelligendum eſt expendiſſe quantum ſatis erat.Aut,ſi totam expendit, ſumi poteſt Ephod pro toto ſacrorum rituum apparatu, à parte præcipua totum intelligendo. Propriæ igitur Ephod eſt veſtimenti genus à verbo אפד *aphad* ideſt cingere.Græcè,*ἐπωμὶς* hoc eſt ſuperindumentum.

LITERAL. Author Catenæ. 27 *Accinctus ephod lineo.* Author Catenæ. Ex eo quòd Ephod Samuëlis eſſet lineum ſatis impugnantur Comeſtor, Theodoret.& Procop. qui Sacerdotale fuiſſe indumentum arbitrantur,cũ ephod Pontificis non lineum eſſet, ſed varij coloris, & materiæ:vt patet Exodi 28. Erat ergo veſtis exterior,ſeu palliolum byſſinum, quo Leuitæ vtebantur in ſacris,imò interdum & Laici, vti Dauid ſaltans ante Arcam Domini.2.Reg.6.De Ephod,vide plura apud Hieron. tota Epiſt.130.tom.3.& Anaſtaſium Nicenum.q.38.in Scripturam.

Exod.28.

2.Reg.6. Hieron. Anaſtaſ.

VERSVS XIX.

Vulgata. *Vulgata.* Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua, quam afferebat ſtatutis diebus, aſcendens cum viro ſuo, vt immolaret hoſtiam ſolemnem.

Benedictina in margine. Quam afferebat à diebus in dies aſcendens cum viro ſuo, vt immolaret hoſtiam in ſolemnitatibus. Benedic.

Textus Gloſſa in margine. Quam afferebat annuatim aſcendens cum viro ſuo,vt immolaret hoſtiam anniuerſariam. Gloſſa.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnino. Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua,& afferebat ſibi annuatim, quando aſcendebat cum viro ſuo ad immolandum hoſtiam anniuerſariam. Pagn.

*Hebraica ex Franc.Vatab.*Faciebátque ei mater eius interulam paruam,& ſingulis annis afferebat, cùm aſcenderet cum viro ſuo,& immolaret victimam dierum. Vatab.

Chaldaica ex Benedic. Ariaſm in Regia. Et pallium paruum fecit ei mater eius, & aſcendere faciens illi, à tempore ſolemnitatis ad ſolemnitatem in aſcendere ſuo cum marito ſuo ad ſacrificandum ſacrificium ſolemnitatum. Ariaſm.

Græca ex Septuaginta in Complut.Regia. Et tunicam paruuam fecit ei mater ſua, & afferebat ipſi ex diebus in dies, cùm aſcenderet ipſa cum viro ſuo,vt immolaret hoſtiam dierum. Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Sixtiana. Et diploidem paruam faciebat ei mater eius, & afferebat ei ex diebus in dies, in aſcendendo ipſam cum viro ſuo, ad ſacrificandum ſacrificium dierum. Sixtia.

Caietan ibi. Quando aſcendebat cum viro ſuo ad immolandum hoſtiam ſolemnem, & votum ſuum. Caiet.

*Abul.ibi.*q.10.Vt immolaret hoſtiam ſolemnem, votum ſuum. Iſidor.

*Iſidor.Clarius ibi.*Quam afferebat annuatim.

PP. ET AVCTORES.

1 *Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua.* Nazianzenus orat. panegyrica in Sanctum Baptiſma. Anna Samuelem priùs etiam quàm procreatus eſſet, Deo promiſit, atque in lucem editum ſtatim ſacroſanctum fecit,ac cum veſte Sacerdotali educauit, nihil humani verita, ſed in Deum fiducia innixa. LITERAL. Nazian. *Tunica Samuelis.*

2 *Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua.* Paulinus Carmine.13. HISTOR. Paulin.

Contexat illi ſedula matris manus
Ephod ſtatura congruum.
Quem ſpiritalis in Dei verbo ſacris
Doctrina texat liciis.
Sitque in ſuperna veſte Regina aureis.
Intextus ipſe fimbriis.
Sanctumque Chriſto Nazaræum verticem.
Paſtis adornet crinibus.

3 *Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua.* Hieronymus lib.1. Contra Iouinian. ad medium tom.3.Noſcendum quòd Samuel Leuita, non Sacerdos, non Pontifex fuerit. Vnde & faciebat ei mater ſua ephodbad ſuperhumerale, videlicet lineum,qui habitus propriè Leuitarum,& minoris eſt ordinis. LITERAL. Hieron.

4 *Et tunicam paruam.* Aug. quæſt. 41. in lib. Iudic. tomo 4. Mater Samuelis fecit filio ſuo,ſicut legimus Ephodbar, quod nonnulli interpretati ſunt ephod lineum, quando eum dedit Domino in templo nutriendum. Vbi euidentiùs apparet,hoc genus eſſe indumenti. LITERAL. Aug.

5 *Et*

Mystic. Beda.

6 *Et tunicam paruam faciebat ei mater sua.* Beda lib. 1. expositionis Alleg. c. 5. Non solùm casta, & ab omni peccato liberam, sed & humilem per omnia Dominus carnem suscepit, quam ei facit Ecclesia, vel qui talem eum rectè, & saluberrimè credit; vel quia non ignobile membrum Ecclesiæ virgo de qua ipse natus est, præfulget.

Literal. Angelom.

7 *Et tunicam paruam faciebat ei mater sua.* Angelomus in Stromat. Tunica parua, quam faciebat ei mater, significat doctrinam facilem, qua induendi sunt rudes animi credentium, qualem Paulus dicit. *Lac vobis potum dedi* 1. Corinth. 3.

1. Cor. 3.

Literal. Abul.

8 *Et tunicam paruam.* Abul. ibi. quæst. 10. Erat enim Samuel paruulus ministrans coram Domino; ideò cùm mater sua vellet ei dare quolibet anno vestem, in qua ministraret, faciebat paruulam tunicam, sicut puerum decebat: ista autem est quæ vocatur stola Leuitarum, quoniam ornamenta eorum simplicia erant: & ista videtur esse quæ vocatur Ephod lineum.

Literal. Caiet.

9 *Et tunicam paruam.* Caietanus ibi. Onus vestiendi pueri Deo dicatum apud parentes manebat.

Moral. Mendoza.

10 *Et tunicam paruam.* Franc. Mend. ibi §. 1. Cernitur hic matris erga filium pietas, & prouidentia, nam absens tunicam filio paruam faciebat; crediderim propriis manibus.

Literal. Author Catenæ. Heli. Cret. Vatab. Sept. Sanct. Abul. Hieron. Carthus. Mendoza. *Tunica quæ?*

11 *Et tunicam paruam.* Autor Catenæ. Dubium quidem est, an parua hæc tunica diuersa fuerit ab ea quæ vocatur Ephod lineum. Affirmat enim Elias Cretensis in Orat. 1. Nazianzeni, Sanctius, quoque; idem etiam indicat Vatab. vertens pro tunica *Interulam*, quæ vestis interior est, Ephod autem exterior erat. Deinde ex Septuag. confirmatur, qui pro tunica *Diploidem* transcribunt, cuius forma non conuenit Ephod lineo; cùm hoc breuis vestimenti ad renes vique genus sit: illud autem Talaris vestis, seu ad talos vique diffusæ. Nihilominus August. in lib. Iudic. quæst. 41. Idem esse indicat, & affirmant Hieron. Abul. quæst. 10. & alij. Ex mea autem, si qua est sententia, tunica, quam mater Samuëli filio quotannis afferebat, omnium quarumcumque vestium supellectilem significat per Synecdochem. Vnde Caietan. hîc. *Onus vestiendi puerum Deo dicatum apud parentes manebat.* Quam sententiam tenent Carth. & Mendoza.

Tropol. Chrysost.

12 *Quam afferebat statutis diebus.* Chrysostom. libr. 3. aduersus vituperatores vitæ Monasticæ. Nec iam vt paternam domum reuiseret, orauit. Sed semper in Dei templo ille morabatur, eumque si quando illa videre cupiuisset, quippe mater, non ad se conuocabat filium, sed ad illum vnà cum patre ascendebat, illo reuera, tanquam donario Deo iam consecrato abstinens.

Mystic. Moral. Gregor.

13 *Quam afferebat statutis diebus.* Greg. lib. 2. Var. cap. 3. Tunc enim paruam tunicam defert, quia etsi per magnam internæ visitationis gratiam pastoris anima ad superna sustollitur, paruulis tamen non ad modum subtilitatis suæ, sed pro eorum

Exod. 34.

viribus imponere præcepta conuersationis debet. Vnde & Moys. à monte in immenso vultus sui splendore regrediens, faciem velauit, vt in eum populus intendere visum potuisset. Paruam itaque tunicam, ea quæ spiritualis mater est, filio deferat, vt paruulis adhuc initia quædam, & plana præcipiat, & non fortitudinis suæ onus imponat. Nam sæpe inter magna opera corruunt, qui per minora vincere hostem possunt. Vnde & Dauid contra Allophylorum fortissimum in pugnam progrediens, loricam, clypeum, & militaria quæque instrumenta deposuit, & qui se in eorum pondere contra hostem exercere non potuit, in vno eum fundæ lapide prostrauit.

Literal. Abul.

14 *Quam afferebat statutis diebus.* Abul. ibi. quæst. 10. Videtur dicendum, quòd dies statuti, sint illi dies, qui secundùm legem ordinati erant, idest ter in anno. Hoc apparet, cùm dicuntur *dies statuti*; ergo ab aliquo erant positi sub præcepto illi dies, qui in eis ascendere in Sanctuarium statuerant. Secundo, quia dicitur quòd ascendebant ad immolandum hostiam solemnem, sed solemne vocatur anniuersarium, idest, quod per singulos annos fit redeunte die, vnde dicitur solemne, quasi solitum annum.

Literal. Mendoza.

15 *Statutis diebus.* Franc. Mend. ibi. §. 8. Igitur Anna ter per singulos annos in solemnibus Festis Samuëlem prædicto cum munere inuisebat. Vnde eius prudentia colligitur, quia non frequèntèr, sed per interualla quantum satis erat distantia, veniebat filium inuisura, ne illum à diuinis ministeriis interturbaret. Discant hinc parentes similem erga Religiosos filios prudentiam, ne illos frequenter adeant, & crebris fabulationibus fatigent, & à sanctæ contemplationis otio, vel paulum auertant.

Tropol. *Religiosi non distrahendi à cognatis.*

Literal. Auth. Cat.

16 *Statutis diebus.* Autor Catenæ. Qui sint statuti dies, dictum est cap. 1. vers. 4. scilicet dies Paschæ, Pentecostes, & Scenopegiæ. Nec tamen ideò affirmabo ter quotannis nouam tunicam Samueli à matre afferri, cùm sufficiat semel tantum vnoquoque anno, scilicet aliquo ex tribus festis relatis. Cùm autem dicitur *Statutis diebus*, dies non collectiuè, sed disiunctiuè & confusè significantur. Quòd si mauis ter in anno vestes puero à matre deportari, eius in eo benignitas, & amor erga filium colligi datur.

Anagog. Greg.

17 *Ascendens cum viro suo.* Gregor. suprà. Mater quidem cum viro suo ascendit, quando mens Prædicatoris per præscientiam interni sponsi, se se ad contemplanda sublimia illa æternitatis gaudia erigit.

Tropol. Franc. Mendoza. *Amor filiorum qualis.*

18 *Ascendens cum viro suo.* Franc. Mendoza ibi. Ascendebat ad videndum filium in diebus festis, atque adeò non ex primario instituto, sed quasi aliud actura, nempe vt immolaret hostiam solemnem, tam propter filium visendum, quàm propter Deum venerandum ascendere in Tabernaculum viderentur. Quare materno, & naturali erga filium amori diuinus, & supernaturalis erga Deum amor præcurrebat.

Mystic. Greg.

19 *Vt immolaret hostiam solemnem.* Greg. suprà. Sanctæ Ecclesiæ hostiam immolare, est, per eloqui prædicationis, auditorum suorum corda in amorem sui autoris accendere. Tunc itaque Samueli parua vestis delata perhibetur, quia dum adhuc per nouitatis suæ incrementa proficeret ab Ecclesia apta suæ paruitati, accepit monimenta iustitiæ, cuius splendore radiaret.

Literal. Abul.

20 *Hostiam solemnem.* Abul. q. 10. ibi. Quando Helcana, & Anna mater Samuelis ascendebant in Sanctuarium, simul offerebant vtranque victimam scilicet eam, quam ex lege, vel consuetudine tenebantur; quæ vocatur solemnis, & illam quam ipsi promiserant, quæ vocatur votum.

Literal. Caiet.

21 *Hostiam solemnem.* Caiet. ibi. Iuxta Hebræum habetur: *Hostiam dierum*, hoc est, congruum tempori.

VERSVS

VERSVS XX.

Vulgata. **VVlgata.** Et benedixit Heli Helcanæ, & vxori eius, dixitque ei: reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum.

Benedict. *Benedictina in margine.* De muliere hac pro petitione, quam postulauit.

Gloss. *Textus Glossæ in margine.* De muliere hac pro commodato quod commodasti Domino.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnin.* Benedixit autem Heli Elcanah, & vxori eius, & dixit: ponat tibi Dominus semen de muliere hac pro commodato, quem commodauit Domino. Et abierunt in locum suum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Heli autem bona imprecatus est Helcanæ, & vxori eius, his verbis: det tibi Dominus semen de ista vxore, pro ista petitione, quam postulauit à Domino. Abieruntque ad locum suum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et benedixit Gheli Helkanah, & vxori eius, & dixit: statuat Dominus tibi filios rectos ex vxore hac, propter petitionem, quam petiuit ab ante Dominum. Et ierunt ad locum suum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et benedixit Heli Elcanæ, & vxori eius, dicens: reddat Dominus semen aliud ex muliere hac pro fœnore, quod commodasti Domino. & abiit homo in locum suum.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixt.* Et benedixit Heli, Elcanæ, & vxori eius, dicens: retribuat tibi Dominus semen ex muliere hac pro commodato, quod commodasti Domino. Et abiit homo ad locum suum.

Gregor. *Greg. lib. 2. Variar.* Pro fœnore, quod commendasti Domino.

Chrysost. *Chrys. hom. vnica de Samuele Educat. tom. 1.* Reddat tibi Dominus semen alterum ex muliere ista pro fœnore, quod Domino fœnerasti.

Caiet. *Caiet. ibi. ex Hebræo.* Ponat tibi Dominus semen de muliere hac, pro commodato quem commodauit Domino.

Vatab. *Vatab. in Scholiis. Verti etiam potest.* Pro commodato, quod commodauit (*vterque vestrûm*) Domino.

PP. ET AVCTORES.

Moral. August. 1 *ET benedixit Heli Helcanæ, & vxori eius.* Aug. vel potius Autor quæst. ex vtroque testam. quæst. 109. tom. 4. Heli Sacerdos Annam benedixit, & prosecutus effectus est, non vtique merito sacerdotis, sed ipsius Annæ, cuius mundum cor inspexit Deus.

Mystic. Gregor. 2 *Et benedixit Heli Helcanæ.* Gregor. 1. Variar. c. 2. Quia in persona Heli Sacerdotis etiam boni Doctores populi veteris designantur, Helcanæ, & vxori eius benedixisse cognoscitur, quia nimirum eorumdem veterum Doctorum ordo Christi, & Sanctæ Ecclesiæ spiritualem copulam præuidit: & eorum electorum prolem futuram cœlo dignam cum deuotione prædicauit.

Tropol. Damian. 3 *Et benedixit Heli Helcanæ.* Petrus Damian. Epistola 16. ad Henricum. tom. 3. Bibliot. veterum Patrum. Quis Heli Sacerdotem nesciat reprobum, & tam pro lenitate sua, quàm pro liberorum effrenata licentia diuinæ animaduersionis sententia condemnatum? Eius tamen benedictione non fuit sterilis vterus Annæ, cui nimirum fœcunditatem imprecatus est vuluæ. Hanc itaque benedictionem efficacem reddit non meritum hominis, sed officium Sacerdotis: & quod non habebat causa ministri, virtus exhibuit ministerij. *Sacerdotis dignitas.*

Literal. Abul. 4 *Et benedixit Heli Helcanæ.* Abul. ibi. q. 10. Istud ponitur hîc per recapitulationem; nam suprà dictum est, quòd Anna, & vir eius orauerunt in Sanctuario, & abierunt in vrbem suam; Postea autem interpositis quibusdam de filiis Heli peccantibus, & de pueritia Samuelis, redditur ad recessum Annæ, & Helcanæ de Silo; est enim intelligendum quòd fuerit factum illa vice, qua ascenderunt isti in Silo offerentes ibi Samuelem Domino; & tunc benedixit Heli Helcanæ, & vxori eius, quia ambo benè egerant offerendo Samuelem Domino ad semper.

Literal. Mendoza. 5 *Et benedixit Heli Helcanæ.* Franc. Mendoza ibi. §. 2. Benedictio voce fiebat, & gestu: Voce quidem, quia aliqua verba proferebantur, quibus benedicens benedicendo benè precabatur. Benedicentium gestus nulla alia parte corporis, quàm manibus (mihi videtur) exprimi consueuisse. Quadruplex fuit hæc manuum ad benedictionem impertiendam compositio: Prima manuum eleuatio in cœlum. Luc. vlt. 50. Secunda manuum extensio ad populum. Leuit. 9. 22. Tertia manuum impositio super capita. Mar. 10. 16. Quarta manuum transpositio, seu in crucis formam transmutatio. Gen. 48. 14. *Benedictio quadruplex.*

Literal. Author Catenæ. 6 *Et benedixit Heli Helcanæ.* Autor Catenæ. Benedicentes, vt credo, non vnica, sed varia, & quodlibetica forma in verbis vtebantur, vt videre est in variis veteris instrumenti benedictionibus. Gen. 27. 28. Deuter. 36. 6. Gen. 9. 26. & sæpe alias. Solemnitas autem formæ, quam adtruunt Hebræi, est: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, benedicat tibi*, quæ ex eorum potius cerebro, quam ex certo fundamento constat, vt perdoctè probat Mendoza. Exhibebantur autem benedictiones à Deo, vel ab hominibus in parte aliqua superioribus, vel gradus, vel ætatis, vel muneris quod gerebant. *Benedictionis forma.* Mendoza.

Tropol. Chrysost. 7 *Reddat tibi Dominus semen.* Chrys. hom. de Anna, & de Samuelis educatione tom. 1. Initio non dixerat *reddat tibi.* Sed quid? *Det tibi Dominus quidquid postularis.* Verùm, postquam illa Deum fecerat debitorem, ait. *Reddat tibi; bonam de futuro spem præbens.* Etenim fidedit, cùm nihil haberet, multò magis redditurus est, postquam accepit. Et hic primus ex precatione, & post hunc cæteri ex benedictione duxerunt originem. Totus autem mulieris fructus sanctificatus est, atque hic primogenitus fœminæ virtuti debebatur: alter verò mulieris ac Sacerdotis erat communis. Et tu igitur, ô mulier hanc æmulare, & si sterilis fueris, talem precationem exhibe. Sacerdotem accersi, & tuam suscipiat apud Deum legationem. *Fructus eleemosynæ.*

Mystic. Beda. 8 *Reddat tibi Dominus semen.* Beda lib. 1. expos. Allegor. cap. 5. Benedicendam in Christo Ecclesiam, Verbique semine multiplicandam per gentium nationes, plerisque suis in typis sacerdotium vetus significat, & quasi tropicè Christo loquitur: *Reddat tibi Deus Pater credentes ex gentibus, ipsi enim sunt semen, cui benedixit Dominus: Pro fœnore quem commodasti Domino*, ideſt, pro illo singulariter sancto homine, quem de Virgine assumptum

assumptum vnà tecum Christi personam, id est, Dei nomen habere voluisti.

Tropol. Carthus. *Mali parentes quales?*

9 *Reddat tibi Dominus semen.* Carth. ibi. art. 6. Sunt aliqui parentes Deo ingrati, ac infideles, qui filios suos, aut filias à religionis ingressu, spiritalive conuersatione toto posse auertunt; & quod Deus eis gratiosè concessit, malitiosè abstrahunt Deo. Quod si aliquid ex fructu veteri sui habuerint mundo ineptum, hunc Deo deputant, cui non viliora, sed præstantriora sunt offerenda.

Literal. Abul.

10 *Reddat tibi Dominus semen.* Abul. ibi. q. 10. Sciebat enim Heli, quòd Helcana haberet aliam vxorem, de qua multos filios susceperat, quia tamen de illa nullum filium natum Deo vouerat, non precatur vt suscipiat filios de Phænenna.

Literal. Mendoza.

11 *Reddat tibi Dominus semen.* Mend. ibi. §. 11. Heli Sacerdotis functus munere vtrique coniugi de more benedixit, hoc est, bona imprecatus est, ipsum potiùs virum Helcanam, quam vxorem Annam modestiæ causâ allocutus; & est precatio non solùm optatiua, sed etiam prophetica.

Moral. Damian.

12 *Pro fœnore, quod commodasti Domino.* Petrus Damian. epist. 4. in lib. 8. Quod pro fœnore commodatur, non simplex summa, sed multiplicata recipitur.

Moral. Abul. *Eleemosyna vsura.*

13 *Pro fœnore, quod commodasti Domino.* Abul. ibid. quæst. 10. Id est, pro filio isto, quem dedisti Domino, accommodatum, scilicet, ad cultum Dei applicitum tota vita sua. Et dicitur fœnus, id est vsura. Dedit enim Anna filium suum Deo in fœnus, scilicet, in vsuram, vt semper esset ad vsum Dei, id est, ad ministrandum illi.

Tropol. Author Catenæ. *Orationis fructus.*

14 *Pro fœnore, quod commodasti.* Autor Catenæ. Chaldaica, imò & Hebraica ex Vatablo pro fœnore habet, *pro petitione, quam postulauit.* Vbi aduerte petitiones nostras à Deo fœnoris nomen, & vices gerere; potentem autem oblata oratione sua in fœneratoriam repensationem Deum adstringere, vt non solùm postulata concedat, sed & alia quasi ex fœnoris obligatione.

Mystic. Gregor. *Ad contemplationem confuge.*

15 *Et abierunt in locum suum.* Gregor. suprà. In locum suum cum viro suo Sanctæ Ecclesiæ abire, est vitæ actiuæ molestias interdum fugere, & supernæ vitę gaudiis per contemplationem vacare. Puerum quippe ad oram reliquerat mater illa, quæ dicebat: *cupio dissolui, & esse cum Christo.*

Philipp. 1.

Philipp. 1.

Literal. Abul.

16 *Et abierunt in locum suum.* Abul. ibi. q. 10. Hoc intelligitur de prima vice, qua redierunt post oblatum Samuëlem; quanquam suprà ponatur, quòd mater sua dabat ei quolibet anno statutis diebus tunicam, cùm ascenderet in locum Sanctuarij; nam ista per recapitulationem dicuntur.

VERSVS XXI.

Vulgata.

Vulgata. Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias: & magnificatus est puer Samuël apud Dominum.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagnino. Visitauit enim Dominus Channah, & concepit; & peperit tres filios, & duas filias: creuitque puer Samuël apud Dominum.

Vatab.

Hebraica ex Franc. Vatab. Etenim Dominus visitauit Annam, vt conciperet, & pareret tres filios, & duas filias, creuitque puer Samuël coram Domino.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Quia intrauit recordatio Annæ ante Dominum, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias; & creuit puer Samuël coram Domino.

Ariasm.

Græca ex Sept. in Complutensi, & Regia. Et visitauit Dominus Annam, & concepit adhuc, & peperit tres filios, & duas filias, & magnificatus est puer Samuël coram Domino.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtiana. Et visitauit Dominus Annam, & peperit adhuc tres filios, & duas filias, & magnificatus est puer Samuël coram Domino.

Sixtiana.

Flaminius in Scholiis Sixtiana. Et puer Samuël ibat, & proficiebat magnus.

Flamin.

Caietan. ibid. Quia visitauit Dominus Channam, concepit, & peperit tres filios, & duas filias, & granduit puer Samuël coram Iehouah.

Caiet.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Beda.

1 *Visitauit ergo Dominus Annam.* Beda. lib. 1. Expositionis Alleg. c. 5. Dedit Dominus Ecclesiæ spiritum gratiæ suæ, quo ipsa fœcundata genuit ei sobolem spiritualem, partim ad indaganda, vel prædicanda Sanctæ Trinitatis Sacramenta potentem: partim, cùm perfecto Dei, & proximi amore sua simplicitate contentam.

Literal. Abul.

2 *Visitauit ergo Dominus Annam.* Abulens. ibi. quæst. 10. Dominus dicitur visitare, id est, venire ad videndum, sicut non visitationem accipimus, & quia qui visitat alium, aliquid nouum circa ipsum gerit; Deus dicitur visitare quempiam, quando in eo aliquid operatur, quod antè non operabatur.

Literal. Mendoza. *Visitare quid?*

3 *Visitauit ergo Dominus Annam.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Quia aliquando beneficia, aliquando supplicia operatur, inde fit, vt verbum visitandi in bonam, & in malam partem vsurpetur. In malam quidem. Exod. 32. 34. Leuit. 26. 16. In bonam verò Luc. 7. 16. Exod. 13. 19. Genes. 21. 1. *Visitauit Dominus Sarram, sicut promiserat*: hoc est, concipere illam fecit, quo beneficij genere visitauit hoc loco Dominus Annam.

Literal. Hierony.

4 *Et concepit, & peperit tres filios.* Hier. Epist. 22. Anna priùs sterilis Phænennæ vbertate fœcundior est.

Tropol. Chrysost. *Vsura Eleemosyna.*

5 *Et concepit, & peperit tres filios.* Chrys. hom. de Fide Annæ. tom. 1. Tantum autem hac negotiatione lucrum fecit, quantum facere par est eam, quæ cum Deo habuerit commercium. Etenim posteaquam cùm fœtum acceperat, Deus reddidit illi alterum filium; imò potiùs, non vnum, nec duos, nec tres, nec quatuor; sed his multò plures, vt iam vsura sortem excederet: talis enim est negociatio, commerciumque, quod cum Deo geritur. Non ille quantulamcumque sortis partem, sed multis partibus conduplicatam reddit. Nec solum dedit illi proles fœmineas, sed ex vtroque sexu lucrum illius cumulauit, vt illi iam plenum, & perfectum contigerit gaudium.

Moral. Paulin. *Eleemosyna vsura.*

6 *Et concepit, & peperit tres filios.* Paulin. Ep. 10. ad Seuerum. tom. 5. Biblior. V. V. P. P. anni 1618. Annæ votiuus Samuël in plures partus postea repensatus est.

Histor. Ioseph.

7 *Et concepit, & peperit tres filios.* Ioseph. lib. 5. Antiquitat. Iudaïc. cap. 11. Helcanæ autem alij præterea filij ex Anna nati sunt, & filiæ tres.

Mystic. Gregor.

8 *Et concepit, & peperit tres filios.* Greg. lib. 2. Variar. c. 2. In tribus filiis perfectiores quique Sanctæ Ecclesiæ designati sunt, qui pro fide Trinitatis

fortia semper egisse cognoscuntur. Sed si solos perfectos S. Ecclesia gigneret, nostra infirmitas ad æternæ vitæ præmia peruenire non posset. Robur ergo filiorum duarum filiarum fragilitas sequitur, quia S. Ecclesia etsi contra superbientem hostem humani generis fortes protulit; tamen ad æternæ patriæ gaudia, etiam infirma eius membra per duo charitatis præcepta perducuntur.

MYSTIC. Idem. 9 *Et concepit, & peperit tres filios.* Idem ibid. c.3. Filios quidem parit, cùm eos verbo luctatur, per quos prædicationis semina aliis tribuit. Filias verò parit, cùm eas mentes ad omnipotentis Dei seruitium reuocat, quæ etsi ad prædicationem idoneæ non sunt, verbi Dei tamen semen à Prædicatoribus acceptum nutriunt.

HISTOR. Abul. 10 *Et concepit, & peperit tres filios.* Abul. ibid. q.10. Iusti omnes intelliguntur præter Samuëlem, quia iam ministrabat Samuël coram Domino. Et sic erant sex filij Annæ, scilicet, quatuor filij; & duæ filiæ.

LITERAL. Idem. 11 *Et concepit, & peperit tres filios.* Idem ibid. q.11. Non fuit in conceptione istorum quinque filiorum Annæ, plusquam solet esse in quibuscumque aliis communiter conceptis: in Samuële autem secùs fuit. Nam ante eum mater sua erat sterilis; ideò impossibile erat eam concipere, nisi interueniente miraculo: postea autem ablata est eius sterilitas, scilicet, antequam conciperet Samuëlem, vel in ipso conceptu, & tunc manebat Anna disposita ad concipiendum, sicut quælibet alia fœmina.

LITERAL. Caiet. 12 *Et concepit, & peperit tres filios.* Caitan. ibid. Si præter Samuëlem supputatur, sex proles edidit Anna: Si autem ipse in hoc numero clauditur, edidit dumtaxat quinque.

TROPOL. Corn. *Filios Deo dicare quàm vtile.* 13 *Et concepit, & peperit tres filios.* Cornelius à lapide. In Commentario. Pro vno Samuële quinque proles ei reddidit Deus. Discant hîc parentes aliquos filiorum dicare Deo; hi enim benedictionem in bonis tam spiritualibus, quàm temporalibus impetrabunt.

HISTOR. Author Catenæ. Ioseph. Hugo. Hieron. *Filiorum Annæ numerus.* 14 *Et concepit, & peperit tres filios.* Author Catenæ. Ex hoc testimonio litteræ quinque solum filiorum, præter Samuëlem, numerus Annæ adscribitur; Iosephus autem supra filias quidem tres annumerat: quem secutus est Hugo Victor. tres filias cum totidem filijs maribus designans; quorum sententiæ textus non obest, cùm plures alios non neget, sed hos præcipuè commemoret: fauet autem expressè Hieron. Annæ fœcunditatem conferens, & præferens fœcunditati Phenennæ Epist. 11. Cùm autem hæc ad decimum vsque partum peruenerit, inferre licet ex Hierony. sententia Annam saltem vndecim filiorum gloria potitam fuisse: nisi velis sex Annæ liberos decem Phenennæ filiis æstimatione, & pretio prælatum iri.

LITERAL. Author Catenæ. 15 *Tres filios, & duas filias.* Idem. Filiorum quidem marium preciosior est thesaurus; filias tamen parit etiam Anna, ne hæc illam gloriola deficeret. Filiæ enim vtpote domesticæ in administratione domus, maioris vtilitatis matribus existunt, quin & patres, nescio quo syderum arbitrio, filiabus plerumque student: matres autem filiis.

LITERAL. Nazian. 16 *Et magnificatus est puer Samuël coram Domino.* Nazian. Apologet. 1. Protinus Samuëlem ab ipsis incunabulis sacrosanctum in ore habeamus.

TROPOL. Gregor. *Samuel humilis.* 17 *Et magnificatus est puer Samuël.* Greg. suprà. Valdè notandum est quod puer Samuël dicitur, & magnificatus. Sed & cùm magnificatus asseritur hoc virtutis suæ præconium non in conspectu hominum, sed in conspectu Domini habere perhibetur. Cur ergo puer, nisi quia humilis? Et cur magnificatus asseritur, nisi quia ad perfectionis erat celsitudinem sublimatus? Puer itaque, & magnificatus in conspectu Domini Samuël dicitur, quia nouus ordo Prædicatorum, etsi ad magnę conuersationis celsitudinem peruenit, humilitatis suæ virtutem non perdidit.

LITERAL. Abul. 18 *Et magnificatus est puer Samuël.* Abul. ibid. q.11. Id est, accepit Samuël magnitudinem, vel excellentiam honoris ante Dominum, id est, ab ipso Domino, quia ministrabat semper ante eum. Fuit autem ista magnificatio Samuëlis in acceptione spiritus prophetici. Nam in tempore suo *erat sermo Domini pretiosus, & non erat in diebus illis visio manifesta*; ideò tanto magis prophetia sua erat laudabilior, scilicet quia in tempore illo, in quo nullus alius Propheta erat, & aliquanto tempore ante hoc nullus fuerat, vt patet sequenti capite. Etiam erat laus magna, quia Samuël, cùm accepit spiritum propheticum, erat adhuc puer. Fulgebat autem magis gloria Samuëlis, quanta enormitas, & irreuerentia in ministratione filiorum Heli apparebat, quia oppositorum natura ista est, iuxta Arist. 2. Elenchorum.

LITERAL. Caiet. 19 *Et magnificatus est puer Samuël.* Caietan. ibi. Augmentum non solum corporis, sed animi versùs Deum fuisse significatur.

MORAL. Mendoza. *De oculi beneficio.* 20 *Et magnificatus est puer Samuël, &c.* Franc. Mendoza ibi. §.9. Diuinus conspectus in quo semper versabatur, singularia illi conferebat virtutum omnium incrementa. Hanc enim vim habet diuinus oculus, vt crescere faciat quos intuetur iuxta illud Leuit. 26. 9. *Respiciam vos, & crescere faciam.* Leuit. 26.

LITERAL. Author Catenæ. *Samuelis laus.* 21 *Et magnificatus est puer Samuel.* Autor Cat. Ea erat Samuëlis gloria, vt non solùm improborum Sacerdotum ignominia collata resplenderet, sed fratrum etiam; & sororum suarum virtuti; quorum dum primò meminit Scriptura, Samuëlis laudem exaltat, addens: *Et magnificatus est puer Samuel.*

VERSVS XXII.

VVlgata. Heli autem erat senex valdè, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israëli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium Tabernaculi. Vulgata.

VERSIONES.

Hebræica ex Xante Pagnino. Heli autem erat senex valdè, & audiuit vniuersa, quæ faciebant filij eius vniuerso Israël, & quod dormirent cum mulieribus, quæ congregabantur ad ostium tabernaculi Ecclesiæ. Pagn.

Hebræica ex Francisco Vatab. Eli autem erat valdè senex, audiuitque omnia, quæ faciebant filij sui omni Israëli, & quòd dormirent cum mulieribus, quæ excubabant ad ostium Tentorij constitutionis. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et Gheli senex valdè, & audiuit omnia, quæ facientes filij eius omni Israël, & quòd cubantes cum mulieribus, quæ venientes ad adorandum in porta Tabernaculi fœderis. Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia. Et Heli senex valdè, & audiuit quæ faciebant filij sui filiis Israël omnia, & quod dormiebant Complut. Regia.

filij

filij sui cum mulieribus, quæ aderant ad ostia Tabernaculi testimonij.

Sixtan. *Græca ex Septuag. in Sixtiana.* Et Heli senex valdè, & audiuit quæ faciebant filij sui filiis Israel.

Caiet. *Caietan. ibi.* Et audiuit omnia, quæ faciebant filij eius Israëli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium Tentorij adunationis.

Iansen. *Cornelius Iansenius in Concordia Euangelica Matth.* 10. Alij vertunt, *Quaconnenerunt, & congregabant se ad adorandum ad ostium Tabernaculi.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. HEli autem erat senex valdè. Greg. lib. 2. Variarum cap. 2. Valdè fuisse senex dicitur, vt profectò omnis vis fidei in Synagoga emarcuisse doceatur. Verè autem dicimus, quia si valdè senex erat Heli, omninò debilis viuebat. Quid enim tunc erat seni Scripturæ viuere, nisi debilem valdè aspirationem fidei Synagogæ ministrare?

Mystic. Bedà. *Iudaismi interitus.* 2 *Heli autem erat senex valdè.* Beda lib. 1. Expositi. Allegoricæ, cap. 6. In hac lectione mystici senescente, & occasuro iudaismo, Christi per Euangelium fama crebrescit. Heli ergo senectus multa tempus prope finiendi sacerdotij legalis insinuat. Quod enim antiquatur, & senescit, prope interitum est.

Literal. Abul. 3 *Heli autem erat senex valdè.* Abul. ibi. q. 11. Ideò non poterat iam ipse ministrare, sed filiis suis reliquerat ministrationem. Fungebatur enim summo Sacerdotio pro eo filius eius Phinees, vt ait Ioseph. 5. Antiquit. Commissa igitur tota ministratione sibi, habuerunt magnam occasionem filij Heli ad præuaricandum in Sacerdotio; quod non accidisset, si pater eorum adhuc ministraret. Item senectus paterna tribuebat occasionem ad hęc, quoniam filij non timebant patrem iam senio grauatum, nec ipse erat potès corrigere eos, nisi per blanditias quasdam. Amplius autem, quod nimis nocebat, erat Heli caligans oculis, vt patet sequenti cap. ideò non poterat videre ea, quæ faciebant filij sui, sed solum audiebat aliqua per famam, & licet omnia audiret, non tantum moueretur auditu, quantum si ipse vidisset; ideò minùs mouebatur ad corrigendum filios.

Literal. Mendoza. *Phinees an Sacerdos pro patre.* Naucl. Iosephus. 4 *Heli autem erat senex valdè* Franc. Mend. §. 7. Senescente Heli suumque munus remissiùs tractante, filij iuuenilius exultabant, & per omnia vitiorum genera licentiùs voluebantur; præsertim si iam Phinees Sacerdotio fungebatur, Patre illi hunc honorem propter suum senium deferente; vt vt refert Nauclerus tom. 1. Generat. 31. & alij secuti Iosephum lib. 5. Antiquitatum c. 11. quamuis de hac non immeritò dubitetur: tum quia summum sacerdotium ad primogenitum pertinebat, ac proinde ad Ophni, qui semper primo loco, tanquam senior nominatur: tùm quia Heli adhuc erat superstes Sacerdos, illi enim, vt tali traditus est Samuël, & coram illo ministrabat; duo verò simul Sacerdotes Maximi per id tempus non fuerunt; tum denique quia in serie summorum Pontificum illius temporis à nemine quem sciam, nominatur filius Heli.

Histor. Salian. 5 *Et audiuit omnia quæ faciebant filij sui.* Salianus tom. 3. Annal. anno Mundi 2911. num. 2. Vt ignorantia excusari non posset; & faciebant tanto audaciùs, atque intemperantiùs, quanto sibi minùs à Iudicibus Ecclesiasticis, Laicisve timebant, qui tot iam annis eundem haberent Pontificem, iudicem, & patrem: atque adeo perquàm mollem, atque indulgentem patrem, qui fortasse mallet Domesticorum suorum peccata ignorare, quàm castigare. Cùm ergo hæc crimina, quæ in populum vniuersum perpetrabantur, crebris omnium sermonibus vsurparentur, ad Heli quoque tumore nuntio sunt delata.

Literal. Hieron. *Filiorum Heli crimina.* 6 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Hieron. vel potius Autor Tradit. Hebraic. tom. 3. Dormisse eos dicunt Hebræi cum mulieribus, eo quòd post menstrui tempus, aut partus, non impleto (secundùm legis præceptum.) sacrificio suadebant eas ad viros suos redire, eisque commisceri. Et dormire ideò dicuntur, quia eas dormire cum bona fama viris suis contra præceptum legis faciebant; vnde idem Heli pòst paulum ait. *Non est enim bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.* Transgressionem ergo populus faciebat, quia sacrificio non ritè peracto vxoribus suis iungebantur. Sicut enim vi extorquebant carnes ab immolante, ita etiam extorquebant sacrificium ab offerente. Et ideò sicut in auferendis carnibus faciebant homines detrahere sacrificio Domini; ita quoque nihilo minùs in coniungendis vxoribus transgredi faciebant populum Domini. *Eadem omninò verba habet* Rupertus.

Rupert. Moral. Hieron. *Sacerdot. solicitudo.* Timot. 3. 7 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Hieron. lib. 1. contra Iouin. longè pòst medium tom. 3. *Filios habentem subditos cum omni castitate.* Timot. 3. Vide quanta pudicitia exigatur in Episcopo, vt si filij eius impudici fuerint, ipse Episcopus esse non possit, & eodem vitio offendat Deum, quo offendit Heli Pontifex, qui corripuerat quidem filios, sed quia non abiecerat delinquentes, retrorsum cecidit, & mortuus est.

Histor. Hieron. *Pœna Heli.* 8 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Idem Epist. in Sabinum Diaconum tom. 1. Heli Sacerdos sanctus fuit, sed habuit filios, qui vt in Hebræorum voluminibus legimus, fornicabantur cum mulieribus in Tabernaculo Dei, & in similitudinem tui impudenter sibi Dei ministerium vendicabant. Vnde & locus Tabernaculi ipse subuersus est, & propter vitia Sacerdotum Dei Sanctuarium destitutum est: quanquam & ipse Heli, dum est nimis lenis in filios, offendit Deum.

Moral. Idem. 9 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Idem lib. 3. Comment. in Ezechiel. ad caput. 8. tom. 5. Quod quidem potest de nostra Hierusalem, nostroque Templo intelligi, quando in exemplum Ophni, & Phinees Idolorum scelera operamur in Tabernaculo Dei, & fornicamur cum his, qui se militiæ, & ministerio Dei vouerint, & sacrificiorum eius primitiua decerpimus, dantes in vsum clientium, atque famulorum; & omnia lucri causa facimus.

Histor. Chrysost. 10 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Chrysost. lib. 3. contra Vituperatores vitæ Monast. tom. 5. Filiorum Heli hæc fuerunt crimina, ventris ingluuies, & fornicatio.

Mystic. Gregor. 11 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Gregor. lib. 1. Variar. cap. 2. Cum mulieribus Iudæis dormire, est variis hæresibus pollui. Benè autem ipsæ mulieres ad ostium Tabenaculi obseruare referuntur. Quid enim est ostium Tabernaculi, nisi litera legis spiritualis? Iudæi autem, dum sacram Scripturam iuxta litteram solam intelligunt, ibi hæreses statuunt, vnde ad secretù veræ fidei intrare potuere. Nam sicut per ostium

ad interiora Tabernaculi; ita per litteram ſacræ Scripturæ ad ſpiritalem intratur cognitionem Redemptoris. Dormiunt Iudæi, quia etſi grauiſſima ſunt erroris ſui nocte obruti, per Heliam tamen ſunt in fine mundi ad fidem Redemptoris excitãdi.

Allegor. Idem.

12 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Idem ibidem cap. 3. Cum mulieribus dormire eſt, ſecure, & ſine metu futuræ vindictæ peccare: mulieres quippe meretrices ſunt concupiſcentiæ ſæculares, quæ benè ad Tabernaculi oſtium obſeruare perhibentur, quia ad introitum regni cœleſtis tendentibus, inſidiantur.

Tropol. Beda. *Incorrectio, ſumma malorum eſt.*

13 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Beda lib. Expoſit. Alleg. c. 6. Non parua, nec vniformis filiorum Heli tranſgreſſio, quæ & diuinam religionem, & dilectionem proximi maculare non timuit. Suprà namque legitur, quia de carnibus ſanctis, non quod ſtatutum in lege, ſed quod ſibi erat libitum, præſumpſerint. Sed num quod fraternitatem læderet, auditur, quia mulieres populi, quæ ad adorandum confluebant, polluerint; Et infrà, quod omnium malorum ſumma eſt, annectitur, qui neque correpti à patre pœnituerint.

Mystic. Idem.

14 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Idem ibidem. Doctores mali dormiunt, & hoc cum mulieribus, quæ obſeruant ad oſtium Tabernaculi, quando pelliciunt animas inſtabiles, neque ipſi intrant, neque eos, qui volunt vitæ oſtium intrare, permittunt.

Literal. Angelom. Ioſeph.

15 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Angelom. in Stromat. Quanquam ſimpliciter nonnulli ſuper adulterio intelligi velint, vt Ioſephus quoque dicit, mulieribus religionis cauſa conuenientibus, contumelias inferebant, aliis quidem inſolentias facientes, aliis verò perſuadentes donis, nihilque eorum vita à Tyrannide peſſima differebat, quod & noſtri Doctores aſſerunt tamen, dormiſſe eos dicunt Hebræi, *&c.*

Hiſtor. Comeſt.

16 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Petrus Comeſtor, in Hiſtor. Schol. cap. 4. Audiuit Heli peccata filiorum, qui dormiebant cum mulieribus excubantibus ad oſtium Tabernaculi, & eas quæ venerant ad purificandum, polluebant.

Hiſtor. Ioſeph.

17 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Ioſephus. libro 5. Antiquit. cap. 11. Mulierum inſuper religionis ergo confluentium ad ſacrum locum, pudicitiam, vel vi, vel donis expugnabant; itavt nihil à Tyrannorum moribus differrent.

Moral. Bonauent.

18 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Bonauentura Thren. 1. c. verſ. 9. Inimicus erigitur, cùm malus Prælatus in Eccleſia præficitur; ſicut filij Heli Eccleſiam fœdantes per luxuriam.

Hiſtor. Anton.

19 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Antonin. Florentin. 1. part. tit. 2. cap. 6. Dormiebant in Tabernaculo, id eſt, atriis eius cum mulieribus; quod audiens Heli reprehendit, ſed nimis remiſsè.

Hiſtor. Cedrenus.

20 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Georgius Cedrenus in Annal. Ophnis, ac Phinees Elis Sacerdotis filij non ſacrificia modo delictis ſuis polluebant; ſed & cum mulieribus Templi Dei ianitricibus ſtupri conſuetudinem habebant.

Literal. Abul.

21 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Abul. ibid. q. 11. Iſtud erat aliud delictum magnæ infamiæ, & ſcandali in populo contra Sacerdotes; ſcilicet, quòd Sacerdotes dormirent cum mulieribus euntibus ad templum Domini ad adorandum. Sequebatur quoque magna diminutio cultus diuini; ſcilicet quod mulieres non irent ad adorandum in Sanctuario, cùm infamarentur, quòd dormiebant cum eis Sacerdotes.

Hiſtor. Hugo. *Filiorum Heli cupiditas.*

22 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Hugo Charen. in Poſtilla. Eas, quæ veniebant ad purificandum, polluebant. Tamen quidam dicunt, quòd non commiſcebantur illis. Sed corrupti pecunia, dabant licentiam mulieribus commiſcendi viris ante purificationem.

Hiſtor. Caiet.

23 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Caiet. in Comment. Tertium peccatum fornicationis, ſeu adulterij manifeſtè deſcribitur.

Literal. Author Catenæ. Hebræi. *Hebræorum commenta.*

24 *Et quomodo dormiebant cum mulieribus.* Autor Catenæ. Hic Hebræi, vti aſſolent, ſomniant, aſſerentes filios quidem Heli non coiiſſe cum fœminis Tabernaculo conuenientibus, ſed licentiam illis præbere ſolitos, vt ante dies purgationis expletos viris ſuis accederent, pecunia corruptos. Sententia quidem falſa, vtpote contra planam textus intelligentiam, *Et quomodo dormiebant cum mulieribus*: & contra communem omnium Interpretum mentem. Ratio autem qua illuduntur, eſt, quia ibi dicitur à patre: *Non eſt bona fama, quam audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini*, quaſi diceret, inquiunt: Ex veſtra venia populus tranſgreditur legem Leuitici 12. & 15. Ratio friuola, nam abſque hoc crimine faciebant alia à populo committi, vel ex ipſorum ſcandalo, vel quod eorum inſolentiis, & procacitate infenſi populares Tabernaculum auerſabantur; ſuprà v. 17. *Quia detrahebant homines à ſacrificio Domini.* Veritati potiùs congruentius eſt Rabbinos hanc expoſitionem commentitos de ſuorum Sacerdotum turpitudine erubeſcentes; quin ſuſpicatur quoque Delrius noſter, hac eos ex cauſa, prædicta verba ex pluribus exemplaribus Græcis aboleuiſſe. Vnde deſiderantur in Biblia Septuaginta Vaticana, ſeu Sixtiana. Delrius.

Literal. Rabbi Dauid.

25 *Quæ obſeruabant ad oſtium Tabernaculi.* Rabbi Dauid. Kimhi. Mulieres illæ excubabant pro foribus, eo quod nefas eſſet mulieribus ingredi atrium Tabernaculi.

Literal. Abul.

26 *Quæ obſeruabant ad oſtium Tabernaculi.* Abul. ibi. q. 12. Id eſt, ad oſtium Templi; non enim permittebatur, mulieres accedere ad oſtium Tabernaculi. Et dicitur, quòd ibi excubabant: quod poteſt dupliciter intelligi. Vno modo, pro *orare.* Alio modo, pro *Vigilare.* Primo modo eſt ſenſus; quòd multæ mulieres deuotæ frequentabant Sanctuarium, venientes ſæpiſſimè ad oſtium, & ibi orabant, hoc autem excubare dicitur. Alio modo, pro *Vigilare*; & tunc eſt ſenſus; quòd aliquæ mulieres excubabant ad oſtium Tabernaculi, id eſt, vigilabant vacantes ibi orationibus, & manentes per noctem.

Literal. Caietan. *Filiorum Heli temeritas.*

27 *Quæ obſeruabant ad oſtium Tabernaculi.* Caiet. ibid. Dictio interpretata, *quæ obſeruabant*, participium eſt præſentis temporis, deductum ab exercitu; & eſt numeri pluralis; ita quòd ſignificantur mulieres per modum exercitus conuenientes ad oſtium Tabernaculi: per quod intelligo mulieres, quæ gregatim veniebant ad oſtium Tabernaculi.

Moral. Salian. Salianus.

28 *Quæ obſeruabant ad oſtium Tabernaculi.* Salian. tom. 3. Annal. Anno Mundi 2097. n. 10. Ex quo tantò maior apparet nequitia profanorum iſtorum Sacerdotum; videntur enim fuiſſe, quantum rudia illa tempora ferebant, quaſi Moniales Domino conſecratæ, quibus ſi ſi flagitioſiſſimi abutebantur cum magna infamia, & populi ſcandalo.

29 *Quæ*

LITERAL. Mendoza. *Fiberii Heli procacitas.*

29 *Quæ obseruabant ad ostium Tabernaculi.* Franc. Mend. ibi. §. 23. Hoc est quæ ministrabant, quæ se exercebant, quæ præstò aderant ad omnia Tabernaculi officia fœminis congruentia exequenda. Erant enim apud Hebræos fœminæ, vt testatur Rabbi Abraham, quæ sæculi vanitate contempta, & profanæ gloriæ luxu abdicato, se ad ministeria Tabernaculi obeunda consecrabant. Hæc autem ministeria, aut erant temporalium, nendo, suendo, texendo, abluendo, cæteraque id genus ad diuinum cultum necessaria exequendo: aut spiritualia, vigilando, orando, ieiunando, aliaque pietatis, ac religionis officia præstando. Harum omnium tum commorantium, quàm aduentantium in Templum pudicitiam impurissimi Sacerdotes ambiebant, & quibus poterant fraudibus, aut viribus expugnabant. Nam sicut omnibus victimis, ita & omnibus fœminis, imò vniuerso Israëli iniurij existebát.

VERSVS XXIII.

Vulgata.

Vulgata. Et dixit eis: Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo?

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagn. Dixitque ad eos: vt quid facitis secundùm hæc quæ audio vestra mala ab omni populo isto?

Vatab.

Hebraica ex Franc. Vatab. Dixitque ad eos: Quamobrem facitis res istas? Nam ego audio ab omni populo ista negotia vestra mala.

Ariasm.

Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia. Et dixit illis: Quare facitis vt verba illa quæ ego audiui? Verba vestra mala ex omni populo hoc.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Compl. & Regia. Et dixit eis: Quare facitis secundùm verba hæc, quæ ego audio, dicta contra vos ex omni populo Domini?

Sixtia.

Græca ex Septuag. in Sixtiana. Et dixit eis: Vt quid facitis iuxta verbum hoc, quod ego audio ex ore vniuersi populi Domini?

Caiet.

Caietan. in Comm. Et dixit ad eos: Quare facitis res istas, quas ego audio, res malas à toto populo isto?

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Nazian.

1 *Quare facitis huiuscemodi.* Nazianz. Apologet. 1. Id, quod Heli Sacerdoti accidit, compertum habeo, qui sceleris etiam illius quod aduersus sacrificia filij committebant, carnium primitias ex ollis, priusquam fas esset, extrahentes, pœnas luit; idque cùm eorum impietati non modò non suffragaretur, sed grauissimis quoque verbis eos hoc nomine identidem obiurgaret.

TROPOL. Chrysost.

2 *Quare facitis res huiuscemodi.* Chrysost. lib. 3. contra Vituperatores vitæ Monasticæ, tom. 5. Quia non omnia, quæque fuerant agenda, vt ea resecarentur vitia, molitus est, & ipse cum illis vnà perit. Nam & minas ille addere debuerat; & à suo conspectu amouere, atq; abdicare; etiã & verberibus afficere, multóq; illis grauiùs, & dutiùs instare. Quia igitur nihil horum egit, verborúmq; tantum monitis contentus fuit, & illis, & sibi ipsi Deum aduersum, infestumque constituit; cúmq; improbè, & intempestiue filius parceret, & suam, simul & illorum salutem perdidit.

3 *Quare facitis res huiuscemodi.* Idem hom. 49. in Genes. tomo 1. Quemadmodum Medicus si morbum sectione indigentem curare cessat, ac moratur statim incurabilis erit morbus, & inutile, alioqui vtile remedium facit; ita & senex ille, cum deberet filios suos pro peccatorum qualitate emendare; nimia vius lenitate illos arguit. Proinde oro exemplo hoc timeamus, & habentes filios prouideamus eis de honesta educatione; & in summa vnusquisque curam eorum habeat, qui apud se habitant.

MORAL. Idem. *Incuria Heli.*

4 *Quare facitis res huiuscemodi.* Theodoret. ibi. Horum iniquitas non egebat lenibus medicamentis, sed acerrimis; oportebat ergo eum si post primam, & secundam admonitionem perseuerassent in nequitia; eos à Templi ambitu expellere.

MORAL. Theodor.

5 *Quare facitis res huiuscemodi.* Ioseph. lib. 5. Antiquitat. c. 11. Hanc insolentiam iuuenum, & pater ipse magnoperè detestabatur, diuinam vltionem nunquam non expectans, & populus iniquissimè ferebat.

HISTOR. Ioseph.

6 *Quare facitis res huiuscemodi.* Greg. lib. 2. Var. c. 2. Ecce senex erat Heli, & acuta loquebatur, quia virtus sacri eloquij, etsi in reproborum corde deficit: tamen coram rectè intelligentibus Iudæorum culpas subtiliter exquirit.

MYSTIC. Gregor.

7 *Quare facitis res huiuscemodi.* Petrus Damian. epist. 55. prope finem. Authentica certè est illa sententia, qua dicitur: *Pacti culpam habet qui, quod potest, negligit emendare.* Quid enim profuit Heli, quia in luxuriam ipse non corruit, sed fornicantes filios paterna quidem pietate; non autem Sacerdotali authoritate corripuit?

TROPOL. Damian. *Prælatus corriget.*

8 *Quare facitis res huiuscemodi.* Beda lib. 1. exposit. Allegor. cap. 6. corripuit delinquentes filios Heli; sed non audierunt: & ipsa veteris institutio Sacerdotij suos Ministros iubet esse perfectos; sed Scribæ, Pharisæi, & Principes Sacerdotum improbi paternam suæ legis, ac sacerdotij vocem perituri contemnebant. Verùm iuxta litteram non negligenter intuendum, quòd corripuit quidem filios Heli; sed quia iustam correctionem contemnentes, vt debuerat, abiicere supersedit, vnà cum ipsis deperiit. Quid ergo nos miseri? quid nostri similes merentur, qui gaudent ad vitia, quæ emendare non audent?

LITERAL. TROPOL. Beda.

9 *Quare facitis res huiuscemodi.* Pseudo Philo in Antiq. Bibl. Et dixit pater eorum ad eos: Quæ est auditio hæc quam ego audio de vobis? Aut non scitis quoniam depositum de Phinees locum accepistis? Et si exteramus acceptum; quid dicimus, si iterum requirat, quid eposuit eum, & pro eo quod deposuit nocuerit nos? Et nunc dirigite vias vestras, & ambulate in viis bonis, & permanebunt actus vestri: si autem contradixeritis, vos ipsos perditis, & erit in vanum Sacerdotium. Et ideò cùm potestis adire filij, corrigite quod peccastis.

Philo.

10 *Quare facitis res huiuscemodi.* Abul. ibi. q. 12. Retulit eis duo principalia in quibus ipsi delinquebant; scilicet, quòd dormiebant cum mulieribus excubantibus ad ostium Tabernaculi; & quòd preuaricabantur in Sacerdotio, vt dictum est, quorum fama pertenerat ad ipsum.

LITERAL. Abul.

11 *Quare facitis res huiuscemodi.* Caiet. in Comment. Hoc refertur ad male gesta circa sacrificia. Faciebant enim populum trangredi, quia faciebant ipsum abominari sacrificia diuina.

LITERAL. Caiet.

12 *Quare facitis res huiuscemodi.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Filios per interrogationé acrius vrget; nam interrogatio in Scriptura sæpe numero esse solet

LITERAL. Mendoza.

vehemens quædam obiurgatio. Sic olim Moyses ad Aaronem vitulum conflari permittentem. *Quid*, inquit, *tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum* ? Fieri autem solet per interrogationem reprehensio, cùm, vt reprehensor exprimat animi affectum, tum, vt reprehensus quid respondere possit non inueniens, ad misericordiam prouocet, ac veniam deprecetur.

LITERAL. Idem. 13 *Quare facitis res huiuscemodi.* Idem ibid. §.2. Dicendo res huiuscemodi videtur quoram rerum seriem, quam audiuerat, retexuisse, & omnia quæ de illis vagabantur facinora disertissimè enarrasse; vt tantarum auditione rerum magis commouerentur. Nisi fortè quis dicat, quod potiùs crediderim, non ausum fuisse Heli singula malefacta seorsim obiicere, sed obscurè tantum, & communi quodam vocabulo comprehensa indicasse; tum, quia adeò multa erant, vt singulis expromendis tempus non sufficeret; tum, quia dictu fœda, ac turpia, vt Sacerdotis ore indigna viderentur.

TROPOL. Palafox. 14 *Quare facitis huiuscemodi.* Ioann. Palafox. lib.1. Hist. sacræ Regalis. O quam in rebus nostris iniqui sumus Iudices? Credibile quidem est Heli in filios suos, si alieni essent, vtique vsque ad flammas desæuisse. O semper spiritui aduersatrix natura! O amor proprius veritati, & iustitiæ per omnia aduersus!

MORAL. Nazianz. *Heli correctio.* 15 *Quas ego audio res pessimas.* Nazianz. Orat. ad Episcopos. Heli quoque, tametsi alioqui viro bono, & iusto impia filiorum ingluuies perniciem inuexit, quamuis eos asperioribus verbis, probrisque insectari non destitisset.

LITERAL. Gregor. 16 *Quas ego audio res pessimas.* Greg. suprà. Cùm dicit, *quas ego audio res pessimas ab omni populo*, ipsæ res à populo agi debent intelligi, non referri. Quod tale est, ac si diceret: res pessimas, quas fieri ab omni populo audio, quare facitis? Vnde & statim quid dixerit apertè insinuans ait: *Nolite filij, non est bona fama, &c.* In quo autem populus Domini mandata transgrederetur si ipsi dormirent cum mulieribus.

LITERAL. Carthus. 17 *Quas ego audio res pessimas.* Carth. ibi. art. 5. Idest, multo peiores quam sunt quæ faciunt populares, vel pessimas ab omni populo, idest, abstrahendo à sacrificiis populum; carnes crudas etiam ante adipis crematione, & vxores abstrahendo à suis maritis per adulterium.

LITERAL. Abul. 18 *Quas ego audio res pessimas.* Abul. ibi. q.12. Istud debet adiungi cum præcedenti verbo, scilicet, *quas ego audio ab omni populo.* Erat enim factum eorum notorium, ideò non erant pauci testes huius, sed totus populus istud cognouerat, & referebat: potissimè autem, quia in vtroque eorum erat magnum grauamen populi; ideò totus populus acclamabat coram Heli. Vocauit autem Heli ista duo res pessimas, quia erant magni nocumenti, & magnæ infamiæ.

LITERAL. Mendoza. 19 *Quas ego audio res pessimas ab omni populo.* Franc. Mend. ibi. §.2. Quibus verbis testes allegat, & multos, & bonos; multos quidem quia totus populus; bonos, quia populus Domini, idest, bonus, & iustus contra illos testabatur.

LITERAL. Aut. Caten. Gregor. 20 *Quas ego audio res pessimas ab omni populo.* Autor Catenæ. Sensus est. Quare perpetratis impia ea facinora, quæ mihi querulus populus in aures refert? Greg. autem ita exponit, vt insinuet prædicta scelera etiam à populo committi ex prauo Sacerdotum exemplo; itavt sensus sit. Quare ea exerceris facinora, quæ etiam populus vestro actus exemplo perpetrat? Veneror Gregor. sententiam; verùm à litteræ consonantia alienam credo; cùm Hebræus iuxta Pagn. & Vatab. imò & Græc. in Complutensi, & Sixtiana prædicta facinora non affirmet à populo committi, sed referri Pontifici, à quo remedium, vel supplicium exposcebat. Probatio autem Gregorij infirma est, scilicet quòd populus transgredi dicitur diuinas leges v.24. *In quo autem* ait Gregorius, *populus Domini mandata transgrederetur, si ipsi dormirent cum mulieribus*? Respondeo in eo mandata Dei populum transgredi, quòd *retrahebant homines à sacrificio Domini.* v.17. vel quia *contemnebant*, seu *blasphemabant homines sacrificium Domini*, vt ex Hebræo legi etiam potest. Quin etiam praui sui exempli stimulis populum Domini in omne vitiorũ chaos præcipitem agebãt. Pagn. Vatab. Compl. Sixtia.

VERSVS XXIV.

VVlgata. Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Non filij mei ita faciatis: non enim est bona fama, quam audio, facientes transgredi populum Domini. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Ne filij mei, non enim bona est fama, quam audio, quod transgredi facitis populum Domini. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Non filij mei, quia non recta auditio, quam ego audio, quam frementes omnis populus Domini. Ariasm.

Græca ex Septuag. in Compl. & Regia. Non filij, non, quia non bona fuit auditio, quam ego audio; vt faciatis populum non seruire Domino. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtia. Non filij, quoniam non bona auditio, quam ego audio. Nolite facere ita, quoniam non bonæ auditiones, quas ego audio, vt faciatis non seruire populum Domino. Sixtia.

Chrysost. hom. 8. in Acta tom. 3. Ne faciatis sic filij: malus rumor est quem de vobis audio. Chrysost.

Idem lib. 3. contra Vituperat. vita Monast. Nolite filij, nolite sic facere, non enim bona fama est, quam ego audio de vobis, vt faciatis populum non seruire Domino. Idem.

Basil. Regul. breuioribus tom. 2. Non filij, non est bona fama, quam audio de vobis. Basil.

Gregor. Nazianzen. Ne ita filij, ne ita, &c. Orat. 4. Nazianz.

Hier. 1. Dialog. contra Pelagian. tom. 3. Nolite filij mei, nolite. Non bonam famam audio ego de vobis. Hieron.

Vatab. in Schol. Alij legunt *fama, quam audio* (quam) *transire facit*, ideſt, (spargit) *populus Domini.* Vatab.

Caiet. ibi. Non filij mei ita faciatis, quia non est fama bona, quam audio, vt transgredi faciatis populum Domini. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

1 *NOlite filij mei.* Constitutiones Apostolicæ, lib. 2. c. 9. & 10. Debet Episcopus peccatores punire, neque temere ignoscere vti Agago Saüli filiis ipse Heli. TROPOL. S. Clem.

2 *Nolite filij mei.* Hier. 1. Dial. aduersus Pelag. tom. TROPOL. Hieron.

tom.3. Certè increpauit Heli filios suos dicens: nolite filij mei, nolite. Non bonam famam audio ego de vobis. Corripuit, & punitus est, quia non corripere debuit, sed abiicere. Quid facies qui gaudet ad vitia? qui emendare non audet? Quj conscientiam suam metuit, & quod cunctus populus clamitat nescire se simulat?

LITERAL. Ephræm.

3 *Nolite filij mei.* Ephræm. Syrus Apologia de Heli. Fortè populi impetum veritus, ita locutus, vt scilicet animas eorum, qui filiis reclamabant, emolliret, atque placaret. Si enim ipsi diuinus cultus cordi fuisset, nullo sanè modo tantum a filiis damnum scelúsque sustinuisset; quin potiùs illud è vestigio propria è domo arcere contendisset.

TROPOL. Chrysost. *Correctio quantum obliget.*

4 *Nolite filij mei.* Chrysost. hom. 17. in Matthæum cap. 5. tom. 2. Hoc enim, hoc inquam, etiam illum quondam admirabilem perdidit Sacerdotem; cuius cùm vita esset irreprehensibilis; tamen quia filios calcantes Dei legem non cum seueritate corripuit; cum illis etiam iure punitus est. Si verò is, cui certè necessitudinis vinculum tyrannisque repugnabat tantæ naturæ, cùm non esset seueritate debita in liberos vsus, seuerissimam expertus sit vltionem: quam nos veniam habere poterimus, qui cùm simus tyrannide illa liberi, omnia tamen adulatione corrumpimus?

TROPOL. Idem. *Culpa Heli.*

5 *Nolite filij mei.* Idem lib. 3. de Prouident. ante medium tom. 5. Heli per filiorum vitia, imò per suam negligentiam offendit Deum; neque enim ideò, quòd malos haberet filios, puniebatur, sed quia vltra debitum increpationi pepercerat; & cùm Dei leges violarentur, seueriùs in illos vltus non est.

TROPOL. Idem. *Culpa Heli.*

6 *Nolite filij mei.* Idem lib. 3. aduersus Vituperator. vitæ Monast. Quibus compertis pater non illos pœna affecit: cæterùm verbis tantum castigare, leníque admonitione, ab hac eos peruersitate reuocare conatus est, atque huiusmodi verba iugiter ad illos loquebatur: *Nolite filij mei, nolite sic facere, &c.* Et certè plena sunt grauitatis, reuerentiæ, ac ponderis hæc verba, & quæ recuperare, atque ad statum vitæ melioris reuocare possent eum, qui penitus excors, & amens non esset; quippe sceleris immanitatem indicant, & quàm sit cauendum, & metuendum, admonent; & quæ illud pœna subsequatur, ostendunt; grauissima, scilicet, & intolerabilis. Verùm quia non omnia, quæ fuerant agenda vt resecarentur vitia, molitus est, & ipse cum illis vnà periit.

TROPOL. Idem. *Filij acriter corrigendi.*

7 *Nolite filij mei.* Idem hom. 9. in epist. 1. ad Timotheum. Heli propter filios periit, illos quippe, cum acriùs coërcere debuisset, verbis tandem lenibus monuit. Quocirca dum illis molestus esse seuera increpatione recusat, & illos, & seipsum vnà perdidit. Audite hæc patres, vestróque filios in disciplina, & correctione Domini erudite summa cum diligentia; est enim iuuentus fera, plurimisque indiget institutoribus, Magistris, pædagogis, assectis, atque nutritoribus; votique res est post adeò exactam diligentiam, eam continere posse, non secùs, quàm equus quidam indomitus, vel vt fera bellua.

TROPOL. Gregor. *Heli prudentia.*

8 *Nolite filij mei.* Gregor. lib. 2. variar. expositi. in 1. Reg. cap. 2. Quo in loco notandum est, quia qui res pessimas ab omni populo se audisse retulit, mansuetæ affectionis verba subiunxit dicens: *Nolite filij mei, &c.* Et acutè quidem reprehendit Heli, & mansuetè admonuit, quia Scriptura Patrum veterum errorem Iudaici populi denuncians increpat, & ab eiusdem erroris sui nocte benigno effectu ad veræ fidei diem vocat. Filios quidem eos appellat vt se debere esse hæredes paternæ promissionis agnoscant, & tanto deuotiùs mundi Saluatorem recipiant, quanto promissionem eius suis factam fuisse Patribus non ignorarent.

TROPOL. Idem. *Correctio sit actu.*

9 *Nolite filij mei.* Idem ibid. cap. 3. Dormiens cum mulieribus, nomine propinquitatis honorandus non est, quia qui proiecto iam Dei timore in suis scelebribus obstinari sunt, leuiori increpatione arguendi non sunt: ne leue pondus peccati esse putent id, in quo corruunt, dum graue eis illud non sonat, quod ex autoritate prædicatur.

TROPOL. Idem. *Heli nimia humanitas.*

10 *Nolite filij mei.* Idem ibid. Qui insequi eas, quas expostuit culpas, debuit; per subsequentia verba leuigauit dicens: *Nolite filij, &c.* In qua nimirum propinquitatis appellatione, quantum à Domini voluntate dissentiat, liquet; quia illos filios appellauit, quos diuinus sermo Belial filios esse perhibuit.

TROPOL. Damian. *Feruor Oratoris si velit ascendere.*

11 *Nolite filij mei.* Petrus Damian. epist. 105. Frigus concretum pectori vocem intercipere consueuit. Si vis ergo Dei verbum claris vocibus intonare, caue ne diuini amoris in te flamma tepescat: ne tibi Principis in Aquilone sedentis algor obrepat. Hoc frigore iam Heli Sacerdos constrictus obtorpuerat, qui filiis suis aiebat: *Non est hac bona filij mei fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.* Nam quia Prædicatoris huius guttur amore Domini algor occluserat, idcircò vox eius quodammodò rauciens in filiorum suorum cordibus efficaciter non sonabat. Si vis ergò vocem habere, vel in prædicationibus intonantem, vel in orationibus efficacem, satage semper, vt te diuinus feruor accendat, ne vocem tuam torpor frigoris intercipiat. Frigidæ quippe mentis oratio, vel prædicatio non admittitur, & tanquam vox rauciens non auditur.

TROPOL. Idem.

12 *Nolite filij mei.* Idem epist. 12. ad Nicol. Pont. Redarguit Heli, & corripuit; sed lenitate patris, & mansuetudine patris, non seueritate Pontificis. Quos inimicos Dei vidit, in perniciem suam filios recognouit.

TROPOL. Rupert.

13 *Nolite filij mei.* Rup. lib. 2. in Apocal. ad c. 2. num. 18. Nouerat indigna agere filios suos, & non digne zelando secundùm legem corripuit eos, sed cum blanditiis nimium paternis; imò penè femineis. *Nolite*, inquit, *filij mei, &c.*

TROPOL. Idem.

14 *Nolite filij mei.* Idem in comment. In peccato filiorum tam grandi Pater Sacerdotum Princeps, qui & ipse iudicabat Israël, iam non paternam pietatem, sed zelo Dei percitus iudiciariam exercere debuerat seueritatem. Iusserat enim lex, vt in causa iustitiæ nec pater filio parceret. Deut. 33. At ille nulla sæuiens magistri disciplina, solásque patris seniles balbutiens blanditias. *Nolite*, inquit, *filij mei, &c.* Nec verò ille per ætatem ad infantiles redierat ineptias, potiúsque per negligentiam crimina fouebat, quàm non habendo intelligentiam.

TROPOL. Angelom.

15 *Nolite filij mei.* Angelom. in Stromat. Heli Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, quòd eos peccantes minùs seuera animaduersione plectebat. Et quidem coërcuit, & quidem corripuit, sed lenitate, & mansuetudine patris, non seueritate, & autoritate Pontificis. Qua sententia discant Sacerdotes, vt dicere cœpimus, quòd non debeant propter vllos humanos fauores, aut commoda terrena, iis, quibus præsunt, in peccatis quibus peccant in Deum, non tolum assentiri, & blandiri, sed neque lenitate, ac mansuetudine, imò dura, ac seuera

increpatione corrigere, & emendare; ne si tacuerint peccata filiorum, ideſt, ſcelera populorum, ipſi pereant quod correpti non fuerant, & qui præſunt, pariter cum eis puniantur.

Histor. Comeſt. 16 *Nolite filij mei.* Comeſtor in Hiſtoria Schol. c. 4. Pater dixit eis: tranſgredi facitis populum Domini, & tepidè arguebat eos.

Literal. Abul. 17 *Nolite filij mei.* Abul. ibi. q. 12. Ecce qualiter corrigebat Heli filios ſuos. Sed leuiſſima erat talis correctio collata ad magnitudinem peccatorum, quæ faciebant filij propter duo. Primò, quia ſenex erat, & filij ſui non audiebant eum æquo animo, contemnentes eum propter ſenilem impotentiam. Voluit ergo magis blanditiis, quàm duris increpationibus caſtigare. Secundum erat, quia Heli diligebat nimis filios ſuos, & noluit eos verbis duris affligere: propter quod Deus nimis culpauit Heli transferens Sacerdotium à domo eius, quia ſi ſoli filij ſui mali fuiſſent, & ipſe increpuiſſet eos, quantum in talibus ſceleribus iuſtum erat, ſi ipſi incorrepti manerent, ſuper eos veniſſet ſolùm pœna, & non ſuper ipſum Heli, qui etiam acerba morte raptus eſt.

Histor. Mauel. 18 *Nolite filij mei.* Ioannes Nauclerus volum. 1. chronographiæ. Generat. 31. Pater dixit eis: Cur tranſgredi facitis populum Domini? tepidéque arguebat eos.

Histor. Valent. 19 *Nolite filij mei.* Iacob. de Valentia in Pſ. 77. Cùm Heli, vt Iudex, & Sacerdos in Iſraël de igne Aaron, & multotiens fuit monitus, vt filios corrigeret, eo quòd tyrannizabant, & multa enormia peccata perpetrabant, & tunc hoc fecit negligenter Heli.

Tropol. Origen. 20 *Non enim eſt bona fama, quam ego audio.* Origen. hom. 1. de Helcana. Extraneus à Deo eſt, qui non tenet diſciplinam, qui delinquentem filium non caſtigat, non corripit vt emendet, qui indulget vitiis, qui delicta non punit.

Tropol. Idem. *Parentum debilium.* 21 *Non enim eſt bona fama.* Idem lib. 1. in Iob. Hi, & filiorum animas igni inextinguibili in interitum tradunt; & ſemetipſos in furorem Iudicij demergunt; omnia enim, quæ deliquerint filij de parentibus requiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint eos. Huius euidens in Heli exemplum oſtenditur.

Tropol. Ephrem. 22 *Non enim eſt bona fama.* Ephræm. Syrus in Apol. Heli. Quam arbitratus eſt admonitionem, non eſt admonitio, ſed ſocordia, & negligentia eius in Deum amoris, eo quòd nimiæ indulgentiæ conniuentiæque terminis continetur ipſius Heli modus.

Tropol. Idem. 23 *Non enim eſt bona fama.* Idem ibid. Hic Sacerdos cùm eſſet, poſſétque coërcere, pro nihilo hanc tantam eorum iniquitatem duxit, nullámque eis, qua refrenarentur, diſciplinam dedit, non alapam, non verba duriora.

Literal. Baſil. 24 *Non enim eſt bona fama.* Baſil. lib. de Iudicio Dei in Proœmio tom. 2. Eo igitur, quod in hos Pater, cùm eſſent tales, non ſe vehementem adhibuerit aduersùs eos, clementiſſimi alioqui Dei iracundiam concitauit.

Tropol. Idem. 25 *Non enim eſt bona fama.* Idem in Regulis fuſiùs diſputatis, inter. 28. tom. 2. clementia illa, qua quis aduersùm iſtius mundi homines vtitur, ſtultæ illi Heli indulgentię facilitati aſſimilis eſt; qua præter Dei voluntatem erga filios ſuos ille vſus fuiſſe animaduertitur.

Tropol. Idem. 26 *Non enim eſt bona fama.* Idem in Regulis breuioribus, inter. 47. tom. 2. Heli, quamuis nequaquam diſſimulanter ſcelus tuliſſet filiorum ſuorum, illorum, inquam, filiorum peſtilentiæ contráque ſæpe illos ab eo deterrere fuiſſet conatus, dixiſſétque *Non filij: non eſt bona fama, &c.* ac longiori oratione, & magnitudinem ſceleris, & neceſſitatem inuitabilis iudicij demonſtraſſet; quia tamen de illis non meritas pœnas ſumpſerat, neque eo modo, quo æquum erat aduersùm ipſos indignatus fuerat, vſque adeò Dei iracundiam irritauit.

27 *Non enim eſt bona fama.* Idem orat. de peccato. Heli Sacerdos, etiamſi vita eius nullum in crimen eſſet vnquam vocata, tamen quod filios ſuos non aſperiùs obiurgaſſet, tantum ſtomachum mouit patientiæ Diuinæ, vt, &c. Tropol. Idem.

28 *Non enim eſt bona fama.* Nazianzen. orat. 1. Illud compertum habeo. Heli Sacerdotem ſceleris filiorum, quod aduerſus ſacrificia committebant, ollas ante tempus delibantes, pœnas pendiſſe, idque cùm eorum impietatem non modò non probaret, ſed etiam perſæpe ipſos obiurgaſſet. Tropol. Nazianz.

29 *Non enim eſt bona fama.* Idem ibid. Etiam Heli filios ſuos monebat, atque caſtigabat, ſed quia id non ſatis diligenter, ac ſtudioſè faciebat, neque ad obiurgationem, acrimoniam, & aſperitatem adiungebat, ideircò à Deo contemptus eſt. Tropol. Idem.

30 *Non enim eſt bona fama.* Idem lib. de Epiphan. Heli Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatur quod eos diuina ſacrificia temerantes, minùs ſeuera animaduerſione flectebat. Et quidem corripuit, ſed lenitate Patris, non ſeueritate, & auctoritate Pontificis. Tropol. Idem.

31 *Non enim eſt bona fama.* Nilus Abb. in Aſcetico. Ab ira diuina, neque grauitas ſenectutis, nec vetus loquendi libertas, nec Sacerdotij dignitas Heli in filiis corrigendis negligentem liberauit; quomodo ſimilem nunc effugient indignationem, qui, cùm nec vllam ex antefactis habeant apud Deum, neque ſciant diſcrimina peccatorum, aut corrigendi rationem ſine peritia, gloriæ nddúcti cupiditate periculoſum opus aggrediuntur. Tropol. S. Nil.

32 *Non enim eſt bona fama.* S. Anton. Abb. lib. 2. Meliſarum ſerm. 10. Sacerdos fuit Heli, ac filios ſuos impiè ſe gerentes reprehendit quidem, ſed quia non ſatis vehementer obiurgauit, Pater religioſus filiorum pœnam temeritatis, & iniquitatis luit. Tropol. Anton.

33 *Non enim eſt bona fama.* Iſidor. Peluſiota epiſtol. 370. ad Cibilum Alexand. Si pater ſum, vt ipſe ais; condemnationem Heli pertimeſco, propterea quòd errantes filios non caſtigaui. Tropol. Iſidor.

34 *Non enim eſt bona fama.* Hieronym. epiſt. 9. ad Sabinum. Heli Sacerdos offendit Deum ob iudicia liberorum, ergo è contrario placatur Deus virtutibus eorum, ſi permanſerint in fide, & charitate, & ſanctitate cum pudicitia. Tropol. Hieron.

35 *Non enim eſt bona fama.* Idem epiſt. ad Epheſ. cap. 6. Heli Sacerdos ipſe ſanctus fuit, ſed quia filios ſuos ipſe non erudiuit in omni diſciplina, & correctione, ſupinus cecidit, & mortuus eſt; & certè corripuerat dicens. *Quare facitis res huiuſcemodi, &c.* Tropol. Idem.

35 *Non enim eſt bona fama.* Idem lib. 1. contra Iouin. longè poſt medium tom. 3. *Filios habentem ſubditos cum omni caſtitate* 1. Timoth. 3. Vide quanta pudicitia exigatur in Epiſcopo, vt ſi filij eius impudici fuerint, ipſe Epiſcopus eſſe non poſſit, & eodem vitio offendat Deum, quo offendit Heli Pontifex, qui corripuerat quidem filios, ſed quia non abiecerat delinquentes, Tropol. Idem.

retrorſum

Anselm. retrorsum cedit, & mortuus est. *Eadem verba habes* Anselmus *ibidem.*

Tropol. Ambros. 37 *Non enim est bona fama.* Ambros. 1. Chorint. 5. A quo crimine mali Doctores aut dissimulabant, aut negligentiùs arguebant (sicut Heli Sacerdos filios suos peccantes in Deum) ne amari essent hominibus.

Tropol. Aug. 38 *Non enim est bona fama.* Aug. de 12. Abusionum gradibus, tract. 3. tom. 9. Sæpè dominandi virtus per animi negligentiam perditur, sicut de Heli Sacerdote factum fuisse comprobatur; qui dum per seueritatem Iudicis peccantes filios non coercuit, in eorum vindictam Dominus velut consentienti non pepercit.

Tropol. Chrysost. 39 *Non enim est bona fama.* Chrys. hom. 26. ad Populum Antioch. Quid dicam cùm tunc accusabor? Quare non alloquutus es? Quare non statuisti legem? Cur inobedientes non cohibuisti? Non mihi satis est dicere, quòd admonui; verùm & acriori, inquit, opus erat increpatione. Nam & Heli admonebat, & dicebat: *Nolite fily mei, &c.* Sed procedens ait Scriptura: *eo quòd non corripuerit filios suos*, eo quòd non acriter, neque cum increpatione hoc fecerit. *Eadem penè verba habet* Homilia 8. *in Acta Apostol. c. 3. tom. 3.*

Tropol. Benedic. 40 *Non enim est bona fama.* S. Benedict. Abb. in Regul. cap. 2. Ne dissimulent Abbates peccata delinquentium, sed mox vt oriri cæperint radicitùs amputent, memores periculi Sacerdotis Heli.

Tropol. Gregor. 41 *Non enim est bona fama.* Gregor. hom. 12. in Ezech. Propter malos auditores, & indignam vitam eorum, qui docere debuerant, sermo doctrinæ subtrahitur, sicut Heli ad corrigendos filios verba non habuit, districtæ increpationis verbum non habuit, quia & eius negligentia, & filiorum exigebant vitia, vt cum eis & populus caderet, & Arca capta ad Allophilos transiret.

Tropol. Idem. 42 *Non enim est bona fama.* Idem. 2. p. Pastoral. c. 6. Quia falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum Iudicem, semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. *Eadem verba habet* Beda *serm. de S. Bartholom.* Beda.

Tropol. Leo. 43 *Non enim est bona fama.* S. Leo Magnus epist. 76. ad Anatol. Abiicienda prorsùs pestifera hæc à Sacerdotali vigore patientiâ est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit; sicut Heli quondam Sacerdos filiorum suorum delicta tolerando cum ipsis diuinæ iustitiæ sententiam meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulauit plectere peccatores.

Euch. Hieron. Isidor. Nazianz. Angelom. Dama. 44 *Non enim est bona fama.* Euch. seu potiùs Author Comm. in lib. Reg. Heli Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est; quod eos peccantes minùs seuera animaduersione flectebat. Equidem coercuit, equidem corripuit, sed lenitate Patris, non seueritate, & autoritate Pontificis. *Eadem verba habent* Hier. Isidor. Nazianz. Angelom. Petrus Damian, & Alij.

Tropol. Anselm. 45 *Non enim est bona fama.* Anselm. in Elucidario ante medium. Heli, quòd quia filiis prauè agentibus consenserit, & eos tepidè super transgressione corripuerit, mortem corporis incurreret.

Tropol. Cæsar. *Heli damnatus est.* 46 *Non enim est bona fama.* Cæsarius Arelat. hom. 15. de aspera admonitione. Timeo enim, & nimium expauesco Heli Sacerdotis exemplum, qui pro eo, quòd audiens filios suos adulteria committere, dissimulauit eos, aut cædere, aut à conuunione suspendere, sed tantùm leniter admonuit. Et non cum grandi seritate distrinxit, & ipse retrò cadens de sella, fractis ceruicibus, mortuus est; & nomen eius de libro vitæ deletum est. Ecce quam graue malum factum est per negligentiam Sacerdotis.

Tropol. Rupert. 47 *Non enim est bona fama.* Rupertus lib. 1. in Deuter. cap. 11. tom. 1. Quam legis autoritatem (Deuter. 21. 18.) quia senex Heli neglexit, idcircò paudum vitæ periculum incidit. Nunquid enim tã molliter dixisse contentus esse debuit: *Quare facitis res huiusce modi.* Nonne armaturam zeli, quali vel quanta super filios inobedientes esse debuerit Sacerdos longæuus ex illa legis lectione scire potuit? Rectè igitur quamuis dixisset: *Nolite fily mei &c.* rectè, inquam, arguitur non corripuisse filios suos Pater Heli, dicente Domino: *Et magis honorasti filios tuos, quam me.* Itémque de illo. *Eo quod nouerat indignè agere filios suos, & non corripuit eos.* Neque enim corripuit, qui non legitimè corripuit.

Tropol. Fulgentius. 48 *Non est bona fama quam ego audio de vobis.* Fulgentius epist. 1. cap. 10. Nec enim & de malis operibus filiorum in illa terribili examinatione parentum negligentia vindicanda, cùm & hoc sæculo propterea Heli Sacerdos à Domino reprobatus fuerit, & abiectus, non quia filiis in iniquitate consensit, sed quia peccantes, manifesto quamuis sermone monuerit; prohibere tamen competenti seueritate cessauit.

Tropol. S. Sixt. 49 *Non enim est bona fama.* S. Sixtus PP. Epist. de malis Doctoribus; vt Heli Sacerdos, qui ob negligentem, & minus seueram filiorum correctionem mortis supplicio iudicatus est.

Tropol. Eligius. 50 *Non enim est bona fama.* S. Eligius. Episcop. Nouiensis hom. 15. vos Sacerdotes perpendite quæ mala negligens Heli Sacerdos perpessus est, & quam gloriam Phinees, qui zelo Dei commotus est, ipso remunerante perceperit: & ideò quãto potestis studio procurate vt animæ vobis commissæ in futuro iudicio potiùs æterna gloria perfrui mereantur, quàm in exteriores tenebras proiiciantur.

Tropol. Hildeber. 51 *Non enim est bona fama.* S. Hildeber. Cœnoman. Epist. 74. Legeram: *Va ius, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.* Ezech. 1. Tali pulullo, talique ceruicali circa filios delinquentes vsus est Heli. Ne igitur eodem plectar excessu, patrem exuens, indui Pontificem, blanditias increpationibus mutaui, pro lenibus aspera sum mutatus, vt si contemnis tibi me proximum effici, ergo ipse mihi proximus efficiar.

Tropol. Gildas. 52 *Non enim est bona fama.* Gildas Sapiens lib. de Acri correctione. Quid profuit Heli Sacerdoti, quòd solus non voluerit præcepta Domini rapiendo in fuscinulis, antequam adeps Domino offerretur, ex ollis carnes, dum eadem mortis ira, qua filij, mulctatur.

Tropol. Idem. *Prælati inertes pœna.* 53 *Non enim est bona fama.* Idem ibidem. Heli Sacerdos pro eo, quòd non digno Deo zelo seuerè in filios contemnentes Deum vltus fuerat, sed molliter & clementer, vtpote paterno affectu, monuerat, tali animaduersione damnatur. Si hæc patiuntur, qui verbis tantum subiectos, & non digna vltione emendant, quid ipsis fiet, qui mala hortantur, & peccando attrahunt.

Tropol. Sulp. 54 *Non enim est bona fama.* Seuerus Sulp. lib. 1. sacræ Historiæ. Quanquam plerumque eos Pater increpasse

increpasse referatur; sed leuior obiurgatio non satis fuerat disciplinæ.

TROPOL. Theodor. 55 *Non enim est bona fama.* Theodoret. ibi quæst.10. Filiorum iniquitas non egebat lenibus medicamentis,sed acerrimis, & asperrimis. Oportebat ergo eum,si post primam, & secundam admonitionem perseuerassent in nequitia,eos è Templi ambitu expellere. Quoniam autem pluris fecit naturam,quam Creatorem;à Deo,ei data gratia fuit priuatus.

TROPOL. Procop. 56 *Non enim est bona fama.* Procopius ibi. Heli licet filios suos ad honesta officia hortatus sit, tamen pro eis pœnas dependit. Non enim lenem illis medelam adhiberi oportebat;sed post vnam, & alteram admonitionem, à Sacerdotum dignitate amouendi erant, præsertim cum aliis etiam legis violandæ occasionem præberent.

TROPOL. Tritem. 57 *Non enim est bona fama.* Tritemius in Comment. Regulæ S. Benedicti.cap. 2. Heli falsa pietate cæcatus filios peccantes corrigere neglexit,qua in re,& ipsum, & filios mala morte periisse constat.

TROPOL. Idem. 58 *Non enim est bona fama.* Idem Ioannes Tritemius. Orat.4. de Cura Pastorali.Memento quid Heli Sacerdoti acciderit, qui delinquentes filios non correxit. Pro eorum peccato damnatus est; quoniam quos Sacerdotali autoritate corrigere debuit, pernicioſa compassione incorrectos dereliquit.

TROPOL. Damia. 59 *Non enim est bona fama.* Petrus Damian. Epist.6.in lib.1. Quos hostili gladio ferire debuit paterna blanditiæ lenitate palpauit.Non sic ille fidelis in Domo Domini famulus Moyses videlicet ingenui Phinees.

TROPOL. Idem. 60 *Non enim est bona fama.* Idem lib.1.Epist.6. ad Nicolaum Pontif.cap.3. Heli quia filiorum peccata cognouit, sed eos inuectione, qua digni erant, acerrima non corripuit, eisdem filij à Philistiim in bello peremptis, ipse quoque de sella retrorsum cecidit,fractisque ceruicibus expirauit.

TROPOL. Idem. 61 *Non enim est bona fama.* Idem lib.7.Epist.7.ad Enriq.Reg.Roman. Heli Sacerdotij dignitate destituitur, dum non intentat filiis verbera, sed blanditur.Vtcumque tamen corripuit illos,sed lenitate Patris, non autoritate Pontificis; atque idcirco ceruicibus effractis occubuit, quia peccantibus clementer indulsit.

TROPOL. S.Thom. 62 *Non enim est bona fama.* S. Thom.1.ad Roman.lect.8. *Qui talia agunt digni sunt morte;non solum qui ea faciunt,sed etiam qui consentiunt.* Ad Roman.1.Quod dupliciter fieri potest:Vno modo, directè,vel laudando peccatum,&c. Altero, indirectè,quando non reprehendit, aut impedit quocumque modo si potest, & præcipuè si ex officio incumbat, sicut peccata filiorum imputantur Heli.

LITERAL. Mendoz. *Dimissio quæ figura?* 63 *Non enim est bona fama.* Franc. Mendoza ibi.§.6. Est oratio figurata in profanis Litteris frequentissima,in qua modicis verbis exaggerati sensus exprimuntur.Nec in sacris Litteris desunt eiusdem locutionis exempla. Iudicum.1.12.Psalm.48. 18.&c.Quæ figura dicitur Græcis παυσιωπις, idest demissio.

MORAL. Idem. 64 *Non enim est bona fama.* Idem ibidem.§.1. Cùm Heli suos filios arguat infamia, seuerissimè eos arguere videtur.

TROPOL. Author Catenæ. 65 *Non enim est bona fama.* Author Catenæ. Diu hæc filiorum Heli vesania perdurauit; siquidem ad incurij Patris aures tandem peruenit. Iustum autem dolorem afflictus populus temperare non valens,fremens, vt ait Chaldæus, vel Patri detulit, vel publico clamore peruulgauit; cuius rei Pontifex pater iniquus æstimator sola verborum mollitie multauit effrænam filiorum insolentiam,verberibus potiùs, ac cruce dignam. De eiusdem inertia, & circa materiam huius versus,vide dicta vers. præcedenti, & dicenda inferiùs c.3.ver.13.

HISTOR. Ephræm. Syrus. 66 *Vt transgredi faciatis populum Domini.* Ephræm Syrus. Apol.de Heli. Non solùm à sacrificiis populum deterrebant, verùm & deinceps ad apostasiam populus impietate operum eorum,quæ filij Heli moliebantur, perterrefactus exercebatur.

MYSTIC. Greg. 67 *Vt transgredi faciatis populum Domini.* Gregor.lib.2. Variar.in Lib. Reg.cap.2. Quando Sacerdotes cum mulieribus dormiunt, subditi mandata Domini transgrediuntur, quia dum Prælati Hæresum admixtione maculantur, reproba subiecta synagogæ multitudo in eisdem fœtoribus mergitur.

LITERAL. Lira. 68 *Vt transgredi faciatis populum Domini.* Lira. ibi. Quia, vt dictum est, pro malitia eorum populus retrahebatur à sacrificiis debitis,& à debita reuerentia erga Deum.

LITERAL. Abul. 69 *Vt transgredi faciatis populum Domini.* Abul. ibi.quæst.12. Ponitur hic vt eliciens consecutionem, & non habitudinem causæ finalis. Non enim est sensus quod filij Heli facerent ista,vt inducerent totum populũ ad peccandũ,quia ipsi non intendebant hoc,cùm magis intenderent delectationem suam,& vtilitatem in istis vitiis; sed debet legi, quòd vt importet quandam consecutionem, scilicet quòd filij Heli faciebant hæc; & consequeretur ad peccatum eorum quod cogerent totum Israël, vel inducerent ad transgrediendum, idest,ad delinquendum in aliquo.

LITERAL. Salian. 70 *Vt transgredi faciatis populum Domini.* Salianus tom.3. Annal. Anno mundi 1911. num.3. Quod mulieres quoque contaminatis, quæ excubant in ostio Tabernaculi, Nonne eas facitis ab ipso Tabernaculo abhorrere? cùm ibi veras sordes contrahant, vbi legales erant purgaturæ; & sic fit vt Templum,& Legem Domini, quod malitia vestra sit illis in graue scandalum, non colant aut frequentent,sed oderint, & detestentur.

LITERAL. Rangel. 71 *Vt transgredi faciatis populum Domini.* Rangol.ibi.Quasi diceret: Non ille vester est populus, nec vos illum ex Ægypti seruitute liberastis; sed Dominus qui sibi illum populum peculiarem acquisiuit; vobis autem docendum, regendumque dedit. Non itaque sic illo pro vestra libidine debetis abuti.

VERSVS XXV.

Vulgata. *Vulgata.* Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus:Si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.

Bened. *Benedictina in margine.* Si peccauerit vir inuirum,arbitri erunt Iudices;in verò homo in Deum, quis eius arbiter erit?

Gloss. *Glossa Ordin. in margine*, Si peccauerit vir in virum iudicabit illum Deus, *vel* Iudex, *vel* diiudicabitur cum illo, *vel* quis iudicabitur pro illo?

VERSO

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Si peccauerit vir in virum, iudicabit ipsum Deus. Si autem in Dominum peccauerit quispiam, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem Patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Si peccauerit homo in hominem, Iudices de hoc iudicabunt. Quòd si quis contra Dominum peccat, quis se fe arbitrum interponet? Sed non audierunt vocem patris sui, quia Dominus voluit eos interficere.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Si peccauerit vir viro, an non ibunt ad ante Iudicem, & audiet loquelas eorum, & exquiret inter eos? Et si ante Dominum peccauerit vir, à quo orabit, & remittetur ei? Et non obedierunt dicto patris eorum, quoniam voluntas ante Dominum ad occidendum eos.

Complut. Regia. *Graca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Si peccans peccauerit vir in virum, & orabunt pro ipso ad Dominum. Si autem Domino peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui, volens enim voluit Dominus occidere eos.

Sixtia. *Graca ex Septuag. in Sixtiana.* Si peccans peccauerit vir in virum, & orabunt pro eo ad Dominum. Et si Domino peccauerit, quis orabit pro eo? Et non audiebant vocem patris sui, quoniam volens volebat Dominus disperdere illos.

Clarius. *Isidorus Clarius ibi.* Si peccauerit vir in virum arbitri esse poterunt Iudices. Si autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo?

August. *Aug. in Psalmum 36. cont. 12. tom. 8.* Si peccauerit populus, orabit pro eo Sacerdos. Si autem Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?

Ambros. *Ambros. in Psalm. 37.* Si populus errauerit, Sacerdos orabit pro eo. Si Sacerdos errauerit, quis rogabit pro eo?

Cæsarius. *Cæsarius Arelatensis hom. 15. de aspera predicatione.* Si homo in hominem peccauerit, rogabit pro eo Sacerdos. Si autem ipse Sacerdos deliquerit, quis orabit pro eo?

Prosper. *Prosper Achitan. lib. de Promissionib. Dei, part. 2. cap. 24.* Si peccauerit populus, exorabit pro eo Sacerdos, si autem Sacerdos, quis exorabit pro illo?

Origen. *Origen. hom. 10. in Ierem.* Si peccauerit vir in virum, exorabitur pro eo. Si verò in Deum quis peccauerit, quis orabit pro eo?

Cyprian. *Cyprian. lib. 3. Testimon. ad Quirin.* Si delinquendo peccetur aduersus virum, orabunt pro eo Dominum, si autem in Deum peccet homo, quis exorabit pro eo?

Idem lib. 1. de exhortat. ad Martir. ad Festum cap. 2. Si delinquendo peccet vir aduersus virum, orabunt pro eo Dominum, si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo?

Didym. *Didym. lib. 3. de Spiritu S.* Qui autem in Dominum Deum peccauerit, quis orabit pro eo?

Chrys. *Chrys. lib. 3. aduersus vituperat. vitæ Monastica.* Si delinquens peccauerit vir in virum, orabunt pro illo Dominum: sin autem Domino peccauerit vir, quis pro illo orabit?

Chrysost. *Chrysostomus hom. 76. in Matth. tom. 2.* Si peccauerit aliquis in hominem, orabit pro ipso: sin verò in Deum peccauerit, quis orabit pro ipso?

Rabbi Dauid. *Rabbi Dauid.* Si peccauerit vir in virum, an non ibunt ante Iudicem, & audiet loquelas eorum, & exquiret inter eos? & eum, qui innocens est, eripiet? Si autem in Deum, quis pro illo iudicabit?

Saa. *Chaldaica apud Eman. Saa.* Si peccauerit vir in virum, ante Iudices causa tractabitur.

Chaldaica ex Gloss. Ordin. in margine. Nónne adducent coram Iudice, & audiet verba illorum, & diiudet inter illos?

Vatabl. *Vatabl. in Scholiis.* Alij minùs rectè pro *placari poterit Deus*, legunt, *iudicabit eum Deus.* Vatab.

Caietan. *Caietan. ibi ex Hebræo.* Si peccauerit vir in virum, iudicabit eum Helohim, & si Iehouah peccabit vir, quis orabit ei. Caietan.

Isidor. *Isidor. Clarius ibi.* Si peccauerit vir in virum, arbitri esse poterunt Iudices. Isidor.

PP. ET AVCTORES.

1 *Si peccauerit vir in virum.* Origen. homil. 5. in Ezech. Quanto quis nobilior fuerit in ordine, tanto maiora supplicia sustinebit. Si autem Princeps Sacerdotum peccauerit: dicit ad eum Heli conseruus suus. *Si delinquens peccauerit vir in virum, orabunt pro eo; si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo.* Moral. Origen.

2 *Si peccauerit vir in virum.* Idem in cap. 6. Leuit. homil. 4. tom. 1. interest peccare in Sanctis, & peccare extra Sancta. Vis & alibi videre hanc ipsam distinctionem? Audi quomodo in Regnorum libris; dicit Heli Sacerdos ad filios suos: *Si enim peccauerit quis in hominem, exorabit pro eo Sacerdos: si autem in Deum peccauerit, quis exorabit pro eo?* Similiter & Ioannes Apost. dicit: *Est peccatum ad mortem. Non pro illo dico, vt oretur.* Literal. Idem. Ioannes.

3 *Si peccauerit vir in virum.* Cyprian. lib. de exhort. ad Mart. ad Fortun. c. 4. Non facile est ignoscere Deus Idololatris. In Reg. 1. lib. *Si delinquendo peccet vir aduersùs virũ, orabunt pro eo Dominum. Si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo?* Literal. Cyprian.

4 *Si peccauerit vir in virum.* Idem lib. 3. Testimon. ad Quirin. cap. 28. Non posse in Ecclesia remitti ei, qui in Deum peccauerit in Euangelio (quòd Matthæum. *Qui dixerit verbum aduersùs filium hominis, remittetur illi: qui autem dixerit aduersùs Spiritum S. non remittetur illi, neque in isto sæculo, neque in futuro.* Item Basilium. *Si delinquendo peccetur aduersùs virum, orabunt pro eo Dominum. Si autem in Deum peccet homo, quis exorabit pro eo.* Literal. Idem.

5 *Si peccauerit vir in virum.* Didim. lib. 3. de Spiritu S. ad finem. Quicunque in Spiritum S. blasphemauerit, non solùm in hoc sæculo, verùm etiam in futuro non dimittetur ei, nec vlla misericordia, & venia reseruabitur illi, qui conculcauerit filium Dei, & iniuriam fecerit Spiritui gratiæ eius, in quo sanctificatus est. Quod quidem in Deo Patre est intelligendum; nam qui blasphemauerit in eum, & impiè egerit, sine vlla venia cruciabitur, nullo pro eo Domino deprecante; sicut scriptum est: *Qui autem in Dominũ Deum peccauerit, quis orabit pro eo?* Tropol. Didymus. *Blasphemia pœna.*

6 *Si peccauerit vir in virum.* Chrys. lib. 3. aduersus vituperat. vitæ Monasticæ tom. 5. Certè plena sunt grauitatis, reuerentiæ, ac pudoris hæc verba, & quæ recuperare, atque ad statum vitæ melioris reuocare possent eum, qui penitus excors, & amens non esset, quippe sceleris immanitatem indicant, & quod sit metuendum, & cauendum admonent, & quæ illum pœna subsequatur, ostendunt, grauissima scilicet, & intolerabilis. Literal. Chrysost.

7 *Si peccauerit vir in virum.* Idem serm. de Latrone, & Prodit. Iud. tom. 3. Vides quòd illud vulnus facilè nec oratione sanatur; & quod oratione non soluitur, cùm peccatum concelleris inimico, tibi quoque donatur. Moral. Idem.

8 *Si peccauerit vir in virum.* Ambros. lib. 1. de Pœnit. cap. 8. tom. 1. Non scriptum: *Nullus orabit* Literal. Ambros.

pro

pro eo, sed *quis orabit*; hoc est, quis ille sit, qui in tali causa orare possit? Quæritur, non excluditur. Denique habes in Psalmo 14. *Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo.* Non enim nullus, sed probatus habitabit. Nec hoc dicitur, quòd nemo requiescat, sed requiescat electus; vt scias hoc esse verum, quod non multo post in Psal. 23. ait: *Quis ascendet in montem Domini?* Idest, non quicumque de vulgo, nec plebeiæ vilitatis aliquis, sed vitæ egregiæ singularisque meriti. Et vt scias, quia cùm dicitur *quis*, non intelligitur nullus, sed aliquis significatur, cùm dixisset: *quis ascendet in montem Domini?* Subiecit: *Innocens manibus, & mundo corde.*

Psal. 14.

LITERAL. Hieron. *Peccare in Deum quid?*

9 *Si peccauerit vir in virum.* Hieron. sed potiùs Autor Tradit. Hebraic. in lib. Regum. Quia placato sibi viro in quem peccauit, placabilem sibi faciet Deum, cui in viro peccauit. Si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Non ergo eo modo in virum, quo in Deum peccatur; quia in virum peccare peccatum qualecumque est, leuiorque remissio: in Deum verò peccare, idest, ab eius cultu recedere, impietatis peccatum est, difficiliorque remissio. Et quoniam, cum in virum quis peccat, placato sibi viro, faciet sibi Deum placabilem: in Deum autem cùm quis peccat, quis orabit pro eo? Ac si dicatur: per quem Deum sibi eum, in quem peccauit propitium facere poterit? *Eadem verba habent* Rupertus, & Angelomus.

Rupert. Angelom.

MORAL. Hieron.

10 *Si peccauerit vir in virum.* Hieronym. epistol. 1. ad Helied. Monachus si ceciderit, rogabit pro eo Sacerdos: pro Sacerdotis lapsu quis rogaturus est?

MORAL. Idem.

11 *Si peccauerit vir in virum.* Idem Dial. aduersus Luciferianos. Nonne legisti, quòd pro populo peccarore Sacerdos Deum exoret: ac pro Sacerdote nullus sit alius, qui deprecetur?

MORAL. Idem.

12 *Si peccauerit vir in virum.* Idem in cap. 18. Matth. Si peccauerit in nos frater noster, & in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus facultatem, imò necessitatem, quia præcipitur, vt debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccauerit non est nostri arbitrij.

MORAL. August.

13 *Si peccauerit vir in virum.* Aug. cont. 2. in Psalm. 36. tomo 8. Propterea vtique talem esse oportet Dei sacerdotem, vt quod populus pro se apud Deum non valuerit, ipse pro populo mereatur; quod popposcerit impetrare; quia scriptum est: si peccauerit vir, & populus, orabit pro eo Sacerdos, sin autem sacerdos peccauerit quis orabit pro eo. Itaque ô Populе talem elige sacerdotem; pro quo non cogaris orare, sed de cuius oratione pro te securus esse possis. Ipse est Dominus noster IESVS Christus vnus Sacerdos, vnus mediator Dei & hominum homo Christus IESVS.

MORAL. Achitan.

14 *Si peccauerit vir in virum.* Prosper Achitan. libr. de Promissionibus Dei, part. 2. cap. 24. Si peccauerit populus, exorabit pro eo Sacerdos: si autem Sacerdos, quis orabit pro eo? Hei mihi! cum magno gemitu, & inexplebili fletu dicam: Dicam præcurrentibus peccatis, impieque agentibus nobis, nostris quoque hæc mala prouenire temporibus.

LITERAL. Bern.

15 *Si peccauerit vir in virum.* Bernar. tract. de Præcepto, & Dispensat. ante medium. Culpa si qua est, quòd homo offenditur, cùm ei non obeditur, aut multùm extenuat, aut potiùs annullat causa melior. Quapropter dum dicitur: si peccauerit vir in virum, subaudiendum est, propter Deum.

MYSTIC. Gregor.

16 *Si peccauerit vir in virum.* Gregorius lib. 2. Variarum Exposit. in libr. Regum. Vir in virum peccare, est homo in hominem peruersa agere. Quid est ergo quod ait: *Placari ei potest Deus*; nisi quia talia peccata leuia erant in eorum comparatione, quæ Iudæi committere in Dei filium cogitabant. In Deum quippe peccabant, quia eum, quem moliebantur occidere, Deum se esse, apertissima miraculorum luce, monstrauerat.

LITERAL. Gregor. *Peccare in Deum quid?*

17 *Si peccauerit vir in virum.* Idem ibidem in 2. part. Commentarij. Vir in virum peccate, est de rebus labentibus inuicem sibi homines nocere. In Deum verò peccare, est ea ei, quæ ad æternitatem condidit, auferre. Quicumque igitur aut suam, aut alterius fidelis hominis animam ad peccandum pertrahit, in Deum peccare conuincitur, quia ei sua auferre propria nititur. Quod nimirum tanto grauius peccarum esse ostenditur, quanto & qui pro eius absolutione dignus intercessor existat, rarius inuenitur. Nam sub interrogatione: *Quis orabit pro eo*, non dicitur, vt tanbus etiam pœnitentiæ remedia denegentur; sed quia altiora peccatorum vulnera difficiliùs curantur. Quod tamen idcircò potest dictum intelligi, quia Sacerdotes arguuntur.

MORAL. Bern.

18 *Si peccauerit vir in virum.* Bern. suprà. Ego igitur si me hoc angi articulo sentiã, vt aut Deum, aut hominem offendere necesse sit: Deum potiùs libenter eligo non offendere, & quidem tutiùs, iustiúsque. Habeo nempe ex præsenti Prophetæ capitulo, de hominis læsione meam consolationem, Dei, scilicet, propitiationem. Cæterùm Deo offenso, quis orabit pro me? Si ad hominem confugero id quidem Scriptura non consulit: quinimò *maledictus homo*, ait, *qui spem ponit in homine* Hieremiæ 17.

LITERAL. Rupert.

19 *Si peccauerit vir in virum.* Rupertus lib. 1. Commentar. cap. 6. Dixit Sapientibus digne audiendam grauem, & maturam sententiam. Igitur qui iudicaret rectè & opportunè, ab ipso Domino sua suscepta est causa, totaliterque ab illo tam in patrem, quàm in filios iusta deprompta est sententia.

LITERAL. Anast.

20 *Si peccauerit vir in virum.* Anast. Nicenus quæst. 76. in Script. Perspicuum est, quòd qui condonauit, maxima est lucratus; cui autem est condonatum, Deo quoque est subiectus, vt agat pœnitentiam, simul orante & eo, qui est offensus, & eo, qui condonauit. Nam si, inquit, *vir peccarit in virum, etiam pro eo orabit ad Dominum?*

LITERAL. Beda. TROPOL. *Eucharistia qualiter tractanda?*

21 *Si peccauerit vir in virum.* Beda libr. 1. Exposit. Allegor. cap. 6. Vtrumque ad filios Heli referendum. Peccauit enim vir in virum, cùm Sacerdos vxorem viri alterius, religionis gratia venientem, constuprauit. Sed hoc digna pœnitudine subsecuta dimittere poterat Deus. Non solum hoc autem factum est, sed & maiori miseria peccauit vir in Deum; cùm idem Sacerdos fornicatione contaminatus ad altaris sacrosancta mysteria non solùm indignè tractanda, sed & indignus accesserit. Et quidem terribilis contra huiusmodi præsumptores Heli sententia personat.

MYSTIC. Richard.

22 *Si peccauerit vir in virum.* Richardus de S. Laurentio lib. 1. de Laudibus beatæ Mariæ in fine.

Diabolus

Diabolus peccauit in in Deum.

Diabolus excommunicatus est, quia manus violentas iniecit in Clericum, imò in ipsum Papam, nempe Christum; & quia non habet superiorem à quo petat absolutionem, & ab illo non vult; ideò non potest absolui; propter quod dicitur: *Si peccauerit vir in virum*, &c.

TROPOL. Damian. *Sacerdotis crimen quale?*

23 *Si peccauerit vir in virum.* Petrus Damian. Epist. 14. in lib. 4. A nullo planè Deus omnipotens maioris iniuriæ præiudicium tolerat; immò deteriùs nemo peccat, quàm Sacerdos, qui indigne sacrificat. Aliter peccantes quasi Dominum in rebus eius offendimus: indignè verò sacrificantes velut in personam eius manus inicere non timemus: cùm scriptum sit; *Si peccauerit vir in virum*, &c. Eant ergo nunc Præsbyteri, & pro lucris huius vitæ, sacris se altaribus ingerant, pro suo, suæque consanguinitatis affectu ex fidelium oblatione diteſcant: non videlicet vt pupillis, ac viduis alimenta prouideant: non vt subsidia peregrinantibus subministrent; sed vt sibi, vel suis turpia lucra conuectent. Eant inquam, & se suosque dumtaxat de Missæ suæ adquisitione reficiant, vt postmodum medullis suis ignis æterni voraginem pascant.

LITERAL. Abul. *Peccare in Deum quid?*

24 *Si peccauerit vir in virum.* Abulensis ibidem. quæst. 14. Distinguebat Heli quædam peccata esse vnius viri contra alterum, scilicet, quòd iniuria, vel damnum, quod sequitur ex opere, directè est contra virum; licet ibi aliqualiter delinquatur contra Deum, solùm inquantum est legislator. De iis autem dicit, quod faciliter dimittuntur. Sunt autem alia peccata contra Deum; scilicet, quando tota offensio ex opere consequens est contra ipsum Deum, tanquam contra priuatam personam, & tanquam contra legislatorem. Et de istis dicit Heli, quod difficulter remittuntur, vel quòd nullus est, qui in talibus possit pro nobis orare.

LITERAL. THEOLOG. Idem.

25 *Si peccauerit vir in virum.* Idem quæst. 15. Circa ista dari potest regula; scilicet, quòd omnia peccata quæ sunt contra tria prima præcepta, quæ sunt in prima tabula, dicuntur directè contra Deum, scilicet, tanquam priuatam personam, & tanquam contra legislatorem: & omnia contra septem præcepta secundæ tabulæ, sunt directè contra proximum; & solùm contra Deum, vt contra legislatorem. Secunda regula sit, quòd in omnibus præceptis cæremonialibus offensio directè pertinet ad Deum, vt ad priuatam personam; & contra legislatorem: in omnibus autem præceptis iudicialibus offensio pertinet ad proximum, vt ad priuatam personam, & ad Deum pertinet solùm, vt ad legislatorem. Quod patet quia præcepta cæremonialia sunt determinationes quædam diuini cultus.

LITERAL. Caiet.

26 *Si peccauerit vir in virum.* Caietanus in Commentario. Ex eo quòd peccatum in Deum proculdubio iudicabit Deus; trahor ad intelligendum nomine *Elohim*, non Deum; sed Iudices, nam sic saluatur distinctio inter peccatum in hominem, & peccatum in Deum penes hoc: quòd peccatum in homine expiatur per hominem, saltem per Iudices facientes repensari hoc læsò: peccatum autem in Deum non potest per hominem repensari nisi fortè supplicando. Sed quis inuenietur tam sanctus, tam amicus Dei, vt audeat intercedere in causa contra Deum? Loquitur enim Heli humano more; rarus enim inuenitur tam amicus humani Principis, vt in causa alterius contra principem, audeat apud Principem intercedere.

27 *Si peccauerit vir in virum.* Franciscus Mendoza ibidem §. 12. Quemadmodùm leuiùs vulnerantur ea, in quæ obliquè iacula relabuntur, quàm ea, in quæ directè intorquentur; ita leuiùs offenditur Deus in creatura, quàm in seipso; nam in creaturam refracto quodammodò peccatoris actu, seu ictu attingitur: in seipso totum, ac directum peccatoris conatum excipit, quo indigniùs violatur. LITERAL. Mendoza.

28 *Placari ei potest Deus.* Strabus Fuldensis in margine, Glosa Ordinaria. Vel *Diudicabitur cum illo*, id est, quis erit purus, vt iudicetur cum illo, siue vt iudex constituatur cum illo, vel *pro illo*, & dicat: faciemus iudicium inter vos sic, & sic. Vel, *Quis iudicabitur pro illo*, id est, quis ingredi audus erit iudicium pro illo cum Domino. LITERAL. Strab.

29 *Placari ei potest Deus.* Abul. ibi. q. 17. Quia iniuriæ factæ directè Deo, videntur esse maiores, saltem ex hac parte; iniuriæ autem factæ proximo minores sunt, sed Deus in maioribus magis punit. Dicendum autem, quòd hoc non est vniuersaliter verum, nam quanquam cæteris paribus offensio facta Deo sit maior, quantum ad delictum, offensione facta proximo; tamen quantum ad omnem modum non est verum; multoties enim peccata facta contra proximos directè, sunt maiora peccatis directè factis contra Deum: sicut maius est quòd aliquis occidat hominem, quàm quod infringat diem Sabbati. LITERAL. Abul.

30 *Placari ei potest Deus.* Emanuël Saa. in Biblioth. trium PP. Chaldaïc. *Ante Iudices causa tractabitur*, quasi dicat; erit locus defensioni: & apud Deum offensum quis poterit defendere? LITERAL. Saa.

31 *Si autem in Dominum peccauerit.* Basil. in Regulis fusiùs disputat. interrogat. 14. Posteaquàm intra reliquorum fratrum societatem adscriptus fuerit, si factam iam ab se professionem rescideriit, is proinde aspici debet, vt qui in Deum peccauit; quem, videlicet, professionis suæ testem adhibuerit, cuique solemni se voto obligauit. *Sin verò in Deũ quis peccauerit, quis orabit pro eo?* Et non qui seipsum semel deuouit, is, si deinde ad aliud vitæ genus transierit sacrilegij se scelere obstrinxit? quippe qui seipsum Deo, cui se consecrauerat, veluti subterfuratus sit. MORAL. Basil.

32 *Si autem in Domino peccauerit.* Orig. hom. 10. in Ierem. Angeli, qui semper auxiliabantur ei, deseruerunt eam; & dixerunt; multis facinoribus oppressa est: IESVM interfecit, & in Dominum nostrum misit manus. Quamdiu minora peccauit, potuimus rogare pro ea, potuimus obtestare Dominum, potuimus parcere ei. Super ista quis parcat. *Si peccauerit vir in virum, exorabitur pro eo. Si autem peccauerit in Deum, quis orabit pro eo.* Vnusquisque nostrum, quando peccat, maximè quando peccat in gratia, in IESVM peccat. Si autem receſserit à fide, hæc facit spiritualiter Christo, quæ corporaliter fecit Ierusalem. MYSTIC. Origen.

33 *Si autem in Dominum peccauerit.* Idem homil. 10. in Num. Qui meliores sunt inferiorum semper culpas, & peccata suscipiunt. Sacerdos autem, si delinquat, aut Pontifex, ipse suum potest purgare peccatum. Si tamen non peccet in Deum; de huiusmodi enim peccatis non facilè remissionem aliquam videmus in legis litteris designari. LITERAL. Idem. *Sacerdotes quales?*

34 *Si autem in Dominum peccauerit.* Isichius lib. 2. in Leuit. Ad illa verba cap. 7. *Mactabitur victima* MORAL. MYSTIC. Isichius.

victima pro delicto. Necessariò aries in Sacrificio offertur, eum significans de quo dicitur: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, qui solus quod in se commissum est, potest relaxare.

LITERAL. Alexand. Ioan. 5. 16. 35 *Si autem in Dominum peccauerit.* Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Leuit. Similiter Ioannes Apostolus dicit: *Est peccatum ad mortem; non pro illo dico vt oretur.* Ioannis 5. 16.

MORAL. Iustinian. 36 *Si autem in Dominum peccauerit.* Iustinian. Imperator. nouella. 123. Si illi, quibus negotium datum est, orandi pro populo, indigni ministerio Dei inuenti fuerint, quomodo pro populi delictis placare Deum poterunt.

MORAL. Chrysost. *Iudæorum pœna.* 37 *Si autem in Dominum peccauerit.* Chrysost. in Psalm. 8. Nimirùm quamdiu in seruos peccastis, veniam estis consecuti; sed postquam manus in Dominum iecistis, vobis cuasit vulnus immedicabile.

LITERAL. Liran. 38 *Si autem in Dominum peccauerit.* Liran. ibi. Quasi dicat: remitteretur tibi per talia, non quia tale peccatum sit simpliciter irremissibile, sed quia difficilè est remissibile. Et per talem modum Saluator Math. 12. *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei in hoc sæculo, neque in futuro.*

LITERAL. Men loza. 39 *Si autem in Dominum peccauerit.* Francisc. Mendoza ibi. §. 17. Hoc peccatum in Deum sub hac triplici materia distinctum, frequenter admittebant filij Heli. Nam & loca sacra, nempe, Tabernaculum, in quo erant, & personas sacras, nempe Virgines, quæ obseruabant ad ostium Tabernaculi, & actiones sacras, nempe omnes leges, ritus, ac cæremonias Sacrificiorum violabant.

MORAL. Ambros. 40 *Qui orabit pro eo?* Ambros. lib. 1. de Pœnit. cap. 8. Hoc est: singularis vitæ aliquis debet orare pro eo, qui peccauerit in Dominum, qui quo maior culpa, eo maiora sunt quærenda suffragia. Non enim quicumque de vulgo pro Iudæorum populo, sed Moyses rogauit, quando vituli caput fidei immemores adorauerunt. Numquid errauit Moyses? At certè quia non errauit, quod rogauit, & meruit, & impetrauit.

MORAL. Idem. 41 *Quis orabit pro eo?* Idem ad Virginem lapsam. cap. 10. Heu me! quia facta sum sicut Sodoma, & combusta sum sicut Gomorra. Quis miserabitur cineres meos? Duriùs offendi, quàm Sodoma, quia illa legem non sciens deliquerat: ego autem accepta gratia peccaui in Dominum. Si homo peccet in hominem, erit qui interueniat: ego quæ peccaui in Dominum, quem propitiatorem inueniam?

MORAL. Chrysost. 42 *Quis orabit pro eo?* Chrysost. homil. 76. in Math. tom. 2. Cæterùm, magna etiam differentia nascitur à personis. Si peccauerit aliquis in hominem, orabit pro ipso; sin verò in Deum peccauerit, quis orabit pro ipso?

MORAL. Pasch. *Eucharistiæ reuerentia.* 43 *Quis orabit pro eo?* Pasch. lib. de corpore, & Sanguine Domini cap. 8. Quem apud Deum pro se interuentorem inueniet, qui Deum totius creaturæ contemnens, in eius iniuriam ad sanctificata, immò nunc ad corpus, & sanguinem ipsius indignus accedit? Talis profectò nec Dei veretur præsentiam, nec frequentiam formidat Angelorum, sed sic se ingerit quasi nullus sit qui eius conscientiam videat.

TROPOL. Isidor. *Simoniæ quantum crimen.* 44 *Quis orabit pro eo?* Isidor. Peluſiota. Ep. 26. in lib. 1. Nosce quem ad finem tendat hoc malum, quod contumeliam in Deum exiguo lucro commutasti (Simoniacè.) Et quis pro te orabit, quandoquidem nec pro Ophni, & Phinees, qui aduersus Deum, ipsiusque Sacerdotium peccauerant, inuentus est quisquam, qui deprecatoris partes susciperet? Verùm in extremum exitium, vt Sacerdotij dignitatem prodentes coniecti sunt.

TROPOL. Gratian. 45 *Quis orabit pro eo?* Gratian. in decreto, 1. part. distinct. 50. cap. *Alienum.* Alienum est à consuetudine ecclesiastica, vt qui in præsbyterali honore, aut Diaconij gradu fuerint consecrati, ij pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi: quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit, secundùm quod scriptum est: *Sacerdos si peccauerit quis orabit pro eo?*

LITERAL. MORAL. Angelom. 46 *Quis orabit pro eo.* Angelom. in Stromatib. cap. 2. Non ita intelligendum est quòd nulla venia speranda sit iis, qui in diuino officio aliquid deliquerint, etiamsi dignè pœnitentiam gerant; sed quod difficilior sit venia, & maior agenda pœnitentia iis, qui in rebus Deo sacratis offendunt, quam iis, qui proximum suum in verbo, vel facto aliquid læserint; quia quanto maior gloria, tanto grauior sit offensa. Hic notandum est siquidem, quia Præsulibus, & omnibus, qui præsunt populo Christiano, considerandum est subtilius, qualiter filij Heli diuina sacrificia temerantes, peccabant coram Domino, & deridebant per eos multi sacrificium Domini. Vnde & Heli Sacerdos pro eorum iniquitate damnatus est.

LITERAL. Hugo. 47 *Quis orabit pro eo?* Hugo Charensis in Postilla. Nota quòd difficultatem, non impossibilitatem dicit; quasi dicat: Quis est tantus, vt orando impetret ei veniam?

LITERAL. Abul. 48 *Quis orabit pro eo.* Abulensis ibid. quæst. 21. Quasi dicat: nullus poterit orare sufficienter; quia etsi orauerit, Deus non remittet.

LITERAL. Gaspar. Sanctius. 49 *Quis orabit pro eo?* Gaspar Sanctius ibid. num. 79. Erit igitur sensus. Si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus, quia sunt in Tabernaculo sacrificia, quæ peccatorem Domino conciliant. At si vir contra Deum peccet eo nimirum modo, quo vos in Deum peccastis, tollendo sacrificia, & preces, quis orabit pro eo? id est, quod erit aliud sacrificium, aut oratio solemnis, & publica, quæ ex veteri instituto à Domino veniam per misericordiam extorqueat.

LITERAL. Gratian. 50 *Quis orabit pro eo?* Gratianus 2. part. Decreti. dicit. 1. §. *Si Sacerdos.* Huiusmodi interrogationes, non semper negationem inferunt, sed potiùs difficultatem, vel raritatem notant, vt est illud Euangelij: *Quis, putas est fidelis seruus, & prudens?* Hinc etiam Ambrosius: *Deus, quis similis erit tibi?* Non vtique nullus, quia Imago Dei Patris Filius est. Similiter: *Quis orabit pro eo?* hoc est: singularis vitæ aliquis debet orare pro eo, qui peccauit in Domino.

LITERAL. Auth. Cat. Ambros. Angelom. Hugo. Sanctius. Hieron. Eccles. 3. 21. Origen. Salmeron. 51 *Quis orabit pro eo?* Author Catenæ. Notant communiter Interpretes Ambros. Angelom. Charensis, Sanctius, & Alij emphaticam interrogationem *quis*, non impossibilitatem, sed difficultatem importare. Id est, difficilis inuentu est is, qui dignè pro eo orare queat. Quod etiam notauit Hierony. ad illud Eccles. 3. 21. tom. 7. *Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendit sursùm.* Et tom. 6. initio in Prologo ad Oseam. Origen. libro 8. in Epistola ad Romanos, de quo etiam latiùs Salmeron tomo primo in Euangelia prologomeno 14. formula. 13. & Sanctius in præsenti.

Philo. 52 *Et non audierunt vocem patris sui.* Pseudo Philo in Antiq.Bibl.Cùm dixisset eis(pater):Pœnitemini de via vestra iniqua:illi dicebant: Quando senuerimus tunc pœnitebimus. Et propter hoc admonitis à patre suo non datum est pœnitere.

Moral. Antioch. 53 *Et non audierunt vocem patris sui.* S.Antiochus hom.114. de Obseruantia Mandati. Nemo qui Dei mandatum contempserit, in rectitudine vitam instituit suam.Filij Heli, cùm illis immorigeræ aures occalluissent ad vocem paternæ monitionis,nec paruissent dicto, Arcam quidem Dei in manus alienigenarum tradiderunt, ipsi autem vnà cum populo meritam mercedem retulerunt,miserrima morte perfuncti.

Histor. Sabel. *Prædicator qualis?* 54 *Et non audierunt vocem patris sui.* Sabel. Enead.1. lib.7. Conuerterant populi oculos in se duorum fratrum scelera;Sed patris autoritas,summaque potestas obstabat, nec erat qui tantæ iniuriæ auderet se vindicem offerre. Tacitus igitur tantorum scelerum exitum, diuinamque vltionem expectabat populus; quæ quò tardior esset, eò atrociorem futuram arbitrabatur.

Tropol. Damian. 55 *Et non audierunt vocem patris sui.* Petrus Damian.Epist.17.in lib.6.Quia Prædicatoris huius guttur ab amore Domini algor occluserat; idcircò vox eius quodammodò rauciens in filiorum suorum cordibus efficaciter non sonabat. Si vis ergo vocem habere, vel in prædicationibus intonantem, vel in orationibus efficacem, satage semper, vt te diuinus feruor accendat: ne vocem tuam torpor frigoris intercipiat; frigidæ quippe mentis oratio, vel prædicatio non admittitur; & tanquam vox rauciens non auditur.

Tropol. Mendoza. *Correptio qualis?* 56 *Et non audierunt vocem patris sui.* Francis. Mend. ibi §.51.*Vocem*, inquit,non clamorem,cùm tamen Heli,si non defuisset suo muneri,non solùm loqui, sed clamare, & quasi tuba exaltare vocem suam, immò, & fulminare in sceleratissimos filios debuisset. *Vocem* prætereà in singulari, & non voces in plurali; vbi fortasse vnica tantùm admonitio insinuatur,cùm tamen multiplicem fieri oportuisset.

Histor. Author Catenæ. Philo. 57 *Et non audierunt vocem patris sui.* Author Catenæ. Pseudo Philo in antiquitatib.Biblicis. refert filios Heli increpanti, & roganti Patri respondisse: *Quando senuerimus, tunc pœnitentiam agemus.* Quæ apparent sumpta de Triuio, vt notauit Salianus.

Literal. Gregor. Ezech.18. 58 *Quia voluit Dominus occidere eos.* Gregor. suprà. Per Prophetam Dominus denuntians ait: *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur,& viuat.* Ezech. 28. Quomodo ergo ei competit velle occidere peccatorem, & mortem peccatoris nolle? Sed in præfato testimonio sequitur, vnde veritas agnoscatur; ait enim: *Sed vt conuertatur, & viuat*; qui enim peccatorem vult viuere, vt conuertatur, si hunc inconuertibilem diuina præscientia nosci, occidit. Vult ergo Dominus occidere, sed eos, quos præscit conuerti nolle.

Literal. Idem. 59 *Quia voluit Dominus occidere eos.* Idem ibidem. Qui diuini examinis æquitatem recte considerat, interesse nihil putat, si an occidatur aliquis, an illo in scelere dimittatur, in quo æterna damnatione pereatur. Tale est, ac si dicatur; tanta fuit magnitudo culpæ, vt & conuersionis monimenta suscipere, & à mortis suæ fouea surgere nequaquam possent, vt qui Dei iræ pelagus biberant, in damnationis suæ cumulum haberent non solùm pœnam commissi sceleris, sed etiam additam vindictam contemptæ prædicationis

Theolog. Abul. *Deum velle occidere quid?* 60 *Quia voluit Dominus occidere eos.* Abul. ibi.quæst.17. Si isti filij Heli obediuissent sermonibus patris, conuersi fuissent ab iniquitatibus suis prioribus, & tunc Deus non occideret eos, nec inflixisset pœnam pro peccatis ipsorum. Sed Deus voluit occidere eos,quia peccauerunt; ideò noluit quòd obedirent verbis patris. Iste sensus videtur nimis durus, scilicet, quòd Deus desideret aliquem occidere, & propter hoc eum à peccatis non liberet, vel magis peccare patiatur. Littera tamen hoc videtur significare. Intelligendum hoc mitiùs; scilicet, quòd isti merebantur mortem, quia nimis peccauerant; etiam merebantur non apponi sibi gratiam Dei, ita nec Deus apposuit dando eis cor docile ad obediendum salutaribus monitis patris:& quia ex hoc ipsi magis mortem promeruerunt, & Deus illis inflixit, dicitur quòd voluit occidere eos, & ob hoc non audierunt; multi enim similes modi loquendi sunt in sacra Scriptura, nimis duri; sed reducendi sunt ad sensum mitiorem.

Moral. Rabbi Dauid. *Peccatoris pœna quæ?* 61 *Quia voluit Dominus occidere eos.* Rabbi Dauid ibi. Cùm impij peccata peccatis cumulant,Deus illis postremò iter ad resipiscentiam concludit, partim vt suorum scelerum dent pœnas: partim vt huiusmodi exemplis pij admoniti sibi diligentiùs caueant.

Theolog. Hugo Mag. Gil. 62 *Quia voluit Dominus occidere eos.* Hugo Charensis in Postilla. Istud *Quia*, non dicit causam,sed signum secundùm Magistrum Gil.Vel potest dici quòd consequens ponitur, pro antecedenti, & est sensus:non audierunt, quia peccatores erant;& quia peccatores,ideò voluit Deus occidere illos.

Theolog. Serari. 63 *Quia voluit Dominus occidere eos.* Serarius in Comment.Causa quę additur,intellignenda est, quòd illi mortem merentur: non autem merentur specialis gratiæ, qua mortem euaderent, ac resipiscerent, beneficium. Ideóque ex iustitia sua mori eos Deus iustissimè volebat.

Theolog. Fran.Men. 64 *Quia voluit Dominus occidere eos.* Francisc. Mendoza §.52. Priùs fuit non obedisse filios Heli, quam Deum absolutè occidere voluisse, atque ita explicanda est littera, quamuis oppositum sonare videatur; non enim ipsi vocem patris audire noluerunt,quia Dominus voluit occidere eos; sed vice versa Dominus voluit occidere, quia ipsi noluerunt audire.

Theolog. Author Catenæ. Augustin. Vaiq. 65 *Quia voluit Dominus occidere eos.* Author Catenæ. Causalitatem indicat particula *Quia*, ex qua hic sensus resultat. Ex diuina voluntate puniendi filios Heli, propter eorum flagitia, ortum habuit ipsorum obstinatio; non autem immediatè, & directè, quòd Deus directè intenderet eorum peccatum,& inobedientiam; sed mediatè,& permissiuè, quòd scilicet ipsis infensus auxilia efficacia denegauerit,contentus solis sufficientibus,quibus præuiderat eos paternis monitis non acquieturos,etsi possent. Vide Aug. tom.10. serm.88. de Temp. & plura alia apud Scholasticos in materia de Auxiliis,& Prædestinatione, & Scientia Dei. Præcipuè Gabrielem Vazquium 1.p.q.23.art.3.disput.95.c.10.

Theolog. Gordon. 66 *Quia voluit Dominus occidere eos.* Iacobus Gordonus in Comment.Scilicet propter peccata, ac proinde posito decreto permissionis insequuta est negatio auxilij efficacis.

VERSVS XXVI.

Vulgat. *Vulgata.* Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino quàm hominibus.

Bened. *Benedict. in margine.* Puer autem Samuel eundo crescebat, & melior fiebat.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Puer autem Samuel ambulabat, & crescebat, placebatque, tam Domino, quàm hominibus.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Puer autem Samuel proficiendo crescebat, meliórque euadebat tam apud Deum, quàm apud homines.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et puer Samuel ambulans, & crescens, & nomen eius bonum, & rectæ viæ eius ante Dominum, & probata facta eius in medio filiorum hominis.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et puer Samuel proficiebat, & magnificabatur, & erat bonus Deo, & hominibus.

Vatican. *Græca ex Sept. in Vatica.* Et puer Samuel ibat, & erat bonus cum Domino, & cum hominibus.

Flamin. *Flamin. Nobilius in Scholiis Sixtiane.* Alij: Ibat, & fiebat magnus.

Caietan. ibi. Puer autem Samuel ambulabat, & crescebat, & placebat tam Deo, quàm hominibus.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Chrysost. *Samuelis pueritia.* 1 *Puer autem Samuël proficiebat.* Chrysost. hom. de Anna & Samuelis educat. tom. 1. Quanquam ætas esset immatura, virtus tamen aderat matura; nam ascendentibus in Templum omnibus multæ pietatis magister factus est. Siquidem dum discunt modum natiuitatis illius, magnum solatium accipiunt spei erga Deum; nec quisquam vilo puero tacitus descendebat, sed omnes glorificabant illum, à quo præter spem datus erat.

Mystic. Greg. Rom. 15. Act 6. 2 *Puer autem Samuel proficiebat.* Gregor. lib. 2. Variar. Exposit. in 1. Reg. Proficiebat Prædicatorum ordo lucro prædicationis: Crescebat numero ministrorum, nam de profectis eius Apostolus Paulus gloriatur, dicens: *Ab Ierusalem vsque Illiricum repleuit Euangelium Christi.* Rom. 15. Crescendi quoque modum Lucas meminit dicens: *Crescente numero discipulorum factum est, &c.* Act. 6.

Tropol. Idem. *Semper proficiendum.* 3 *Puer autem Samuel proficiebat.* Idem ibidem c. 3. Puer Samuel & proficere, & crescere memoratur, & tam Deo, quàm hominibus placere, vt electi auditoris studium designetur, qui rectæ vitæ itinere suos conatus ad æternam patriam dirigit, dum ad maiora connalescit. Vnde & per Psalmistam dicitur. *Ambulabunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Psal. 83.

Psalm. 83.

Literal. Lira. 4 *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat.* Liran. ibi. Hic conuertitur Scriptura ad describendum Samuelis iustitiam iuxta filiorum Heli malitiam. *Proficiebat*; ætate scilicet, & virtute.

Moral. Charen. 5 *Puer autem Samuel proficiebat.* Charens. in Postilla. Proficiebat animi virtute; & crescebat corporis quantitate, vel proficiebat merito operum; & ideò crescebat augmento virtutum.

Literal. Abul. 6 *Puer autem Samuel proficiebat.* Abul. ibi. quæst. 21. Fuit enim casus filiorum Heli, & totius domus eius occasio magnificationis Samuelis; ideò simul ponuntur ista duo. Dicitur autem quòd Samuel proficiebat, scilicet, veniens quotidie de bono in melius; & crescebat, scilicet, perueniens ad magnam excellentiam. Totum autem hoc de honore, & non de ætate, intelligitur.

Tropol. Mendoza. *Samuelis constantia.* 7 *Puer autem Samuel proficiebat.* Franc. Mendoza ibi. §. 1. Samuëlis constantia clariòr elucet, qui inter regredientes progrediebatur; & filiorum Heli peruersitas turpior apparet, qui progredientis exemplo nihilo excitati magis in dies regrediebantur.

Tropol. Author Catenæ. *Semper proficiendum.* Gregor. 8 *Puer autem Samuel proficiebat.* Autor Catenæ. Proficisse, & creuisse parum est, semper autem proficere, & indesinenter crescere perfectum est. Proficiebat, atque crescebat Samuel, *vt electi auditoris*, ait Gregorius, *studium designetur, qui recta vita itinere suos conatus ad æternam patriam dirigit, dum ad maiora connalescit. Vnde & per Psalmistam dicitur: Ambulabunt de virtute in virtutem; Videbitur Deus Deorum in Sion.* Psalm. 83. Quæ optimæ nouerat Sponsa, dum clamabat: *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea.* Cant. 3. Vbi eleganter Gilibert. serm. 3. in Cant. *Surgam ego non de mortuis operibus, non de prauis moribus, sed de bonis ad meliora.* Vnde pedum eius pulchritudine Sponsus mirificè delectatus, illos studiosè commendat. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis?* Vbi gressus potiùs quàm pedes extollit, vti annotauit Ambros. orat. in Obitu Valentiniani Iunioris. *Speciosi*, ait, *facti sunt gressus tui in calceamentis, filia Aminadab, hoc est, filia Principis, Speciosa es enim in processu.* Ambulabat vtique de virtute in virtutem, vt videret Deum in Sion. Similiter Dauid taliter conuersari à Domino adeptum se esse, fatetur. *Statuit*, inquit, *super petram pedes meos.* Psal. 39. 3. hoc est, super Christum angularem lapidem. Quid inde? *Et direxit gressus meos*; vt pergeret vtique, non starent. Sic expressit Eusebius in Caten. Græc. *Non solùm autem pedes supra petram statuit, verùm etiam ambulare, & currere super ipsam, per honestarum rerum approbationem, concedit; quare addidit:* Et direxit gressus meos. Quem indeficientem cursum suadebat Christus Dominus Paralytico iam à se saluti restituto. Ioan. 5. 8. *Tolle*, inquit, *grabatum tuum, & ambula*, vbi addit ad expositionem Anselmus Laudunensis: *Ambula de virtute in virtutem.* Is autem optimus est diuinæ curationis effectus. Hinc verò Petrum liceat reprehendere Christum Dominum adhortantem; *Domine bonum est nos hic esse.* Matth. 17. 4. Cùm eundum potiùs, & non consistendum foret, ex quo monet Theophylactus resipiscentiam. *Ne dixeris cum Petro, bonum est nos hic esse, nam oportet semper proficere, & non permanere in vno gradu virtutis.* Longiùs tamen à recto aberrauit superbus ille Pharisæus qui templum ingressus, virtutes, & profectus suos iactans, sine vllo procedendi, aut proficiendi proposito: *Deus gratias ago tibi, quia non sum, sicut cæteri hominum.* Lucæ cap. 18. v. 11. In gratiis quidem referendis minimè errauerat. In quo ergo? Augustin. in Caten. Sancti Thomæ. *Non reprehenditur, quia Deo gratias agebat, sed quia nihil sibi addi cupiebat. Ergo iam plenus es*; iam abundas.

Matt. 17. 4. Theoph.

Luc. 18. 11. Aug.

Sed

Sed de his plura aliàs. Interdum do hoc instituto consule Blasium Viegas in c. 2. Apoc. sect. 7. n. 5. Didacum Baeza tom. 1. pag. 337. 1. editionis. Ioannem Anton. Velazquez tom. 2. in Epist. ad Philip. pag. 610. 1. edit. Didacum Nissenum. serm. Dom. 6. post Epiphan. Assumpto 3, vbi plura doctè, & luculenter, vt solet, aliàs accumulat. Vnus modò pro cunctis sufficiat. Guarricus Abb. serm. 5. de Aduentu Domini ad illa verba Isaiæ cap. 40. *Parate viam Domini*, vbi sic ait: *Via Domini, fratres, quam parare iubemur ambulando paratur, parando ambulatur. Et licet multum profeceritis in ea, semper tamen vobis præstat paranda, vt de his in quæ peruenistis, tendatis & extendatis vos in vlteriora; quatenus per singulos profectus Dominus cuius aduentui via paratur, quasi nobis à se ipso semper maior occurrat. Ideò benè iustus erat*: Legem pone mihi Domine, viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper. Psalm 118. *Ideò forsan via æterna dicta est. Itaque sapiens, impigérque viator, cùm consummatus fuerit, tunc incipiet, ita, scilicet, vt obliuiscens quæ retrò sunt, vt quotidie dicat sibi: nunc cœpi.* Vide etiam quæ diximus, cap. 1. v. 1. num. 41.

Viegas. Baeza. Velazq. Nissen. Guarr.

TROPOL. Cityll.

9 *Et placebat tam Domino, quàm hominibus.* Cityllus Alexan. lib. 7. de Adorat. In bonitate cum Deo & hominibus, vt diuinus ille Samuel, ambulet; arbitror enim simul cum illa erga Deum charitate, exercendam aptè esse illam alteram in fratres. Nam cui vna defuerit, vtraque desit, necesse est.

TROPOL. Gregor. *Doctor qualis? Paulus bonus Doctor.*

10 *Et placebat tam Domino, quàm hominibus.* Greg. suprà. Subtiliter est intuendum quod dicitur: *Placebat tam Domino, quam hominibus.* Hominibus placet Doctorum si subditis venerabilem, & bonis moribus ornatum præbet. Deo autem placet, cùm de bona conuersatione inaniter gloriari refugit, & solius Dei laudem promereri concupiscit. Dicit ergo: *Placebat tam Deo, quàm hominibus*; quia nonnulli Prædicatores prætextum sanctitatis præferunt, quam non habent. Hi ergo, quia etsi hominibus placent, Deo displicent, in typo noui, & electi prædicatoris de Samuële nunc dicitur. *Placebat &c.* Hominibus quidem placere studuerat qui dicebat: *Christi bonus odor sumus in omni loco* 2. Corinth. 2. Et item: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos* 1. Corinth. 9. Sed qui se hominibus placuisse insinuauerat puritatem cordis commendat dicens: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* 2. Corinth. 1.

2. Corint. 2. 1. Corin. 9. 2. Cor. 1.

TROPOL. Idem.

11 *Et placebat tam Domino, quàm hominibus.* Idem ibidem. Placere tam Deo, quàm hominibus magnæ virtutis est, quia plerumque de bono opere nostro proximum nostrum offendimus, si eadem bona opera non cum magna cautela facimus. Tam Deo igitur, quàm hominibus placet, qui in bono opere, quod omnipotentis Dei obsequiis impendit, cautus est; qui sic Deo placere curat, vt de Dei ministerio aliquem non offendat, & quia ex Samuële adhuc puero, & sub aliena institutione posito dicitur; communiter viuentium per hoc vita eruditur. Nam quidam in sacris locis communiter viuentes feruore nouitio, sub colore magnæ operationis sibi vacare appetunt: qui contubernalibus fratribus, quo minùs sunt viles, hoc minùs placent.

MORAL. Lira. *S. Sebast. Ianu.*

12 *Et placebat tam Domino, quàm hominibus.* Lira ibi. Sic dicitur de S. Sebastiano: necesse erat vt, quem Deus tanta perfuderat gratia, ab omnibus amaretur.

13 *Et placebat tam Domino, quàm hominibus.* Abul. ibi. q. 21. Scilicet opera Samuelis erant recta, ideò omnibus erat placens. Nam Deus aceptabat eum, quia non deuiabat à cæremoniis illius, sicut filij Heli: populus etiam diligebat illum, quia non grauabat aliquem.

LITERAL. Abul.

14 *Et placebat tam Domino, quàm hominibus.* Franc. Mend. ibi §. 4. Quemadmodum filij Heli ita viuebant, vt qui mala eorum opera viderent, Deum blasphemare quodammodo cogerentur: ita Samuel ex aduerso se opponens sic agebat, vt qui eius singularia virtutum exempla spectarent, ad diuinas laudes decantandas excitarentur.

LITERAL. Mendoza.

VERSVS XXVII.

Vulgata. Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non apertè reuelatus sum domui patris tui, cùm essent in Ægypto in domo Pharaonis?

Vulgata.

Text. Gloss. in margine. Nunquid non apertè manifestaui me domui patris tui?

Glossa.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Venit autem vir Dei ad Heli, dixítque ei: Sic dicit Dominus: Nonne manifestando manifestaui me domui patris tui, cùm essent in Ægypto in domo Parhoh?

Pagni.

Hebraica ex Franc. Vatab. Et venit homo Dei ad Heli, & dixit. Hæc dixit Dominus: reuelans reuelatus sum ad domum patris tui, cùm essent in terra Ægypto serui in domo Pharaonis.

Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm in Regia. Et venit Propheta Domini ad Gheli, & dixi ei. Sic dixit Dominus. Reuelari reuelatus sum super domum patris tui, quando fuerunt in Mitzraim, & seruientes domui Parghoh.

Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et venit homo Dei ad Heli, & dixit ei: Hæc dicit Dominus. Reuelatus reuelatus sum ad domum patris tui, cùm essent ipsi in terra Ægypti serui domui Pharaonis.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtiana. Et venit homo Dei ad Heli, & dixit. Hæc dicit Dominus. Reuelans reuelatus sum ad domum patris tui, cùm essent in terra Ægypto serui in domo Pharaonis.

Sixtia.

S. *Lucifer pro S. Athanasio apud Flaminium in Scholis Sixtiana.* Manifestè ostendi me.

S. Lucifer.

Angelom. in Stromatib. c. 2. Venit enim quidam Propheta Domini ad Heli Sacerdotem, & dixit ei. Hæc dicit Dominus &c.

Angelom.

Caietan. ibi. Nonne manifestando manifestaui me &c.

Caiet.

Serarius in Comment. Posset illud *Venit* verti *Venerat.* Scilicet iam olim ante annos aliquot.

Serar.

Author Catena. Exemplaria alia habent in singulari: *Cùm esset in Ægypto*; & sic legunt Abul. Angelom. & Alij.

Author Catenæ.

Lucifer lib. 1. pro S. Athanasio. Hæc dicit Dominus: Manifestè ostendi me ad domum patris tui, ex omnibus Tribubus Israël mihi in Sacerdotium.

Lucifer.

PP. ET AVCTORES.

1 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Hier. seu Author Tradit. Hebraic. in lib. 1. Reg. c. 2.

LITERAL. Hieron.

tomo 4. Hunc virum Dei Iudæi Phinees dicunt, quem & Heliam autumant. Reuelatus vero Dominus fuisse dicitur domui patris eius, ideſt, Aaron meo loco, vbi ait. *Dixit enim Dominus ad Aaron: vade in occursum Moysi in desertum.* In hoc loco primùm Dominus ei reuelatus dicitur. Quod verò ait: *Venit vir Dei ad Heli*, & cætera, quæ sequuntur ante tempus Helcanæ dicta fuisse arbitrantur, sed hîc ob gloriam Samuëlis interpolita dicuntur. *Eadem verba transcripsit* Rupertus *libr.* 1. *Commentar. cap.* 2.

2 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Augustinus libr. 17. de Ciuitate Dei, capite 5. tomo 5. Hoc euidentius ad ipsum Heli Sacerdotem missus loquitur homo Dei, cuius quidem nomen tacetur; sed intelligitur officio, ministerioque suo sine dubitatione Propheta. *Eadem verba habet* Eucherius.

3 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Gregorius libr. 2. Variarum. Quid per hunc virum Dei, nisi S. Apostolorum ille cœtus venerandus exprimitur? Qui certè vir Dei dicitur pro excellentia sanctitatis, quia culmen ordinis, quod in vniuersi orbis prælatione conspicerat, æquali sublimitate virtutis disponebat. Qui profectò ad Heli venit, quando ad annunciandam repulsionem Synagogæ eius Pontificibus accessit.

4 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Idem ibidem c. 3. Vir Dei ad Heli venisse describitur, qui profectò diuinæ sententiæ seueritatem prolaturus, qui antea ei dona contulerat, diligenter enumerauit; & quia tandem vindictæ, quam mereretur pœnam, denunciat, quid dat intelligi, nisi quia pastorum culpæ subtilius iudicantur? & non solùm peccata eis pœnam vltionis aggranant, sed etiam munera concessa.

5 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Rupert. lib. 1. Comment. c. 9. Hic vir vnus mysticè vniuersus est Prophetarum Chorus, nam etsi Prophetæ multi sunt; sed vnus est Dei sermo in ore omnium.

6 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Seder Olam Rabba c. 20. Helcana vir Dei ille erat, qui scribitur venisse ad Heli, & dixisse: *Numquid non apertè reuelatus sum domui patris tui; cùm esset in Ægypto in domo Pharaonis? Quare ergo calce abiecisti victimam meam?*

7 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Lira ibi. Hebræi moderni dicunt, quòd fuit Helcana pater Samuëlis à Domino missus ad Heli arguendum.

8 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Petrus Damian. epist. 6. in lib. 1. Facti culpâ habet, qui, quod potest, negligit emendare. Vnde ad Heli vir Dei, qui & Phinees fuisse putatur, ait: *Hæc dicit Dominus, quare calce abiecisti victimam meam.* Si ergo Heli propter duos dumraxat filios, quos non ea, quâ digni erant, inuectione corripuit; cum eis simul, & cum tot hominum multitudine periit; qua arbitramur dignos esse sententiâ, qui in aula Ecclesiastica, & solijs iudicantium præsident, & super non ignotis prauorum criminibus tacent?

9 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Abul. ibi. q. 21. Quod erat, dum adhuc Samuel esset paruulus valdè, nec esset conueniens eum habere spiritum propheticum. Postea autem perueniente Samuele ad ætatem discretionis, quamquam adhuc puer esset, fuit iterùm per eum reuelatus iste casus.

10 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Idem ibidem, quæst. 22. Quidam Hebræi dicunt quod fuit Phinees filius Eleazari. Motiuum illorum est, quia ille erat vir Dei, cùm zelo eius commotus occideret Principē Tribus Simeon, & Madianitidem coeuntes simul; Deus autem reddit ibidem testimonium, quod Phinees placuit eum, & ob hoc fecerit cum eo pactum de Sacerdotio sempiterno, Num. 25. Sed istud non stat, quia Phinees non erat tunc viuens: quod patet, quia ipse erat Summus Sacerdos succedens patri suo Eleazaro, & deinde omnes Posteri eius fuerunt Sacerdos. Si autem ipse viuens esset, gereret summum Sacerdotium. Sed manifestum est quod nunc non erat Sacerdos magnus ipse, sed Heli, & multi Sacerdotes magni intercederent inter eum, & Heli; ergo non viuebat tunc, vt aliquid nunciaret Heli. Item non potuit tanto tempore viuere Phinees filius Eleazari, nam secundùm Iosephum libr. 5. Antiquit. oportebat quòd esset Phinees plurium quàm quingentorum annorum, quando ista facta sunt.

11 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Idem ibidem. Alij de Iudæis dicunt, quòd iste vir Dei fuit Helias. Fundamentum eorum est, quia ipse vocatur *Homo Dei.* 4. Regum 1. Sed dicendum est quòd non potest stare, quia de Helia solum legitur sub Rege Israel, qui dicitur Acab, & sub Ioram Rege Iuda; tempore enim horum raptus est ipse in cœlum, & tempore horum prædicauit. Si igitur Helias fuisset vir Dei, qui prædixit ista Heli Sacerdoti, esset plurium quàm ducentorum, & quadraginta annorum quando raptus est. Sed nullus hominum ad tantam tunc accedebat ætatem. Dicendum est quòd ipse fuerit aliquis Angelus veniens in effigie viri ad Heli; Vocatur autem vir Dei, quia à Deo missus erat, & quia in figura viri apparuit, dicitur vir. Sic patet de Angelo, qui apparuit vxori Manuæ, & matri Sampsonis, & illa dixit. *Vir Dei venit ad me.* Iudicum 13.

12 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Hugo Charensis in Postilla. Angelus Domini secundùm Hebræos. Tamen quidam Hebræi autumant hunc virum fuisse Phinees, quem etiam dicunt fuisse Heliam. Alij dicunt Phinees esse Angelum incorporatum.

13 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Caietan. ibi. Nescitur quis fuerit iste vir Dei. Et nominatur Deus Elohim.

14 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Emanuel Saa in Bibl. Trium PP. Vir Dei, ideſt, quidam Propheta. Quidam putant accidisse id antè natum Samuelem. Scriptura enim ordinem non seruat.

15 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Franciſc. Mendoza ibi. §. 14. Alia opinio est fuisse aliquem Prophetam, siue is fuerit Helcana pater Samuëlis, vt ex Rabbi Salomone refert Galataninus lib. 9. cap. 1. siue quis alius incognitus, vt Lira. Angelom. & alij. Nec parum habilis mihi videtur fuisse ad hoc munus ipse Helcana, cuius probitas in populo perspectata erat: Imò & ipsi Sacerdoti Heli explorata, & fortasse aliqua vis prophetandi in eo floruisse ex loco Sophin, hoc est speculantium, seu Prophetarum, in quo habitabat cap. 1. num. 1. colligitur: sic enim minus cogemur multiplicare Prophetas; quo tempore magna erat eorum raritas, & efficacior redderetur admonitio, dum iuuatur vulgari opinione de admonentis sanctitate. Sed de hac re, quam Scriptura non declarat, disputare curiosum fortasse magis, quàm fructuosum.

16 *Venit*

Eucher.

Mystic. Greg.

Moral. Greg.

Mystic. Rupert.

Histor. Seder Ola.

Histor. Lira.

Tropol. Petr. Dami.

Literal. Abul.

Literal. Idem.

Num. 25.

Iosephus.

Literal. Abul. *Qui fuerit iste vir Dei.* 4. Reg 1.

Iudic. 13.

Literal. Hugo.

Literal. Caiet.

Literal. Saa.

Literal. Mendoza. Salom. Galat. Lira. Angelom. *Vir Dei qui?*

LITERAL. Idem. Genes. 25. & 46. 16 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Idem ibidem, §.2. Vir alicuius rei dicitur in Scriptura, qui est alicuius rei studiosus. Sic dicitur *vir agri.* Gen.25. iuxta Hebræum pro Agricola. *Vir pecoris.* Gen.46. iuxta Fontem, pro Pastore. *Vir belli.* 1. Reg.18. pro Bellatore. Sic etiam *Vir Dei* est vir Deo deditus, & consecratus.

LITERAL. Sanctius. 17 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Centum-Puteolan.ibi. num.84. Mihi certum est hunc Virum hominem esse Prophetam. Quis tamen ille fuerit prorsus incertum. Fuisse aliquos Prophetas, quorum tempus, & nomina Scriptura silet, negare nemo potest.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. Lira. *Phinees non Helias.* 18 *Venit autem vir Dei ad Heli.* Autor Catenæ. Hunc Virum Dei plures Hebræorum Phineem dicunt filium Eleazari, non vtique alio fundamento, quam pulchri sui cerebri delirio, cùm Phinees hæc tempora præcesserit pene quadringentos annos, vt videre est apud Abul. & Liram, qui temporum seriem diligenter supputant. Addunt adhuc Rabbini Phineem eundem esse, ac Eliam, quorum errorem miror fustulisse, & approbasse S.Petrum Damianum epistol. 6. in lib.1. Addit Mendoza §.4. Rupertum lib.2. in Deuteronom. cap.13. tomo 1. Eam sententiam referre, & sibi eam placere asseruisse, quod verum non est, vt legenti constabit; cuius hæc sunt verba. *Tradunt enim Hebræi, quòd Phinees ipse sit Helias, quod si ita est, maximè placet.* Vbi non eam sibi simpliciter placere dicit, sed si vera est, (quod non definit) suæ confirmationi deseruire. Verùm omninò falsam esse, vel ex eo apertè constat, quòd Phinees Heliam præcesserit sexcentos annos; est autem omnino incredibile eo tempore in tantum hominum vitam prolongari, vt in contemporaneis pluribus constat. Imò Helias Virgo fuit, iuxta communem PP. acceptionem: Phinees coniugatus, & pater: Patriæ quoque gradus, & actiones omninò diuersæ. Vnde in Rabbinis impugnandis tempus teritur, & sine causa laboratur.

Damia. Mendoza. Rupert.

TROPOL. Lucifer. 19 *Hæc dicit Dominus.* Lucifer Calaritanus libr. 1. pro S. Athanasio. Si hanc ille accepit increpationem pro filiis à Deo, qualem nos meremur accipere pro te, Constanti? Credo dictum fuisse nobis: Plus honorificastis Constantium, quàm me.

LITERAL. Mendoza. 20 *Hæc dicit Dominus.* Franc.Mend. ibi. §.17. Exordium Prophetis familiare, quo præmisso suam Propheta Dei nomine increpationem aggreditur.

MORAL. Gregor. 21 *Numquid non apertè revelatus sum?* Gregorius suprà. Revelatum se domui patris eius asseruit, vt ignorantiæ excusationem habere non possit. Eandem verò suæ revelationis cognitionem se ei in Ægypto exhibuisse edocet, vt se suis meritis Heli obtinuisse nequaquam putet. Quasi apertè dicat: Illic me ei cognoscendum præbui, vbi mei obliuisci poterat; reminisci nesciebat.

LITERAL. Beda. 22 *Numquid non apertè revelatus sum, &c.* Beda lib.1. Expositionis Allegor. c.7. Non hæc de proximo patre Heli, quia in illa Ægyptia seruitute fieri non potuit, loquitur: sed de ipso Aaron cuius domui revelatus est in Ægypto, quamque inde eductam omnibus Tribubus Israël Sacerdotij iure prætulit.

LITERAL. Angelom. 23 *Numquid non apertè revelatus sum domus patris tui?* Angelomus in Stromatibus, cap.2. domum patris sui Aaron dicit, de cuius stirpe fuit, & cessit in Sacerdotium, cui revelatum Dominus dicit cùm ait in Ægypto: *Vade in occursum Moysi in desertum.*

LITERAL. Abul. 24 *Numquid non apertè revelatus sum domui patris tui?* Abul. ibi. quæst. 23. Cùm Deus intendat prænunciare huic Heli destructionem domus suæ, præponit beneficia collata toti progeniei Aaron, & Leui. Et hoc ad duo. Primum est ad improperandum impensa beneficia, quia cùm Deus eis specialiter benefecerit, debebant eum specialiter colere; sed ipti magis illum ad iracundiam prouocabant; ideò indigni erant beneficiis impensis. Secundum erat, ad excusandum promissionem suam antiquam; dixerat enim quod isti ministrarent in æternum, qui nunc ministrabant, & in Tribu illa semper, & familia maneret officium Sacerdotale; nunc autem dicit quòd non sic erit. Dicitur etiam revelari quantum ad collationem bonorũ, & dicitur quòd Dominus alicui se revelat, in quantũ ei bona confert, & cui maiora beneficia confert, magis se revelat.

LITERAL. Mendoz. 25 *Domui patris tui.* Franc.Mendoza ibi. §.20. Dubium manet, vtrùm domui Leui, an domui Aaronis facta revelatio intelligatur. Hoc posterius tenet Abul. Placet eius assertio, sed non ratio. Assertio quidem: quia ille parens Heli, de quo hic agitur, dicitur vers. sequenti, in Sacerdotem electus; hic autem non fuit Heli, sed Aaron, vt Num. 12. 18. constat ergo quòd de domo Aaronis, non de Leui loco agitur.

LITERAL. Abul. 26 *Cùm essent in Ægypto in domo Pharaonis.* Abul.ibi q.23. Non est sensus, quòd esset Aaron, siue domus sacerdotum in domo Pharaonis, accipiendo domum propriè, quia habitabant omnes Israelitæ extra atrium Pharaonis, sed accipitur domus largè pro Ægypto.

LITERAL. Mendoza. 27 *In Ægypto in domo Pharaonis.* Franc.Mend. ibi. §. vltim. Dixerim Ægyptum appellare domum Pharaonis, quòd esset eius possessio.

VERSVS XXVIII.

Vulgata. VVlgata. Et elegi eum ex omnibus Tribubus Israel mihi in Sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel.

Benedict. *Benedict. in margine.* Et dedi domui patris tui omnia *ignita* sacrificio filiorum Israel.

Gloss. *Textus Glossa adiunctus in margine.* In Sacerdotem, vt offerret super altare meum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et elegi eum ex omnibus Tribubus mihi in Sacerdotem, vt offerret super altare meum, vt suffiret thimiama, vt portaret superhumerale coram me: & dedi domui patris tui omnes oblationes filiorum Israel.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Eligendo, scilicet, eum ex omnibus Tribubus Israël mihi in Sacerdotẽ, vt offerret super altare meum, & adoleret incensum, atque portaret ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia sacrificia filiorum Israel, quæ igne conficiuntur.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et optaui in eo ex omnibus Tribubus Israël vt sit Sacerdos, ad ascendere faciendum oblationem super altare meum, ad suffiendum suffitum aromatum, ad vestiendum ephod, ad ministrandum ante me,

& dedi domui patris tui omnes oblationes domus Iſrael.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et elegi domum patris tui ex omnibus Tribubus Iſrael, fungi Sacerdotio mihi, vt aſcenderet ad altare meum, & adoleret incenſum, & portaret ephod coram me: Et dedi domui patris tui omnia, quæ ignis ſacrificiorum filiorum Iſrael in cibum.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixt.* Et elegi domum patris tui ex omnibus ſceptris Iſrael mihi ſacerdotio fungi, vt aſcenderent ad altare meum, & incenderent incenſum, & portarent ephod: Et dedi domui patris tui omnia, quæ ſunt ignis filiorum Iſrael in eſcam.

Lucifer. *Lucifer pro S. Athanaſ. apud Flaminium.* Et dedi domui patris tui omnia frumenta filiorum Iſrael.

Caiet. *Caiet. in Comment.* Ad adolendum incenſum, & portandum coram me ephod, & dedi domui patris tui omnia incenſa filiorum Iſrael.

Aut. Caten. *Autor Catenæ.* Aliqua Exemplaria habent *Vt* poſt illa verba *aſcenderet ad altare meum*, in hunc ſenſum *vt adoleret &c.* Alia verò habent copulam *&*: Sic, *& adoleret mihi incenſum.* Vtramque verò lectionem approbare videtur Abul.

Lucifer. *Lucifer lib. 1. pro S. Athanaſ.* Manifeſtè oſtendi me ad domum patris tui ex omnibus Tribubus mihi in Sacerdotium, vt aſcenderent ad ſacrificium meum, & incenderent incenſum, & tollerent Ephod, & dedi in domo patris tui omnia frumenta filiorum Iſraël in eſcam.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Hieron. 1 *Et elegi eum ex omnibus Tribubus.* Hier. ſeu Autor Tradit. Hebraic. In Sacerdotem electus eſt ex omnibus Tribubus Iſrael, ſicut habes in Eleſmoth, & in Veierra.

Literal. Auguſt. 2 *Et elegi eum ex omnibus Tribubus.* Aug. lib. 17. de Ciuitate Dei. c. 5. tom. 5. Quis pater fuit huius in illa Ægyptia ſeruitute, vnde cùm liberati fuiſſent, electus eſt ad Sacerdotium, niſi Aaron? De huius ergo ſtirpe hoc loco dixit futurum fuiſſe, vt non eſſent vlterius Sacerdotes; quod iam videmus impletum.

Tropol. Greg. 3 *Et elegi eum ex omnibus Tribubus.* Greg. lib. 2. Variar. c. 2. Ne ipſa cognitionis diuinæ dona reprobo parua fuiſſe viderentur, de cæteris Tribubus Iſrael ad culmen ſacerdotij aſſumptus aſſeritur. Quaſi dicat: eum eis prætuli, quibus non ſuperior, ſed æqualis fuit.

Moral. Idem. 4 *Et elegi eum ex omnibus Tribubus.* Idem ibid. c. 2. 2. p. Comment. Quia ſigillatim eadem dona replicat, aliquid grauius deſignat; quia ſingula ad tormentum veniunt, quæ malè fuiſſe ſeruata comprobatur. Malè namque in ſe omnipotentis Dei munera cuſtodit, qui nitorem paſtoralis culminis per maculas polluit prauæ actionis.

Literal. Abul. 5 *Et elegi eum ex omnibus Tribubus.* Abul. ibi. q. 22. Iſtud refertur ad patrem, & non ad domum, quia non poterat eligi domus in Sacerdotem, ſed pater domus, ſcilicet, Aaron, cùm miniſtratio pertineat ad perſonam.

Literal. Mendoza. 6 *Et elegi eum ex omnibus Tribubus.* Franciſc. Mendoza ibi. §. 1. Hæc duo beneficia præcedentis, & præſentis verſiculi, nimirum reuelatio ſecretorum, & collatio Sacerdotij ita ſe habuerunt, vt illud fuerit antiquius in Ægypto: hoc recentius in deſerto collatum; & quidem debito ordine, vt priùs illuſtretur intellectus luminæ Prophetico; poſterius voluntas Sacerdotali gratia ſanctificetur.

Moral. Idem. 7 *Et elegi eum ex omnibus Tribubus.* Idem ibidem §. 4. Beneficium ex ſingularitate creſcit. Sacerdotium igitur ad quod Deus non omnes Tribus, ſed vnam familiam Aaronicam coopta-uit, magnum beneficium, & magnificiendum eſſe oportebat. Vnde tacita hoc loco exprobratio continetur. Si ego patrem tuum omnibus Tribubus antepoſui, cur tu mihi filios tuos prætuliſti? *Singularitas auget beneficium.*

Tropol. Author Catenæ. 8 *Et elegi eum ex omnibus Tribubus Iſrael mihi.* Autor Catenæ. Audiat hæc Chriſti Sacerdos, & non ſibi ad Sacerdotij honorem euectum credat, ſed Chriſto. Non ergo inani gloriæ, non voluptati, non lucro ſtudeat, cùm diuinis vſibus, & ſtudiis totus vacare teneatur. Impij Sacerdotis, & impiorum filiorum obiurgationi, & ſupplicio Sacerdos, & Pontifex vt reſipiſcant, attendant; nec fidelium eleemoſynis, & Chriſti ſanguine conſanguineorum exaltationi ſtruendis palatiis, maioratibuſque inſtituendis inſeruiant. Audiant item Bernardum in ſuis Declamationibus exclamantem. Bernard. *Non ſuperbiat, non luxurietur, denique non diſtetur, nec contra Sancti cuiuſdam planè dignam omni acceptione ſententiam, ex Clericatu ditior fiat. Non ſibi de bonis Eccleſiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate aut ſuperfluitate diſpergat, non extollat de facultatibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare par ſacrilegiis crimen eſſe dignoſcitur.* *Sacerdotum obligatio.*

Mystic. Gregor. 9 *Vt aſcenderet ad altare meum.* Gregor. ſuprà. Pater ergo Heli ideò in Sacerdotium electus, à Deo eſt, vt ad altare aſcenderet, quia ordo Doctorum veterum ad hoc ſubiecto ſibi populo præfuit, vt humani generis reparationem in Redemptoris aduentu futura prædicaret.

Literal. Abul. 10 *Vt aſcenderet ad altare meum.* Abul. ibi. q. 22. Ponitur primò de miniſtratione altaris, quia quanquam ſint plures miniſtrationes ſacerdotales, præcipua inter eas, eſt in altari. Dicitur de aſcenſione ad altare, quia altare ſemper erat ſic diſpoſitum, vt verſus illud eſſet aſcenſus; non tamen aſcendebatur illuc per gradus, ſed erat quidam alius, aſcenſus continuus ſine gradibus. Intelligitur hoc de altari holocauſtorum; quia quanquam eſſent duo altaria, ſcilicet, holocauſtorum, & thymiamatum; tamen quandocumque Scriptura loquitur de altari, abſolutè ſemper intelligitur de altari holocauſtorum, quia illud erat præcipuum.

Literal. Mendoza. 11 *Vt aſcenderet ad altare meum.* Franciſc. Mend. ibi. §. 5. Aſcenſus aut erat proprius, vel potiùs metaphoricus, quia quilibet acceſſus ad ſacrificandum propter operis ſublimitatem dici poteſt non immeritò aſcenſus; imò & ipſæ oblationes, aſcenſiones, ſeu eleuationes dicebantur vt c. 1. iam notaui.

Literal. Abul. 12 *Et adoleret mihi incenſum.* Abul. ibi. q. 22. Nihil aliud erat aſcendere ad altare, niſi ad faciendum ſacrificia, & illa vocantur incenſum, ideſt, res oblata, quia incenditur; & non incenſum, ideſt, thus, quia in iſto altari holocauſtorum nunquam offerebatur thus, ſed ſolæ carnes cum libaminibus ſuis; & ſic ſacra Scriptura ſæpe dicit, quòd aliquæ carnes cremantur in incenſum Domino, ideſt, incenduntur coram Domino. Sic patet Leuit. 4. Leuit. 4.

13 *Et*

LITERAL. Mendoza. 13 *Et adoleret incensum.* Franc. Mend. ibi.§.6. Dupliciter sumi potest incensum : vel pro ipsis victimis incensis in altari holocausti : vel pro thure, seu aromatibus, quæ incendebantur in altari thymiamatis, vtroque enim modo sumitur 1. Parap.6.

TROPOL. Gregor. *Soli Deo placendum.* 14 *Et portaret ephod coram me.* Greg.suprà. Et quia omnipotens Deus veritatem Religionis, & non prætextum quærebat coram se, & non coram populo, ephod ei portare præcepisse perhibuit. Coram Domino quippe ephod portare, est de vitæ innocentia solius diuinæ voluntatis retributionem quærere. Apertè autem ista contra Heli per improperium dicuntur.

LITERAL. Lira. Exod.20. 15 *Et portaret ephod coram me.* Lira ibi. Ideſt superhumerale, cui coniunctum erat rationale iudicij ; vt habetur Exod.20.

LITERAL. Abul. *Ephod quid?* 16 *Et portaret ephod coram me.* Abul. ibi. q.22. Inter vestes Summi Sacerdotis potissima est vestis quæ dicitur superhumerale; ideò ad significandum Summum Sacerdotem fuit expressa ista vestis ; nec accipitur hîc ephod pro solo superhumerali, sed pro superhumerali, & rationali. Ponitur tamen vnicum nomen, quia ephod, & rationale erant coniuncta. Exod.28.

Exod.28. LITERAL. Caiet. 17 *Et portaret ephod coram me.* Caietan. ibi. Sæpè dictum est ephod sonare vestem superhumeralem in genere ; sed hîc sumitur pro habitu Pontificali.

TROPOL. Author Catenæ. *Sacerdotij onus.* 18 *Et portaret ephod coram me.* Autor Catenæ. Verbum *Porto* de his propriè dicitur, qui onera seu sarcinas hinc inde transferunt. Ephod ergo, quod Sacerdotium seu Pontificatum indicat, non honorem, non commodum æstimes oportet, sed potiùs onus Angelicis etiam humeris formidandum, cui ponderi ne cedas, spirituali vigore, & solerti solicitudine tibi opus est.

MORAL. Greg. 19 *Et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis.* Gregor. suprà. Quasi ei aperta obiectione reputet dicens : in nullo ei defui, cui spiritualis honoris, potestatisque culmina præbui, & ad temporales vsus terrenæ abundantiæ copiam ministraui.

LITERAL. Abul. 20 *Et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis.* Abul. ibi. q.25. Non est intelligendum quod ipsi perciperent integraliter sacrificia, quia tunc nihil cremaretur coram Deo; sed percipiebant omnia iura, quæcumque debebantur aliquibus hominibus de sacrificiis.

LITERAL. Caietan. 21 *Et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis.* Caiet. ibi. Lege Leuiticum, & inuenies differentiam inter incensa & victimas pacificas, cunctaque incensa fuisse Sacerdotum.

LITERAL. Saa. 22 *Omnia de sacrificiis.* Emanuel Saa in Scholiis. Ideſt, de omnibus sacrificij partem.

LITERAL. Mendoza. 23 *Et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis.* Franc. Mend. ibi §.10. Quia tota familia sacrificiis fruebatur, ac sustentabatur, illis tamen sacrificiorum partibus exceptis, quæ in diuinum cultum cremabantur ; quod littera innuere videtur dum non ait, *Omnia sacrificia* data Sacerdotibus, sed *omnia de sacrificiis*, hoc est, omnia quæ supererant extra partes Deo oblatas.

TROPOL. Idem. *Sacerdos lucro ne studeat.* 24 *Et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis.* Idem §.11. Hic ego interrogatos velim Christianos Sacerdotes, vt interim Aaroniticos omittam, quid in Sacerdotio potissimum requirant: Sanctitatemne, an vtilitatem ? Vtinam potiùs ad sanctitatem, quam ad vtilitatem aspirarent. Sed proh dolor! vereor, ne illi de virtutibus parum solliciti, propria tantùm lucra meditentur.

VERSVS XXIX.

Vulgata. Quare calce abiecistis victimam meam, & munera mea quæ præcepi, vt offerrentur in templo : & magis honorasti filios tuos, quàm me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei ?

Benedict. Benedict. *in margine.* Quare conculcatis victimam meam, & munera mea quæ præcepi, vt offerrentur in Tabernaculo : & magis honorasti filios tuos, quàm me, vt saginetis vos de primitiis.

Text. Gloss. adiunctus in margine. Quare calcitratis contra victimam meam, & oblationes meas, quas præcepi, vt offerrentur in Tabernaculo, & magis honorasti filios tuos, quàm me, vt saginetis vos de primitiis ?

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et cur calcitratis in sacrificium meum, & in oblationem meam, quam præcepi in Tabernaculo, & honorasti filios tuos magis, quàm me, vt impinguaretis vos de primitiis omnis oblationis Israel populi mei ?

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Quare conculcatis sacrificium meum, & sacrificium meum cibarium, quæ præcepi in habitaculo, & honorasti filios tuos plus quàm me, vt saginaretis vos de primitiis omnium sacrificiorum populi mei Israël ?

Arias. *Chaldaica ex Benedicto Arias. in Regia.* Ad quid vos vim inferentes in mactationem sanctam meam, & in oblationem meam, quæ iussi ad offerendum ante me in domo Sanctuarij mei, & honorasti filios tuos præ me, ad alendum eos ex capite omnis oblationis sacrificij Israël populi mei ?

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et quare despexisti in victimam meam, & in sacrificium meum impudenti oculo ; & honorasti filios tuos magis quàm me, vt benediceretur primitia omnis sacrificij Israël ante me ?

Sixtin. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et vt quid respexisti in incensum meum, & in sacrificium meum impudenti oculo, & glorificasti filios tuos super me, benedicere de primordio omnis sacrificij Israël in conspectu meo ?

Lucifer. *Lucifer lib.1. pro sanct. Athanas.* Et tu quare respexisti in incensum meum ad sacrificium meum improbo oculo ? Et honorificasti filios tuos plusquàm me, vt benedíceres vt à primordio in omnibus sacrificiis Israël coram me.

Idem. *Lucifer apud Flamin.* Vt benediceres eis à primordio.

Caietan. *Caietan. ibi.* Quare calce abiecistis victimam meam, & munus meum, quæ præcepi, vt offerrentur in templo, & magis honorasti filios tuos, quàm me ad satiandum vos de primitiis omnis muneris Israel populi mei.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Gregor. 1 *Quare calce abiecistis victimam meam ?* Greg.lib.2.variar. expositi in 1. Reg. cap.2. Notandum est, quia plurali numero dicit ; *Quare calce abiecistis victimam meam*, vt non tantùm ad Heli, sed ad filios, quod dicitur, pertinere videatur ; fera quippe animalia solent sibi adhærentia calce repellere.

MYSTIC. Idem. 2 *Quare calce abiecistis victimam meam.* Idem ibid. Calce Synagogæ Præpositi victimam, & munera Domini in templo Domini offerri iussa, repulerunt ;

pulerunt; quia profectò prædicationem S. Ecclesiæ, non Scripturæ sanctæ autoritate discutere, sed solo feritatis suæ impetu reprobare, atque abiicere conati sunt. Nam si præcepta Dei in sancto eloquio illuminata mente consulerent, sanctos Prædicatores, quos ferociter abiecêre, quasi ad se missos diuinitus recepissent.

MORAL. Idem. 3 *Quare calce abiecistis victimam meam.* Idem ibid. cap. 3. Quia cùm rector terrena sequitur, plerisque in spirituali conflictu positis, plerisque etiam iam anhelare incipientibus nocet, calce nimirum Dei victimas, & munera abicit, quia exemplo suæ prauitatis eorundem vtrorumque studia expellit.

LITERAL. Liran. 4 *Quare calce abiecistis victimam meam.* Liran. ibi. Idest, contemptibilem reddidistis, quia filij Heli priùs accipiebant partem suam, quàm pars diuina offerretur, & cremaretur, & quia aliquando accipiebant pro se illa, quæ debebant Deo offerri.

LITERAL. Abul. 5 *Quare calce abiecistis victimam meam.* Abul. ibi. q. 25. Dicitur Heli calce abiecisse, idest, conculcasse victimam Dei, scilicet, quia despiciebant eam, tanquam inter pedes conculcarent, & ista despectio erat, quia non obseruabant in illa cæremonias à Deo iussas accipiendo à popularibus partem sacrificij, quas ipse vellet, & comedendo quando vellet vt patet suprà.

LITERAL. Idem. 6 *Quare calce abiecistis victimam meam.* Idem ibidem. Dicitur hîc de victima, id est, de hostia pacifica, quia filij Heli non prætuaricabantur in alio, nisi in hostia pacifica, in qua accipiebant partem à popularibus.

LITERAL. Mendoza. 7 *Quare calce abiecistis victimam meam.* Franc. Mend. ibi. §. 3. Quasi diceret adeò res sacras contemnebant, vt nihilo à bestiis in pretiosissima quæque recalcitrantibus, distinguerentur.

LITERAL. Idem. *Filij Heli quàm sacrilegi.* 8 *Victimam meam, & munera.* Idem ibidem §. 6. Quæres quæ sacrificia dicantur ij Sacerdotes contempsisse? Vulgata habet *Victimam meam, & munera mea*, hoc est, cruenta & incruenta sacrificia. Nam victima est sacrificium cruentum; vnde Chaldæus transfert *mactationem meam*: munera verò sunt sacrificia incruenta. Vnde Lucifer in Bibliis Sixtianis legit *frumenta mea.* Vatablus *Sacrificia cibaria*, idest, frumentaria. Ex quibus colligitur hos Sacerdotes non solùm in altari holocausti, vbi sacrificia cruenta offerebantur, sed etiam in altari thymiamatis, vbi incendebantur odores, qui erant quædam incruenta sacrificia, iniurios, & sacrilegos extitisse; & sicut ab illo carnes in suam gulam auferebant: ita ab hoc odores in suas illecebras, ac delicias vsurpasse.

Lucifer. Vatab.

LITERAL. Author Catenæ. 9 *Victimam meam, & munera mea.* Autor Catenæ. Distinguunt aliqui inter victimam, quam cruentam dicunt, & inter munera, quæ incruenta sacrificia thy, niama, scilicet fructus, & odoramenta existimant. Fauent etiam Vatabl. & Lucifer legentes loco munerum *frumenta*, seu *Sacrificium cibarium.* Verùm ipse Theophylactus qui hanc doctrinam tradidit, fatetur tandem non cum semper ordinem Scripturam retinere, nam Genes. 4. Sacrificium cruentum Abel de primogenitis gregis, & adipibus eorum *munera*, seu δῶρα dicuntur. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*; & è contra sacrificium Cain quod de fructibus terræ consistabat à Septuaginta, vocatur θυσία id est, *hostia* aut *victima*, quod sacrificium cruentum sonat. Vnde victimam, & munera potiùs tautologiam credo, & verborum non sine emphasi inculcationem.

Vatab. Lucifer. Theoph.

LITERAL. MORAL. 10 *Quæ præcepi, vt offerrentur in templo.* Abul. ibi quæst. 25. Ponitur ista particula ad aggrauandum delictum; scilicet, ego præcepi quòd offerrentur sacrificia in templo, determinando eis illum locum, quasi specialiter pertineret ad honorem meum; tu autem abiecisti illam, & conculcasti, prætuaricando cæremonias, ideò magnum est delictum tuum. Abul.

11 *Et magis honorasti filios tuos, quàm me.* Gregor. suprà. Quasi apertè reprehendens dicat. Illi repulerunt, & tu repulsores honorasti. Magis quam Deum filios honorauit, quia dum aperta eorum opera ostensa contemneret, lucra temporalia eisdem prouidebat. MORAL. Gregor.

TROPOL. Idem. *Prælatorum reprehensio.* 12 *Et magis honorasti filios tuos, quàm me.* Idem ibid. Filios quippe & propinquos, magis quàm Deum honorat, qui ad sacros ordines personas eligit, non ex conuersationis honestate, sed amore propinquitatis. Idcircò filij honorati referuntur, vt sacrificij primitias ederent, quia carnales Prælati spiritualis honoris culmina carnalibus propinquis ideò tribuunt, vt ecclesiasticis facultatibus ditentur, & in altitudine ordinis cumulentur abundantia vbertatis. Nec curant quales sunt, qui ad spirituale ministerium veniunt, sed tantùm vt temporali dignitate præferant, quos carnali affectione complectuntur.

MORAL. Incogn. *Clericorum peccata quàm nocent.* 13 *Et magis honorasti filios tuos, quàm me.* Michaël Aiguanus aliàs dictus Incognitus super Ps. 77. vers. 13. 47. Pater eorum, scilicet, Heli audiuit mala, quæ ipsi faciebant, & non correxit eos, & maximè quia dormiebant cum mulieribus ad ostium Tabernaculi. Vnde ipsi Heli dicit Dominus: *Quia honorasti filios tuos plus quàm me, præcidam brachium tuum, vt non sit senex in domo tua.* Ex quo apparet, quòd multotiens peccata Clericorum sunt causa ruinæ populorum, & è contrario.

LITERAL. Lira. 14 *Et magis honorasti filios tuos.* Lira ibi. Quia Heli tenebatur filios suos corrigere de contemptu diuino; ideò dicitur hic magis honorasse filios suos, quàm Deum.

LITERAL. Abul. 15 *Et magis honorasti filios tuos, quàm me.* Abul. ibi. quæst. 25. Dicitur magis honorasse filios, quàm Deum, quia illum plus honoramus, pro quo plura agimus; sed Heli pro filiis suis fecit aduersùs Deum, & non fecit aduersùs filios suos pro Deo, ergo magis honorauit filios. Patet hoc, quia prætuaricatio cæremoniarum per filios Heli erat contra Deum, ergo debuisset fortiter Heli increpare filios suos.

LITERAL. Caietan. 16 *Et magis honorasti filios tuos, quam me.* Caietan. in comment. Hoc intellige, non secundùm intentionem explicitam, sed secundum factum, & affectum, quia vsque adeo affectus fuit filius, vt non efficacem curam adhiberet circa ea, quæ erant diuini honoris.

MORAL. Mendoza. *Heli præferebat filios Deo.* 17 *Et magis honorasti filios tuos, quàm me.* Franc. Mend. §. 10. Hunc filiis honorem dupliciter impertiebatur. Primò, eorum malitiam dissimulando, & infamiam obtegendo, vt in bona eos existimatione apud populum conseruaret. Non arguebat, nec traducebat eorum peccata, vt eorum honori consuleret, bonæque apud homines opinioni prouideret. Secundò; quia non puniebat eos, à sacerdotalibus ministeriis arcendo; ne sacerdotalibus lucris, & emolumentis spoliaret. Honoratos volebat, hoc est, locupletatos, quamuis per eos diuinus cultus maximo dedecore afficeretur.

MORAL. Salian. *Culpa Heli.* 18 *Et magis honorasti filios tuos, quam me.* Salian. tom. 3. Annal. in Scholiis anni mundi 2912. Quidam hunc honorem aliter interpretantur; vt, scilicet, prætulisse dicatur Heli filios suos Deo, quia peccantes coram omnibus secretò arguebat; & quidem

quidem molliori brachio, cùm Deus palam inhonoraretur in neglectu præceptorum, & cæremoniarum suarum. Honori etiam Sacerdotum parcere volebat, quem tamen illi coram populo prodegerant, & sic eorum crimina tacitè approbabat.

Mystic. Gregor. *Magistri Hebræorum quales?*

19 *Vt comederetis primitias.* Greg. suprà. Quibus nimirum verbis arguere maiorum ordinem Doctorum videtur, qui idcircò in Redemptoris morte consensit, quòd oblationum veterum lucra amittere formidauit. Vnde & inito consilio cum Pharisæis, dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Ioann. 11. Ideò igitur filios honorauit, vt comederet, quia à prædicationis intentione conticuit; ne dum veritatem nouæ oblationis assereret, habere vlteriùs ad voluptatis suæ luxuriam vetera non valeret.

Ioann. 11.

Literal. Interlin.

20 *Vt comederetis primitias.* Gloss. Interl. ibi. Non contenti parte concessa vobis.

Literal. Abul.

21 *Vt comederetis primitias.* Abul. ibi q. 25. Refertur etiam hoc ad Heli, quia quanquam ipse non ministraret, comedebat tamen de iuribus sacerdotalibus, quæ proueniebant filiis suis, etiam de illis, quæ illicitè adquisita erant præuaricatis cæremoniis.

Literal. Mendoza.

22 *Vt comederetis primitias.* Franc. Mend. ibi §. 12. Particula *vt* non significat causalitatem finalem, sed consecutionem quandam, seu manifestationem illius maioris honoris, quem Heli filiis tribuebat, in hunc sensum. Magis honorasti, filios tuos, quàm me, vt comederetis, hoc est comedendo primitias omnis Israël.

VERSVS XXX.

Vulgata. **VVlgata.** Propterea ait Dominus Deus Israël: Loquens loquutus sum, vt domus tua, & domus patris tui, ministraret in conspectu meo, vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Benedict. *Benedict. in margine.* Qui autem contemnunt me, ignominia afficientur.

Glossa. *Text. Gloss. in margine.* honorificabo eos: qui autem contemnunt me, contemnentur.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Idcircò dixit Dominus Deus Israël: dicendo dixi: domus tua, & domus patris tui ambulabunt coram me vsque in sæculum; & nunc dicit Dominus: absit mihi, quia honorantes me, honorabo: contemnentes autem me, contemnentur.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Propterea dicit Dominus Deus Israël, omnia ita decreueram, quòd domus tua, & domus patris tui incederent coram me perpetuò: iam verò dicit Dominus: absit à me; quin honore persequar eos, qui me honore prosequuntur: & qui me contemnunt, ignominia afficientur.

Arias. *Chaldaica ex Benedicto Arias. in Regia.* Propterea sic dixit Dominus Deus Israël. Dicendo dixi: domus tua, & domus patris tui ministrabunt ante me vsque in sæculum: & nunc dixit Dominus: vera illa iudicia mea, quod honorantes ante me, honorabo; & qui contempserint super nomen meum, despicientur.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Propter hoc, hæc ait Dominus Deus Israël. Dixi, domus tua, & domus patris tui venient coram me vsque in sempiternum: & nunc dicet Dominus: nequaquam mihi, quoniam glorificantes me, glorificabo, & qui contemnunt me, contemnentur. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Vaticana. Propter hoc hæc dicit Dominus Israël. Dixi, domus tua, & domus patris tui transibunt coram me vsque in æternum, & nunc dicit Dominus: nequaquam mihi; quoniam tantum glorificantes me glorificabo, & qui spernit me, honore priuabitur. Sixtin.

Abraham Abb. apud Cassianum collat. 24. cap. 19. Diligentes me glorificabo. Abraham Abb.

Ambros. lib. de Paradis. cap. vltim. tom. 4. Honorantes me honorificabo, & contemptor mei honore priuabitur. Cassian. Ambros.

Ephræm Syrus tom. 2. Paranesi 41. Glorificantes me glorificabo, & qui contemnunt me ignominia afficientur. Ephrem.

Sanctus Sixt. III. Pap. Epist. de malis Doctoribus: Qui honorificauerint me, honorificabo eos, & qui pro nihilo habent me, ad nihilum redigentur. Sixtus.

Cyprian. de Cœlo, & Liuore. Eos, qui clarificant me, clarificabo, & qui spernit me spernam. Cyprian.

Idem serm. 6. de orat. domin. Et qui spernit me, spernetur. Idem.

Paulin. Epist. ad Celantiam. Qui honorificat me, honorificabo eum, qui autem pro nihilo me habent, ad nihilum redigentur. Paulin.

Hier. in cap. 5. Ezech. Glorificantes me glorificabo, qui autem me despiciunt, ad nihilum deducentur. Hieron.

Cyrillus Alex. 1. Malach. & in cap. 10. Ioann. lib. 9. Viuo ego, dicit Dominus, quia glorificabo glorificantes me. Cyrill.

Damascen. orat. 1. de 3. de Imag. Viuo enim ego, dicit Dominus, hos, qui me honorant, honorabo. Damasc.

Petrus Galatin. lib. 9. de Arcan. c. 1. Honorantes me honorabo: contemnentes autem me vilescent. Galatin.

Flamin. in Schol. Sixtiana. Quoniam qui honorificant me, glorificabo; & qui spernit me ad nihilum redigetur. Flaminius. Lucifer.

Caietan. ibi. Propterea dixit Dominus Deus Israël: dicendo dixi: domus tua, & domus patris tui ministrabit, &c. Caietan.

Greg. lib. 2. variar. cap. 2. Vt ministraret in conspectu meo à modò, & vsque in sempiternum. Gregor.

Vatab. in Schol. Dixeram dicēdo: domus tua, &c. Vatab.

Isid. Clar. ibi. Ignominia afficientur. Isidor.

PP. ET AVCTORES.

1 *Propterea hæc dicit Dominus Deus.* Francisc. Mend. ibi §. 13. Solebant Prophetæ suis oraculis intermiscere hæc verba: *Dicit Dominus*, duplici de causa. Vna, vt suis oraculis, ac vaticiniis autoritatem conciliarent: altera, vt ingenuè fatererentur se se non esse illum, qui expectabatur, Messiam, verum Deum, & hominem; sed eius nuntios, ac præcones. Literal. Mendoza.

2 *Loquens locutus sum, vt domus tua, &c.* Greg. lib. 2. var. c. 2. Quasi verbis apertioribus dicat, vt in tanto culmine dignitatis stares, te frequenter admonui, sed modò talis non es, qualem esse desideraui. Moral. Gregor.

3 *Loquens locutus sum, vt domus tua, &c.* Beda lib. 1. expositio. Allegor. cap. 7. Quæritur, Literal. Beda.

qua

qua ratione mutetur quod promissum est perpetuò mansurum? Sed recole Sacerdotium Aaron vmbram æterni fuisse Sacerdotij, & promissionem æternitatis intellige, non ad vmbram, sed ad vmbratam pertinere veritatem; neque enim vmbram, figuramque putares sempiternam.

LITERAL. Lira. 4 *Loquens locutus sum, vt domus tua &c.* Liran. ibi. Dicunt hîc Hebræi, quòd illi, qui descenderent de Aaron per Eleazar, quibus ex ordinatione diuina debebatur Sacerdotium, ante tempus Heli fuerunt negligentes in reprehensione, & doctrina populi Israel, qui declinabat ad idololatriam, & ad alia enormia peccata; Ideò iusto Dei iudicio translatum est summum Sacerdotium de filiis Eleazar, ad filios Ithamar in isto Heli. Deus enim suo iudicio iusto mutat tempora, & ætates, transfert regna atque constituit, vt dicitur Daniel. 2. Daniel. 2.

LITERAL. Caiet. *Recapitulatio.* 5 *Loquens locutus sum, vt domus tua &c.* Caietan. ibi. Cerne hîc prudens Lector, commemorando manifestari dicta olim, quæ tamen priùs narrata non fuerunt in Scriptura; nunquam enim hactenùs scriptum est Deum reuelasse, vt domus Heli ministraret in sæculum.

LITERAL. Galatin. *Deus mutat sententiam.* 6 *Loquens locutus sum, vt domus tua &c.* Petrus Galatin. lib. 9. de Archan. cap. 1. Primùm Iudæi nostri temporis, qui hoc implicantur errore, scilicet, promissiones Dei interdum non reuocari, illud audiant quod 1. Reg. 2. hoc modo legunt. Rabbi Salomon. *Venit autem vir Dei ad Heli*, &c. Vbi Glossa Rabbi Salomonis ait. *Hic vir Dei fuit Helcana*, & post pauca. *Propter hoc ait Dominus Deus Israel: Dicens dixi: domus tua, & domus patris tui ambulabunt coram me vsque in sæculum.* Quod ita Rabbi Ionathas Chaldaicè interpretatus est. Rabbi Ionath. *Seruient coram Domino vsque in sæculum.* Et mox deinde sequitur. *Et nunc ait Deus: absit à me. Honorantes enim me honorabo, contemnentes autem me vilescent, & confringam brachium tuum, & brachium domus patris tui.* Vbi Glossa Rabbi Salomonis ait. *Brachium, id est, potestatem; quam habetis in domo mea, & qua dicitis: alioquin tollam vi. Honorantes enim me, hoc est, filios Pinhas, qui honorauit me in Setim, honorabo, & sic factum est in diebus Salomonis, &c.* Hæc Rabbi Salomon: in quibus apertè repugnantia asserit ins, quæ super Ieremiam eum dixisse audisti.

LITERAL. Mendoza. 7 *Loquens locutus sum, vt domus tua &c.* Franc. Mendoza ibi §. 4. Dubitari potest, an hæc dictio, seu locutio fuerit externa, qua Deus ad Prophetam vsus fuerit, seu potiùs interna, qua Deus hoc apud se decreuerit. Hoc posterius insinuant Vatabl. & Abul. illud prius supponunt reliqui Interpretes, & videtur accommodatius vt Heli argueretur.

LITERAL. Idem. *Recapitulatio.* 8 *Loquens locutus sum, vt domus tua &c.* Idem ibidem §. 8. Obstat quòd nunquam in Scriptura talis promissio facta inueniatur. Respondeo Scripturam multa passim referre, vt ante dicta, vel facta, quæ tamen nusquam scripta inueniantur. Gene. 24. 51. ibidem 42. 21. Luc. 11. 49. Ioann. 11. 28. & 4.

LITERAL. Chrysost. *Heli non tyrannus.* 9 *Vt domus tua, & domus patris tui ministraret*, Chrys. lib. 4. de Sacerdotio. Neque enim Heli studiosè ambitioseve dignitatem eam sibi parauit. Et quid dico parauit? Cùm ne illi quidem id muneris detrectare per legis necessitatem fas fuerit, vt qui vnus fuerit ex Tribu Leui: ac quem ipsum oporteret dignitatem eam ad se iam à Maiorum suorum retro origine descendentem suscipere.

10 *Vt domus tua, & domus patris tui ministraret.* Aug. lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 5. tomo 5. Quod nominat domum patris eius non eum de proximo patre dicere, sed de illo Aaron, qui primus Sacerdos est institutus, de cuius progenie cæteri sequerentur, superiora demonstrant. LITERAL. Aug. & Euch.

11 *Vt domus tua, & domus patris tui ministraret.* Angelom. in Strom. cap. 2. Aaron, qui primus Sacerdos est institutus de cuius progenie cæteri sequerentur. LITERAL. Angelom.

12 *Vt domus tua, & domus patris tui ministraret.* Abul. ibi. quæst. 26. Non oportet quod exponatur littera ista de domo Aaron: sed necesse est exponi de patre Heli immediato; & vocatur domus patris Heli ipse Heli cum Patribus suis: vocantur etiam domus Heli omnes posteri Heli; & his promisit Deus quòd daret ministrationem, quia ante tempus Heli Sacerdotis, Sacerdotes magni erant de stirpe Phinees filij Eleazari; quia Deus promiserat summum Sacerdotium Phinees, & filiis eius in æternum: tempore autem Heli, cùm iam essent aliquot Sacerdotes Magni de stirpe Phinees, Deus fecit transire Sacerdotium Magnum ad domum Ithamar, & hoc fecit in Heli; ipse enim primò ministrauit de genere Ithamar; postea autem ministrauerunt filij sui in Summo Sacerdotio vsque ad tempus Salomonis. LITERAL. Abul.

13 *Vt domus tua, & domus patris tui ministraret.* Idem ibidem. Ista ministratio intelligitur de summo Sacerdotio, nam quantum ad Sacerdotium minoris gradus, non fuit facta aliqua promissio, nec mutatio, quia ante Heli omnes de stirpe Ithamar, de qua ipse erat, ministrabant in Sacerdotio minoris gradus, & postea semper ministrauerunt. LITERAL. Idem.

14 *Vt domus tua, domus patris tui ministraret.* Franc. Mendoza ibi §. 17. Dubium est, an hæc promissio facta Heli stare potuerit cum illa facta Phinee. Num. 23. 12. Respondendum illas duas promissiones Phinee, & Heli factas inter se pugnaturas fuisse, si ambæ essent absolutæ, & re ipsa implendæ, quod esse non poterat seruata Sacerdotij, & temporis vnitate; verùm cùm prior fuerit absoluta, & ad suum effectum deducenda, posterior verò conditionalis, & defectu conditionis requisitæ suo effectu caritura, ambæ simul fieri potuerunt. LITERAL. Mendoza. *Promissiones Dei quales.*

15 *Vt domus tua, & domus patris tui ministrarent.* Vermil. Hæreticus ibi. Oportuit Heli cogitare opulentiam, & copiam non fuisse datam Sacerdotibus ad libidines alendas, & cutem curandam. Voluit quidem Iehoua amplam Sacerdotum suorum dignitatem esse, illisque omnia ad victum, cultumque pertinentia suppeditari abundè; non vt idcircò sese nimium efferrent, sed vt maiori autoritate, ac studio legitima sacra tuerentur, ac exercerent. Quare debebant omnia ista vni Deo postponere. Sed peruersè tunc agebatur, & nunc agitur, cùm Deus omnibus istis longè postponitur. TROPOL. Vermil.

16 *Vsque in sempiternum.* Idem ibidem. §. 16. Dicendum nomen Sempiterni non semper significare durationem simpliciter æternam, sed diuturnam, vt clarissimè patet in seruo, qui nolebat relinquere dominum suum, de quo dicitur Deuteron. 15. *Seruiat tibi vsque in æternum*; & in Dauide commorante apud Regem Achis, de quo dicebat Rex: *erit mihi seruus sempiternus* 1. Reg. 27. Quæ durationes dicuntur æternæ, non quòd simpliciter tales sint, sed quòd sint diuturnæ. LITERAL. Idem. Deut. 15. 1. Reg. 27.

17 *Nunc autem dixit Dominus, absit hoc à me.* LITERAL. Gregor.

Gregor. supà. Quasi aperta, congruaque sententia dicat. Tu filios tuos honorasti, vt omnis sacrificij primitias ederetis, sed ideò vobis primitiarum iura auferuntur, quia indigne honorati sunt.

MORAL. Idem. 18 *Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me.* Idem ibidem. Si ergo bona promissa reuocat omnipotens Deus; quia ij, quibus promiserat, male permutantur, quanto magis minarum effectus retrahit, cùm bene conuersos eos aspicit, quibus pro admissis iniquitatibus pœnam animaduersionis intimauit?

HISTOR. Bachiar. 19 *Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me.* Bachiarius Epist. ad Ianuar. de recipiendis laptis. Familiæ Heli iurauerat Dominus, vt nullus de ipsis ante faciem eius assisteret.

LITERAL. Beda. 20 *Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me.* Beda lib. 1. Expositi. Allegor. cap. 5. cap. 7. Mutans tempora, non mutans consilia Dominus, & electos ex gentibus in sacerdotium tibi spirituale conquirit, & contemnentes se filios Aaron omni prorsùs officij sacerdotalis ordine priuat.

MORAL. Rupert. 21 *Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me.* Rupert. lib. 1. Comment. cap. 9. Grauissima, nimiumque acerba occursione Sacerdotij veteris inordinatam præterit confidentiam; tanquam diceret. Ecce vos dicitis, ecce vos in verbis mendacij confiditis dicentes; *Dominus dixit, Dominus locutus est, Dominus promisit, ac pollicitus est Aaron, vt ministraret domus illius in conspectu eius vsque in sempiternum. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo & non faciet; locutus est, & non implebit?* Num. 23. Agamus, vt volumus, viuamus, vt libet, immutabilis est: Sacerdotium nostrum manet: mutari non licet. Ad hæc, inquam, vobis licebit: vobis pulchrum erit immutare, & præuaricari legem, quam professi estis; mihi autem sententiam meam mutare non licebit? Propterea dico. Ego quidem loquens olim, sic & sic locutus sum; sic & sic pollicitus sum. Nunc autem dico, *absit hoc à me*; quoniam mutati estis, mutabor & ego: quoniam peruersi estis, peruertar & ego. An frustrà mihi Scriptura dixerit: *Cum sanctis sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris?*

LITERAL. Hugo. 22 *Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me.* Hugo Charens. in Postilla. Est sensus. Honorasti filios tuos plus quàm me: propterea ait Dominus: absit hoc à me, vt domus patris tui ministret mihi in sempiternum, quod eloquens locutus sum.

LITERAL. Abul. 23 *Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me.* Abul. ibi. q. 22. Ideò nullo modo seruabo hoc scilicet, dimittendo Sacerdotium in domo Heli propter promissionem factam. Hoc verum est, quia ista promissio intelligebatur secundùm conditionem, si tamen Deus promisisset simpliciter intendens sic obseruare, nunquam permisset Sacerdotium de domo Heli, quanquam filij sui multùm delinquerent.

LITERAL. Caietan. 24 *Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me.* Caietanus in Commentar. Non mutauit Deus consilium, sed sententiam, quam protulerat, reuelando quòd domus Heli ministraret illi in Pontificatu. Hanc, inquam, sententiam se mutare dicit propter contemptum diuinum honorem ab Heli, & à filiis eius.

MORAL. Origen. 25 *Sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* Origen. homil. 24. in Num. Si offeramus ei iustitiam nostram, accipiemus ab eo iustitiam Dei: etsi offeramus ei nostram corporis castitatem, accipiemus ab ipso ipsius castitatem, & si offeramus ei sensum nostrum, accipiemus ab illo sensum ipsius.

MORAL. Cyprian. 26 *Sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* Cyprian. serm. 2. de Cœlo, & Liuor. prope finem. Hoc est mutasse quod fuerat, & cœpisse esse quod non erat; vt in nobis diuina natiuitas luceat, vt ad Deum Patrem deifica disciplina respondeat, vt honore, & laude viuendi Deus in homine clarescat; ipso hortante, & monente; & eis, qui se clarificant vicem mutuam pollicente. *Eos*, inquit, *qui clarificant me, clarificabo, & qui spernit me, spernam*; ad quam clarificationem formans nos, & præparans Dominus, & Filius Dei, similitudinem Dei Patris insinuans, in Euangelio suo dicit. *Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges, &c.* Matth. 5.

TROPOL. S. Sixt. *Obedientia nimia.* 27 *Sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* S. Sixtus III. Papa Epist. de malis Doctoribus. Nolo tantum consideres, quòd præceptum sit, sed à quo præceptum sit, nec quale sit mandatum, quod pro nihilo iudicas spernendum esse, sed cuius sit; omnipotentis Dei scilicet, qui se in præceptorum suorum qualitate, aut honorari ducit; aut pro nihilo computari, sicut ipse testatur. *Qui honorificant me, honorificabo eos, & qui pro nihilo habent me, ad nihilum redigentur.*

TROPOL. Cyrill. 28 *Sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* Cyrillus Alexand. lib. 9. in Ioannem. cap. 20. Glorificatur in nobis, & per nos Deus, cùm sordibus peccati abiectis illustrem virtutibus vitam viuimus; hoc enim pacto ad gloriam Dei homines viuere dicuntur.

TROPOL. Idem. 29 *Sed quicumque glorificaueris me, glorificabo eum* Idem in cap. 1. Mach. num. 6. Quærenda à nobis quæ Deo sunt honorifica, & ad opera sancta incumbendum, cùm sciamus scriptum esse. *Glorificantes me glorificabo.* Glorificabitur autem à nobis pater vniuersorum Deus, si non quod nobis iucundum, & amicum est, agere studuerimus; sed illi potiùs mentem nostram dedicauerimus, & in omnibus ad eius nutum nos conformauerimus.

TROPOL. Idem. *Deus qui honoratur.* Isaiæ 52. 30 *Sed quicumque glorificauerit me glorificabo eum.* Idem lib. 11. in Ioann. cap. 17. quemadmodùm cùm sordide turpiterque viuamus, iure plectimur, quia *nomen eius*, vt ait Propheta, *in gentibus propter nos blasphematur.* Isaiæ 52. Eodem certè modo glorificatur à nobis, quando rectè viuentes præcepta eius seruamus. Opere igitur nostro consummato ad libertatem filiorum Dei perducti à glorificato Deo gloriam repetere audebimus. *Vivo enim ego, dicit Dominus, quia clarificantes me, clarificabo, & spernam &c.*

MORAL. Ephr. 31 *Sed quicumque glorificauerit me glorificabo eum.* S. Ephræm. Syrus Paræn. 46. Nos ergo glorificemus Deum, vt & ipse nos glorificet cum omnibus Sanctis suis. At in quo glorificabimus ipsum? In obseruatione legum, ac mandatorum eius.

ANAGOG. Idem. 32 *Sed quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* Idem Paræneſi 41. Si progressum facere cupis, Regem ipsum abhinc amicum tibi para. Qualem verò putas inuenire gloriam frater charissime, si amicum Regem gloriæ posthac tibi vendicaueris? Nam sicut hic ipsum honoras, talem ipse transitum præbebit tibi; & quantum ei hic inseruis, tantum & ipse honorabit te ibi;

scriptum est enim: *Glorificantes me, glorificabo.* Honora igitur tota mente, & anima tua, vt te honore dignetur Sanctorum.

ANAGOG. Bertrand. 33 *Sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum.* Petrus Bertrand. Card. libello de Ecclesiastica libertate. Quicunque honorificauit me, glorificabo in gloria, in qua est verus honor, qui nulli conceditur indigno, immò ad quem nullus admittitur nisi dignus.

TROPOL. Chryf. 34 *Sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum.* Chryf. in Psalm. 148. hominibus non solùm loquentibus, sed etiam tacentibus gloria Deo offertur.

ANAGOG. Idem. 35 *Sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum.* Idem hom. 30. in Matth. Qui bona opera in glottam Dei facit, ipse quoque gloriam consequetur.

TROPOL. Idem. 36 *Sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum.* Idem hom. 7. in Gen. cap. 1. tom. 1. cum viderint opera vestra lucentia, & facies vestras illustrantia, ad glorificandum patrem vestrum in cœlis prorumpent, cúmque hoc ab illis fit, rursùs nostræ retributiones augebuntur, & multa nobis bona concedet Deus, eo quod ab illis laudatur. *Eos* enim, *qui me glorificant*, ait, *glorificabo.* Omnia igitur faciamus dilecti, vt glorificetur Dominus noster, & nulli simus offendiculi occasio.

TROPOL. Hieron. Paulin. 37 *Sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum.* Hier. epist. 14. ad Celantiam. Seu Paulin. Nolentis. Ad Heli fit sermo Domini, *qui honorificat me, honorificabo eum, &c.* Et nos securo ac bono animo sumus, qui per singula quæque præcepta inhonorantes Deum clementissimum, ad iracundiam prouocamus; eiúsque imperium superbissimè contemnendo, in tantæ maiestatis imus iniuriam.

LITERAL. Hieron. 38 *Sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum.* Idem epist. 26. ad Pamachium. Alij hoc intelligunt de futuro, quando mœror vertetur in gaudium, & transeunte mundo Sanctorum corona non transit. Ego & in præsentiarum video Sanctorum promissa compleri.

MORAL. Ambros. *Deus ad se a beneficia propensus.* 39 *Sed quicunque glorificauerit me.* Ambros. lib. de Paradiso cap. vltimo tom. 4. Doceant verba diuina, qui operatur gloriam, pœnam relinquit. *Honorificantes me*, inquit, *honorificabo.* Honorem bonorum operationis suæ esse declarans, & *contemptores*, inquit, *mei*, non dixit, honore priuabo, sed *honore priuabuntur.* Non suæ operationis deputans eorum iniuriam, sed quid futurum esse ostendens.

MORAL. August. 40 *Sed quicunque glorificauerit me.* Aug. lib. 2. contra epist. Parmeniani. Quomodo clarificant Deum, qui dicunt per orbem terrarum, impleri non posse eius promissa? aut quomodò non spernunt Deum, qui Baptismum eius incredibili temeritate impietatis eiusflant? Quomodo Catholici non clarificant Deum, qui promissa eius nullis hominum sceleribus impediri posse confidunt? Qui Sacramenta eius tam debita veneratione prosequuntur, vt ea si etiam ab indignis tractata fuerint illis sola peruersitate damnatis, illa intemerata sanctitate permanere demonstrent?

TROPOL. Fulgentius. 41 *Glorificabo eum.* Fulg. lib. 3. de Sacram. Dominicæ passionis ad Trasimundum Regem. Quæsò Gloriose Rex vt in te consideres largitatem diuini muneris, & potestatem non minuas Largitoris, vt qui tibi temporale donauit regnum, donet etiam sempiternum, ipse enim dicit: *Eos qui me glorificant glorificabo.*

42 *Sed quicunque glorificauerit me, &c.* Gregor. suprà. Iam glorificantis gloriam cernimus, quia Prædicatores S. Ecclesiæ magnæ splendore vitæ, omnipotentis Dei laudes concinunt; atque in vniuersali orbis prælatione gratulantur. Ecce iam Sacerdotum vestigiis gentilitas vniuersa substernitur. Glorificabat Dominum, qui dicebat: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Matth. 16. Sed glorificantem se Dominus glorificauit, quia ei respondit dicens: *Tibi dabo claues Regni cœlorum, &c.* MYSTIC. Gregor. MORAL. Matth. 16. *S. Petrus glorificatus.*

43 *Glorificabo eum.* Idem ibidem. Cùm glorificantem se glorificaturum asserit, profectò ei luæ similitudinis gloriam repromittit; quippe glorificantem se Dominus glorificat, quia eos æterna sublimitate remunerat, qui nunc intra S. Ecclesiam per exempla bonorum operum in electorum oculis coruscant. ANAGOG. Gregor.

44 *Glorificabo eum.* Rupert. suprà. Quacumque ex domo, quacunque ex gente sit, siue Iudæus ille sit, siue Græcus sit, qui me honorificauerit, glorificabo cum glorioso regno; glorioso Sacerdotio, faciámque omnes regnum, & Sacerdotium Deo, & Patri meo; siue Iudæus ille sit, siue Græcus sit; Qui me contempserit, erit ignobilis, neque Rex, neque Sacerdos esse poterit. Hæc mihi conditio, hæc mihi seruanda vicissitudo est. LITERAL. Rupert.

45 *Glorificabo eum.* Ioann. Damascen. orat. 1. de imaginib. Si Christi imaginem admittitis, Sanctorum imaginem repudiatis, constat vos non tam eorum imaginibus, quàm honoribus aduersari, tantum honorati imaginem facitis; Sanctorum autem vt vilium, & abiectorum effigies respuitis, & veritatem ipsam mendacium appellatis. *Viuo enim ego*, dicit Dominus, *hos, qui me honorant, honorabo.* MORAL. Damasc.

46 *Sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum.* Richard. de S. Laurentio lib. 2. de laudibus Beatæ Mariæ Virginis. Quadragesima causa quare Mariæ seruiendum, quia glorificabit in futuro seruientes sibi, & honorificantes se in præsenti. Vnde dicit cum Filio. *Quicunque me glorificauerit, &c.* Ipsa enim est mulier gratiosa, quæ inuenit gratiam: & gloriam exemplo Filij dabit Domina nostra. MYSTIC. Richard. *Maria glorificat suos.*

47 *Sed quicunque glorificauerit me.* Idem lib. 3. Quia Dominus dixerat. *Quicunque glorificauerit me, &c.* nec poterat esse mendax, fecit quod promiserat, & glorificauit honorificantem se, & ne ex obligatione virginitatis remaneret in opprobrio sterilitatis, sicut ipsa nouum fecerat in terra vouendi virginitatem; sic & in ipsa nouum fecit super terram; quod nouum non capit orbis. LITERAL. Idem. *Maria prius vouit virginitatem.*

48 *Sed quicunque glorificauerit me.* Bonauent. serm. 14. de vno Martyre. Quia hic sanctus Martyr Deum honorauit, ipsum Deus glorioſum effecit. Qui vnquam Reges, qui Principes, qui Barones, aut Nobiles sic à mundo honorantur, vt Martyres, immò vt Martyrum Cruta? Maior vtique honor exhibetur Stephano, siue Laurentio, quàm Alexandro, siue Apostatæ Iuliano. MORAL. Bonauent.

49 *Sed quicunque glorificauerit me.* Lira ibi. Benè vtendo summo Sacerdotio, vel alia dignitate; *Glorificabo eum*, conseruando eum in statu suæ dignitatis. LITERAL. Lira.

50 *Sed quicunque glorificauerit me.* Abul. ibi. quæst. 27. Intelligitur ista glorificatio de Summo Sacerdo- LITERAL. Abul.

Sacerdotio ; Deus enim glorificabatur ab Israelitis in quantum ipsi ministrabant ei in corde perfecto, secundùm cæremonias legales; ipse autem glorificabat eos, scilicet, dando eis magnum honorem, huiusmodi erat summum Sacerdotium, nullus enim erat maior honor, & reddituum abundantia in toto Israel, quàm esse Summum Sacerdotem.

MORAL. Helmes. *Pura Mariæ conceptio adstruitur.*

51 *Sed quicumque glorificauerit me.* Enricus Helmesius hom.4.de Concept.Beatæ Mariæ. Quicumque me glorificat, ait MARIA, honorabos eos: qui autem me contemnunt, inhonorant, maculant, despicabilem me faciunt, malè de me loquuntur, negant me multiformem, vel omnem Dei gratiam habere, quam Deus mihi dedit, erunt ignobiles, despicabiles, inglorij, & confusione pleni. Iam secum reputent qui eam in originali peccato conceptam temerè adstruunt, quantas, quàm multas, quàm inauditas, quàm horribiles vtique confusiones reportauerint, & redeant ad mentem, cedant veritati, dent gloriam Deo, benedicant Matrem Agni.

MORAL. S.Leo.

52 *Sed quicumque glorificauerit me.* S.Leo Papa IX.lib.contra Michael.& Leonem Acridanum. cap.29. Certè hoc nulla alia excellentia meritorum est assecuta, nisi quod Romana Ecclesia pro amore venerabilis Constantini se ipsam, quantum in eo fuit honorantis, & exaltantis ciuitatem ipsius, hoc priuilegio honoris sola humana beneuolentia insigniuit iuxta Prophetæ dictum ad Heli: *Glorificantes me glorificabo, &c.*

MORAL. Author Catenæ. *Gloria S.Ignatij.*

53 *Sed quicumque glorificauerit me.* Author Catenæ. Obsequia nostra Dominus expetit, qui bonorum nostrorum non indiget, vt, accepta ex ipsis occasione, sua nobis bona rependat, & ab eo verum accipiamus honorem, dum ipsi reuerentiam, cultumque deferimus. Hoc nuper testimonio vsa Ecclesia est in Collecta, quam in canonizatione S.Ignatij Patris nostri Greg.XV.Felicis recordationis Pontifex decantauit. *Deus qui glorificantes te glorificas.*

Greg.XV.

MORAL. Origen. *Deus pœne non est autor.*

54 *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Orig.lib.2. in Epist. ad Roman. Inquo euidenter ostenditur dicere Dominum, eos qui glorificandi sunt, per se glorificandos: de his verò, qui spernendi sunt, non retulisse ad se, sed absolutè dixisse, quia spernentur. Si enim vt bona per semetipsum præstat, ita & mala per semetipsum tribueret Deus, consequens erat vt quomodo dixit *glorificantes me, glorificabo*, ita diceret *& spernentem me spernam.*

MORAL. Hieron. *Deus bonis autor non pœnæ.*

55 *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Hier.in c.5.Ezechiel.tom.5.Eos, qui se glorificant, ipse glorificat; qui autem eum despiciunt, non à Domino despicientur, vel deducentur ad nihilum; hoc enim sequebatur, vt diceret: sed absolutè *deducentur ad nihilum*, non à Deo, sed pro meritis suis, atque peccatis.

MORAL. Idem.

56 *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Idem.Epist. ad Celantiam tom.2. Ex quo apparet nec honorari ab iis Dominum, nec timeri, qui eius præcepta non faciunt.

MYSTIC. Greg. Ioann.8.

57 *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Greg.suprà. Genere quidem ignobiles sunt, quia ab ipsa veritate audierunt. *Vos ex patre Diabolo estis.* Ioann.8. Conditione etiam ignobiles sunt, quia amissa libertate, & regno, perpetua gentium seruitute deprimuntur.

MORAL. Gregor.

58 *Erunt ignobiles.* Idem ibidem cap.3. Quasi apertè loquatur dicens, etsi nobilitatem dignitatis præferunt, prætextu religionis, ignobiles tamen sunt, quia excellentiæ eius, quam habent gloriæ, non concordant per sublimitatem vitæ.

59 *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* LITERAL. Lira ibi. Abutendo collata sibi potestate erunt ignobiles, quia deiicientur à statu suæ dignitatis. Lira.

60 *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* LITERAL. Abul.ibi q.27. Idest, qui non honorant me, erunt abiecti, scilicet priuati honore Summi Sacerdotij, & sic fuit domus Heli. Abul.

61 *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* MORAL. Caietan.ibi. Vide differentiam; nam ait, *honorantes me honorificabo*, & non subiungit contemnentes me contemnam, vt propensior ad nostrum bonum Deus describatur, quàm ad malum pœnæ. Caietan. *Deus pœnæ non autor.*

62 *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* MORAL. Henricus Helmesi. hom. 3. de Conceptione Beatæ Mariæ. Qui vt Lutheranorum colluuies meam Matrem spernunt, suggillant, maculant, inhonorant, blasphemant, & me spernunt, & lacessunt maledictis verbis suis, ego vltor existam. Qui malè dixerit Matri meæ; sit ille maledictus: & qui benedixerint illi, erunt benedicti: nam sicut filij infamia mœror est matris; sic Matris meæ Benedictæ diffamatio, & suggillatio in me redundat: qui verò me contemnunt in mea Matre, quam benedixi, erunt contemptibiles, & maledicti in æternum. Helmes. *Maria vituperatores qualest*

63 *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* MORAL. Francisc.Mendoza ibi.§.28. Secundum discrimen est, quia in priori membro promisit Deus gloriam vniuersaliter omnibus, qui eum glorificauerint; illud enim signum, *Quicumque glorificauerit me*, vniuersale est: in posteriori autem minatur pœnam singulariter vni tantùm: Qui eum contempserit. Mendoza.

VERSVS XXXI.

VVlgata. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ne sit senex in domo tua. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Ecce dies venient, & succidam brachium tuum, & brachium patris tui, vt non sit senex in domo tua. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm in Regia. Ecce dies venient, & extirpabo fortitudinem seminis tui, & fortitudinem seminis domus patris tui, ne sit senex in domo tua. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Ecce dies veniunt, & disperdam semen tuum, & semen domus patris tui. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtiana. Ecce dies veniunt, & exterminabo semen tuum, & semen patris tui, & non erit tibi senex in domo mea omnibus diebus. Sixtian.

Aug.lib.17.de Ciuit. Dei c.5. Et non erit tibi senior in domo mea omnibus diebus. Aug.

Iulianus Pomerius Archiep.Tolet. lib.contra Iudæos. Ecce dies venient. Iulian.

Rupert.lib.1.Comment.c.10. Ecce dies veniet, & præcidam brachium tum. Rupert.

Caietan. *Caietan.ibi. Ex Hebræo.* Præcidam fortitudinem tuam,& fortitudinem domus patris tui,abesse senem in domo tua.

Andron. *Andronicus Constantinopolitanus dialogo contra Iudæos.*Ecce dies venient , & exterminabo semen tuum & semen domus patris tui, & non erit senex in domo tua.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Eucher. 1 *Ecce dies veniunt , & præcidam.* S.Eucher. Seu Author Comment. in lib. Reg. tom.5. Bibliot.PP. Quis nunc fideli oculo hæc intuens, non videat esse completa:quandoquidem nullum Tabernaculum,nullum Templum,nullum Altare, nullum Sacrificium , & ideò nec vllus Sacerdos remansit Iudæis.

MYST'C. Rupert. 2 *Ecce dies veniunt, Rupert.* lib.1. Comment. c.10.Dies isti iam venerunt, & nunc sunt sacerdotio Iudæorum, & domui Aaron tristes , & amari; quia caro erat;præcisum est brachium domus Aaron.quia non Domini,sed hominis brachium erat. *Meledictus vir* ,inquit Propheta, *qui confidit in homine,& ponit carnem brachium suum , vt à Domino recedat cor eius.* Ierem.17.

Ierem.17.

MYSTIC. Angelom. 3 *Ecce dies veniunt.*Angelom.in Stromatib.c.2. Ecce isti sunt dies,qui prænuntiati sunt , iam enim venerunt ; nullus enim Sacerdos est secundùm ordinem Aaron.

MYSTIC. Gloss. Interl. 4 *Ecce dies veniunt.* Glossa interlineal.ibi.Dies noui Testamenti, in quo non est Sacerdos secundum Aaron.

LITERAL. Lira. 5 *Ecce dies veniunt &c.*Liran.ibi.Idest, potestas Summi Sacerdotij , quod impletum fuit tempore Salomonis , qui abiecto Abiathar de Summo Sacerdotio,qui descenderat de Heli: instituit Sadoch summum Sacerdotem,qui descenderat de Eleazar, vt habetur 3.Reg.2. & tunc rediit Summum Sacerdotium ad primam lineam.

3.Reg.2.

LITERAL. Abul. 6 *Ecce dies veniunt .*Abul. ibi. quæst.27. Idest tempus in quo ego complebo ista , quæ dico non esse longè, sed iam venit ; modico enim tempore pòst duo filij Heli iuerunt ad bellum , & mortui sunt simul,& Heli corruens de sella expirauit.

LITERAL. Mendoza. 7 *Ecce dies veniunt.* Franc.Mendoz. ibi.§.1.Dices.dignitas Sacerdotalis sublata fuit à domo Heli tempore Salomonis. Quo pacto igitur dicitur hoc loco venire dies, seu instare tempus punitionis? Respondeo primò , quia huius vitæ tempus adeò breue est, vt quidquid in eo contingit, licet in fine mundi contingat,iam nunc dici posset citò, ac celeriter euenturum. Secundò , magis ad literam, quia in hoc numero non solùm est sermo de Sacerdotio erepto è familia Heli; quod contingit post octoginta annos , sed de Sacerdotio erepto ipsi Sacerdoti Heli, eiusque filiis , quod contingit non multò pòst.

MORAL. Author Catenæ. 8 *Ecce dies veniunt,& præcidam brachium tuum.* Author Catenæ.De dierum aduentatione,quasi de re præsenti Dominus loquitur ; de præcisione autem brachij comminatur de futuro, correctionem nempe solicitans.Nam si resipisceret ignauus Pontifex, suam vtique sententiam ipse Dominus commutaret.

LITERAL. Hierog. 9 *Et præcidam brachium tuum.* Hier.seu Autor Tradition.Hebraic.Brachium Arcam vocat, & dignitatem Sacerdotalem.

MYSTIC. Gregor. 10 *Et præcidam brachium tuum.*Greg.lib.2.Variar.c.2.Senes intelligendi sunt Sacerdotes , quorum officium quia grauitate magnæ honestatis impenditur à religionis pondere nulla, puerili leuitate vacuatur.Brachium igitur eius,& domus patris eius ita præcisum est,vt in domo sua senex non sit;quia sic veteris Sacerdotij ritus euanuit, vt omninò nemo remaserit, qui veteri more immolare iã possit. Nam postquam Redemptor humani generis pro peccatis nostris nouo Sacrificij more se obtulit, esse Sacerdos consuetudine antiqua cessauit.

MYSTIC. Idem. *Brachium quid?* 11 *Et præcidam brachium tuum.*Idem ibidem.2. p.Comment.Brachium contemptoris est fortitudo temporalis,& quia de Summi patris familia transgrediendo exiit , lapsum Angelum à cælesti gloria habere tam partem cæpit. Domus itaque patris eius est ea , quæ sibi fauet in malo societas subditorum.

LITERAL. Comest. 12 *Et præcidam Brachium tuum* Comest. in Histor. Scholast.c.4. Idest auferam Sacerdotium de domo tua.pro quo debebatur ei armus dexter.

LITERAL. Blesen. 13 *Et præcidam brachium tuum.* Petrus Blesensis.in Iob.c.1.Heli,licèt in aliis iustus esset,ideo visus est reprobatus à Domino , quia filios non correxit.

LITERAL. Procop. 14 *Et præcidam brachium tuum.* Procop.Gacæus in Comment. Hæc prædictio videtur familiam Heli Summo Pontificatu deiicere : latenter verò totius Iudaici Sacerdotij finem innuit.

LITERAL. Abul. 15 *Et præcidam brachium tuum.* Abul. ibi.q.28. Primò,quantum ad ablationem Sacerdotij.Secundò,quantum ad occisionem posterorum:De primo pater, quoniam non mansit Sacerdotium in domo Heli semper ; sed post mortem filiorum suorum successit Achitob. Secundum est,quantum ad occisionem posterorum,scilicet,quòd omnes de genere Heli occisi sunt , non enim mansit nisi Abiatar, quando occidit illos Saül.

MORAL. Damia. 16 *Et præcidam brachium tuum.* Petrus Damian. Epist.6.in lib.1.ac si apertè dicat;quia ego per pastoralis officij dignitatem contra inimicos meos brachium tibi fortitudinis contuli; tu verò ad eorum vltionem illud exercere noluisti ; iam brachium à te præcidam , idest , vigorem Sacerdoralis tibi culminis auferam; vt qui manceps fueras ad pugnandum pro me , iam nec manum habeas ad tuendum te.

LITERAL. Caiet. 17 *Et præcidam brachium tuum.* Caietan. in Comment. Clara est pœna , scilicet , diminutio vitæ , vt non perueniatur ad senectutem;ipsa enim materia cogit , vt intelligamus de fortitudine vitali esse sermonem ; ad litteram enim dicit Deus se præcisurum fortitudinem vitalem domus Heli, vt nullus fiat senex,vt Hebraica sonat littera hæc, & subiuncta contestantur.

MORAL. Torniel. *Deus peccatores expectat.* 18 *Et præcidam brachium tuum.* Aug. Torniellus in Annalibus Sacris Anno mundi 2909. Nemini mirum videatur quòd has minas Dominus implere distulerit post annos triginta , nempe vsque ad finem vitæ ipsius Heli , quandoquidem notum est sæpe Dominum vindictas libenter differre consueuisse , vt aut homines ad pœnitentiam expectet,aut ipsi inexcusabiles fiant.

LITERAL. Salian. 19 *Et præcidam brachium tuum.* Salian.tom.3. Annalium Anno mundi 2912. numer.3. Denunciat cladem imminentem familiæ Heli : quod mox per Samuelem quoque Deus facturus est; vt sæpiùs , atque à pluribus admoniti & pater & filij corrigantur, & Prophetæ comminationem tantùm habeant, non immutabile decretum ; in qua re Dominus bonitatem suam patefecit , simul etiam

etiam prophetiæ Samuëlis adolescentuli prælucebat fidem, cùm inscius in eadem vestigia incurreret, quæ vir Dei ante signasset.

LITERAL. Author Catenæ. 20 *Et præcidam brachium tuum.* Autor Catenæ. Comminatio certa est deturbationis à dignitate Sacerdotali, quam eius domus speciali Dei priuilegio adepta fuerat. Aaroni enim, & nepoti eius Phinees promiserat Dominus Sacerdotium Summum in æternum, hoc est, ad finem vsque veteris legis. Nescitur autem qua de causa ad Heli, & eius filium non à Phinees, sed ab Ithamare descendentes Pontificatus translatus fuerit; ex quibus quinque refert Summos Sacerdotes Abulensis q. 29. Scilicet ipse Heli, eóque viuente, & senio grauato filium eius Phinees; deinde filium huius Achitob, deinde Achimelech postremò Abiathar, quibus transactis filiis Phinees, Eleazari filiis restituum est Sacerdotium vsque ad destructionem Hierosolimorum; de quibus Iosephus, & Egesippus latiùs.

Ioseph. Egesipp. Aduerte brachium Hebraicæ יָרֹעַ ex varia punctulorum, seu notularum appositione significare quoque semen, vnde pro filiis, & nepotibus Heli

Pagn. potest intelligi. Consule Pagninum in Thesauro. Vnde etiam inferri certò potest sæpe parentum delicta à Domino puniri carissimorum filiorum interemptione quæ quidem grauis admodum pœna est. Dicuntur autem filij parentum Brachia, quia ipsorum sunt robur, & fortitudo.

ALLEG. Gregor. 21 *Et brachium domus patris tui.* Greg. suprà. Damnati hominis domus infernus est. Senectus autem vera est maturitas sapientiæ. In domo itaque eius senex non erit, quia in inferno nulla inueniri poterunt consilia salutis. Vnde & ad veræ sapientiæ opera Scriptura excitat dicens: *Quodcunque potest manus tua instanter operare, quia nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quo tu properas.* Eccles. 9.

Eccles. 9.

LITERAL. Carens. 22 *Et brachium domus patris tui.* Carens. in Postilla. Patris tui, id est, Aaron, vel Ithamar, de quo fuit Heli.

LITERAL. Abul. 23 *Et brachium domus patris tui.* Abul. ibi. q. 30. Sciendum quòd cùm dicitur hic, quòd scindetur brachium Heli, & brachium patris eius, idem significatur, nam Heli erat domus patris sui, quia & ipse, & alij fratres faciebant domum paternam.

LITERAL. Caiet. 24 *Et brachium domus patris tui.* Caietan. ibi. Appellatione domus Heli intelligendos esse non solùm originem trahentes ab ipso, sed etiam originem trahentes à patre Heli patet; nam in littera dicitur: *præcidam fortitudinem tuam* (proculdubio in filiis) *& fortitudinem domus patris tui*; ab hoc videlicet, *abesse senem in domo tua.*

LITERAL. Hieron. 25 *Vt non sit senex in domo tua.* Hier. suprà. Senem Sacerdotem magnum dicit.

LITERAL. Abul. 26 *Vt non sit senex in domo tua.* Abul. ibi. q. 30. Quod intelligitur dupliciter. Vno modo, quòd senex accipiatur secundum ætatem, & tunc est sensus, quòd posteritas Heli saltem in magno tempore, scilicet, vsquequo fuit consummata ista pœnalitas in Abiathar, moreretur in ætate iuuenili. Alio modo potest sumi senex secundùm dignitatem, & sic dicuntur seniores illi, qui sunt maioris prudentiæ, & honoris in populo, & tunc est sensus; quòd non erit senex in domo Heli, ideſt non manebit aliquis Summus Sacerdos de stirpe illius, sic enim factum est, nam post Abiathar, in quo ista consummata sunt, non fuit aliquis Sacerdos Summus de stirpe Heli.

LITERAL. Author 27 *Vt non sit senex in domo tua.* Autor Catenæ. Senex non solùm significat, iuxta Scripturæ ecphasim, ætate prouectum, sed sapientem, & prudentem, siue etiam Principem, vt notaui Rabbi Iosi Galilæus ad cap. 19. Leuit. vers. 32.

Catenæ. Rabbi Ios. *senex quid?*

VERSVS XXXII.

Vulgata. Et videbis æmulum tuum in Templo in vniuersis prosperis Israël, & non erit senex in domo tua omnibus diebus. Vulgata.

Text. Gloss. in margine. Et videbis inimicum tuum in habitaculo. Benedict.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et videbis inimicum habitaculi in habitaculo in cunctis quibus benefaciet ipsi Israël: & non erit senex in domo tua omnibus diebus. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Et aspicies æmulum in habitaculo in omnibus, in quibus benefecerit Israëli; & non erit senex in domo tua cunctis diebus. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et eris contemplans, & eris videns in calamitate, quæ erit super hominem domus tuæ, in peccatis, quæ peccauerunt in domo Sanctuarij mei, & post hæc venire faciam bonum super Israël, & non erit in domo tua senex omnibus diebus. Ariasm.

Græca ex Septuag. in Complut. & Regia. Et aspiciet fundamentum Templorum in omnibus, quibus benefaciet Israël, & non erit senex in domo tua: & non erit tibi senex in domo mea omnibus diebus. Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Sixtiana. Et non erit tibi senex in domo mea omnibus diebus. Sixtiana.

Symmachus. Et aspicies tribulationem habitantis in omni, in quo benefiet Israëli. Symmachus.

Achila apud Flamin. Et perspicies æmulum habitaculi. Achila.

Symmachus apud Procopium. Videbis angustiam habitationis in omni eo, in quo Israël beneficio afficietur. Symmach.

Theod. apud Flaminium. Et aspicies firmamentum. Theod.

Sept. apud Carens. Et non erit Sacerdos Magnus in domo tua omnibus diebus. Sept.

Caietan. ibi. Hebraicè habetur, Et videbis Angustatorem habitaculum in omni, quod benefaciet cum Israël. Caiet.

Emanuel Saa in Scholiis. Et videbis angustatorem in habitaculo. Saa.

PP. ET AVCTORES.

1 *ET videbis æmulum tuum.* Hier. seu Autor tradit. Hebraïce. Æmulus domus Heli Sadoch Sacerdos exitit, qui ejecto Abiatar à Salomone, Sacerdotium sucepit, sicut in 4. Malach. legitur. *Projecitque Salomon Abiatar, ne esset Sacerdos Domini; vt impleretur verbum Domini quod locutus est super domum Heli.* 3. Reg. 2. LITERAL. Hieron. Rupert. Rabban. 3. Reg. 2.

2 *Et videbis æmulum tuum.* Gregor. lib. 2. variar. cap. 3. In Templo æmulum suum contemptor aspicit, quia Prædicator reprobus iam damnatus ordinem humilium iam gaudere in cœlestibus recognoscit, cui nimirum æmulo vniuersa Israël prospera tribuuntur; Scriptum quippe MYSTIC. Gregor.

Anagog. est; *Erit Deus omnia in omnibus*; cuncta igitur Israël prospera omnia, quæ Deus est illis beatissimis ciuibus designantur.

Mystic. Idem. *Inuidiæ tormentum.* 3 *Et videbis æmulum tuum.* Idem ibid. cap. 2. Qui amissi Sacerdotij damna sustinet, habet tormentum maioris pœnæ de dolore inuidiæ. Intra Templum æmulum suum vidit, quia ipse iam foras expulsus est; nam quis æmulus Sacerdotij veteris alius est, quàm Ordo nouorum Prædicatorum, qui profectò dum veterum, & electorum PP. studia viuendo, atque docendo adæquare nititur, bona, Heli nimirum æmulatur.

Mystic. Beda. 4 *Et videbis æmulum tuum.* Beda lib. 1. expositi. Allegor. cap. 7. Videbunt posteri tui populum gentium in fide, quæ est derecta de Templo, vtentem spiritualiter Scripturis & promissionibus Israël.

Mystic. Rupert. *Christus vetus Sacerdos.* Psalm. 109. 5 *Et videbis æmulum tuum.* Rup. lib. 1. comment. cap. 10. Quis iste æmulus est, cui Sacerdotium vetus inuidet, nisi ille, de quo Propheta: *Iurauit*, inquit, *Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Ps. 109. Grandis iste æmulus est, in quem cùm sit de Tribu Iuda, de qua nullus altari præstò fuerat, translato Sacerdotio, legis quoque translatio necessariò facta est. Istum Iudaicus Sacerdos iam spoliatus ægerrimo oculo videt in illo Templo, quo totus orbis contentus est, in illa Ecclesia, quæ toto orbe terrarum diffusa est; videt, inquam, illum in vniuersis prosperis Israël; nam vniuersa, quæ de illo sunt prospera, & pacifica vero sunt Israël, quemadmodum in alio Psalmo præcantauit idem Propheta. *Intende, prosperè procede & regna.* Psalm. 44.

Histor. Comest. 6 *Et videbis æmulum tuum.* Petrus Comestor. histor. Scholast. cap. 4. Quod factum est in diebus Salomonis cum Sadoch qui fuit de Eleazar, factus est Sacerdos, abiecto Abiatar, qui fuit de Ithamar. Quidam autem autumant translatum fuisse Sacerdotium ad Samuëlem, qui non fuit Aaronita. Sed nec legitur Samuëlem fuisse Sacerdotem, nec Aaronitas amotos fuisse à Sacerdotio vsque circa tempora Machabæorum.

Literal. Liran. *Pater vivit in filiis.* Eccles. 30. 7 *Et videbis æmulum tuum.* Liran. ibi. Illi, qui descenderunt de Heli; hoc viderunt, in quibus ipse Heli quemadmodum remanserat; sicut homo mortuus in filio viuente, secundùm illud Ecclesiast. c. 30. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.*

Mystic. Anselml. Laudun. 8 *Et videbis æmulum tuum.* Anselm. Laudunens. in Gloss. interlinear. Æmulum tuum Christianum populum.

Literal. Abul. 9 *Et videbis æmulum tuum.* Abul. ibi. q. 30. Erat autem pœna magna Heli, & posteritatis suæ, quòd priùs habuissent ipsi Summum Sacerdotium, & deinde viderent translatum ad alios. Cùm autem dicitur quòd videret æmulum suum, non intelligitur de ipso Heli, quia nunquam fuit ei aliquis æmulus vsque ad tempus Sadoch, ad quem primò rediit Sacerdotium in domo Eleazari; sed inter mortem Heli, & constitutionem Sadoch, in Summum Sacerdotium transierunt octoginta anni.

Literal. Caietan. 10 *Et videbis æmulum tuum.* Caietan. ibi. Ad litteram prædicitur tempus opulenti habitaculi in domo Dei, tempore Salomonis videndum ab ipso Heli in filiis suis, non ad lætitiam, sed ad angustiam; & hæc est secunda pœna Heli, ita quod sensus litteræ est; & videbis in semine tuo tanquam angustatorem habitaculum in domo Domini referum omni re, de qua benè agitur cum Israël, hoc est, omni re vtili, & delectabili, & honorabili in Israel,

11 *Et videbis æmulum tuum.* Hieron. Oleaster. annot. 4. in Genes. c. 4. Habet Dominus hoc peculiare, vt defectum honoris sui inuidentia puniat. Cùm enim Heli filios plus æquo diligens, non, vt par erat, argueret, quod primitias carnium ab offerentibus tollerent, antequam Domino consecrarentur, audiuit. *Videbis*, ait Dominus, *æmulum tuum in Templo in vniuersis prosperis Israel, & non erit senex in domo tua.* Moral. Oleaster. *Inuidia pœna.*

12 *Et videbis æmulum tuum.* Franc. Mend. ibi. §. 2. Hoc est, videbis in Templo alium Summum Sacerdotem, qui te à tua dignitate excludat; qui proinde erit tibi æmulus, seu aduersarius, ex cuius aspectu ad æmulationem, seu inuidiam prouocaberis. Literal. Mendoza.

13 *Et videbis æmulum tuum.* Autor Caten. Æmulus, seu competitor Heli, vel potiùs nepotis eius Abiataris, fuit Sadoch de domo Phinees filij Eleazari, quem deturbato à Sacerdotali munere Abiatare, Salomon Pontificem vnicum constituit, cùm antea vterque Summus esset Pontifex, vt alias etiam accidit hæc Summorum Pontificum dualitas, quidquid renitatur Mendoza §. 9. & alij. Cùm Anna & Caiphas Principes Sacerdotum eodem tempore dicantur: Luc. 3. *Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zacharia filium in deserto.* Quæ, cùm sensu Historico, & plano possint accipi, non est cur ad tropos recurratur, tum maximè, quod hanc Summorum Pontificum multiplicitatem, & rationem eius asserat Augustinus ab ipsis citatus q. 23. in Leuitic. His verbis. *Quanquam ex contentione res prouenisse videatur, vt postea propterea fuerint plures Summi Sacerdotes, quia contendentibus excellentioribus, litis finiendæ causa pluribus honor ipse tribuebatur.* Quid clarius? idem etiam Aug. tract. 49. in Ioannem tom. 9. eadem tradidit, & confirmat. Res verò ita se habuit. Saiil Sacerdoti Achimelech infensus, quod fugienti Dauidi cibum, & arma concessisset, ipsum & octoginta quinque minores Sacerdotes occidit; infra cap. 28. Abiatar autem vnus ex hac cæde superstes, occisi Achimelech filius ad Dauidem confugiens, ab eo Sacerdos Magnus instituitur pro patre: infrà 23. Saiil autem eiusdem occisi loco, Sadoch creauit Summum Pontificem, vnde aliquandiu duo eodem munere fungebantur. Vide 2. Reg. 15. & 1. Paralip. 24. vsquedum Salomon depositio Abiatare, parùm sibi studioso, vnicum Summum Sacerdotem Sadoch reliquit 3. Reg. 2. quo in tempore expulsus Abiatar filius Heli vidit æmulum suum Sadoch filium Phinees in cunctis prosperis Israël, hoc est, in omnium rerum & felicitatum abundantia, vt pote beato illo Salomonis Regno, & omninoda Templi Hierosolymitani gloria. Literal. Author Catenæ. *An duo simul fuerint Summi Sacerdotes.* Mendoza. Augustin.

14 *Et videbis æmulum tuum.* Vermil. Hæreticus ibi. Apparet hic lex Talionis; ac si diceretur: vos comedendas carnes præripuistis ante tempus; ita etiam ante tempus morietmini. Tu Heli tuos mihi liberos præripuisti; ego vicissim æmulum tuum præferam tibi. Vos meas leges conculcastis; ego item decretum olim meum rescindam. Literal. Vermil.

15 *In vniuersis prosperis Israel.* Gregor. suprà. Quæ Israël prospera, nisi felicitates huius transeuntis temporis intelliguntur, in quibus Israel secundùm carnem valdè lætatur? In vniuersis ergo Israël prosperis æmulum suum videt, qui in S. Ecclesia Prædicatores veritatis felices aspexit, & rerum opulentia & celsitudine dignitatis. Mystic. Gregor.

16 *In vniuersis prosperis Israel.* Abul. ibi. q. 30. Literal. Id Abul.

Id est æmulus tuus erit in Templo in Summo Sacerdotio, & habebit omnia prospera Israël, scilicet, maximos honores, & maximos redditus in toto populo, quæ sunt prosperitates temporales.

Moral. Gregor. 17 *Et non erit senex in domo tua.* Greg. suprà. Notandum quia bis dicitur; *Et non erit senex in domo tua*, quia nec de pœnarum experientia, quam damnatus habet, nec de scientia alienæ felicitatis, nec de pœnarum experientia, quam non habet, ad salutem eruditur.

Literal. Abul. 18 *Et non erit senex in domo tua.* Abul. ibid. quæst. 30. Sic ergo debet exponi ista littera, & propter hoc fuit hic bis positum de senectute, vt suprà intelligeretur de senectute secundùm ætatem, & hic de senectute secundum dignitatem.

Literal. Lira. 19 *Et non erit senex in domo tua.* Lira. ibid. Quia filij tui interfecti fuerunt in virili ætate. Hoc etiam potest referri ad Sacerdotes, quos Saul fecit interfici infrà 22. qui descenderant saltem pro maiori parte de Heli.

Literal. Caiet. 20 *Et non erit senex in domo tua.* Caietan. in Comment. Hebraico more primùm describuntur summariè ambæ pœnæ, deinde tractantur distinctiùs. Prima itaque pœna tractatur, declarando perpetuitatem pœnæ, ita quòd in perpetuum non erit senex in domo tua; & aiunt Hebræi in hodiernum vsque diem verificari.

Literal. Mendoza. *Senex quid.* 21 *Et non erit senex in domo tua.* Franc. Mend. ibi. §. 14. Credibile non est senem secundùm ætatem semper defuisse in familia Heli, quamuis primis illis temporibus, vsque ad tempus Salomonis multi ablati fuerint. At verò senes secundùm dignitatem Sacerdotalem, seu summos Sacerdotes, dubitandum non est fuisse in perpetuum ab illa familia abdicatos, vt patebit ei, qui percurrerit omnes Summos Sacerdotes à Sadoch vsque ad Finasium, qui in vltimo excidio Hierosolimitano omnium summorum Sacerdotum postremus fuit, & vel suo nomine finem illius Sacerdotij indicauit.

Literal. Author Catenæ. 22 *Et non erit senex in domo tua.* Author Cat. iuxta litteram comminatio est de expulsione perpetua à munere Summi Sacerdotij; sed quia bis repetitur, vt notauit Gregorius, immò & versu sequenti tertiò exprimitur; de concita, & immatura Posterorum eius morte, vel etiam cæde debet quoque intelligi: in quo duplex apparuit ærumna; altera quidem carorum pignorum anticipata amissio; altera eorum, & prudentiæ priuatio, quæ domorum splendorem obnubilat, & fortunis ruinam infert. *Væ tibi terra*, ait Ecclesiastes cap. 10. *cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt.* Senes ergo in perpetuum abierunt à familia inertis, ac desidis Sacerdotis, qui nimium filiis iuuenibus indulsit, vt à pueris primam, & vltimam cladem acceptam referat.

Eccles. 10.

VERSVS XXXIII.

Vulgata. *Vulgata.* Veruntamen non auferam penitùs virum ex te ab altari meo: sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit.

Benedict. *Benedict. in margine.* Faciam deficere oculos tuos, & affligam animam tuam; omnesque, qui multiplicati fuerint in domo tua, morientur, si viri fuerint.

Gloss. *Text. Glos. in margine.* Ab altari meo, vt consumant oculos suos. Et omnis multitudo domus tuæ morientur iuuenes.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïca ex Xante Pagnino.* Et virum non excidam ab altari meo, vt consumam oculos tuos, & dolore afficiam, & omnis multitudo domus tuæ morientur iuuenes.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatab.* Nec tamen virum tibi de ara mea excidam; vt deficiant oculi tui, animusque tabescat, & omnes, qui in domo tua multiplicantur viri morientur.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et homo non deficiet tibi ex altari meo ad obtenebrandum oculos tuos, & ad contristandum animam tuam; & omnis multitudo domus tuæ occidentur iuuenes.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia.* Et virum quem non disperdam tibi ab altari meo; faciam deficere oculos eius, & defluere animam ipsius, & omne abundans domus tuæ cadet in framea virorum.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et virum non exterminabo tibi ab altari meo, vt deficiant oculi eius, vt defluat anima eius, & omnis qui superierit Domus tuæ, decident in gladio virorum.

Aug. *August. lib. 17. de Ciuit. Dei. cap. 5.* Et virum exterminabo ab altari meo, vt deficiant oculi eius, & defluat anima eius.

Abul. *Abul. ibi. quæst. 30. In Hebræo habetur.* Tota domus tua.

Caiet. *Caietan. ibi.* Et omnis faciens surgere domum tuam morientur homines.

Lucifer. *Lucifer apud Flamin. in Scholiis Sixtiana.* Exterminabo virum ab altari meo.

Isidor. *Isidor. Clar. ibi.* Et omnis multitudo domus tuæ morietur.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Hieron. 1 *Veruntamen non auferam penitùs virum ex te.* Hieronym. vel potiùs Author Tradit. Hebraic. tom. 3. Ideò Dominus se non penitùs ablaturum ex domo Heli virum ab altari suo dicit; vt semper de domo Heli esset in domo Domini, qui dignitate Sacerdotali alium substituturum videret, & se eadem dignitate priuatum videns, oculi eius deficerent, & anima tabesceret. *Eadem verba habet* Rupert. *in Comment. c. 7.* Rupert.

Mystic. August. Angel. Eucher. 2 *Veruntamen non auferam penitùs virum ex te.* August. lib. 17. de Ciuitat. Dei, cap. 5. Nullus Sacerdos est secundùm ordinem Aaron, & quicumque ex eius genere est homo, cum videt Sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum magnum esse subtractum, deficiunt oculi eius, & defluit anima eius tabe mœroris.

Mystic. Gregor. 3 *Veruntamen non auferam penitùs virum ex te.* Gregorius lib. 2. Variar. cap. 2. Penitus namque ab altari suo virum auferret, si ad fidei nostræ vnitatem nullum admitteret. Penitùs ergo non abstulit, quia etsi reprobos Synagogæ Sacerdotes repulit, plures tamen ex eis ad sui cognitionem misericorditer adduxit: quorum profectò in Apostolorum actibus Lucas meminit dicens:

Actor.9. *Plurima turba Sacerdotum obediebat fidei.* Actorum 9.

Allegor. Idem Greg. 4 *Veruntamen non auferam penitùs virum ex te.* Idem ibidem cap.3. Viri namque sunt, qui ardua rigidæ conuersationis arce fulgescunt, Quasi ergo dicat: idcircò eos ab altari meo non aufero, quia viri sunt; nam pro merito conuersationis seruatur eis fortitudo, & celsitudo potestatis. Vnde & per Prophetam Dominus æquitatis edicta promulgat dicens. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij.* Ezechielis 18.

Ezech.18.

Literal. Lira. 5 *Veruntamen non auferam penitùs virum.* Lira ibidem. Quia post institutionem Sadoch in Summo Sacerdotio manserunt aliqui de domo Heli in officio Sacerdotum Minorum; istud tamen erat quodammodò in confusionem, & anxietatem ipsorum, eo quòd videbant se deiectos à Summo Sacerdotio, & alios loco eorum positos.

Moral. Greg. 6 *Veruntamen non auferam penitùs virum ex te.* Greg. libro 5. Variarum ad cap.14. Hinc est, quòd Heli vita propria iustus, sed autoritate Pastorali remissus à viro Dei audiuit: *Pars magna domus tuæ morietur; veruntamen non auferam penitùs ex te virum ab altari meo*; vt sacra Scriptura monstraret, & pro dissolutione percussum; & pro præterita conuersatione respectum.

Literal. Beda. 7 *Veruntamen non auferam penitùs virum.* Beda lib.1. Exposit. Allegor. cap.7. Non est filius Aaron, tametsi multùm grauiterque in Domini nece peccantibus, pœnitentiæ locus interdictus; sed si qui volunt ex eis, veniant pœnitentes ad Ecclesiam, Christi altario participent, cæteris in suæ perfidiæ, atque inuidiæ cæcitate manentibus.

Literal. Abul. 8 *Veruntamen non auferam penitùs virum.* Abulensis ibidem quæst. 30. Id est, quanquam auferam Summum Sacerdotium de domo tua, non auferetur penitus omne officium Sacerdotale, eo quòd manserunt tibi Sacerdotes minores; cuncti enim qui fuerunt de stirpe Heli, fuerunt postea minores Sacerdotes; istud enim non tollebatur propter peccata, quia non erat aliqua magna dignitas, sicut Summum Sacerdotium.

Moral. Mendoza. 9 *Veruntamen non auferam penitùs virum.* Franciscus Mendoza ibidem §. 2. Aliquos conseruauit, cuius rei quærenda est ratio. Prima esse potest, vt Deus ageret de more suo, qui etiam cùm irascitur, misericordiæ recordatur: cùm terret, etiam mulcet: cum minatur, etiam consolatur. Secunda, vt à bonis puniendis abstineret. Tertia, vt Heli negligentem in filios, & diligentem in seipsum; seu in corripiendis aliorum moribus remissum, in suis temperandis studiosum, partim puniret, aliquos eius posteros extenuando: partim remuneraret, aliquos in pristina dignitate retinendo.

Allegor. Gregor. 10 *Sed vt deficiant oculi tui.* Gregorius suprà. Vel idcirco Virum penitùs ex eo ab altari suo non abstulit, vt Heli oculi deficerent, & anima eius tabesceret; quia videlicet, electos de Iudæa noluit ad ministerium nouæ prædicationis assumere, vt remotis eis culpa ad pœnam reprobos teneret. Defecerunt namque oculi Heli, cùm Summum Sacerdotium, veritatem fidei per opera Prædicatorum in auditu habuit, & non cognouit. Anima quoque eius tabescit, quia videlicet per repulsionis suæ pœnam emarcuit, dum Sancti Spiritus gratiam amisit.

Moral. Idem. 11 *Sed vt deficiant oculi tui.* Idem ibid. Oculi namque eius deficiunt, quia ex eius vita, qui sua perfecit exhortatione, confunduntur. Anima quoque eius tabescit quia abundantiùs dolore compellitur, dum bonum, quod docuit per gloriam retributionis, florere nouit in subditis; & ipse hoc agere non curauit. In quibus etiam verbis notandum est, quia qui penitus ex eo Virum ab altari suo se non ablaturum promittit, rarus inuenitur esse qui recipit, quia profectò Doctoris reprobi plures auditores sunt, qui sequantur praua, quæ agunt, quam recta, quæ docent.

Mystic. Rupert. Rom.11. Synagoga cæca, & surda. Psalm.68. 12 *Sed vt deficiant oculi tui.* Rupertus ibidem. cap.10. Deficiant, inquam, oculi tui, quemadmodum Idem Apostolus dicit Roman.11. *Dedit illis spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant vsque in hodiernum diem.* Et Dauid dicit Psalm.68. *Fiat mensa eorum in laqueo, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.*

Literal Clarius. 13 *Sed vt deficiant oculi tui.* Isidorus Clarius in Commentar. In mœrorem animi tui & consumptionem oculorum, in infimis sunt officiis, qui priùs tenebant aream.

Literal. Abulens. 14 *Sed vt deficiant oculi tui.* Abulensis ibid. quæst. 30. Id est, quod ego relinquam aliquos de filiis tuis ministrantes in altari, non est ad eleuationem pœnæ, sed ad augmentum; nam cum quis fuerit in magna prosperitate, & incidens in aduersam calamitatem, videt alium in honoris excellentia, quam priùs ipse possederat, durius hoc quam mortem tolerat. Angustia igitur est sibi viuere.

Moral. Mendoza. *Bonum præteritum angit.* 15 *Sed vt deficiant oculi tui.* Franciscus Mendoza ibidem. §.4. Præsens calamitas cum præterita, vel aliena felicitate comparata, molestior efficitur. Patet in posteris Heli, qui cùm videbant se à Summo Sacerdotio exclusos, & aduersarios suos Summo Sacerdotio donatos ex præterita felicitate, quam ipsi amiserant, & ex præsenti felicitate, quam aduersarij obtinebant, molestissimè torquebantur.

Literal. Abul. 16 *Et tabescat anima tua.* Abulensis ibi. q.30. Tabescere est desiccari, putrefieri, vel deficere; scilicet quod non poterant alij Heli sustinere tantam amaritudinem, æmulos suos vt viderent in honore; ideo affligebantur nimis, & deficiebat anima eorum præ dolore.

Mystic. Greg. Galat.4. Ibidem. 17 *Et pars magna domus tuæ morietur.* Gregorius suprà. Ætas virilis tempus Dominicæ incarnationis, quod profectò Apostolus insinuat dicens: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege; vt eos, qui sub lege erant, redimeret, & ad adoptionem filiorum reciperemus.* Galat.4. Quid igitur præcepta Iudæa fuerunt, nisi quædam eruditiones infantiæ? Huius item pueritiæ tempus idem Apostolus insinuat dicens ibidem: *Cum essemus paruuli sub elementis mundi huius, eramus seruientes.* In virili ergo ætate mortua est, quia in plenitudine temporis in mundi Redemptorem sæuit, & semetipsam infidelitatis mucrone transfixit. Bene autem non tota domus, sed pars magna domus eius moritura prædicitur, quia ex eis quidam in Redemptorem crediderunt.

18 *Et*

Mystic. Gregor. 18 *Et pars magna domus tua morietur.* Idem ibidem c.13. Ætas virilis tempus est administrandi Sacerdotij. Imitator itaque Sacerdotis reprobi ad virilem ætatem ducitur, cùm ad sacri ordinis celsitudinem promouetur; ad quam profectò ætatem cùm peruenerit, moritur, quia ad tantum mysterium quisquis indignus accesserit, vel in eo indignè vixerit, condemnatur. Vnde & Paulus Dominici corporis & sanguinis mentionem faciens, ait: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* In virili ergo ætate moriuntur, quia de præsumptione, & accessu ministerij sublimioris intereunt.

Moral.

Mystic. Rupert. 19 *Et pars magna domus tua morietur, &c.* Rup. lib.1. Comment.c.10. Tunc quod maioris miseriæ est, *cum ad virilem ætatem peruenerit*; ideſt cùm plenitudo temporis aduenerit: morietur, inquam, non solùm gladio maligno, qui animam à Deo diuimat, sed etiam gladio Romano, qui animam à corpore diuidat.

Literal. Hugo. 20 *Et pars magna domus tua morietur.* Hugo Carensis in Postilla. Hoc impletum est in proximo, quando scilicet, filij eius occubuerunt in bello, intra c.4. Vel cum Saül iussit occidi sacerdotes Nobe, qui erant de stirpe eius c.22.

Literal. Caiet. 21 *Et pars magna domus tua morietur.* Caiet. ibi. Dictio interpretata *homines*, significat, dicitur, homines ætatis robustæ. Declaratur siquidem amplius prima pœna; non quòd magna pars, sed quod omnes qui essent dispositi ad subleuandam domum Hel, morientur iuuenes, seu quasi iuuenes. Vnde clarè apparet quòd ad litteram in istis pœnis Heli, *senex* est nomen ætatis; & dicunt Hebræi nullum de domo Heli transire annum quinquagesimum.

Literal. Abul. 22 *Et pars magna domus tua morietur.* Abul. ibi.q.30. quod potest intelligi dupliciter. Vno modo pro domo Heli accipiendo strictè, scilicet, pro filiis immediatis, & tunc fuit istud confirmatum, cum fuerùt duo filij sui in bellum, infra. Alio modo intelligitur domus Heli largiùs, scilicet, pro sua posteritate, & tunc est verum, quòd periit magna pars, scilicet ferè tota domus, quando occidit Saul octoginta Sacerdotes de stirpe Heli, relicto vno, scilicet Abiatar; & iste est secundus sensus litteræ.

Literal. Mendoza. 23 *Et pars magna domus tua morietur.* Franc. Mend.ibi.§.4. Latinum exemplar dicit, morituram magnam partem domus Heli; at verò Hebræum, Chaldæum, & Græcum, morituram omnem multitudinem domus Heli, seu omnem, qui in domo Heli inuentus fuerit. Sed nulla est pugna si hæc exemplaria originalia in sensu figurato intelliguntur. Omnis multitudo pro magna parte domus.

Literal. Author Catenæ. 24 *Et pars magna domus tua morietur.* Autor Catenæ. Ex contextu & ex aliis versionibus constat sermonem non esse de fœminis, sed de viris. Ratio autem esse potest, quia filiorum possessio, aut abundantia magni non fit, imò molestias & solicitudines parentibus parare solent. Secundò, quia hic agitur de pœna priuationis Summi Sacerdotij, quæ ad fœminas non pertinebat. Tertiò, quia cùm in filiis maribus specialius resplendeat virtus patris, desos Sacerdos in filiis potiùs castigatur, quàm in filiabus. Inquiri etiam hic potest, cùm filiorum & posterorum interitus per comminationem patri prædicatur, cur tuæ etiam mortis, quæ ipsi quoque in pœnam obtigit, Heli non præmoneatur? Respondeo primo. Cùm ipse iam nimium senex esset, monitionis huius non eguisse, quem cani, sensuum hebetudo, & virium infirmitas seriò admonebant. Secundò, quia ipsius mors, iuuenum filiorum neci, posterorum excidio, & Sacerdotij amissioni comparata, parui censenda foret, cum parentes filiorum obitum, quàm suam mortem ægriùs ferre consueuerint.

Morali.

VERSVS XXXIV.

Vulgata. Hoc autem erit tibi signum, quòd venturum est duobus filij tuis, Ophni & Phinees: in die vno morientur ambo.

Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnin. Et hoc tibi signum, quod veniet duobus filiis tuis Chophni & Pinchas, die eodem morientur ambo.

Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Et hoc erit tibi signum quod eueniet duobus filiis tuis Ophni, & Pinhas, vno die morientur ambo.

Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et hoc tibi signum, quod veniet ad duos filios tuos, ad Hophni, & Pinhhazz, in die vno occidentur ambo illi.

Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et hoc tibi signum quod venturum est super duos filios tuos istos Ophni, & Phinees, in die vno morientur ambo.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et hoc tibi signum, quod veniet super filios tuos Ophni & Phinees: vna die morientur ambo.

Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Augustin. 1 *Hoc autem erit tibi signum.* Aguſt. *lib.17. de Ciuit. Dei, c.5. tom.5.* Hoc ergo signum factum est mutandi Sacerdotij de domo huius; quo signo significatum est mutandum Sacerdotium domus Aaron; mors quippe filiorum huius significauit mortem non hominum, sed ipsius Sacerdotij de domo Aaron. Quod autem sequitur ad illum iam pertinet Sacerdotem, cuius figuram gessit, huic succedendo Samuel. Proinde quæ sequuntur de Christo Iesv noui Testamenti vero Sacerdote dicuntur, *Et suscitabo, &c. Eadem habet* Eucherius.

Eucher.

Mystic. Gregor. 2 *Hoc autem erit tibi signum.* Gregorius, *lib.2. Variar. Expositionum in lib.1. Reg.c.2.* In duobus filij Heli geminum Sacerdotij veteris Ordinem suprà ostendimus designari; qui certe in vno die mortui sunt, quia simul in Redemptoris morte conuenerunt. Bene autem Sacerdotum mors in signum morituræ domus posita memoratur, quia cùm pastores intereunt, necesse est, vt ad eundem interitum grex sequatur; & quia ex falsa ratione decepti sunt, in vno die morituri perhibentur, de cuius falsitate lucis Beatus Iob loquitur dicens: *Sic in tenebris, sicut in luce ambulabunt* Iob 24.

Iob.24.

Mystic. Moral. Greg. 3 *Hoc autem erit tibi signum.* Idem ibidem c.3. In signum morituræ domus ambo filij Hel vna die mori prædicuntur, quos nimirum filios significare diximus, qui ad Sacros ordines à propinquis carnalibus promouentur, non ad intentionem ministrandi ordinis, sed ad gloriam mundanæ dignitatis. In vna ergo die ambo moriuntur, qui in appetitu mundanæ felicitatis intereunt. Gloria sæcularis

laris honoris reuerentia, poteſtas culminis, claritas dignitatis, frequentia obſequentium, affluentia rerum, ſæculariter amata dies eſt; ſed quæ interficit. Audiant ergo filij Heli, quia in vno die ambo moriuntur. Qui enim de accepto paſtorali culmine labentis vitæ felicitatem diligunt, intentionem quidem habent gaudij; fructum verò lamenti: propoſitum in exaltatione vitæ, & peruentionem in mortis mœrorem.

LITERAL. Radulph. 4 *Hoc autem erit tibi ſignum.* Radulph. lib. 7. in Leuitic. c. 2. Iratus Dominus contra Heli, nequaquam principaliter eorum morte mulctandum eum teſtatur, ſed ſtirpis ſuæ extinctione & honoris reprobatione Pontificalis: filiorum verò interitum non ſummam diuinæ vltionis, ſed ſignum potius futuræ calamitatis eſſe prædicit.

MYSTIC. Gloſſa. 5 *Hoc autem erit tibi ſignum.* Gloſſ. Interl. ibi. Mutandi Sacerdotij; mors enim filiorum ſignificat mortem non hominis, ſed Sacerdotij.

LITERAL. Abul. 6 *Hoc autem erit tibi ſignum.* Abul. ibi. q. 30. Iſtud poteſt intelligi dupliciter. Vno modo quod accipiatur ſignum pro re ſignata, vel magis pro re magna, ſicut dicimus facere ſignum, cùm facit aliquod miraculum, etiam ſi illud non ſit ſignatiuum alicuius rei; & iſto modo mors duorum filiorum fuit Heli ſignum, ideſt res ſignata; vel miraculum, aut pœna à Deo inflicta. Alio modo poteſt accipi ſignum propriè, & eſt ſenſus, quòd mors filiorum Heli, quæ prænunciatur hîc, eſt ſignum quòd omnia alia, quæ prædixit Deus, de ſtirpe ſua complerentur.

LITERAL. Caiet. 7 *Hoc autem erit tibi ſignum.* Caietan. ibi: Quia comminatæ pœnæ futuræ erant, nec videndæ ab ipſo Heli in propria perſona, datur illi ſignum veritatis futurorum, mors vtriuſque filij tempore ipſius Heli futura vno, eodémque die.

LITERAL. Mendoza. 8 *Hoc autem erit tibi ſignum.* Franc. Mendoza ibi. §. 3. Cur hoc præcipuè ſignum proponitur Heli ad ſignificandas poſterorum eius calamitates? Reſpondeo, quia hoc ſignum magis cum re ſignificata connexum erat. Nam ſicut euulſa radice exareſcunt rami, qui ab illa pullulabant, ita præciſis filiis Heli, tota eius poſteritas inde propaganda præſcindebatur. Vnde hoc ſignum erat naturale, proindeque aptius ad Sacerdotalis illius ordinis euerſionem ſignificandam.

LITERAL. MORAL. Author Catenæ. *Malum malè creditur.* Gen 3. 9 *Hoc autem erit tibi ſignum.* Autor Catenæ. Iuſtus quidem Heli Sacerdos erat, & qui facilè diuinæ atteſtationi aſſenſum præberet: ſignum tamen abolendi Sacerdotij à viro Dei accipit, quia propriæ calamitates & ruinæ difficilè admodum fidem inueniunt. Hinc Eua poſt diuinum oraculum, & atteſtationem Numinis mortem comminantis, ſi prohibitum ediſſent pomum, in dubium tamen rem vertit dicens: *ne fortè moriamur.*

LITERAL. Abul. 10 *Quod venturum eſt duobus filiis tuis Ophni & Phineés.* Abul. ibi. quæſt. 31. Iſti erant propter quos venerunt omnia mala hæc, quæ prænuntiata ſunt, ideò in eis cœpit completio prophetiæ.

MORAL. Greg. *Vita breuis.* 11 *In die vna morientur ambo.* Gregor. ſupra. Quibus verbis poteſt Doctoribus reprobis præſentis vitæ breuitas intimari; in vna quippe die moriuntur, quia cùm ad terminum huius vitæ perueniunt, breue eis omninò fuiſſe cernitur, quod vixerint. Vnde per quendam Sapientem dicitur: *Gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti.* Iob. 20.

Iob. 20.

LITERAL. Abul. 12 *In die vna morientur ambo.* Abul. ibi. q. 31. Ideò poſuit Deus aliquid, quod videret Heli, ſcilicet, mortem filiorum ſuorum, ipſe enim vidit eam. Poterat igitur certificari ex hoc, quòd cætera euentura erant; nam cùm iſta prænuntiata ſunt Heli, erant æqualiter incerta, ſed quia ipſe vidit vnam partem prænuntiatorum compleri, exiſtimare debuit, quòd cætera complenda forent.

LITERAL. Mendoza. 13 *In die vna morientur ambo.* Franc. Mend. ibi. §. 5. Cur ſicut mors filiorum Heli datur in ſignum Sacerdotij auferendi, aliud quoque ad ipſam filiorum mortem ſignificandam ſignum non præſtitit? Ratio eſt, quia mors filiorum reuelabatur ſolùm Heli, qui cùm iuſtus eſſet, crederet ſine ſigno: at verò ablatio Sacerdotij etiam eius poſteris, qui fortaſſe ſine prænio ſigno non inducerentur ad credendum.

VERSVS XXXV.

VULGATA. Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus. Vulgata.

Text. Gloſſ. in margine. Et ædificabo ei domum ſecuram. Gloſſa.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnin. Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, quemadmodum eſt in corde meo, faciet; & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo omnibus diebus. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Suſcitaboque mihi Sacerdotem fidum, qui iuxta cor meum, & animum meum agat; & ædificabo ei domum fidelem, incedétque coram Chriſto meo omnibus diebus. Vatab.

Chaldaica ex Bened. Ariaſm. in Regia. Et ſtatuam ante me Sacerdotem fidelem, qui iuxta dictum meum, & iuxta voluntatem meam faciet, & ſtatuam illi regnum firmum, & miniſtrabit ante vnctum omnibus diebus. Ariaſm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et ſuſcitabo mihi ipſi ſacerdotem fidelem, qui omnia, quæ in corde meo, & quæ in anima mea, faciet; & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſtis meis cunctis diebus. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtiana. Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui omnia, quæ in corde meo, & quæ in anima mea, faciet; & ædificabo domum fidelem, & tranſibit coram Chriſto meo omnibus diebus. Sixtia.

Cyprian. lib. 1. Teſtimon. ad Quirin. Et tranſibit in conſpectu Chriſtorum meorum. Cyprian.

Rabbi Danid Kimbi. Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem ſtabilem. Rabbi Dauid.

Flamin. Nobilius in Schol. Sixtiana, in aliis eſt, coram Chriſtis meis. Flaminius.

PP. ET AVCTORES.

1 *ET ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem.* S. Cyprian. *lib. 1. Teſtimon. ad Quirin. c. 17.* Quod ceſſaret Sacerdotium vetus, & nouus Sacerdos veniret, qui in æternum futurus eſſet in Pſalm. 109. *Ante Luciferum genui te, &c.* Item in Regum 1. Deus ad Heli Sacerdotem: *Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui omnia, quæ ſunt in corde meo, faciet; & ædificabo ei domum fidelem, &c.* MISTIC. Cyprian.

2 *Et*

Euseb. 2 *Et suscitabo &c.* Euseb. *lib.* 4. *Demonstr. Euangel. cap.* 26. Quum mutationem ac reiectionem iis qui non recta ratione operantur diuinum minetur Oraculum, alium ex alio genere constituturum se Sacerdotem pollicetur, quem etiam dicit ingressurum in conspectu Christi sui, vel inambulaturum in faciem vncti sui, quemadmodum Aquila interpretatus est; vel vt Symmachus versaturum ante Christum suum.

Mystic. Aug. Euch. 3 *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Aug. *lib.* 17. *de Ciuit. Dei cap.* 5. *tom.* 5. Ad illum iam pertinet Sacerdotem, cuius figuram gessit hujc succedendo Samuel. Proindè quæ sequuntur de Christo sic noui Testamenti vero Sacerdote dicuntur.

Mystic. Gregor. 4 *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Greg. *lib.* 2. *Variar. cap.* 2. Mortuis namque filiis Heli fidelem Sacerdotem sibi Dominus suscitauit, quia extinctis in perfidia Prælatis veteris populi electos ad exhibendum redemptionis nostræ ministerium asciuit; qui nimirum fidelis assumptus dicitur, quia vetus cui successit per infidelitatem fuit reprobatus.

Mystic. Rupert. 5 *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Rupert. lib. 1. Comment. in lib. Reg. cap. 10. Sacerdos iste fidelis, Christus intelligitur, qui & per nomen Sadoch, de quo superiùs secundum litteram diximus, rectè signatur; Interpretatur enim *Iustus.* Iustus autem, & veraciter Sanctus Sacerdos, vel Pontifex ipse est; quemadmodùm dicit Apostolus Hebræor. 7. *Talis decebat vt nobis esset Pontifex sanctus innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Fidelem, inquam, qui semetipsum fideliter offerat, *non habens necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes priùs pro suis delictis hostias offerre. Qui iuxta cor meum, & animam meam faciat,* ideſt, *non per sanguinem Hircorum ac vitulorum;* quorum ego neque carnem manducabo, neque sanguinem potabo; sed per proprium sanguinem introeat semel in sancta æterna Redemptione inuenta.

Apost. Hebræ. 7. *Christus Sacerdos fidelis.*

Mystic. Angel. *Samuel Sacerdos.* 6 *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Angelom. lib. 1. Stromat. cap. 2. Quæ ait Propheta ad Heli sub figura Samuelis de Domino Saluatore, Summo videlicet, ac vero Pontifice debent intelligi; quia nimirum sicut Samuel, defuncto Heli, successit in Sacerdotio, non de stirpe Aaron, sed de alia Leui familia electus, fuit enim filius Helchanæ, filij Hieroam, filij Thau. &c. Ita mediator Dei & hominum, vt esset nobis Pontifex non de Leui, sed de alia vtique Tribu, ideſt, Iuda, carnem sumpsit; aliámque legaliter hostiam, ipsam suam carnem obtulit Patri pro nobis, aliósque de genere Aaron Pontificatus sui reliquit hæredes, filios videlicet gratiæ noui Testamenti, non tamen ex Iudæis, sed de vniuersa gentium natione collectos.

Mystic. Ansbert. 7 *Et suscitabo mihi Sacerdotem.* Ansbertus *lib.* 5. *in Apoc. c.* 9. Quis non agnoscat verum & æternum Pontificem, in eo quod Samuel, Heli reprobato, in Sacerdotem assumitur; quod in verum Sacerdotem suscitandus prædicitur.

Literal. Primas. *Samuel Sacerdos* 8 *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Primasius in 1. Epist. ad Corint. cap. 1. Sacerdos Samuel fuit, qui & Sacerdoti successit, & qui hostias offerebat, & de quo secundum historiam dictum est: *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Eadem verba habet *Sedulius Presbiter*, eodem loco tom. 5. Bibliot. PP.

Sedulius.

Literal. Theodor. 9 *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Theodoret. ibi. Hæc soli Domino Iesv Christo conueniunt, qui quod ad humanitatem attinet, nominatus fuit noster Pontifex, Hebræor. 4.

Literal. Rabban. 10 *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Rabban. Magnus. in c. 33. Ierem. De Sacerdotio Christi ita scriptum est. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* Psalm. 109. Dequo ad Heli Sacerdotem; diuina vox ait: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Psal. 109.

Literal. Abul. 11 *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Abul. ibi quæst. 31. Ideſt nouiter faciam, scilicet, quia eum, qui antea non erat Sacerdos, fecit Sacerdotem, & iste est Sadoch de stirpe Phinæes & Eleazari. Non est autem sensus quòd immediatè vt morerentur duo filij Heli, mutaretur Sacerdotium, & suscitaretur Sacerdos fidelis; nam adhuc mansit Sacerdotium in domo Heli aliis tribus Sacerdotibus. Dicitur fidelis à firmitate, & sic appellamus fideles eos, qui non mutantur, & iste est sensus litteræ. Nam Heli, & filij eius non fuerunt Sacerdotes fideles, cum Sacerdotium non permanserit in domo eorum, nisi pauco tempore, postea autem in domo Sadoch Sacerdotium semper mansit.

Literal. Mendoza. 12 *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Franc. Mendoza ibi §. 5. Fidelem vocat hunc Sacerdotem primò à firmitate. Nam Sacerdotibus de stirpe Heli breui tempore consumptis, Sadoch de stirpe Eleazari cum suis posteris toto tempore legis veteris in Sacerdotio firmus permansit. 2. à fidelitate erga Salomonem. Nam Abiatar de posteris Heli Adoniam Salomonis fratrem tumultuantem, & regnum præripere molientem adiuuabat. At vero Sadoch à Salomone non recedebat, eiúsque partes fideliter tuebatur. 3. à fidelitate erga ipsum Deum.

Literal. Sanct. 13 *Et suscitabo Sacerdotem fidelem.* Gaspar. Sanctius ibi, num. 122. Sacerdos iste fuit Sadoch, qui longè aliter, quàm Heli, ministerium obiit Pontificale, qui fidelem Deo ac Templo nauauit operam, neque aliter se in tanto munere præstando gessit, quàm diuina ab eo voluntas exigebat.

Literal. Mystic. Author Catenæ. *S. Petrus. Sacerdos suscitatus.* 14 *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Autor Catenæ. Ad litteram Sadoch exprimitur ex familia Phinæes, in quo intermissum seu sopitum Sacerdotium suscitatum est tempore Salomonis, quem Christum suum, hoc est, Regem vnctum, Dominus dicit. Mysticè autem indicari potest Christus Dominus, seu potiùs S. Petrus, primus ex purè hominibus Sacerdos, qui post Christum Dominum transtulit vetus Sacerdotium ex Synagoga ad Ecclesiam, de quo sine vlla violentia accipi potest: *& ambulabit coram Christo meo omnibus diebus,* quod de Christo violentiùs intelligitur: Rogo enim quo coram Christo ipse Christus ambulabit? Petrus ergo primus ex purè hominibus Pontifex ambulabit coram Christo omnibus diebus, & iuxta cor, & animam eius faciet eum, ex Spiritus S. illustratione, & attestata Christi Domini assistentia, à diuina voluntate deuiare non potest. Huic ab ipso firma vtique domus construitur, de qua idem Dominus: *Et porta Inferi non præualebunt aduersus eam.* Hæc autem Sacerdotis suscitatio, non video qui nec sensu Historico, nec mystico, Samueli possit aptari. Non in Historico, cùm ex communiori doctrina Samuel Sacerdos non fuerit, sed Sadoch subintelligatur; necesse est. Non in Mystico, quia Samuel non transtulit Sacerdotium vetus ad Ecclesiam, Ergo.

15 Qui

THEOLOG. Auguſt. *Deus incorporeus eſt.*

15 *Qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.* Auguſt. ſuprà. Non arbitremur habere animam Deum, cùm ſit conditor animæ, ſed hoc ita de Deo tropicè, non proprie dicitur, ſicut manus, & pedes, & alia corporis membra. Et ne ſecundum hoc credatur homo in carnis huius effigie factus ad imaginem Dei, adduntur alæ, quas vtique non habet homo, & dicitur Deo. *Sub vmbra alarum tuarum protege me.*

Pſalm. 16.

LITERAL. Gregor.

16 *Qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.* Greg. ibidem. cap. 3. Quid cor, & anima Dei, niſi ſacram eius Scripturam accipimus? Nam corde cogitamus ad deliberationem, anima verò afficimur ad amorem. Quia ergo in ſacro eloquio conſilia omnipotentis Dei agnoſcimus, ibique amorem, quo humanum genus dilexit, inuenimus, quòd per ipſum eloquium cor, & anima eius rationabiliter deſignantur.

LITERAL. Idem.

17 *Qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.* Idem ibidem. Nam quædam in Scriptura ſacra inueniuntur præcepta, quæ diſpenſatione quidem Dei præcepta ſunt, & non amore Dei; quæ profectò ſi Sacerdos, qui excitandus promittitur, adimpleret, iuxta cor quidem Dei, & non iuxta animam faceret, dum conſilium diuinæ diſpenſationis, & non amoris præceptum operibus redditiſſet.

LITERAL. MYSTIC. Angelom.

18 *Qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.* Angelom. in Stromatib. Quod quaſi humano more loquens Deus dicit quòd *iuxta cor meum, & animam meam faciet*, de Samuële quidem rectè poteſt intelligi, quia in omnibus eius voluntati, ſicut homo Dei Deo placuerit. De Domino autem Saluatore poteſt etiam accipi altiùs, quia ſicut filius vnigenitus paternorum in omnibus ſit conſcius arcanorum, iuxta quod de ſe ipſo manifeſtè teſtatur dicens: *Et à meipſo faciam nihil.* Ioannis 8. *Sed ſicut dedit mihi Pater, hæc loquor*, &c.

Ioann 8.

LITERAL. Aut. Caten.

19 *Qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.* Author Catenæ. Cor, & anima Dei tropicè diuinam volantatem, & ſtudium indicant. Noſter autem Mendoza nouam, & alienam Lirano ſententiam imponit; ait enim §. 10. Liranum per cor, & animam Dei Salomonem intelligere, quod verum non eſt; Liranus enim pro *Chriſto meo*, Salomonem explicat, non autem pro anima, & corde Dei; cuius hæc ſunt verba in Gloſſa vetuſtiori an. 1506. & in antiquioribus eius operibus, quæ ſine textu Scripturæ nuper vidimus. *Et ambulabit coram Chriſto meo, id eſt, Salomonem.* Ratio autem aquiuocationis hæc eſt, quòd Gloſſa noua anni 1617. habet hæc verba: *Et animam, & cetera*; & ſtatim ſubiungit, *id eſt, Salomonem.* Ly *& cetera* includit vſque ad finem verſiculi *coram Chriſto meo omnibus diebus*; ſupra quæ extrema verba cadit Lirani expoſitio, *id eſt, Salomonem.* Deinde non debebat dicere *Salomonem* accuſandi caſu, ſed ablatiuo, *Salomone.*

Mendoza.

THEOLOG. Idem. Vidiaci Hæretici. Tertullian. Caſtro. Theophil. Fauſtus. Ratherius Tritemius ſuit.

20 *Qui iuxta cor meum, & animam meam faciet.* Idem. His & ſimilibus locis materialiter intellectis, quibus per allegoriam Deo membra tribuuntur, arguunt Hæretici Vidiaci (quos Antropomorphitas vocant,) vt Deum, & corporeum, & membris vtentem dicant; cuius erroris primus Author extitit Tertullianus, vt exiſtimat Alphonſus de Caſtro aduerſùs Hæreſes, quem refutat Theophilus Alexandrinus, & Fauſtus item Regienſis, & Raterius Monachus, vt affirmat Tritemius; ad præſens autem Auguſtinus, Beda, & Gregorius facilè reſpondent, membra Deo tropicè adſcribi, vt vis ab iſtis membris profecta, quæ Deo eſt, clarius indicetur. Quòd ſi materialiter vt ſonant accipienda forent, immane monſtrum Deum conſtitueremus, qui leo, vermis, locuſta, & ſimilia dicitur, & modò pennatus, cornutus modò deſcribitur. Sed tropi ſunt, & allegoriæ. Vide noſtrum Petrum Thyræum lib. de Spirituum Apparitionib. cap. 4. num. 4.

Gregor.

Thyræus.

ANAGOG. Auguſt.

21 *Et ædificabo ei domum fidelem.* Aug. ſuprà. Ipſa eſt æterna, & ſuperna Ieruſalem.

ANAGOG. Greg.

22 *Et ædificabo ei domum fidelem.* Gregorius ſuprà. cap. 2. Quæ iſta domus alia, niſi æterna patria intelligitur? Quam profecto domum commendans ait. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Ioann. 14. Sed hæc domus ædificari nunc dicitur, quia ex piæ vitæ actionibus præparatur. Verumtamen ad eam promerendam indignum eſt opus hominis, ſi non hoc agat gratia miſericordis Dei. Benè itaque, cùm domus ædificium ponitur, Dominus ei eam ædificare pollicetur, quia numirum vires humanæ à tanta operatione deficiunt, ſi non diuinitùs adiuuentur.

Ioann. 14.

ALLEG. Greg.

23 *Et ædificabo ei domum fidelem.* Idem ibidem. Domus Sacerdotis eſt amplitudo in qua conuerſatur populi ſubiecti. Quæ profectò domus ei fidelis à Domino ædificatur, quia ad obedientiæ ſtudium diuina inſpiratione erigitur. Notandum quòd Sacerdotem, quem excitat Dominus, dicit fidelem ſibi: domum etiam, quam ei ædificat, fidelem ipſi Sacerdoti dicit futuram, quia profectò Prædicator Deo obedientiam debet, ſubiectus Prælato.

TROPOL.

MYSTIC. Rupert. *Eccleſia domus fidelis.*

24 *Et ædificabo ei domum fidelem.* Rupertus ſuprà. Domus fidelis quæ ædificatur ei, Eccleſia eſt, quod ex fide viuit. Ædificatur, inquam, ei videlicet, per Sacramentum ſanguinis, & aquæ, quod de latere eius manauit, quemadmodum in typum eius mulier de coſta viri in primordio ædificata eſt. Hæc domus ædificata *ambulabit*, inquit, *coram Chriſto cunctis diebus*, quia videlicet tota Chriſti domus, tota Eccleſia genus Sacerdotale eſt, & hæc proficiendo de virtute in virtutem ambulat coram Chriſto cunctis diebus.

MYSTIC. Angelom.

25 *Et ædificabo ei domum fidelem.* Angelom. ſupra. Chriſto domum fidelem ædificat Pater; quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei vſque in finem firmam retineamus; & hæc domus ambulat coram Chriſto eius, ipſo videlicet Summo Pontifice, cunctis diebus, quia nimirum vſque ad finem ſæculi ſuorum augmentatione membrorum Eccleſia ſancta proficere nunquam ceſſabit.

LITERAL. Abul.

26 *Et ædificabo ei domum fidelem.* Abul. ibid. quæſt. 31. Id eſt, faciam quod domus eius ſit firma. Nihil autem aliud eſt domum eius eſſe fidelem niſi progeniem eius nunquam priuari Summo Sacerdotio.

LITERAL. Saa.

27 *Et ædificabo ei domum fidelem.* Emanuël Saa in Schol. Quaſi dicat: domum ei ſtabilem faciam, ſeu poſteritatem.

LITERAL. Mendoza.

28 *Et ædificabo ei domum fidelem.* Franciſcus Mendoza ibidem §. 15. Hoc eſt eius familiam, ſeu eius poſteritatem amplificabo; vulgaris enim Hebraiſmus eſt, quo *ædificare domum*, ponitur pro *dare poſteritatem*: iuxta illud: *Quia timuerunt Obſtetrices Deum, ædificauit eis domos.* Exod. 1. Et illud: *faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Iſrael.* Ruth. 4.

Exod. 1.

Ruth. 4.

29 Es

LITERAL. Sanctius.

29 *Et ædificabo ei domum fidelem.* Gaspar Sanctius ibi. Hæc in Samuelem conuenire non possunt: in Sadoch autem maximè. Nam licet Samuel vir fuerit sanctus, domus tamen illius fidelis non fuit, siue filios computes, siue seram illius posteritatem; filij enim illius non valdè fuerunt meliores filiis Heli.

LITERAL. Aug.

30 *Et ambulabit coram Christo meo.* Aug. supra. *Transibit*, dixit: conuersabitur; sicut superiùs dixerat de domo Aaron: *Dixi: domus tua, & domus patris tui transibunt coram me.* Quod ait *coram Christo meo transibit*, de ipsâ domo vtique intelligendum est, non de illo Sacerdote, qui est Christus ipse, mediator, atque Saluator: Domus ergo eius coram illo transibit. Potest & *Transibit* intelligi de morte ad vitam, omnibus diebus, quibus peragitur vsque ad finem sæculi huius ista mortalitas.

ALLEG. Gregor.

31 *Et ambulabit coram Christo meo.* Gregor. suprà Vnicuique electorum coram Christo ambulare, est se semper in conspectu Redemptoris aspicere, & ea, quæ ei accepta cognoscit, operari. Vel certè coram Christo ambulat, qui in omne, quod agit semper, ad ipsum respicit, & vitæ suæ rectitudinem in eo dirigit, quem per assumptam humanitatem ad componendam electorum speciem venisse recognoscit.

MYSTIC. Idem.

32 *Et ambulabit coram Christo meo.* Idem ibidem. Christus Dominus Redemptor est generis humani; qui nimirum quia iam ad cælos ascendisse creditur, à fidelibus suis nunc non oculis corporeis, sed mente videtur. Coram ipso itaque omnibus diebus ambulat, qui cogitatione subita nihil operatur.

LITERAL. Abul.

33 *Et ambulabit coram Christo meo.* Abul. ibi. quæst. 31. Idest ministrabit coram Rege meo instituto omnibus diebus vitæ suæ. Hoc potest intelligi de solo Sadoch, scilicet, quòd ipse ambulabit cunctis diebus, idest, quandiu vixit coram Christo, idest coram Rege; Christus enim secundùm Græcos vnctus dicitur, & sic erant omnes Reges. Et iste Christus tunc fuit Salomon.

LITERAL. Caietan.

34 *Et ambulabit coram Christo meo.* Caietan. ibi. Cùm adhuc non essent Reges in Israel; prophetat iste hoc adimplendum esse tempore, quo erunt Reges in Israel; & ad litteram significatur Salomon.

LITERAL. Mendoza.

35 *Et ambulabit coram Christo meo.* Francis. Mendoza ibi. §. 21. Quasi dicat: Sadoch, & eius posteri coram Salomone, & sequentibus Regibus, vsque ad Messiæ aduentum, Summo Sacerdotio fungentur.

VERSVS XXXVI.

Vulgata.

Vulgata. Futurum est autem, vt quicumque remanserit in domo tua, veniat, vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatque: Dimitte me, obsecro, ad vnam partem Sacerdotalem, vt comedam buccellam panis.

Benedict.

Benedict. in margine. Veniat, vt adoret eum. Dicatque: adiunge me, quæso, vni ex Sacerdotiis.

Text. Glossa in margine. Vt incuruet se pro nummo argenteo, & buccella panis, dicatque: iunge me, quæso, vni parti Sacerdotali.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Et erit omnis, qui relictus fuerit in domo tua, veniet, vt incuruet se ei pro nummo argenteo, & buccella panis, & dicet: Iunge me, quæso, vni parti Sacerdotali, vt comedam buccellam panis. Pagn.

Hebraica ex Francis. Vatab. Et erit, vt quicumque residuus manserit in domo tua, veniat, vt sese illi prosternat pro obolo argenteo, & globo panis, dicátque: coapta me, quæso, vni alicui ex Sacerdotiis, vt comedam buccellam panis. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et erit omnis qui relinquetur in domo tua, veniet ad humiliandum se illi ad megha argenti; & buccellam panis, & dicet: Numera me nunc in vnum ex custodia Sacerdotum, ad comedendum buccellam panis. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et erit omnis, qui remanserit in domo tua, veniet ad adorandum eum in obolo argenti, & in pane vno dicens: dimitte me ad vnum Sacerdotiorum tuorum, vt comedam panem. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtiana. Et erit qui superierit in domo tua, veniet adorare cum obolo argenti dicens: Iacta me ad vnum Sacerdotiorum tuorum manducare panem. Sixtia.

Cyprian. lib. 1. aduersus Iudæos c. 7. Et erit qui remanserit in domo tua, veniet adorare in obolo pecuniæ, & pane vno. Cyprian.

Hieron. seu Autor Tradit. Hebraic. ibi. Veniat, vt adoret eum, & accipiat ab eo nummum argenteum, & tortam panis, dicatque: Dimitte me, obsecro, ad vnam partem Sacerdotalem, vt comedam buccellam panis. Hieron.

Abul. ibi quæst. 31. In Hebræo habetur aliter, scilicet. Quicumque remanserit de domo tua veniat ad inclinandum pro se in obolo argenteo, & torta panis. Abul.

Caietan. ex Hebræo. Veniet ad adorandum pro nummo argenti, & buccella panis, & dicet: Iunge me, obsecro, ad vnam partem Sacerdotalem ad comedendum frustum panis. Caiet.

Flamin. in Scholiis Sixtiana. In codice Theodorsti Sirletio est hoc loco insertum huiusmodi scholium Theodori. Ad quem, inquit, tantum erit eorum, qui ex genere tuo discrimen, vt qui ex iis remanserint, multa cum reuerentia ad eum sint accessuri, & ei tanquam Sacerdoti oblationes allaturi? Flami. Theodor.

Serarius in Comment. Apud Interpretem nostrum fortè legendum non *Adferat*, sed *auferat* nummum, idest accipiat. Serar.

Francis. Mendoza ibi. §. 2. Veniet ad incuruandum se ei minuto argenti, & torta panis, & dicet: Iunge me nunc ad vnum Sacerdotium ad comedendum buccellam panis. Mendoza.

PP. ET AVCTORES.

1 *Futurum est enim, vt quicumque remanserit in domo tua.* Gregor. lib. 2. Variar. cap. 3. Remansurus de eius domo aliquis dicitur, quia magna pars illius moritura perhibetur. De domo namque reprobi pastoris remanet, quem conscientia peccati à spe consequendæ veniæ non extinguit. Remanet ergo, quia pondus conscientiæ per pœnitentiæ propositum læuigatur spe consequendæ MYSTIC. Greg.

veniæ. Qui profectò, vt oretur, pro eo venit, & ad Deum pœnitendo properat, à quo peccando recessit.

MYSTIC. Rupert. 2 *Vt quicumque remanserit de domo tua.* Rupert. lib.1.comment.cap.10. Planè ergo quicumque remanserit. Ideſt quicumque de populo iſto ad vitam præordinatus fuerit, veniet ad ſacerdotem æmulum: veniet non ad Synagogæ, ſed ad Eccleſiæ Sacerdotium, nunc ſibi inuiſum, vt oretur pro eo, vt per eiuſdem Eccleſiæ Sacramenta reconcilietur Deo,

LITERAL. Caiet. 3 *Vt quicumque remanſerit de domo tua.* Caietan. in comment. Explanatur itaque amplius ſecunda pœna, declarando indigentiam ſeminis Heli in hoc, quod reliquiæ ſeminis Heli, cogente inopia, venient ad Pontificem illum ad adorandum, vt habeant aliquid pecuniæ, & aliquid panis.

LITERAL. Abul. 4 *Vt quicumque remanſerit de domo tua.* Abul. ibi. q.31. In Hebræo habetur aliter ſcilicet: *Quicumque remanſerit de domo tua veniat ad inclinandum pro ſe in obolo argenteo & torta panis.* Quod ſic exponunt Hebræi; quod Sacerdotes remanentes de ſtirpe Heli poſt ablatum Summum Sacerdotium de ſtirpe eorum venirent, & humiliarent ſe coram Sacerdote Magno, orantes vt ſeruirent in Templo quotidie pro pretio vnius nummi argentei, & tortæ panis. Sed non ſtat ſenſus ille; quia iſtud eſſet, ſi Sacerdotes de domo Heli priuati fuiſſent in minori Sacerdotio, ſed non fuerunt; quoniàm ipſi erant de ſtirpe Sacerdotum, & ſolùm fuit ablatum Summum Sacerdotium de domo eorum, ergo manſerunt in minori Sacerdotio: ſed omnes huiuſmodi Sacerdotes habebant iura ſua determinata, tam in Sacrificiis, quàm in cæteris iuribus, cùm dicatur Leuit.6. *Quod æqualiter diuidentur illa* per omnes filios Aaron, ergo filij Heli haberent iura Sacerdotalia, ſicut cæteri Sacerdotes, & non orarent, vt daretur eis torta panis, & vnus denarius pro miniſterio quotidiano.

LITERAL. Hieron. 5 *Veniat, vt oretur pro eo.* Hier. ſeu Autor tradit. Hebraic. Veniat, vt adoret eum, ideſt Sacerdotem Magnum, & accipiat ab eo nummum argenteum, & tortam panis.

LITERAL. Auguſt. 6 *Veniat, vt oretur pro eo.* Aug. lib.17. de Ciuit. Dei, cap.5.tom.5. Hoc non propriè de domo dicitur huius Heli, ſed illius Aaron de qua vſque ad aduentum IESV CHRISTI homines remanſerunt; de quo genere etiam nunc vſque non deſunt. Nam de illa domo huius Heli iam ſuprà dictum erat: *Et omnis qui ſupererit domus tuæ decidet in gladio virorum.* Quomodò ergo hic verè dici poteſt; *Et erit qui ſupererit in domo tua, veniet adorare ei.* Si illud eſt verum, quod vltore gladio nemo inde ſupererit; niſi quia illos intelligi voluit, non qui pertinent ad ſtirpem, ſed illius totius Sacerdotij ſecundùm ordinem Aaron? De talibus reliquiis benè intelligitur eſſe, de quo dictum eſt: *Qui ſupererit in domo tua* profectò credit in Chriſtum, ſicut temporibus Apoſtolorum ex ipſa gente plurimi crediderunt.

MYSTIC. Idem. 7 *Veniat, vt oretur pro eo.* Idem ibidem. *Veniet adorare ei obolo argenteo.* Cui adorare, niſi illi Summo Sacerdoti, qui & Deus eſt? Neque enim in illo Sacerdotio ſecundùm ordinem Aaron ad hoc veniebant homines ad Templũ, vel Altare Dei, vt Sacerdotem adorarent. Quid eſt autem, quod ait *obolo argenti*; niſi breuitate breuitate verbi fidei, de quo commemorat Apoſtolus dictum. *Verbum conſummans, & breuians faciet Dominus ſuper terram.* Roman. 9. Argentum autem pro eloquio poni Pſalmus teſtis eſt, vbi canitur: *Eloquia Domini eloquia caſta: argentum igne examinatum.* Pſalmus 11. Roman. 9. Pſalm. 11.

MYSTIC. Gregor. 8 *Veniat, vt oretur pro eo.* Gregor. ſupra cap.2. Tunc certè Iudæa pro ſe orari Dominum poſtulat, quando collectis iam electis de gentibus cæcitatis ſuæ tenebras non ignorat: cum per Sacerdotes omnipotentis Dei, ei offerri per confeſſionem Sanctæ Trinitatis appetit, quia in vetuſtate priſtina promereri gaudia non præſumit.

LITERAL. Abul. 9 *Veniat, vt oretur pro eo.* Abul. ibi. quæſt. 31. Hoc enim eſt, quia Summus Sacerdos orabat pro minoribus Sacerdotibus, quando peccabant; & quia iſti filij Heli non habebant iam de ſtirpe ſua aliquem Summum Sacerdotem, oportebat quòd venirent ad illos, qui erant de ſtirpe Sadoch.

MORAL. Mendoza. *Pœna filiorum Heli.* 10 *Veniat, vt oretur pro eo.* Franc. Mend. ibi. §.2. Quid miſerius? Nam qui antea erecto collo omnibus inſultabant, nunc curuato genu Summum Sacerdotem ex alia familia adorant. Qui antea de ſuo imperio gloriabantur, nunc ſeruire compelluntur. Qui antea rapinas exercebant, nunc tenuem ſtipem emendicant, atque adeò ex ſuprema opulentia in extremam inopiam rediguntur.

LITERAL. Author Catenæ. 11 *Veniat, vt oretur pro eo.* Autor Catenæ. Difficilis eſt vulgati cum origine Hebraica, Chaldaica, & Græca concordatio, cum ex his ſenſus hic deprehendatur à pluribus. *Qui ex domo tua reſiduus fuerit, in eas indigentia angustias deducetur, vt cum reuerentia, & precibus locet ſe Summo Sacerdoti in obſequium Templi pro tenui admodum victu, ſcilicet, obolo argenteo, & frustulo panis.* Vulgatus verò diſertum reddit ſenſum, videlicet. *Qui ſuperſtes fuerit ex domo tua, pro peccato ſuo, cùm deliquerit, opus habebit ad Sacerdotem Summum accurrere, vt ſe ab illo per orationem expiet oblato argenteo nummo, & torta panis, à quo etiam ſupplex contendat, ne ſe Sacerdotali munere exturbet, ex cuius fructibus victus ſui conſulat.* Poſterior autem hic ſenſus præferendus eſt, vtpote vulgato conformior, cui vni habenda fides; & hunc in ſenſum Hebraicus, & Græcus adducendus, cum Abulenſi eſt: Nimirùm: *Vt incurret, ſeu proſternat ſe ei, contendendo ab illo preces ad Deum pro expiatione ſui, orandóque, vt ſe in minoris Sacerdotij muneribus patiatur; vnde victum vtcumque emendicare poſſit.* Quæ omnia non immediatè, ſed poſt annos aliquot poſteris Heli euenerunt deturbato à Sacerdotio Abiatar, iuſſu Salomonis, eiuſque loco conſtituto Sadoch, qui à familia Heli alienus erat. Abul.

MYSTIC. Greg. 12 *Et offerat nummum argenteum.* Greg. ſuprà. In nummo imago Domini ſculpitur, vt eius eſſe cognoſcatur, à quo formari præcipitur. Nummus itaque Dei, ſimilitudo eius accipitur, vnde & in Geneſi 2. loquitur dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Et quia de ſacro eloquio Dei imaginem, & ſimilitudinem, ad quam redigamur, agnoſcimus, argenteus eſſe nummus perhibetur. Gen.2.

LITERAL. Lira. 13 *Et offerebat nummum argenteum.* Lira ibi. In Hebræo eſt. *Veniat ad inclinandum pro ſe in obolo argenteo.* Obolus autem eſt viceſima pars ſicli: vt habetur Exod.30. Exod 30.

LITERAL. Abul. 14 *Et offerat nummum argenteum.* Abul. ibi. q.31. In hoc apparet deiectio eorum, quia offerebant ipſi, ſicut populares. Non eſt tamen penitùs differentia

differentia in hoc, inter eos, & alios Sacerdotes, quia quandocunque aliqui de aliis Sacerdotibus peccabant, offerebant pro se sacrificium, & non immolabant ipsi, sed alius Sacerdos. Sed alij habebant de stirpe sua Summum Sacerdotem, qui pro eis immolaret, isti autem non.

LITERAL. Mendoza. *Nummus quid?* Plaut.

15 *Et offerebat nummum argenteum.* Francisc. Mend. ibi §. 4. Quidquid sit, certè inter expositores constat exigui ponderis monetam fuisse, & colligi potest ex illa querimonia Plautina in Pseud. *Nimis*, inquit, *sum miser: nummum nusquam reperire argenti queo.* Vbi suam miseriam exaggerabat, quòd ne tantulam quidem monetam inueniret.

LITERAL. Autor Catenæ. Vatab.

16 *Nummum argenteum.* Autor Catenæ. Pro nummo argenteo Vatablus, & Græca habent *obolum.* Est autem sexta pars dragmæ, vt quidam volunt: alij autem aliter. Mihi habeam non pro certa moneta, aut pondere hìc supponere, sed indeterminata, per quam minutissima hyperbolicè designetur, vt etiam torta panis, pro qua alij *frustum* transcripsère.

MYSTIC. Gregor. *Eucharistia adumbrata.*

17 *Et tortam panis.* Greg. suprà. Panis nomine ille exprimitur, qui de se ipso ait: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Torta itaque panis Redemptoris caro est affecta supplicijs; hunc namque tortum panem Propheta intuens ait: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Isaiæ 53. Isaiæ 53.

MYSTIC. August.

18 *Dimitte me obsecro ad vnam partem Sacerdotalem.* Aug. suprà. Nolo in patrum meorum collocari honore, qui nullus est; iacta me in partem Sacerdotij tui manducare panem: elegi enim abiectus esse in domo Domini, qualecumque, & quantulumcumque membrum esse cupio Sacerdotij tui. Sacerdotium quippe hic ipsam plebem dicit, cuius plebis ille Sacerdos est mediator Dei, & hominum homo Christus IESVS.

MYSTIC. Gregor.

19 *Dimitte me obsecro, &c.* Greg. suprà. Quasi dicat: noli me quasi infauem, & morte Redemptoris cruentatam repellere. Vnam quoque partem Sacerdotalem sibi concedi obiecrat; quia veris Sacerdotibus sociari desiderat, vt eorum valeat admisceri gaudiis.

MYSTIC. Interlin.

20 *Dimitte me obsecro, &c.* Gloss. Angelica ibi. Idest ipsam plebem Christo Sacerdote pollentem: Vnde. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*

LITERAL. Abul.

21 *Dimitte me obsecro, &c.* Abul. ibi q. 31. Isti Sacerdotes de domo Heli re quando offerùt pro peccato suo Summo Sacerdoti, precabantur, vt non haberent eos, tanquam Laicos, quibus non licebat comedere de his, quæ offerebantur pro peccato suo, sed dare, & eis saltem vnam partem Sacerdotalem, idest, vnum quid modicum de eo, quod offerebant, & pertinebat ad Sacerdotes.

MYSTIC. August. Eucher. Angelom. Ioann. 6.

22 *Vt comedam buccellam panis.* Aug. suprà. Quod addidit *Manducare panem*, etiam ipsum sacrificij genus eleganter expressit de quo dicit Sacerdos ipse: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita.* Ioann. 6. Ipsum est sacrificium non secundum ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech.

MORAL. Mendoza.

23 *Vt comedam buccellam panis.* Franc. Mend. ibi §. 8. Qui olim fastidiebant coctas sacrificiorum carnes, & extorquebant crudas, vt artificiosius conderent, nunc pro simplicis panis buccella humiliter precantes quantam in miseriam inciderint, ingenuè fatebantur.

METAPHRASIS

CAP. II.

Ex superiori Interpretum doctrina.

OR meum præ exuberanti lætitia, ex Dei beneficentia gestiuit: robur item & gloria mea in immensum exiuit: Quæque olim sterilitatis ignominia seriò conticui, & vix labia motitabam; iam in Phenennam, ciusque cognatos aduersarios meos propheticè loquendi audaciam sumpsi, quia in mœroris angustiis, susceptæ prole, salutem, & incolumitatem accepi. O quàm est iustus, æquus, & sanctus Dominus, mirabilium harum mutationum autor! Verè omnes iustitia, & sanctitate supereminet Deos. Quid autem Deos dico, cùm extra te Deus nullus nec deitate, nec adhuc vera existentia gaudeat, vti etiam nullus præter te omnipotens sit, vt adeò in me mira operatus fuerit? Proinde æmula mea Phenenna, & si qui alij, nolite nimium fortunæ credere: tumidis, & pungitiuis in sterilitatis meæ opprobrium verbis parcite. Deus enim futurorum euentuum exitus videt, & ab ipso vno humani conatus, ne eludantur, perficiuntur. Meum vos exemplum doceat. Ecce robur vestrum infirmatum est: depressi animi, arcúsque sterilitatis meæ, quo me vulneratis, suscepto fœtu, confractus est; ipsa ego è contra iam fœcunda prævalui, & virtute accingor: vox etiam qui voluptuosè olim epulabamini, mœrore affecti escas fastiditis: dum quæ olim præ angustia cibos non capiebam, iucundè reficior. Quid autem mirum? si, quæ sterilis quondam, fœcunda iam sum, & plurium filiorum aliquando parens extitura: tu verò Phenenna æmulatrix mea iis, quibus stiparis, orbaberis? Harum Deus autor est rerum vicissitudinum, qui mortis, vitæque arbiter, alterum neci dat, alterum vitæ restituit; eundemque ex omnibus vitæ euocatum discriminibus incolumitate donat, vt in vtriusque nostrum exemplis videas. Sic etiam humanas fortunas idem versat, qui te filiorum copia prædiuitem, eorundem inopia indigentem reddidit; me verò sterilitate, inopem filiorum gloria ditauit, & qui fastum deposuit tuum, honore me cumulauit; est enim illi in motibus ex decoro, & inopia ad regale solium quandoque euehere, & Principibus reddere consortem, vtpote qui terræ, cœlique conditor, ac rector est. Inde seruorum suorum consilia dirigit, impijs absque luce, & gubernaculo crebro impingentibus, quorum quidem inanis est potentia aduersùs Dei directiones. Iure igitur formident eum aduersarij eius peccatores; hostes etiam populi Israëlitici, quos super sonitrua, interdum fulguráque rotabit. Dirigit vtique pro libito humana omnia, etiam minutissima, & extrema, & nouo Regi Dauid, seu potiùs Christo venturo per ipsum adumbrato sublime imperium constituit, cuius potentiam in immensum exaltabit. Hæc Anna. Heli verò suscepto in vsum Tabernaculi Samuële puero vtique coniugi proficiscentibus benè imprecatus est. Retribuat, inquit, ô Helcana, Deus tibi filios ex Anna quamplures, vt rependat fœnus pro paruulo, quem Tabernaculi officiis addixistis. His peractis vna cum viro, & familia rediit Anna domum suam in Ramatha constitutam, Samuele in Templo relicto; vbi superhumerali

merali lineo accinctus, quo minores vtebantur Sacerdotes, leuioribus Tabernaculi officiis inseruiebat, eique quotannis mater, religionis, & sacrificij gratia vnà cum viro rediens, vestium supellectilem impendebat. Concidit autem Samuëlis innocentia cum peruersa filiorum Heli malitia, qui effræni, & totius legis impatientes, & Deum contemnebant, & officium Sacerdotale corruperant, eo ad rapinas, & auaritiam abutentes. Dum enim coquerentur carnes, vt ad pacifica sacrificia appararentur, ecce aderat alteruter eorum, vel ipsorum minister, fuscinula tridenti armatus, quam in vasa omnia aëna in incertum immittens, quidquid substraheret subripiebant sibi; nec iuri suo in vnum pectuiculum victimæ, & armum dextrum, attendentes, nec horæ, cùm ante oblationem libarent omnia, sacras cæremonias proterentes; quæ indiscriminatim in omnes sacrificantes committebant. Quòd si nondum caro coqueretur, crudam ante oblationem exigebant, immò ante adipis separationem, qui vni Deo iure congruebat, vt lautiùs sibi appararent; nec offerentis proderat resistentia, non quidem negantis, sed tantum carnis traditionem differentis, quousque Deo incenderetur adeps; additis enim minis, & indicta violentia ab ipsis extorquebant. Hinc enormitas criminis Deo ipso Iudice; inde autem specialiùs enitet, quòd Israëlitæ scandalum passi, sacrificia contemnentes, vel etiam execrantes ab illis libenter abstinebant. Anna verò domum reuersa tres quidem filios, filias autem duas, diuina indulgente liberalitate peperit, quos inter vnus Samuël penes Dei iudicium facilè excelluit. Tempore hoc, Heli nimia senectute grauatus nouit tandem ex populi querela suorum flagitia filiorum; tum maximè, quòd fœminarum ad ostium Tabernaculi religionis, orationisve causa confluentium, & interdum pernoctantium, pudicitiam prosternerent, siue eas vi, seu industria conciliarent. Quos pater his verbis, nimis tamen molliter reprehendit. Quæ sunt hæc filij, quæ mihi querulus populus refert? Absint, rogo vos, à vobis; pessimus siquidem spargitur rumor, ex prauo vestro exemplo, & commissis, populum diuinas leges infringere. Cauete, quæso; nec enim eiusdem sunt rationis vestra, ac populi delicta, cùm vos Deum immediatè, ac directè lædatis, vbi difficilis admodùm venia, & intercessor est: populus autem si deliquerit, intercessore gaudet Sacerdote. Hæc illi parentis monita nihili faciebant, ne diuinam vltionem irritam redderent. Samuel interdum in Tabernaculo ætate, & probitate proficiebat, Deo, & hominibus gratiosus. Accidit autem, veniret ad Heli incognitus Propheta à Deo missus, vt hominem desidem obiurgaret, minisque terreret, qui Dei nomine his cum adortus est. Nónne, inquit, patri tuo Aaron voluntatem meam notam in Ægypto quondam feci, dum populus Pharaoni deseruiret, & de ipso tam tunc benè tum meritus, quem ex omnibus Israelis Tribubus Sacerdotem mihi ipse constitui, vt in holocaustorum altari vnus mihi ministraret, superhumerali accinctus; cui item partem ex oblatis victimis adscripsi? Quare ergo religionem, sacráque mea, quæ obseruari iussi, tu, filiique tui spernitis, vel bestiarum more conculcatis, impiumque filiorum amorem imperio meo prætulisti, lucris per omnia intentus? Quapropter ipse ego, qui aliquando decreueram, vt familia tua, & domus Aaron patris tui, Summi Sacerdotij in æternum munere fungerentur; dummodò debitis officiis non deessent, statutum reuoco, promissum dirimo, & nouissimè decerno eos, qui me honore afficient, ordinis, vel naturæ cuiuscunque sint, honore Sacerdotij afficiendos esse: eos verò, qui muneris abusione meam spreuerint maiestatem, dedecore, & infamia contemnendos, & Sacerdotij munere deturbandos. Dies igitur vltionis meæ iam instant, & imminuam tunc vitale filiorum tuorum robur, itaut, nullus ex tuis posteris ad senectutem perueniat. Tum videbunt ipsi, & tu in ipsis, æmulu tuum Sadoch ad Summum eleuatum Sacerdotem, prosperitate, & gloria perfruentem: ex illis verò nullus vnquam Pontificatu potietur, sed minorum tantùm Sacerdotum munera obibunt; id verò non honoris gratia, sed pœnæ, vt cùm alium in eorum locum suffectum videant, præ dolore tabescant; quorum etiam pars maxima iuuenili flore marcescet. His minis, vt fidem habeas, habebis nuper signum. Ecce enim filij tui Ophni, & Phinees, vna die gladio cadent. Ipse autem mihi suscitabo Sacerdotem firmum, & stabilem, qui iuxta voluntatem, studiúmque meum conuersabitur in sempiternum coram Regibus Israël; huius quoque posteritatem, & familiam firmam, & immutabilem reddam, tibi verò secùs; si quis enim ex te residuus fuerit, pro peccato suo, cùm deliquerit, opus habebit ad Sacerdotem Summum accurrere, vt se ab illo per orationem expiet, oblato argenteo nummo, & torta panis, à quo etiam contendat supplex, ne se à sacerdotali munere exturbet, ex cuius prouentibus victui suo vtcumque consulat.

LIBRI

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS.

SAMVEL sub matutinam lucem bis, & tertio à Deo, dum dormiret, euocatus, ad Heli, à quo acciri se crediderat, accurrit. Is verò, cùm nullus præter Samuelem esset in Tabernaculo, Dei vocem suspicatus, monet puerum, vt cùm vox illa iterum insonet, respondeat, paratum se ad audiendum, & obtemperandum adesse: quod cùm ille iterum vocante Domino, exequeretur, audit Deum significantem in Heli, eiusque familiam supplicium se, ac ruinam decreuisse. Id Samuel, cùm ex Sacerdotis obseruantia subticere statuisset, eius tandem seuera adiuratione adactus, rem totam exponit, quam Heli, Deo per omnia subiectus, non repugnanter excepit; nec exitu minæ caruerunt. Ex eo autem tempore alia Samuel quammulta propheticè prædixit, quorum quod nihil inane excidit, eius fama vbique percrebuit.

CAPVT TERTIVM.

1 PVer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta. 2. Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant: nec poterat videre: 3. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei. 4. Et vocauit Dominus Samuel. Qui respondens, ait: Ecce ego. 5. Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocasti enim me. Qui dixit: Non vocaui: reuertere, & dormi. Et abiit, & dormiuit. 6. Et adiecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel, abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego: quia vocasti me. Qui respondit: Non vocaui te fili mi: reuertere, & dormi. 7. Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei sermo Domini. 8. Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuelem tertiò. Qui consurgens abiit ad Heli, 9. & ait: Ecce ego: quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum: & ait ad Samuelem: Vade, & dormi: & si deinceps vocauerit te, dices: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Abiit ergo Samuel, & dormiuit in loco suo. 10. Et venit Dominus, & stetit: & vocauit, sicut vocauerat secundò, Samuel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. 11. Et dixit Dominus ad Samuelem. Ecce ego facio verbum in Israel: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius. 12. In die illa suscitabo aduersum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius: incipiam, & complebo. 13. Prædixi enim ei quod iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eo quod nouerat indigne agere filios suos, & non corripuerit eos. 14. Idcirco iuraui domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum. 15. Dormiuit autem Samuel, vsque mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli. 16. Vocauit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi? Qui respondens, ait: Præsto sum. 17. Et interrogauit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celaueris me, hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem, ex omnibus verbis quæ dicta sunt tibi. 18. Indicauit itaque ei Samuel vniuersos

sermones, & non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat. 19. Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. 20. Et cognouit vniuersus Israel, à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini. 21. Et addidit Dominus vt appareret in Silo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini. Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israëli.

VERSVS PRIMVS.

Vulgata. *Vulgata.* Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli; & sermo Domini erat pretiosus: In diebus illis non erat visio manifesta. *Textus Gloss. in margine.* Sermo Domini erat *rarus.*

VERSIONES.

Pagn. *Hebaica ex Xante Pagnin.* Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli. Et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis. Non erat visio aperta.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatab.* Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini pretiosus erat in diebus illis, neque visio manifesta.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et puer Samuel ministrans ante Dominum in vita Gheli, & verbum Domini erat absconsum in diebus illis, non erat prophetia manifesta.

Complut. Regia. *Graca ex Septuaginta in Complutens. & Regia.* Et puer Samuel erat ministrans Domino coram Heli Sacerdote. Et sermo Domini erat pretiosus in diebus illis. Non erat visio distinguens.

Sixtia. *Graca ex Sept. in Sixt.* Et puer Samuel erat ministrans Domino coram Heli Sacerdote, & verbum Domini erat pretiosum in diebus illis, non erat visio distinguens.

Chrysost. *Chrisostom. lib. 3. de Prouidentia ante medium tom. 5.* Non erat visio discriminans, verbúmque pretiosum. *Idem serm. Ne desperemus si in operando tardi fuerimus tom. 5.* Erat enim pretiosum verbum, neque enim erat visio distinguens. *Idem libr. 3. aduersus Vituperator. Vita Monast. tom. 5.* Non enim erat visio comprimens, & verbum pretiosum non erat. *Idem in cap. 3. Isaia tom. 1.* Verbum enim pretiosum erat, & non erat visio distinguens. *Idem serm. 5. de Verbis Isaia. Vidi Dominum tom. 1.* Verbum pretiosum erat, nec erat visio præcipiens. *Idem hom. 2. In cap. 2. Epist. 1. ad Thessal. tom. 4.* Erat enim pretiosum, & carum verbum Domini, nec erat visio certa, & explicata.

Lira. *Liran. ibi. In Hebreo habetur hic.* Sermo Domini erat prohibitus, vel obturatus.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Gregor. 1 *Puer autem Samuel ministrabat Domino.* Gregor. lib. 2. Variat. Expositi. cap. 4. Illud hoc loco repetisse ostenditur, quod de electo puero superius memoratur. Pro fastidio itaque Lectoris explanationem taceamus, repetitionis verò causam dicemus ad eius vtilitatem. Quidam namque Prælatorum S. Ecclesiæ magisterio subditi rudes obediunt; sed cùm paulò altiùs per conuersationem proficiunt, in eadem obedientiæ humilitate nequaquam persistunt; quos benè Agar Saræ ancilla spiritualiter designat, quæ cùm de Abraham viro eius concepisse se vidit, dominam despexit.

Mystic. Angelom. 2 *Puer autem Samuel ministrabat Domino.* Angelom. in Stromatib. Quia vnigenitus Filius Dei Patris, quem per Samuelem significari diximus, quia interpretatur nomen eius Deus, in omnibus voluntatem Patris apparens in carne exhibuit, sicut ipse ait. *Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me, Patris.* Ioan. 4. Vnde benè agit coram Heli, quia Sacerdotium Iudæorum mox noluit destruere, antequam verum Sacerdotium appareret.

Literal. Clarius. 3 *Puer autem Samuel ministrabat Domino.* Isidor. Clar. in Comment. Ministerium illud fuit studium legis diuinæ: cognitio Domini: cantare ore, & ludere instrumentis musicis.

Mystic. Beda. 4 *Puer autem Samuel ministrabat Domino.* Beda libr. 1. Expositi. Allegor. cap. 8. Puer qui natus est nobis in carne, cernentibus Iudæorum Sacerdotibus per se, perque suos euangelizantes Discipulos Ecclesiæ primitiuæ sua dona ministrabat.

Literal. Abul. 5 *Puer autem Samuel ministrabat Domino.* Abul. ibi. q. 1. Idest, erat in ministerio domus Dei, scilicet, claudendo, & aperiendo portas; vt patet infrà, & faciendo quæcumque imperantur. Et hoc erat coram Heli, idest, ad mandatum Heli, quia quidquid ille imperasset in cultu domus Dei, faciebat Samuel. Præmittitur autem hoc propter duo. Primò ad designandum locum, in quo facta est reuelatio, scilicet, in Sanctuario apud Arcam, vbi dormiebat Samuel ad mandatum Heli. Secundò ad designandum quomodo fuerit notificata ad Heli, scilicet, quia denunciabat ei Samuel, cùm esset minister eius, faciens quidquid iuberet Heli.

Literal. Caiet. 6 *Puer autem Samuel ministrabat Domino.* Caietanus ibi. Tertiò repetitur ministratio Samuelis, ad narrandum perseuerantiam eius in officio sancto.

Tropol. Rangol. 7 *Puer autem Samuel ministrabat Domino.* Rangol. ibi. Ministrabat igitur; idest non illum Heli negligenter habebat, aut otio, atque inertia egregiam indolem corrumpi sinebat; sed iustis laboribus augurijsque exercebat. Sic namque debet eos, quos cupimus ad virtutis apicem euehere maturè in palæstram deducere, sedulóque probare, vt certare discant, seque ipsos, atatemque suam animi robore superare. Vtrumque prudentissimum monet S. Isidorus Peluſiota lib. 1. epist. 258. *Monastica vita tyrones*, inquit, *nec regula iugo onerare immodicè oportet, ne statim in ipsis præludijs animus frangantur, ac deficiant: Nec rursus indomitos ac laboris expertes relinquere, ne in socordiam & ignauiam prolabantur.*

Literal. Mendoza. 8 *Puer autem Samuel.* Francisc. Mendoza ibi. §. 2. Dicitur Samuel puer, & secundùm historiam, & secundùm mysterium. Secundùm historiam quidem, quia exiguæ erat ætatis; nam in Hebræo

Hebræo est נער Naghar, in Græco παιδάριον, quæ vocabula plerumque pro iuniore vsurpantur.

HISTOR. Auth. Cat. Ioseph. Zonar. Suidas. Cedren. Torniellus. Philo. Hebræi. Chrysost. *Samuel quotum annum agens.*

9 *Puer autem Samuel.* Author Catenæ. Incertum est quorum Samuël annum tunc ageret. Probabilius est, duodecimum, vt affirmat Iosephus lib. 5. Antiquit. Iudaïc. cap. 11. quem sequuntur Zonaras, Suidas, Cedrenus, Torniellus, & alij contra Authorem Antiquit. Biblic. asserentem octauum solum tunc egisse. Hebræi autem quadragesimum iam attigisse inepte affirmant, cùm Historico, & plano Scripturæ testimonio repugnent, quæ puerum non diceret virum quadraginta annorum. Præterquam quod PP. & Interpretes puerum iam adolescentem dicunt. Chrysostomus autem *in primæva ætate* Deum ipsi apparuisse asserat; *& antequam ad viriles annos euaderet.*

TROPOL. Gregor.

10 *Coram Heli.* Gregor. suprà. Ecce Heli, aperta Dei sententiâ, de negligentiæ suæ perpetrata culpa reprehenditur, sed puer Domini Samuël coram eo ministrasse Domino memoratur; vt profectò apud se colligat, qualis sit, qui in leuiori culpa sibi Prælatum despicit, si ei se Samuel obediendo subdidit, quem omnipotens Deus sui examinis tanta districtione reprobauit.

MYSTIC. Idem.

11 *Coram Heli.* Idem lib. 3. Variarum cap. 1. Coram Heli Samuël ministrare Domino aptè dicitur, quia electi S. Ecclesiæ Prædicatores, dum statum nouæ fidei prædicando erigerent, quod ratione asserere conati sunt, PP. Veterum autoritate firmauerunt.

TROPOL. Æphrem.

12 *Coram Heli.* Æphrem Syrus serm. de Timore Dei. Noli peccare, & patrem tuum ne causeris, atque prætexas, nam Samuël apud Heli permansit, & Giesi apud Elisæum.

TROPOL. August. *Contubernium non obest.*

13 *Coram Heli.* August. Epist. 161. ad finem. Tolerat Dauid Saülem persecutorem suum, & sceleratis moribus cœlestia deserentem, & magicis artibus inferna quærentem. Tolerat Samuël nefandos filios Heli, peruersósque filios suos. Cum quibus tamen illius temporis Sacramenta communicantes, non solùm non inquinabantur, sed etiam laudabiliter sustinebant.

LITERAL. Vatabl.

14 *Coram Heli.* Vatabl. in Scholiis. Id est, præmonstrante, & instruente eum Heli.

LITERAL. Hieron.

15 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Hier. seu Author Tradit. Hebraïc. in lib. 1. Reg. cap. 2. Pretiosus dicitur, quia perrarus erat: omne enim quod rarum est pretiosum est. *Non erat visio manifesta*, quia Prophetia non planè manifestabatur.

MORAL. Idem. Carth.

16 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Idem apud Carthusian. ibi. art. 3. Prædicatio si rara est, non sufficit: si assidua vilescit.

TROPOL. Gregor. *Malus Prælatus quis?*

17 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Greg. lib. 2. Variar. cap. 2. Pretiosus sermo erat, quia cùm ratus esset, qui summa contemplando cerneret, frequens esse non poterat, qui bona loquendo prædicaret. Quod nunc quoque in S. Ecclesia fieri videmus, quia dum plerique de reuerentia culminis gloriam affectant honoris: dum sacri ordinis ministeria negligunt, summa, quæ videre nequeunt, subiectis plebibus prædicare non possunt, atque in eorum familia pretiosus sermo esse cognoscitur, quia rarò bonæ prædicationis horti munera audiunt, quorum Prælati ex desiderio non quærunt superna, quæ prædicent, sed terrena, quæ agant.

MYSTIC. Idem.

18 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Idem lib. 3. Variar. cap. 1. Tum quidem sermo Domini pretiosus fuisse perhibetur; pretiosa quippe res paruo pretio emi non potest. Pretium autem, quo sermo Dei emitur, labor est sanctæ operationis; velut enim rem, quam habere volumus, pretio emimus; cùm per sermonem prædicationis, quem accipimus laborem, operis exhibemus. Tunc autem erat sermo pretiosus, cùm pro qualicunque labore operis non dabatur. Cùm omnis, qui emptorem sermonis interficiebat, obsequium Deo se præstare cogitabat.

MYSTIC. Angelom.

19 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Angelom. in Stromatib. Quia prædicatio Christi fidelibus amabilis, atque pretiosa erat, infidelibus verò despecta.

LITERAL. Rupert.

20 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Rupertus lib. 1. Comment. cap. 12. Rarus, & pene nullus erat, qui sermonem Dei volentibus audire loqueretur.

LITERAL. Chrysost.

21 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Chrysost. lib. 3. de Prouidentia cap. 5. Is à puero nutritus in Templo, Deo semper carus, & gratissimus fuit, tantáque virtutis indicia à prima statim ætate prætulit, vt antequam ad viriles annos euaderet, inter mirabiles Prophetas inscriberetur, idque, cùm ea res tunc defecisse omnino videretur. *Non* enim *erat*, inquit, *visio diriments, verbumque pretiosum.*

MYSTIC. Beda.

22 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Beda suprà. Sermo Domini erat eo tempore sui raritate pretiosus; quia *messis quidem multa, operary autem pauci.* Nec erat Pharisæus Scriba, vel Sacerdos, qui visiones occultas, & dicta Prophetarum manifesta populis expositione referaret.

LITERAL. Abul.

23 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Abul. ibi. quæst. 1. ponitur istud ad reddendum causam quare Samuël non cognouit Deum loquentem ad se ter; sed putabat se vocari ab Heli, scilicet, quia erat sermo Domini pretiosus, id est, inusitatus ita, vt forte tempore Samuël, ipse non audiuisset de aliquo, quomodò loqueretur ei Deus.

LITERAL. Carthus. Lira.

24 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Carth. ibi. art. 7. Scribit Lira propter malitiam filiorum Heli, & negligentiam patris eorum in corrigendo cessauerunt reuelationes, & responsiones Domini; contra quæ obiici potest, quia, vt dicunt Thomas, & alij, quamuis interdum puniat Deus vnum pro peccato alterius in temporalibus, non tamen in spiritualibus. Denique temporibus Manasse Ammon, & filiorum Iosiæ erat multò maior iniquitas Sacerdotum, immò & populi; quàm tempore isto Heli, & tamen tunc erant multi, & magni Prophetæ, & visiones apertæ, vt patet infrà. 4. Reg. 22. Thomas. 4. Reg. 22.

MORAL. Carth. Luc. 10. *Prædicator pravus quis?*

25 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Idem ibid. art. 8. Hoc est, quod ait in Euangelio Christus Luc. 10. *Messis multa, operary autem pauci.* Nam etsi sint multi, qui verbis abundant, pauci tamen inueniuntur in quibus vita, & mores verbis prædicationis concordent. Idcircò eorum sermo contemnitur, nec dignus est sermo Domini appellari, cùm potiùs sit locutio vanitatis, & verbum cupiditatis, quàm charitatis, & rectæ intentionis.

LITERAL. Burgens.

26 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Paulus Burgens. ibi. In Hebræo, hoc loco ponitur hæc dictio *Iachar*, quæ nihil aliud sonat, quàm pretiosum; vnde translatio nostra in hoc loco propriè se habet, nec indiget alia reductione.

LITERAL. Caiet.

27 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Caietan. ibi. Non venalis significatur Sermo Domini, sed carus, quemadmodum pretiosa non vili penduntur, sed sunt nobis cara. Ratio autem, quare sermo Domini erat tunc temporis carus, subiungitur, *quia non erat visio manifesta.* Et hinc habes quod de sermone

Prophetico dicitur, quòd erat carus, & non de sermone doctrinæ, nam visio manifesta ad prophetiam expectat. Erant itaque tunc temporis, & apparitiones in somnis, extales in vigilia, & inspirationes internæ, sed non visiones tales, quæ essent manifestæ reuelationes diuinæ.

LITERAL. Sanctius. 28 *Et sermo Domini erat pretiosus.* Gaspar Sanctius ibi. num. 2. Sanè toto tempore, quo Israëlitidi genti præfuerunt Indices vix vllum, aut alterum inuenies, per quem Deus hominibus quid factum vellet, aut quid factum esset, aperiret. Ego duos tantùm reperio Iudic. 4. 4. & c. 6. 8. Deboram prophetidem, & cap. 6. 8. Prophetam alium, cuius sibi nomen non legimus; imò hunc August. quæst. 13. in Iudices, Angelum esse putat. An alius fuerit eo sæculo Propheta, non constat.

Iudic. 4. 4. & c. 6. 8.

August.

MORAL. Chrysost. 29 *Non erat visio manifesta.* Chrysost. in cap. 3. Isaiæ tom. 1. Non parua est species hæc indignationis diuinæ, quòd Prophetarum oracula defecerint, quandoquidem Deus auersatus est Iudaicum populum propter peccata filiorum Heli, obque populi nequitiam deficit Prophetia.

TROPOL. Gregor. 30 *Non erat visio manifesta.* Greg. lib. 2. Variar. cap. 4. Nam dum Rector agenda, quæ nouit, despicit, agitur cum eo districto iudicio, vt agenda non videat, quia implere noluit quod videbat. Manifesta namque visio negligentis Pastoris non est, sed amantis. Vnde & per seipsum Veritas dicit. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.*

Ioan. 14.

HISTOR. Angel. 31 *Non erat visio manifesta.* Angelom. in Stromatib. cap. 3. Propter peccata enim populi, & eorum, qui præfuerunt populo, iam non manifestabantur visiones, sicut patribus eorum.

LITERAL. Abul. 32 *Non erat visio manifesta.* Abulensis ibidem. Ad eandem sententiam pertinet, scilicet, quòd visio Dei in reuelatione prophetica non manifestabatur alicui.

MORAL. Mendoza. 33 *Non erat visio manifesta.* Franciscus Mendoza ibidem §. 51. tom. 2. Vt hinc Samuëlis sanctitas clarior eluceret, quàm Deus cæteris à suo eloquio excluſis propter effusam illius temporis malitiam; tamen propter singularem pueri sanctitatem ad suum colloquium familiariter aduocabatur.

VERSVS II.

Vulgata. VVlgata. Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre.

Benedict. *Benedic.* Nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et fuit in die illa, Heli dormiebat in loco suo, & oculi eius inceperant caligare, non poterat videre.

Vatab. *Hebraica ex Franciscum Vatab.* Factum est autem quodam tempore, vt Heli iaceret in loco suo (oculi autem eius incipiebant caliginosi esse, itavt videre non posset.)

Arias. *Chaldaica ex Benedict. Arias. in Regia.* Et fuit in die illo, vt Gheli cubans in loco suo, & oculi eius cœperunt ad caligandum, & non potens ad videndum.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et factum est in die illa, & Heli dormiebat in loco suo, & oculi eius inceperunt caligare, & non poterat videre.

Sixtiana. *Græc. ex Septuag. in Sixtiana.* Et factum est in die illa, & Heli dormiebat in loco suo, & oculi eius cœperant grauari, & non poterat videre.

Caietan. *Caietan. ibi ex Hebræo.* Et fuit in die quadam, Heli dormiebat in loco suo, & oculi eius inceperant caligare: non poterit ad videndum, & lucernam Elohim ante extingueretur.

Hunnæus. *Codex Augustini Hunnei apud Brugens.* Nec poterat videri lucerna Dei.

Mendoza. *Franciscus Mendoza ibidem. §. 25. tom. 2.* In his verbis transferendis, & dispungendis triplicem inuenio diuersitatem. Primo nonnulli Codices Latini iungunt hæc verba: *Nec poterat videre* cum sequentibus sic. *Nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Ita legunt S. Ephræm in Apolog. de Heli, D. Isid. in Epistol. ad Messanum de Lapsu Sacerdotis, & D. Bonauent. in cap. 12. Ecclesiast. Quibus nec parum fauet Dionysius, Carthusianus, & in hac lectione Rupertus, Eucherius, Rabbanus, Beda, Angelomus, Hugo Cardinalis, Caietanus, & Abulensis magis conquiescunt. Immò Marianus, Victorius Interpres Diui Hieronymi lib. 1. aduersus Iouinian. numero 44. Eos, qui aliter legunt, vocat *non intelligentes.* Eodem modo legit Erasmus. Secundò alij ita coniungunt hunc versiculum cum sequenti, vt nomen *lucerna* in primo casu nominandi retineatur; quòd adhuc faciunt dupliciter actiuè & passiuè. Actiuè quidem sic. *Nec videre poterat lucerna Dominì,* (scilicet Heli:) passiuè autem: *Nec videri poterat lucerna Domini* (scilicet ab ipso Heli.) Tertio tandem modo alij sic transferunt, & interpungunt: *Nec poterat videre.* puncto hic infixo tanquam hîc sententia finiatur. Deinde pergunt. *Lucerna Dei antequam extingueretur, &c.* Ita est in fonte Hebræo, Chaldæo, & Græco, & quod litem perorat, in Latina editione nouissimè correcta, à qua discedere non licet. Atque ita legunt Diuus Hieronymus 1. contra Iouinianum Author. qq. Hebraïcarum, Magister Historiæ, Theodoret, Procopius, Hugo Victorin. in Annotationibus, Isidorus Clarius, Lira, Lucas Brugensis, Georgius Venetus, Nostri Mariana, Serar. Salian. plurésque alij.

Mendoza. Hier. Author qq. Hebraic. Comest. Hugo Vict. Clarius. Lira. Brugens. Venetus. Marian. Serari. Salianus. Richard. Berchor. Epanort. Brug. Fortun. Beyerl. Brug.

Author Catenæ. Antiquiores Bibliæ iungunt illa verba. *Nec poterat videre,* cum sequentibus, *lucernam Dei antequam extingueretur,* Sic etiam textus Glossæ adiunctus, & Benedict. & præter citatos à Mendoza, Richardus de S. Laurentio libro 11. de Laudibus Mariæ Virginis. Berchor. libro 9. Moralitate cap. 8. & Epanorthotes eam lectionem testatur apud Brugensem. Cæterùm moderniores, & correctiores ita dispungunt, vt componant duos versus in hunc modum. *Nec poterat videre.* Deinde faciunt principium versiculi alterius, & *lucernam* in nominatiuo constituunt, & expungunt etiam coniunctionem *autem* sequentis versus in hunc modum: *Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuël dormiebat in Templo Domini, vbi erat arca Dei.* Sic Vulg. Fortunati Fanensis, sic etiam Anturpiensis Laurentij Beyerlinek ann. 1616. quibus credendum est, non solùm vt nuper correctis, sed quòd textui Hebraico, & Græco concordent. Vide Lucam Brugensem in Notationib.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Hieron.

1 *Factum est ergo die quadam.* Hieron. seu Author Tradit. Hebraic. ibi. Factum est verò in die quadam, Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre; hic enim distinguendum est, & posteà inferendum; & antequam lucerna Dei extingueretur, Samuel autem dormiebat.

LITERAL. Gregor.

2 *Factum est ergo in die quadam.* Gregor. lib. 2. Variar. cap. 4. Positione diei, eius ostenditur magnitudo cæcitatis, quia profectò magnas tenebras habuit, qui in die non vidit.

MYSTIC. Greg. *Salomon quare nocte accepit sapientiam.*

3 *Factum est ergo in die quadam.* Idem ibidem. Notandum quod, id quadam die factum ostenditur, in qua videlicet Heli in loco suo iacere, & videre non posse perhibetur. In die namque vocatur, qui pro sua, & aliorum salute ad supernæ sapientiæ scienda secreta sustollitur. Quo contrà & Salomon sapientiam in nocte percepit, vt caligo temporis indicaret, quia eandem sapientiam, non perseueratus acciperet.

LITERAL. Mendoza.

4 *Factum est ergo in die quadam.* Francis. Mendoza ibi §. 1. Vulgarissimus Hebraismus est; nec est aliud, quàm quidam nexus, quo antecedentia cum consequentibus iunguntur.

TROPOL. Gregor. *Prælatus stet, & vigilet.* Luc. 22.

5 *Heli iacebat in loco suo.* Gregor. suprà. Locus prædicatoris standi, non iacendi officium habet. Vnde, & de seipso Dominus formam eisdem Prædicatoribus præbet, dicens: *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat.* Luc. 22. Stare enim in medio fratrum, est per laboriosam conuersationem se in exemplum minoribus præbere. Stare itaque ad laborem operis pertinet, & ad pugnæ necessitatem. Vnde, & Agonotheta spiritualis certaminis præcipit dicens: *State ergo succincti lumbos in veritate.* Et quia iacere, quietis est in loco prælij, & laboris, quietis teporem sequi reprehenditur, qui in loco suo iacere memoratur. Ephes. 6.

MYSTIC. Greg.

6 *Iacebat in loco suo.* Idem lib. 3. Variar. cap. 1. Heli ergo iacebat in loco suo, quia & litteram legis habet, & in lege, & Prophetis non habet lucem luminis, sed lapsum cæcitatis; locus namque Heli videlicet Iudaici Prædicatoris sacra lex est.

LITERAL. Abul.

7 *Iacebat in loco suo.* Abul. ibi. ante quæst. 1. Non est sensus, quòd esset in aliqua domo extra Sanctuarium, vbi morabatur familia sua; sed erat intra Sanctuarium in aliquo loco determinato sibi: quod patet, quia si fuisset extra, non putauisset Samuel se vocatum esse ter ab Heli, nec toties ad eum cucurrisse, sed immediatè, vt vocabatur, currebat ad Heli: ergo erat Heli intra atria Templi.

LITERAL. Vatab.

8 *Heli iacebat in loco suo.* Vatabl. in Schol. Idest, in interiori parte atrij, quæ erat propinquior Tabernaculo Domini in interiori, seu penitiori parte atrij, hoc est in propinquiori Tabernaculo dormiebant Sacerdotes: in posteriori Leuitæ, quæ magis aberat à Tabernaculo.

LITERAL. Mendoza. Iob. 7. Genes. 28.

9 *Heli iacebat in loco suo.* Francis. Mendoza ibi §. 2. Verbum שכב Sacab, quod est in fonte non solùm significat cubare, sed etiam dormire. *Ecce nunc in puluere dormiam.* Iob. 7. 20. *Si dormieritis inter medios Cleros.* Psalm. 67. 14. *Terram, in qua dormis, tibi dabo.* Genes. 28. 13. Quibus in locis idem verbum reperitur.

LITERAL. Salian.

10 *Heli iacebat in loco suo.* Salian. tom. 3. Annal. ann. mundi. 2913. num. 6. Existimo probabilius Samuelem Pontifici dilectum, & illi familiariter ministrantem in eadem cum illo domo, quæ Sanctuario adiacerer, fuisse versatum, vt posset toties ad eum, & quidem eadem, vt videtur, nocte recurrere.

LITERAL. Author Catenæ.

11 *Heli iacebat in loco suo.* Author Catenæ. Domi, videlicet suæ, quæ vel continua, vel contigua saltem erat Tabernaculo, cùm intra Sanctuarium non liceret, vt plures docent, etiam Sacerdotibus, aut Leuitis habitare. Vide vt sequent.

LITERAL. Mendoza.

12 *Heli iacebat in loco suo.* Francis. Mendoza ibi §. 2. Cùm Heli grauissimo doloris diuinæ comminationis telo paulò ante percussus sit per virum Dei, qui ad eum arguendum missus est, non sine mysterio dicetur, initio huius capitis dormire: duplici de causa, ni fallor: Vna, ad ostendendum eius tristitiam ex illa comminatione susceptam: solet enim tristitia somnos conciliare. Altera, ad MORAL. ostendendam negligentiam, & remissionem animi, qui tam grauibus minis, veluti quibusdam tonitruis, de cœlo territus, non vigilarit.

MORAL. Greg. *Prælatus lucerna Dei.*

13 *Et oculi eius caligauerant.* Gregor. lib. 2. Variar. cap. 4. Iacentis in loco suo oculi caligant, quia summa videre nequeunt, qui in arce Pastoralis culminis non exequuntur virtutis opera, sed remissioris vitæ blanditiis immerguntur. Qui profectò lucerna Dei iam non veritate laudis, sed per improperium appellatur derisoris. Nam qui lucernæ Dei appellatione fungitur, & videre non posse perhibetur, deridetur potiùs tanto nomine, quo censetur.

HISTOR. Angelom. ALLEG. MYSTIC.

14 *Et oculi eius caligauerant.* Angelom. in Stromatib. cap. 3. Præ nimia senectute oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, cùm arderet in Tabernaculo, antequam lux diurna fieret, cùm eadem extinguenda erat lucerna, sicut per Moysem præcipitur Exod. 27. siue hoc significat quòd in cæcitate sua ipse Heli permaneret, donec funditùs cum plebe sua extingueretur, hoc est, vita careret corporali. Mysticè autem cæcitas Heli significat cæcitatem cordis Iudæorum. Lucerna quippe Dei, Dominus Noster intelligendus est. Scimus enim quia in lucerna testa exteriùs, & lumen interiùs est. Ipse namque per Prophetam dicit: *Exaruit velut testa, virtus mea.* Psalm. 21. Quid per testam, nisi corpus illius accipitur? In qua testa lumen diuinitatis extitit, & flamma virtutum, atque miraculorum effulsit: cuius vtique virtutes, atque miracula, Principes, seu Sacerdotes Iudæorum, dum credere contempserunt, veritatis lumen in eis extinctum est. Psalm. 21.

MYSTIC. Cassia.

15 *Et oculi eius caligauerant.* Simon. de Cassia lib. 7. cap. 4. Si allegorias respicimus; defectum synagogæ in isto homine cognoscimus. Si mores; alius offertur modus dicendi: Senex erat Heli, & præ senectute *oculi eius caligauerant.* Qui sunt, qui senes sunt, nisi qui mundum diligunt inueteratum? Qui qualibet florida ætate vernantes, si mundo senescente delectantur, si eius amplexibus adnectuntur; eo ipso senescunt, & caligant interiores oculi, vt lucernam Euangelij, dissuadentem hominibus mundi delectationem, & prohibentem amplexum; videre non possint nisi priùs extinguatur: Cuius tamen lumen, quamuis in sui natura inextinguibile maneat, tunc tamen apud vnumquemque hominem extinguitur, cùm in eius non transitur affectum.

LITERAL. Abul.

16 *Et oculi eius caligauerant.* Abul. ibid. Erat valdè senex, nam ferè annorum 98. erat; & ponitur istud ad significandum ætatem Heli, in qua facta est ista reuelatio. Assignatur ratio in hoc, quare

quare Samuel erat apud aream custodiendo, & Heli erat in domo sua, scilicet, quia quanquam Heli, eò quòd erat Summus Sacerdos, debebat magis custodire arcam manendo apud eam, quàm Samuel qui erat Leuita; quia tamen Heli penitùs caligauerat, ita vt non videret etiam lucernam ardentem, nihil proficiebat custodia illius, ideò custodiebat Samuel.

LITERAL. Caietan. 17 *Et oculi eius caligauerant.* Caietan. ibi. Mihi quidem videtur, quòd ad explicandum, qualis fuerit caligo oculorum Heli, tunc dictum sit: *Non poterat ad videndum* pro etiam *Lucernam Elohim ante extingueretur.* Hoc est, cùm esset ante extinctionem, ita quòd quamuis posset videre lucernam Elohim planè ardentem, & lucentem; non tamen poterat videre eam minùs ardentem, minúsque lucentem, cùm propinqua erat extinctioni.

LITERAL. Author Catenæ. Venetus. 18 *Et oculi eius caligauerunt.* Author Catenæ. In signum grandæuæ ætatis Heli assignatur oculorum eius caligo; solet enim præ senectute, luminum acies hebetari, nec ferendus est Francis. Georg. Venetus, qui Problem. 443. in tom. 1. Sacræ Historiæ, Hebræos fortè secutus hanc oculorum Heli hebetudinem mysticam, & spiritualem interpretatur, scilicet, ex inordinata in filios affectione diuinarum rerum ignorantiam. Non, inquam, ferendus, cùm à plano, & Historico Scripturæ sensu abhorreat, quæ, vt tempus huius diuinæ apparitionis assignet, factam eam refert in grandæua Heli Sacerdotis senectute, præ qua luscitiosus, & imbecillis erat oculis.

MORAL. Gregor. 19 *Nec poterat videre.* Greg. lib. 2. Variar. cap. 4. Magnas tenebras Pastor sustinet, si is, qui Ecclesiæ oculus esse per officium noscitur, in gratia tantæ lucis visionem non habet.

LITERAL. Rupert. 20 *Nec poterat videre.* Ruper. lib. 1. Comment. cap. 11. Sanè quod dictum est, *Nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur*, varium sensum habet. Nam alij sic distingunt. *Et oculi eius caligauerant, nec poterat videre,* & posteà inferunt. *Et antequam lucerna Domini extingueretur, puer Samuel dormiebat in Templo Domini, vbi erat arca Dei.* Intelligi autem hoc modo volunt. Dormiebat in Templo, antequam lucerna Dei extingueretur, ideſt, antequam lux diurna fieret, quando eadem extinguenda erat lucerna. Sic enim à Domino iussum per Moysem erat, vt eadem lucerna luceret vsque mane, sicut est illud in Leuitic. 24. *Præcipe,* ait Dominus, *filiis Israel, vt afferant tibi oleum de arboribus olisarum purissimum, piloque contusum, vt ardeat lucerna semper in Tabernaculo Domini; & collocabunt eam Aaron & filij eius, vt vsque mane luceat coram Domino.* Alij verò: *Nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Et est sensus. Ipse, qui propriæ vitæ meritis, & dignitate Sacerdotij lucerna Dei erat, antequam pro peccato filiorum, lucida Dei gratia priuatus extingueretur, non poterat videre, sicut in mente præ inordinato filiorum suorum amore, ita & in corpore præ nimia senectute caligans, & non volens videre. Porrò alij simpliciùs. *Nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Ideſt adeò caligauerant oculi eius, vt lucernam in Templo clarè ardentem videre non posset, quo dicto intelligitur, quòd ne paruas quidem in oculis reliquias luminis haberet valdè senex.

Leuit. 24.

LITERAL. Eucher. 21 *Nec poterat videre.* Eucher. vel potiùs Author Comment. in lib. Regum. Isto Pontifice intrante in Tabernaculum, iam grandæua senectute confecto, oculi eius in tantum caligauerant, vt nec incensam lucernam posset aspicere, quantò magis extinctam. Figuraliter verò lucerna Dei Heli fuerat, quando dignitate Sacerdotali pollens iustitia claritatis fulgebat, quam extinctam Propheta asserit, dum ob scelera filiorum Sacerdotij potestatem, meritorúmque lumen amisit. *Eadem verba habet* Isidorus. Isidor.

MYSTIC. Beda. 22 *Nec poterat videre.* Beda lib. 1. Expositionis Allegor. cap. 8. Lucernam Dei pro dignitate gradus Heli cognominat. Lucernam autem per significationem rectè Sacerdotium vetus accipimus, in nocte quidem sub vmbra seruientis populi necessarium, sed aspirante die nouæ gratiæ renouendum.

LITERAL. Comest. 23 *Nec poterat videre.* Petrus Comestor. in Hist. Scholast. cap. 5. Quod mirum videtur. Non est enim aliquis adeò cæcutiens, quin clariùs videat lucernam ardentem, quàm extinctam; præsertim cùm cæcutientes oculi clariùs videant ad lucernam, quam ad diem. Quidam sic distingunt. *Nec poterat videre lucernam Dei; antequam extingueretur,* ideſt, moreretur.

TROPOL. Strabus. *Inuidus non videt bonũ.* 24 *Nec poterat videre.* Strabus Fuldens. In hoc Heli tenet figuram inuidi, qui non potest videre bonum proximi, quo lucet coram Deo, & hominibus per bonam famam; sed quando Diabolo procurante extinguitur per infamiam, tunc acutè videt.

MYSTIC. MORAL. Stephan. Tilman. Iud. 25 *Nec poterat videre.* Stephan. Cantuarien. apud Tilman. in Allegor. Lucerna sunt Sancti: Heli sunt amatores mundi, vt Tyranni, qui Sanctos viuentes non agnoscebant, sed post mortem eos per miracula cognouerunt. Hoc est, quod legitur de Gedeone, quòd confractis lagunculis apparuerunt lucernæ; Multi etiam modo sunt tales, vt Heli, qui nunquam laudabunt probitatem in alio, nisi post mortem.

LITERAL. Richar. 26 *Nec poterat videre.* Richard. de S. Laurent. lib. 11. de Laudibus B. Mariæ Virgin. *Et non cognoscebat eam donec peperit.* Matthæi, 1. Dicit B. Hieron. quòd istud *donec* teneatur exclusiuè, sicut illud. 1. Reg. 3. *Non poterat Heli videre lucernam Dei, antequam extingueretur*; & certè non postea videbat.

MORAL. Bonau. 27 *Nec poterat videre.* Bonauent. tomo 6. in diæta Salutis tit. 1. c. 4. Similis est inuidus Noctuæ, & Igni Græco. Noctua enim de nocte videt, & de die excæcatur, & Ignis Græcus in aqua fortiùs inardescit, siue succenditur. Sic inuidia in aquis gratiarum fortiùs exardescit, vbi deberet extingui, & ad modum Noctuæ à luce excæcatur, vnde deberet illuminari; sicut Heli, qui *non poterat videre lucernam Domini.*

LITERAL. Lira. 28 *Nec poterat videre.* Lira ibi. Translatio nostra videtur hîc corrupta per imperitiam aliquorum correctorum, qui duos versus iunxerunt in vnum, sicut & in pluribus locis aliis factum est; & ideò hîc consequenter posuerunt Lucernam in accusatiuo, pro Lucerna in nominatiuo. Propter quod videtur, quòd ita fuerit veritas translationis nostræ à principio. *Oculi eius caligauerant, & non poterat videre.* Et hîc terminatur versus, & sequitur. *Et lucerna Dei antequam extingueretur.*

LITERAL. Hugo. 29 *Nec poterat videre.* Hugo Charens. in Postilla. Lucerna Dei lucebat in templo tota nocte, & manè extinguebatur. Hanc non poterat videre Heli, propter visus debilitatem, donec

donec extingueretur, ideſt, vſque manè; ideſt, de nocte nihil poterat videre etiam ad lumen; ita cæcutiens erat. Fortè de die videbat parum, vel ſic; *Nec poterat videre*, ideſt, nec ante, nec pòſt poterat aliquid videre. Simile Matth. 1. Ioſeph: *non cognouit vxorem, donec peperit filium ſuum.* Ideſt, nec ante, nec pòſt cognouit eam. Vnde Hieron. contra Heluid. Talc ponit exemplum. Heluidus non pœnituit, donec mortuus eſt: nec ante, nec pòſt. Vel ſic. *Heli non poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Ipſe ſcilicet, Heli; ideſt, antequam moreretur, ideſt, dum viuebat.

Mat. 1. Hieron.

Literal. Berchor.

30 *Nec poterat videre.* Petrus Berchor. lib. 9. Moralitat. Bibliæ, c. 3. Quamuis iſtud poſſit intelligi literaliter, quòd ſcilicet, iſte erat cæcutiens, quòd non poterat videre lucernam Domini, etiam antequam extingueretur; ſuperficialiter tamè videtur textus dicere, quòd ipſe meliùs videbat lucernã extinctam, quàm accenſam: quod etiam poſſibile fuit propter viſus debilitatem, ſicut patet in Noctua, quæ non poteſt videre lumen ſolare, ſed lunare. Igitur, dicam myſticè, quòd iſte Heli, qui interpretatur *extraneus à Domino*, poteſt ſignificare malos Principes mundi, & Prælatos, qui à Domino ſunt remoti, quia reuera oculi, ſcilicet, iudicij talium Principum, & Prælatorum, ita hodie per carnalem affectionem à Domino per gratiam ſunt remoti, & non vident bonos in tantum, quòd valet dicere, quòd eorum oculi caligant, itaque lucernas ardentes, ideſt, bonas & honeſtas, & ſcientificas perſonas non conſiderant, nec vident: lucernas verò extinctas, ideſt, ignaras, & inſufficientes perſonas, ſcilicet, nepotulos, vel familiares ſuos, ſoleut miſericorditer videre, & de eorum promotione ſubtiliter cogitare. Iſta etiam ad Sanctos, & Martyres applicari poſſunt, quorum virtutem, & ſanctitatem, dum viuerent populi cognoſcere nequierunt; quoniam dicitur: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.* Poſt mortem verò eorum apparentibus miraculis fuerunt viſi, & cogniti.

Literal. Marian. Bonart.

31 *Nec poterat videre.* Ioann. Mariana in Schol. Nicolaus Bonart. Belga ſic explicabat. Heli præ cæcitate non potuiſſe quidquam videre, præterquàm lucernam, cùm ſponte extinguitur, quia tunc clariùs, & vehementiùs ſcintillat.

Literal. Schac.

32 *Nec poterat videre.* Fortunatus Schacus Fanenſ. Myrotetio 1. Sacror. Elæochryſmaton. cap. 13. Perſpicuum eſt, me iudice, priora illa Sacrorum Codicum verba: *Et non poterat videre*, ad lucernas, aut ad candelabrum nulla ratione fore referenda, quin potiùs ad annos, in quibus facta eſt viſio illa, qui quidem anni per decrepitam Heli ſummi Sacerdotis ætatem inſinuantur. Quapropter cùm Heli vixerit annos octo ſupra nonaginta, & Samuel tunc quadragenarius circiter eſſet, Deum locutum Samueli putant ſeptuageſimo ſecundo anno vitæ Heli, qui erat decimus tertius eiuſdem Samuelis annus: Ad annos igitur ſeptuaginta duos Heli referuntur illa verba Textus: *Oculi eius caligauerant, & non poterat videre.* Poſteriora verò verba illa, nimirum: *Lucerna Dei antequam extingueretur*, iuxta noſtrum Vulgatum, ſiue vt in exemplari Vaticano ſeptuaginta Interpretum habetur: *Et lucerna Dei antequam eſſet inſtructa*, quæ ſunt ſunt initium alterius verticuli, ad horam, locum, tempuſque diuinæ apparitionis factæ Samueli, referenda exiſtimo.

Moral. Sanctius. Peccator mu-

33 *Nec poterat videre.* Gaſpar Sanctius ibi. n. 6. Non vidit Heli ſplendentem Dei lucernam, & vidit Annam mouentem labia, quam temulentam eſſe credidit; & qui domeſticas ſordes, & filiorum perditiſſimam vitam non videbat, ille Lynceos habebat oculos, vt errata cerneret aliena; quod de Lamiis finxit antiquitas, & tradit Plutarchus.

la proxim ſolum vide. Plutarc.

VERSVS III.

Vulgata. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in Templo Domini, vbi erat arca Dei.

Benedict. & Textus Gloſſ. Samuel *autem* dormiebat, &c.

Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnin. Et lucerna Dei antequam extingueretur, & Samuel dormiebat in Templo Domini, vbi erat arca Dei. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Et Samuel iaceret in templo Domini, in quo fuit arca, antequam lucerna Dei extingueretur. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariaſm. in Regia. Et lucerna domus Sanctuarij necdum extinguebatur, & Samuel cubans in atrio Leuitarum, & vox Domini è Templo Domini, quo ibi arca Domini. Ariaſm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et lucerna Dei antequam extingueretur, & Samuel dormiebat in Templo Domini, vbi erat arca Dei. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtiana, Baſilienſi, & Aldina. Et lucerna Dei antequam eſſet inſtructa, & Samuel dormiebat in Templo, vbi arca Dei. Sixtian. Baſil. Aldina.

Symmachus nondum extincta erat. *Achila:* Et lucerna Dei priùs quàm extingueretur. *Procopius ibi*, & priùs quàm lucerna Dei præparata eſſet. Symmach. Achila. Procop.

Caietan. in Commentar. ex Hebræo. Et Samuel iacens in Templo Iehouah, in quo erat arca Dei. Caiet.

Flamin. Nobilius in Schol. Sixtæ. In Hebræo dictio, quæ ſignificat *Antequam*, valet etiam *nondum*: Quare hoc etiam modo poſſet accipi hîc conſentiente etiam Theodoreto, pro Nondum inſtructa erat, vt paulò poſt: Et Samuel antequam cognoſceret, pro Samuel nondum cognoſcebat. Flaminius.

Iſidorus Clarius ibi. Et antequam lucerna Dei extingueretur Samuel dormiebat. Iſidor.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Hieron. *Lucerna Dei quæ ſit*

1 *Lucerna Dei antequam extingueretur.* Hier. ſeu Auror Tradit. Hebraic. in lib. Reg. c. 3. Intelligi hoc modo debet. Et antequam lucerna Dei extingueretur in templo Domini, vbi erat arca Dei, Samuel dormiebat. Quod verò ait: *Antequam lucerna Dei extingueretur*, intelligi oportet, antequam lux diurna fieret, quando eadem extinguenda erat lucerna. Sic enim à Domino per Moyſem iuſſum erat, vt eadem lucerna luceret vſque mane; ſicut eſt illud in Hebræo. *Præcipe*, ait Dominus, *filiis Iſrael*, Exod. 27. Exod. 27.

Moral. Greg.

2 *Lucerna Dei antequam extingueretur.* Greg. lib. 2. Variar. Expoſit. in lib. 1. Reg. c. 4. Non videre, pœna peccatoris eſt, in hoc tamen ſæculo viuentis: videre autem non poſſe, eſt mortui impij in illo iam ſæculo æterna pœna damnati. Vnde & Conditoris iudicio in exterioribus tenebris claudi præcipitur, vt videlicet, ad lucis intuitum nunquam

reducatur

reducatur. Extinguitur lucerna, cùm Pastor moritur, vel certè lucerna extinguitur, quia cùm reprobus Prædicator per mortem carnis interit, quidquid in eo lucere videbatur, de gloria culminis amittit, & velut sola lucernæ testa sine lumine remanet, cùm ad æternum iudicium seruari persona cogitur, quæ omni penitus sæculi fulgore spoliatur.

MYSTIC. Idem. 3 *Lucerna Dei antequam extingueretur.* Idem libr. 3. Variarum cap. 1. Sed qui videre non posse relatus est, Dei lucerna vocatur. Synagogæ namque ministerium Dei lucerna fuit, quando in electis PP. & per veræ Prædicationis lumen, & per venturi Redemptoris promissionem luxit, quæ profectò lucerna, ministrante Samuele, videri non potuit, quia tempore nouæ prædicationis Synagogæ magisterium pœnam perpetuæ repulsionis incurrit.

LITERAL. Victor. 4 *Lucerna Dei antequam extingueretur.* Hugo Victorin. in Annotat. Elucidatoriis tom. 1. Quasi diceretur: nocte vocauit. Vel ideò, quia ipse Samuel, quia nondum cum Deo loqui consueuerat, lucerna lucente nullum alium in Templo præter Heli esse videret; cúmque ipsum Heli nequaquam locutum didicisset, Dei vocem hanc esse non dubitaret.

LITERAL. Theodor. 5 *Lucerna Dei antequam extingueretur.* Theodoret. ibi. q. 11. Significat oratio quod statim post vesperam, cùm ipsi cæpissent dormire, apparuit Samueli Dominus Deus; vespere enim solent accendere sacram lucernam; circa mediam noctem iniiciebant oleum. Volens ergo Scriptor significare tempus, dixit lucernam nondum fuisse instructam.

LITERAL. Procop. 6 *Lucerna Dei antequam extingueretur.* Procop. in Comment. Quomodo Deus apparuerit Samueli, cùm primùm post vesperam dormire cæpisset, Scriptura ostendit; vespere enim sanctam lucernam accendere solebant, & media nocte oleum imponere. Tempus igitur notare volens Historicus nondum dicit paratam fuisse lucernam.

LITERAL Vatab. 7 *Lucerna Dei antequam extingueretur.* Vatab. in Schol. Ordo inuersus sic construitur. Et cum lucernæ, quæ erat in Templo Domini, vbi erat arca Dei, necdum extinctæ essent, & Samuel (adhuc) dormiret, tunc vocauit, &c. quasi dicat: tempore nocturno cùm adhuc Samuel dormiret, vocauit, &c. Periphrasis est noctis, cùm lucernæ, quæ erant in Templo Domini, vbi erat arca Dei, nondum extinctæ essent, tota enim nocte ardebant lucernæ.

LITERAL. Venet. 8 *Lucerna Dei antequam extingueretur.* Franc. Georg. Venetus tomo 1. de Sacra Hostor. Problemat. 443. Antequam Heli, qui erat lucerna Dei, extingueretur, seu moreretur, Samuel pro illo suffectus erat in Sacerdotium.

LITERAL. Fortunat. 9 *Lucerna Dei antequam extingueretur.* Fortunat. Scachus Myrothec. 1. Sacror. Elæochrysmaron. cap. 13. Sensus allati textus erit. Post mediam noctem aurora iam illucescente, cùm nondum lucernæ sacri candelabri forent aptatæ, dormiente adhuc Heli, ac Samuele, hunc à Deo excitatum, atque vocatum fuisse. Nulla igitur ratione admittendam putamus interpretationem, quæ docebat Sacrum Interpretem, ac textum voluisse ostendere cultum candelabri, atque lucernarum, & venam olei ad luminis nutrimentum Summi Pontificatus fore muneris.

LITERAL. 10 *Lucerna Dei antequam extingueretur.* Autor Catenæ. Lucerna cuius hìc fit mentio, non erat vnica, sed quadruplex, si Iosepho Iudaico fides libr. 3. Antiquit. cap. 12. Nam ex candelabro Tabernaculi septem candelis instructo tres tantùm accendebantur per diem; omnes autem septem per noctem vique ad auroram. Lege Leuitic. 24. Exod. 27. & 80. Philonem Hebræum lib. de Victim. offerent. & Iosephum modò relatum. Ex ligno autem lucernæ nondum extinctæ innuitur tempus antelucanum post mediam noctem; quo etiam Rabbini asserunt Deum locutum fuisse Samueli; quorum sententia vera est; ratio autem friuola, scilicet, quia ad auroram veriora esse soleant somnia. Septuagint. verò in Sixtiana potiùs indicant ante mediam noctem apparitionem accidisse, dum dicunt: *Lucerna Dei antequam esset instructa*; Quod etiam affirmant Theodor. & perpetuus eius assecla Procop. eisdem ferè verbis.

Autor Catenæ. Leuitic. 24. Exod. 27. Rabbi Philo. Iosephus. Sixtian. Theod. Procop.

MORAL. Gregor. 11 *Samuel dormiebat in Templo Domini.* Gregorius libr. 2. Variarum cap. 4. Benè reprobus Prælatus non dormire, sed iacere; puer autem subditus, & electus non iacere, sed dormire; quia dormire aliquando in bona parte accipitur, iacere autem fere semper in mala. Vnde & Sponsa in Cant. Cantic. dicit. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cantic. 5.

Cantic. 5.

MYSTIC. Greg. lib 3 c. 1. 12 *In Templo Domini.* Idem ibidem. Quidem in Templo dormiunt, sed in loco vbi est Arca Dei non dormiunt; quia nonnulli simplices in cælesti conuersatione per amorem requiescunt; sed sacri eloquij occulta meditari nesciunt. Samuel autem qui non solùm in Templo, sed coram Arca Dei dormire dicitur, eruditos pariter, & electos subditos designat, quia dum amoris sui flammas de sacro eloquio frequentiùs meditando hauriunt, ad supernæ patriæ desiderium altiùs assumuntur; & velut intima Templi ad somnium eligunt, dum eo longiùs separantur à publico terreni operis, quò secretius per meditationem reconduntur in sacrario internæ visionis Templum Dei vniuscuiusque est anima electi. Templum vbi Arca Dei reconditur, mens est, in qua diuini eloquij Sacramenta per intelligentiam reseruantur. Quid ergo est aliud dormire in Templo, nisi per intentionis custodiam in propria circumspectione consistere?

MYSTIC. Idem. 13 *Samuel dormiebat in Templo Domini.* Idem libr. 3. Variarum cap. 1. Notandum quia non dicitur *dormiuit*, sed *dormiebat*, quia nimirum eandem mentis suæ circumspectionem non in transitu seruare studuit, sed in diuturnitate perseuerantiæ. Somnus itaque Samuelis perfectum mundi contemptum designat in mente Doctoris.

MYSTIC. Rupert. 14 *Samuel dormiebat in Templo Domini.* Rupert. lib. 1. Comment. cap. 12. Puer Samuel dormiebat, quia videlicet, perituro carnali Iudæorum Sacerdotio serino Propheticus conticuerat; iam enim multis diebus Ante Christi aduentum Propheta non fuerat visus in Israel.

HISTOR. Comest. 15 *In Templo Domini.* Magist. Histor. c. 3. Ideſt, in thalamo iuxta Tabernaculum, vbi solus cum Heli Sacerdote dormiebat. Vnde cùm vocasset eum Dominus, cucurrit ad Heli.

LITERAL. Lira. 16 *In Templo Domini.* Liran. ibi. Ideſt in exedra iuxta Tabernaculum, vbi erant Leuitæ, qui custodiebant Tabernaculum Domini, in quo erat Arca; intra Tabernaculum enim nullus iacebat.

LITERAL. Abul. 17 *In Templo Domini.* Abul. ibi. quæst. 1. Non est

est sensus ex hoc, quòd Heli dormiret extra Templum, & Samuel in Templo. Sed Heli iacebat intra Templum in aliqua domo separata à loco, in quo erat Arca, cùm ipse nihil proficeret ad custodiam, quia caligauerant oculi eius. Samuel autem erat in quodam loco magis coniuncto Arcæ, ad hoc, quòd diligenter custodiret eam, quæ erat in Sanctuario, & quantum ad hoc dicebatur esse in Templo, idest, magis intra Templum quàm Heli.

Literal. Caiet. 18 *In Templo Domini.* Caietan. ibi. Non significatur quod intra Tabernaculum Dei iaceret, sed intra habitaculum, quod erat iuxta Templum; in ipsum enim Templum nefas erat etiam ingredi Leuitas.

Literal. Sayr. 19 *In Templo Domini.* Emanuel Sa in Scholiis. Idest in atrio, scilicet, prope Tabernaculum.

Literal. Abul. 20 *Vbi erat Arca Dei.* Abul. ibi. quæst. 1. Non est sensus quod Samuel dormiret intra Sancta Sanctorum, vbi erat Arca, quia non solùm non licebat ei dormire ibi, sed etiam nec manere aliquo tempore.

Literal. Mendoza. 21 *Vbi erat Arca Dei.* Franc. Mend. ibi §. 14. in tom. 2. Non satis fuit dicere *in Templo Domini, sed additur: vbi erat Arca Dei*, vt nexus sit cum sequenti historia nouum oraculum narratur, cuius oraculi veritas, ac diuinitas à loco, in quo erat Arca, probaretur. Nam ex Propitiatorio, quod erat super Arcam, promisit Deus se Moysi locuturum. Exod. 25.

VERSVS IV.

Vulgata. *Vulgata.* Et vocauit Dominus Samuel; qui respondens ait: Ecce ego.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Vocauitque Dominus Semuel, & dixit, Ecce adsum.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Vocauit itaque Deus Samuelem, qui ait: Ecce adsum.

Ariasm. *Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et vocauit Dominus Semuelem, & dixit: Ecce ego.

Compl. Regia. *Grac. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et vocauit Dominus Samuel, Samuel, & dixit: Ecce ego.

Sixtian. *Grac. ex Sept. in Sixtian.* Et vocauit Dominus Samuel Samuel, & dixit: Ecce ego.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Chrysost. 1 *Et vocauit Dominus Samuel.* Chrysost. lib. 3. de Prouident. tom. 5. Samuel à puero nutritus in Templo, Deo semper charus, & gratissimus fuit, tantæque virtutis indicia à prima ætate prætulit, vt antequam ad viriles annos euaderet, inter mirabiles Prophetas inscriberetur; idque cùm ea res tunc defuisse omnino videretur.

Histor. Idem. 2 *Et vocauit Dominus Samuel.* Idem lib. 3. aduersùs vituperat. vitæ Monast. tom. 5. Adeò magnus, & strenuus adolescens factus est, vt Deum, cùm illam Hebræorum gentem, ob effusam late malitiam, execraretur, nec iam illis vteretur, nec visionem vllam eis reuelaret, rursùs eximiæ virtutis meritis attraxerit, persuaserítque ea omnia, quæ ante solebat exhibere, prophetum quoque, quæ diù abuolarat, restituerit. Nec ista tantummodò valuit, cùm ad maturam ætatem peruenisset, sed cùm puer adhuc esset. *Non* enim *erat*, inquit, *visio comprimens, & verbum pretiosum, non erat.* Cùmque ista talia ac tanta esset, illum Deus iugiter alloquio familiari dignabatur, ac per illum frequens oracula edebat. Tantùm confert emolumenti, Deo semper, quæ possederimus, concedere, cunctisque, vt illi placeamus nos extraneos facere, non tantùm pecuniis, & possessionibus, sed ipsis quoque liberis nostris. Tropol.

3 *Et vocauit Dominus Samuel.* Greg. lib. 2. var. cap. 4. Dormientem Dominus vocat, quia à terrena intentione quiescentes ad augmentum supernæ cognitionis excitat, nam dum ad ea, quæ foris sunt, per solicitudinem vigilamus, interna, & spiritualia non sentimus. Repulsio itaque terrenæ curæ, præparatio est nostra ad perceptionem supernæ gratiæ, quia in electis eò fit vberior infusio diuini muneris, quò mens fuerit purior per custodiam internæ meditationis. Mystic. Greg.

4 *Et vocauit Dominus Samuel.* Idem ibidem. Puer, qui loquentem Dominum esse Magistrum putauit, vocem corpoream audiuit. Non itaque per semetipsum Deus, sed per Euangelicum Spiritum puero locutus est, quia qui non constringitur forma corporea, instrumento corporis non angustatur ad sonum vocis; quod nimirum & puerili audientiæ conuenit; nam & si magna sunt merita inchoantis, subdit, quia tamen adhuc non in perfectione esse, sed in profectu conuersationis agnoscitur, ad eam locutionem, qua omnipotens Deus per semetipsum loquitur, non pertingit. Mystic. Idem.

5 *Et vocauit Dominus Samuel.* Rupert. lib. 1. comment. cap. 12. Quando venit Dominus & stetit, nisi quando de cœlis Deus descendit, vt factus homo staret pro nobis? Tunc vocauit Samuelem, tunc propheticum excitauit sermonem hactenus dormientem. Excitauit, inquam, puerum suum; excitauit in puero præcursore sermonem suum; in eo videlicet puero, qui gloriosè cecinit. *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim, &c.* Mystic. Rupert. Luc. 1.

6 *Et vocauit Dominus Samuel.* Theodor. ibi. quæst. 12. Eam ætatem antiquæ prætulit Deus, & eum, qui octoginta & sex annos vixerat, & quadraginta annos duplici Magistratus honore dignus fuerat habitus, erat enim & Iudex, & Pontifex, despiciens, locutus est cum paruulo puero, docens quantum canitie est melior iuuentus ornata virtute. Tropol. Theodor. Procop. *Iuuentus senectuti prælata.*

7 *Et vocauit Dominus Samuel.* Lira in Moral. Vocauit Dominus Samuel, & non vocauit Heli Sacerdotem, quia veritas humilibus, & non altis per superbiam reuelatur. Matth. 11. *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Tropol. Lira. *Deus humilibus colloquitur.* Matth. 11.

8 *Et vocauit Dominus Samuel.* Abulens. ibi quæst. 1. Ista prophetia facta est in reali locutione sine aliqua figura apparente, & non per reuelationem intellectus, nec motum phantasiæ, nec etiam apparuit Samueli aliqua loquens, sicut apparebat interdum aliis Prophetis, vt patet de Iosue, cui apparuit Angelus Domini euaginato gladio in agro Iericho; & sic apparuit Iedeoni loquens, *Iudic.* 6. Sic, Matri Samsonis *ibidem* 13. Samueli autem nulla figura apparuit, quia tunc quando vocatus est, non cucurrisset ad alium, nisi ad vocantem, cucurrit tamen ad Heli ter, vt patet infrà. Literal. Abul. Iosue 5. Iudic. 6. & 13.

LITERAL. Caiet. 9 *Et vocauit Dominus Samuel.* Caietan. ibi. Ex eo, quòd non discernebat Samuel, vnde vocaretur, insinuatur quòd dormiens vocabatur, & ipsa vocantis voce, nomine proprio excitabatur à somno, & quia ad Heli ibat vt vocantem, insinuatur quòd vox diuina sonabat Heli vocantem.

LITERAL. Mendoza. 10 *Et vocauit Dominus Samuël.* Franc. Merid. ibi. §. 36. & 39. Respondeo vocationem, & reuelationem Samuëlis per veram, ac propriam vocem, ad eius aures appulsam, factam esse, cùmque à somno excitantem. Crediderim vocem potiùs tenuem, quàm vehementem sonuisse; tum quia repræsentabat vocem Heli, quæ vtpote senilis, blandior ad aures ferebatur; tum quia ab vno tantùm Samuële audiri oportebat, cùm tametsi vehementior esset ad plures deferretur: tum denique quia Samuël facillimus ad vigilandum, & promptissimus ad obediendum, grandiorem vocem non requirebat.

MORAL. Idem. *Laus Samuelis.* 11 *Et vocauit Dominus Samuel.* Idem §. 1. In maiorem ignominiam Heli, & gloriam Samuëlis, ad diuinum colloquium hic admittitur, ille excluditur. Quid enim Magistro ignominiosius esse potest, quàm discipulo posthaberi? Quid discipulo glorioſius, quàm Magistro anteponi?

LITERAL. Author Catenæ. *Apparitiones Dei per Angelos.* Suarez. Vasquez. Molina. Valent. Ferdin. Tyræus. Pineda. 12 *Et vocauit Dominus Samuel.* Autor Catenæ. Celebris quæstio hæc est apud Theologos, & diuinæ Scripturæ Interpretes; vtrùm visiones hæ, & diuinæ apparitiones, quæ veteri contigerunt Testamento, ab ipso Deo apparente immediate præstarentur; an ab Angelis eius nomen & personam agentibus? De quo latissimè ex nostris Suarez *lib. 6. de Angelis, cap. 20. §. 25. & seq.* Velomontanus 1. *p. disp.* 185. Ludouicus de Molina *ibidem, quæst. 51. disputat. 2.* Valentia *tom. 1. disputat. 4. quæst. 7. punct. 2.* Petrus Tyræus *lib. de Spirit. Apparitionib. cap. 4. num. 17.* & alibi sæpè. Anton. Ferdinandez *lib. de visionib. initio.* Pineda *in Iob. cap. 1. vers. 6. & in Salomone Præmo lib. 3. cap. 8.* Riuer. *ad Hebros cap. 2.* Pererius *Genes. 32. disp. 1.* ex aliis verò Martin. Cantapetrens. *lib. 2. Hypotiposeon. cap. 2. prope finem*, & plures alij; ex quorum doctrina certius statuitur ferè semper ministerio Angelorum has apparitiones, seu locutiones accidisse; vt, & in præsenti de diuina ad Samuëlem locutione, affirmant Abul. Cartus. & alij. Diuinam autem vocem sonuisse vocem Heli Sacerdotis sentiunt Mend. Sanct. & alij, ex eo, quòd ad Heli Samuël cucurrerit; sed eorum coniectura certa non est, quamcumque enim vocem Samuel, per quam excitaretur, audiret, Sacerdotis crederet, cùm alterius esse non posset, nam familia non ibi commemorabatur, sed exteriùs.

Riuera. Pererius. Cantap. Abul. Carthus.

TROPOL. Damian. *Malo tuum Prælato audiendum.* 13 *Qui respondens ait: Ecce ego.* Petrus Damian. epistol. 114. Caue ne quorundam exemplo, dum obedire detrectas, in negligentem, quod absit, præpositam calumniam querula mordacitate deuoluas. Samuel ergo ad memoriam redeat, qui desidem inertemque Magistrum tam patienter, tam humiliter coluit, vt intempesto noctis silentio vocatus accurreret, totiesque interrupti soporis excubias non doleret. Poterat enim modo, velut expostulantis obiicere: cur, inquiens, non vereris, extraneo tanta auctoritate præcipere, qui segnis es filiis imperare? Qui tamen, Scriptura teste, non timuit, non querulus suggillauit, sed ad iubentis imperium perniciter peruolans, simpliciter ait: *Ecce ego.*

LITERAL. Abul. 14 *Qui respondens ait: Ecce ego.* Abulens. ibi. quæst. 1. Idest immediatè vt audiuit, respondit dicens: Ecce ego. Idest: Ecce ego, præstosum ad ea, quæ iubes. Putabat tamen Samuel quod vocabat eum Heli, & ob sic respondebat. Sed Angelus Domini erat, qui vocabat, quanquam hic dicatur Deus, quia iste est modus Scripturæ potissimè in vet. Testamento.

TROPOL. Mendoza. *Samuelis obedientia.* 15 *Qui respondens ait: Ecce ego.* Franc. Mend. ibi §. 41. Mira obedientis animi promptitudo. Neque intempestiuitas noctis, neque suauiras somni, neque iucunditas lecti puerum tenere potuerunt, quo minus statim prosiliret promptus ad obediendum, & quod magis mirere, non imperatus, sed nominatus.

VERSVS V.

Vulgat. VVlgata. Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego, vocasti enim me. Qui dixit: non vocaui: Reuertere & dormi; & abiit, & dormiuit.

Benedict. Reuertere fili, & dormi; & abiit, & dormiuit. Benedict.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce adsum, quia vocasti me. Et dixit: non vocaui: Reuertere, dormi. Et abiit, & dormiuit.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et currens ad Heli, dixit: Ecce adsum, quoniam vocasti me. Qui dixit: non vocaui. Reuertere, quiesce; qui abiit, & se quieti dedit.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et currit ad Gheli, & dixit: Ecce ego, quoniam vocasti me, & dixit: non vocaui: Redi, cubato: & abiit, & cubuit.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego, quoniam vocasti me. Ille autem dixit: non vocaui te, reuertere, & dormi; & reuersus est, & dormiuit.

Sixtina. *Græca ex Septuag. in Sixtiana.* Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego, quoniam vocasti me, & dixit: non vocaui te; reuertere, dormi.

Greg. lib. 2. variar. cap. 4. Qui dixit, non vocaui te fili mi, reuertere, & dormi.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. MORAL. Gregor. 1 *Et cucurrit ad Heli.* Gregor. lib. 2. variar. cap. 4. Vocans itaque voce, dum Heli putatus est, cognitione latuit, vt ad magistrum puer curreret, & dum se non fuisse vocatum audiret, deceptus ostenderet in quanto culmine virtutis staret.

TROPOL. Idem. *Prælatus Dei vox.* 2 *Et cucurrit ad Heli.* Idem ibidem lib. 3. c. 1. Puer quia loquente Deo ad Heli cucurrit, vocem profecto Deus Heli similem protulit. Quid ergo est quod diuinæ locutionis vox ab Heli voce non differt, nisi quia, & per PP. veteres ipse locutionem profert? Vox namque Heli Dei esse cognoscitur, quoniam electi PP. quidquid per sacra eloquia loquuntur, non à semetipsis, sed à Domino acceperunt. Ad Heli currit Samuel quoties à Domino vocatur, quia sancti Prædicatores, ne falsæ lucis imagine in intima contemplatione fallantur, modum occultæ reuelationis in aperta Scripturæ sanctæ veritate discutiunt.

HISTOR. Philo.

3 *Et cucurrit ad Heli.* Pseudo Philo in Antiquit. Bibl. Cucurrit ad Heli dicens: Quare me excitasti pater? Ego enim tibi quoniam nunquam me clamaueras noctu. Et dixit Heli: Heu me! Nunquid spiritus immundus seduxit filium meum Samuel? In te video hoc signum quod habebunt homines ab hodierna die, & vsque in sæculum; quoniam si clamauerit bis alter ad alterum per noctem, vel in meridie, scient, quoniam spiritus pessimus est. Si autem adiiciat ter clamare, sciam, quia Angelus est. Et dixit ad eum: Aure tunc dextra intende: sinistra tace; Phinees enim Sacerdos præcepit nobis dicens: Aure dextra audit Dominum per noctem: sinistra autem Angelum.

MYSTIC. Beda.

4 *Et cucurrit ad Heli.* Beda libr. 1. Eposit. Allegoric. cap. 8. Vocatus à Patre Christus, qui in illo erat semper ad contemplanda perpetuæ suæ miracula maiestatis, respondet se æterna præsentia apud Patrem diuinitus esse mansurum, & inter hæc repentè apparens humanitas in carne loquitur Iudæorum Magistris. En ipse, quem tanto tempore quærebaris, & in carne venire desiderabatis, qui votis, precibúsque fidelium crebrò ad salutem mundi vocabar, adueni, *ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.*

TROPOL. Moys. Abbas. Cassian. *Deus hominem per homines instruit.*

5 *Et cucurrit ad Heli.* Moys. Abb. apud Cassian. collat. 2. cap. 14. In tantum placita Deo hæc sententia comprobatur, vt puerum Samuelem, iudicio Prælatum suo nolit per semetipsum diuini eloquij disciplina Dominus erudire; sed recurrere semel & iterum pateretur ad senem, eúmque, quem ad suum vocabat alloquium, & quem sua vocatione dignissimum indicarat, etiam illius, qui offenderat Deum senioris mallet institutione formare, vt scilicet illius, qui ad diuinum ministerium vocatur, probaretur humilitas; & iuuenibus forma subiectionis huius proponeretur exemplo.

LITERAL. Abul. *Cur Samuël cucurrit ad Heli.*

6 *Et cucurrit ad Heli.* Abul. ibi, q. 2. Si apparuisset in aliqua figura, vidisset eum Samuel, & stetisset coram illo, fuit tamen conueniens, quòd iret ad Heli, nam si Deus reuelasset ei aliquid, aut postea ipse diceret Heli sponte, aut non. Si enim ipse non dixisset, non quæsiuisset Heli ab eo, quia non existimabat aliquid esse sibi reuelatum. Si autem ipse sponte dixisset, non credidisset Heli putans esse aliquem errorem somniorum, accidentem ex defectu puerilis ætatis.

LITERAL. Caiet.

7 *Et cucurrit ad Heli.* Caiet. ibi. Ex eo, quòd non discernebat Samuel, vnde vocaretur, insinuatur, quod dormiens vocabatur, & ipsa vocantis voce nomine proprio excitabatur à somno, & quia ad Heli ibat vt vocantem, insinuatur quod vox diuina sonabat Heli vocantem.

TROPOL. Rang.

8 *Et cucurrit ad Heli.* Rangol. ibi. Vides vt non illum mollis culcitra, nec somnus tenuit blandus assentator adolescentium: non mortis horror: non tenebrarum vincula: non ambiguæ vocis incerta authoritas, præsertim apparente nemine, ab officio retardauit. Ad primum vocis sonum confestim prodiit: at nos per tot voces infremente classico, quasi veterno occupati duro & inamæno cubili inhæremus, quibus ad procedendum parata sunt omnia præter animum.

TROPOL. Mendoza. *Samuelis promptitudo.*

9 *Et cucurrit ad Heli* Franc. Mend. ibi. §. 4. Fuit diligens, quia non dicitur prius surrexisse è lecto, deinde induisse sibi tunicam, tandem fores habitaculi aperuisse; sed absolutè cucurrisse; quasi tanta celeritate vsus fuerit, vt illas intermedias actiones transiliuerit, & ad extremam peruolarit.

TROPOL. Palasox. *Prælatus Deus est.*

10 *Et cucurrit ad Heli.* Ioann. Palafoxius Episcop. Angelitan. in Histor. Regali Sacra. lib. 1. Ea est prælationis dignitas, vt Domino vocante, ad Sacerdotem accurrendum sit; ita & Christus curatos leprosos ad Sacerdotes remisit *Luc.* 17. Vel Dei vocem Sacerdotis potiùs Samuel existimauit, qui vel Pontifici quoque iratus, eiusdem vocem assumit; nam quamuis odiosa eius persona est, in toto tamen splendore suo dignitas remanet.

LITERAL. Comest.

11 *Vocasti enim me.* Comest. in Histor. Schol. c. 5. Falsum dicit, sed non est mentitus.

TROPOL. Gregor. *Quies animi disponit ad cælestia.*

12 *Non vocaui, reuertere, & dormi.* Gregor. lib. 3. Variarum c. 1. Quid est, quod vocatum puerum redire Heli ad somnum, præcipit, nisi quia Prædicatoribus ostendit, vt ad percipiendum donum internæ gratiæ, se per mentis quietem parent? Et notandum quia dicitur, reuertere; Samuel namque reuertitur cùm electus Prædicator à meditatione sacri eloquij ad secretum redit internæ contemplationis. Reuersus ergo dormit, quia in internæ contemplationis intentione requieuit.

MYSTIC. Beda.

13 *Non vocaui, reuertere, & dormi.* Beda, suprà. Negant se Scribæ, & Pharisæi Christi quæsisse aduentum, cuius natiuitate audita, non solùm *Herodes Rex turbatus est, sed omnis Hierosolyma cum illo.*

LITERAL. Abul.

14 *Non vocaui, reuertere, & dormi.* Abulens. ibi. quæst. 2. Putauit enim hoc fuisse ex aliquibus accidentibus somniorum. Non tamen increpuit Heli Samuelem, quia non erat ex hoc increpabilis, dato quòd esset error somni, quia ista non sunt in potestate nostra: potissimè quia Samuel adhuc erat puer, & nesciebat ex qua causa hoc aduenisset.

TROPOL. Mendoza. *Samuelis duplex obedientia.*

15 *Non vocaui, reuertere, & dormi.* Franc. Mend. ibi. §. 18. Non minor mihi videtur obedientia Samuelis in hoc regressu ad cubitum, quàm in illo primo progressu ad Sacerdotem. Primò, quia progrediens, voluntatem obedientiæ subiecit; at verò regrediens, etiam intellectum, qui difficilius patitur imperium. Patet, quia cùm ipse certo experimento cognouisset, se euocatum fuisse ab Heli; nihilominus ab eo audiens non vocatum. *Non vocaui*, statim acquieuit, & potiùs credidit Sacerdotis verbo, quàm proprio experimento.

TROPOL. Greg. *Vera obedientia qua? Samuel verus obediens.*

16 *Et abiit, & dormiuit.* Greg. libr. 2. Variar. cap. 4. Puer itaque Samuel nec vocatus, nec repulsus offenditur, quia vocantis, aut repellentis animum videre noluit, qui in hoc solo gaudere nouerat, quod obediuit. Et quia surgere, ad laborem, redire autem ad dormiendum, pertinet quietem; quid insinuat, nisi quia vtrumque nobis vitam præparat, si obedientis animus in eo, quod agit, non nisi obedientiæ bonum pensat? præceptum namque in hoc solo pensari debet, quod maioris præceptum est, & quia obedientiæ bonum exequitur, non iniunctum opus debet considerare, sed fructum: quia ad promerenda æternæ vitæ gaudia, non exquiritur qualitas operis, sed mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis.

TROPOL. Gregor. *Vera audientia.*

17 *Et abiit, & dormiuit.* Idem ibidem. Puer ergo humiliter homini subiectus, atque obedientiæ ardua arce sublimatus, dum vocatus accessit, iussus rediit; quid aliud nobis exemplo præbet, nisi altissimæ formam obedientiæ? Vera namque obedientia nec Præpositorum intentionem discutit,

discutit, nec præcepta discernit, quia qui omnis vitæ suæ iudicium subdidit maiori, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare quisquis perfectè didicerit obedire. Quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat.

LITERAL. Abul. 18 *Et abiit, & dormiuit.* Abul. q.2. Scilicet, quia Samuel non putauit hoc sibi accidisse ex vocatione Dei, sed magis ex somnio: vel fortè non attendit aliquid ad hoc, quia erat puer, & non curant pueri aliquid de his distinguere, cum ad tanta non sint.

TROPOL. Mendoza. *Samuelis obedientia qualis?* 19 *Et abiit, & dormiuit.* Francisc. Mendoza ibi. §. 22. Optimum obedientiæ documentum præbuit, quia velocior fuit ad deferendum lectum, quàm ad repetendum. Nam vocatus è cubitu, dicitur cucurrisse: *Cucurrit ad Heli*; ad cubitum autem remissiùs, dicitur solùm abiisse: *abiit, & dormiuit.* Singulariter obediens fuit, qui minori vi indiguit vt extraheretur à lecto, quàm vt ad lectum reduceretur. Nam vt extraheretur, satisfuit nominari *Samuel*, quin vllum præceptum adderetur, *veni*: at verò, vt reduceretur, imperio opus fuit. *Reuertere, & dormi*, quo enim promptior erat ad laborem, quàm ad quietem, eò minori vi ad laborem subeundum, quàm ad quietem repetendam indigebat.

TROPOL. Auth. Cat. *Samuelis obedientia.* 20 *Et abiit, & dormiuit.* Autor Catenæ. Hæc verba absunt à Sixtiana eo fortasse mysterio, vt Samuelis obedientia commendetur; cui cùm à Prælato regressus ad cubitum iniungeretur, necessum non fuit ipsius executionem adscribi; satis enim fuit præceptum præcessisse, vt promptam Samuelis executionem ex eo subintelligas.

VERSVS VI.

Vulgata. *Vulgata.* Et adiecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgénsque Samuel abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit: non vocaui te fili mi: Reuertere, & dormi.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnin.* Additque Dominus, vt vocaret adhuc Semuel, & surrexit Semuel, & abiit ad Heli, & dixit: Ecce adsum, quia vocasti me. Et dixit: Non vocaui fili mi, reuertere, dormi.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Rursum vocauit Dominus Samuelem, & consurgens Samuel, abiit ad Heli, dixitque: En præsto sum, vocasti enim me. Qui dixit: non vocaui fili mi, reuertere, & dormi.

Asiasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et addidit Dominus vocare iterum Semuelem, & venit ad Gheli, & dixit: Ecce ego, quoniam vocasti me. Et dixit: non vocauit te fili mi, redi, cubato.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et adiecit Dominus rursum vocare Samuel, & abiit ad Heli secundò, & dixit: Ecce ego, quia vocasti me. Et dixit: non vocaui te fili. Reuertere, & dormi.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtiana.* Et adiecit Dominus, & vocauit Samuel Samuel; & iuit ad Heli secundò, & dixit: Ecce ego, quoniam vocasti me. Et dixit: non vocaui te, reuertere, dormi.

Isidor. Clarius ibi. Et vocauit sicut vocauerat priùs. Isidor.

PP. ET AVCTORES.

TROPOL. Gregor. *Samuelis cessatio.* 1 *Et adiecit Dominus vocare Samuelem.* Greg. lib. 2. Variar. cap. 4. Iterato excitat, vt eum, quem in forma electorum ponere volebat, ostenderet, quia nec imperiorum instantia fatigaret.

MYSTIC. Beda. 2 *Et adiecit Dominus rursum vocare.* Beda lib. 1. Exposit. Allegor. cap. 8. Quia Samuel *ibi ipse Deus*, vel *nomen eius Deus* interpretatur, possumus & hoc rectè dicere, quia Dominus Samuel vocauerit, quando filium Pater incarnatum miraculis Deum esse verum demonstrauit, & ille responderit: *Ecce ego*, cui idem filius dixit. *Ego in Patre, & Pater in me est.*

Author Catenæ. Psal. 40. Iob. 39. Infra 22. 3 *Et adiecit Dominus rursum vocare.* Autor Catenæ. Notissimus Hebraismus, pro iterum vocauit Psalm. 40. *Numquid qui dormit, non adiiciet, vt resurgat?* Idest non iterum resurget? Iob. 39. *Et adiecit Dominus, locutus est ad Iob.* Pro denuo locutus est ad Iob. Infra etiam vers. 22. *& addidit Dominus, vt appareret in Silo*, & alibi sæpè.

TROPOL. Greg. *Samuelis resignatio.* 4 *Abiit ad Heli.* Gregor. suprà. Vocauit ergo Deus puerum, sed voce Magistro simili, vt profecto modum suæ locutionis indicaret. Causam vocationis tacuit, vt electus puer qua humilitate obedientiæ esset sublimis, ostenderet. Ire ad Præceptorem pertulit, vt deuotionis suæ munus offerret: redire ad somni quietem finitur, vt profectò nec ea, quæ sunt minima, contemnamus.

LITERAL. Abul. 5 *Abiit ad Heli.* Abul. ibi. q.2. Erat enim Samuel valde obediens ad quem pertinet executionem mandatorum non differre: ideo immediatè surrexit, vt sciuit se vocatum.

LITERAL. Idem. 6 *Abiit ad Heli.* Idem ibidem quæst. 3. Quæret aliquis, quare Samuel venit ad Heli iterum, cùm sciuisset se fuisse deceptum in priori vocatione? Respondendum est, quòd Samuel audiebat vocem, & verè audiebat, ita vt nequaquam posset dubitare quòd eam audiuisset; ideò quamquam fuisset primò deceptus, venit ad secundam vocationem, sicut nos nequaquam dubitamus profetre ea, quæ nos certissimè scire cognoscimus.

TROPOL. Mendoza. *Samuelis obedientia.* *Obedientia sit prudens.* 7 *Abiit ad Heli.* Franc. Mend. ibi. §. 2. Semel deceptus non timuit, ne iterum deciperetur, sed iterū somnum abrupit; iterum è lecto exiliit; iterū se obtulit sacerdoti: Malens errare bis, quàm semel non obtemperare. Veritus puer ne Sacerdoti molestus foret, si eum iterum interpellaret, à quo, vt antea, minimè vocaretur, obedientiæ feruorem prudentia temperauit. Lentiùs igitur processit, quietiùs adfuit, submissius dixit: *Ecce ego*; Ne fortè dormientem, & non vocantem senem ex somno excitaret. Necesse enim est, vt sicut aliæ virtutes, ita & obedientia prudentiæ legibus temperetur.

LITERAL. Abul. 8 *Non vocaui te fili mi, reuertere, & dormi.* Abul. ibi. q.3. Etiam ista secunda vice existimauit Heli, quod Samuel errore somniorum deciperetur; ideò remisit eum ad dormiendum; sed adhuc non non increpuit eum, quia ex conditione naturæ, & non ex arbitrio nostro accidere poterat, quod aliquis sæpè falleretur.

TROPOL. Mendoza. 9 *Non vocaui te fili mi, reuertere, & dormi.* Francisc. Mendoza ibi. §. 5. Aduertè respondisse Heli eisdem verbis, quibus antea responderat; illis tamen additis, quæ antea non apposuerat *fili mi*, vt Samuelis promptam obedientiam, semel

Prælati foucant obedientiam.

semel & iterum repetitam, beneuolis, & amicis verbis compensaret. Prælatorum beneuolentia fouet, augétque obedientiam subditorum.

TROPOL. Author Caten. *Accessum ad Prælatum laudabilis.*

10 *Filimi, reuertere, & dormi.* Autor Catenæ. Non debet Prælatus impatienter ferre prolixum subditorum accessum, immò eos tenetur benignus excipere. Quocirca Heli repulsum semel Samuëlem, & importunè semel; & iterum somnum abrumpentem, filij sui titulo commendat; tunc enim filium se obsequentem subditus maximè ostendit, cùm obedientiam exhibet, & circa sua omnia importunus etiam Prælatum consulit.

VERSVS VII.

Vulgata. *Vulgata.* Porrò Samuël necdum sciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei sermo Domini.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et Semuel antequam cognosceret Dominum, & antequam reuelatus fuisset ei sermo Domini.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Samuël autem nondum nouerat Dominum, nec adhuc reuelatus fuerat ei sermo Domini.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et Semuël necdum didicerat scire disciplinam ab ante Dominum, & nondum manifestatum erat ei verbum propheriæ Domini.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et Samuël antequam cognosceret Deum, & antequam reuelatus esset sermo Domini ad eum.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtia.* Et Samuël antequam cognosceret Deum, & reuelaretur ei verbum Domini.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Hieron. 1 *Porro Samuel necdum sciebat Dominum.* Hier. seu Autor tradit. Hebraic. Nescire Dominum dicitur, quia per prophetiæ mysterium necdum ei reuelatus fuerat sermo Domini.

LITERAL. Gregor. *Samuël quomodò ignorabat Dominum.*

2 *Porro Samuel necdum sciebat Dominum.* Greg. lib. 2. variar. cap. 4. Superius ministrare Domino perhibetur. Valde contrarium videtur esse quod dicitur, quia nescire non poterat, cui ministrabat. Quis enim ei seruiat, quem ignorat? Sed profectò per id, quod subiectum est, liquet id, quod sonat contrarium, quia intelligi conuenientia rationis debeat. *Nec reuelatus ei fuerat sermo Domini:* per quod nimirum datur intelligi, quia quem amore, & ministerio nouerat, sermonis eius reuelatione nesciebat. Nondum enim sic vocantem audierat, quem se cognouisse, & deuotione ministerij, & virtute testabatur amoris. Quod bene Iacob ad accipiendam coniugem proficiscens designat, qui post labores itineris, per soporem quietis Dominum vidit; sed à somno euigilans ait: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam,* Gen. 28. Neque enim illic esse Dominum, antequam dormiret, dubitare poterat, qui esse hunc vbique sentiebat, sed quia tunc, cum perfectius didicit, ignorasse se illum perhibuit, cum familiarius non agnouit.

Gen. 28.

MYSTIC. Greg.

3 *Porro Samuel necdum sciebat Dominum.* Idem lib. 3. variar. cap. 1. Dominum tunc ordo Prædicatorum nescit ea perfectione, qua postea profecit. Vel fortasse idcirco nescire Dominum dicitur, quia alta, & profunda, quæ nouerat, infirmis adhuc, & rudibus auditoribus non pandebat. Vnde & volentibus diem Dominici aduentus cognoscere, ea, quæ omnia nouerat, & indicare nolebat, veritas dicit. *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi solus Pater,* Marc. 13. Marc. 13.

LITERAL. Comest.

4 *Porro Samuel necdum sciebat Dominum.* Comestor in histor. Scholast. cap. 5. Ideſt, nondum habebat consuetudinem audiendi Dominum.

LITERAL. Lira.

5 *Porro Samuel, &c.* Liran. ibi. Ideſt, modum loquendi ipsius Domini cum Prophetis. Sicut enim ars, & natura procedunt de imperfecto ad perfectum, ita etiam reuelationes diuinæ secundùm processum temporis; quia Prophetæ posteriores, ad tempus Christi appropinquantes, habuerunt clariores reuelationes de Christo, quàm priores, & ita frequenter fit in eodem Propheta, quod à principio non habuit ita claram cognitionem, sicut postea.

LITERAL. Angelom.

6 *Porrò Samuel necdum sciebat Dominum.* Angelom. in Stromatib. Nescire Dominum dicitur Samuël, quia prophetiæ mysterium, necdum ei, vel sermo Domini reuelatus fuerat. Nam communiter, vt cæteri, sciebat.

LITERAL. Abul.

7 *Porrò Samuel necdum sciebat Dominum.* Abul. ibi. q. 3. Hic datur causa, quare Samuël toties recurrebat ad Heli, audiens voces aliquas, cùm non vocaretur ab eo putans se vocatum, scilicet, quia nondum cognoscebat Dominũ, nec putabat se ab eo vocari. Intelligitur autem ista cognitio quantum ad communicationem, quæ est in reuelatione prophetica, quia eo modo non cognoscebat Dominum, quia nunquam sibi quidquam fuerat reuelatum; cognoscebat tamen eum per fidem veram, & per amorem, quia diligebat eum, & explebat ea, quæ iussa erant propter ipsum.

LITERAL. Nauel.

8 *Porrò Samuel necdum sciebat Dominum.* Ioan. Nauclerus volum. Chronographiæ generat. 31. Et factum est secundò similiter, nondum enim Samuël habebat consuetudinem audiendi Dominum.

THEOLOG. Mendoza.

9 *Porro Samuel necdum sciebat Dominum.* Francisc. Mend. ibi §. 2. Dupliciter potest dici Samuël Deum ignorasse. Primò, clarè & quidditatiuè vt Theologi loquuntur: secundò experimentaliter, & propheticè. Prior ignorantia omnibus hominibus in hac vita communis est. Nam Deus *lucem inhabitat inaccessibilem.* 1. Timoth. 6. Posterior ignorantia illa est, quam habent alij, qui prophetias reuelationes non suscipiunt, seu qui lumine prophetico de rebus occultis non illustrantur. De hac ignorantia intelligendus est hic locus, vt docent communiter Interpretes.

1. Tim. 6.

LITERAL. Author Catenæ.

10 *Porrò Samuël necdum sciebat Dominum.* Autor Catenæ. Sensus est, quod Samuël diuinam vocationem non agnosceret, & ad Heli semel & iterum recurrerit; in causa fuit, quòd diuinis collocutionibus insuetus erat, nec vnquam voluntatem Domini per reuelationem didicerat, vnde ignoram vocem à somno se excitantem vni Heli adscribebat. Alia equidem erat Dei ignorantia, qua impij Heli Sacerdotis filij Dominum nesciebant, de quibus suprà *Porrò filij Heli filij Belial nescientes Dominum.*

MYSTIC. Greg.

11 *Neque reuelatus fuerat ei sermo Domini.* Gregor. lib. 2. variar. cap. 4. Quidam Dominum sciunt, & sermonis eius reuelationem percipiunt, quia & mira dulcedine replentur ex ea, quam ex consuetudine hauriunt infusione tantæ charitatis, & magna eruditiuntur sapientia reuelatione verbi. A nonnullis verò scitur Dominus, quibus

quibus ſerano Domini nequaquam reuelatur, quia ſimpliciùs quique, ſed magna conuerſatione perfecti viri de contemplationis diuinæ gloria ineffabilem quidem amoris dulcedinem contemplando percipiunt. Sed tamen ad reuelati verbi eius altitudinem non pertingunt, quia ad amantium ordinem aſſumpti ſunt, non ad celſitudinem prædicationis.

MORAL. Idem. 12 *Neque reuelatus fuerat ei ſermo Domini.* Idem ibidem. Bene de eo, qui ad miniſterium prædicationis eleuatur, dicitur: *nondum ſciebat Dominum, &c.* vt dum ea, quæ nondum habet, rudis inſinuat, quibus bonis ditari Prædicator debeat, patenter oſtendat.

LITERAL. Caiet. 13 *Neque reuelatus fuerat ei ſermo Domini.* Caietan. ibi. Adiecit hoc Autor libri, tum ad declarandum, quòd iſta fuerit prima reuelatio diuina facta Samuëli: tùm ad reddendam rationem, quare Samuël fallebatur, putans ſe vocari ab Heli. Neſcire autem Dominum intellige notitiâ experientiæ.

LITERAL. Mendoza. 14 *Neque reuelatus fuerat ei ſermo Domini.* Franc. Mend. ibi §. 10. Vt in quo illa ignorantia Dei conſtiterit, explicaretur. Solet enim Scriptura, quod ſubobſcurè dixerat, ſtatim apertiùs explicare.

VERSVS VIII.

Vulgata. *Vulgata.* Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuëlem tertiò. Qui conſurgens abiit ad Heli.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Addiditque Dominus vt vocaret Samuël tertiò, & ſurrexit, & iuit ad Heli.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et Dominus tertiò vocauit Samuëlem, qui ſurgens abit ad Heli.

Ariaſm. *Chaldaica ex Benedicto Ariaſm. in Regia.* Et addidit Dominus vocare Samuëlem in tertio, & ſurrexit, & iuit ad Gheli.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et adiecit Dominus vocare Samuël in tertio, & conſurrexit Samuel, & abit ad Heli.

Sixtina. *Græca ex Septuag. in Sixtina.* Et adiecit Dominus vocare Samuel in tertio, & ſurrexit, & iuit ad Heli.

PP. ET AVCTORES.

TROPOL. Ephrem. 1 *ET adiecit Dominus, & vocauit, &c.* Ephren. Syrus. Parenæſi 21. Tu frater vide ne negligas te ſobrium ac vigilantem præbere in omnibus. Nónne audiſti quod ſæpe vocatus Propheta Samuel, nec ſemel cunctatus ſit ſurgere, quantumuis adhuc puer eſſet?

MYSTIC. Gregor. 2 *Et adiecit Dominus, & vocauit, &c.* Gregor. lib. 3. variar. cap. 1. Notandum eſt quia Samuel à Domino ter vocatus, ter iterum ab Heli dormire præcipitur. Quid eſt hoc niſi quia tres gradus dilectionis eſſe, ipſa veritate docente, didicimus? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*, Matth. 8. Sed quid in corde accipimus niſi conſilium? Quid autem in mente niſi voluntatem? Quid verò in virtute niſi amoris affectio deſignatur? Sed & per conſilium quid aliud, quàm veritatis certitudinem inueſtigamus? Et per voluntatem quid diligentes niſi bona valde concupiſcimus? Per affectionem quid niſi veri gaudij per fruitionem quærimus? Per gradus namque dilectionis ad ſumma ſuſtollimur, cum cordis noſtri conſilio veritas reuelatur, & voluntati mentis veritas bona conceditur, atque affectioni virtutis noſtræ per infuſionem diuinæ gratiæ ſpiritale, & verum gaudium datur. Ter igitur eſt Samuël vocatus à Domino, quia dum ordo Prædicatorum rudis adhuc Eccleſiæ ad ſuperna ſe ſtudia extendit, & veritatem de ratione conſilij, & bonitatem de electione voluntatis, & verum gaudium appetiit de intentione affectionis.

Matth. 8.

MYSTIC. Rupert. *Ioannes in Samuele adumbratus.* 3 *Et adiecit Dominus, & vocauit.* Rupert. lib. 1. comment. cap. 12. Tertiò illum neſcientem vocauit, priorque ipſe Sacerdotij veteris miniſter Zacharias pater Ioannis vocationem illam intellexit; primò enim Angelus illum ex nomine nunciauit. Secundò ad ſalutationem MARIÆ clauſum adhuc in vtero matris exultatione, & gaudio concuſſit. Tertiò iam nato per os patris, officium ſuæ præcurſionis edixit. *Tu quoque Propheta altiſſimi vocaberis.* Luc. 1.

Luc. 1.

MYSTIC. Angelom. *Samuël Propheta, dux, & Sacerdos.* 4 *Et adiecit Dominus, & vocauit.* Angelom. in Stromatib. cap. 3. Quod ter Dominus Samuëlem vocauerit, præfigurabat, quod ipſe puer futurus erat Propheta, dux, & Sacerdos.

LITERAL. Comeſt. Ioſeph. 5 *Et adiecit Dominus, & vocauit.* Magiſter hiſtor. Scholaſt. cap. 5. Videtur Ioſephus velle Dominum ideò tertiò vocaſſe Samuëlem, vt præfiguraret tres eius dignitates futuras. Fuit enim Propheta, quòd ab hac vocatione dicit eum habuiſſe. Fuit quoque Iudex. Obtulit etiam quaſi Sacerdos, eò quòd paruulus eſſet Icaboth nepos Heli.

LITERAL. Abul. 6 *Et adiecit Dominus, & vocauit.* Abul. ibi. q. 3. Ideſt, non ceſſauit in prima, & in ſecunda vocatione, ſed adiecit tertiam. Hoc autem erat ad maiorem certificationem, vt ſic vere crederet Heli, quòd vocabatur Samuël à Deo.

LITERAL. Mendoza. 7 *Et adiecit Dominus, & vocauit.* Franciſc. Mendoz. ibi §. 1. Opus non eſt, vt diuina vocatio ter repetatur, cùm aliquando ſemel tantum fiat, aliquando ſemel, atque iterum dumtaxat repetatur, vt Propheras conſulenti facilè erit inuenire.

MORAL. Author Catenæ. 8 *Et adiecit Dominus, & vocauit.* Autor Catenæ. Lento quidem gradu ad manifeſtationem ſui diuina proceſſit reuelatio, ne infans cœleſtibus inſuetus perterreſieret. Dum autem Samuël bis, & iterùm excitanti Domino audiens eſt, & Sacerdotem ſine tædio frequentat, dignus ſit, cui diuina manifeſtetur voluntas, & ad Dei ipſius colloquium aſſumatur.

LITERAL. Abul. 9 *Qui conſurgens abit ad Heli.* Abulenſ. ibi quæſt. 3. Hoc fuit, quia ſemper intelligebat Samuël ſe eſſe vocatum ab Heli, quod erat propter duo. Primò, quia nondùm acceperat à Deo reuelationem, vt poſſet exiſtimare iſtam eſſe diuinam vocationem. Secundò, quia erat Samuël puer, & non poterat iudicare, an ei iſta à Deo dicerentur; ſed exiſtimabat ſe ab illo vocari, à quo conſueuerat ſemper vocari.

MORAL. Mendoz. 10 *Qui conſurgens abit ad Heli.* Franc. Mendoz. ibi §. 10. Neceſſe fuit Samuelis promptitudinem ad obediendum expectari, vt quàm aptus eſſet ad imperandum, probaretur. Non enim poſſet vtiliter imperare, niſi priùs diſceret humiliter obedire.

VERSVS

VERSVS IX.

Vulgata. *Vulgata.* Et ait : Ecce ego : quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum : & ait ad Samuëlem : Vade, & dormi : & si deinceps vocauerit te, dices : Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Abiit ergo Samuël, & dormiuit in loco suo.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et dixit : Ecce adsum quia vocasti me. Et intellexit Heli quod Dominus vocaret puerum. Dixitque Heli ad Samuel : Vade, & dormi, & erit, si vocauerit te, dices : Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Et abiit Samuël, & dormiuit in loco suo.

Vatabl. *Hebraïc. ex Franc. Vatab.* Et ait : En adsum vocasti enim me. Et intellexit Heli quod Dominus vocaret puerum. Dixit igitur Heli ad Samuëlem : Vade, & quiesce. Quòd si denuò vocauerit te, dices : Loquere Domine, quoniam audit seruus tuus. Abiit ergo Samuël, & quieuit in loco suo.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et dixit : Ecce ego quia vocasti me. Et cogitauit Gheli, quod ab ante Dominum vocatus est puer. Et dixit Gheli ad Samuël : ito, cubato ; & erit, si vocabit te, & dices : Loquere Domine, nam audiens seruus tuus, & abiit Samuël, & cubuit loco suo.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et dixit : Ecce ego, quia vocasti me. Et intellexit Heli quòd Dominus vocauit puerum, & dixit Heli Samuël : Reuertere, & dormi fili, & erit, si vocauerit te, & dices : Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Et abiit Samuël, & dormiuit in loco suo.

Sixtia. *Græc. in Sept. in Sixtiana.* Et dixit : Ecce ego, quoniam vocasti me. Et intellexit Heli, quia Dominus vocauit puerum, & dixit : Reuertere, dormi fili, & erit, si vocauerit te, & dices : Loquere quoniam audit seruus tuus. Et iuit Samuël, & dormiuit in loco suo.

PP. ET AVCTORES.

1 *Intellexit ergo Heli quòd Dominus vocaret puerum.* Ephræm Syrus in Apolog. de Heli. Benignus, & misericors Dominus illum ab impendenti ira per pœnitentiam liberari volens, per innocentem puerum ipsi iam patefacta demonstrauit, ne quæ sub ingressa suspicio, facilem eius confirmaret animum, quasi ex humana aliqua speculatione, tunc ipsi prædicta essent, aut per inuidiam, quorumdamve indignationem, & iram.

Histor. Moral. Ephrem.

2 *Intellexit ergo Heli quod Dominus vocaret puerum.* Rupertus lib. 1. Commentar. cap. 6. Sic diuinitùs procuratum est ob commendationem Prophetæ fidelis, vt magnus Sacerdos prior quàm ipse vocationem ipsius à Deo factam intelligeret, quemadmodùm Scriptura dicit : *Intellexit igitur Heli, quia Dominus vocaret puerum.* Et ita factum est, & venit sermo Samuelis non solùm Heli, sed & vniuerso Israëli.

Histor. Rupert.

3 *Intellexit ergo Heli, &c.* Idem ibidem cap. 11. Puerum dormientem Dominúmque necdum scientem, cui necdum reuelatus fuerat sermo Domini, Dominus tertiò vocando excitauit. In illum suæ moderatus est gratiam vocationis, vt prius is, contra quem mittebatur, vocatum illum esse a Domino sciret, quàm ipse, qui vocatus est. Sicque factum est, vt is, qui visionem indicare timuisset, celare non auderet, tacere non posset.

Literal. Idem.

4 *Intellexit ergo Heli.* Idem ibidem cap. 12. Sacerdos Heli restituendus puerum vocari prior à Domino intellexit, quia Sacerdos officij carnalis Zacharias magni Prophetæ vocationem ipso prior intellexit, & enuncciauit ; Iustus quidem in persona sua apud Deum, & homines, sed eius Sacerdotij minister, quod protinus destruendum esset, sicut in illo Sacerdote Heli præfiguratum esse iam dictum est.

Mystic. Idem.

5 *Intellexit ergo Heli.* Theodor. ibi. Quoniam Deus erat mala Heli prædicturus per Samuëlem, ne videretur Samuël finxisse reuelationem, Deus rem dispensat, vt cum Heli quidem crederet, quod sit Deus, qui vocat Samuëlem, ille autem postea renunciaret, quæ dicta sunt à Deo ; non esset suspectus tanquam qui finxisset, sed ei fides haberetur, vtpote cui diuina facta esset reuelatio.

Literal. Theodor.

6 *Intellexit ergo Heli.* Iosephus lib. 5. Antiquitat. cap. 11. Porrò Samuel exacto anno ætatis duodecimo, Prophetam agere cœpit. Quadam enim nocte dormiente, Deus nomine vocauit ; tunc ille ratus à Pontifice se vocari, accurrit ad eum, quo negante à se vocatum, Deus idem tertiò fecit. Tum Heli rem perspiciens ait. Ego mi Samuel nunc quoque vt ante silui, sed Deus te vocat, quapropter præsto esse te respondе.

Histor. Ioseph.

7 *Intellexit ergo Heli.* Abulensis ibid. quæst. 3. Hoc fuit, quia sæpè surrexerat quasi vocatus, quod non existimabat Heli posse fieri ex somni errore, sed quod aliquis eum verè vocaret. Non existimauit autem alium esse, nisi Deum.

Literal. Abul.

8 *Intellexit ergo Heli.* Franciscus Mendoza ibi. §. 22. Quis Samuelis humilitatem non admiratur, qui cùm innocentissimus esset, & ad diuinum colloquium aptissimus, tamen ipse nec se innocentem, nec diuino colloquio dignum iudicabat.

Moral. Mendoza. *Samuelis humilitas.*

9 *Intellexit ergo Heli.* Idem ibidem §. 4. Dubitabis cur Heli potiùs, quàm Samuël diuinam esse illam vocationem intellexerit. Triplex ratio potest assignari. Vna, quia Heli non habebat, cui illam referret, nisi Deo, Samuël autem illam referre poterat Sacerdoti, cuius veram vocem à se auditam iudicabat. Altera ; quia Samuël erat verè humilis, qui nihil de se altum, ac sublime suspicatur, sed suam semper indignitatem intuetur. Tertia ; quia Samuël subditus erat, Heli Prælatus, ad quem pertinet suorum subditorum res acuriùs intueri. Nam, quemadmodum decet eum, qui regitur, cæcum esse ; ita eum, qui regit, oculatum, ac perspicacem.

Moral. Idem. *Prælatus oculatus, subditus cæcus esto.*

10 *Intellexit ergo Heli.* Author Catenæ. Particula *Ergo* illatiua est. Vnde ex trina Samuëlis aduentatione datur intelligi, quòd Heli cognouerit Deum fuisse eius vocationis authorem ; prudentialiter enim ex sufficienti partium enumeratione collegit ab vno Deo exortam fuisse ; nec enim ipse Heli vocauerat ; non item aliquis ex familia, quæ inde satis aberat ; nec etiam Diabolo, cui innocentem puerum eludere Deus non permitteret, tribui debebat, (in quo, vti asserunt, nugantur Rabbi Salomon, & Philo Biblicus in suis Antiquitatibus) ergo vni Deo vocatio adscribi deberet. Non tamen nego speciali à Deo luce Pontificem ex nunc illustratum fuisse. Post trinam autem vocationem, & accursum Samuelis ad Pontificem ; illarum, illic Deum autorem facilè agnouit. Solet enim

Literal. Author Catenæ. Rabbi. Salom. Philo.

enim se Deus per ternarium numerum, vtpote Trinus libenter indicare, namque vt cecinit Poeta.

Virgil.

Numero Deus impare gaudet.

TROPOL. Greg. *Somnum quadruplex qua?*

11 *Vade, & dormi.* Gregor. suprà. Notandum quinam quater ad somni quietem redire præcipitur, quia dum negligenter vtimur isto sæculo circa visibilia opere, locutione, & operatione vigilamus. Ter ergo dormire præcipimur, vt ad cogitationem supernorum, per quietem operis, oris silentium, & cogitationum superfluarum abiectionem, præparemur. Quarto autem loco ad somnium mittimur, cùm Maiorum nostrorum licentiam ab vtili etiam ministerio cessare præcipimur; vt dum nulla præpedimur cura solicitudinis, totam se mens colligat ad intuitum supernæ visionis. Et notandum, quia quiescentem puerum, nesciente Heli, Dominus excitat; sed tamen excitato, nisi eodem Heli præcipiente, vocationis suæ causam nequaquam manifestat, quia electos subditos occulta inspiratione ad supernæ patriæ desiderium erigit, sed per quietem vocare eos ad eam, quam diligunt patriam, sine Maiorum licentia non permittit.

TROPOL. Idem. *Reuelationes discutiendæ.*

12 *Vade, & dormi.* Idem lib. 3. cap. 1. Quia superiores somni modos ad probationem donorum sanctæ dilectionis retulimus, quid est hoc loco Samueli, ideſt, nouo Prædicatori, dormire, nisi probata iam, & cognita eadem doctrina cum securitatis quiete possidere? Meritò igitur ei priùs non dicebatur *Vade*, sed *Reuertere*; nunc autem non *Reuertere*, sed *Vade*. Qui enim adhuc examinabat, reuerti iubebatur, vt mentis tranquillitate aliud domum discuteret, qui aliud iam eadem mentis quiete cognouisset: ei autem qui iam cuncta examinando probauerat, *Vade* dicitur, quia ad possidenda cognita secura iam intentione mittebatur.

LITERAL. Abul.

13 *Vade & dormi.* Abul. ibi. quæst. 3. Scilicet quia non vocauerat eum ipse; sed Deus, instruxit tamen qualiter respondere deberet, si Deus eum vlteriùs vocaret.

TROPOL. Kempis. *Vera obedientia in paruis.*

14 *Vade, & dormi.* Thomas A Kempis, part. 1. Serm. 3. ad Nouitios. In omnibus Samuel agendis, & consulendis Sacerdoti suo, tanquam Vicario Dei studuit incunctanter obedire, & ne ad dormiendum quidem sine eius licentia ire præsumeret.

TROPOL. Mendoza. *Reuelationes non quærendæ ambitiosè.*

15 *Vade, & dormi.* Francis. Mendoza ibi §. 29. Vbi videtur prudentia Heli, qui non dixit Vade, & vigila, vt alicui fortasse dicturus videretur, quo Samuel diuinæ reuelationi suscipiendæ promptior adesset; sed *Vade, & dormi*, quia diuina reuelatio non erat ambitiosè quærenda, sed modestè, si quando fieret, aceptanda. Præstabat humilem dormire, quàm superbum pernoctare.

TROPOL. Gregor. *Reuelationes discutiendæ.*

16 *Et si deinceps vocauerit te.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 1. Cur priùs somnus sine locutione præcipitur, nunc autem somnus cum locutione? nisi quia non decebat dicere *loquere* nisi ei, qui vera cognitione certus existeret, quia is, qui loqueretur mentis suæ affectibus Deus esset; examinanti ergo non dicetur, quia nisi loquentem intus perfectè diiudicet locutionem spiritualem sibi adhuc incertam non debet cupere, & excipere quasi certam: dicere enim menti Deo *loquere* est internam eius inspirationem securè excipere.

LITERAL. Abul.

17 *Et si deinceps vocauerit te.* Abul. ibi. q. 3. Existimauit Heli quòd Deus vocaturus esset vlterius Samuelem ad aliquid ei significandum; non enim frustra eum ter vocasset, ideò instruxit illum, qualiter deberet respondere ad hoc, quòd se haberet reuerenter ad Deum; erat enim Samuel inexpertus, ideò nesciret loqui reuerenter ad Deum; & hoc quia adhuc erat puer: erat autem Heli senex, sciens qualiter ad Deum loqui deberemus cum reuerentia magna, sicut ad Dominos temporales.

LITERAL. Caietan.

18 *Et si deinceps vocauerit te.* Caietan. ibi. Ex eo, quòd non dicit, *Et si deinceps vocauero te*, insinuatur quòd Heli quod intellexerit, manifestauerit Samueli, videlicet quòd Deus vocauerat eum, & postea dicit: *Et si deinceps vocauerit te.*

LITERAL. Author Catenæ. Ioseph. Abul. Caiet.

19 *Et si deinceps vocauerit te.* Author Catenæ. Probabilius est Heli de Domini vocatione, & fauoribus instruxisse Samuelem, vt refert Iosephus, & asserunt Abul. & Caietan. quo prædicto etiam edocuit quanta animi reuerentia, eius esset excipienda locutio, vel humili etiam deprecatione solicitanda.

TROPOL. Gregor. *Prælatus, etiam malus, audiendus.*

20 *Dices: loquere Domine, qui audit seruus tuus.* Gregor. lib. 2. Variar. cap. 4. Per eum, qui reprobandus erat, audire quemadmodùm debuisset, didicit, vt profectò sciamus, quia maiorum imperia tunc etiam veneranda sunt, cùm ipsi laudabilem non habent vitam; quia eorum doctrina, quæ praua operatione potest superbis vilescere, humiles auditores facit ad diuinæ familiaritatis celsitudinem peruenire.

TROPOL. Idem.

21 *Dices: loquere Domine &c.* Idem lib. 3. cap. 1. Quia sacræ locutionis studio doctus est non solum per internæ visitationis gratiam loquentem Dominum deuotè audire, sed silentem etiam, vt loqui dignaretur magnis desideriis implorare.

TROPOL. Bernad.

22 *Dices: loquere Domine &c.* Bernard. Epist. 107. ad Thomam. Tu ô charissime, huic voci Dei tui dulciori super mel & fauum, si præparas autem interiorem, fuge curam exteriorem, vt expedito, & vacante interno sensu, dicas & tu cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico, secretum consilium secretum quærit auditum.

TROPOL. Damian. *Malo etiam Prælato audiendum.*

23 *Dices: loquere Domine &c.* Petrus Damian. Opusc. 13. cap. 20. Samuel edoctus est ab Heli, quid vocanti se Domino responderet; & ille quamuis reprobo Sacerdoti, quia tamen humiliter paruit, Oraculum mox diuinæ reuelationis accepit: superbum Saülem nequam spiritus vexat; & Deo Dauid obsequi crispando cytharam non recusat.

LITERAL. Abul.

24 *Dices: loquere Domine &c.* Abul. ibi. q. 3. Ista sunt verba hominis significantis se esse attentum ad ea, quæ dicebantur, & orantis, vt aliquid sibi dicatur.

LITERAL. MORAL. Mendoza. *Samuelis mira obedientia.*

25 *Dices: loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Francis. Mendoza ibi §. 42. *Audit*, ideſt, credit; nec fortasse à littera admodùm alienum, quia hic nihil faciendum præcipitur Samuli, sed credendum. Secundò. *Audit seruus tuus*, ideſt, obedit. Non dixit præcipe, quia audit, seu obedit seruus tuus, sed *loquere*; nam verus obediens imperium non expectat, sed nutum. Alterum, quod non dixit loquere, quia audiet, seu obediet seruus tuus de futuro, sed de præsenti, *quia audit*, seu *obedit*. Mira promptitudo, quasi obsequio præueniret imperium, & antequam Deus imperaret, ipse obediret. Tertium, quòd non dixerit loquere hoc, aut illud certum, aut determinatum verbum, sed absolutè *loquere*, nempe quidquid volueris. Quartum, *audit seruus tuus*, id est, discit, Samuel enim in Deum, vt discipulus in Magistrum intendebat.

26 *Dicit*

LITERAL. Salian. 26 *Dicit: Loquere Domine.* Salian. tom. 3. Annal. Ann. 2913. num. 9. Credidit hasce vocationes apparatum quemdam esse, & mox aliquid diuinitus denunciatum iri Samuëli, qui humilitate verborum aditum pararet reuelationi.

MYSTIC. Gregor. 27 *Abiit ergo Samuël, & dormiuit.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 1. Tot habet loca Prædicator Sanctæ Ecclesiæ, quot profectus vitæ. In loco suo Samuël dormiuit, cùm ordo Doctorum spiritualium rerum cognitionem cum certitudine veritatis retinuit.

LITERAL. Abul. *Et dormiuit in loco suo.* Abulensis ibi. quæst. 3. Scilicet in cellula, in qua consueuerat dormire circa Sancta Sanctorum.

MORAL. Palafox. 28 *Abiit ergo Samuël, & dormiuit in loco suo.* Ioann. Palafoxius in Historia Regali, & sacra lib. 1. Verosimile quidem est senem venerabilem per omnia solicitum, & anxium, à somno quoque longè alienum imminens periculum secum ipsum voluisse. Deus cum Samuële colloquitur, mecum nusquam. Pessimo loco res mea est. Quidnam commisi? Vbi tot officij, & obsequij mei anni? Quid cani? Quid senium? Filij quidem mei iuuenili vigore feruntur, an eos semper tenere mihi datur? An ætati condonandum nihil est? Num eos non reprehendi? En iuuenis, quem nuper instituì, præfertur nobis. Hæc fortè secum ille. Non tamen ea est via, Sacerdos; nec reus cùm sis causam Iudici tuo fatias.

TROPOL. Author Catenæ. *Obedientia facit securitatem.* 29 *Abiit ergo Samuël, & dormiuit in loco suo.* Author Catenæ. Qui Prælato suo simpliciter obedit, in vtramque, vt dicitur, aurem securus indormiat, nec aduersarij in Angelum se lucis transfigurantis illusiones pertimescat. Sic vtique Samuël verè obedientis typus expressit, dum Dei collocutionem expectans, nullo doli timore solicitus conquiescit, qui totum suum animum Prælato commiserat, iter quoque de vocatione sua Sacerdotem consuluerat.

VERSVS X.

Vulgata. *Vulgata.* Et venit Dominus, & stetit: & vocauit, sicut vocauerat secundo, Samuël, Samuël; & ait Samuël: Loquere Domine, qui audit seruus tuus.

Benedict. *Benedict. in margine.* Et vocauit, sicut vocauerat aliis vicibus.

VERSIONES.

Pagnin. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Venitque Dominus, & stetit, & vocauit, vt vice altera, & dixit, Samuël, Samuël; dixitque Samuël: Loquere, quia audit seruus tuus.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Venit itaque Dominus, & stetit, & vocauit vt semel, atque iterum Samuël, Samuël: respondit Samuël: Loquere Domine, quoniam audit seruus tuus.

Arias. *Chaldaic. ex Benedict. Arias. in Regia.* Et reuelata est ei gloria Domini, & stetit, & vocauit, vt tempore in tempore Samuel, Samuël: Et dixit Samuel: Loquere, quoniam audiens seruus tuus.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et venit Dominus, & stetit, & vocauit eum sicut semel, & semel, Samuël, Samuël, Et dixit Samuël: Loquere Domine, quia audit seruus tuus.

Sixtiana. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et venit Dominus, & stetit, & vocauit eum, sicut semel, & semel, & dixit Samuël: Loquere, quoniam audit seruus tuus.

Biblia Tygurina. Sicut vocauerat semel, & iterum. Tygur.
Mend. ibi ex Hebræo. Sicut vice, in vice. Mendoza.
Sas ibi. Aliis vicibus. Sas.
Abul. q. 3. Sicut vocauerat primò, & secundò, Samuel, Samuel. Abul.

PP. ET AVCTORES.

1 *Et venit Dominus, & stetit.* Gregorius lib. 2. Variar. cap. 4. Quia de incorporea, & inuisibili diuina substantia, illud dicitur, quod ad corpus pertinere cognoscitur, necesse est, vt rationabiliter intelligatur. Nam quo vensat, qui vbique est? Quo pacto stare, & loqui dicitur, qui corporea substantia non formatur? Sed in illa dictante substantia ponuntur verba inopiæ nostræ, per quæ surgere valeamus ad cognoscenda mysteria operationis suæ. Nam venire Dominum, est præsentia gratiæ suæ corda electorum tangere. Stare eius est, manente eiusdem gratiæ suæ dono, eas, quas tangit mentes, in concessæ gratiæ suæ dono retinere. Vocare autem eius est, electam mentem ad augmentum maioris gratiæ excitare. MYSTIC. Greg.

2 *Et venit Dominus, & stetit.* Idem lib. 3. c. 1. Quia non redire, sed venire Dominus dicitur, Iudææ destitutio, & Sanctæ Ecclesiæ visitatio designatur. Vnde non solùm venire, sed stare perhibetur. Ad Iudææ visitationem se venisse insinuat dicens. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Matt. 15. Sed veniens non stetit, quia salutis suæ bonum contemnentem deseruit. Vnde & Synagogæ Principum minatur dicens: *Relinquetur vobis domus vestra deserta.* MYSTIC. Idem. Matt. 15. Ibid. 23. 13.

3 *Et venit Dominus, & stetit.* Abul. ibi. quæst. 3. Scilicet Angelus, quia non loquebatur, Deus loqui enim non potest, vt declaratum est Exod. 23. & 25. Sed Angeli vocantur nomine Dei in veteri Testamento. Stetit, scilicet, circa Samuëlem ad hoc, quòd sciret Samuël distinctè se vocari ab aliquo, qui esset sibi propinquus loco. LITERAL. Abul. Exod. 23. & 25.

4 *Et venit Dominus, & stetit, & vocauit.* Iosephus lib. 5. Antiquit. cap. 11. Itaque rursùm Deo vocante, rogauit quid iuberet. HISTOR. Ioseph.

5 *Et venit Dominus, & stetit.* Rabbi Dauid. Stetit forma quadam aspectabili, vel imagine se illi demonstrauit. LITERAL. Rabbi Dauid.

6 *Et venit Dominus, & stetit.* Saa in Scholiis. Id est, adstitit, scilicet aliqua apparenti forma. LITERAL. Saa.

7 *Et venit Dominus, & stetit.* Franciscus Mendoza ibidem §. 2. Probabilius mihi est fuisse hanc reuelationem solùm auricularem, nulla re oculis obiecta, quales multæ aliæ fuerunt, quibus Deus Moysem alloquebatur Exod. 20. 1. Num. 7. 4. Deuter. 34. 1. Et sic de aliis frequentissimè. LITERAL. Mend.

8 *Et venit Dominus, & stetit.* Serarius in Commentar. Specie quadam corporali, vt colligitur ex versu 15. eaque pulchra, & splendida. LITERAL. Serari.

9 *Et venit Dominus, & stetit.* Cornelius in Comment. Hinc patet Deum, id est, Angelum Dei Vicarium non tantùm mentis Samuëli hæc inspirasse, sed in corpore assumpto corporali voce illi esse locutum. LITERAL. Corn.

10 *Et vocauit, sicut vocauerat secundò.* Chrysostomus lib. 3. aduersùs Vituperatores Vitæ Monasticæ tom. 5. Illum Deus iugiter alloquio familiari dignabatur, ac per illum frequens oracula edebat. HISTOR. Chrysost.

11 *Et vocauit, sicut vocauerat secundò.* Gregor. lib. 3. Variar. c. 1. Secundò quippe vocauit, quia ei Ecclesiæ MYSTIC. Gregor.

Ecclesiæ ministerio prædicationis officium duplex præbuit, vt profectò Synagogæ superbiam repellendo contereret, & humilitatem gentilitatis ad fidem vocando sublevaret. Vel certè, secundò vocatur, quia in destructionem veteris hominis, atque in noui ædificationem excitatur.

LITERAL. Liran. 12 *Et vocauit, sicut vocauerat secundò.* Liran. ibi. Istud secundò non refertur ad numerum vocationum Domini, quia iam vocauerat Samuëlem tertiò, vt habetur in Textu; sed refertur ad expressionem nominis Samuëlis, quæ in qualibet vocatione fuerat duplicata.

LITERAL. Abul. 13 *Et vocauit, sicut vocauerat secundò.* Abul. ibi. quæst. 3. Ista litera potest dupliciter intelligi: vno modo, quòd referatur ista determinatio *Primò, & secundò* ad istud verbum *Vocauit*: aliter, quòd referatur ad quoddam verbum, scilicet, *Vocauerat*; id est, quod vocauit Dominus in ista vice Samuëlem, sicut vocauerat primò, & secundò; id est, sicut vocauerat in prima, & secunda vice. Primus sensus est verus, scilicet, quòd vocauit Deus Samuëlem primò, & secundò; id est bis nominando nomen eius, & sic patet in littera, quia dicitur *Samuel, Samuel.* Simile etiam habetur Genes. 22. Vbi Deus locutus est ad Abraham *secundò*, id est, duabus vicibus, scilicet, nominans nomine illius bis, cùm dicitur *Abraham, Abraham*; Et tunc dicitur, quòd vocauit eum bis, sicut consueuerat vocare in aliis vicibus, quia in qualibet aliarum vocabat eum dicens: *Samuel, Samuël.* Secundus sensus non est verus, vel saltem conueniens litteræ; scilicet, quòd Deus vocauit Samuëlem, sicut vocauerat primò, & secundò; id est prima, & secunda vice; nam non solùm vocauit eum bis, sed etiam ter, vt patet suprà. Ideò teneatur primus sensus.

Genes. 22.

LITERAL. Saa. 14 *Et vocauit, sicut vocauerat secundò.* Emanuël Saa in Scholiis. Hebraicè aliis vicibus; quasi dicat, vt aliàs fecerat, vel quasi diceret; vocauit eum bis repetito, scilicet nomine; vt sequitur.

LITERAL. Mendoza. 15 *Et vocauit, sicut vocauerat secundò.* Franc. Mendoza §. 5. Particula *Sicut* similitudinem constituit inter hanc, & præcedentes vocationes; Primo quia omnes fuerunt auriculares, vt diximus. Secundo, quia omnes fuerunt per modum excitantis à somno. Tertio, quia omnes fuerunt per repetitionem nominis *Samuel.*

LITERAL. Author Catenæ. Abul. Sanctius. 16 *Et vocauit, sicut vocauerat secundò.* Author Catenæ. Particulam *Secundò* referunt Abulensis. Sanct. & alij ad repetitionem nominis Samuëlis; itavt sensus sit: Vocauit Dominus Samuëlem nomine eius duabus vicibus, seu bis nomine eius repetito Samuël, Samuël. Durus tamen, & insolens videtur dicendi modus, & confusio nominum ordinalium cum numeralibus. Verior dicendi modus est vocem *Secundò* referri debere ad tres primas vocationes, quæ quia omninò similes vnam specifice constituunt, & respectu huius vltimæ, prima vocatio est, seu hac posteriori prior. Est ergo sensus: Vocauit Dominus Samuëlem iterum, seu vice secunda, sicut antea iam primò vocauerat per trinam vocationem. In hunc explicationis modum magis inclinat Mendoza & Textui Hebræo videtur conformior, qui iuxta Vatabl. habet. *Et vocauit, vt semel, atque iterum.* Iuxta Pagn. *Et vocauit, vt vice altera.* Iuxta Saa. *Et vocauit, vt alijs vicibus.* Iuxta Mendozam. *Sicut vice in vice.*

Mendoza. Vatab. Pagn. Saa.

ANAGOG. Greg. 17 *Samuel, Samuel.* Gregorius lib. 2. Variar. cap. 4. Venit ergo Dominus visitans ita, vt suauiter se demonstrans, vocat ad amorem ostensæ suæ gloriæ per ardentissimum desiderium excitans. Vndè & toties excitatus puer repetito nomine vocatur, quia vocatio ex nomine designa affectum magnæ charitatis, & familiaritatis. Vnde & Moysi loquitur dicens: *Noui te ex nomine.* Exod. 33. Vocati igitur nomen iteratur, cùm in magnam iam familiaritatem internæ maiestatis mens videntis excipitur, & feruentibus desideriis ad amorem se vocantis eleuatur.

Exod. 33.

LITERAL. Cantap. Chrysost. *Proprio nomine appellari tuum attentum.* 18 *Samuel, Samuel.* Martin. Cantapretens. lib. 9. Hypotyposeon Regula 41. Sacra Scriptura, Authore Chrysostomo homil. 28. in Genes. vt attentiorem reddat vocatum, appellationem nominis eius in medium affert. Solemus enim diligentiùs auscultari quando nostris nominibus vocamur. Huius regulæ exempla passim obuia sunt, vt *Ioseph Fili Dauid noli timere*: & 1. Reg. 3. *Samuel, Samuel.*

LITERAL. Mendoza. 19 *Samuël, Samuël.* Mendoza ibidem num. 13. Vtrumque ob causam geminatur hoc loco Samuel, Samuel, vt attentissimus reddatur, & amantissimus Deo significetur.

MYSTIC. Greg. 20 *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Gregorius lib. 2. Variarum cap. 4. Quasi verbis aptioribus dicat: Ego respondi, loquere, quia aliter respondere non potui. Nam quid aliud desiderare potest mens in illo gaudio loquentis maiestatis assumpta? Dicere enim Deo, loquere, illam infallibiliter dulcem locutionem semper audire, desiderare est. Dicit ergo, loquere, qui vellet, vt nunquam taceret. *Quia audit seruus tuus*, quasi dicat, quia hoc quod experientia interni affectus excipio, æterna frui perceptione concupisco. Perit ergo vt loquatur, qui hunc nunquam in internis suis affectibus silere desiderat, ne, qui tam sublimi exaltatione, Domino loquente sustollitur, ad perferendas damnatæ humanitatis angustias, eo tacente deponatur.

LITERAL. Idem. 21 *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Idem lib. 3. cap. 1. Audire loquentem Deum, præcepta eius, operibus adimplere est. Quod contra in Euangelio reprobis per semetipsam Veritas dicit. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ioann. 18.

MYSTIC. Rupert. *Ioannes annunciatus.* 22 *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Rupertus libro 1. Commentar. cap. 12. Planè iuxta hanc normam prædictus ille Prophetarum Maximus Ioannes primò per Angelum ex nomine nunciatus, deinde ad vocem MARIÆ salutantis gaudio concussus, tertiò prophetica, vt suprà dictum est, patris voce declaratus, quartò tandem, iam scienter in deserto audiuit, quòd Dominus loqueretur; immò & orans vt Dominus loqueretur, signum accepit veri, ac iusti Sacerdotis.

TROPOL. Bernard. *Deus attente audiatur.* 23 *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Idem Sermone de Septuaginta spiritibus. Quantæ temeritatis, immò quantæ insaniæ est, si fortè dum alloquitur nos Dominus maiestatis, nos insensati auertamus aurem, & ad nescio quas ineptias conuertamur. Quanta est hæc iniuria, & quàm grauiter vindicanda, cùm vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignetur creatorem vniuersitatis! Quanta verò, & quàm ineffabilis diuinæ dignatio bonitatis, quæ quotidiè conspicit nos infelices auertentes aures, obdurantes corda, & nihilominùs clamat ad nos, & iugiter clamat in plateis! Verè in plateis, quia in latitudine charitatis. Ecce enim

enim *bonorum meorum non eges* Domine, & tamen dicis: *Conuertimini filij hominum*, Et iterum clamitas.: *Reuertere, reuertere Sunamitis: Reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Propterea obsecro vos dilectissimi, quod reminiscamini Domini, ne taceatis, & ne deris silentium ei, audientes iugiter quid loquatur in vobis Dominus Deus, quoniam loquetur pacem. Felix, & beata anima, quæ venas susurri diuini percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.*

TROPOL. Idem. 24 *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Idem Epist.42. Ad Henricum longè post mediam. Bonus puer Samuel loquenti Deo promptus aderat auditor; dicens. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus*; ac si diceret: *Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.*

TROPOL. Idem. *Paulus Samueli similis.* 25 *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Idem serm.1.de Conuers.S.Pauli: *Domine quid me vis facere?* O verbum breue, sed plenum, sed efficax, sed dignum omni acceptione! Quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abiecerunt voluntatem, vt ne ipsum quidem cor proprium habeant; vt non quod ipsi, sed quod Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione: *Domine quid me vis facere*; & illud Samuelis: *Loquere &c.*

TROPOL. Idem. *Deus secretò audiendus.* 26 *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Idem, Epist.107.ad Thom. Tu charissime huic voci Dei tui, dulciori super mel, & fauum, si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, vt expedito, & vacante interno sensu, dicas & tu cum Samuele. *Loquere Domine &c.* Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico: secretum consilium, secretum quærit auditum.

HISTOR. Comest. 27 *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Comest.in Histor.Scholast.cap.5. Cúmque vocasset eum Dominus dormientem, ait: *Loquere Domine &c.*

HISTOR. Theod. 28 *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Theodor.In proœmio ad Epist. Pauli. Samuel., vt ei Dominus appareret assecutus est, diuinæque visionis fructum percepit, & Domini Dei vocem auribus accepit, cùm quid Deus esset, nondum didicisset.

MORAL. Cassia. 29 *Loquere Domine.* Simon de Cassia lib.4.c.1. Samuel Domino ter vocanti prompta obedientia mentis respondens sanctum, & possibile esse mandatum.

TROPOL. Cassia. 30 *Loquere Domine.* Simon de Cassia lib.4. cap.4. Forte tibi loquitur Deus, & non homo, quem sæpe homo vigilando spectat. Iacebat in tabernaculo Domini Samuel cum Heli: se credens ab illo vocatum; sed tertio vigilans inquit: loquere Domine: & nota facta est ad eum in multis diuina voluntas. Vigila & tu omni oculo cum Samuele, & cum Dauid dicens, Audiam quid loquutus in me Dominus, Psal.84.

LITERAL. Author Catenæ. *Rabbi Salomon explodituer.* 31 *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Author Catenæ. Verbum *Domine* abest ab Hebræo, Chaldæo, & Græco, Sixtiano, immò à Vulgato latino iuxta aliquos Codices, vt videre est in text. Glossa ordin. Credibile tamen est breuitatis gratia fuisse omissum. Nam ratio Rabbi Salomonis, scilicet, Samuelem consulto subticuisse, ne Diabolum, si fortè illusio ea esset, Dominum appellaret, omninò tanquam inane figmentum explodenda est; facit enim Samuelem inobedientem præcepto Sacerdotis, & nimis sciolum contra consilium, & institutionem Sapientissimi veteris. Præterquam, vt benè notat Abul. quod alienum esset à ratione, cùm seruum se diceret illius eundem Dominum suum vocare detrectare, cùm eadem vtriusque sit ratio, noménque correlatiuum. Abul.

32 *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* TROPOL. Venerab.Balthazar Aluarez apud Venerab. Ludodouicum Pontanum in eius vita cap.3. Domine mi IESV vterque à Patre munus duplex accepimus, dum dixit Matth.17. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*; Præceptoris tu: ego Discipuli. Si gloriæ quidem tuæ est, vtrumque modo expleamus. Etsi quidem Magistri dicere est, audientis autem silere, silebo ipse; loquere tu Domine, quia audit seruus tuus. Balthaz. Aluarez. Pontan.

33 *Loquere Domine.* Petrus, Vermil. Hæreticus ibi. Nec interponit nomen Iehouah quemadmodum Heli mandauerat; quod Rabbi Dauid Kimhi factum idcircò putat, quòd illud nomen Dei tremendum sit, nec proferri à quouis homine debeat; quasi puer in hoc fuerit Pontifice sapientior. Friuola hæc sunt, & à vero aliena, Deus quippe illud nomen propterea hominibus indicauit, vt eo ab illis inuocaretur. Dicendum potùs, aut historiam non referre anxiè ac solicitè plenum responsum, aut illum timore, ac nouitate rei sibi excidisse, vt non totum id responderit, quod animo conceperat; Id autem non rarò accidere solet iis qui orationem habent apud Reges, & Imperatores; illorum quippe maiestate, ac magnitudine, sic perturbantur, vt sibi ipsi minimè constent. LITERAL. Vermil.

VERSVS XI.

VVlgata. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius. Vulgata.

Text. Glossa in margine. Ecce ego facio *rem. vnam* in Israel, quam &c.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Dixitque Dominus ad Samuel: Ecce facio rem in Israel, quam omnis qui audierit, tinnient ambæ aures eius. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Et ait Dominus ad Samuelem; En ego faciam rem in Israel, vt quicumque audierit, ambæ aures eius tinniant. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm in Regia. Et Dominus ad Samuel: Ecce ego faciens verbum in Israel, quod omnis, qui audierit illud, tinnient ambæ aures eius. Atiasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel, vt quicumque audierit hæc, tinnient ambæ aures eius. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et dixit Dominus ad Samuel: Ecce ego facio verba mea in Israel: omnis audientis ea, tinnient ambæ aures eius. Sixtian.

Francis. Mend.ibi.§.19. Aures tunnient; Græcè *resonabunt*. Hebraicè *pauebunt, contremiscent.*

PP. ET AVCTORES.

1 *ET dixit Dominus ad Samuelem.* Abul.ibi. quæst.3. Scilicet Angelus Dei, qui hæc in persona Dei significabat. LITERAL. Abul.

2 *Et*

LITERAL. Caietan. 1 *Et dixit Dominus ad Samuelem.* Caietan. ibi. Quia inferius in hoc eodem capitulo diuinus iste sermo appellatur Visio, ideò hoc diuinum dicere internum fuit, ita quod vigilanti Samueli, non exteriori voce, non sensibili sermone, sed interna apparitione Deus locutus est, quemadmodum apparet nobis dormientibus aliquis loquens. Et hinc perpendimus à quanta excellentia prophetiæ inceperit Samuelis gratia prophetica: celsus enim prophetiæ gradus est vigilantem hominem videre, & audire intus Deum loquem sibi.

LITERAL. Author Catenæ. *Qua voce locutus Deus.* Caiet. 3 *Et dixit Dominus ad Samuelem.* Author Catenæ. Voce, vt credo, sensibili, & externa, cuius generis fuerat multiplex illa, qua à somno excitatus Samuel fuerat. Ratio autem Caietani in contrarium, non solùm infirma est, verum quæ eiusdem menti aduertetur, nempe inferiùs hanc Dei, & Samuelis collocutionem, Visionem dicit, quæ, vt ipse credit, internam apparitionem, & locutionem significat. Non assentior, imò potiùs nomen *visio* externam apparitionem, & sensibilem visionem

Salian. indicat, vt notat Salianus, cùm vulgò de oculis potiùs, quàm de animo accipiatur; de oculis enim primò, & propriè dicitur, de animo autem solùm translatitiè, & tropicè.

Epræm. 4 *Ecce ego facio verbũ in Israel, quod &c.* Ephræm Syrus de Virture cap. 2. Samuel per obedientiam, quam Heli Sacerdoti præstitit, dignus habitus est, qui vocem Dei audiret.

LITERAL. Hieron. Angelom. Rabban. 5 *Ecce ego facio verbum in Israel.* Hieron. vel potiùs Author Tradit. Hebraïc. Hoc in loco comminatio Dei est super Heli, & super domum eius, eo quòd in peccato filiorum Heli arca Dei caperetur, & Israel rueret, & eius filij interirent, & domus Heli Sacerdotio domus Domini priuaretur, & ob id factum audientium aures tinnirent stupore vehementi.

LITERAL. MYSTIC. Gregor. 6 *Ecce ego facio verbum.* Gregor. lib. 2. Variar. cap. 4. Inter dona quippe sublimia electa mens eo cautiùs ab elatione compescitur, quo per omnipotentis Deus iustitiam etiam illos repulsos aspicit, qui donis sublimioribus fulti esse videbantur. Quare & de verbo, quod facturum se esse Dominus minatur, tinnire aures audientium prædicuntur; aures quippe corporis tinniunt, cùm intolerabili somno impetuntur. Nam cùm vltra auditus capacitatem, ei clamor infunditur, hunc, quem officij angustia sonitum reiicit, in tinnitum vertit; quia dum per aurium antea vox sibilabat, intus simul ad interiora non intrat, ad aures verò mentium intolerabilis clamor, est alicuius magni repulsio Prædicatoris. Clamoris ergo effusi magnitudo non capitur, quia dum sublimia dona Prædicatori reprobo concessa recoluntur, quo diuinæ æquitatis examine proiicitur, ignoratur.

HISTOR. Ioseph. 7 *Ecce ego facio verbum.* Ioseph. lib. 5. Antiquit. cap. 12. Tum Deus: quando inquit, præstò es, audi imminere Israëlitis cladem maiorem, quam credibile est, & filios Heli vna die perituros.

HISTOR. Procop. 8 *Ecce ego facio verbum.* Prosper Achitan. lib. de Promissionib. Dei part. 2. cap. 24. Datus ex Anna, natúsque est Samuel, quem ablactatum, vt promiserat, reddidit Domino; eiúsque gratiæ fuit, dum paruulus versaretur in Templo, vt & diuina responsa acceperit, & ei futura Dominus nunciaret. Sed is non tantùm in figura mutauit ordinem Sacerdotij, quantùm in illo tria quædam inueniuntur, quæ Christo sunt Domino consignanda: Dux enim & Sacerdos, atque Propheta effectus est populi.

9 *Ecce ego facio verbum.* Petrus Damian. Opusc. 13. cap. 20. Nolite de Priorum vestrorum perperam forte viuentium, meritis disputare, & non qua via gradiantur, sed cuius vice fungantur, attendentes, illis in Christo humiliter obedite. Samuel, quamuis reprobo Sacerdoti, quia tamen humiliter paruit, oraculum mox diuinæ reuelationis accepit. Superbum Saülem nequam spiritus vexat, & ei Dauid obsequi pulsando cytharam non recusat. TROPOL. Damian. *Prælato etiam malo audiendum.*

10 *Ecce ego facio verbum.* Rupert. lib. 4. de Victoria Verbi Dei cap. 10. Missum est contra Heli verbum Domini, cum quo vel per quod Iudices, vel seniores omnes tam veteres, quam nouimeruerunt sedere coronati. MYSTIC. Rupert.

11 *Ecce ego facio verbum.* Liran. ibi. Idest, faciam de propinquo: quia quod modicum distat, quasi nihil distare videtur. LITERAL. Lira.

12 *Ecce ego facio verbum.* Abul. ibi quæst. 3. Verbum accipitur hîc pro re, sic etiam sæpe accipitur in aliis locis: sicut cùm quæsiuit Dauid: *Quod est verbum, quod factum est in castris?* idest, quid est, quod accidit in castris? infrà lib. 2. cap. 1. LITERAL. Abul.

13 *Ecce ego facio verbum.* Caietan. ibi. Propter propinquam executionem vtitur præsenti tempore. LITERAL. Caiet.

14 *Ecce ego facio verbum.* Nauclerus Generat. 31. Indicauit eadem, quæ priùs per Angelum annuntiara fuerant. HISTOR. Naucl.

15 *Ecce ego facio verbum.* Bartholomæus de Escobar ser. 5. de Samuele. Hac parentis socordia fastiditus Deus discutiendam ad se causam aduocauit, vt non solùm sceleratos ipsos mala morte puniret Sacerdotes; sed etiam remissum in eorum correptione parentem; eo, vel maximè quòd à Deo ipso de correptione ista ore Samuelis fuerat admonitus. HISTOR. Escobar.

16 *Ecce ego facio verbum.* Serar. ibi Liranus refert ad Arcæ captionem. Abul. ad Sacerdotum cædem. cap. 22. Ego ad vtrumque, & omnia horribilia ipsis coniuncta. LITERAL. Serar.

17 *Ecce ego facio verbum.* Francis. Mendoza ibi §. 4. Ipse Deus se huius supplicij autorem profitetur, ne quis putaret illas plagas casu, & fortuitò, aut ordinario saltem secundarum causarum progressu contigisse; sed à Deo peculiari suæ prouidentiæ consilio immissas esse non dubitaret. LITERAL. Mendoza.

18 *Ecce ego facio verbum.* Thom. à Villanoua Archiepisc. Valentiæ Conc. 1. de Iudicio. Venit in mundum, incarnatus est, humiliatus est: in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, flagellatus, illusus, spurus, occisus est. MYSTIC. Villan.

19 *Ecce ego facio verbum.* Author Catenæ. Liranus comminationem hanc de Arcæ captione, & Israelitarum profligatione, quæ proximo prælio successit, exponit. Abul. autem de nece filiorum Heli, eiusque domus deturbatione à Summo Sacerdotio. Sed probabilius æquè de vtroque accipiendam, cum Dionysio, Saliano, & Mendoza; vtraque enim mala à filiorum Heli nequitia, eorumque parentis incutia ortum habuisse constat. Itaque de vtroque excidio aptius diuina comminatio exponi potest. LITERAL. Author Catenæ. Lira. Abul. Dionys. Salian. Mendoz.

20 *Quod quicumque audierit, tinnient amba aures eius.* Gregor. suprà. Ambæ audientis aures tinnient, quia cùm summorum virorum ruina ostenditur, electorum intentio vtraquè turbatur, quia vt patienti corde ad contemplanda æterna se erigunt, & sine ingenti formidine temporalia non disponunt. MYSTIC. Gregor.

21 *Tinnient amba aures eius.* idem ibidem. Aptè MORAL. Idem.

non

non nisi audientium aures tinnire prædicuntur; nam in Euangelio hoc admonet dicens: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Qui enim tota intentione ad ea, quæ foris sunt, vigilant, hunc timoris tinnitum nesciunt, quia super se diuinorum iudiciorum altitudinem nequaquam pensant.

Histor. Angel.

22 *Tinnient amba aurea eius.* Angelom. in Stromatibus. Hoc in loco comminatio Dei est super Heli; & sic per domum eius, in eo, quòd in peccato filiorum Heli arca Dei caperetur, & Israël rueret, & eius filij interirent, & domus Heli Sacerdotio domus Domini priuaretur; & ob id factum audientium aures tinnirent, ob stupore vehementi.

Literal. Lira.

23 *Tinnirent amba aures eius.* Lira ibidem. Id est, erit attonitus præ admiratione, & stupore. Et hoc dicitur de captione arcæ futura, prout habetur cap. seq. quia talę factum nunquam acciderat in Israël; fuit enim magnæ admirationis materia, quòd Deus permisit arcam capi ab infidelibus, quæ tantæ reuerentiæ erat, vt si videretur aperta à Leuitis, & Dei cultoribus, moriebantur.

Literal. Abul.

24 *Tinnient amba aurea eius.* Abulensis ibidem. quæst. 3. Id est ita erit terribile istud, quod ego faciam, quòd omnes audientes erunt attoniti. Et est hîc metaphora; quando enim aliquis audit verbum nimis fortè, aures eius tinniunt, & interdum homo cadit attonitus; ita res illa, quam Deus facere debebat, erat fortis quòd quicumque audiret eam timeret nimis. Sed magis est hoc intelligendum de morte posteritatis Heli, scilicet, quando occidit Saul 85. viros vestitos ephod de domo Achimelech, & pertinebant isti ad domum Heli. Et patet quòd intelligatur de hoc; quia quanquam captio arcæ fuerit aliquid terribile, non tamen erat hoc pœnale soli domui Heli, sed toti Israëli. Si enim captâ arcâ superstites fuissent filij Heli, & nunquam fuisset mutatum Sacerdotium de domo ipsorum, non videbatur ex hoc eis aliqua specialis afflictio. Hic tamen Deus intendebat prænunciare afflictionem pertinentem ad domum Heli.

VERSVS XII.

Vulgata. *Vulgata.* In die illa suscitabo aduersùm Heli omnia, quæ locutus sum super domum eius: Incipiam, & complebo.

Benedict. *Benedict. in Margine.* Super domum Heli à principio vsque in finem.

VERSIONES.

Pagnin. *Hebraic. ex Xante Pagn.* In die illa suscitabo super Heli omnia, quæ locutus sum super domum eius incipiendo, & finiendo.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatabl.* In illa die suscitabo contra Heli omnia, quæ locutus sum super domum eius (ab initio) incipiam, & perficiam.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* In die illo firmabo Gheli omnia, quæ locutus sum super hominem domus eius, & conficiam, & consummabo.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* In die illa suscitabo aduersùm Heli omnia, quæcumque locutus sum contra domum eius, incipiam, & complebo.

Sixtiana. *Græc. ex Septuag. in Sixtiana.* In die illa suscitabo super Heli omnia quæcumque elocutus sum in domum eius; incipiam, & consummabo.

Caietan. ibid. Incipiendo, & finiendo. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *IN die illa suscitabo aduersùm Heli.* Abul. ibi. quæst. 3. Id est, tunc faciam omnia, quæ dixi contra Heli. Non est autem intelligendum, quòd in aliqua vna die hæc fierent; sed accipitur dies pro tempore omni in quo aliquid completur de his, quæ prænunciata sunt super domum Heli. Et dicitur hic: *Quæ locutus sum*, quia non dixerat nunc nouiter Deus mala super domum Heli, sed etiam ante hoc, scilicet quia vir Dei veniens ad Heli prænunciauerat ei multa, vt patet præcedenti cap.

Histor. Comest. 2 *In die illa suscitabo aduersùm Heli.* Petrus Comest. in Historia Scholast. cap. 5. Indicauit ei eandem comminationem in domum Heli, quam priùs fecerat per virum Dei.

Literal. Caiet. 3 *In die illa suscitabo aduersùm Heli.* Caietan. Per virum Dei, quem misi ad Heli.

Literal. Mendoza. Dies illa quid? Isa. 4. & 22. 4 *In die illa suscitabo aduersùm Heli.* Francis. Mend. ibid. §. 1. Dies magnæ fœlicitatis, & magnæ calamitatis per Antonomasiam dicuntur in Scriptura *dies illa.* Illud prius patet Isaiæ 4. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria.* Hoc posterius patet Isa. 22. *In die illa vocabit Dominus ad fletum, & ad planctum.* Ierem. 4. *In die illa peribit cor Regis, & cor Principum.* Ait igitur hoc loco Dominus: In die illa non designando certam diem, sed certam diei calamitatem indicando. Vnde non oportet referre hunc diem ad illum tantùm, in quo arca Dei capta, & Heli mortuus est: sed ad totum tempus, quo prædictæ procellæ in posteritatem Heli detumuere. Ierem. 4.

Literal. Mend. 5 *In die illa suscitabo.* Idem ibi. §. 2. Quoto anno ab hac denuntiatione hoc supplicium inceperit, ex his, quæ diximus n. 1. §. 2. constare potest; nempe anno pòst vigesimo octauo, si Heli erat septuagenarius, quando Samuël habuit hanc reuelationem, aut decimo octauo, si Heli erat octogenarius. Vnde patet quantum temporis Deus inter minas, & pœnas interponat; vt tandem constet quanta maturitate ad supplicium feratur, & quanto spatio dissimulet peccata hominum, & eorum pœnitentiam præstoletur.

Morat. *Dei expectatio.*

Morat. Idem. 6 *In die illa suscitabo.* Idem ibi. Hanc ob causam voluit Deus Sacerdotem Heli, eiusque posteros certos facere de supplicio subeundo; de tempore autem supplicij relinquere incertos, vt perpetuo timore afficerentur.

Tropol. Author Catenæ. *Dei minæ obdormiscunt.* 7 *In die illa suscitabo.* Author Catenę. Facilè Dei minæ obdormiscent, nisi humanus eas furor consopitas suscitet, & sibi ipsi infensus, diuinam vindictam vlteriori processu impius soliciter. Quod quidem malum impio obtigit Sacerdoti, qui semel admonitus, & terrefactus nihilo prudentior factus, diuinâ comminationę in suum ipse caput excitauit Vnde ad Samuëlem Dominus: *In die illa suscitabo.*

Literal. Abul. 8 *Incipiam, & complebo.* Abul. ibi. q. 3. Si referatur ad diem, in quo capta est arca, non est sensus quòd ea die, qua cepit, pœnalitas contra domum Heli finiretur; quia multò post finita est, scilicet, tempore Abiathar, quando expulsus est ex summo Sacerdotio, infrà lib. 3. c. 2. Sed est sensus: *Incipiam, & complebo*, id est, quanquam non in eadem die finiam, in qua incipio, tamen ego finiam.

LITERAL. Caietan. 9 *Incipiam, & complebo.* Caietan. ibi. Parum refert quòd Hebraicæ habetur: *Incipiendo, & finiendo*, vt intelligeretur quòd non solùm cito exequeretur incipiendo, sed etiam persequeretur vsque ad finem.

LITERAL. MORAL. Salian. *Dei longanimitas.* 10 *Incipiam, & complebo.* Salian. tomo 3. Annal. ann. Mundi 2913. num. 12. Hæc verba ostendunt non fuisse admodùm propinquam cladem, quæ denuntiabatur, vt malitia filiorum Heli compleretur, & inexcusabiles fierent tam ipsi, quàm eorum parens. Dilata verò fuit executio ipsa viginti sex annis, totidem enim vsque ad mortem Heli, & filiorum eius numerantur; tanta est longanimitas. & indulgentia peccatorem expectantis, & dissimulantis peccata hominum per pœnitentiam. Sed quia pro suæ scientiæ infinitate eorum impœnitentiam præuidit, propterea vltionem certò futuram asseueranter affirmat, sicut vltio perpetua futura sit, & nullis muneribus, aut victimis expiabilis.

LITERAL. Author Catenæ. 11 *Incipiam, & complebo.* Author Catenæ. Sunt qui *Incipiam & complebo* pro eodem sumant duplicata affirmatione, ita vt sensus sit: prosequar quidem, nec vsquam desistam, vsque dum omninò compleuero, quibus fauet Hebræus, qui habet *incipiendo, & finendo*, & Chaldæus potiùs, qui legit: *Conficiam, consummabo*; quem sensum multis comprobat Mend. cui facile & ipse subscribo. Mendoza.

VERSVS XIII.

Vulgata. *VVlgata.* Prædixi enim ei, quòd iudicaturus essem domum eius in æternum propter iniquitatem, eo quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.

Benedic. *Benedict. in margine.* Propter iniquitatem, quoniam ipse nouit &c.

Glossa. *Text. Gloss.* Propter iniquitatem eius. *Et in margine.* Eo quòd nouerat quòd maledicerent eis filij sui, & non prohibuerit eos.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et indicabo ei, quòd iudico domum suam vsque in seculum propter iniquitatem, quam cognouit, quia contemnebant se ipsos filij eius, & non prohibuit eos.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Indicaui autem ei, quòd iudicaturus sim domum eius perpetuò, propter iniquitatem, quam ipse non ignorauit, quòd scilicet, filij eius contemptores fuerunt, nec ipse mœrore eos affecit.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm in Regia.* Et ostendam ei quòd vlciscens ego ab homine domus illius, vsque in sæculum in peccatis, quæ cognouit: Quoniam prouocantes sibi filij eius, & non prohibuit in eis.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et nunciaui ei, quòd vlciscar ego domum eius, vsque in æternum in iniquitatibus filiorum eius, quibus nouerat quòd maledicentes Deo filij eius, & non admonebat eos.

Sixtian. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et annunciaui eis, quia vlciscar ego domum eius vsque in æternum, in iniustitiis filiorum eius, quoniam maledicentes Deum filij eius, & non monebat eos.

S Anton. Abb. *Sanctus Antonin. Abb. Serm. 10. in lib. 2.* Filij eius maledicebant Deo, nec illos castigauit.

Lucifer apud Flamin. Nobilium in Schol. Sixtiana. Propter iniquitatem filiorum eius, quam ego scio. Lucifer.

Caietan. ex Hebræo. Et indicabo ei, quòd ego iudicans domum eius in sæculum in iniquitate, quam sciuit, quia blasphemantes eis filij eius, & non corripuit eos. Caiet.

Vatabl. in Schol. Quia filij eius contemnebant se ipsos; *ideſt Contemptibiles se reddebant. Primo scriptum erat apud Hebræum*: Contemnebant enim me; *ideſt, anteponebant honorem suum, & propriam vtilitatem honori meo. Sed quia hoc durum erat, & nimiùm detrahens honori Dei, correxerunt illud Scriptores Hebræi, & scripserunt, vt suprà dictum est.* Vatab.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Gregor. 1 *Prædixi enim ei, quòd iudicaturus essem domum eius.* Gregor. lib. 2. Variar. cap. 4. Quia enim plerumque iustæ seueritatis sententia per clementiam temperatur, magnæ districtionis hoc iudicium est, vbi animaduersionis sententia replicando asseritur; prædixit enim superiùs Heli, cùm per virum Dei, suppresso nomine, deiectionis eius sententiam nunciauit; quia verò & nunc idem se acturum iurat, profectò damnationis iudicium replicat.

MYSTIC. Gregor. 2 *Prædixi enim ei &c.* Idem lib. 3. Variar. c. 1. Domus Heli, ideſt Sacerdotij veteris, Iudæa fuit; quam dum per conuersationem reprobam coluit, prauitatis suæ maculis immundam fecit, qui profectò filios suos indignè agere conspexit, quia summum Sacerdotium minoris ordinis Sacerdotes, in Redemptorem sæuientes vidit, & eos non corripuit, nec ab effusione tanti sanguinis vlla eos autoritate reuocauit. Idcircò ei diuina comminatione promittitur, quòd domus eius in æternum iudicetur: Iudicare etenim Dei damnare est. In æternum ergo iudicatur, quia perire æterna pœna decernitur.

LITERAL. Abul. 3 *Prædixi enim ei, &c.* Abul. ibi. quæst. 4. Pœna priuatiua erat in priuatione summi Sacerdotij, & ista durauit in æternum, cùm priuata est ipsa Heli summo Sacerdotio tempore Abiathar, & nunquam postea rediit ad ipsum, neque ad alios posteros, sed mansit in stirpe Sadoch, qui erat de filiis Phinees.

LITERAL. Saa. 4 *Quòd iudicaturus essem domum illius.* Emanuel Saa in Schol. Ideſt, pœnas sumpturus.

LITERAL. Mendoza. 5 *Quòd iudicaturus essem domum illius.* Francis. Mendoza §. 1. redditur hæc prædictio tanquam ratio à posteriori supplicij exequendi. Quasi diceret: Idcircò incipiam, & complebo, quia absolutè prædixi. Quamuis enim diuina comminatio sæpissimè reuocari soleat; nunquam tamen si absolutè intendatur.

HISTOR. Ioseph. 6 *Eo quòd nouerat indigne agere filios suos.* Iosep. lib. 5. Antiquitat. c. 11. Elis enim pluris fecit filios suos, quàm meum cultum, idque ne cum ipsorum quidem commodo.

LITERAL. Caiet. 7 *Eo quòd nouerat indignè agere filios suos.* Caietan. ibi. Iuxta Hebræum habetur, *quia blasphemantes eis filij eius.* Sacrilegia filiorum superiùs scripta circa diuinas victimas appellantur blasphemiæ. Pronomen autem *Eis* demonstrat propriè Sacerdotes; irrogabant enim ignominiam magnam, quasi blasphemiam Sacerdotibus omnibus.

8 *Eo*

TROPOL. Author Catenæ. *Impius sibi nocet.*

8 *Eo quòd nouerat indignè agere filios suos.* Author Catenæ, Hebræus Codex habet. *Quia contemnebant se ipsos filij eius*; Vbi aduerte 1. contemptum cæremoniarum, & diuini cultus, quem fecerant impij Sacerdotes, non spreto *Deo*, sed insanis contemptoribus referri: neque enim furores nostri Medico officiunt, sed nobis. 2. Aduerte, quantumquisque sibi, & proprio honori inseruire debeat, is præcipuè, qui publico munere, seu honore fungitur; debet enim de bono nomine curam habere iuxta Scripturæ consilium.

Prælatus ne se contemnat.

TROPOL. Ephræm. *Correctio segnis nulla.*

9 *Et non corripuerit eos.* Ephræm Syrus Apolog. de Heli. Cùm Scriptura de Heli Sacerdote atteſtetur, quòd filij eius maledicebant Deo, ipsèque non corripuerit eos, quomodo ergo reperitur ab eo eosdem monitos fuisse, atque correptos? Quam arbitratus est admonitionem, non est admonitio, sed socordia, & negligentia eius in Deum amoris, eo quòd nimiæ indulgentiæ, conniuentiæque testimoniis contineretur ipsius Heli modus. Sed & hoc dispensationis fuit, vt proprio ipsius testatum sit ore de filiorum iniquitate, sicut scriptum est: *Heli autem erat senex valde, & audiuit quæ faciebant filij sui.*

TROPOL. Chryſ. *Prælatus ne sit deses.*

10 *Et non corripuerit eos.* Chryſ. lib. 3. de Prouidentia, non longè ab initio tom. 5. Heli per filiorum vitia, immò per suam negligentiam offendit Deum; neque enim ideò quòd malos haberet filios, puniebatur, sed quia vltra debitum increpationi pepercerat, & cùm Dei leges violarentur, seueriùs in illos vltus non est.

TROPOL. Chryſ. *Correctio segnis nulla.*

11 *Et non corripuerit eos.* Chryſ. hom. 26. ad pop. Antioch. tomo 5. Et Heli admonebat (sed absit vt vos illis comparem filiis) & ille, inquam, admonebat, & dicebat: *Nolite filij mei sic facere, non enim est bona fama, quam ego de vobis audio*, sed procedens ait Scriptura: *Eo quòd non corripuerit filios suos*, eo quòd non acriter, neque cum increpatione hoc fecerit.

TROPOL. Gregor. *Ira interdum necessaria.*

12 *Et non corripuerit eos.* Gregor. ad c. 5. Iob. vers. 2. in Moralib. Sciendum est quòd alia est ira, quam impatientia excitat: alia, quam zelus iustitiæ formar: illa ex vitio; hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, diuinæ animaduersionis impetum Phinees per gladium non placasset. Hanc iram, quia Heli non habuit, moram contra se implacabiliter supernæ vltionis excitauit; nam quò contra subditorum vitia repuit, eò contra illum districtio æterni Rectoris exarsit.

TROPOL. Fulgent.

13 *Et non corripuerit eos.* Fulgentius epist. 1. c. 10. Neque enim & de malis operibus filiorum non erit in illa terribili examinatione parentum negligentia iudicanda, cùm & in hoc sæculo propterea Heli Sacerdos à Deo reprobatus fuerit, & abiectus; non quia filiis in iniquitate consensit, sed quia peccantes, mansueto quamuis sermone monuerit, prohibere tamen competenti seueritate cessauerit.

TROPOL. Rupert. *Prælatus qualiter debeat corrigere.*

14 *Et non corripuerit eos.* Rupert. lib. 1. in Deuter. cap. 11. Numquid tam molliter dixisse contentus esse debuit; *Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio res pessimas in omni populo? Nolite filij mei.* Nonne armaturam zeli, qualis vel quanta super filios inobedientes esse debuerit Sacerdos longæuus ex ista legis lectione scire potuit? Rectè igitur quamuis dixisset: *Nolite filij mei*; rectè inquam, arguitur non corripuisse filios suos Pater Heli, Domino dicente: *Et magis honorasti filios tuos, quàm me.* Itémque de illo; *Eo quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuit eos*: Neque enim corripuit, qui non legitimè corripuit. Meminerit huius omnis Pater spiritualis, qui benè didicit præesse domui Dei.

15 *Et non corripuerit eos.* Hier. in cap. 1. Marcî. Multi benè agunt, sed non benè corrigunt, vt fuit Heli: & multi benè corrigunt, sed non benè agunt, vt fuerunt Scribæ, & Pharisæi. TROPOL. Hieron.

16 *Et non corripuerit eos* Beda lib. 1. Exposit. Allegor. cap. 2. Corripuit quidem filios Heli: sed quia correptionem spernentes abiicere supersedit, vnà cum ipsis deperiit. TROPOL. Beda.

17 *Et non corripuerit eos.* Petrus Damian. Epist. 3. in lib. 4. Quamuis temetipsum præbeas vernantis pudicitiæ candore conspicuum, permittis tamen, vt in Clero tuo, tanquam cruenta illa Iezabel obtineat luxuria principatum. Quid enim profuit Heli, quia in luxuria ipse non corruit, sed fornicantes filios paterna quidem pietate, non autem sacerdotali autoritate corripuit? TROPOL. Damian. *Prælatus sit fortis.*

18 *Et non corripuerit eos.* Ioannes Tritem. Abb. Orat. 4. de Cura pastorali. Memento quid Heli Sacerdoti acciderit, qui delinquentes filios non correxit, pro eorum peccato damnatus est, quoniam quos Sacerdotali autoritate corrigere debuit, pernicioſa compassione incorrectos dereliquit. TROPOL. Tritem.

19 *Et non corripuerit eos.* Sulpitius Seuerus lib. 1. de Sacra Historia. Quanquam plerumque eos Pater increpasse referatur; sed leuior obiurgatio non satisfecerat disciplinæ. TROPOL. Seuer.

20 *Et non corripuerit eos.* Hermaſ. lib. 1. Non tui causâ irascitur Dominus, sed propter domum tuam ô Heli; & tu cùm sis amator filiorum, non commouisti domum tuam, sed dimisisti illos violenter conuersari. Propter hoc irascitur tibi Dominus. TROPOL. Hermaſ.

21 *Et non corripuerit eos.* Theophilactus in c. 2. epist. 1. ad Timoth. Quid si bona, & honesta sit mater, liberos verò suos malos toleret? Quod si eos negligat, illisque indulgeat, habebit exemplum pœnæ, & vindictæ, id quod Heli contigit. TROPOL. Theoph.

22 *Et non corripuerit eos.* Abul. ibi. quæst. 4. Aliquis dicet, quòd corripuit, quia increpuit eos dicens non esse rem bonam, quam faciebant filij sui. Respondendum est, quòd correptio Heli fuit remissa nimis, quia solùm dixit: *Quare facitis res huiusmodi? Nolite facere filij mei.* Quod autem inutile, vel parum est, nihil esse videtur. Debuerat autem Heli pro tam enormibus sceleribus nimis increpuisse filios suos. TROPOL. Abul. *Correctio segnis nulla.*

23 *Et non corripuerit eos.* Caietan. ibi. Hebraica dictio significat *Prohibere* posthabita ratione honoris eius, cui fit inhibitio, in hoc enim peccauit Heli; quod quamuis arguerit filios, non tamen sic, vt honorem Dei præposuerit honori filiorum; noluit enim confundere filios, vt superiùs dicta per Prophetam ad Heli testantur. LITERAL. Caiet.

24 *Et non corripuerit eos.* Hugo Charenſ. in Postilla. Autoritate Pontificis, neque seueritate patris, sed potiùs lenitate matris: quod valdè timendum est Prælatis. LITERAL. Charen.

25 *Et non corripuerit eos.* Gaspar Sanctius ibi. num. 29. & 30. Corripuit Heli filios suos, sed molli corripuit brachio, in qua correptione apparebat magis parentis indulgentia, quàm Sacerdotis zelus, & Iudicis seueritas; quare correptio illa, quia leuis fuit, & filiorum non fregit audaciam, & profusam illam intemperantiam LITERAL. Sanctius.

non cohibuit, correctio appellari non debuit. Vbi Vulgatus *non corripuit* Hebraice est כהה Kahâh, quod rugare significat, nempe frontem aut nares, qui enim irati sunt, aut offensi, aut aliquid vident tetricum, & odoratum graue; frontem corrugant, & contrahunt, quod aliter Latini caperare dicunt frontem. Vnde rugare frontem, idem est, quòd tristem esse aliquem, seu seuerum, aut tristem alicui vultum ostendere, sicut contrà, Explicare frontem, exporrigere, & similia, hilarem significant, & amicam faciem.

VERSVS XIV.

Vulgata. *Vulgata.* Idcircò iurauí domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum.

Benedict. & Text. Gloss. in margine. Victimis, & oblationibus vsque in æternum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et idcircò iurauí domui Heli, si expiabitur iniquitas domus Heli sacrificio, & oblatione vsque in sæculum.

Vatabl. *Hebraica ex Francis. Vatab.* Et hanc ob causam iurauí domui Heli, quod iniquitas domus Heli non sit expianda perpetuò, nec victimis, nec sacrificio cibario.

Atiasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et ideò iurauí domui Gheli, si remittentur debita domus Gheli in oblatione Sanctorum, & in oblationibus vsque ad sæculum.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et non sic iurauí domui Heli: Si placabitur iniquitas domus Heli in incenso, vel in victimis vsque in æternum.

Sixtia. *Græc. ex Septuag. in Sixtiana.* Et neque sic iurauí domui Heli: Si propitiabitur iniustitia domus Heli in incenso, & in sacrificiis vsque in æternum.

S. Lucifer. *S. Lucifer apud Flamin. in Schol. Sixtian.* Et nunc sic iurauit domui Heli.

Caietan. *Caietan. ibi* Si expiabitur iniquitas domus Heli sacrificio, & munere vsque in sæculum.

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Chrysost. 1 *Idcircò iurauí domui Heli.* Chrys. aduersus Vitup. Vitæ Monast. lib. 3. tom. 5. Vidistíne ingentem indignationem, cruciatúmque vehementissimum, & omninò spe veniæ exclusum? Prorsùs illum perire necesse est; nec ipsum modo, vel eius filios, verùm cum illo domum quoque vniuersam, nullúmque medicamentum erit, quòd vulnus istud curare possit.

Mystic. Rupert. 2 *Idcircò iurauí domui Heli.* Rupert. in Comment. cap. 13. Tum domui Heli iurauit Dominus, quòd non expiaretur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum, quando per Ioannem enunciauit securim positam esse ad radicem arboris, dignum pœnitentiæ fructum non facientium.

Literal. Lira. 3 *Idcircò iurauí domui Heli.* Lira ibi. Idest firmiter, & absque retractatione dispositi.

Literal. Abul. 4 *Idcircò iurauí domui Heli.* Abul. ibi. q. 4. Ponitur istud ad verificandum, quòd ista denunciatio non est secundùm continuationem, sed secundùm certitudinem diuinæ scientiæ; ideò nunquam mutabitur, etiamsi posteri Heli boni essent, & quia illa, quæ homo sub iuramento asserit, firmiora esse debent, quàm ea, quæ sub iuramento promittentur, dixit Deus se iurasse: in Deo, tamen siue iuret, siue non iuret, semper est certitudo.

Literal. Caietan. 5 *Idcircò iurauí domui Heli.* Caietan. ibi. ad manifestandum imminobilitatem diuinæ sententiæ scribitur iuramentum.

Literal. Author Catenæ. 6 *Idcircò iurauí domui Heli.* Author Catenæ. Quando hoc Deus iuramentum emiserit, non constat; ex hoc autem loco emisisse dubiú non est; plura enim per recapitulationem in Scripturis indicantur, quorum antea mentio non fuerit facta. Cùm verò Deus iurasse dicitur, non propriè, & Theologicè iurare, docent & ratio, & Theologia. Cùm primò, Superiorem non habeat, cuius autoritatem religiosè interponat: tum secundò, quia cùm ipse prima sit, & infallibilis veritas, nullo modo eius verbis vis, seu certitudo ex iuramento additur. Iurare autem dicitur, vt humano more, asseuerare vel promissiones, vel comminationes, ostendatur. *Iurauit*, inquit, „*Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum*, &c. Psalm. 109.

Deus propriè non iurat.

Psal. 109.

Tropol. Salian. 7 *Idcircò iurauí domui Heli.* Salian. tomo 3. Annal. Ann. Mundi. 2913. num. 13. Graue omninò, ac seuerum Dei iudicium circa prætermissam correptionem fraternam; cui & grauissima pœna imposita sit, quæque in stuporem agat vniuersos, qui audituri sunt, & quod irreuocabili decreto, & quasi lata sententia imposita sit, qualia sunt, quæ apud homines iureiurando firmantur.

Correptio non prætermittenda.

Literal. Beda. 8 *Quòd non expietur iniquitas domus eius.* Beda lib. 1. Expos. Allegor. cap. 8. Domus Heli iuxta litteram, non victimarum sanguine, quas filiorum eius iniquitas polluebat, expiari potuit; sed sanguine tamen est expiata martyrij, quando tot Sacerdotes stirpis illius in ciuitate Noue, paternæ hospitalitatis gratiâ sunt insontes extincti.

Tropol. Damian. *Prælatorum pœna.* 9 *Quòd non expietur iniquitas domus eius.* Petrus Damian. Epist. 6. in lib. 1. Si victimis & muneribus omnia crimina diluuntur, sola autem falsa in Episcopis pietas veniam non meretur, videat qui eorum diiudicare mala dissimulat, quàm duræ sententiæ apud districtum Iudicem se obnoxium reddat.

Tropol. Idem. 10 *Quòd non expietur iniquitas domus eius.* Idem Epist. 11. in lib. 7. Perpende quale est, quòd victimæ simul ac munera, quæ peccata principaliter abluunt, habitam erga subditos negligentiam expiare non possunt. Multi nempe falso pietatis errore decepti, vnde se placere Deo insipienter autumant, inde aduersùs eum crudeliter pugnant; & ex eo merentur iram, vnde se adepturos opinati sunt gratiam: & dum aliis veniam falsæ pietatis impertiunt, ipsi metum diuinæ indignationis incurrunt.

Mystic. Interl. 11 *Quòd non expietur iniquitas domus eius.* Gloss. Interlineal. ibi. Quam in Christum admiserunt.

Literal. Lira. 12 *Quòd non expietur iniquitas domus eius.* Lira ibi. Quantum ad pœnam ordinatam, seu dispositam, licet fuerit expiata quantum ad culpam, & pœnam æternam in illis, qui verè pœnituerunt.

Literal. Abul. 13 *Quòd non expietur iniquitas domus eius.* Abul. ibi. quæst. 4. Hoc solùm intelligitur quantum ad pœnam à Deo determinatam, sed non ad culpam.

Ezech. 18. culpam. *Nam quacumque hora ingemuerit peccator, Deus non recordabitur vlterius peccatorum ipsius.*

LITERAL. Mendoza. 14 *Quòd non expietur iniquitas domus eius.* Franc. Mend. §. 18. Censeo dicendum nomine iniquitatis significari hoc loco, non quidem culpam moralem, neque illam tantum immunditiam legalem, sed pœnas grauissimas, mortes, strages, captiuitates, bonorum, honorúmque iacturas, aliásque id genus, quas Heli, eiúsque posteri incurrerunt, nec vllis sacrificiis declinarunt. Licèt enim culpa semper in hac vita expiari possit, pœna tamen aliquando non potest, vt patet in Moyse, Dauide, Iosia, & pluribus aliis, qui expiatis culpis in hac vita, pœnas nihilominùs subierunt.

LITERAL. Estius. 15 *Quòd non expietur iniquitas domus eius.* Guillerm. Estius in Biblia Magna Parisiensi. Non est ex his verbis consequens Heli nunquam sui peccati accepisse à Domino remissionem; nam verba ista intelligenda sunt de pœna temporali à Domino constituta pro peccato eius, & filiorum eius, & significant irretractabilem Domini sententiam, quantum ad inflictionem pœnæ temporalis: alioqui quantum ad æternam pœnam valdè verisimile est, eam Heli per veram pœnitentiam euasisse.

TROPOL. Greg. 16 *Victimis, & muneribus.* Greg. lib. 2. Variar. cap. 4. Qua in re etiam notandum est, quia qui iniquè agentes filios non corripuit, iniquitatem fecisse reprehenditur, quæ in æternum victimis, & muneribus nequaquam expietur. Quæ ergo erit districtio iniquitatis propriæ, si irremeabilis culpa est negligentia curæ alienæ. Nam si subditorum peccata incorrecta perenni reatu nos obligant, audacia iniquitatis propriæ quibus nos pœnis ligat?

LITERAL. Idem. 17 *Victimis, & muneribus vsque in æternum.* Idem ibidem lib. 3. cap. 1. In æternum iudicatur, quia perire æterna pœna decernitur; & quia hoc æterna Dei animaduersione fit, iureiurando se affirmasse perhibuit, quod iniquitas domus Heli in æternum precibus, & muneribus non expietur; quod profecto aperta veritate, compleri perspicimus, quia Iudaicus populus in sua perfidiæ obstinatione perseuerat; quid enim est præsens duritia, & cæcitas quondam tam electi populi, nisi iusiurandum diuinæ animaduersionis.

MYSTIC.

LITERAL. Abul. 18 *Victimis, & muneribus.* Abulensis ibi. q. 4. Vocantur victima sacrificia facta de animalibus: munera vocantur oblationes factæ de rebus non viuentibus, & per vtramque impendebatur Deo cultus. Ponitur autem hoc ad instruendum Heli, & posteros eius, quia ipsi erant Sacerdotes, & diuites; & ideò putantes Deum placandum esse per sacrificia, laborarent, vt impenderent multa sacrificia; sed quia illa essent frustatoria, & non essent accepta à Deo ex hac parte prænunciauit instruens illos, quòd non aboleretur peccatum per sacrificia.

VERSVS XV.

Vulgat. *Vulgata.* Dormiuit autem Samuël vsque mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuël timebat indicare visionem Heli.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Dormiuit autem Semuel vsque mane, & aperuit ostia domus Dominj. Et Semuël timebat indicare visionem ipsi Heli.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Dormiuit autem Samuël vsque mane: aperuit quoque ostia domus Domini. Et Samuël quidem veritus est indicare visionem ipsi Heli. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et cubuit Semuël vsque ad mane, & aperuit portas Sanctuarij Domini. Et Semuël timens indicare visionem prophetiæ ad Gheli. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et dormiuit Samuël vsque mane, & surrexit mane, & aperuit ostia domus Domini. Et Samuël timuit indicare visionem Heli. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtiana. Et dormiuit Samuël vsque mane, & surrexit mane, & aperuit ianuas domus Domini. Et Samuël timebat annunciare visionem. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. 1 *Dormiuit autem Samuël vsque mane.* Greg. lib. 2. Variar. cap. 4. Vsque mane dormit qui quousque venturi Redemptoris splendor appareat, in incepta bonæ operationis conuersatione requiescit. Vsque mane dormit, qui rota præsentis vitæ nocte per propositum inchoatæ iustitiæ expectat, vt ad gaudium emeritæ retributionis claritas sibi promissi Redemptoris effulgeat. Dormit in nocte qui figmenta Dæmonum dedignatur aspicere in tentatione. Tota nocte etiam dormit qui à caligine tentationis non vincitur, sed viriliter sustinet, donec per aduentum gratiæ claritatis supernæ luce vilitetur.

TROPOL. Gregor. Psalm. 118. *Meditatio prædicationem præcedat* 2 *Dormiuit autem Samuël vsque mane.* Idem lib. 3. Variar. cap. 1. *Vanum est vobis ante lucem surgere.* Psalm. 126. Ante lucem quippe surgunt, qui vsque mane non dormiunt, sed in vanum euigilant, quia inutiliter verbum proferunt, quod qualiter proferre debeant, meditatione nulla didicêre. Vnde, & consilium eis impendit dicens: *Surgite postquam sederitis*; vt videlicet per quietem meditando verbum colligant, quod per laborem locutionis non in vanum, sed ad audientium lucrum spargant.

MYSTIC. Beda. 3 *Dormiuit autem Samuël vsque mane.* Beda lib. 1. Exposit. Allegor. cap. 8. Manebat Dominus in secreta quiete cum Patre, cum quo inuisibiliter omnia disponere, & gubernare non cessat, expectans quando depulsa nocte vitiorum, virtutum ostia panderet. Quando legis vmbra decedente, veritatis Euangelicæ lumina referarentur; & statim vbi in corde cuiuspiam afflante Sole iustitiæ fidei conspiciebat iubar exortum, aperiens ampliora sui Spiritus dona, perpetuæ domus in cœlis sperandum promittebat ingressum.

LITERAL. Abul. 4 *Dormiuit autem Samuël vsque mane.* Abul. ibid. quæst. 4. Scilicet, iacuit in loco suo vsque mane, siue dormierit, siue non.

LITERAL. Mendoz. 5 *Dormiuit autem Samuel vsque mane.* Franc. Mendoza ibidem §. 1. Quieuit, & cubuit in lecto vsque mane, quamuis non dormierit. Quieuit, quia non surrexit ampliùs è lecto, quemadmodum in vocationibus præcedentibus. Non dormiuit autem, quia credibile non est, optimum discipulum auditis tot suppliciis in caput sui Magistri deuoluendis, somnum capere potuisse.

HISTOR. Salian. 6 *Dormiuit autem Samuel vsque mane.* Salian. tom. 3. Annal. Anno Mundi 2913. numero 14. Hac reuelatione accepta Samuël continuit

se in lecto suo vsque mane, solicitus de re tam tristi Pontifici, ac Præceptori suo denuncianda, veritus, ne eum magna tristitia afficeret, aut propter ætatem fidem non faceret. Itaque apertis de more, sub auroram, Templi foribus, tacitus quiescebat.

LITERAL. Hieron. 7 *Aperuitque ostia domus Domini.* Hieronym. vel potiùs Author Tradit. Hebraic. ibid. Non est intelligendum, quòd Samuël aperuit ostia domus Domini; sed Sacerdos.

TROPOL. Gregor. 8 *Aperuitque ostia domus Domini.* Greg. lib. 2. Variar. cap. 4. Quid est, quòd is, qui loqui timuit, domus Domini ostia reserauit, nisi quia obedire non erubuit, qui indicare tristitia expauit?

LITERAL. Abul. *Samuel Ianitor Templi.* 9 *Aperuitque ostia domus Domini.* Abul. ibid. quæst. 4. Istud enim erat officium Samuëlis. Ipse namque semper erat in Tabernaculo nocte, & die, & ideò poterat conuenientiùs aperire portas illius, quàm cæteri. Etiam erat hoc conuenientiùs gradui suo, scilicet ordini Leuitico; nam Leuitæ non habebant officia Sacerdotalia, sed alia munera sicut aperire, & claudere portas, & canere in voce, & in organis, in solemnitatibus, & quando fierent sacrificia. Vnde diuisi sunt Leuitæ in Ianitores, & Cantores 1. Paralip. 6. Ideò ei conueniebat. Ex hoc autem apparet quod suprà dicebatur, scilicet, quòd Heli dormiebat intra Templum, quia ista reuelatio fuit facta per noctem, & ter cucurrit Samuel ad Heli, putans se ab eo vocari: nunquam tamen aperuit ostia, nisi vsque mane. Oportebat igitur quòd Heli dormiret intra Templum.

LITERAL. Caietan. 10 *Aperuitque ostia domus Domini.* Caiet. ibi. Intellige ostia atrij, in quo erat Altare holocaustorum; hæc enim ostia aperienda erant, vt iuge Sacrificium mane celebraretur.

TROPOL. Mendoza. *Samuelis laus.* 11 *Aperuitque ostia domus Domini.* Franciscus Mendoza ibid. §. 3. Ex quibus eruitur duplex Samuëlis laus. Vna; diligentia ad sua ministeria obeunda; quamuis enim magnam noctis partem traduxerit insomnem, non tamen illam matutino somno censuit compensandam, sed promptus euigilauit, etiam à nemine euocatus, ne suo muneri deesset. Altera, humilitas ad pristina officia reperenda; quamuis enim ad sublimiorem gradum propheticæ dignitatis euectus fuerit, cum Deo familiariter collocutus, ac de rebus suo Magistro euenturis certissimè edoctus, tamen nec tanto honore tumidus, nec tanta scientia inflatus, ad eadem ministeria, quæ antea humilis exercebat, humiliter recurrit.

LITERAL. Aut Caten. *Samuel Ianitor Tabernaculi.* Paralip. 23. 12 *Aperuitque ostia domus Domini.* Author Catenæ. Scilicet idem Samuel, qui dormiuit vsque mane, surrexit, & ostia domus Domini aperuit, vt matutinum Sacrificium executioni mandaretur; munus enim proprium Leuitarum esse ostia domus Domini aperire, & claudere constat 1. Paralipomen. 23. quando Dauid ex Leuitis constituit *quatuor millia Ianitorum, & totidem Psaltes canentes Domino.* Vnde audiendus non est Author Trad. Hebraic. in lib. Regum, qui hanc valuarum Tabernaculi, seu atrij apertionem non de Samuele Leuita, sed de Heli Sacerdote intelligendam esse affirmat; repugnare enim videtur planæ, & literali textus intelligentiæ: *Dormiuit Samuel vsque mane, & aperuit ostia.* Quem sensum omnes communiter Interpretes amplectuntur.

Author. Trad.

TROPOL. Ephrem. *Samuelis humilitas.* 13 *Et Samuel timebat indicare visionem.* Ephrem Syrus. Parænesi. 15. Exemplum humilitatis fratres mei in Samuele Propheta habetis. Non enim exaltarum est cor eius aduersùs Heli Sacerdotem, quamuis etiam à Deo audiuisset de viro isto: *in die illa*, &c.

TROPOL. Greg. *Prælati non reprehendendi.* 14 *Et Samuël timebat indicare visionem.* Greg. suprà. Hinc ergo Præpositorum suorum reprehensores colligant, quanta se in consideratione præcipitent, & lapsus sui profunda pertimescant. Si enim ij, quibus omnipotens Deus loquitur, Prælatis suis loqui metuunt; ij, quibus nequaquam locutus est Dominus recondere se sub linguæ suæ silentio, quanto terrore debuerunt? Timor ergo Samuelis non pauorem seruilem insinuat, sed reuerentiam debitam culmini Pastorali.

TROPOL. Idem. 15 *Et Samuel timebat indicare visionem.* Idem lib. 3. Variar. cap. 1. Quidnam est quod timebat, nisi quia hoc dormiendo didicerat? Nam qui meditando verbum ordinat, rationes statuit, quando etiam verbum dicat.

LITERAL. Abul. 16 *Et Samuel timebat indicare visionem.* Abul. ibidem. quæst. 4. Erat autem iste timor reuerentialis, quia Samuel nutritus fuerat ab Heli, & ministrabat coram eo.

LITERAL. Abul. MORAL. Mendoza. 17 *Et Samuel timebat*, &c. Franc. Mend. ibid. §. 6. Timebat primò. Propter dignitatem Heli, erat enim Iudex, & Pontifex; qui autem hisce honoribus præcellunt, res inuicundas, licèt veras, nunquam sibi nuntiari patiuntur. Secundò propter ætatem nimis maturam; ac planè senilem Sacerdotis; quo pacto enim Senem septuagenarium, aut etiam octogenarium admonere non recusaret vnus puer duodennis, cùm & hic ineptus sit, vt doceat: ille, vt doceatur. Tertia timoris causa humilitas Samuelis. Sicut dignitas monendi Sacerdotis, ita & humilitas monituri Leuitæ Samuelem deterrebat, ne suam visionem indicaret.

LITERAL. Vermil. 18 *Et Samuel timebat indicare visionem.* Vermil. Hæreticus ibid. Cur non iussit ei Dominus, vt visionem ei patefaceret? Quia satis nouerat eum id vltrò præstiturum; Nam Heli cùm sibi esset malè conscius, & iam compertum haberet Dominum ad puerum venisse, proculdubio suspicatus est de se esse aliquid actum.

VERSVS XVI.

Vulgata. VVlgata. Vocauit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi? Qui respondens ait, præsto sum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Vocauitque Heli Samuel, & dixit: Samuel fili mi? Et ait: adsum.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatab.* Vocans ergo Heli Samuelem dixit: Samuel fili mi? Qui respondit: præstò sum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et vocauit Gheli Samuel, & dixit: Samuel fili mi? Et dixit: Ecce ego.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et dixit Heli ad Samuel: fili, & dixit: Ecce ego.

Sixtina. *Græc. in Sept. in Sixtiana.* Et dixit Heli ad Samuel, Samuel fili mi? Et dixit: Ecce ego.

Greg. *Greg. lib. 2. Variar. cap. 4.* Venit ergo Heli ad Samuelem, & dixit, &c.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul. 1 *Vocauit ergo Heli Samuëlem.* Abulens. ibid. quæst. 4. & 5. Scilicet in aurora, ad sciendum quid

quid sibi reuelatum esset à Domino. Fortè Deus incitabat Heli, vt ipse inquireret ea à Samuele, ne cogeretur Samuel cum rubore, & timore ista ei denunciare.

TROPOL. Autor Catenæ. *Heli Samuelem vocat.*

2 *Vocauit ergo Heli Samuelem.* Autor Catenæ. Non solùm Heli Samuelem vocasse, sed ad eum etiam venisse indicat Greg. quem enim sciebat tanto honore à Deo affici, vt cum eo alloqui dignaretur, ipse quoque honorare studuit, nec ad se venire iussit, sed ad eundem puerum, & discipulum Sacerdos, & Magister accessit.

MYSTIC. Gregor.

3 *Samuel fili mi.* Greg. lib. 3. variar. cap. 1. Vocat filium non affectu appellationis, sed ostensione amissæ dignitatis, & quia in caligine cæcitatis aspicitur, indicare sibi visionem postulasse perhibetur.

LITERAL. Abul.

4 *Samuel fili mi.* Abul. ibi q. 4. Vocat filium Heli præ amore, quoniam ministrabat diligenter nimis, & proficiebat in omnibus, & quia in custodia illius erat, habebat illum tanquam filium.

LITERAL. Mendoz.

5 *Samuel fili mi.* Franc. Mend. ibi §. 2. Prælati, & Magistri suos subditos, ac discipulos appellare solent filios; sic olim Iosephus appellauit Beniamin. Gen. 43. Genes. 43. Sic Heli militem de bello redeuntem infrà cap. 4. 16. Adde pari ratione Prælatos, & Magistros appellandos esse Patres, quod in profanis Litteris vulgatissimum est.

1. Reg. 4.

LITERAL Mendoza

6 *Qui respondens ait: Præsto sum.* Idem ibidem §. 4. Hæ locutiones: *Ecce ego: Adsum: Præsto sum*; omnes inter se coincidunt, & frequenter in sacris Litteris occurrunt, ac promptum ad obediendum animum ostendunt.

MORAL. Author Catenæ. *Magister optimus, pater non est.*

7 *Qui respondens ait: Præsto sum.* Autor Catenæ. Mysterio non vacat Samuelem ab Heli appellatum filium, eundem non patrem appellasse; dispositionis verò diuinæ fuisse, satis est credibile; ne innocens puer sontem Sacerdotem Patrem diceret, à cuius moribus abhorreret.

VERSVS XVII.

Vulgata.

Vulgata. Et interrogauit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? Oro te ne celaueris me. Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem ex omnibus verbis, quæ dicta sunt tibi.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagn. Et dixit: Quod est verbum, quod locutus est ad te: nè quæso, celes à me. Sic faciat tibi Deus, & sic agat, si absconderis à me verbum ex omni verbo, quod locutus est ad te.

Vatab.

Hebraica ex Franc. Vatab. Dixit ille. Quod est verbum, quo locutus est ad te? Ne quæso, me celes. Sic faciat tibi Deus, & sic addat, si celes me vel verbum ex omni sermone, quem locutus est ad te.

Ariasm.

Chaldaic. ex Benedict. Et dixit: Quod verbum quod locutus est tecum? Ne nunc abscondas à me? Sic faciat Dominus tibi, & sic addat, si absconderis à me verbum ex omni verbo, quod locutus est tecum.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et dixit: Quis sermo, qui dictus est ad te fili? Ne iam celaueris à me ex omnibus verbis dictis in auribus tuis. Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem.

Sixta.

Græca ex Septuag. in Sixtia. Et dixit: Quod est verbum, quod dictum est ad te? Noli nunc occultare à me? Hæc faciat tibi Deus, & hæc adiiciat, si occultaueris à me verbum ex omnibus sermonibus, qui dicti sunt tibi in auribus tuis.

Cajetan. ex Hebræo. Sic faciet tibi Elohim, & sic addet, ne absconderis à me verbum ex omni verbo, &c. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

1 ET *interrogauit eum.* Theodor. ibi quæst. 12. Non puduit eum rogare adolescentem, vt ei declararet, quæ à Deo fuerant annunciata. TROPOL. Theodor. *Heli humilitas.*

2 *Et interrogauit eum.* Procop. in comment. Deus ipsum Heli tantùm propter filios auersatus est: In ipso enim propriæ virtutes elucent, quibus ornatus fuit. Primùm enim adolescentem ad se vocare non est veritus, vt ei aperiret quæ diuinitùs nunciata erant. Deinde iuramento eum obstrinxit, & deuouit eum, ne quid earum rerum, quas audiuerat, occultaret. TROPOL. Procop. *Heli probitas.*

3 *Quis est sermo, quem locutus est Dominus.* Autor Catenæ. Deum Samueli locutum fuisse planè, & certò non sciebat Heli, prudentialiter tamen ex cõiecturis satis colligebat. Quæ autem ea essent, de quibus diuina fuerat collocutio, vel sui timore, vel humana curiositate ductus, cognoscere studebat. HISTOR. Author Caten.

4 *Oro te, ne celaueris me.* Greg. lib. 3. variar. c. 1. Obsecrare ei, est respectu communis naturæ Prædicatorum mentes ad misericordiam prouocare. Qui etiam imprecationem precibus addidit, quia ordo Prædicantium, dum in tanta miseria positum Sacerdotium Iudæorum attenderet, iraſci sibi omnipotentem Dominum timuit, si non ei verbo subueniret. MYSTIC. Gregor.

5 *Ore te, ne celaueris me.* Abul. ibi quæst. 5. Noluit imperare, & hoc propter duo. Primò, quia Heli erat maior Samuele in quantum erat Summus Sacerdos, Samuel simplex Leuita, & in quantum erat senior, & habens illum in potestate sua, poterat enim secundùm hæc iubere illi; non erat tamen Heli maior Samuele inquantum Propheta; quia Samuel erat Propheta, Heli autem non; & dato quòd esset, in quantum ad hoc non fuit; ideò in opere prophetico nihil poterat iubere, sed orauit, vt sic flecteret eum. Secundò fuit hoc, quia dato quòd Samuel esset simpliciter subditus Heli, quantum ad omnia, tamen in hoc non decebat iubere, sed orare, quia iubere importat necessitatem, & violentiam: orare autem importat libertatem. Sed cùm Dominus vult aliquid à seruo suo, in quo totaliter potest eum cogere, iubere conueniens est; sed circa ea, quæ occulta sunt, iubere nihil potest, quia seruus fallit Dominum, si voluerit. LITERAL. Abul.

6 *Oro te, ne celaueris me.* Franc. Mend. ibi §. 4. Ex hac modestia huius Sacerdotis, vltra quàm potuit nihil imperantis, inoueantur Iudices suæ potestatis fines non transilire; ne de illis quilibet subditorum conqueratur. *Quare persequimini me sicut Deus.* Iob. 19. qui omnia potest pro suo arbitrio imperare. TROPOL. Mendoza. *Heli modestia.* Iob. 19.

7 *Oro te, ne celaueris me.* Salianus tom. 3. Annal. ann. Mund. 2913. num. 15. Potens omninò, atque efficax est oratio eorum, qui in potestate constituti erga subditos precibus vti malunt, quàm mera iussione, atque imperio, sic enim fideliùs, faciliúsque votorum compotes fiunt. TROPOL. Salian. *Imperium blandum efficax.*

8 *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.* Comest. in histor. Scholast. cap. 5. Mane adiuuauit Heli Samuelem, vt indicaret ei vniuersum sermonem Domini. HISTOR. Comest.

LITERAL. Strab. 9 *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.* Strab. Fuldens. in Glos. Ord. Prouerbium erat apud Hebræos, & est sensus: Si absconderis mihi malum, quod locutus est tibi Dominus de me, veniat super caput tuum.

LITERAL. Lira. 10 *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.* Lira ibi. Hic modus adiurandi apud Hebræos; & est sensus: faciat tibi Deus tanta mala, sicut facit alicui multum puniro ab ipso, & adhuc plura.

LITERAL. Abul. 11 *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.* Abul. ibi quæst. 5. Ideſt non solùm sit contentus his, sed etiam addat alia mala, scilicet, talia, & talia, & ipse nominauit illa.

LITERAL. Idem. 12 *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.* Idem ibidem. Iste est modus iurandi antiquus, vel magis imprecandi. Nam Heli imprecabatur hic mala super Samuelem, si aliquid celaret. Dixit autem; *hæc faciat tibi Deus*, per particulam *hæc* demonstrauit aliquid Heli, quod hic non habetur, scilicet, Deus faciat super te talia mala, & talia, nominando illa.

LITERAL. Saa. 13 *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.* Emanuel Saa in Scholiis. Quasi dicat: mala tibi contingant, vel puniat te Deus. Ita solebant Hebræi sibi, aut aliis imprecari mala; & vt vulgo dicitur: *Tale mihi accidat*, ideſt, insigne aliquod infortunium.

LITERAL. Mariana. 14 *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.* Mariana in Schol. Formula adiurandi, quasi dicat: Hæc mala tibi eueniant, quæ expresserit Heli, reticet Scriptura, quasi non necessarium. Itaque Heli dixit: Ne crescas, citò moriaris, aut quid simile, nisi mihi reuelaueris quod audisti.

LITERAL. Mendoza. 15 *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.* Franc. Mend. ibi §. 18. Hic modus loquendi est proprius Hebraismus. Solebant enim Hebræi ponere relatiuum sine antecedenti. Sic Dauid. *Fundamenta eius in montibus sanctis*, Psalm. 86. 1. cùm tamen non præcedat aliquid ad quod illud *eius* referatur, vt ibi Cardin. Bellarmin, & Lorinus aduertunt, sed subintelligendum est nomen ciuitatis quam Propheta mente concipiebat, nec voce exprimebat, continuans locutionem internam cum externa.

Bellarm. Lorin.

LITERAL. Autor Catenæ. *Iudæorum imprecatio.* 16 *Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat.* Autor Catenæ. Formula hæc est adiurandi, & imprecandi Hebræis familiaris, vt ex pluribus similibus locis constat. Vnde non assentior Abulensi, nec Marianæ, vel aliis asserentibus articulum *hæc* denotare aliqua mala in particulari Samueli, ab Heli assignata, quæ Textus omiserit. Non, inquam, assentior, quia in similibus aliis locis nullum vnquam in particulari assignatur malum, vt videre est 3. Reg. 19. vbi Iezabel ad Heliam. *Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis.* Vbi nulla in singulari mala, seu infortunia declarat. Similiter 4. Reg. 6. Ioram ad Elisæum. *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisæi*; & aliàs sæpe. Vbi solemnis imprecationis forma sub his verbis indicatur, quin aliquod particulare malum prænuncietur. Hæc autem Heli imprecatio, & adiuratio non multùm Samuelem vrgebat, vtpote purè deprecatiua, & extra obligationem obedientiæ. Nec enim Samuel, quantumcumque adiuratus, tenebatur ad reuelationem secretæ visionis; reuelauit tamen absque obligatione, quia verus obediens necessitatem, & præceptum non expectat.

3. Reg. 19.

4. Reg. 6.

LITERAL. Abul. 17 *Si absconderis à me sermonem.* Abul. ibi q. 5. Timebat quod aliquid absconderet, & propter hoc inducebat super eum imprecationes. In quo aliqualiter patet, quod Heli credebat istam reuelationem fuisse factam contra eum; & quia aliqua alia prænunciata essent, credidit quòd illa, vel plurima eorum occultaret Samuel, ne eum contristaret.

VERSVS XVIII.

VVlgata. Indicauit itaque ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et indicauit ei Semuel omnia verba, & non abscondit ab eo. Et ait, Dominus est: Quod bonum est in oculis suis, faciat. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Indicauit itaque Samuel ei omnia verba, & nihil celauit eum. Qui ait: Ipse est Dominus: Quod sibi videtur bonum, faciat. Vata.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et indicauit illi Semuel omnia verba; non abscondit ab eo, & dixit: Dominus ipse quod rectum ante ipsum faciet. Arism.

Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia. Et indicauit ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo verbum. Et dixit Heli: Dominus ipse: placitum coram eo faciat. Cmpl. Rgia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et annunciauit Samuel omnia verba, & non occultauit ab eo. Et dixit Heli: Dominus ipse: quod bonum in conspectu suo faciet. Sixtin.

Chrys. lib. 3. Aduersus vituperat. vitæ Monast. tom. 5. Dominus est: Quod gratum est in conspectu suo faciat. *Et hom. in epist. ad Philemon.* Dominus est: quod gratum est in oculis suis faciat. *Et lib. 3. de Prouid. tom. 5.* Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat. Chrys.

Caietan. in Comment. Indicauitque ei Semuel omnia verba, & non abscondit ab eo; cui ille respondit: Gehouah ipse bonum in oculis suis faciet. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

1 *INdicauit itaque ei Samuel.* Ignatius Mart. epist. ad Magnesian. Non decet contemnere ætatem Episcopi ad iuuentutem aspicientes, sed ad eum, quam in Deo habet prudentiam; quandoquidem non qui diu vixerunt, ij continuò sapientes: nec qui senes, prudentia præditi sunt; sed spiritus, qui in hominibus est. Daniel enim sapiens duodecim annos natus, spiritu Dei afflatus est. Samuel, cùm esset paruulus puellus, nonagenarium Heli Sacerdotem redarguit, qui Deo præposuisset filios suos. TROPOL. Ignat. *Ætas interdum non consideranda.*

2 *Indicauit itaque ei Samuel.* Greg. lib. 2. variar. cap. 4. Qui tanta imprecationis instantia ad loquendum coactus asseritur, magna districtione silentij obligatus fuisse declaratur; & quia non tam pro custodia puritatis, quàm obstinatione proteruiæ, quidam tacere subditi solent, Samuel electi subditi formam ostendit, qui reuerenter tacuit, sed tacere, loqui iussus, expauit. Itaque gemina luce conuersationis emituit, dum qui filialis timoris virtute siluit, loquendi vtilitatem loquendo conquisiuit. LITERAL. Gregor. MORAL.

3 *Indicauit itaque ei Samuel.* Idem lib. 3. variar. cap. 1. Vt audito, quod meruit, magnitudo LITERAL. Idem.

formidinis

formidinis ad solicitudinem eum conuerteret impetrandæ diuinæ miserationis. Vniuersos ei Domini sermones indicauit, vt dum in vetustate sua se proiectum cognosceret per pœnitentiæ lachrymas ad veræ fidei renouationem festinaret.

MORAL.

4 *Indicauit itaque ei Samuel.* Ioseph. libr. 5. Antiquitat. cap. 11. Hoc oraculum, cùm ab adiurato extorsisset Pontifex, alioqui se non contristaturo, certiorem iam expectationem exitij filiorum habuit. Postquam autem filiorum exitium Deus, & patri, & Samueli etiamnum puero prædixit, tum verò non aliter, quàm defunctos filios lugebat.

HISTOR. Ioseph.

5 *Indicauit itaque ei Samuel.* Theodor. ibi. q. 12. Iuuenilem ætatem Samuelis antiquæ prætulit Deus, docens quantum sanitie est melior iuuentus virtute ornata. Porrò Heli quoque pietatem verba ostendunt. Nam non puduit eum rogare adolescentem vt ei declararet, quæ ei à Deo fuerant annunciata: Sed & eum adstrinxit iureiurando, & execrationibus, vt nihil eum celaret. Deinde cùm latam didicisset sententiam, laude dignam emisit vocem: *Dominus faciet quod in oculis eius placuerit*: Quin etiam cùm filiorum suorum cognouisset cædem, non pusillo, & abiecto animo id tulit & Pater, & Senex. Cùm autem accepisset Arcam captam fuisse ab hostibus, ingenti animi mœrore affectus vitæ finem accepit.

TROPOL. Theodor. *Iuuentus interdum prælata.*

8 *Indicauit itaque ei Samuel.* Idem ibidem. Ad arguendum Pontificem qui senuerat, adolescentulus dignus est habitus, cui Dominus appareret.

MORAL. Idem.

7 *Indicauit itaque ei Samuel.* Idem Orat. 1. in Daniel. Hinc etiam dicemur Autorem omnium rerum Deum nullam ætatis rationem habere. Sed pietatem tantum ad religionis studium requirere, qua in iuuene comperta, multis eum natum maioribus anteponit. Quid erga Ioseph eum fecisse comperimus, necnon erga Samuelem Prophetam? Nam puero admodum iuueni apparuit, & iussit seni supplicia prædicare, vt canis, & senio confectum accusaret, & gratiam in adolescentulo vigentem ostenderet.

TROPOL. Idem. *Iuuentus prælata.*

8 *Indicauit itaque ei Samuel.* Sabellicus Eneade 1. lib. 7. Iam Pontificis animus ob ea, quæ toties acciderant, haud liber omninò erat religone. Tum demum cœlestem eam vocem esse compertum est, eodemque nocturno responso iussus est Samuel Heli nuntiare ingentem Hebræorum, ob scelera, quæ circa Tabernaculum patrarentur, cladem instare. Cunctantius ille hæc ad Pontificem detulit, sed quia diuina se voce moueri arbitrabatur, detulit tandem; nec ea res senem in filios minus indulgentem reddidit, aut iuuenum perdita ingenia in melius mutauit.

HISTOR. Sabellic.

9 *Indicauit itaque ei Samuel.* Abul. ibi. q. 5. Fuerat enim adiuratus, vt hoc faceret: etiam iusserat sibi Dominus suus, cui peccatum erat mentiri, ideò respondit nihil celando.

LITERAL. Abul.

10 *Indicauit itaque ei Samuel.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Fateor hanc locutionem emphasis plenam esse, vt scilicet hac eiusdem sententiæ repetitione ostenderetur, quantum Samuel ab adulatorio mendacio recesserit, & integræ veritati detegendæ incubuerit. Quo ex loco erubescat ille Prædicator, qui integram veritatem non inculcat, sed aliqua vera deregit, vt suo muneri satisfaciat: pleraque occultat, vt hominum auribus blandiatur. In quem proinde quadrat illud, quod Tertullianus dixit in Marcionem lib. de Carne Christi, c. 5. *Quid*, inquit, *dimidias mendacio Christum? Totus veritas fuit.*

TROPOL. Mendoza. *Prædicator tota veritatem detegat.*

Tertull.

11 *Indicauit itaque ei Samuel.* Autor Catenæ, Abulensis ex eo asserit Samuelem omnes sermones Heli indicasse, scilicet: *Fuerat enim adiuratus, vt hoc faceret: etiam insserat sibi Dominus suus, cui peccatum erat mentiri.* Hæc Abulensis. Cæterum in expositione versus immediatè præcedentis contrarium asseruisse videtur; ibi enim sic dixerat. *Hic rogat Heli Samuelem, nam quanquam esset famulus eius, noluit imperare, &c.* Vbi latè, rectèque probat Samuelem in eo secreto aperiendo subditum Heli non fuisse, nec ad præbendum responsum obligatum; qui igitur modo asserit Dominum suum sibi iussisse? Inde ergo à nostro Mendoza obliuionis sui notatur v. 17. §. 23. Sed bonâ tanti Doctoris venia, Tostatus noster facilè à nota vindicatur ex communi Theologorum doctrina cum S. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 2. in corpore, quam & ipse docet Mendoza §. 5. Optimum enim obedientiæ genus est, cùm non iam expresso imperio, sed Prælati nutui, aut persuasioni obeditur. Quocirca licet Heli non imperauerit, nec imperare potuerit, innuit tamen, imò precibus, & adiuratione contendit: hanc autem voluntatis suæ indicationem, imperij loco verus obediens suscepit, ad eiusque executionem vera, & rigorosa, imò perfectissima obedientia, processit. Vnde etiam cùm Christus Dominus in probabili, quam sequor, sententia, etiamsi præceptum moriendi à Patre non habuerit, dicitur *factus obediens vsque ad mortem.* Philip. 2. vt satis probat Ioann. Anton. Velasquez ibi. v. 8. §. 15. & Sancti Parentis nostri Ignatij auctoritate confirmat aurea illa de Virtute Obedientiæ ad Lusitan. Epistola.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. *Abulensis à nota vindicatur.* Mendoza. S. Thom. *Obedientia optima quæ?* *Christus qua. liter obedit.* Velasquez. Ignat.

12 *Et non abscondit ab eo.* Abul. ibi. q. 5. Eadem sententia est cum præcedenti; nam si omnes sermones Domini denunciauit Samuel Heli, necesse erat quòd nihil absconderet ab eo; sed ista dicuntur per superabundatiam, sicut interdum est mos sacræ Scripturæ.

LITERAL. Abul.

13 *Et non abscondit ab eo.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Dicitur indicasse vniuersos sermones, & non abscondisse more Hebræorum, qui maioris confirmationis gratia non solùm rem affirmabant, sed etiam eius contrariam negabant. Sic Isaiæ 29. *Omnia quæ sunt in domo mea viderunt: non fuit res, quam non ostenderem eis.* Sic Ieremiæ. 24. *Omne verbum quodcumque responderit mihi, indicabo vobis: nec celabo vos quicquam.* Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

LITERAL. Mendoza. Isaiæ 29. Ierem. 24. Ioan. 1.

14 *Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat.* Ephræm Syrus Apolog. de Heli O mentis imbecillitatem ad obseruationem mandatorum Dei! O inquam, erga iniquos filios indulgentiam? Quomodo non exhorruit caro eius super auditis? Quomodo renes eius non contremuerunt? Quomodo non adduxit animum ad pœnas de impiis filiis sumendas exemplo zeli Phinees, siue ante oculos posito? Quomodo stra non discidit vestimenta, pernoctauitque in sacco, & cilicio, super prolata aduersus eum condemnationis nota? Sed nec commotus est quidem. *Dominus*, inquit, *est: quod bonum in oculis suis faciat.* Pro eo, quod est: Ego verò filiis meis molestiam afferre non possum. Sed nec factis ipsius Moyses peritior factus recessit ab illa in filios affectione.

TROPOL. Ephrem. *Heli socordia.*

15 *Dominus est, &c.* Chrys. lib. 3. aduersus Vitup. vitæ Monast. tom. 5. Cùm ista omnia audisset, seque ad supremum cruciatum peruenisse conspiceret,

TROPOL. Chrys. *Heli patientia.*

ceret, non acerbè, non grauiter, non indignanter tulit. Non dixit: Quidnam istud est? vt fecissent plurimi. Num ego Dominus sum aliorum voluntatis? Peccatorum meorum pœnas persoluere habeo. Filij ætatem habent, ipsique solum merentur cruciari. Nihil omninò horum dixit, nec cogitauit quidē. Cæterùm vt seruus fidelis, & gratus, & qui vnum tantùm sibi obseruandum nouit, vt quæque Dominus suus ei intulerit, æquanimiter & faciliter ferat, quantumlibet illa tristia, & acerba sint, ita plenissima Philosophiæ verba edidit. *Dominus est, quod gratum est in cōspectu faciat.*

TROPOL. Idem. *Patientia Heli.*

16 *Dominus est, &c.* Idem hom. 2. in epist. ad Philem. Heli etiam, *Dominus* inquit, *est: quod gratum est in oculis suis faciat.* Istud satis congruit fidelibus seruis, non modo inter beneficia, sed in ipsis quoque suppliciis, & cruciatibus Deo gratias agere, eique omnia accepta referre.

LITERAL. TROPOL. Gregor. *Heli qualis responsio?*

17 *Dominus est, &c.* Greg. libr. 2. Variar. cap. 4. Qui simpliciùs, quàm debet, istam Heli responsionem considerat, tam rectè hunc respondisse, quàm humiliter putat. Nam sicut auditur exterius, quid humilius respondisse potuit? Qui reprobationem suam audiuit, & minanti Deo, imò reprobationis suæ sententiam promulganti, quidquid de se facere vellet, obtulit? Sed profectò ista responsionis humilitas, si subtiliter inspiciatur, vera humilitas non est. Vera namque esse cognoscitur, quæ bonum obedientiæ in maioris imperia consequenda comitatur. Verè itaque esset humilis, si se se ad emendationem culpæ, pro qua arguebatur, obtulisset. Sed & fortasse verius esset humilis, si reprehensus nequaquam respondere, sed neglectam correptionem cœlestis filiis adhiberet: si vel tunc pastorali zelo insisteret, & flagitiosorum Sacerdotum scelera digna vltione vindicaret. Dum ergo dicit *Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat*, electionis suæ verbum apertius protulisse cognoscitur, quam responsionem humilitatis: quia nimirum potiùs elegit minarum Dei causas inuertere, quam de perpetratis iniquitatibus filios condemnare. O quanti sunt adhuc imitatores Heli, qui cùm minantem sibi omnipotentem Deum quotidie de sacro eloquio sentiant, & tamen hominibus displicere trepidant, & diuinæ indignationis minas incurrere non formidant, & dum inimicitias hominum velut implacabiles metuunt, de Dei misericordia etiam peccando confidunt!

MYSTIC. Greg.

18 *Dominus est, &c.* Idem lib. 3. Variarum cap. 1. Quibus nimirum verbis quid aliud, quam Iudaici populi perfidia clarius agnoscitur? Nam qui omnipotentem Deum Dominum vocat, adhuc ei seruire se existimat. Cùm igitur Iudaico populo repulsio sua à Sanctæ Ecclesiæ Doctoribus insinuatur, dicit: *Dominus est, &c.* Quia dum Deo se placere per veterem institutionem credit S. Ecclesia nequaquam minas expauescit.

MYSTIC. Rupert.

19 *Dominus est, &c.* Rupertus libr. 1. Commentar. cap. 12. Quid ad hæc ille? Non vtique consurrexit, sicut Moyses, vt Deum teneret ea virtute, qua teneri ipse vult, & teneri potest, vt stando in conspectu eius, in confractione cordis orando iram eius à domo sua auerteret. Paulò meliùs ante, consultiùs Achab, licèt aliàs impius, qui cùm audisset sermones Domini in Helia dicentis: *Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem*, cùm inquam audisset sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, ac dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Ideircò ille quidem in diebus suis non vidit inductum domui suæ malum: hic autem & vidit, & ipse sustinuit; cecidit enim audito tristi nuntio, *& fractu cervicibus mortuus est.*

HISTOR. Procop.

20 *Dominus est, &c.* Procop. in Comment. Cognita Domini sententia vocem laude dignissimam emisit: *Dominus quod bonum est in oculis suis faciet.*

LITERAL. Lira.

21 *Dominus est, &c.* Lira ibi. Ex quo videtur, quòd licet in persona propria, & filiis punitus fuerit ad pœnam temporalem, ipse tamen in persona propria euasit æternam, quia in acceptione diuinæ iustitiæ videtur veraciter pœnituisse. Sed iam erat senex & debilis, quod delicta filiorum non poterat emendare: potuisset tamen à principio, quando primò sciuit.

LITERAL. Abul. *Heli saluus fuit.*

22 *Dominus est, &c.* Abul. ibi, quæst. 5. Ideò Deus, qui ista denunciauit, est Dominus omnium, potens facere de nobis quidquid voluerit; ideò faciat quod bonum videtur in oculis suis. Quasi dicat: si bonum videtur ei, quòd ista, quæ prænuntiata sunt, veniant super me & domum meam, eueniant. Ex hoc apparet quòd Heli erat vir bonus; & quanquam ipse peccasset, quia cùm potuit, non corripuit filios suos quantum debuit: tamen nunc patienter sustinebat quod Deus talia mala de eo prænuntiasset, esse futura. Ideò ex ista pœna sibi prænunciata nemo arguere potest, quòd æternaliter condemnatus sit, sed magis contrario dicetur, pœnituerit de peccato suo, cùm patienter pœnam sustulerit. Erat autem quædam pars pœnæ audire mala, quæ prænunciabantur, & credere, quòd euentura essent.

Carthus. *Heli saluus.*

23 *Dominus est, &c.* Carthusian. ibi. art. 7. Ex hac tam patienti, & humili responsione Heli eliciunt aliqui, quòd acceptando super se, & super suos diuinæ sententiæ æquitatem, meruit mediante sua contritione peccatorum suorum remissionem; & pro eis temporaliter est punitus; non æternaliter damnatus.

LITERAL. Idem. *Heli patientia.*

24 *Dominus est, &c.* Idem ibidem. Dominus est totius creaturæ factor, princeps, & iudex, à quo appellari non potest, & cui nullus potest, aut debet resistere; cùm ipse sit verè omnipotens, & prima mensura, causa, ac regula totius iustitiæ, sapientiæ, ac virtutis; ideò quidquid dictat, bonum, & sapientiale constitit.

LITERAL. Caiet. *Heli patientia.*

25 *Dominus est, &c.* Caiet. ibi. Verba optimæ sapientiæ sunt; agnoscit enim ipsum esse fontem omnis esse, & humiliter sustinendum fatetur, quidquid bonum censetur diuino iudicio.

LITERAL. Salian. *Heli excusatur.*

26 *Dominus est, &c.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 2913. n. 19. Dici potest Heli iam grandæuum florentes ætate filios vltra coercere non potuisse, & quod in se fuit, tunc non negligenter præstitisse, licet surdis caneret cantilenam. Dominus autem neminem obligat vltra vires, ac facultatem. Culpa admissa erat, ei pœna debebatur; denuntiatur, admittitur; quid peccatur? cur deteriori accentu afficiatur eius oratio?

LITERAL. Sanct. *Heli responsio qualis?*

27 *Dominus est, &c.* Gaspar Sanct. ibi. n. 34. Dignum Sacerdote, & viro religioso responsum, qui vt se, ac sua Deo, vtpote suo Domino, ac autori subiecit: sic etiam æquo fert animo, quacumque de se, rebúsque suis ratione constituat.

LITERAL. Cornel.

28 *Dominus est, &c.* Cornel. in Comment. Vide hîc responsum Heli dignum Pontifice pœnitente,

æquanimi,

æquanimi,& resignato ad omnem Dei voluntatem & castigationem tam horrendam, ob quod Heli saluatus videtur.

LITERAL. Auth.Cat. 29 *Dominus est, &c.* Autor Catenæ. Heli responsum Patres alij,& Interpretes damnant: miris laudibus alij excipiunt, quibus libentius adscribor; nihil enim in eo apparet quod humilitatem, pœnitentiam,& constantiam non sonet. Vnde temporalibus pœnis incurias suas luisse credibilius est, quàm in æternum fuisse damnatum.

VERSVS XIX.

Vulgata. *Vulgata.* Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo; & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Creuit autem Semuel, & Dominus erat cum eo: non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.

Vatab. *Hebraic.ex Franc.Vatabl.* Creuit autem Samuël, & Dominus fuit cum eo,nec proiecit in terram ex omnibus verbis suis.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et creuit Semuel, & dictum Domini fuit in auxilium eius, & non cessauit ex omnibus verbis eius vnum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et magnificatus est Samuel,& erat Dominus cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixt.* Et magnificatus est Samuel,& erat Dominus cum eo,& non cecidit de omnibus verbis eius super terram.

Mendoza. *Francisc. Mendoza ibi. §.4. In Hebræo est.* Et non fecit eadere ex omnibus verbis eius in terram.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Gregor. 1 *Creuit autem Samuel.* Gregorius lib.2. Variarum Exposit.in lib.1. Regum c.4. Hoc profectò si ad Historiam legitur, creuisse puer Samuel ætate corporis designatur: si verò vt cætera spirituali inuestigatione ista perquirimus;cum eo Dominus esse describitur qui creuisse memoratur. Crescit autem qui in virum perfectum mentis ætate proficit. Vnde per Prophetam de electis proficientibus dicitur. *Ambulabunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Hinc Paulus ait. *Donec occurramus ei in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Verùm nonnulli sunt, qui dum virtutibus crescunt, elatione corruunt; hi nimirum crescere videntur;sed tamen cum eis Dominus non est, quia eum,alta sentiendo,de se eiicium,quem in profectu virtutum positi,per humilitatem secum habere potuerunt. Vel si per exteriorem dignitatem creuisse intelligitur; Dominus cum eo esse memoratur, quia profectò plerique in humiliori ordine religiosi sunt,sed cùm subitò ad culmen dignitatis peruenerint, prima opera cum humilitate dereliquunt. Samuël igitur, & proficit, & proficiens Dominum secum habuit.

TROPOL.

MYSTIC. Gregor. 2 *Creuit autem Samuel:* Idem lib.3. Variar.c.1: Quid est,quod postquam Heli visionem exposuit, creuisse Samuel dicitur? Nisi quia Doctorum nostrorum ordo,postquam verbo Synagogæ filios repulit, maioris reuerentiæ gloriam apud Gentilitatem inuenit? Cum quo etiam Dominus esse perhibetur,quia omne,quod de fama sanctitatis redoluit,omne quod clarum per verbum luxit, de præsentia Redemptoris accepit, quem secum habuit.

MYSTIC. Beda. 3 *Creuit autem Samuel.* Beda libr. 1. Exposit. Allegor. cap. 8. Creuit Euangelij prædicatio, & Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Creuit opinio IESV, & abiit in totam Syriam.

HISTOR. Ioseph. 4 *Creuit autem Samuel.* Ioseph.lib.5.Antiquit. c.11. Samuelis autem gloria magis ac magis crescebat; Omnes eius prædictiones veras euentu approbante.

LITERAL. Lira. 5 *Creuit autem Samuel.* Liran.ibi Consequenter describitur reuelationis diuulgatio, cùm dicitur, *creuit*;ætate,& virtute.

LITERAL. Abul. Luc.2. 6 *Creuit autem Samuel.* Abul. ibi.q.5: Dicitur, creuit Samuel, scilicet, ætate,sapientia,& fama, & quantum ad omnem probitatem, sicut dicitur de Christo Luc.2.quòd *puercrescebat,& confortabatur plenus sapientia, & gratia.* Et iterum ibidem; *Et IESVS proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum,& homines.*

LITERAL. Caietan. 7 *Creuit autem Samuel.* Caietan. ibi. Narrato initio propheticę gratiæ in Samuële,narrat consequenter Autor libri gratiam propheticam in eodem, postquam creuit; & summariè describit, & Deum fuisse cum ipso, & verba eius prophetica fuisse impleta,& effectum subsecutæ gloriæ.

MORAL. Cassia. 8 *Creuit autem Samuel.* Simon de Cassia. lib.14. c.19. Quia fideliter ministrauit in templo coram Heli,cui mater obtulerat, & ipse iam oracula diuina susceperat.Sed nec quia mole corporis creuerat;Deus erat cum eo:quam ob rem cum Gigantibus magis ipse fuisset;sed quia creuit in virtute cum tempore.

LITERAL. Mendoza. 9 *Creuit autem Samuel.* Franc.Mend.ibi.§.1.Triplex incrementum dicitur Samuel in hoc loco suscepisse;ætatis, cùm simpliciter creuisse dicitur:sanctitatis cùm additur fuisse Deum cum eo:autoritatis cùm tandem adiungitur non cecidisse ex omnibus verbis eius in terram.

HISTOR. Salianus. 10 *Creuit autem Samuel.* Salian. tom.3. Annal: ann. Mundi 2916. n.vnico: Sub hoc tempus, cùm vigesimum sextum ageret annum existimamus ductam à Saamuele vxorem, breuique ex ea Ioëlem primogenitum suum suscepisse,nec ita multò post Abiam.

LITERAL. Abul. 11 *Et Dominus erat cum eo.* Abul.ibi.q.5. Deus dicitur esse cum aliquo,quando specialiter cum eo est faciens per illum aliquid,quod per alios homines nequaquam facit. Si enim largè accipiatur esse Deū cum homine,cum omni homine est,quia Deus est in quo sumus,viuimus, & mouemur. Actor.17.

Act.17.

LITERAL. Sanct. 12 *Et Dominus erat cum eo.* Gaspar Sanct. ibi. n.35. Illud *Et* sicut aliis sæpe locis, causalem particulam esse reor.

MORAL. Author. Catenæ Luc.1. *Cum Maria semper Dominus.* 13 *Et Dominus erat cum eo.* Autor Catenæ.Cum omnibus suis creaturis adest Dominus:singulariter autem illis assistere dicitur, quibus speciali prouidentia,& misericordia fauet. Vnde ad Mariam Angelus. *Dominus tecum.*Sed vtriusque nota differentiam,nam de Samuele non dicitur quòd semper,& vbiq; præsentem sibi habuerit Deum,sed de tempore illo. *Erat* inquit. Mariæ autem non sic,sed *Dominus tecum* sine vlla temporis,vel occasionis differentia,hoc est, semper, & vbique præsentissimus adfuit, adest, aderitque Dominus. Nullum enim

tempus

tempus fuit, nullum instans, nec primæ Virginis conceptionis, in quo cum Maria Dominus, eiusque gratia non fuerit.

LITERAL. Hieron. 14 *Et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.* Hiéron. vel potiùs Autor trád. Hebraic. in lib. Reg. Non cecidisse ex omnibus verbis eius in terram dicitur, quia quidquid prophetabat, rebus gestis demonstrabatur.

TROPOL. Greg. *Prædicatoris bona conuersatio.* 15 *Et non cecidit ex omnibus, &c.* Gregor. lib. 2. variar. cap. 4. In terram verbum prædicationis cadit, cùm ex reproba Prædicatoris conuersatione vilescit. Vnde & veritatis voce dicitur. *Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Matth. 5. Et notandum quia ex omnibus verbis non cecidisse in terra dicitur, vt profectò Prædicatori nihil agere liceat, quod licet reprobare. Nam quidquid agi prohibet, is profectò si agit, verbum in terram cadit, quia dum à loquente contemnitur, hoc audientes nequaquam venerantur. Dum autem ex omnibus verbis Samuelis verbum in terra non cecidisse dicitur, cuius mores insinuat Samuel, nisi qui meritò, & prædicationis, & operis magni sunt in Regno Cœlorum.

LITERAL. MYSTIC. Angelom. Eucher. Rabban. *Cadere in terram verba quid?* 16 *Et non cecidit ex omnibus, &c.* Angelom. in Stromatib. Significat quia nihil ex his quæ locutus est, irritum fuit, sed omnia sunt rebus completa, quæ dixit, cadunt namque in terram verba superuacua, quæ pro nihilo habenda, & vniuersorum sunt calcanda despectu. Sic & beatus Iob dixit. *Et lux vultus mei non cadat in terram.* Quia nimirum in tanta grauitate vultum tenere consueuerat, vt nunquam contemptibili lætitia solueretur; sed quotiescumque hilariorem se præsentibus exhiberet, certa semper hoc causa vtilitatis eorum faceret.

MYSTIC. Richard. *Maria laus.* 17 *Et non cecidit ex omnibus, &c.* Richard. de S. Laurent. lib. 12. de Laudibus Mariæ Virg. Maria palma est diuturna in foliis, idest, verbis, quia verba eius posita in Euangelio nunquam deficient ab Ecclesia Dei, neque aliquod eius verbum defluxit ad temporalia, sicut dicitur de Samuele 1. Reg. 3.

1. Reg. 3.

MYSTIC. Richard. 18 *Et non cecidit ex omnibus verbis, &c.* Idem ibidem. Si hoc verum est de Samuele, multò fortius de Virgine. Vel non cecidit folium, idest verbum eius à veritate per mendacium, vel à necessitate per superfluentiam: vel ab efficacia per vacuum: vel ab intentione per irritum.

MYSTIC. Beda. 19 *Et non cecidit ex omnibus verbis, &c.* Beda lib. 1. exposit. Allegor. cap. 8. Nihil terrenum in verbis Domini reperies. Vel nullus eorum, qui terrena sapiunt eius spiritualia dicta comprehendit.

LITERAL. Lira. 20 *Et non cecidit ex omnibus verbis, &c.* Lira ibi. Idest in cassum, quia totum fuit adimpletum.

LITERAL. Abul. 21 *Et non cecidit ex omnibus verbis, &c.* Abul. ibi quæst. 5. Dicitur verba cadere in terram, quoniam inania sunt: & non cadere, quoniam habent firmitatem veritatis. Verba enim cùm sint solùm ad significandum, habent firmitatem, vel vacuitatem ex rebus signatis; quod si res se habeant, vt verba enunciant, firmum est verbum; si autem secùs se habeant verba, sunt inania, & cadunt in terram. Est autem sensus; quod de verbis Samuelis nullum fuit in vanum, sed omnia opere comprobata sunt, quia sic euenit domui Heli, vt ipse prædixerat.

LITERAL. Charens. 22 *Et non cecidit ex omnibus verbis, &c.* Hugo Charensis in Postilla. Idest, non loquebatur de terrenis, sed tantùm de cœlestibus. Hoc est contra quosdam, qui semper de terrenis loquuntur de quibus

Isaiæ 29. Isaiæ 29. *De terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quasi pythonis de terra vox tua.*

VERSVS XX.

Vulgata. VVlgata. Et cognouit vniuersus Israël, à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini?

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et cognouit omnis Israël à Dan vsque Bursebah quod fidelis Semuel Propheta esset Domini.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Cognouit autem omnis populus à Dan vsque ad Bur-seba quod Samuel fidelis esset Propheta Domini.

Ariasm. *Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et cognouit vniuersus Israël à Dan, & vsque Borsabagh, quod fidelis Samuel in verbis prophetiæ Domini.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et cognouerunt vniuersus Israël à Dan, & vsque Bersabee, quod fidelis Samuel in Prophetam.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et cognouerunt omnis Israël à Dan, & vsque Bersabee quia fidelis Samuel in Prophetam Domino.

August. *August. lib. quæst. veteris & noui Testam. q. 46. tom. 4.* Et innotuit omni populo, quoniam fidelis est Samuel Propheta Domino.

Caiet. *Caietan. ibi.* Et cognouit totus Israël à Dan vsque Beersebah, quod fidelis Samuel in Prophetam Iehouah, *in datiuo.*

Vatab. *Vatab. in Scholiis.* Quod fidelis Samuel, vt esset Propheta Domini.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. August. *Samuel Propheta, non Sacerdos.* 1 *ET cognouit vniuersus Israël.* Augustin. lib. quæst. veter. & noui Testament. quæst. 46. tom. 4. Sicut qui Sacerdos est non ex eo vitam suam commendatam putare debet: ita, & qui sanctæ conuersationis, & vitæ est, non iam ex eo sibi Sacerdotium vindicare debet: quamuis enim bonum sit Sacerdotium, tamen malum erit ei, cui concessum non est, & præsumit. Nam si respiciamus quod scriptum est de Sancto Samuele, videbimus quale testimonium det ei Scriptura dicens. *Et innotuit*, inquit, *omni populo, quoniam fidelis est Samuel Propheta Domino.* Et in Psalm. *Fiant*, inquit, *Moyses, & Aaron in sacerdotes eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Quis non aduertat ex hac distinctione diuersas esse personas, dignitatum causa, vt Moyses, & Aaron sacerdotalem dignitatem adepti noscantur. Samuel verò inter Prophetas Deo dignus extitisse habeatur.

MORAL. Bern. 2 *Et cognouit vniuersus Israël.* Bern. serm. 12. in Cant. Ob bonum, quem circumquaque diffuderat suæ opinionis odorem, refert de eo Scriptura, quia cognouerunt omnes à Dan vsque Bersabee, *quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini.*

MYSTIC. Beda. 3 *Et cognouit vniuersus Israël.* Beda in lib. 1. exposit. Allegor. cap. 8. Cognouit Catholica, idest vniuersalis Ecclesia spiritalis, videlicet Israël, quæ à principiis abrenuntiandi Diabolo ad fontem vsque Baptismi perueniendo, congregata est, quod fidelis Prædicator esset IESVS CHRISTVS, qui vocatur: *nobiscum Deus.*

LITERAL. Abul. 4 *Et cognouit vniuersus Israël.* Abul. ibi q. 5. Hîc ponitur diuulgatio nominis Samuelis per totum Israël propter prophetiá. Nam in illo tempore fortè nulli alij erant Prophetæ, quia sermo Domini erat pretiosus,

pretiosus, vt patet suprà; & cùm auditum esset, quòd Samuel prophetauerat; fama eius, & laus fuit magna per totum Israel.

Allegor. Gregor. 5 *A Dan vsque Bersabee.* Gregor. lib. 2. Variar. cap. 4. Quid per Dan nisi simplices, & quid per Bersabee nisi sapientes designantur? A Dan vsque Bersabee fidelis Samuel Propheta Domini recognoscitur, quàdo electi Prædicatoris vita simplicibus ad salutis exemplum proponitur, & sapientibus per doctrinam eius sanctæ Scripturæ arcana reuelantur. Quia verò Bersabee *puteus septimus* interpretatur, possunt per Bersabee non solùm sapientes, sed etiam iusti designari: Puteus enim septimus quid est, nisi gratia Spiritus septiformis? Per Dan peccatorum vita ostenditur, quia per veterem prophetiam dicitur. *Fiat Dan coluber in via Corastis in semita, mordens vngulam equi, vt cadat ascensor eius retrò*

Literal. Mystic. Idem. 6 *A Dan vsque Bersabee.* Idem lib. 3. c. 1. Quibus profectò terræ nominibus Iudææ vniuersitas designatur. Quid ergo in vniuersa Iudæa, nisi omnis designatur Ecclesia? Vniuersitas itaque Israel, quia Samuel propheta est Domini, recognoscit, quia profecto omnis, qui fidelis est, credit quòd S. Prædicatorum ordo vera de futuris dicit.

Literal: Angelom. Rabban. 7 *A Dan vsque Bersabee.* Angelom. in Stromatib. cap. 3. Per terminos terræ Iudææ descriptos vniuersitatem plebis patriter comprehendit. Dan viculus est in quarto milliario à Pancade euntibus Tyrum, quousque hodie terminus est Iudææ Prouinciæ contrà Septentrionem; de quo & Iordanis flumen erumpens à loco sortitus est nomen. Bersabee similiter vicus est in Tribu Iudæ in tricesimo ab Ebron milliario vergens ad Austrum.

Literal. Rabban. 8 *A Dan vsque Bersabee.* Raban. Maur. in Gloss. Bersabee in Tribu Iuda, vel Simeonis, est vicus grandis in vicesimo ab Ebron milliario, vergens ad Austrum, in quo Romanorum positum est præsidium, à quo incipientes termini Iudææ tenduntur vsque ad Dan.

Literal. Abul. 9 *A Dan vsque Bersabee.* Abul. ibi. quæst. 5. Dan, & Bersabee sunt nomina propria locorum, quæ sunt in extremitatibus terræ Canaan ad plagam Aquilonis; Bersabee verò in extremitate eiusdem terræ, ad plagam Meridianam; & quia magis distant in terra Canaan latus Meridianum, & Aquilonare, quàm Orientale, & Occidentale, polita sunt loca, quæ erant ad Meridiem, & Aquilonem.

Literal. Lauret. 10 *A Dan vsque Bersabee.* Hieron. Lauret. in Sylua Allegoriar. Dan, ideſt, iudicans, siue iudicium, filius Iacob è Bala ancilla de cuius nomine dicta est Tribus, & ciuitas Dan, quæ postea Pancapas, & Cæsarea dicta est. Ab ea sumpsit nomen Iordanis fluuius. Est autem ciuitas Dan iuxta montem Libanum. Vt est nomen loci designare potest simplices. Bersabee, ideſt, puteus iuramenti, siue puteus saturitatis, siue puteus septimus, ciuitas in extremis finibus Iuda, vbi habitauerunt Abraham, Isaac, & Iacob. Vbi etiam Iudæi coluerunt Idola. Designat Ecclesiam, quæ est puteus septimus propter abundantem septiformem gratiam. Vt etiam est puteus saturitatis, vel abundantiæ, significat felicitatem æternam, in qua totius boni saturitas est.

Literal. Saa. 11 *A Dan vsque Bersabee.* Emanuel Saa in Bibl. trium PP. Dan priùs Lais dicta, postea Cæsarea Philippi.

Literal. Mendoza. 12 *A Dan vsque Bersabee.* Francis. Mendoza ibi §. 1. A principio vsque ad finem illius terræ sanctæ, quæ his terminis claudebatur, vt patet ex pluribus Scripturæ locis, in quibus hoc loquendi modo tota illa Regio significatur. Nam Iudic. 20. 1. *Egressi sunt,* inquit Textus, *omnes filij Israel, & pariter congregati, quasi vir vnus de Dan vsque Bersabee.* Rursus 2. Reg. 3. *Eleuetur thronus Dauid super Israel; & super Iudam à Dan vsque Bersabee.* Iudic. 20. 1 2 Reg. 3.

13 *Quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini.* Literal. Abul. ibi. quæst. 5. Ideſt, istud innotuit per totum Israel, quòd esset Samuel Propheta Domini, quia audierat ea, quæ reuelauerat ei Deus. Etiam quòd esset fidelis, ideſt firmus, scilicet, quòd omnia, quæ diceret, essent vera; hoc autem innotuit ex complerione eorum, quæ prædicebat. Et ponuntur hîc ista per anticipationem, quia priùs completa fuerunt ea, quæ prænunciabat Samuel, vel saltem aliqua eorum, quàm ipse cognosceretur Propheta fidelis,

14 *Quòd fidelis Samuel &c.* Caietan. ibi. Ad differentiam Prophetarum fallacium, loquentium ex parte Dei, dicitur quòd Samuel agnitus est fidelis in officio Prophetæ relatiuè ad Summum Deum: hoc est, quòd non fallebat, dicendo se habere reuelationem diuinam, quæ verè non esset diuina; hic enim effectus profectus est ex eo, quòd omnes prophetiæ Samuelis adimplebantur. Literal. Caiet.

15 *Quod fidelis Samuel &c.* Vatabl. in Schol. *Vt esset Propheta Domini.* Ideſt quòd aptus esset, ac idoneus, qui aliquando quaderat in Prophetam. Literal. Vatab.

16 *Quòd fidelis Samuel &c.* Author Catenæ. Hinc facilè deprehendes errorem Origenis, qui à munere prophetali Samuelem excludit, dum Hom. 5. in cap. 4. lib. Iudic. asserit solam Deboram inter omnes Iudices Israel Prophetam, seu prophetidem extitisse. Errat, inquam, quia contrarium hîc exprimit Scriptura. *Quod fidelis &c.* Literal. Author Catenæ. *Error Origenis.*

VERSVS XXI.

Vulgata. Et addidit Dominus, vt appareret in Silo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini. Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israeli. Vulgata.

Text. Gloss. in margine. Quoniam manifestauerat se Dominus Samueli in Silo iuxta verbum Domini; & fuit sermo Samuelis. *Vel.* Et Samuel loquebatur vniuerso Israeli. Gloss.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et addidit Dominus, vt conspiceretur in Siloh, quoniam manifestauerat se Dominus Samueli in Siloh in verbo Domini. Et fuit verbum Samuel omni Israel. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Dominus porrò apparuit in Silo, quoniam reuelatus est Dominus Samueli in Silo per verbum Domini.* Et fuit verbum Samuelis vniuerso Israeli. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et addidit Dominus ad reuelandum in Siloh, quoniam reuelatus est Dominus Samueli in Siloh iuxta verbum Domini. Et fuit verbum Samuel notum omni Israel. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et addidit Dominus, vt appareret in Sylo, & reuelatus fuerat Dominus ad Samuel in Sylo iuxta verbum Domini.* Et factum est verbum Samuel ad omnem Israel. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtiana. Et adiecit Dominus manifestari in Selon, quoniam reuelatus est Dominus ad Samuel, & creditus est Samuel Propheta Sixtian.

esse Domino in omnem Israël ab extremis terræ, & vsque ad extrema. Et Heli senex valdè, & filij eius eunres ibant, & maligna via eorum in conspectu Domini.

Flamin. *Flamin. Nobil. in Schol. Sixtian.* Et creditus Samuël Propheta, (*aut vt alij libri* in Prophetam) esse Domini ab extremis terræ, & vsque ad extrema.

Author Catenæ. *Author Catenæ.* Aduerte primò in versionibus Paguini extrema verba capitis, quæ componunt totum versum vltimum reperiri in principio capitis 4. non in fine 3. Aduerte secundò in versione Vatabli, & Græca, Complut. & Regia extrema versus verba, quæ asterisco notantur, similiter esse in principio cap. 4. Nota 3. in Sixtiana, seu Vaticana pluta verba addi, quæ requiruntur in aliis tam Græcis, quàm Hebraicis.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Chrysost. 1 *Et addidit Dominus, vt appareret in Silo.* Chrys. aduersus Vitup. Vitæ Monast. tom. 5. Deus & discipulo, & Propheta alteri, & cunctis penitùs eius clades reuelare, & loqui, quàm illi maluit; adeò illum auertabatur, atque oderat.

Literal. Greg. 2 *Et addidit Dominus, vt appareret in Silo.* Gregor. lib. 2. Variar. cap. 4. Superiùs de tempore reprobi Pastoris dicitur. *In diebus illis non erat visio manifesta.* Cùm itaque ex sacro eloquio optimus Prædicator ostenditur apparere, iterum Dominus perhibetur, quia nimirum cognitio diuini consilij, quæ absconditur reprobis, puritatis meritò reuelatur electis. Si enim & Domini consilia nisi familiaribus non creduntur, omnipotens Deus secreta suæ dispositionis æstimandus est suis patefacere inimicis?

Histor. Idem. 3 *Vt appareret in Silo.* Idem ibidem. In eodem loco illum apparuisse vice alia designatur; quia autem dixit, vbi apparuit, ne Heli apparuisse crederetur, subsequenter & personam eius, cui apparuit, ostendit dicens: *Quoniam reuelatus fuerat Dominus Samuëli in Silo iuxta verbum Domini.* Tunc namque se ei reuelauit, cùm ei secretum sui consilij de repulsione reprobi Prædicatoris aperuit. Quod profectò iuxta verbum Domini factum asseritur, & hoc quod non valdè superiùs per virum Dei ad Heli dictum fuerat, etiam secundùm Historiam impletum esse sentiatur. *Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.*

Mystic. Idem. 4 *Et addidit Dominus, vt appareret in Silo.* Idem lib. 3. Variar. cap. 1. Silo *missus* interpretatur, & quia vsque in mundi fine in prædicationis ministerium mittit, in Silo Dominus apparet, quia se eis clariùs ostendit, per quos lucis suæ gloriam aliis aperit. Benè autem dicitur *addidit*, vt appareret, quia incessanter eliguntur quibus claritas diuinæ lucis infunditur; vnde & causam, cur additam visionem asserat, subdit dicens: *Quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli.* Idcircò enim, vt appareat addit: Quoniam qui reuelatus fuerat, Dominus se iterum, atque iterum reuelat, & suæ ostensionis donum à S. Ecclesia nequaquam subtrahit, quam ei exhibere ex eius exordio non cessauit.

Literal. Abul. 5 *Et addidit Dominus, vt appareret in Silo.* Abulensis ibidem quæst. 5. Non solùm apparuit Dominus nunc Samueli quando annunciauit ea, quæ futura erant super domum Heli, sed & addidit, vt appareret, id est aliis vicibus postea apparuit. Quid autem in aliis vicibus Deus reuelauerit Samuëli, non apparet, non enim curauit Scriptura illa describere, quia non pertinebant ad exaltationem Samuëlis.

6 *Et addidit Dominus, vt appareret in Silo.* Literal. Caietan. Caietanus ibidem. Non de vna solùm superueniente visione dicitur, sed summariè multiplicatæ apparitiones diuinæ factæ in Silo scribuntur. Et dicitur *in Silo* ad differentiam aliarum visionum, quas habuit Samuel, postquam recessit à Silo.

7 *Et addidit Dominus, &c.* Author Catenæ. Literal. Aut. Caten. Obscurus quidem sensus est, sed iuxta Hebræum sic potest confici. Non semel, sed sæpè deinceps in Silo Deus reuelationes alias fecit Samuëli; nam ex prima Dei apparitione locus ille propheticis locutionibus Domini solemnis redditus est. Quas quidem reuelationes Samuël, eas videlicet, quarum populo congruebat notitia, ipsi populo prædicabat, prædicebátque ventura, vtpote futuri belli infortunium Arcæ captiuitatem, & cætera id genus.

8 *Quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli.* Literal. Abulensis ibidem quæst. 5. Id est innotuit Israëli, quod reuelatus fuerat Dominus in Silo Samuëli, & hoc erat quod cognosceret totus Israël Samuëlem esse Prophetam. Abul.

9 *Quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli.* Literal. Caietanus ibid. Simul manifestatur, cui apparuit Deus in Silo, videlicet Samuëli; & ratio cogniti Samuëlis ab vniuersis, quia in verbo Iehouah. Ex eo enim quòd nihil prophetabat Samuel, quod non eueniret, agnoscebatur Samuël loquens in verbo Domini. Dederat enim Deus in Deuteronomio signum Prophetæ, non sui, si Propheta ille dixisset aliquid falsum. Caiet.

10 *Quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli.* Literal. Mendoza. Franciscus Mendoza ibidem §. 3. Dupliciter interpretatur, primo vt illa particula *Quoniam* sit comparatiua, *sicut*, *quemadmodum*. Et est sensus: Ita apparuit Dominus iterum Samuëli, sicut paulò ante apparuerat; vnde colligitur vtriusque reuelationis inter se similitudo, nam vtraque facta fuit eidem Samuëli: vtraque in eodem loco Silo: vtraque de eadem materia, nempe de statu illius populi. Secundo sic interpretatur in sensu proprio, vt illa particula *quoniam* sit causalis; & est sensus: Propterea iterum apparuit, quia iam ante apparuerat, nam apud Deum collatio vnius beneficij est ratio alterius conferendi. Moral. *Deus beneficia multiplicat.*

11 *Iuxta verbum Domini.* Gregorius libro 2. Variar. cap. 4. Verbum ergo Domini cognoscendum est, antequam apparitionem Domini pertingere mereamur, ne iniusta, & indiscreta visio ignis, & nubis non solùm nobis profectionem non ostendat cœlestis itineris, sed ad submersionem erroris nos impellat. Tropol. Gregor.

12 *Iuxta verbum Domini.* Abulensis ibidem. quæst. 5. Aliter est sensus istius litteræ, quod Deus prædixerat, quòd appareret in Silo, & sicut dixit, ita compleuit. Sed quod hoc dixerit, non apparet. Literal. Abul.

13 *Iuxta verbum Domini.* Petrus Comest. in Histor. Scholast. cap. 5. Consuluit eum omnis populus iuxta verbum Domini; præceperat enim Deus, vt abiicerent Diuinos, & Ariolos, & huiusmodi, & scisciterentur à fratribus suis verbum Domini. Literal. Comest.

14 *Et venit sermo Samuëlis vniuerso Israëli.* Hieron. vel potius Author Tradit. Hebraicarum ibidem. Semno eius fuit ad vniuersum Israël, quòd Histor. Hieron.

percutiendi

percutiēdi essent à Philisthiis propter peccata filiorū Heli, quem sermonē euentus rei postea probauit.

MYSTIC. Greg. 15 *Et venit sermo Samuelis, &c.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 1. Sermo etenim venire cognoscitur, cùm Prædicatorum nostrorum promissio adimpletur. Promissio enim verbi est gaudium sine fine mansurum. Vniuersō igitur Israēli sermo Samuēlis venit, quia omnis multitudo S. Ecclesiæ ad gaudium æternæ beatitudinis peruenit. Vel certè sermo Samuēlis vniuerso Israēli iam venit, quia per effectum diuinæ animaduersionis generalis impleta cognoscitur repulsio Iudæorum.

LITERAL. Rupert. 16 *Et venit sermo Samuelis, &c.* Rupert. lib. 1. Commentar. cap. 7. Venit sermo Samuelis non solùm Heli, sed & vniuerso Israēli: sermo enim eius fuit ad vniuersum Israël, quòd percutiendi essent à Philisthæis propter peccata filiorum Heli; quem sermonem euentus rei postea probauit.

LITERAL. Vatab. 17 *Et venit sermo Samuēlis, &c.* Vatabl. in Scholiis cap. 4. initio. Id est, mox Samuel dixit vniuerso Israēli quæ audiuerat à Domino, nempè de resistendo Palæstinis, & suscipienda expeditione aduersùs eos. Nonnulli Rabbinorum hic dicùnt Samuelem consuluisse Dominum, an deberent Israelitæ suscipere expeditionem aduersus Palæstinos inuadentes filios Israël; Dominum autem respondisse, vt Palæstinis occurrerent, atque hoc dicunt esse, quod hic dicitur: *Et factum est verbum*, &c.

LITERAL. Mendoza. 18 *Et venit sermo Samuēlis, &c.* Franciscus Mendoza cap. 4. vers. 1. §. 1. Potest tripliciter explicari. Primo impletum est quidquid Samuel prophetarat: ita colligitur ex Hebræo, vbi habetur. *Et fuit verbum Samuelis omni Israeli.* Hoc est, euenit quidquid prædixerat, & videtur planior, ac simplicior interpretatio. Secundò factum est verbum, hoc est, prolatum est verbum à Samuēle, fore vt populus à Philistæis vinceretur. Tertiò factum est, seu prolatum est verbum à Samuēle, quo populum ad bellandum contra Philisthinos ex diuino oraculo excitauit. Sic aliqui Rabbini quibus Vatablus. Isidor. Clarius, & noster Mariana assentiuntur.

Vatab. Clarius. Mariana.

METAPHRASIS

CAP. III.

Ex superiori Interpretum doctrina.

EO autem tempore, quo Samuēl puer adhuc duodennis leuioribus officiis ad Heli Sacerdotis imperium Tabernaculo inseruiebat; ob eiusdem Heli, nimio iam senio grauati, & cæcutientis, & filiorum eius crimina, totius etiam populi delicta, donum prophetiæ obsoleuerat, rarò enim Deus alicui hominum apparebat, futura prædicens. Nocte autem quadam circa auroram, quando extinguendæ iam erant quatuor lucernæ ex septem, quibus candelabrum Tabernaculi instruebatur, vt tres lucerent per diem, cubantem Samuelem iuxta Sanctuarium, Deus sentibili voce per Angeli ministerium proprio nomine interpellauit: cui ille, (cùm Sacerdotem Heli crederet non longiùs inde cubantem, & præstò se esse respondens, accurrit simul, & de vocantis placito scisciatur. Negat ille puerum à se vocatum, & cubitum repetat, suadet. Samuēl autem obtemperans, iterùm, & tertiò à Deo voce simili excitatus Sacerdotem conuenit, diuinis enim allocutionibus insuetus, vni Heli sui vocationem adscribebat. Tum Pontifex prudenter colligens Deum trinæ illius vocationis authorem, puerum instruit, vti diuinum sermonem reuerentia excipiat, ac precibus solicitet. *Si tandem*, inquit, *iterum acciri te senseris, diuinam vocem agnoscito, & promptum ad parendum animum promitte.* Sic re habuit, quartò enim similiter repetito nomine euocatus Samuēl loquentem secum Dominum rogauit, vt sibi vōluntatis suæ imperium exponeret. Cui Dominus. *Ecce*, inquit, *ego talia in Israel portenta dispono, quæ audientium animos attonitos reddant. Exequar enim, & ad finem perducam, quas olim aduersùs Heli comminationes protuli, eius videlicet domum me perpetuò damnaturum propter scelestorum filiorum eius facinora, quibus ille segni commonitione contentus, perperam indulserit. Quocirca vindictam mei in domum eius non vllis victimis, aut oblationibus irritam fore, firmo decreto constitui.* Hæc ex Deo Angelus, quibus auditis, somno Samuēl vsque in matutinum tempus indulsit, quo surrexit ostia atrij Tabernaculi in matutinum sacrificium referaturus. Cùm verò quæ à Deo in eum audierat, filiali reuerentia indicare Pontifici vereretur, ab eodem accitus, precibus, & adiuratione compulsus, tandem exposuit. Ea autem ille pia mentis summissione suscepit, diuinæ voluntati omnia committens. Samuēl verò, cui Deus speciali aderat prouidentia, ætate, sapientia, & authoritate in dies proficiebat. Quæque enim spiritu prophetico prædixerat, vt enunciata fuerant, cuncta cecidere, ex quo nominis eius vbique fama percrebuit, veraxque, & infallibilis Domini Prophera ab omnibus in vniuersa Israēlis regione prædicabatur. Neque enim semel Deus Samuēli apparuit, sed ex quo in Silo primo apparuerat, crebrò etiam aliàs eidem futura prædixit, quæ ille vniuerso populo prædicabat.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS.

CVM Hebræi ex Samuelis consilio acies in Palæstinos instruxissent, ingentem ab illis infausto prælio cladem acceperunt; vixque ignominiosa fuga cruentum eorum ferrum euaserant. Tunc verò quoties eorum maiores præsentis Arcæ præsidio hostium acies concidissent, in memoriam reuocantes, eam ad castra transportari iubent. Illa autem vociferatione, ac plausu accepta. Primò Palæstinos perterruit, quasi non iam cum Hebræis, sed cum eorum quoque Diis tutelaribus certandum foret. Animis tamen resumptis, prælium redintegrant, & maiori clade cæsis Israëlitis, filiis quoque Pontificis occisis, Arca cum spoliis in hostium potestatem venit, & in Idoli fano collocatur. Hæc vt ex nuncio accipit Heli, ad filiorum, ac plebis plagam constanter ac patienter subsistit; vbi autem ad Arcæ captiuitatem ventum est, cecidit ex animis è sella, & graui accepta collusione occubuit. Tum nurus eius vxor Phinees, audita & viri nece, & Arcæ iactura, cùm esset partui vicina filium enixa periit, nulla ex recens nato consolatione accepta, cui infortunij, doloríque suo congruum spirans indidit nomen.

CAPVT QVARTVM.

1 ET factum est in diebus illis, conuenerunt Philisthiim in pugnam: & egressus est Israël ob viam Philisthiim in prælium, & castrametatus est iuxta lapidem adiutorij. Porro Philisthiim venerunt in Aphec. 2. Et instruxerunt aciem contra Israël. Inito autem certamine, terga vertit Israël Philisthæis: & cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum. 3. Et reuersus est populus ad castra: dixeruntque maiores natu de Israël: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. 4. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim: erantque duo filij Heli cum arca fœderis Dei, Ophni & Phinees. 5. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personuit terra. 6. Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixeruntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt quod arca Domini venisset in castra. 7. Timueruntque Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes. 8. Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius: væ nobis, Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto. 9. Confortamini, & estote viri, Philisthiim: ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt vobis: confortamini, & bellate. 10. Pugnauerunt ergo Philisthiim, & cæsus est Israël, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt de Israël triginta millia peditum. 11. Et arca Dei capta est: duo quoque filij Heli mortui sunt, Ophni & Phinees. 12. Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, & conspersus puluere caput. 13. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor eius pauens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nunciauit vrbi: & vlulauit omnis ciuitas. 14. Et audiuit Heli sonitum clamoris,

clamoris, dixitque: Quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinauit, & venit, & nuntiauit Heli. 15. Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat. 16. Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est fili mi? 17. Respondens autem ille, qui nuntiabat, Fugit, inquit, Israël coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo: insuper & duo filij tui mortui sunt, Ophni & Phinees: & arca Dei capta est. 18. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. Senex enim erat vir & grandæuus: & ipse iudicauit Israël quadraginta annis. 19. Nurus autem eius, vxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui: & audito nuntio quod capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se & peperit: irruerant enim in eam dolores subiti. 20. In ipso autem momento mortis eius, dixerunt ei quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animaduertit. 21. Et vocauit puerum, Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israël, quia capta est arca Dei, & pro socero suo & pro viro suo; 22. Et ait: Translata est gloria ab Israël, eo quod capta esset arca Dei.

VERSVS PRIMVS.

Vulgat. *Vulgata.* Et factum est in diebus illis, conuenerunt Philisthiim in pugnam: & egressus est Israël obuiam Philisthiim in prælium, & castrametatus est iuxta Lapidem adiutorij. Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.

Bened. *Benedict. in margine.* Et castrametati sunt, &c.

Glossa. *Text. Gloss.* Conuenerunt Philisthiim in pugnam; egressus est namque Israël.

Author Catenæ. *Autor Catenæ.* Quæ hic habeant Hebraica exemplaria, Chaldaica, & Græca statim supponam. Circa Vulg. aduerte plures esse, qui ad prima huius cap. verba reuocent vltima præcedentis in hunc modum. *Et factum est verbum Samuelis ad omnem Israël, conuenerunt Philisthiim.* Sic Pagn. Vatab. Clarius. Alij autem sic cap. 4. incipiunt. *Egressus est namque Israël obuiam Philisthiim in prælium.* Sic habent Latina in Bibliis Complut. & Regiis, Gloss. text. in margine. Approbant, & amplectuntur Greg. Angelom. Epanorthotes, & manuscripta plurima exemplaria apud Decanum Brugensem, quam lectionem ipse implacabiliter tuetur, nec à petulanti censura abstinens. Probat autem ex cautali, quæ in pluribus vetustis Codicibus additur, scilicet. *Egressus est namque Israël obuiam Philisthiim*, ita vt hic sensus fiat. Quæ Samuel populo prædixerat ita euenêre, vt ab illo enunciata fuerant. Namque Israël egressus est in prælium contra Philisthæos, vti Samuel prædixerat. Vnde egressio Israëlitarum ad prælium fit probatio impletionis vaticinij Samuelis. Cæterùm Brugensem rectè impugnat noster Mendoza, & Vulgatæ nouissimè correctæ lectionem præferendam probat.

Pagn. Vatab. Clarius. Complut. Regia. Greg. Angelom. Brugens.

Mendoza.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Egressus est autem Israel in occursum Philisthiim in bellum, & castrametati sunt iuxta Lapidem adiutorij. Palestini autem castrametati sunt in Aphec.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Fuit autem verbum Samuelis ad omnem Israël, & egressus est Israël obuiam Palæstinis in prælium, castráque metati sunt prope Æbenæir. Palæstini autem castrametati sunt in Aphec.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et exiit Israël ad occursum Philisthæorum, ad incundum bellum; & manserunt super Lapidem auxilij: & Philisthæi manserunt in Aphec.

Compl. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et factum verbum Samuel ad omnem Israël; & conuenerunt Philisthiim in pugnam contra Israël; & egressus est Israel obuiam eis in prælium, & castrametantur iuxta Lapidem adiutorij; & castrametantur Philisthiim in Aphec.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtiana.* Et factum est in diebus illis, & congregantur alienigenæ aduersùs Israël ad bellum: & exiit Israël in occursum eis in bellum; & castrametantur super Abenezer: & alienigenæ castrametantur in Aphec.

Ambros. *Ambros. lib. 1. officior. cap. 29. tom. 1.* Et factum est in diebus illis, conuenerunt alienigenæ in pugnam ad Israël.

Isidor. *Isidorus Clarius præponit hæc verba.* Fuit autem verbum Samuelis ad omnem Israël.

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Ambros. *Hostes modestè tractandi.*

1 *Et factum est in diebus illis, conuenerunt Philisthiim in pugnam.* Ambros. lib. 1. officior. cap. 29. Denique etiam aduersarios molli veteres appellatione nominabant, vt peregrinos vocarent; hostes enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Quod æquè etiam ipsum de nostris assumptum dicere possumus; aduersarios enim suos Hebræi Allophylos, hoc est, alienigenas Latino appellabant vocabulo. Denique in lib. 1. Reg. sic legimus: *Conuenerunt alienigenæ in pugnam ad Israel.*

Tropol. August. *Peccata bellorum origo.*

2 *Conuenerunt Philisthiim.* August. lib. de Mirabil. sacræ Scripturæ, aut Autor illius libri tom. 3. Inde post non multum temporis filiis Israël mandatorum transgressione Deum offendentibus, incitata Philisthinorum agmina ad bellandum contra eos conueniunt.

Literal. Mystic. Rupert.

3 *Et factum est in diebus illis, &c.* Rupert. lib. 1. comment. cap. 13. Narratione hac mox subsecutura præmissum est: *Et addidit Dominus, vt appareret in Sylo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Sylo iuxta verbum Domini.* Et est sensus: Dominus quoniam reuelatus fuerat Samueli in Sylo dictus addidit, vt appareret itidem in Sylo iuxta verbum suum factis, ita vt non caderet ex omnibus verbis eius in terram, vt cognosceret vniuersus Israël à Dan vsque ad Bersabee, quòd fidelis

Samuel Propheta esset Domini. Ita sanè ex omnibus verbis Prophetæ,& plusquàm Prophetæ Ioannis non cecidit verbum in terram. Respiciamus ad dies illos, in quibus non iam Philisthiim, sed qui per Philisthæos hoc loco rectè figurantur, Romani conuenerunt in pugnam.

LITERAL. Angelom. 4 *Et factum est in diebus illis, &c.* Angelom. in Stromatib. cap. 4. Patet iuxta litteram sensus, quia ista propter peccata filiorum Heli perpessi sunt filij Israel. Vnde benè *Aphec* furor nouus, siue apprehendens interpretatur, quod meritò conuenit rebus gestis; qui enim iram Domini meruerunt, ab hostibus apprehensi sunt. Verùm iuxta anagogem quid significet, breuitèr enucleandum est. Porrò *Israël*, qui interpretatur *videns Deum*, siue fortis cum Deo, significat credentes in Deum. Philisthiim verò, qui interpretantur *cadentes pòculo*, immundos significant spiritus, qui poculo superbiæ inebriati, & ipsi de cœlestibus ceciderunt: Et multos quotidie hominum peruertere festinant poculo suæ malitiæ; contra quos Israël, fideles scilicet, ne victi immundis spiritibus cedant, sed vt superare possint, iuxta Lapidem adiutorij castrametantur; Lapis enim adiutorij legem significat Christi, vbi Lapis verus Christus inuenitur, de quo scriptum est: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes.* Matthæi 7.

MYSTIC.

Matth. 7.

HISTOR. Ioseph. 5 *Et factum est in diebus illis, &c.* Ioseph lib. 5. Antiq. c. 11. Per idem tempus Palæstini suscepta expeditione contra Israëlitas, castrametati sunt iuxta vrbem Amphecam, & nemine ibi concurrente, vlteriùs processerunt.

LITERAL. Abul. 6 *Et factum est in diebus illis, &c.* Abulens. ibi ex q. 1. Postquam in præcedentibus descripta est Heli, & filiorum suorum præuaricatio, hic consequenter subiicitur eorum punitio. Hæc diuiditur in duo; quia primò describitur populi depressio, propter Heli, & filiorum eius peccata. Secundò, eius liberatio propter Samuëlis merita infrà 13. *Et factum est in diebus illis*, scilicet paruo tempore, postquam Samuel prophetauit suprà posita.

MYSTIC. Lauret. 7 *Conuenerunt Philisthiim.* Lauretus in Sylua Allegoriar. Verbo *Palæstina.* Philisthæi, hoc est potione cadentes, sunt mali ebrij in peccato, & cœlestium obliti, & Philisthina est anima peccatrix. Item Hæretici errorum poculo cadentes, & etiam Philosophi superbi, & præterea persecutores fidelium.

HISTOR. Mendoza. 8 *Et factum est in diebus illis.* Francisc. Mend. ibi §. 9. & 10. Hebraismus est in sacris Litteris passim obuius, quem Euangelistæ frequenter imitantur. Matthæi 9. 10. Marci 2. 15. &c. Cuius sensus est: Contigit autem in diebus illis. Cùm illa prophetia contigerit Samuele duodenne? hoc autem bellum, in quo Heli mortuus est, factum fuerit Samuele trigesimum aut quadragesimum annum agente, vt ex dictis cap. 3. num. 1. §. 4. constat, necesse est inter illam prophetiam, & hoc bellum annos decem, & octo, aut viginti & octo interfluxisse. Vnde, cùm hìc dicitur; *Factum est in diebus illis*, non intelligas proximè sequentes, sed eo interuallo quo diximus distantes.

Matth. 9. 10

Marc. 2. 15.

LITERAL. Mendoz. 9 *Conuenerunt Philisthiim in pugnam.* Idem ibidem §. 12. Philisthini si genus pectes, fuerunt de stirpe Cham filij Noë, vt patet Genes. 10. & Paralipom. 1. non quidem per filium Chanaam, sed per filium eius Mesraim propagati. Vnde dici non debent Cananæi nisi propter regionem, in qua habitant. Patria illorum tùm Philisthæa, seu Philisthina, intra terminos terræ promissionis inclusa. Philisthinorum religio fuit Idololatria, innumera enim Idola venerabantur. Notandum est Philistinos in Scriptura frequenter alienigenas appellari. Psalm. 59. *Mihi alienigenæ subiecti sunt.* Psalm. 82.

LITERAL. Author. Catenæ 10 *Et factum est in diebus illis, conuenerunt. &c.* Autor Catenæ. Dubitari potest vter bellum aggressus fuerit prior, Hebræusne, an Philisthæus? Philisthæum contendit Mend. sed probabilius iudico Hebræum. Primò qui tres antiquiores Codices, vt seriò affirmat Lucas Brugens. particula *namque*, quam addunt (vt etiam Complut. & Regia,) reddunt rationem egressionis ad bellum Philisthinorum, ex eo scilicet, quòd Hebræi ad bellum priores egressi essent. *Conuenerunt Philisthiim in pugnam, egressus est namque Israël.* Secundò, quia vt ipse Mendoza probabiliter iudicat ex sententia Rabbinorum Vatabli, Isidori Clarij, & Marianæ, quibus assentitur Saa, bellum hoc Hebræi ex adhortatione, & consilio Samuelis tentauerunt, sic ea verba accipientes. *Et venit sermo Samuelis ad vniuersum Israel*, siue vt alij legunt: *Et factum est verbum Samuelis ad omnem Israel.* Tertiò, quia non apparet ratio, ob quam Philisthæi, qui Hebræis pacificè dominabantur, ipsis bellum ingererent. Ratio enim Abulens. scilicet, quòd forte tributa, quæ consueuerant, Hebræi soluere nollent, aut quod ex antiqua Sampsonis clade, infensi essent, & vindictæ cupidi, quod suspicantur Salian. & Mendoz. diuinare potiùs est, quàm certi aliquid adstruere. Instat Mendoza primò, quia Scriptura priùs refert Philisthinos ad pugnam conuenisse, quod signum est ita in ordine rerum extitisse; nam alias narrationis ordo rerum factarum ordini non responderet. Infirmum quidem argumentum in ipsius etiam auctoris sententia; cùm per figuras Prolepsim, & Anacephaleosim, seu recapitulationem passim Scriptura rerum, & narrationum ordinem inuertat, vt hoc eodem versu patet, vbi Abenesser vocatur Lapis adiutorij, quod nomen multum post tempus obtinuit, cùm scilicet Samuel illustrem comparauit victoriam ex Allophilis cap. 7. vers. 12. cuius etiam varia agglomerat exempla, tum ipse, tum Cantapretensis lib. 5. Hiporipoleon. cap. 1. Sufficiat vnicum Genes. 29. *Rhachel veniebat cum ouibus patris sui; quam, cùm vidisset Iacob, & scisset consobrinam suam, amouit lapidem, quo puteus claudebatur, & adæquato grege osculatus est eam, & eleuata voce flexit, & indicauit ei, quòd frater esset patris sui, & filius Rebecca.* Per Recapitulationem priùs indicauit nomen; & postea osculatus est, vt ait August. lib. qq. in Genes. quæstion. 87. Instat secundò Mendoza referre Scripturam Israël egressum fuisse obuiam Philisthiim, is autem obuiam ire alicui dicitur, qui venienti alteri occurrit, seu obuius fit. Respondeo primò, *obuiam* hìc posse accipi non tam strictè, sed pro eodem quòd *contrà*, seu *aduersùs*. Respondeo secundò, licèt Hebræi priores bellum intenderint, potuisse Philisthinos belli rumore excitatos hostes suos expeditionem apparantes præoccupare; tunc autem verè diceretur Israel obuiam Philisthinis egressus, licèt Hebræi priores bellum meditarentur.

Quis prior bellum aggressus.

Brugens.

Vatab. Clarius. Marian. Saa.

Abul.

Salian. Mendoza.

Cantap. Genes. 29.

August.

MYSTIC. Gregor. 11 *Et egressus est Israël obuiam Philisthiim.* Gregor. lib. 3. variar. cap. 2. Dum Israëlis prælia per litteram referuntur, interna, & spiritualia designantur. Philisthiim namque *cadentes poculo* interpre-

interpretantur, quo nimirum nomine reprobi Angeli exprimuntur, quia per abundantiorem potum superbiæ statim perdiderunt æternæ vitæ. Eis quippe velut poculo cadere fuit potum superbiæ sine omni mora retractationis ad imere.

Mystic. Idem. 12 *Et egressus est Israel.* Idem ibidem. Tunc rectè exit, cùm sacræ fidei monimenta deseruit. Vnde, & de eis, qui à Scripturæ sanctæ mysteriis errando deuiauerant. Ioannes dicit. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* 1. Ioan. 2.

1. Ioan. 2. Mystic. Beda. 13 *Et egressus est Israel.* Beda libr. 1. Exposit. Allegor. cap. 9. Egressus est populus, id est, post acceptæ legis notitiam ad agenda palam bona opera, quæ dedicit; & expugnandum quantum poterat Gentilitatis errorem, quo impiorum corda deuiata perpetuam vergebant in mortem, vnde benè Philisthiim cadentes potione dicuntur.

Literal. Abul. 14 *Et egressus est Israel.* Abulens. ibi. quæst. 1. Quæret aliquis, quare Israëlitæ, & Philisthiim erant hostes? Dicendum quòd causa huius est, quia erant Philisthiim in terra Chanaam, quam Deus promiserat totaliter filiis Israel; Erat autem tota terra Philisthiim intra sortem datam Iudæ. Nunc autem quanquam Philisthiim dominabantur Israeli, & exigebant aliqua tributa, tamen conuenerunt in pugnam contra Israel, quia fortè non respondebant eis Israëlitæ integrè cum tributis impositis, vel quia volebant eos magis subiicere seruituti, vt imponerent maiora tributa.

Literal. Idem. 15 *Et egressus est Israel, &c.* Idem ibidem. Scilicet quòd cùm senserunt Israelitæ Philisthiim contra se conuenire, ipsi quoque collectis agminibus suis exierunt eis obuiam prope terram Philisthiim; hoc autem erat, ne permitterent eos vagari per terram suam, quia sic omnia vastarent. Etiam fecerunt hoc ad excusandum timorem eorum, qui erant in terra, & non erant exituri ad bellum.

Literal. Rabbi Leui. 16 *Et egressus est Israel, &c.* Rabbi Leui. Bellum iniussu Dei inierunt Hebræi, & grauiter peccauerunt, quòd habentes Vrim, & Thumim, Deum non consuluerunt.

Literal. Mendoza. 17 *Et egressus est Israel, &c.* Francisc. Mendoza ibi. §. 18. Exemplaria in Bibl. Reg. & Complutensib. significare videntur Israelitas fuisse aggressores, dum sic habent: *Egressus est namque Israel, &c.* Nam illa particula causalis *namque* supponit Philisthinos conuenisse in pugnam, non ad inferendam, sed ad repellendam iniuriam; neque sua sponte ductos, sed ab Israelitis prouocatos. Reddit enim rationem cur Philisthini ad pugnam conuenerint, quia scilicet, egressus fuerat Israel in prælium. Nihilominus Vulgata editio nouissimè emendata potius tribuere videtur initium huius belli Philisthinis; Tum quia Græcos, & Hebraicos forte secuta excludit illam particulam causalem *namque*, & eius loco reperit copulatiuam *Et*. Tum quia priùs memorat Philisthinos ad pugnam conuenisse, & postea egressos fuisse Israelitas, vt narrationis ordo rerum ordini responderet; tum quia subdit Israelitas egressos fuisse *obuiam* Philisthinis.

Histor. Salian. 18 *Et egressus est Israel.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 2939. num. 5. Quo porro duce Israelitæ contra Philisthæos arma sumpserint, non memoratur. Certe non fuisse quemquam de filiis Heli videtur significari paulo pòst, cùm duo filij Heli cum Arca fœderis Dei fuisse dicuntur, & cum ea, nec priùs vòcati videntur; quanquam hoc non impedit, quominùs alter, ambove in priore prælio ac conflictu fuerint, & Deo, qui vltrici manu bellum hoc totum moderabatur permittente, populo suggesserint, vt Arca transferretur in castra.

Tropol. Mystic. Rupert. 19 *Iuxta Lapidem adiutorii.* Rupert. libr. 1. Comment. cap. 13. tom. 1. Falsi sunt metando castra iuxta Lapidem postea dictum Lapidem adiutorij. Nam & tunc prælagio suo frustrati sunt, & nunc eius Lapidis non habuere adiutorium, quem in malum sibi ipsi reprobauerunt, iuxta quod Scriptura dicit. *Lapidem, quem reprobauerunt, ædificantes, &c.*

Mystic. Beda. 20 *Iuxta Lapidem adiutorij.* Beda lib. 1. Expos. Allegor. c. 9. Omnem spiritalis sui belli fiduciam in eius constituit auxilio, de quo dicebat: *Dum angustiaretur cor meum, in petra exaltasti me.* Psal. 60. Et alibi. *Dominus petra, &c.*

Literal. Comest. 21 *Iuxta Lapidem adiutorij.* Petrus Comest. in Histor. Scholastica c. 6. Quod per prolepsim dictum esse, idest per anticipationem, postea patebit.

Mystic. Tropol. Odo Tusculan. *Christus lapis adiutorij.* 22 *Iuxta Lapidem adiutorij.* Odo Tusculan. apud Tilman. in Allegor. Et nos charissimi ipsorum exemplo iuxta hunc Lapidem nostra castra collocare curemus, alioquin ab hostibus subitò capiuntur, capta dissipantur, & in cineres rediguntur. Lapis enim iste fortitudo castrorum est, & pulchritudinis ornatus, & in circuitu se se ducens, non solùm se murum, sed etiam antemurale constituit. Legitur enim: *Et Dominus in circuitu populi sui.*

Literal. Torniel. 23 *Iuxta Lapidem adiutorij.* Aug. Torniellus tom. 1. Annal. ann. Mundi 2939. Lapis adiutorij post annos viginti à Samuele erectus, ac denominatus fuit. Ex quo patet quod alias quoque notauimus, nempe quæ in libris Regum, præsertim prioribus traduntur, post plures valdè annos, ex quo gesta fuerunt, fuisse conscripta, & eorum Autorem, vti locorum nominibus suo tempore vsitatis, licet interdum quando res gerebantur, nondum talia locis illis nomina fuissent imposita.

Mystic. Beda. 24 *Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.* Beda suprà. Proficiente in Deo vero Israel, falsorum, multorumq; cultores Deorum continuò furor nouus inuidendi cúmque deprauandi corripuit.

Histor. Rabban. 25 *Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.* Rabban Maurus ibi. Aphec locus est iuxta vicum Efron ciuitatis Israel, vbi dimicauit Saul in sorte Aser, & interpretatur furor nouus, vel apprehendens; qui enim iram Domini meruerunt ab hostibus comprehensi sunt.

Mystic. Hugo Vict. *Demones in quos inuehuntur.* 26 *Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.* Hugo Victor. lib. 5. Alleg. c. 6. tom. 1. Philisthiim veniunt in Aphec, idest furorem nouũ; quia dum fideles diuinis legibus amplius insistere prospiciunt, immundi spiritus acriora, & certamina constituunt. Vnde eos hoc est, fideles; non in Domino, sed in suis viribus confidentes, & humana sapientia gloriantes, ac per hoc gratiam Euangelij contemnentes, quasi quatuor millia facilè prosternunt.

Literal. Abul. 27 *Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.* Abul. ibi. q. 3. Ista est quædam ciuitas, quæ tunc erat in terra Philisthiim; pertinebat tamen ad sortem Iudæ, & vocatur Aphec, vel Apheca. De hoc Iosue. cap. 15. Alia etiam ciuitas erat in terra Chanaam, quæ vocabatur Aphec, cecidítque in sortem Aser. Iosue 19. Sed hic intelligitur de Aphec; quæ erat in sorte Iudæ.

Tropol. 28 *Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.* Franc. Mend.

Mendoza. Rabban. *Perseuerantia vincit.* Mendoza ibi. §.28. Bono fortasse augurio in hanc vrbem Philisthini conuenerunt, nam Aphec, interprete Rabbano, Perseuerantiam significat, sine qua felices bellorum euentus non consistunt. Hebræi verò siniſtro alite sua castra posuerunt ad illum Lapidem nondum adiutorij dictum, sed in Tribu Dan, teste Adricomio, collocato, vt eodem, quo Autor illius Tribus infortunio abriperetur.

Adric.

VERSVS II.

Vulgata. *Vulgata.* Et instruxerunt aciem contra Israël. Inito autem certamine terga vertit Israel Philisthæis, & cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum.

Benedict. *Benedict. in margine.* Inito autem certamine corruit Israel coram Philisthæis.

Gloſſa. *Text. Gloſſ. in margine.* Inito autem certamine cæsus est Israel coram Philisthæis.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et ordinauerunt se Peliſtim in occursum Israel, & extendit prælium, & cæsus est Israel coram Peliſtim, & percusserunt acie in agro, fermè quatuor millia virorum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et aciem instruxerunt Palæstini contra Israëlem; extentóque prælio corruit Israel coram Palæstinis, percusserúntque in acie per campum circiter quatuor millia virorum.

Ariaſm. *Chaldaica ex Benedicto Ariaſm. in Regia.* Et ordinauerunt bellum Philisthæi ad occursum Israel, & expansi sunt factores belli, & fracti sunt Israel ante Philisthæos, & percusserunt in acie in agro circiter quatuor mille viros.

Çomplut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et instruxerunt aciem Philisthiim in prælium contra Israel: & declinauit bellum, & cecidit vir Israel coram Philisthiim in acie in campo quatuor millia virorum.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtia.* Et aciem instruxerunt alienigenæ in prælium super Israël, & inclinauit prælium, & cecidit vir Israel coram alienigenis, & percussi sunt in acie in agro quatuor millia virorum.

Vatab. *Vatab. in Schol.* Dilatáque acie; ideſt, *cùm cepiſſent se dilatare, & explicare milites.*

PP. ET AVCTORES.

Moral. Mendoza. 1 *Et instruxerunt aciem.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Quamuis Israelitæ & Philisthini superiori numero dicantur suos milites castris, seu muris circumuallasse; soli tamen Philisthini dicuntur aciem instruxisse, qua in re, & illorum vituperatur imperitia, & horum prudentia commendatur. Nam, vt benè Vegetius de re militari; *Turba militum sine ordine non est aliud, quàm victima hostium.*

Vegetius.

Histor. Ioſephus. 2 *Inito autem certamine.* Ioseph. lib. 5. Antiq. c. 11. Tandem congressi prælio Hebræorum circiter quatuor millia peremerunt, reliquis trepidè in castra compulsis.

Histor. Abul. 3 *Inito autem certamine.* Abul. ibi. q. 3. Exierunt Israelitæ de locis castrorum, & Philisthiim de locis suis: commissa pugna in campo fugerunt Israelitæ.

Histor. Author Catenæ. 4 *Inito autem certamine.* Autor Catenæ. Hebræus, & Chaldæus habent: *Et extendit prælium, seu & expansi sunt factores belli.* Hoc est, certamine iam inito ordinati milites ordinem perdere cæperunt. Hebræi enim absque militari ordine fugam meditabantur: Philisthini verò fugientes eos, & pallentes insequebantur. Vnde non rectè colligitur, quod Mendoza contendit, Hebræos primo præludio, antequam seriò manus cum hoste conferrent, fugæ se dediſſe, cùm possent ordinem, & aciem peruertere, postquam acriter conflixissent. Nec Septuaginta confirmant eius opinionem transcribentes: *Et declinauit*, seu *inclinauit bellum*, posuit enim bellum declinare, vel animis Hebræos cadere post longum, & acre certamen, quod quidem textus omittit.

Mendoza.

Mystic. Gregor. *Fides seruat suos* 5 *Terga vertit Israel.* Gregor. lib. 3. Variarum cap. 3. Meritò terga vertisse Israel dicitur, quia & egressus fuisse perhibetur. Nam si intus maneret, vinci nequaquam potuisset; quia si se intra munitiones seruaret fidei, armatos spiritus deuelaret erroris.

Mystic. Idem. 6 *Terga vertit Israel.* Idem ibidem. Quia dum mori metuit, malignis spiritibus non resistit. Ideò quippe pugnæ profugi terga hostibus vertunt, ne resistentes moriantur. Quia verò si in Redemptorem Iudæi credant, mori trepidant, ideirco non resistunt, vt viuant; quia in Redemptorem non credunt, vt in veteri circumcisione saluentur.

Mystic. Idem. *Stephani triumphus.* 7 *Terga vertit Israel.* Idem ibidem. In prælium Israel contra Philisthiim exierat, cùm prædicanti Stephano Iudæi obsisterent, & de fidei nostræ ratione disputarent. Sed prælians terga vertit, quia resistere disputando non potuit. Nam de terga vertentibus in Apostolorum Actibus dicitur. *Non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur.*

Mystic. Beda. 8 *Terga vertit Israel.* Beda in Exposit. Allegoric. cap. 9. Orto inter Israel, & Gentilium populos rerum, verborumque de vera religione conflictu, & hoc pro vnius, & veri Dei cultu; illis pro Idolorum defensatione certantibus, defecit fide Israel, & procliuius ipse ad errorem gentium, quàm gentes ad sequendam fidem eius potuere conuerti.

Literal. Abul. 9 *Terga vertit Israel.* Abul. ibi: q. 4. Satis verisimile est quòd Deus incusserit ei istum timorem, & immediate fugerint. Hoc autem apparet ex verbis Hebræorum; nam ipsi non crediderunt se superatos fortitudine Philisthinorum, sed quòd Deus incussisset eis illam magnam plagam, cùm dicitur: *Dixeruntque maiores natu de Israel. Quare percussit nos Deus hodie coram Philisthiim?* Quasi dicant: Non fecerunt hoc Philisthiim robore suo, sed Deus.

Literal. Valent. Pſal. 77. 10 *Terga vertit Israel.* Iacobus de Valentia in Psalm. 77. Dicitur quòd fuerint filij Ephraim victi in prælio Philisthinorum, de quo legitur. 1. Regum 4. quoniam dicitur: filij Ephrem ideſt, filij Ephraim, cùm exirent in prælium contra Philisthiim intendentes arcum, & mittentes sagittas contra Philisthæos victi sunt ab eis, & conuersi sunt fugientes ad domos suos, in die belli. Nam in primo bello cæsa sunt quatuor millia, & in secundo bello cæsa sunt triginta millia, & cæsi sunt Sacerdotes, & capta fuit Arca, & sic fugientes conuersi sunt ad loca sua, quæ quidem punitio non accidit eis nisi ex peccato Idololatriæ, & ingratitudinis, & infidelitatis.

11 *Terga*

LITERAL. Mendoza. 11 *Terga vertit Israel.* Francis. Mendoza ibi §.5. Dubitabis vtrùm hæc Hebræorum fuga ex eorum tantùm ignauia, an etiam ex aliqua peculiari prouidentia diuina oriatur? Credidérim ex vtroque capite prouenisse.

LITERAL. Idem. 12 *Et cæsa sunt in illo certamine &c.* Idem ibidem §.7. Fugientes Israelitas insequebantur à tergo Philisthini vtrique ignaui, vt verè Lacedæmones opinabantur.

ALLEG. Gregor. 13 *Passim per agros quasi quatuor millia virorum.* Gregor. suprà. Quæ sunt hæc quatuor millia, nisi qui recipere quatuor Euangeliorum veritatem noluerunt? Quare in agris mori perhibentur, quia in charorum suorum latitudine immorantur.

MYSTIC. Angelom. 14 *Passim per agros quasi quatuor millia virorum.* Angelom. in Stromatib. Quatuor ista millia virorum in certamine Philisthinorum, quo congressi sunt filij Israel, videlicet credentes ex primitiua Ecclesia perierunt, illi intelliguntur, qui quatuor Euangelia recipere noluerunt.

LITERAL. Abul. 15 *Passim per agros &c.* Abul. ibi quæst.4. In fuga non seruabatur aliquis ordo aciei, sed quidam fugiebant ad vnam partem, & alij ad alteram sine aliquo ordine dispersi per agros. Ad castra autem non accesserunt Philisthiim, quia fortè timuerunt illuc introire, vel fortè tempus erat importunum ad prosecutionem.

LITERAL. Author Catenæ. Cantap. 16 *Quasi quatuor millia virorum.* Author Catenæ. Complutensis, Regia, & Sixtia particulam *quasi* excludunt, ne te tamen nimium moueat, Scripturæ enim phrasis est particulam *quasi* aliquando subticere, vt notat Cantap. lib.8. Hypotyposeon.cap.8.§. *deficit.* infrà cap.13. *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cepisset.* &c. Vbi particula *sicut* anni vnius omittitur, Interprete eodem Cantap. apud quem vide alia exempla.

VERSVS III.

Vulgata. *Vulgata.* Et reuersus est populus ad castra: dixerúntque maiores natu de Israel: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim? afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et venit populus ad castra, dixerúntque seniores Israel: Vt quid percussit nos Dominus hodie coram Peliștim? Accipiamus ad nos è Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostrorum, seruétque nos è manu inimicorum nostrorum.

Vatabl. *Hebraica ex Francisco Vatab.* Et Veniente populo in castra, dixerunt seniores Israel, quare strauit nos hodie Dominus coram Palæsthinis? Adducemus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, vt illa veniens inter nos, seruet nos de manu hostis nostri.

Anasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et venit populus ad castra; & dixerunt senes Israel: Quare fregit nos Dominus in die hoc ante Pelisthæos? Accipiemus nunc nobis ex Siloh Arcam fœderis Domini, & ibit inter nos, & propter gloriam nominis eius liberabimur de manu autorum inimicitiarum nostrarum.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et reuersus est populus ad castra: & dixerunt maiores natu Israel: Quare igitur quassauit nos Dominus hodie coram Philisthiim? Accipiamus ad nos Arcam fœderis Domini nostri de Silo, & egrediatur in medio nostri, & saluabit nos de medio inimicorum nostrorum.

Sixtia. *Græc. in Sept. in Sixtiana.* Et venit populus in castra, & dixerunt seniores Israël: Ad quid deficere nos fecit Dominus hodie coram alienigenis? Sumanus Arcam Dei nostri de Selon, & egrediatur de medio nostri, & saluabit nos de manu inimicorum nostrorum.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul. 1 *ET reuersus est populus ad castra.* Abul. ibi quæst.4. Scilicet Israelitæ; non enim erant castra apud locum belli, sed procul inde initum est certamen; fugientes autem reuersi sunt ad locum, in quo fixerunt castra, scilicet ad Betachar, vbi erat Lapis adiutorij.

LITERAL. Abul. 2 *Dixerúntque maiores natu de Israel.* Idem ibidem. Ideſt, numquid est aliqua iniquitas in nobis, quare hoc acciderit? Sciebant enim quòd quando ipsi peccabant, Deus tradebat eos in manus hostium, vt patet ex processu libri Iudicum, sed nunc non putabant aliquod peccatum se habere, propter quod traderentur in manus Philisthiim. Ideò scribebant hoc absentiæ Arcæ. *Maiores natu*, scilicet seniores, qui natiuitate maiores, ideſt antiquiores sunt, isti enim prudentiores sunt iuuenibus, ideò inceperunt inquirere, cur hoc malum euenisset eis, iudicauerúntque hoc fuisse propter absentiam Arcæ.

TROPOL. Author Catenæ. *Prælatis an liceat arma tractare.* 3 *Dixerúntque maiores natu de Israel.* Author Catenæ, Scilicet seniores ex ducibus, qui aderant in castris, vbi consilium agitabatur. Samuel autem, & Heli eiúsque filij bellico consilio non interfuere, in Silo enim remanserant, & cùm deferretur Arca, Ophni, & Phinees eam comitabantur, non vt pugnarent, sed vt eam custodirent, vt aduertit Incognitus in Psalm.77. vers.1347. Vnde discant, Incog. vt par est, æui nostri Sacerdotes, & Episcopi quantum sit eis alienum, & indecorum, omissis pastoralibus curis, spretáque animorum solicitudine, & religionis officiis, belliois rebus intendere, arma tractare, ferro accingi, clarissicum canere, & classes ducere, quódque miserrimum est, non in Philisthæos, nec in Turcas, nec in Hereticos, sed in populum Dei, & Christianæ pietatis cultores; de quo plura eruditè, & eleganter, vt solet, Ioann. Solorzanus lib. de Iure Indiarum tom.1. Meliori Solorzan. consilio, iniquiori tamen fato Sanctius Toletan. Antistes Xaimi Aragoniæ Regis filius contra irrumpentes Sarracenos propter absentiam Alfonsi Sapientis Castellæ Regis, expeditione susceptra in potestatem hostium deductus fortiter occubuit, sed præclari nominis, & Christianæ pietatis gloriam æternùm extruxit. Cuius etiam virtutis heres optimus, vti & Sedis, Francis. Zinnerius mitiori sydere Mauros non semel armis domuit, vrbémque Oram nobile sui nominis monimentum eripuit. In similes Dei hostes laudabile est, vel saltem tolerabile Prælatos necessitatis lege coactos interdum arma tractare.

LITERAL. Gregor. 4 *Quare percussit nos Dominus.* Greg. lib.3. Variar. Expositt. in lib.1. Reg. cap.2. *Quare* hoc loco non est inquisitionis interrogatio, sed querela admirationis. Sub admiratione ergo de percussione interrogans,

terrogant, quia ad eam rationem, qua religionis suæ homines fidem Redemptoris suscepisse prospexerant, contingere non valebant. Et notandum, qui admirantes interrogant, maiores Israel fuisse memorantur, quia profectò superbi quique in sua superbia gloriantes ad diuinorum mysteriorum cognitionem pertingere nequaquam potuerunt. Vnde in Euangelio Dominus ad patrem loquitur dicens: *Confiteor tibi.* Matt.11.

LITERAL. Abul. 5 *Quare percussit nos Dominus.* Abul. ibi.q.4. Scilicet non percusserunt nos Philisthiim, sed Deus, qui augmentauit vigorem eorum, & animositatem vt citò nos perimerent, vel diminuit vires nostras, & incussit nobis timorem, vt fugeremus à facie eorum.

LITERAL. Saa. 6 *Quare percussit nos Dominus*, Emanuel Saa in Schol. Subaudi, cùm ipse per Samuelem monuerit, vt egrederemur ad bellum contra Philisthæos.

LITERAL. Mendoza. 7 *Quare percussit nos Dominus.* Francis. Mendoza ibi.§.5. In Hebræo est, *Quare percussit nos Dominus ad faciem, seu in conspectum Philistiim?* Et sensus est: Per Philistiim seu opera, & potentia Philistinorum. Est enim hic non infrequens, hebraismus, vt patet ex aliis locis. Nam Dominus ad populum: *Persequimini*, inquit, *inimicos vestros, & corruent coram vobis.* Leuitic.26.7. hoc est, vestris armis. Et rursum: *Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris.* Ibidem vers.17. Hoc est per hostes vestros, seu viribus hostium vestrorum. Non desipuerunt seniores Israel in hac sua suppositione, immò potiùs, more iustorum hominum, se se habuerunt, qui in pœnis, quas patiuntur, oculos a creaturis exequentibus transierunt in ipsum Deum imperantem. TROPOL.

LITERAL. Idem. 8 *Quare percussit nos Dominus.* Idem. §.16. Altera admirationis ratio fuit, quia Deus minatus fuerat supplicia Sacerdoti Heli, & eius filiis, non autem populo; vt patet ex c.2.à num.3. & cap.3.à num.12. Cùm igitur in hoc prælio Sacerdote Heli, eiusque filiis intactis, solus populus, qui immunior erat à culpa puniatur, admirabantur. Iumabat autem hanc admirationem cæca ludæorum arrogantia, qui cùm multa haberent peccata, nullis suppliciis satis dignè punienda; nulla tamen in seipsis agnoscebant, propter quæ punitione digni sibi viderentur. MORAL.

LITERAL. MORAL. Salian. 9 *Quare percussit nos Dominus.* Iacob. Salian. tom.3. Annal. Ann. Mundi 2939. num.9. Malim verba hæc stupidæ superbiæ populi duræ cerui cis tribuere, qui se multorum, magnorúmque scelerum reos, perexiguas adhuc pœnas luere non intelligebant; & impleri illud, quod per Moysem Dominus fuerat comminatus. *Tradet te Dominus corruentem ante hostes tuos. Per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ.* Deuter.28.25. Deuter.

MORAL. Palafox. 10 *Quare percussit nos Dominus.* Ioann. Palafoxius Episcop. Angelitan. lib.1. Historiæ sacræ Regal. Quòd sacra contemnitis, quòd cupiditate populus flagrat, quòd vos eneruauit luxuria; quod mulieres scorta: homines verò effeminatione mulieres sunt; quòd milites, qui Israelem defendant, rapaces, & leues sint, malè in pace, peiùs bello disciplinati. Hoc quidem responsum est eius interrogationis: *Quare percussit nos Dominus?* Reges, Principes, Respublicæ, in pace militiæ præcurrendum est. Perpendite qualiter in po- [illegible] agitur, cùm enim in militaribus fiet.

11 *Afferamus ad nos de Silo Arcam.* Athanas. de interpret. Psalm. ad Marcellin. Si bellum populo ingrueret, Arca, in qua erat tabulæ legis, ante omnes præcedebat, & hoc sufficiebat illis pro quauis acie in subsidium; nisi in bauulis arcæ, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis hæreret; fide siquidem, & sana affectione opus est, vt lex nostris precibus cooperetur. HISTOR. Athanas. *Arca in prælia ducebatur.*

12 *Afferamus ad nos de Silo Arcam.* Abul. ibi. quæst.4. Opinati sunt, quòd præsentia Dei specialis in Arca aliquid eis conferret. Et sic verè futurum erat, nisi Israelitæ offendissent Deum, & demeruissent istud auxilium. Fuit igitur infelicior casus. HISTOR. Abul.

13 *Afferamus ad nos de Silo Arcam.* Caietan. in Comment. Deuota intentio ac commendanda spes, si facta respondissent intentioni, ac spei, fiducia enim in Arca Domini, quamuis in se bona, ac sancta sit, insufficiens tamen est, nisi bonis operibus comprobetur. Recurrerunt isti ad exteriorem cæremoniam, omittentes internam pœnitentiam peccatorum suorum; & in hoc peccauerunt relinquentes veram causam percussionis eorum. TROPOL. Caietan.

14 *Afferamus ad nos de Silo Arcam.* Ioan. Mariana in Schol. Noua fuit offensa; ipsi potiùs ad Arcam ire debuissent supplices. TROPOL. Marian.

15 *Afferamus ad nos de Silo Arcam.* Stephan. Menoch. in sua Biblia. Non est damnanda Israelitarum spes, quam collocabant in Domino, & Arcæ præsentia, si adesset in castris, insistebant enim Moysis vestigiis, qui cùm castra mouerentur, & arca præiret, dicebat: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua.* MORAL. Steph. Menoch. Num.10.35

16 *Afferamus ad nos de Silo Arcam.* Ioan. Palafox. suprà. Vtinam Arcæ loqui fas foret. Diceret nempe: Quorsum me afferatis? An vt vos protegam? Quo me lenocinio conciliastis? An potius vt me defendam? Sed vobis sine, mihi incolumitas mea est. Læsam me ad defensionem vestri ducitis! Inter domesticos durus transitum ad hostes pertrahitis! MORAL. Palafox.

17 *Afferamus ad nos de Silo Arcam.* Author Catenæ. Conditj prohibitas experientia iam olim constiterat, Arcæ enim præsentia triumphos antiquos egerant, scilicet in Iericontina euersione. Iosue.6 Bello etiam aduersùs Madianitas, in cuius expeditionem Moyses suis vasa sancta tradidit, hoc est Arcam fœderis, vt plures volunt. num.31. Vnde apud primitiuos Christianos mos etiam ingruerat, vt maris tempestates placarent, & viarum infortunia præuenirent nauigantes, aut iter agentes, secum sacram Eucharistiam olim in Arca adumbratam circumferre; vt probat ex Ambrosio, & Greg. Baron. tom.1. Annal. ad Ann. Domini 57. ex cuius præsentia fastos vtique rerum euentus exspectabant. HISTOR. Author Caten. *Arca victoriarum vatis.* Baron.

18 *Afferamus ad nos de Silo Arcam.* Author Catenæ. Hæcne Hebræorum confidentia de protectione Arcæ recta, & laudabilis fuerit, agitant Abul. & alij. Caietanus non eam prauam, sed insufficientem appellat. Ipse autem Abulensis bonam fuisse contendit, licèt frustrata fuerit. Primò, quia Hebræi peccatis se adstringi, quæ obstarent, non agnoscebant. 2. Quia etiamsi cognoscerent, laudabiliter de diuina misericordia possent confidere. Cùm peccatores etiam de Deo expectare, & petere bona possint. Sed potiùs assentior Ruperto, qui eam *stultam, & vanam præsumptionem* asserit. Primo, quia ira de diuino auxilio LITERAL. Author Catenæ. Abul. Caiet. *Confidentia Israelitarum an bona?*

prælium

præsumpserunt, vt nec de placando numine egerint, nec grauia crimina, quæ supinâ ignorantiâ, & nouo crimine non agnoscebant, luxerint. Secundò, & principaliùs insisto, quia, vt Hebræus, & Chaldæus indicant Arcæ in castra deportatione, tanquam in Deum stratagemate abusi sunt, vim se Deo quodammodo illaturos intelligentes, si secum Arcam haberent, vt seipsos protegeret, ne scilicet, si secùs faceret honori suo defuisse videretur, contempta ab hostibus Arcæ religione. Vnde eorum verba comminationem nescio quam in Deum sonant. *Adducemus ad nos de Silo Arcam Domini*; vel vt Chaldæus habet: *Accipiemus nunc nobis ex Siloh Arcam fœderis Domini, & ibit inter nos, & propter gloriam nominis eius liberabimur.* Vnde Idem Abul. *Putabant* enim, *quòd ex hoc magis Deus liberaret eos, saltem propter ipsam Arcam, quia vt non periret Arca, faceret Deus, quòd ipsi non perirent.* Quam etiam vanam præsumptionem comparat Rupertus illi, quam habebant iidem Iudæi in Ierosolimæ obsidione; *Confidentes quòd nequaquam toleraret Deus priuari se illo pulchro Templo, illo pulchro & aureo Sanctuario.* Sed vtrosque vana miseros spes eluit.

Vatab. Chaldæus.

Literal. Abul.

19 *Arcam fœderis Domini.* Abul. ibi. quæst. 4. Quia in ea continebatur fœdus, scilicet duæ tabulæ legis, in quibus scriptum erat fœdus, scilicet præcepta Decalogi, super quæ principaliter initum est fœdus.

Literal. Idem.

20 *Et veniat in medium nostri.* Idem ibidem. Putabant enim quòd ex hoc magis Deus liberaret eos, saltem propter ipsam Arcam, quia vt non periret Arca, faceret Deus, quòd ipsi non perirent.

Literal. Mend.

10 *Et veniat in medium nostri.* Franc. Mend. ibi. §. 41. Arcam in corde castrorum locandam statuebant, vel quia locus medius nobilior credebatur, vt patet etiam ex prophanis Litteris, quarum multa testimonia colligit Tiraquellus in Præfat. de Iure Primogeniorum. num. 11. Vel quia erat tutior, ac munitior, vel tandem quia erat accommodatior, vt ab omnibus aditi posset, ac defendere adeuntes.

Tiraquel.

VERSVS IV.

Vulgata.

Vulgata. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum, sedentis super Cherubim: erantque duo filij Heli cum arca fœderis Dei, Ophni, & Phinees.

Author Catenæ. Benedict. Glossa. Antuerp. Fortunat.

Author Catenæ. Benedict. habet *cum Arca fœderis Domini.* Sic etiam text. Gloss. Alia exemplaria loco *Domini* habent *Dei.* Sic correctiores vt Venetiana, Fortunatiana, & Antuerpiensis Laurentij Reierlinkc. Alia autem vtroque verbo carent. Solùm enim habent. *Cum Arca fœderis Ophni & Phinees.*

VERSIONES.

Pagnin.

Hebraïc. ex Xante Pagn. Et misit populus in Siloh, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim: & erant ibi duo filij Heli cum Arca fœderis Domini Chophni, & Pinchas.

Hebraïc. ex Franc. Vatabl. Misit itaque populus in Silo, & attulerunt illic Arcam fœderis Domini exercituum sedentis inter Cherubim. Erant quoque duo filij Heli iuxta Arcam fœderis Dei Hophni, scilicet, & Pinhas.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et misit populus ad Siloh, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum quòd maiestas eius manens supra Cherubim. Et ibi duo filij Gheli cum Arca fœderis Domini Hophni, & Pinhas. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et misit populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum, vbi sederunt Cherubim, & ambo filij Heli cum Arca fœderis Dei Ophni, & Phinees. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtiana. Et misit populus in Silon, & tollunt inde Arcam Domini, insidentis Cherubim; & ambo filij Heli cum Arca Ophni, & Phinees. Sixtiana.

Lucifer apud Flamin. in Schol. Sixtian. Arcam Domini, vbi sedebat Cherubim. Lucifer.

Caietanus ibidem. Iehouah exercituum sedentis Cherubinorum. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg.

1 *Misit ergo populus in Silo.* Gregorius lib. 8. Variar. cap. 2. Quid est ad Silo mittere, nisi ad legem Moysi recurrere, cui à Domino dicitur: *Vade, mittam te ad Pharaonem?* Quid est afferre Arcam Domini, nisi veteris legis Sacramenta ad reprobandam nouæ fidei veritatem recolendo adducere. Et quia eandem legis scientiam suorum neminem ignorare patiuntur, in medium eorum Arcam adduci præcipitur.

Histor. Seuerus.

2 *Misit ergo populus in Silo.* Seuerus Sulpitius. lib. 1. sacræ Historiæ. Victi Hebræi parant aciem restituere. Arcam Domini secum in pugnam efferunt, & cum ea filij Sacerdotis prodeunt, quia ipse annis grauior luminibus obductis satis facere officio nequiuerat.

Literal. Mendoza. *Populus, & plebs quid?*

3 *Misit ergo populus in Silo.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Populi appellatione etiam Optimates intelliguntur. In hoc enim populus, & plebs discriminantur, quòd plebs semper pro ignobilibus: Populus autem etiam pro nobilibus accipitur, quæ quidem res constare potest, non solùm ex profanis Litteris, vt videre est apud Tiraquel. de Nobilit. cap. 37. sed etiam ex diuinis, vt mihi videor apertissimè colligere ex cap. 6. seq. vers. 19. Vbi sic. *Percussit Dominus de populo Septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Vbi populus, & plebs ita distinguntur, vt ille pro nobilibus; hæc pro ignobilibus accipiatur. Tiraquel.

Literal. Abul.

4 *Misit ergo populus in Silo.* Abul. ibi. quæst. 5. Scilicet populus Israël, qui erat in castris, diffinito quòd venisset plaga propter absentiam Arcæ, misit pro illa in Silo, quia erat cum Tabernaculo; propugnatores tamen non recesserunt de castris.

Tropol. Aug. *Arca quibus fuerit?*

5 *Et tulerunt inde Arcam.* Augustin. lib. 2. de Mirabilib. Sacræ Scripturæ, vel eius operis Author tom. 3. Filij Israël de se nihil confidentes Arcam Testamenti Dei in exercitu suo in pugnam contra aduersarios conducunt. Sed legis transgressores nequaquam Arca tuetur; victo potiùs, & deleto ex parte populo, ab alienigenis ipsa capitur.

Tropol. Rupert.

6 *Et tulerunt inde Arcam.* Rupertus libro 1. Commentar. cap. 13. Præsumptio stulta, & vana, quæ tunc decepit improuidos, & iustitiæ, vel gloriæ Dei ignaros. Ipsa eadem decepit illos, quando clausi obsidente exercitu Romano tumultuabantur, & vociferabantur, confidentes, vt Historiæ tradunt, quod nequaquam tolleret Deus priuari illo pulchro Templo, illo pulchro, & aureo Sanctuario.

7 Et

Mystic. Angelom.

7 *Et tulerunt inde Arcam fœderis Domini.* Angelom. 1. Stromat. c. 4. Arca, quam filij Israël de Silo in prælium tulerunt, duo Testamenta significat, quæ fideles ex Iudaïco populo ad gentes transtulerunt. Quæ benè dicitur *Sedentis super Cherubim*; Cherubim namque, *plenitudo scientiæ* interpretatur, quæ in duobus Testamentis inuenitur; quanquam ad Christum referri possit, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, scientiæ reconditi.*

Histor. Ioseph.

8 *Et tulerunt inde Arcam Domini.* Ioseph. lib. 5. Antiquit. cap. 11. alias 16. Quamobrem Hebræi periculum extremum instare putantes, mittunt ad Pontificem, atque Senatum, qui postulent Arcam in aciem perferri, vt eius præsentia freti hostem superent: Ignari, eum, qui sententiam semel aduersus eos tulerat, fore vt vincerentur, maiorem esse, quàm Arcam, quæ propter ipsum erat veneranda. Venit igitur Arca in exercitum, & cum ea Pontificis filij accepto à patre mandato; si amissa Arca viuere sustineant, ne vnquam in conspectum sibi veniant. Quorum Phinees iam Sacerdotio fungebatur, patre propter senium honorem concedente.

Literal. Abul.

9 *Et tulerunt inde Arcam Domini.* Abul. ibi. q. 5. Solus Summus Sacerdos hoc impunè faciebat. Educta est igitur Arca Domini de loco suo per Sacerdotes, & ipsi duxerunt eam in castra, vt patet hîc, cùm dicatur, quòd duo filij Heli scilicet Ophni, & Phinees erant cum Arca.

Literal. Idem. *Arcam an liceret extrahi Tabernaculo?*

10 *Et tulerunt inde Arcam.* Idem ibidem. q. 6. Consistente Tabernaculo non apparebat causa ex aliqua determinatione legis, quòd liceret educi Arcam de Sanctuario? Israëlitæ tamen quia superati fuerant à Philisthiim, credentes quòd in nullo esset sibi auxilium, nisi in Arca Dei, putauerunt licitum esse illam deduci in castra. Habebant autem ad hoc exempla; primò, nam tempore Iosue Deus dixit, quòd duceretur Arca in bellum contra Hierico: septem quippe diebus, quibus Israëlitæ lustrauerunt Hierico, portabant secum Arcam, & tubas sacras; & sic capta est vrbs. Crediderunt ergo Israëlitæ sibi hoc nunc licere; & verè licebat, quia egerunt illud, non ex aliqua curiositate, sed ex necessitate.

Literal. Idem. *Sacerdos an posset intrare in Sancta Sanctorum plusquàm semel?*

11 *Et tulerunt inde Arcam.* Idem ibid. q. 7. De Sūmo Sacerdote an licuerit ei intrare pro educēda Arca Sancta Sanctorū, respondendū est, quòd regulariter non licebat intrare illuc sub pœna mortis, nisi in die propitiationis. Leuitic. 16. Nunc tamen erat casus specialis, scilicet quia Arca deducenda erat pro necessitate belli; ideò licèt cum timore, & priùs fusis precibus, tamen intrare licebat.

Literal. Idem. *Quo Arcam extraxerit?*

12 *Et tulerunt inde Arcam.* Idem ibi. q. 10. Quæritur vlteriùs quomodo Summus Sacerdos poterat adducere Arcam de loco suo, nam Arca erat magni ponderis? Respondendum est, quòd non solùm introiuit Summus Sacerdos in Sancta Sanctorum, ad eductionem Arcæ, sed etiam cum eo aliqui de Sacerdotibus minoribus. Cùm autem dicitur, quòd soli summo Sacerdoti licebat introire, verum est in die propitiationis, eo quòd erat ibi Angelus loquens ad Sacerdotem, & non solùm non licebat minoribus Sacerdotibus introire in Sancta Sanctorum, sed etiam non licebat eis manere in prima parte Tabernaculi eo tempore, quo Summus Sacerdos ingrediebatur in Sancta Sanctorum, vt patet Leuitic. 16. Nunc autem non esset Angelus in Sanctuario super Arcam ad loquendum, quia non ingrediebatur illuc Sūmus Sacerdos ad orandum, sed solùm ad educendum Arcam. Cùm igitur quiuis apparet tunc super Arcam, non solùm Summo Sacerdoti, sed etiam minoribus ingredi licebat.

Literal. Idem. *Arca aperta ducebatur.*

13 *Et tulerunt inde Arcam.* Idem ibi. q. 11. Nunc Arca ducenda erat in castra operta palliis suis; & quandocumque portabatur, sic ibat; ideò nulli erat periculum in videndo Arcam, solùm enim fuit prohibitum videre illam discoopertam.

Moral. Carthus. *Modus placandi Deū qua?*

14 *Et tulerunt inde Arcam.* Carthusian. ibid. art. 10. Per Israëlitas de sua ruina mirantes, atque pro sua sustentione Arcam Domini afferentes, intelliguntur Christiani, qui instanti tribulatione quacumque, seu pestilentia, circumferunt Sacramentum, atque Reliquias, non tamen emendant suam conuersationem, & mores; ideò propter sua demerita non iuuantur; immò interdum grauiori peste cæduntur.

Histor. Lorin. *Quandiu fuit Arca in Silo.*

15 *Et tulerunt inde Arcam.* Ioann. Lorin. in Psalm. 77. vers. 60. tom. 2. Mansit Arca in Silo vsque ad tempora Helcanæ Patris Samuëlis, immò vsque ad vltimum annum Heli Sacerdotis, cùm inde adducta est in castra, & capta à Philisthinis, quod spatium constitit ann. 369. iuxta Chronolog. Hebræorum. Iuxta alios. 351. Ex opinione Abulensis 466.

Histor. Auth. Cat. Lorin. Hieron.

16 *Et tulerunt inde Arcam.* Author Catenæ. Lorinus modò relatus refert ex Hieron. *quando ex Silo translata est Arca, domum Dei in ruinam, & cinerū lapsam esse.* Sed fallitur, Hieronymus enim allegato loco, scilicet, in cap. 7. Ierem. nusquam talia refert. Solùm enim dicit, seu potiùs supponit locum illum aliquādo corruisse, vel arsisse, vt etiam corruūt alia temporis progressu, non autem quando Arca inde translata est, vt Lorin. ex eo affirmat, quod legenti Hieronymum facilè constabit.

Literal. Author. Catenæ. Glossa. August. *Arcam extrahere non licuit.*

17 *Et tulerunt inde Arcam.* Author Catenæ. Quisnam Arcam è Tabernaculo extraxit? Sacerdos Summus Heli, aut eius filius Phinees ministerio minorum Sacerdotum vsus? Rogas, an hoc licuerit. Cùm Paulus ad Hebræos 9. Nisi semel in anno negare videatur licuisse Pontifici Tabernaculum ingredi. Respondeo: ex natura rei, & per se non licuisse, quidquid dicat Author Glos. Ordin. ibi, & August. quæst. 133. in Exod. Id enim apertè diffinit Apostolus; an verò necessitate compulsis ex legis interpretatione licitum fuerit, non liquet: crediderim tamen non licuisse, siquidem nec Deum consuluisse, nec præuias aliquas preces fusas fuisse memoratur, cui etiam temerario consilio infelix exitus respondit.

Mystic. Gregor.

18 *Arcam Domini exercituum.* Gregor. suprà. Quia igitur veritatem diuinæ cognitionis per veterem legem habere se iactant, eandem Arcam, quam ad saluationem suam deferri præcipiunt, Domini exercituum esse confirmant.

Literal. Abul.

19 *Arcam Domini exercituum.* Abul. ibi. q. 11. Vocatur ista Arca Domini exercituum, quia Deus Hebræorum; cuius erat Arca ista, erat habens exercitus multos, scilicet Angelorum, iuxta illud Iob 25. Et vocantur milites Angeli: Vel dicitur Deus exercituum, id est, Deus potens in bellis, & exercitibus; ipse enim dat victoriam quibus vult, & vertit in fugam quos vult. Dicitur autem istud nomen hîc de Deo, quia in præsenti maximè sibi conueniebat.

Mystic. Gregor.

20 *Sedentis super Cherubim.* Greg. suprà. Quia incomparabili scientia eiusdem legis Hebræi se pollere arbitrantur, dum Arca deferri dicitur Domini exercituum sedentis super Cherubim esse perhibetur.

Literal. Rupert.

21 *Sedentis super Cherubim.* Rupertus suprà. Cuius vanitatis respectu nota, quàm acutè, quàm mordaciter

mordaciter præmissus stet: *Et tuleruns inde Arcam fœderis Domini exercituum*, continuo subiectū est: *Sedentis super Cherubim*. Hoc quippe non pro suo sentu, sed pro eorum notabili vanitate Scriptura dixit. Quid enim stultius, ac vanius? Numquid super illos Cherubim, quos fecit Moyses, immò quos Beleśul ille faber cum socio suo Oliab fudit, aut fabricauit, sedebat Dominus exercituum captus, vel delectatus pulchritudine auri, & non potiùs super homines, vel super sanctos Angelos sedet plenos scientiæ Dei? Igitur eadem hiç, & illic vanitate decepti sunt, dum pro aureis cœlestis Sanctuarij simulachris diuinum sibi, quasi debitum arrogant adiutorium. Vnde, & falsi sunt metendo castra iuxta Lapidem, postea dictum Lapidem adiutorij. Nam, & tunç præsagio suo frustrati sunt, & nunc eius lapidis non habuere adiutorium quem in malum sibimetipsis reprobauerunt, iuxta quod Scriptura dicit: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

MORAL. *Iudæorum fiuita fiducia.*

LITERAL. Comest. Psalm. 79.

22 *Sedentis super Cherubim.* Petrus Comest. in Histor. Scholast. cap. 6. Quod ideò dictum est, sicut in Psalm. *Qui sedes super Cherubim*, quia gloria Domini ibi quantumcumque apparebat.

LITERAL. MYSTIC. Strabus.

23 *Sedentis super Cherubim.* Strab. Fuldens. ibi. Tabula enim erat super Arcam, quam protegebant Cherubim alis, vbi apparebat Dominus per Angelum, & loquebatur. Cherubim plenitudo scientiæ, quæ in Christo, & duobus Testamentis inuentur.

LITERAL. Lira. *Propitiatorium quid?*

24 *Sedentis super Cherubim.* Liran. ibid. Ex hoc videtur quòd propitiatorium, quod erat quasi sedes Dei non erat operculum Arcæ, sed quædam tabula deaurata, quæ erat hic posita, quasi portaretur ab ipsis Cherubim; & operculum Arcæ esset quasi scabellum illius sedis, sicut plenius fuit expositum secundum vnam opinionem Exod. 25.

LITERAL. Abul.

25 *Sedentis super Cherubim.* Abul. ibi. quæst. 11. Quod intelligitur de duobus Cherubim positis super Arcam, & velantibus propitiatorium; nam in medio alarum illorum duorum Cherubim dicitur Deus sedere, quia ex ipso loco audiebatur vox quędam, de qua Exod. 25. Et Num. 7. Erat autem illa vox cuiusdam Angeli in corpore formato de aere, & incluso inter alas Cherubim, vt non videretur; ille autem Deus vocatur, quasi Deus loqueretur.

LITERAL. Caiet.

26 *Sedentis super Cherubim.* Caiet. ibid. parum refert quod Hebraicè habetur: *Sedentis Cherubinorum.* Ad litteram. Quia Propitiatorium, quod erat in Templo, vel vt sedes Dei, sustentabant duo Angeli aurei; ideò appellatur Deus sedens Cherubinorum. Verùm ex his figuris Moyses docuit, quod Deus regnat quiete super omnes Cherubinos, & Seraphinos, & super vniuersam Cœli militiam; & propterea quoad significatum, optimè dicitur sedens, hoc est quietè regnans in omnibus supernis Spiritibus per Cherubinos insinuatis.

LITERAL. Mendoza.

27 *Sedentis super Cherubim.* Franc. Mend. ibi. §. 16. Cur hoc loco fit particularis mentio Domini exercituum sedentis super Cherubim: Ratio esse potest, vt significaretur Arca suo tecta propitiatorio, & suis instructa Cherubinis, fuisse ad bellum aportata, ac tandem capta ab hostibus. Nec enim adeò acerba esset Arcæ iactura, si propitiatorium, & Cherubini, in quibus Deus sedere dicebatur, in Tabernaculo relinquerentur.

LITERAL. Idem. *Deus cur super Cherubinos.*

28 *Sedentis super Cherubim.* Idem ibi. §. 40. Cur Deus potiùs super Cherubim, quā super Seraphim sedere dicatur; litteralis ratio deumenda est ex his propitiatorij Cherubinis. Cùm enim e Sanctuario diuina oracula redderentur, in quibus diuinam sapientiam præcipuè expectari oportebat, opus fuit Deum ibi super sapientissimos Spiritus sedere, vt summa eius in respondendo sapientia, ipsis quoque Cherubinis altior, & excellentior ostenderetur.

VERSVS V.

VVlgata. Cúmque venisset Arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, & personuit terra. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xan. Pagn. Et fuit, cùm venisset Arca fœderis Domini in castra, vociferati sunt omnis Israël vociferatione magna, & personuit terra. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatabl. Factumque est, cùm venisset Arca fœderis Domini in castra, vociferatus cunctus Israel magno iubilo, ita vt terra tremeret. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et fuit quando venit Arca fœderis Domini ad castra, & iubilauerunt omnis Israël iubilatione magna, & resonuit terra. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et factum est, vt venit Arca Domini in castra, & vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personuit terra. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et factum est, vt venit Arca Domini in castra, & exclamauit vniuersus Israël voce magna, & sonuit terra. Sixtia.

Pagnin. in Thesauro. Tarantantarizauit omnis Israel. Pagn.

Interlineal. in Bibl. Regia. Ouauerunt ouatione magna. Interl.

PP. ET AVCTORES.

1 CVmque venisset Arca fœderis. Franc. Mend. ibid. §. 1. Ponitur tempus huius vociferationis, nempe, cùm Arca fœderis in castra venit: credo etiam, cùm primùm apparuit, nam sicut Bethsamitę leuantes oculos, & videntes Arcam adhuc venientem, & nondum in agro suo consistentem, vt ex littera colligitur, gauisi sunt. 1. Reg. 6. ita & Israëlitæ, cùm primùm apparentem Arcam conspexerunt, exclamauerunt. LITERAL. Mendoza. 1. Reg. 6.

2 *Vociferatus est omnis Israel.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 2. Quia profecto Iudæi de eo, quòd carnaliter scientiam legis accipiunt, in S. Ecclesiæ exprobratione garriunt sine ostensione rationis. Qui enim clamasse, & nihil dicuntur dixisse, hoc profectò exprimunt quod agunt, quia dum loqui spiritualia carnaliter satagunt, clamorem quidem in garrulitate habent, sed rationis veritatem non habent. Voce quidem multa dicunt, sed sine ratione loquentes S. Ecclesiæ dictis in nullo obsistunt. MYSTIC. Gregor.

3 *Vociferatus est omnis Israel.* Pseudo Philo in Antiq. Bibl. Cùm aduenisset Arca in castra, intonuit Dominus, & dixit: Erit similitudo horæ huius, sicuti facta est in eremo, quando acceperunt Arcam sine præcepto meo; & factum est eis exitium. Sic & in ista hora cadet populus, & Arca capietur, vt finiam inimicos populi mei propter Arcam, & corripiam plebes meas propter quod peccauerunt. HISTOR. Philo.

4 *Vociferatus est omnis Israel.* Beda lib. 1. Exposit. Allegor. cap. 9. Nato in carne Domino, turbatus est omnis Israel, & prædicante, alij ad credendum, alij ad contradicendum mouebantur, & terrena priùs conscientia Cœli laudes insonuit. MYSTIC. Beda.

5 *Vociferatus est omnis Israel.* Ioseph. lib. 5. Antiquit. cap. 11. alias 16. Vehementer autem Hebręis Arca animos addidit, victoriam in hac sitam existimantibus. HISTOR. Ioseph.

LITERAL. Abul. 6 *Vociferatus est omnis Israël.* Abul. ibi. quæst. 11. Quod erat ad duo. Primo, ad inuocationem Dei sui; omnes enim Israelitæ vno animo inuocauerunt Deum, vt eriperet eos de manu hostium, sed non eripuit, quia peccata eorum demeruerunt. Secundò, clamauerunt ad magnam exultationem, confidentes quòd in aduentu Arcæ vincerent Philisthinos. De ista voce lætitiæ dicitur infrà, quòd audierunt eam Philisthini, & dixerunt: *Non fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius.*

LITERAL. Lira. 7 *Vociferatus est omnis Israël.* Liran. ibi. Ex gaudio, & confidentia victoriæ habendæ per præsentiam Arcæ. Sed ista confidentia erat falsa, quia erat sine meritis.

LITERAL. Mendoza. Pagn. Ennius. 8 *Vociferatus est omnis Israël.* Franc. Mend. ibi §. 2. Pagninus in Thesauro: *taratantarizauit*, quod verbum fictum est ab Enio ad ingentem tubarum clamorem exprimendum. Sic igitur Israëlitæ conclamarunt, vt non solùm linguis, sed etiam tubis terribiliter personarent.

Clamor Israël qualis?

LITERAL. Mendoza. 9 *Vociferatus est omnis Israël.* Idem ibidem §. 3. Causa huius vociferationis triplex esse potuit. Vna, vt inclusam animis lætitiam ex aduentu Arcæ testarentur. Altera clamoris ratio fuit, vt se ad bellum repetendum excitarent, nam præliaturi clamoribus animantur, vt patet non solùm ex veterum gentium consuetudine, de qua multa Alexander ab Alexandro lib. 4. Genialium dier. cap. 7. cum suo Interprete Tiraquello ibidem, & Lipsius lib. 4. de militia Romana, dialog. 11. sed etiam ex sacris Litteris. Nam Moyses audiens populum tumultuantem: *Non est*, inquit, *clamor adhortantium ad pugnam.* Exod. 33. supponens aliquem esse clamorem, quo milites ad pugnam excitarentur, qualis fuit, quo in Galgala clamauit populus post Saül ad obfirmandum se contra Philisthinos 1. Reg. 17. Tertia clamoris causa, vt suos hostes clamando perterrerent, vt reuera perterruerunt. Nam audientes Philisthiim vocem clamoris: *Timuerunt*, inquit Textus, *& ingemuerũt dicentes, væ nobis*, &c.

Alex ab Alexand. Tiraq. Lipsius. Exod. 33. 1. Reg. 17.

LITERAL. Author Catenæ. 10 *Vociferatus est omnis Israël.* Autor Catenæ. An clamore publico vocem aliquam, aut rem expresserint, dubitabis. In partem affirmatiuam inclinat Mendoza. Non tamen assentior, quia potius tumultuariè, & sine ordine, aut præuentione, vt Arca, quæ nimium desiderabatur, apparuit, exclamauerunt, vt lætitiam sui aduentus exprimerent, quod frequentius inordinatis, & tumultuariis clamoribus indicatur. quod etiam innuit Greg.

Gregor.

LITERAL. Author Catenæ. 11 *Vociferatus est omnis Israël.* Autor Catenæ. Infausto quidem omine vociferatus esse perhibetur Israël: verbum enim רוע *Roagab*, quod est in fonte, æque ac vociferari seu exultare, significat vlulare, seu plangere, vel præ angustia gemere, ductũ à lupis metaphorâ. Sic Iudic. 7. 21. *vociferantes vlulantésque fugerunt.* Quod quidem, vt Madianitis etiam Israëlitis obtigit, qui infensum sibi Numen multiplici ratione propitium sperabant.

Iudic. 7. 21.

MYSTIC. Strab. 12 *Clamore grandi.* Strab. ibi. Clamor grandis, vox Prædicatorum robusta miraculis ex duobus prolata Testamentis.

MYSTIC. Gregor. 13 *Et personuit terra.* Gregor. suprà. Terra Iudæa nunc dicitur, non quia Deo fructificet, sed propter carnalitatem, quia nimirum Redemptoris fidem recipere noluit, cœlestem conuersationem penitùs amisit.

LITERAL. Abul. 14 *Et personuit terra.* Abul. ibi q. 11. Ideſt tota terra sonuit à clamore magno Israëlitarum, cùm omnia castra clamarent. Dicitur autem terra personare, quia fiebat id, quod communiter patimur, scilicet, quòd cùm nos clamauerimus, audiamus externas partes vocum nostrarum à quodam alio referri. Et illud secundùm Philosophum 2. de Anima, & secundùm Poëtas vocatur *Echo*: fieret autẽ hoc maximè, quando totus populus clamaret.

MYSTIC. Strab. 15 *Et personuit terra.* Strab. in Gloss. Eadem à voce prædicationis Sapientes sæculi, Dæmones quoque ingemuerunt, credentes se superari.

VERSVS VI.

Vulgata. *Vulgata.* Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixerúntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt quòd Arca Domini venisset in castra.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïca ex Xante Pagn.* Et audierunt Pelistĩm vocem vociferationis, & dixerunt: quæ est vox vociferationis magnæ huius in castris Hebræorũ? Et cognouerunt quòd Arca Domini venisset in castra.

Vatabl. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Audientes autem Palesthini vocem *inbilo*, dixerunt: quænam est vox istius magnę vociferationis in castris Hebræorũ? Et innotuit eis quòd Arca Domini venisset in castra.

Arias. *Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et audierunt Pelisthæi vocem iubilationis, & dixerunt: quæ vox iubilationis magnæ huius in exercitu Iehudæorum? Et cognouerunt quòd Arca Domini venisset in castra.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, & dixerunt: quæ vox clamoris huius magna hæc in castris Hebræorum? Et cognouerunt quòd Arca Domini venit in castra.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et audierunt alienigenæ clamorem, & dixerunt alienigenæ: quis clamor magnus hic in castris Hebræorum? Et cognouerunt quia Arca Domini venit in castra.

Interlin. *Interlineal. in Bibl. Regia.* Audierunt Philisthiim vocem ouationis, dixerúntque: Quænam est hæc vox ouationis magnæ?

Vatab. *Vatabl. in Scholiis.* Quid sibi vult strepitus vociferationis ingentis huius?

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. 1 *Et audierunt Philisthiim vocem clamoris.* Greg. lib. 3. variar. cap. 2. Terræ quippe sonitum, & castrorum vociferationem Philisthiim audiunt, quia hi, qui in sancta Ecclesia, poculo sancti Spiritus refecti sunt, Indææ quidem, & garrulitatem, & vanam perfidiæ deuotione mcognoscunt. Et quia eorum æstimationem in contemptu derisionis habent, subditur: *Et cognouerunt quod Arca Domini venisset in castra.*

LITERAL. Abul. 2 *Et audierunt Philisthiim vocem clamoris.* Abulens. ibi quæst. 11. Procul enim distabant castra Philisthinorum à castris Israëlitarum, quod patet, quia in præsenti bello vtrique de castris suis exierunt ad pugnandum in loco medio, & tamen fugiente postea Israël, antequam peruenirent Israëlitæ in castra sua, perierunt de iis, quasi quatuor millia in fuga; quod esse non poterat, si castra fuissent coniuncta loco, in quo pugnauerunt. Hic tamen potuerunt Philisthiim, qui erant in castris, audire vocem Israëlitarum clamantium, quia clamor eorum fuit terribilis, & omnia castra simul clamauerunt,

manerunt,cùm dicatúr quòd vociferatus est omnis Israel clamore grandi, & personuit terra. Poterat igitur ad satis magnam distantiam hoc audiri. Vel potest dici aliter: quòd non audierunt clamorem illum illi,qui erant in castris Philisthinorum, sed qui erant in custodia,immitterent enim Philisthæi aliquos de suis contra castra Hebræorum ad videndum quid fiebat.

Literal. Author Catenæ. Mendoza.

3 *Et audierunt Philisthiim vocem clamoris.* Author Catenæ. Licet latissimè à se inuicem distaret vterque exercitus, facilè tamen multiplex totius populi clamor posset exaudiri. Addidit Mendoza ex vocum,& clamorum tenore,& qualitate Philisthæos percepisse iubilum, & ouationem sonare, nam varius clamoris sonus varios exprimit affectus. Nugæ. Si vtriusque gentis summam distantiam consideres, quam ex Abulensis argumento deprehendes; nempe vtroque relictis castris ad medium interualli conflixisse, Hebræos autem bello fractos, fugæque commissos, dum ad castra confugerint in fugæ ipatio, quasi quatuor millia cecidisse. Quantum ergo tam latæ ruinæ, & cladi spatium patere necesse est? Vox igitur, & confusus totius populi tumultus male discerneretur, vt Philisthini tristitiamne, an iubilationem significaret,agnoscerent. Instat Mendoza ex Chaldæo: *Et audierunt Philisthiim vocem iubilationis, dixerúntque quanam est hæc vox iubilationis magnæ?* Respondetur facilè primò Hebræo, & Græco, & Latino potiùs credendum.2. Vocem iubilationis dictam per anticipationem; scilicet quæ postea iubilationis fuisse cognita est, cùm per exploratores,& curiores tota res patuit.

Abul.

Literal. Abul.

4 *Dixerúntque quanam est hæc vox?* Abul.ibi. quæst.11. Si dicamus quòd illi, qui erant in castris Philisthiim audierunt vocem clamoris huius, dicetur quòd ipsi quæsierunt hoc:nam non poterant scire ipsi,cur accidisset.

Tropol. Mend.

5 *Quanam est hæc vox clamoris magni?* Francis. Mendoza ibi §.3. En quid faciat militaris clamor ante pugnam:monet hostes, vt deliberent, vt prouideant,vt sibi maturè consulant.

Literal. Abul.

6 *Et cognouerunt quod Arca Domini venisset in castra.* Abul.ibi. quæst.11. Quod enim Philisthæi possent cognoscere Hebræos habere Arcam, quæ vocaretur Arca Dei, scilicet in qua esset tota sanctificatio ipsorum,non est dubium, nec admirabile;nam Iudæi, & Philisthiim erant coniuncti locis,& poterant de se inuicem cognoscere cæremoniales ritus. Sed quomodo cognouerunt Philisthiim, quod venerit Arca in castra? Dicendum est quòd cognouerunt illi, qui erant in insidiis, quos posuerant Philisthiim.

Literal. Mendoz.

7 *Et cognouerunt quòd Arca Dei venisset in castra.* Francis. Mendoza ibi §.5. Quo pacto in eam causam collimarunt? Responderi potest 1. cum Vatablo,& Abulensi, quia exploratores præmiserant,qui rei euentum nuntiarent.2.Quia fortè in eo clamore Arcam Domini nominari perceperunt, aut saltem exprimi aliquod verbum illius carminis quod sciebant ad motum Arcæ in deserto decantatum. 3. Quia per discursum assecuti sunt hanc vnam illius iubilationis causam esse potuisse.

VERSVS VII.

Vulgata.

V*ulg.* Timuerúntque Philisthiim dicentes:Venit Deus in castra. Et ingemuerunt dicentes.

Benedict.& Text.Gloss.in margine. Venit Deus in castra,& rursùs dixerunt. Benedict. Glossa.

VERSIONES.

Hebraic.ex Xante Pagn. Timuerúntque Philisthim, dixerunt enim:Venit Deus in castra; & dixerunt. Pagn.

Hebraic.ex Franc.Vatabl. Timentesque Palæsthini dixerunt:Venit Deus in castra;rursumque dixerut, Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Arias.in Regia. Et timuerunt Philisthæi, quoniam dixerunt:Venit Arca Domini in castra:& dixerunt. Arias.

Græc.ex Sept.in Complut.& Regia. Et timuerunt Philisthiim valdè, & dixerunt: Iste Deus eorum venit ad eos in castra. Complut. Regia.

Græc. ex Septin Sixtiana. Et timuerunt alienigenæ,& dixerunt:Hi Dij venerunt ad eos in castra. Sixtian.

Isidor. Clarius ibi: Et ingemuerunt, & *rursùs dixerunt:Væ nobis.* Isidor.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg.

1 *Timuerúntque Philisthiim.* Gregor.lib.3.Variar.c.2.Arca in castra Hebræorum venisse, & cadentes poculo timuisse, & ingemuisse per Ironiam dicitur, quia ad conflictum Sanctæ Ecclesiæ Sacramenta Legis veteris à Synagogæ carnalibus defensoribus carnaliter exponuntur. De eo namque disputant, quòd si secundùm Deum, spiritum caperent, suis, si quos haberent in veritate, terribiles esse potuissent.

Mystic. Angel.

2 *Timuerunt Philisthiim.* Angelom.1.Stromat. c.4.Quę Philisthiim audientes,videlicet Sapientes istius sæculi,seu ipsi immundi spiritus, de quibus superiùs diximus,extremuerunt,scilicet quia cæperunt Apostoli verbis pluere: ex scientia vtriusque Testamenti miraculis coruscare, & quasi tonitrua intonare clamore grandi, & personuit terra à voce prædicationis; & crediderunt se capiendos.

Morat. Abul.

3 *Timuerúntque Philisthiim.* Abul.ibi.quæst. 11. Sciebant enim quòd maxima sanctificatio Dei apud Israëlitas erat; ideò timuerunt ibi esse aliquam virturem, quæ posset eos disperdere, potissimè cùm audiuissent magnalia de Deo Hebræorum.

Morat. Carthus.

4 *Timuerúntque Philisthiim.* Carthusian. ibi art.9.Quemadmodùm etiam ex clamore Israëlitarum fuerunt Philisthæi perterriti; sic Dæmones ex cantu,& pulsu ex Sacris, & Sacramentis Ecclesiæ solent arceri,& formidare.

Literal, Mendoza.

5 *Timuerúntque Philisthiim.* Franc.Mend.ibi.§ 1.Vnus, idemque Arcæ aduentus fuit opribilis, amabilisque Israelitis,& formidabilis;ac terribilis Philisthæis;sicut olim vna,atque eadem nubes inter Hebræos,& Ægyptios interiecta.Exod.14. Hebræos quidem parte altera coruscante illuminabat,& erigebat: Ægyptios vero parte altera tenebrosa cæcabat,& exterrebat. Exod.14.

Morat. Mendoza. *Christiani interdum iniquiores.*

6 *Timuerúntque Philisthiim.* Idem Ibidem §.5. Quamuis Philisthini de Deo Hebræorum non vero sentirent, eum nihilominus formidabant; in ignominiam plane Christianorum, qui Deum recte cognoscentes, tamen minimè formidabant.

Mystic. Bonauen. *Eucharistiam Dæmones timent.*

7 *Dicentes: Venit Deus in castra.* Bonauentura Serm.2.Dominic.4. Aduentus. Arca Dei velo inuolui iubetur.Num.4.5.In velo ergo Arca,in Arca vna,in vna manna fuit.Per velum species Sacramentales: per Arcam Corpus Christi:per vnam Anima:per manna Deitas significatur. Hanc Arcam timent Philisthini, ideſt Dæmones; immò etiam guttam sanguinis Christi timent.

LITERAL. Abul.

8 *Venit Deus in castra.* Abul.ibi. quæst.11. In hoc errauerunt Philisthiim secundùm quòd errabant aliæ gentes ; putauerunt enim quòd Arca, quam habebant Hebræi, erat Deus eorum, vel aliqua virtus inclusa in illa Arca ; ideò antequam veniret Arca putabant Deum non esse in castris; cùm autem illa veniret, dixerunt quòd veniebat Deus in castra.

LITERAL. Caiet.

9 *Venit Deus in castra.* Caietan. ibi. Nomen est Elohim,quod in subiunctis Palæstinorum verbis bis repetitur.

LITERAL. Vatab.

10 *Venit Deus in castra.* Vatabl.in Schol. Verba sunt exploratorum, qui hæc in castris Hebræorum audierant.Nam dicitur *Venit*, non *venerunt*,quod est Idololatrarum, qui credebant Israelem colere Deos,& Idola.

LITERAL. Mendoza. Num.10. Exod.17.

11 *Venit Deus in castra.* Francis. Mendoz. ibi §.2. Notandum Arcam fœderis vocari à Philisthinis Deum.Nec mirum, cùm ab ipsis quoque Israelitis eodem nomine frequenter vocaretur. Nam Moyses Arcam allocutus dicebat. *Surge Domine: Reuertere Domine.* Num.10.35.& 36. In Hebræo est : *Surge Iehouah: Reuertere Iehouah.* De candelabro dicitur Exod.27. *vsque mane luceat coram Domino*, ideſt, coram Arca. De Aaron dicitur Exod. 28. *Ingredietur coram Domino*, ideſt coram Arca. &c. Obseruandum nihilominùs diuerso modo à Philisthinis, & ab Israelitis Arcam fœderis Deus nuncupari. Nam Philisthæi putabant vel illam materialem Arcam esse Deum Hebræorum, vel certè in ea aliquod Hebræorum numen contineri, quod non esset præsens omni loco, sed modò in hunc,modò in illum transferretur.At verò Hebræi nec Arcam verum Deum esse credebant, neque in Arca vnum Deum circumscribi, sed externos diuinæ præsentiæ effectus in ea præcipuè demonstrari.

LITERAL. MORAL. Author Catenæ

12 *Venit Deus castra.* Author Catenæ. Ac si diceret:huc cuique feliciter pugnaueramus cùm Hebræis;modò verò pessimè nobiscù agetur,cùm eorù quoque Deus militiæ nomen dederit, suósque milites excitaturus venerit ad castra. Iure ergo ingemuêre; nam si vel ducis, aut Regis præsentia inertissimo cuique tyroni facit animos, quanto magis Dei sui, qui non solùm adhortari, & excitare, sed & vires addere, & victoriam suis parare pro libito poterat? Vnde probabilius iudico, quod aliqui asseuerant, ita Philisthinos exterritos animis cecidisse, vt nonnisi occultà Dei motione prælium aduersùs Hebræos repetere ausi fuerint. Eos tamen vindictæ suæ ministros infensi Numinis adhibuit indignatio,vt Heli, filiorúmque eius impietatem,totiusque populi malitiam castigaret.

VERSVS VIII.

Vulgata.

Vulgata. Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius : Væ nobis. Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dij,qui percusserunt Ægyptum omni plaga,in deserto.

Benedict.

Benedict.in margine. Væ nobis non enim fuit simile heri, & nudiustertius. Væ nobis : Quis nos saluabit de manu Deorum fortium istorum?

Gloss.

Text. Gloss.in margine, Non enim fuit similis exultatio heri, & nudiustertius. Væ nobis. Quis nos saluabit de manu Deorum fortium istorum,

Author Catenæ. Parum refert quòd Hebræus Vatabli:Chaldæus etiam,& Græcus verba hæc, videlicet:*Væ nobis:non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius* : præcedenti Versui annectamr; aptè enim Vulgata distinxit. Author Catenæ.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Væ nobis ; non enim fuit simile heri, & nudiustertius. Væ nobis Quis liberabit nos è manu Deorum fortium istorum? Hi sunt Dij,qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto. Pagn.

Hebraica ex Francis. Vatab. Væ nobis quoniam non erit, sicut heri & nudiustertius. Væ nobis. Quis eruet nos è manu Deorum istorum fortium?Isti sunt, qui percusserunt Ægyptum tot plagis in deserto. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm.in Regia. Heu nobis, quia non fuit sicut hæc ab heri, & ab ante illud. Heu nobis! quis liberabit nos de manu dicti Domini, quod facta eius maxima hæc : ipse fortitudines Domini : qui percussit Ægyptios in omni percussione, & populo suo fecit mirabilia in deserto. Ariasm.

Græca ex Sept.in Complut. & Regia. Væ nobis: libera nos Domine hodie, quia non factum est sic heri, & nudiustertius. Væ nobis. Quis liberabit nos de manu Deorum solidorum istorum: Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum in omni plaga in deserto. Complut. Regia.

Græc. ex Septuag. in Sixtiana. Veh nobis. Erue nos Domine hodie quoniam non est facta talis heri, & nudiustertius. Veh nobis. Quis eruet nos de manu Deorum firmorum horum ? Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum in omni plaga in deserto. Sixtian.

Emanuel Saa in Schol. Quis nos liberabit de manu Deorum illustrium istorum. Saa.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul.

1 *Væ nobis.* Abul. ibi. quæst.12. Hoc dixerunt Philisthiim propter duo.1. Quia ipsi audierant magnalia de Deo Hebræorum, vt patet immediatè,scilicet: *Hi sunt Dij, qui percusserunt &c.* Timebant igitur quòd sic faceret Deus Hebræorum super eos, quia ipsi erant hostes Israel, sicut Ægyptij. 2.timebant Philisthiim propter magnum gaudium, quod fecerunt Hebræi in aduentu Arcæ ; nam credebant ex hoc aliquod bonum eis euenisse. Philisthiim autem putabant non sine causa gauisos esse Hebræos, scilicet propter fortitudinem Dei sui : quantum autem boni accidebat Hebræis;tantùm mali superueniebat Philisthiim.Et dato quòd secundùm veritatem aduentus Arcæ nihil profuturus esset Hebræis, secundùm quod factum est, & tamen quòd tantùm gauderent Israelitæ, erat durum Philisthæis, quia fortius pugnarent Hebræi confidentes se præliaturos propter Deum suum ; & ob hoc siue Philisthiim vincerent, siue vincerentur ; duriùs cum eis agendum erat.

HISTOR. Ioseph.

2 *Væ nobis.* Ioseph.lib.5.Antiquit.c.11. aliàs 16. Vehementer autem Hebræis Arca animos addidit, victoriam in hac sitam existimantibus. Contra, hostes timebant ; ne Arca Israelitis esset præsidio. Attamen vtrorumque expectationem euentus fefellit.

LITERAL. Mendoza. Statius.

3 *Væ nobis.* Franc. Mend. ibi §. 1. Bis illud: *Væ nobis* inclamauerunt, infaustum illius pugnæ exitum sibi ominantes; nam, vt cecinit Statius Thebaid. 3. *Pessimus in dubijs augur timor.*

MYSTIC. Beda.

4 *Non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius.* Beda lib. 1. exposit. Allegor. cap. 9. Neque in lege, neque ante legem tam prompta fuere corda credentium ad cuncta, pro cœlestis regni desiderio, vel patienda, quæ terris hærent, vel spernenda quæ libent.

LITERAL. Abul.

9 *Non enim fuit tanta exultatio, &c.* Abul. ibi quæst. 12. Ex quo arguebant Philisthiim, quòd aliquod magnum adiutorium eis erat collatum in aduentu Arcæ; & quantum illi adiuuabantur, tantum Philisthæi deprimebantur; ideò tristabantur de Arcæ aduentu.

LITERAL. Author. Catenæ

6 *Non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius.* Autor Catenæ. Adagialis dicendi formula est, quâ interdum significatur tempus proximè præteritum, seu *non multò prius.* Interdum longam præteriti temporis distantiam, idemque ac *iam dudum.* Interdum etiam pro *nunquam antea* vsurpatur. Quarum significationum exempla conglobat

Delr. Augustt.

Delrius. Adag. 34. veteris Testam. Augustt. lib. 1. Locution. Hebraic. ad cap. 32. Genes. tom. 3. Asserit pro tempore præterito indefinitè poni. *Animaduertit quoque faciem Labam, quòd non esset erga se sicut heri, & nudiustertius.* Hoc est sicut prius tempore, seu diebus anteactis. *Familarissima,* ait Augustinus, *in Scripturis locutio: hesterna, & nudiustertiana die pro tempore præterito posuit.* Similiter

Irenæus.

explicat Irenæus lib. 1. cap. 12. aduersùs hæreses. *Sicut quod est ab initio, quod dici solet heri, & ante.* In præsenti autem ita adagium hoc exponi debet, vt pro diebus proximè elapsis supponat, ac si dixerint: Væ nobis tanta enim alacritas his proximè actis diebus in Hebræis non eluxit.

MYSTIC. Gregor.

7 *Quis nos saluabit de manu, &c.* Gregor. lib. 3. variar. cap. 2. Notandum quòd Deorum appellatione deridentur, qui à fide veterum Patrum recedentes, se in veritate fidei existere, atque in filiorum Dei numero confidunt. In se quidem illa diuinæ laudationis præconia prolata asserunt, quæ per Prophetam Dominus pronunciat dicens. *Ego dixi*

Psalm. 81.

Dij estis vos, & filij excelsi omnes. Psalm. 81. Si itaque mendacij existimatione omnes Israëlitæ secundùm carnem nuncupatiuè Dei sunt, sublimes Dei eiusdem Iudaicæ existimationis mendacio sunt Sapientes Iudæorum.

LITERAL. Abul.

8 *Quis nos saluabit de manu, &c.* Abul. ibi q. 12. Dolebant Philisthiim timentes potentiam Dei Hebræorum, & existimabant quòd nullo modo liberari possent in bello; quia non putabant aliquem ex parte ipsorum, siue Deum, siue hominem esse potentiorem Deo Hebræorum. Nam si Dij ipsorum essent æquè potentes, non formidarent; putabant enim Gentiles quòd Dij sui inuicem pugnabant: habebant enim singulæ gentes singulos Deos, & de iis dicebant, quòd sicut gens pugnabat contra gentem, ita & Dij inter se pro cultoribus suis

Virgil.

pugnabant. Sic inducit Virgilius 10. Æneid. Pugnantes quosdam Deos pro Troianis, & alios pro

Homer.

Græcis. Idem Homerus in Iliad.

LITERAL. Abul.

9 *De manu Deorum sublimium istorum.* Idem ibid. Dixerunt de manu Deorum istorum, quia putauerunt apud Hebræos esse Deos multos, sicut erat apud Gentiles. Vel potest dici quod Philisthiim existimauerunt Deum Israël esse vnum Deum, sed ex modo Scripturæ ponitur hic in plurali; nam tam insipientes, quàm sapientes apud Philisthinos vocabant Deum Israël quasi vnum Deum. De sapientibus patet infrà cap. 6. vbi Sacerdotes & Diuini dixerunt Philisthæis: *Dabitis Deo Israel gloriam, si forte releuet manum suam à vobis.*

10 *Quis nos saluabit de manu, &c.* Caietan. ibi Manifesti apud Philisthinos timoris verba sunt, propter fortitudinem Elohim Israël, quam confitentur ex percussione Ægyptiorum in deserto, hoc est in mari rubro persequentibus Ægyptiis Israëlem euntem in desertum.

LITERAL. Caietan.

11 *Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum.* Franc. Mend. ibi §. 6. Quasi dicerent: impares sunt nostri Dij, vt cum Deo Israëlis congrediantur. In quam fidem induci potuerunt ex eo, quòd Deus olim Israelis, non solùm Ægyptios, sed etiam Ægyptiorum Deos profligauit, vt apertè iurauit Moysi se effecturum dicens: *In cunctis Dus Ægypti faciam iudicia ego Dominus.* Exod. 12. Nam vt referunt Hebræi apud Liranum in illa nocte, qua primogeniti Ægyptiorum occisi sunt, omnia pariter eorum Idola perierunt.

HISTOR. Mendoza. Exod. 12. Lira.

12 *Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum.* Greg. suprà. Quasi aperta derisione Iudæorum sapientes Doctorum nostrorum ordo reprobet dicens. Carne quidem magnorum virorum se filios esse gloriantur. Sed eorum, de quorum generatione superbiunt, nobilitatem fidei non sequuntur. Ipsi ergo sunt subsecutione generis; sed quia ipsi non sunt imitatione virtutis, cùm ipsi esse dicuntur, qui virtute claruerunt, derident potiùs, quàm laudantur.

MYSTIC. Gregor.

13 *Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum.* Abul. ibi quæst. 12. Hic inducunt confirmationem, scilicet quòd Deus Israël erat fortis, nam ipse destruxit Ægyptios, & Deos eorum, sic igitur poterat destruere Philisthinos, & Deos ipsorum. Non solùm enim Deus Israël puniuit Ægyptios, sed etiam Deos ipsorum, quia comminuit omnia Idola Ægyptiorum. Fuerat autem ista percussio cognita apud multas gentes, quoniam fuit magna nimis, & sic Philisthiim potuerunt cognoscere, potissimè quia Ægyptus est apud terram Philisthiim, sic enim patet Exod. 13. vbi dicitur, quia Deus noluit educere

LITERAL. Abul. Exod. 13.

Israëlitas de Ægypto per viam terræ Philisthiim, quæ vicina erat. In quo innuit, quia medium inter terram Chanaam, & Ægyptum sit ipsa terra Philisthiim.

LITERAL. Lira.

14 *Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum.* Lira. ibi. Sicut Pharao cum maxima multitudine non potuit resistere, sic nec nos poterimus. Et sic per verba ista videbantur omninò diffidere de victoria. Sic exponitur communiter ista littera. Sed littera sequens non videtur concordare, quia immediatè subditur. *Confortamini & estote viri.* Propter quod Hebræi aliter exponunt, dicentes quòd in exercitu Philisthinorum aliqui erant habentes reuerentiam ad Arcam Domini, quamuis essent Gentiles. Benè enim inuenitur in veteri, & nouo Testamento, quòd aliqui Gentiles veniebant adorare in Ierusalem, & de istis dicitur: *Et ingemuerunt, &c.* vsque ibi inclusiuè. *Quis nos liberabit?* Alij erant nullam habentes reuerentiam ad Arcam, nec per consequens timorem, & isti vt excluderent timorem à bonis aliis dicebant: *Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum, &c.* idest eis possibile, quasi dicant fecerunt tunc totum posse suum, & ideò non poterunt nunc nobis nocere; ideo consequenter dicebant: *Confortamini, & estote viri, &c.*

LITERAL. Sanctius.

15 *Omni plaga.* Gaspar Sanct. ibi n. 12. Ex idiomate Hebræorum omnis cum epithali, pro magno

ponitur. Isaiæ 14. 29. *Ne læteris Philisthæa omnis tu*, idest ne læteris tota, aut ne magno efferaris gaudio.

Literal. Author Catenæ. 16 *Omni plaga.* Autor Catenæ. Idest multiplici plaga, hyperbole namque est, & modus dicendi non infrequens. Dicuntur autem hæ plagæ in deserto accidisse, quod earum vltima, & maxima, aliásque præcedentes complens in deserto, seu prope desertum in mari rubro inflicta fuit. Nisi etiam dicas Philisthinos transactæ Historiæ non benè gnaros desipuisse. Vel in Vulgata suppleri debere quæ rectè Chaldæus expressit, nempe: *Qui percussit Ægyptum in omni percussione, & populo suo fecit mirabilia in deserto.*

Chald.

Literal. Abul. *Desertum quale.* 17 *In deserto.* Abul. ibi, quæst. 12. Non est intelligendum, quia plagæ factæ super Ægyptios fuissent in deserto, quia fiebant in ipsa terra Ægypti, quæ non est desertum, sed vocatur desertum terra, quæ est extra Ægyptum versùs mare rubrum. Nam ibi maxima plagarum inflicta est, scilicet quia Pharao, & omnes, qui ibant cum eo persequentes Hebræos perierunt in mari rubro.

Literal. Saa. 18 *In deserto.* Emanuel Saa in Schol. Idest in mari rubro, quod est prope desertum.

VERSVS IX.

Vulgat. *Vulgata.* Confortamini, & estote viri Philisthiim: ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt vobis: confortamini, & bellate.

Glossa. *Text. Gloss. in margine.* Confortamini, & estote viri. Pugnauerunt ergo, &c.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Confortamini & estote viri Philisthim, ne forte seruiatis Hebræis, quemadmodum seruierunt nobis: Et estote viri, & bellate.

Vatab. *Hebr. ex Franc. Vatab.* Confirmamini, estoté viri Palesthini, ne quando seruire cogamini Hebræis, quemadmodum ipsi seruierunt vobis. Estote ergo viri, & pugnate.

Ariasm. *Chaldæa ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Fortificamini, & estote in viros viri Philisthæi, ne forte seruiatis Iudæis, sicut seruierunt nobis, & eritis in viros fortes, & inibitis bellum.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Confortamini & estote in viros Philisthiim, & non seruiatis Hebræis, sicut seruierunt nobis, & estote in viros, & debellate eos.

Sixtin. *Græca ex Septuag. in Sixtiana.* Inualescite, & estote in viros alienigenæ, vt non seruiatis Hebræis, sicut seruierunt nobis: & estote in viros, & impugnate eos.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Confortamini, & estote viri.* Greg. lib. 3. variar. c. 2. Prædicatores sanctæ Ecclesiæ, etsi contra Iudæorum vaniloquia nouiter nulla præparant, plana tamen & humili veræ fidei nostræ ratione quocumque modo defensorum synagogæ impetum debellant.

Literal. Abul. 2 *Confortamini & estote viri.* Abul. ibi q. 12. Hic ponuntur verba hortatoria ad bellum ipsorum Philisthiim inter se dicentium, quòd confortarentur scilicet ad pugnandum fortiter, ne caperentur viuentes ab Israelitis; & cogerentur seruire illis. Existimabant enim quòd Deus Hebræorum faceret eos succumbere; ideò magis volebant mori viriliter pugnando, quàm viuere.

Literal. Caietan. 3 *Confortamini, & estote viri.* Caietan. ibi. Potest ista vox esse eorundem timentium: vt timor ipse, qui est pater consilij induxerit eos ad exhortandum omnes ad viriliter agendum contra tam fortem inimicum; ex quo præliari oportebat, ne seruirent Israëlitis. Potest nihilominùs vox hæc esse aliorum Philisthinorum arguentium, timentes quosdam Philisthinos, qui dixerant: *Væ nobis, &c.*

Literal. Mendoza. Veget. Lipsius. 4 *Confortamini, & estote viri.* Franc. Mend. ibi §. 1. Quamuis hortari milites ad bellum pertineat ad duces, vt patet ex profanis Litteris, Autore Vegetio lib. 3. de re militari cap. 12. & post eum Lipsio lib. 4. de Militia Romana Dial. 9. Tamen hoc loco nulla ducum mentio fit; vnde milites se mutuò videntur adhortari, vt Theod. serm. 10. de Prouid. expressit.

Theodor.

Literal. Mendoza. 5 *Confortamini, & estote viri.* Idem ibidem §. 8. Philisthini nimio terrore paulò ante exanimati, subita desperatione animantur, dicentes ad se inuicem: *Confortamini.* Quasi dicerent: hactenùs cum Israëlitis; deinceps cum Deo Israëlis pugnandum est. Ergo firmate animos; nam si vincimur leuis est ignominia: si vincimus immensa laus, quia de ipso Deo triumphamus, à quo etiam vinci non est indecorum.

Literal. Author Catenæ. 6 *Confortamini, & estote viri.* Autor Catenæ. Quæres quorúmnam hæc sint verba, an eorum, qui modo timorem suum expressérant dicentes: *Væ nobis*: an aliorum, qui eorum inertiam reprehenderent? Probabilius est adhortationem hanc ab ipsis timidis exortam, qui extremi periculi intuitu ex ipsa desperatione animos fecerunt. Probabile tamen ab aliis prouenisse, vt habet Lira cum aliis. Cæterùm quæ ibidem idem Nicolaus addit ex Rabbinorum sententia, nimirum huius adhortationis Autores, (scilicet qui priorum timiditatem obiurgabant,) verba etiam illa edidisse: *Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto*; quasi dicerent: inanem expellite timorem Dei illius, qui in euertendis Ægyptiis totas suas exhausit vires, inualidúsque modò iacet, hæc quidem Rabbinorum ineptia indigna impugnatione est, vt alia esse solent eorundem deliramenta. Ratio quippe est totius rationis expers, cum victoriis, & inflictis cladibus virtus, & potentia actiua non obsolescat, seu eneruetur, immò instauretur, & efferueat. Præterea non est, cur verba illa: *Hi sunt Dij, qui percusserunt, &c.* tribuantur illis, qui timidos reprehendebant, cùm sensus planus ipsis timidis accommodanda persuadeat.

Lira, Rabbin. *Hebræorum deliramenta.*

Literal. Abul. *Seruitus quæ dirior?* 7 *Sicut illi seruierunt nobis.* Abul. ibi q. 12. Reputabant enim Philisthiim pessimam conditionem viri, esse seruitutem, neque aliquid peius posse fortunam inducere; & cùm infelicissima sors ista sit, adhuc infelicior est, cùm quis efficitur seruus eius, cuius antea erat Dominus, & hoc propter duo. Primò, quia grauior seruitus est, cùm illi, qui serui fuerunt, & sunt Domini, recordati malorum quæ pertulerunt, grauiùs affligant afflictores suos. Secundò, quia ista seruitus est turpior, tanto enim aliquis vilior est, quantò magis descendit. Sed nemo videtur magis descendere, quàm qui efficitur eius seruus, cuius Dominus erat.

Literal. Idem. 8 *Sicut illi seruierunt nobis.* Idem ibidem q. 13. Nam à multis temporibus ante hoc seruierant, & nunc quoque seruiebant, nam 18. annis seruierunt post mortem Iair Iudicis Israël, de quo Iudic. 10.

Iudic.10. Ibid.12. Iudic.10. Postea autem erepti de manu eorum, per quosdam Iudices, inciderunt iterum in seruitutem ipsorum per 40. annos, de quo Iudic.12. quo expleto Sampson iudex incepit aliqualiter liberare Israelitas de manu Philisthinorum, sed non valuit penitus nam & Israelitæ propter mandatum Philisthinorum comprehenderunt Sampsonem; & tradiderunt Philisthæis Iudic. 15. & ibi dicitur quòd illo tempore Philisthiim dominabantur Israeli. Post mortem etiam illius quadraginta annis, quibus fuit Iudex Heli, non cessauit seruitus, nec etiam tempore Samuelis, & Saulis

VERSVS X.

Vulgata. VVlgata. Pugnauerunt ergo Philisthiim; & cæsus est Israel, & fugit vnusquisque in Tabernaculum suum, & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt de Israel triginta millia peditum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et pugnauerunt Pelisthiim, & cæsus est Israel, fugeruntque vnusquisque in Tabernaculum suum: & fuit plaga magna valdè, & ceciderunt de Israel triginta millia peditum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Pugnauerunt itaque Palesthini, & Israelitæ cæsi sunt, fugeruntque singuli in tentoria sua, & cædes facta est vehementer magna, ita vt caderent ex Israele triginta millia peditum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm in Regia.* Et inierunt bellum Pelisthæi, & fracti sunt Israel, & verterunt terga, vir ad ciuitatem suam. Et fuit percussio magna valdè: & occisi sunt ex Israel triginta millia viri pedites.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. Regia.* Et pugnauerunt Philistiim contra eos; & cæsus est vir Israel coram Philisthiim; & fugit vnusquisque in Tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt de Israel triginta millia ordinum.

Sixtiana. *Græca ex Sept. in Sixtian.* Et impugnauerunt eos, & cadit vir Israel, & fugit vnusquisque ad Tabernaculum suum, & facta est plaga magna valdè: & ceciderunt de Israel triginta millia ordinum.

Lucifer. *Lucifer apud Flamin.* Triginta millia virorum.

Gregor. *Greg. lib.3. Variar. cap.2.* Pugnauit ergo Philisthiim, & versus est Israel vnusquisque in Tabernaculum suum.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *PVgnauerunt ergo Philisthiim.* Gregor. lib.3. Variat. cap.2. Philisthiim, idest poculo cadentes pugnant, cùm Doctores Sanctæ Ecclesiæ, cùm Catholicæ fidei vexillo Iudæis impugnantibus obuiant. Israel autem auertitur, quia in omni disputatione Iudæorum versutia superatur. Auerti enim est, ex pari virtute aduersari non posse: qui autem præliando auertitur, in prælio quidem est, sed fugiens, etli virtute deficiens, nocendi tamen desiderium non amittens.

Histor. Seuerus. 2 *Pugnauerunt ergo Philisthiim.* Seuerus Sulpit. lib.1. Sacræ Historiæ. Vbi Arca in conspectu hostium deducta est, maiestate quadam præsentis Domini fugam parabant, assumptáque rursùm constantiâ, & non sine Domino mutatis animis totis viribus concurrunt. Victi Hebræi Arca capitur &c.

Histor. Comest. 3 *Pugnauerunt ergo Philisthiim.* Comest. in Histor. Scholastic. cap.6. Timuerunt Philisthæi, & actiùs pugnauerunt, fugitque Israel, & cæsa sunt ex eo triginta millia.

Literal. Abul. 4 *Pugnauerunt ergo Philisthiim.* Abul. ibi. q.14. Dicitur *pugnauerunt ergo Philisthiim*, idest quia propter deiperationem exhortati sunt se inuicem, vt fortiter pugnarent. Pugnauerunt etiam si putarent se morituros per potentiam Dei Israel. Erat tamen potiùs è contrario, quia Deus Israel mouebat eos, vt fortiter pugnarent, & sic occiderent multos de Israelitis. *Desperatio facit animos.*

Histor. Incog. 5 *Et casus est Israel.* Incognit. in Psalm.77. vers.1343. tom.1. Cùm Arca deducta esset in medio castrorum, iterum inito certamine superatus fuit Israel, & ceciderunt de populo Dei *viginti tria millia* peditum, & Arca Dei capta fuit. *Triginta millia debuit dicere, sic enim habet Versio* 1345.

Tropol. Carth. 6 *Et casus est Israel.* Carthusian. ibi. art.10. Per Israelitas Arcam Dei afferentes intelliguntur Christiani, qui instante tribulatione quacumque, seu pestilentia circumferunt Sacramentum, atque Reliquias, non tamen emendant suam conuersationem, & mores; ideò propter sua demerita non iuuantur; immò interdum grauiori peste cæduntur, & hoc iustissimo Dei iudicio, qui cordium videns arcana, scilicet illos pro euasione, & cessatione periculorum corporalium deprecari, non ex recta radice, hoc est non ex charitate, neque sincera intentione, sed ex amore carnali, quo diligunt vitam præsentem, & prospera eius; sicque oratio eorum fit in peccatum, & indignationem prouocat deitatis, quoniam importunè, & indiscretè orant pro iis rebus, de quibus ignorant, an saluti eorum expediant; & ea, quæ Deus requirit ab eis, & sunt de necessitate salutis omittunt. *Qua à Deo expetenda?*

Histor. Sabel. 7 *Et casus est Israel.* Sabellicus Eneade.1.lib.7. Ad Aphecum primò dimicatum est, ceciderúntque ea acie ad tria millia Hebræorum, cæteri in castra trepida sunt fuga compulsi. Nec ita multis interiectis diebus de summa rerum dimicaturi, Arcam fœderis ex Silone in Castra deferunt, remedium in extremis rebus à Maioribus quæsitum. Sed omnis religio aduerso Numine inutilis, & vana est. Triginta millibus Iudæorum vna acie interfectis, Arca capta est inter hostilia spolia.

Literal. Abul. 8 *Et casus est Israel.* Abul. ibi. quæst. 14. Idest multum vulneratus à Philisthiim; & hoc non fuit extra aciem per agros, sicut in priori bello, sed in acie, quia confidebant Israelitæ post aduentum Arcæ se prævalituros esse contra Philisthinos, ideò tantùm restiterunt.

Literal. Mend. 9 *Et casus est Israel.* Franc. Mendoza ibi §.1. Licet in priori certamine priùs dicatur fugisse, quàm cecidisse Israel; tamen in hoc posteriori priùs dicitur cæsus, quàm fugatus, quasi tam pertinaciter decertaret, vt priùs sanguine restagnarent agri, & cadaueribus sternerentur viæ, quàm ipse in fugam verteretur.

Hrstor. Torniel. 10 *Et casus est Israel.* Aug. Torniell. tom.1. Annal. Ann. Mundi. 2939. Sane in memorata Philisthinorum victoria, probabile est eosdem Philisthios abstulisse etiam Israelitis plures vrbes, illas nimirum de quibus paulò post mentionem faciemus, & insuper imposuisse eis tributa, & vt à se ampliùs deficere non valerent, prohibuisse illos, ne possent arma cuiusuis generis penes se habere, vllásve inter se congregationes

gationes celebrare, quemadmodum ex infrà dicendis apparebit.

HISTOR. Salian. 11 *Et cæsus est Israël.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 1939. num. 19. Breuis, & luculenta narratio maximæ cladis, valdéque deplorabilis. Cùm ergo Philisthæi magno animi ardore pugnarent, & desperata victoria seruitutem morte propria redimere statuerent, ita pugnabant, vt non inulti caderent. E contrario Israelitæ animosiores facti ex præsentia Arcæ Domini, & fiduciæ in eius auxilio diutissimè restiterunt, tantóque maiore numero à prævalentibus Philisthæis cæsi sunt, donec desperata victoria, Arca propugnatoribus nudata, deserris castris, fugâ ad sua se Tabernacula receperunt, oppida videlicet, ac domos, in quibus habitabant: nec fugerunt in castra vt antea, quia agnita sua paucitate, nec eâ tutari se posse sperabant, nec in eis prælium reparare, ac reintegrare, præsertim Arcæ Dei præsidio suo ignominiosè priuati, nec sine causa Deum sibi infensum arbitrati, cuius nutu victoria, ipsis tanta clade affectis, ad hostes suos deuolaret.

LITERAL. Author Catenæ. 12 *Et cæsus est Israël, & fugit vnusquisque.* Autor Catenæ. Narrationis ordo innuit priùs Hebræos cæsos fuisse, tum demum in fugam effusos.

Mendoza. Ita de facto contigisse affirmat Mendoza, hanc inter vtrumque certamen differentiam constituens, quod priori antea fugisse dicantur, quàm pugnasse: in posteriori priùs quidem acriter dimicatum, deinde arreptam fugam. Secùs autem contigisse narrat

Iosephus. Iosephus lib. 5. Antiquit. cap. 11. vel 16. vt alias. *Namque primo*, inquit, *impetu in fugam sunt conuersi, in qua triginta hominum millia sunt amissa.* Vbi ingentem hunc occisorum numerum in fuga occubuisse refertur. Idem indicat Autor Historiæ

Comest. Scholast. Media tamen via incedendum credo, dicendúmque in ipso conflictu plurimos Hebræorum cecidisse, viriliter enim ex confidentia Arcæ decertarent; fugæ tandem commissos plures quàm antea interfectos, fuit enim fuga omninò inordinata, & tumultuaria, vt Textus indicat. *Fugit vnusquisque in Tabernaculum suum*: sine ordine autem fugientes dispersi, & palantes facilè percuterentur.

MYSTIC. Gregor. 13 *Et fugit vnusquisque in Tabernaculum suum.* Greg. suprà. Fugit quippe Israël, quia Doctoribus sanctæ Ecclesiæ respondere non sufficit; sed fugiens valet resistere, quia victus, & confusus cuperet sibi suppetere, vnde veritati, quâ vincitur, refragari potuisset.

MYSTIC. Idem. *Iudæorum obstinatio.* 14 *Vnusquisque in Tabernaculum suum.* Idem ibidem. Tabernaculum vniuscuiusque Israëlitæ est cor perfidiæ conclusione circumseptum. Quia igitur victi à sanctæ Ecclesiæ Prædicatoribus erroris sui latibula repetunt, singuli fugientes de prælio in suum Tabernaculum reuertuntur.

MYSTIC. Idem. 15 *Et facta est plaga magna nimis.* Idem ibid. Quæ profectò plaga pro lectoris arbitrio, & secundùm spiritualem percussionem, & secundùm materialem accipi conuenienter potest. Nam de spirituali eorum plaga ad discipulos in prædicatione destinatos Dominus dicit. *Quicumque non receperint vos exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite pulueres de pedibus vestris. Amen dico vobis, quod tolerabilius erit terra Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* Matth. 10. Matth. 10. Hinc iterum dicit. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Marc. 16. Marci 16. Secundùm materialem quoque percussionem plagam magnam insinuat, cum ad Ierusalem loquitur dicens. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & non relinquetur in te lapis super lapidem.* Luc. 23. Luc. 23. Tunc quippe plaga magna facta fuit, quando cum internecione populi Iudæorum ciuitas & capta fuit, & euersa; quando pro vltione diuini sanguinis, & hostili gladio populus corruit, & qui euadere ferrum potuit, pœnas sustulit æternæ captiuitatis.

HISTOR. Ioseph. 16 *Et facta est plaga magna nimis.* Ioseph. lib. 5. Antiquit. cap. 11. aliàs 16. Post conflictum sperata Hebræis victoria, Palæstinis contigit, & quam cladem hi timuerant, eam Hebræi passi, cognouerunt frustrà se in Arca fiduciam collocauisse; namque primo impetu in fugam sunt conuersi, in qua triginta hominum millia sunt amissa: inter quos Pontificis filij ceciderunt, & Arca quoque in hostium potestatem deuenit.

MISTIC. Beda. *Christus Hebræi excidio fuit.* Ioann. 15. 17 *Et facta est plaga magna nimis.* Beda lib. 1. exposit. Allegor. cap. 9. Plures veniente Arca, quam antea ceciderunt, *quia si non venissem*, inquit, *& locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Ioan. 15. Possumus dicere quòd quatuor millia virorum ante aduentum Arcæ perdiderit Israël in eis, qui ante Incarnationis dominicæ tempus, minùs perfectè credendo, sperando, amando, & operando legis iussa spernebant. Allata autem Arca triginta millia peditum maiori plaga perierint, qui sanctæ Trinitatis mysterium ex Euangelio cum promissione denarij cœlestis accipere renuebant.

HISTOR. Tursellin. *Arca Hebræis damno fuit.* 18 *Et facta est plaga magna nimis.* Oratius Tursellin. lib. 1. Epitome histor. Hebræi aduersus Philisthæos, cùm malè pugnassent, Arcam fœderis in castra deferri iubent. Sed irato Deo diuinum præsidium detrimento magis, quàm adiumento fuit; commisso prælio maximam cladem accipiunt: Arca ipsa in hostium peruenit manus.

MYSTIC. Bonauent. 19 *Et facta est plaga magna nimis.* Bonauent. in Ps. 118. c. 1. art. 4. v. 4. to. 1. Cæsus est Israël in primo parente, in quo omnes peccauerunt, quoniam in ipso originaliter extiterunt. Hoc dicitur quantum ad peccati perpetrationem. *Et fugit vnusquisque in Tabernaculum suum*; hoc subditur quantum ad peccati excusationem: *Et facta est plaga magna nimis*, hoc superadditur quantum ad naturalium vulnerationem.

HISTOR. Incognit. *Hebræorum clades quæ?* 20 *Et facta est plaga magna nimis.* Incognitus in Psalm. 77. v. 1346. *Iuuenes eorum comedit ignis, & Virgines eorum non sunt lamentatæ.* Psalm. 77. Hoc exponitur de igne luxuriæ, quia Philisthæi habita tanta victoria de populo Iudæorum, & inuaserunt ciuitates Iudæorum, ex eis captiuas duxerunt iuuenes, & Virgines ipsarum, eis abutentes, vt in talibus cædibus mali facere consueuerunt. Vel secundùm alios Phelisthæ combusserunt igne ciuitatem Iudæorum, & ex consequenti multi iuuenes, & Virgines combusti fuerunt; nec fuerunt lamentatæ, quia non vacabat Iudæis sepelire corpora suorum hostili metu fugientes: & sic corpora dimittebantur insepulta, & inlamentata.

LITERAL. Abul. *Hebræi cur pedites pugnabant.* 21 *Triginta millia peditum.* Abul. ibi. quæst. 16. Vocantur pedites, quia omnes Israelitæ, erant pedites: Non enim erat vsus eorum in equis, & curribus pugnare, quanquam aliæ gentes vterentur isto genere pugnandi, sicut patet de Pharaone Rege Ægypti, qui insecutus est Hebræos cum equis, & curribus contra mare. Exod. 14. Hebræi tamen non vtebantur isto genere pugnæ. Quod videtur esse propter duo. Primò scilicet, quia si Israelitæ vterentur illo modo pugnæ, qui fortissimus erat, credere nt

Exod. 14.

crederent sibi victorias prouenire ex robore suo,& armorum strenuitate,vnde alienarentur à Deo. Secundò dici potest, quòd hoc faciebant, quia Israelitæ erant inexperti circa illa; ideò non possent pugnare in curribus & equis, sed pedites, vel fortè quia erat pauperes, & non possent habere equos, erant enim magni pretij, eo quòd non essent in illa terra, sed emebantur à negociatoribus aliarum terrarum,sicut patet de Salomone infrà lib.2.Reg. cap. 10.

LITERAL. Mendoza. *Hebræi cur pedites.* Deut.17.

22 *Triginta millia peditum.* Franc. Mend. ibi. §.3. Quia per id tempus nullus erat equorum vsus apud Hebræos propter legem diuinam in deserto latam,Deuter.17. *Cùm fuerit*, inquit, *constitutus Rex, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublenatus.* Nam licet ea lex solis Regibus imposita videatur, nec tam equos, quàm eorum multitudinem interdicat;tamen Hebræi vt religiosiores,& obseruantiores diuinæ legis se ostenderent, equorum vsum in totum abdicabant.

LITERAL. Author Catenæ. *Hebræi cur pedites.* 1.Reg.13.

23 *Triginta millia peditum.* Autor Catenæ. Hebræi tum temporis pedites omnes pugnabant, nec equis,aut curribus vtebantur;ideo fortasse (præter rationes ab Abulensi assignatas,) quia Philisthini, qui eisdem dominabantur equorum,& militarium curruum vsum eis interdixerant, ne sibi æquales, aut etiam superiores in militia existerent, eodem enim consilio nulla eis arma, nec armorum, vel etiam ferramentorum fabros permittebant, ita vt ad acuendum vomeres ad ipsos Philisthinos descendere cogerentur:infrà, cap.13. *Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel.* Aptior mihi hæc videtur ratiò illa, quam reddit Mendoza suprà.

VERSVS XI.

Vulgata. *Vulgata.* Et Arca Dei capta est & duo quoque filij Heli mortui sunt Ophni,& Phinees.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Et Arca Dei capta est, & duo filij Heli mortui sunt Chophni, & Pinchas.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatab.* Sed & Arca Dei capta fuit, & duo filij Heli mortui Ophni scilicet, & Pinhas.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et Arca Domini capta fuit, & duo filij Gheli occisi sunt Hhophni,& Pinhas.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia.* Et Arca Dei capta est,& ambo filij Heli Ophni,& Phinees mortui sunt.

Sixtin. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et Arca Dei capta est, & vtrique filij Heli mortui sunt Ophni, & Phinees.

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Hieron. *Dei iudicia inscrutabilia.*

1 *ET Arca Dei capta est.* Hieron. lib. contra Pelagian. in tom. 2. Obiicè Deo fortiorem calumniam,quare adhuc,cùm in vtero essent Esau, & Iacob dixerit. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui?* Accusa eum iniquitatis, cur Achar filius Charmi de Hiericuntina præda aliqua furatus sit, & tanta militia hominum illius vitio trucidata sint. Quam ob rem filij Heli peccauerint,& omnis pene populus extinctus,Arcaque sit capta.

LITERAL. S.Ephræm.

2 *Et Arca Dei capta est.* Ephræm Syrus serm. de Pretiosa Margar. Dicunt Hebræi se non credere Deum cum hominibus conuersatum esse,vt hominem. At quid maius ô Iudæe, Arca,an homo? Et in Arca credis conclusum esse Deum, & super terram in humana ipsius natura non credis? Nos, inquiunt, non credimus eum, si Deus erat, crucifixum fuisse. Sed cur in eo non es incredulus, quòd Arca, quæ Deum continebat,ab alienigenis capta sit: Nam sicut illa videbatur sustinere ignominiam,ita etiam Deus Verbum,quamuis impassibilis esset, per assumptionem tamen iniurtis, & contumeliis affectus est,dum ipsa,scilicet assumptio crucifigeretur.

MORAL. August.

3 *Et Arca Dei capta est.* Augustin. vel Autor libr.2. de Mirabilib. Scripturæ tom.3. Sed legis transgressores nequaquam legis Arca ruetur, victo potiùs, & delero ex parte populo ab alienigenis ipsa capitur.

MORAL. Idem. Psal.77.

4 *Et Arca Dei capta est.* Idem in Psalm.77. tom.8. *Audiuit Deus, & sprevit, & ad nihilum redegit valdè Israel.* Psalm.77. Deo quippe spernente, quid remanserunt qui Deo adiuuante fuerunt, quod fuerunt? Nimirum autem rem istam gestam commemorat, quando victi sunt ab Allophilis tempore Heli Sacerdotis, & Arca Domini capta est, & magna strage vastati sunt. Hoc est quod dicit;*Et repulit Tabernaculum Silo Tabernaculum suum,vbi habitauit in hominibus. Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Psam. 77. Ipsam Arcam, vnde sibi videbantur inuicti, & vnde sibi plaudebant, virtutem, & pulchritudinem eorum dicit.

TROPOL. Prosper. *Sacerdotum punitio.* Psalm.77.

5 *Et Arca Dei capta est.* Prosper Achitan. De Promissionib.& Prædictionib. p.1.cap.24. Quibus sceleribus iratus Deus prælium ei aduersæ gentis immisit,in quo non tantum cæsus populus, quantum etiam illi ipsi Sacerdotes interfecti;ipsa quoq; Arca Dei ab hostibus capta est.Sic enim Deus Israel irascitur peccantibus Sacerdotibus,vt etiam sacratis locis suis,vasisq; non parcat.Dicit enim Dauid: *Repulit Deus Tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus.*Ps.77.

TROPOL. Peluſiot. *Cur Templa Deus non parcat.*

6 *Et Arca Dei capta est.* Isidor.Pelusiota epist. 72.in lib.1. Mirari te dixisti, qui fiat vt Deus,cùm terræ metum immittit, Templis suis minimè parcat. At certam huius rei declarationem in diuinis libris habes. Nam vt sanctæ Arcæ minimè pepercit,verum eam vnà cum ipsis Sacerdotibus,qui deliquerant, Barbaris dedidit, & vrbem sanctificationis,& Cherubim gloriam,& stolam,& prophetiam & vnctionem, & thomim, in conculcationem, & contaminationem gentibus addixit: itáne nunc quidem ab omni labe puris mysteriis parcit: vt dum suis aulis minimè parcit, terrorem iis, qui peccant, iniiciat atrociorem, videlicet pœnam, ob ea quæ agunt,expectantibus. Vlulet enim abiequia cecidit cedrus: fortibus cadentibus, imbecilliora erudiantur.

MYSTIC. Gregor.

7 *Et Arca Dei capta est.* Greg.lib.3.Variar.c.1. Volente Deo ciuitatem, Templum,Arcam fœderis verus populus perdidit, vt noua plebs Sanctæ Ecclesiæ eò plenius veri,& noui Sacrificij mysterium recognoscat;quò apud Iudæos nouis apparentibus vetera penitus defecisse conliderat. Arca itaq; Dei à Philisthæis capta asseritur, quia destructo more veteri,Veteris Scripturæ Sacramenta à Gentilibus

secun

secundam veritatem spiritus fideliter accipiuntur. Capit quippe Arcam Dei qui diuinæ cognitionis mysteria in sacro eloquio per veritatem intelligentiæ mentis deuotione comprehendit.

TROPOL. Idem. 8 *Et arca Dei capta est.* Idem hom. 12. in Ezechiel. Sicut Heli ad corrigendos filios districtæ increpationis verbum non habuit, quia & eius negligentia, & filiorum exigebat vita, vt cum eis & populus caderet, & Arca capta ad Allophilos trãsiret.

MYSTIC. Eucher. *Sacerdotij veteris interitus.* 9 *Et arca Dei capta est.* Eucher. seu potius Autor. comment. in lib. Reg. cap. 6. tom. 5. Biblioth. PP. Nonnulla futurorum significat res gesta hæc. In prophetia enim Arca illa ab alienigenis capta indicabat Testamentum Dei translatum iri ad Gentes. Quando enim nunciatum est Heli Sacerdoti captã fuisse Arcam Domini, cecidit de sella, & mortuus est. Transeũte Arca Domini ad Gentes, periit, ac interiit Sacerdotium Iudæorum. Duo quoque filij Heli corruerunt: vnius vxor viduata, & mox in partu mortua est propter eandem perturbationem; quo euidenti signo præfiguratum est, per extinctum Sacerdotium Iudæorum carnalem interisse Synagogam illi carnaliter adhærentem.

TROPOL. Vualfr. 10 *Et arca Dei capta est.* Vualfridus lib. de rebus Ecclesiast. cap. 13. Ergo propter peccata hominum loca sacra à Deo negligi, testis est Arca ab Allophilis capta; Templum toties euersum, vel profanatum: & multæ Christianorum Ecclesiæ nunc à Barbaris vastatæ, vel subuersæ, nunc ignibus, vel fulminibus desolatæ: nunc terræmotibus, vel turbinibus dirutæ.

LITERAL. Euthim. 11 *Et arca Dei capta est.* Euthimius in Psal. 77. *Tradidit in captiuitatem virtutem eorum.* Psal. 77. Per potentiam, & pulchritudinem quidam intelligi dixerunt strenuos quoslibet, ac fortes Iudæorum in bello; verùm melius est vt intelligamus ipsam Arcam ita appellari, quia eo vsque vires, ac robur populo præstiterat, atque ornamentum.

LITERAL. MORAL. Theodor. 12 *Et capta est arca.* Theodor. serm. 10. de Prouid. Deus Allophilis Arcam tradidit populi iniquitatem arguens; neque enim oportebat legem propugnatorem suum facere eos, qui legem palam transgressi erant.

TROPOL. Idem. PROCOP. *Confidentia qua bona.* 13 *Et arca Dei capta est.* Idem quæst. 13. Quod factum est duplicem produxit vtilitatem, nam Hebræos docuit, vt legitimè viuentes in Dei confiderent prouidentia: legem autem transgredientes neque in ipsa, neque in Arca confiderent. Cur enim legem transgredientes Arcam ad auxilium traherent, quæ legem intus habebat sitam?

ALLEG. Berchor. *Captio arcæ quid significet.* 14 *Et arca Dei capta est.* Petrus Berchor. lib. 9. Moralitat. cap. 4. Istud exponunt aliqui sic: Per Arcam Testamenti intelligitur Lex diuina, seu etiam fides Catholica: per Heli vero & filios Israël, intelligitur populus Iudaicus: per Philisthæos verò intelligitur populus Gentilis, quibus Dagon, qui interpretatur *piscis tristitia*, id est Diabolus, erat Dominus, atque Deus. Ista ergo fuit veritas, quod cum bellum, & controuersia fuit semper inter Israël, & Philisthæos, idest inter Iudæos & Gentiles, ita quod ipsi Iudæi in Arca Testamenti, idest in lege, & fide gloriarentur, & eius virtute se esse saluandos, & liberandos opinarentur, nutu Dei factum est, quòd ista Arca, scilicet, lex & fides ad Philisthæos, idest Gentiles transiuit, in quantum scilicet isti fidem Christi, quam Iudæi abnegarant, susceperunt, & in loco Dei sui posuerunt. Vel dic quod arca Dei est Ecclesia, quæ reuera tum temporis a Philisthinis capitur, idest a sæcularibus deprimitur, & à Tyrannis & Principibus affligitur, quando ab Heli sene & cæcutiente, qui lucernam extinctam videt, meliùs quàm accensam regitur, idest quando à Prælato segne & negligente, cæcutiente & ignorante, affectu etiam malos melius, quàm bonos vidente, & promouente gubernatur, & quando à malis suis filiis, idest à malis Sacerdotibus, & Clericis, & aliis Ecclesiæ subditis conducitur, & tractatur.

MYSTIC. Glossa. *Sancta crucis translatio.* 15 *Et arca Dei capta est.* Gloss. Ordin. ibi. Per pugnam Philisthinorum contra Israël, quæ describitur hic allegoricè significatum fuisse videtur bellum Persarum sub Cosrhoë Rege contra Catholicos in terra Iudææ. Quia sicut in isto bello filij Israël fuerunt debellati, & Arca Dei fuit capta, sic in bello Cosrhoë Catholici partim occisi fuerunt, & partim captiuati, & sancta Crux fuit capta, & transportata fuit in terram Philisthinorum de qua transportatione dicitur in fine capituli: *Translata est gloria ab Israel.* Et idem dici potuit de sancta Cruce, quæ est gloria plebis Christianæ. Galat. 7. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV CHRISTI.* Galat. 7.

MYSTIC. Angelom. 16 *Et arca Dei capta est.* Angelom. in Stromatib. cap. 4. Hic in hoc quod ab alienigenis Arca capta dicitur, præfigurabatur à Gentibus duo Testamenta accipienda esse, quæ per Arcam significari diximus.

LITERAL. Rupert. 17 *Et arca Dei capta est.* Rupert. lib. 3. in Genes. cap. 13. Si Psalmistæ rectè licuit dicere: *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus: tanquam potens crapulatus à vino.* Psalm. 77. pro eo quod tardiusculè subuenit, capta quippe fuerat iam Arca, & Sacerdotes eius in gladio ceciderant Ophni, & Phinees; quanto magis tunc, tanquam crapulatus à vino toto meridie dormisse dicendus est, quando illo tacente tantum malum vniuerso generi humano paratum est? Psalm. 77.

LITERAL. Incog. 18 *Et arca Dei capta est.* Michaël Aiguan. aliàs dictus Incognitus, in Psalm. 77. vers. 1343. Arca Dei capta fuit, & ducta ad terram Philisthinorum, & consequenter Tabernaculum in quo manebat Arca in Silo fuit dissipatum, & hæc commemorans Psalmista dicit. *Et repulit Tabernaculum Silo.* Quia scilicet capta Arca Tabernaculum illud dissipatum fuit. Notandum autem quod tota ista repulsio ortum habuit à peccatis Sacerdotum filiorum Heli, ad denotandum quòd peccata maximè Clericorum iram Dei prouocant in populum. MORAL.

LITERAL. Abul. 19 *Et arca Dei capta est.* Abul. ibi quæst. 16. Quia omnes fugiebant in Tabernaculum suum vrgente bellò magno Philisthinorum, ideò nec potuerunt reducere Arcam, nec curauerunt, aduertentes solùm quomodò saluarentur per fugam.

LITERAL. Caiet. 20 *Et arca Dei capta est.* Caietan. ibi in comment. Nomen scribitur *Elohim*, vt iusto Dei iudicio scribatur capta Arca.

HISTOR. Valent. 21 *Et arca Dei capta est.* Christopolitanus in Psalm. 77. Postquam occisa sunt in bello triginta millia, intrauerunt per ciuitates, & incenderunt eas igni. Ideo sequitur: *Iuuenes eorum comedit ignis cum tota subitantia, & virgines eorum non sunt lamentatæ*; idest non fuit factus pro eis fletus consuetus, & lamentatio, quæ solebat fieri pro virginibus. Nam cùm aliqua virgo moriebatur sine prole, parentes eius, & consanguinei deflebant eius virginitatem quadraginta diebus. Sed in illo miserabili excidio non potuit talis lamentatio fieri, nec obseruari; quod omnes perierunt, nec remanserunt aliæ virgines, & amicæ, quæ cæteras virgines mortuas deflerent. Item Sacerdotes eorum, scilicet

scilicet Ophni, & Phinees, & cæteri portantes Arcam in gladio ceciderunt.

MORAL. Mend. 22 *Et arca Dei capta est.* Franc.Mend.ibid.§.5. Diuino iudicio efficitur, vt Arca priuentur, qui eam debito cultu non venerantur. Solet enim Deus in illis rebus homines punire, in quibus homines peccant.

MORAL. Author Catenæ. 23 *Et arca Dei capta est.* Author Catenæ. Diuinæ vindictæ Arca quoque totius misericordiæ ministra obnoxia fuit, vt diuini furoris impetus præuaricatoribus innotesceret. Vnde non sine admiratione Dauid Psalm.77. *Repulit Tabernaculum Silo: Tabernaculum suum vbi habitauit in hominibus.* Vbi alij vertunt: *Repudiauit.* Arabicè autem: *Damnauit Tabernaculum.* Ac si reum etiam Tabernaculum fuisset medio quo tot Hebræi recepissent beneficia. Similiter etiam pœna inferenda videtur Soli, Lunæ, Stellis, & Elementis ante iudicij vniuersalis diem, quæ obstinatis peccatoribus tot per sæcula inferuierint. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem* Ioël.2.31. & iterum, *erunt signa in Sole & Luna, & Stellis.* Luc.21. Ex hac etiam, Tabernaculi sui abiectione, illis comminabatur Deus Ierem.7. Qui nimium de Templi Dei protectione confidentes iactitabant. *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini.* Quibus non sine irrisione Dominus. *Ite,* inquit, *ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel.* Quæ aptè ponderat Hieronymus ad præfatum locum tom.5.

Ira Dei magnitudo. Psalm.77. Versio Arabica. Ioël.2.31. Luc.21. Ierem.7. Hieron.

LITERAL. Aut.Caten. Psal.77. Hieron. 24 *Et arca Dei capta est.* Author Catenæ. De hac Arcæ amissione communiter Interpretes exponunt illud Psalm.77. *Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Vbi Hieronymus: *Tradidit in captiuitatem virtutem suam, & decorem suum in manus hostis.* Seu vt est in Textu Trebeti, & Victorij: *Tradidit in captiuitatem gloriam suam.* Alij *fortitudinem suam, & gloriam suam.* Psalterium autem Romanum, & Gallicanum, immo & Gregorius 8. Moral.30. vel 37. *Virtutes & pulchritudines.* Nota ergo criminum atrocitatem, quæ quasi Deum impulerunt, vt virtutem suam, ipsius inquam Dei, seu virtutes, & pulchritudines suas, fortitudinem & gloriam, quæ resplendebant in Sanctuario, & Arca, hostibus tradiderit in derisum & in deprædationem; vt habet Versio Illirica dicto Psalmi loco.

Trebet. Victorius. Psalter. Roman. Gallican. Greg. Versio Illirica.

TROPOL. Tertullian. 25 *Duo quoque filij Heli mortui sunt.* Tertullian. aduersus Physicos. cap. 16. Hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens sacrificiorum carnalium detraudatrix.

MORAL. Nazian. *Dei vindicta.* 26 *Duo quoque filij Heli mortui sunt.* Gregor. Nazianzen.Orat.ad Episcop. Quid de filiis Heli dicam, quibus ingluuies pestem & exitium accersiuit, quòd profanas manus sacris ollis iniecissent? Quin ne ipse quidem Heli mortem effugit. Nam huic quoque tametsi alioqui viro bono, ac iusto, impia filiorum ingluuies perniciem inuexit, quamlibet eos asperioribus verbis, probrisque iniectari non destitisset.

HISTOR. Æphræm. 27 *Duo quoque filij Heli mortui sunt.* Æphræm Syrus lib. inscripto. *Confessio & cui reprehensio.* Nadab, & Abiu mortui sunt, cum illis ne spatium quidem pœnitentiæ ac se defendendi concessum sit. Ophni quoque & Phinees hos imitati, quia in insolentia, & arrogantia perstiterunt, eidem iudicio subiecti sunt.

TROPOL. Basil. 28 *Duo quo filij Heli.* Basil. proœmio de Iudicio Dei tom.2. Eo igitur quòd in filios pater, cùm essent tales, non se vehementer adhibuerit, eiusmodi aduersùm eos, clementissimi alioqui Dei iracundiam concitauit, vt facta contra ab alienigenis impressione illi ipsi eius filij vno & eodem die in prælio trucidari occubuerint, & populus fuerit vniuersus debellatus, quamplurimis ex eo internecione consumptis, eaque in Arcam Sacrosancti Testamenti secuta sint, quæ ante illam memoriam nemo vnquam audiuerat.

Pœna filiorum Heli.

TROPOL. S Antioch. 29 *Duo quoque filij Heli.* S.Antioch.hom.114.De Obseruantia Mandati. Filij Heli, cum illis immorigeræ aures obcalluissent ad vocem paternæ monitionis, nec paruissent dicto, Arcam quidem Dei in manus alienigenarum tradiderunt: ipsi autem vnà cum populo meritam mercedem retulerunt, miserrima morte perfuncti.

TROPOL. Peluſiota. 30 *Duo quoque filij Heli.* Isidor.Peluſiota.Ep.20. in lib.1. Quis orabit pro te quandoquidem nec pro Ophni, nec Phinees, qui aduersus Deum, ipsiúsque sacerdotium peccauerant, inuentus est quisquam, qui deprecatoris partes susciperet; verùm in exmum exitium, vt Sacerdotis dignitatem prodentes coniecti sunt?

TROPOL. Idem. *Gula progeri.* 31 *Duo quoque filij Heli mortui sunt.* Idem Epist.69. in lib.1. An non gula primos parentes à deliciis expulit? An non satietas Esau primogeniorum iure, & libertate spoliauit? An non superfluus boum, ac pecudum esus Saülem & Regno & vita exturbauit? An non carnium, & alliorum cupiditas Israëlem in deserto cõmorantem innumeris tormentis & tentationibus confecit? An non rabidus venter, & carnium ereptio, & crapula, & insanus mulierum amor effecit, vt Ophni & Phinees, & Arca, Sacerdotio, & Tribuum imperio, & gloria, & honore truncati hostili gladio trucidarentur?

TROPOL. Innocent. *Luxuria progeri.* 32 *Duo quoque filij Heli.* Innocent.III. lib. de Contemptu mundi. cap. 4. Quis multiplices species luxuriæ sufficienter valet explicare; Hęc enim Pentapolim cum adiacenti regione subuertit. *Genes.*19. Si Sodomitas, si Sichen cum populo interemit *Ibidem* 34. Si raptores Dinæ Her, & Onam filios Iuda percussit. *Ibidem* 38. Si immundos Iudæum, & Madianitidem pugione transfodit. *Numer.* 25. Si fornicatores Tribus Beniamin pro vxore Leuitæ deleuit. Si adulteros filios Heli Sacerdotis in bello prostrauit. 1. *Regum.*4. Amon in conuiuio interfecit, si stupratores quæras, sacrilegos, & incestuosos.

LITERAL. Aug. 33 *Duo quoque filij Heli.* Augustlib.17.de Ciuit. Dei, c.5. in tom.5. *Hoc tibi signum quod veniet super duos filios tuos Ophni, & Phinees, die vno morientur ambo.* 1. *Reg.*2. Hoc ergo signum factum est mutandi sacerdotij de domo huius, quo signo significatum est mutandum Sacerdotium domûs Aaron; mors quippe filiorum huius significauit mortẽ non hominum, sed ipsius Sacerdotij de filiis Aaron.

HISTOR. Aug. 34 *Duo quoque filij Heli.* Idem in Psal.77.tom.8. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt.* Psalm. 77. Ceciderunt enim in gladio filij Heli, quorum vnius vxor viduata, & mox in partu mortua propter eandẽ perturbationẽ plãgi non potuit honore funeris.

MYSTIC. Gregor. 35 *Duo quoque filij Heli.* Gregor.suprà. Capta Arca duo protinus filij Heli moriuntur, quia profecto, & maioris ordinis Sacerdotes, atque minoris in officio immolationis veteris nusquam viuũt. Mori namque perhibentur qui offerre sacra omninò desiêre.

MYSTIC. Angelom. 36 *Duo quoque filij Heli.* Angel.in Stromatib. Per Ophni, qui *discalceatus*, & per Phinees, qui

qui dicitur *ex mortuum*, per quos significari diximus longè superiùs Sacerdotium Iudæorum, qui modo mortui referuntur, ipsius sacerdotij finis intelligitur. Qui bene postquam Arca capta est, mortui referuntur, quia postquam duo Testamenta ad sapientes illius sæculi, & Gentiles peruenerunt, sacerdotium Iudæorum funditus finem accepit, & exigentibus peccatis exterminatum est, & ipsi Sacerdotes à Gentibus interfecti sunt.

TROPOL. Theodor. *Impiu arca noa profuit.*

37 *Duo quoque filij Heli.* Theodor. Orat. 1. in Danielem. Postquam Ophni & Phinæes Heli sacerdotis filij, & impij, & detestabiles, Arcâ sibi assumptâ ad suppetias cognatis ferendas exière, redarguit ipsorum impietatem Deus, nullaque eos prouidentia dignatus, digna cæde interficiendos curat: Arcam verò alienigenis tradit, Israelem rursus erudiens, & commonefaciens ea sibi Arca nihil opus esse, sed ipsorum causa illam construxisse, & superuacaneum ipsis quoque illius vsum sine metu diuinam violantibus legem, & impiè viuere instituentibus.

TROPOL. Idem.

38 *Duo quoque filij Heli mortui sunt.* Idem in Psal. 77. *Sacerdotes eius in gladio ceciderunt* Ophni & Phinees sacerdotes, qui Arcam ipsam inuexerant, cæsi sunt; ab ipso rerum euentu edocti, ne diuina opefreti sint, qui delinquere pergunt.

MYSTIC. Isidor.

39 *Duo quoque filij Heli.* Isidor. Hispalens. lib. Allegoriar. Veteris Testament. Duo filij Heli Sacerdotis, qui capta à Gentibus Arca perempti sunt, significant posteritatem sacerdotij prioris fuisse extinctam, & legis Testamentum ad culmen Gentium esse translatum.

MORAL. Incognit.

40 *Duo quoque filij Heli.* Incognitus. in Ps. 77. vers. 1347. Nota quòd inter omnes interfectos in illo prælio, solum de duobus istis Sacerdotibus fit specialis mentio, quia ipsi propter ipsorum peccata causa fuerunt totius istius detrimintis, & quod sic Deus populum deceperet.

HISTOR. Incognit.

41 *Duo quoque filij Heli.* Idem ibidem. Isti autem bello intererant, non causâ pugnandi, sed custodiendi Arcam Testamenti, quam iidem portauerant ad castra. Inito ergo certamine, & superato populo, Dei Arca fuit capta, & illi duo Sacerdotes interfecti. Nam nuntius, qui primò venit in Silo nuncians finem belli dixit ipsi Heli: *Fugit Israel coram Philistiim, & ruina magna facta est in populo. Insuper & duo filij tui mortui sunt Ophni & Phinees, & Arca Dei capta est.*

Ordo cladis.

LITERAL. Abul.

42 *Duo quoque filij Heli.* Abul. ibi. q. 16. Isti duo erant in custodia Arcæ, quia erant Sacerdotes Domini, & portauerant eam de Silo, vt patet suprà. Nunc autem cùm fortè ipsi vellent custodire eam, corruerunt simul; sic enim prædixerat Vir Dei quòd isti morerentur vna die, suprà c. 2.

LITERAL. Idem. *An filij Heli salui fuerint.*

43 *Duo quoque filij Heli.* Idem ibidem, q. 17. Quæret aliquis de statu istorum duorum, scilicet an rationabiliter dici possit, quòd isti æternaliter perierint, vel salui sint? Respondendum est non esse negandum, quin isti nimis peccauerint: sed non infertur ex hoc, nec apparet rationabiliter dictum, quòd propter hoc perierint, quia postquam peccauerunt, habuerunt tempora multa in quibus de peccatis doleret, & non perirent: potissimè quia isti videntur mortui in actu virtuoso, scilicet in custodia Arcæ, & non fugerunt de bello relinquentes Arcam, cùm fortassis à principio potuissent fugere, & euadere; in quo ipsi merebantur morientes in gloria Dei sui & honore populi Israel.

Pulchrum mori cùm vitæ vtilitatem decorat.

TROPOL. Lorin.

44 *Duo quoque filij Heli.* Ioann. Lorin. in Psalm. 77. vers. 60. tom. 2. Cùm aliqua saltem ex parte causa extiterint peccata filiorum Heli Sacerdotis Ophni, & Phinees, patrisque nimia in illis reprehendendis indulgentia, facilitásque, cur Tabernaculum, & Arca repelleretur de Silo, & populi ederetur strages tanta; vereri possumus, ne similis in clericis, & Ecclesiasticis nostris culpa concitet in Ecclesiam totam graues calamitates, plagásque ab irato Deo, & illis scientiam repellentibus, repellat eos Deus, ne sacerdotio fungantur. Osee. 4. 6.

Ecclesiastici quantùm noceant malè viuentes.

TROPOL. Mendoz.

45 *Duo quoque filij Heli.* Francisc. Mendoza ibi. §. 23. Moriuntur autem omnium nouissimi, vt non solùm sua, sed etiam suorum morte crucientur, & qui omnium culparum autores fuerant, omnium pœnarum participes efficiantur.

LITERAL. Author Caten. Philo. *Quis sacerdotes occiderit.*

46 *Duo quoque filij Heli.* Autor Catenæ. A quonam interfecti fuerint in bellica, & tumultuaria strage quis comperiit, cùm nec Textus referat, nec Autor vllus temporis illius? Philo tamen Biblicus, quisquis libri illius Antiquitatum Biblicarum Autor extiterit; nam liber hic inter Philonis Iudæi opera à nullo antiquiorum enumeratur à Golia Gigante occisos fuisse affirmat; Saülem autem qui vnà cum eis fortiter in custodia Arcæ pugnaret, fuga celeri ex eiusdem manibus ereptum. Verum hæc à doctis vt fictitia, & sine vllo fundamento iure exploduntur.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. Salian. Greg. Caietan. *An filij Heli salui fuerint:*

47 *Duo quoque filij Heli.* Autor Catenæ. Salui ne fuerint, an damnati disputat Abulensis. Negat saluos fuisse Salianus; sed incerta est omnino resolutio. *Quis* enim *consiliarius eius fuit?* Patres aliquot Gregorius, Caietan. & alij eorum damnationem indicant, dum miserrimam, & turpem eorum mortem appellent, & obduratis cordibus eos vocent. Parum tamen verba hæc, licet acriora, probant, si de sola temporali morte locutos eos, dixeris, quæ medio ætatis flore miserrima quidem fuit. Quod autem grauissima peccata commiserint, & in peccatis per tempus aliquod immorati fuerint, parum etiam probat, cùm tandem potuerint pœnituisse, vt plures alij. Vnde libentius cum Abulensi crediderim saluos eos fuisse, tum quia contrarium non constat: tum quia id mihi suadet necis occasio, in executione scilicet sacerdotalis muneris, nimirum Arcæ custodia, in quo quidem viriliter se gesserunt, siquidem nec aliorum exemplo vitæ, nec vxoribus, nec liberis consultum fugâ voluerunt. Adde in piæ huius opinionis confirmationem sententiam Bachiarij in celebri illa epistol. ad Ianuarium de Recipiendis Lapsis, ante medium, tomo 5. Biblioth. PP. qui Sacerdotes Heli, & filiorum eius nepotes pro Dauide à Saüle occisos, infrà, cap. 24. Martyres vocat; ratio autem vtrorumque dissimilis non est. Lubet eius verba adscribere. *Sicut enim* (sic ille) *illa sacerdotalis familia de Heli cognatione, cui iurauerat Dominus, vt nullus de ipsis ante faciem eius assisteret, eo quod grauibus peccatis Dominum prouocasset: Nonne omnis illa cognatio pro Dauide à Saule refertur occisa, & quid est hoc, nisi forma martyrij? vt quos grauis peccati crimen inuoluerat, mors pro Christo illata liberaret.* Quem etiam Martyrum titulum eisdem præbet Beda. lib. 1. Expositi. Allegor. Ego neutros Martyres dixero, sed Bachiarij, & Bedæ autoritas filiis Heli multùm fauet, ne de æterna eorum salute desperemus.

Abul. Bachia. Beda.

VERSVS

VERSVS XII.

Vulgata. *Vulgata.* Currens autem vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, & conspersus puluere caput.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica. ex Xante Pagnino.* Et cucurrit vir de Beniamin ex acie, & venit in Silo in die illa, & vestes eius scissæ erant, & terra super caput eius.

Vatab. *Hebraic. ex Francisc. Vatabl.* Currens autem quidam ex Beniamin de acie, venit eodem die in Silo, cui vestes scissæ erant, & terra super caput eius.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et cucurrit vir ex tribu domus Beniamin ex acie, & venit ad Silo in die illo, & vestes eius scissæ, & puluis congestus in capite eius.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et cucurrit vir Ieminæus ex acie, & venit in Silo in die illa, & vestes eius ruptæ, & terra super caput eius.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et cucurrit vir Ieminæus è prælio, & venit in Selon in die illa, & vestimenta eius discissa, & terra super caput eius.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Currens autem vir de Beniamin.* Gregorius libr. 3. Variarum, c. 2. Quid per virum istum exprimitur, qui de acie fugit, nisi ea pars Iudaici populi, quæ ad Redemptoris fidem veniendo Iudaicam perfidiam dereliquit? Currere namque eius fuit à prauitate erroris sui deuotionis velocitate desistere. Quia verò fortia agere in Redemptoris professione disposuit, vir fuit, qui nimirum eo die, quo victus est, de prælio currit, quia ea fidei illuminatione, qua perfidiæ tenebras deseruit, ad prædicandum veritatem, quam nouerat, accessit. Vnde & in Silo venisse perhibetur, quia ad prædicandum mittitur.

Mystic. Beda. 2 *Currens autem vir de Beniamin.* Beda lib. 1. Exposit. Allegor. cap. 9. Currens & citam salutis suæ curam gerens populus, qui pereuntibus ob perfidiam Iudæis, remansit, audiens ab Apostolis: *Saluamini à generatione ista prana.* Actor. 2. Venit ad erudiendos eos, qui euacuati à Christo adhuc in lege gloriabantur, & quasi Tabernaculum Domini in Silo, absque Testamenti Arca seruabant. Vtque facilius audientes ad pœnitentiam prouocaret scisso prorsus omni vetusto habitu, & tota suæ priscæ fiduciæ fortitudine pro nihilo despecta, lutuolus apparuit. Vir igitur iste Beniaminæus, vel populum Ecclesiæ primitiuæ, vel aliquem illius zeli Doctorem filium scilicet dexteræ fidei; vel certè Apostolum Paulum, qui & Beniamin de Tribu descendit, qui nouissimus Apostolorum cùm sit, plus omnibus in prædicando laborauit, insinuat.

Act. 2.

Pauli laus.

Histor. Comest. 3 *Currens autem vir de Beniamin.* Petrus Comest. in Histor. Scolast. Cucurrit autem puer Beniamita ex acie, & indicauit in Silo quod factum fuerat.

Literal. Abul. 4 *Currens autem vir de Beniamin.* Abulens. ibi quæst. 18. De isto Viro dicunt quidam Iudæi, quòd erat Saül, & addunt quòd in bello iste vidit Goliam Philisthæum eduxisse tabulas testimonij de Arca, & rapuit de manu illius, adduxitque in Silo. Sed istud valde est fictitium; non enim videtur quòd Saul tunc fuerit talis Vir, vt posset in bello esse, quia adhuc esset paruus ætate; potissimè quia non auderet ipse, neque aliquis de Israel occurrere Giganti viro, scilicet Goliath; nam ipse temporibus Dauid exprobrauit Israelitis quadraginta diebus clamans, si quis auderet congredi cum eo singulariter? & nemo audebat in toto Israel, sed ipse Rex Saul timebat eum nimis, & dicitur quòd omnes Israelitæ, cum vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valde; de hoc *infra, cap.* 17. Quomodo igitur Saul auderet congredi cum viro ita potenti? Item quia quanquam auderet congredi, non videtur quomodò ipse eripere potuisset de manu illius tabulas, magni enim roboris erat vir ille Philisthæus. Item quia non posset fugere vir iste de bello, si portaret secum tabulas, quia illæ erant lapideæ, & aliquanti ponderis.

Hebræorum figmentum.

Histor. Mendoza. 5 *Currens autem vir de Beniamin.* Francisc. Mendoza, ibi. §. 3. Alij Rabbinorum fatentur quidem hunc cursorem fuisse Saülem, cum tabulis legis de prælio festinantem, quas tamen ipse non de manu Goliæ, sed de ipsa Arca extraxisset. Cùm enim videret Arcam iam captam aut sine dubio capiendam, promptum aduolasse, eaque apertâ legis tabulas eripuisse, ne hoc saltem spolio sacratissimo hostilis acies frueretur. Verùm & his alij repugnant existimantes, ne in hoc quidem casu Sauli licuisse Arcam tangere, ne dum aperire, idque si temerarius auderet, non impunè abiturum.

Rabbinorum deliria.

Literal. Abul. 6 *Venit in Silo die illa.* Abul. ibi. q. 18. Scilicet in die qua percussus est Israel à Philisthiim; hoc autem quia modicum distabat ciuitas Silo à loco belli.

Literal. Mendoza. 7 *Venit in Silo die illa.* Francisc. Mendoza, ibi. §. 1. Hic consulens communi bono non in domum suam, quæ erat in Tribu Beniamin, vnde ipse dicitur oriundus, sed in vrbem Silo de Tribu Ephraim, vbi erat summus Sacerdos, aduolauit, vt renuntiaret cladem, & de remedio, si quod adhibendum videretur, admoneret.

Mystic. Gregor. 8 *Scissa veste, & conspersus puluere caput?* Gregorius suprà. Vestem scidit (Iudæus conuersus) quia veterem se hominem exuit: caput puluere conspersit, quia de splendore noui hominis, quo se induit, nequaquam superbit; scissa namque vestis ad decorem sanctæ conuersationis pertinet: conspersio puluueris ad æstimationem humilitatis.

Literal. Abul. 9 *Scissa veste conspersus puluere caput.* Abulens. ibi quæst. 18. Hoc faciebat ad significandum magnum dolorem; erat enim consuetudo antiquis, vt quando audirent aliquid durum, scinderent vestimenta sua significantes maximum dolorem; sic enim patet sæpe in libris Regum, & Paralipomenon, aliisque Historicis Veteris Testamenti. Legitur etiam mansisse ista consuetudo vsque ad tempus Saluatoris, *Matth.* 26. Erat autem aliquid speciale, quando denunciabatur destructio bellica, quia non solum scindebant vestimenta, sed etiam conspergebant capita puluere, & hoc quia significabatur adhuc durior dolor; sic enim iterum factum est, cum venit nuntius de bello ad Dauid nuncians, quòd periisset Israel in bello, vt patet *infra*, 2. *Reg.* 1.

Vestes scindere quid?

Eadem.

Matth. 26.

LITERAL. 10 *Scissa veste, & conspersus puluere caput.* Autor Catenæ. Ideſt, habens caput puluere, conſperſum; quæ figura eſt, quam dicunt *Hypallage*, ſeu *Hysteronprotheron* Græcis & Poëtis maxime familiaris. Virg. 12. Æneid.

Author Catenæ.

Vestes scindere quid?

Virgil. *Et roseas laniata genas.*

Veſtium autem diſciſſionem ingentis doloris demonſtrationem eſſe in vtriſque Litteris quis ignorat? Abulenſis, & Mendoza multiplicem ſcindendi veſtes rationem, ſeu occaſionem enumerant. Sed me iudice omnes in hanc vnam includi neceſſe eſt, ſcilicet ad manifeſtandum maximum dolorem ex quocumque graui malo, ſeu ex audita in Deum blaſphemia, vt fecit Caiphas, cùm Chriſti Domini reſponſum tale credidit. *Matth. 26.* ſeu ex peccatorum contritione *Ioſue 7. 6.* ſeu ex infauſto nuntio, & accepta clade *vt hic*, & *Iob. 1. 20.* & alibi ſæpè. In idem recidit caput puluere conſpergere, quod vehementis mali, mœroris, & pœnitentiæ indicium eſt, etiam apud profanos, & Poëtas. Vtrumque de Latino Rege cecinit Maro 12. Æneid. dicens.

Abul. Mend. Matth 26. Ioſue 7. Iob 1.

Virgil. ——*It scissa veste Latinus*
Coniugis attonitus fatis, vrbisque ruina.
Canitiem immundo perfusam puluere turpat.

Cuius etiam plura exempla congerit eruditus noſter Ioannes Ludouicus de la Zerda dicto loco, & lib. 10. Æneid. Iacobus quoque Pontan. Ibidem. Tiraquellus lib. 3. in Alexand. cap. 7. qui latius de his apud varias gentes conſuetudinibus egerunt, & exemplis confirmant ex ſacra Pagina deſumptis.

Zerda. Pontan. Tiraquell.

VERSVS XIII.

Vulgat. *Vulgata.* Cúmque ille veniſſet, Heli ſedebat ſuper ſellam contra viam ſpectans. Erat enim cor eius pauens pro Arca Dei. Vir autem ille poſtquam ingreſſus eſt, nunciauit vrbi: & vlulauit omnis ciuitas.

Author Catenæ. *Autor Catenæ.* Exemplaria loco *enim* alia, habent coniunctionem *autem* vt Benedictina: alia loco *ſpectans* habent *expectans.* Sic Greg. Abul. & alij, ſeu *ſpeculans.* vt habet Text. Gloſſ. Ordin. in margine.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïca ex Xante Pagn.* Et venit, & ecce Heli ſedebat ſuper thronum ad latus viæ ſpeculans; erat enim cor eius pauens propter Arcam Dei, & vir venit ad nunciandum in ciuitate, & clamauit omnis ciuitas.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Cúmque veniret, ecce Heli ſedebat ſuper ſellam reſpiciens verſùs viam, cor enim eius erat conſternatum propter Arcam Dei. Et vbi vir ille veniſſet in ciuitatem & nunciaſſet, vociferata eſt tota ciuitas.

Ariaſm. *Chaldaica ex Bened. Ariaſm. in Regia.* Et venit, & ecce Gheli ſedens ſuper cathedram ſuper gradum viæ portæ proſpiciens, quoniam fuit cor eius tremens ſuper arcam Domini. Et vir venit ad nunciandum in vrbe, & turbata eſt omnis ciuitas.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et quando venit, ecce Heli ſedébat ſuper ſellam ſuam ad portam ſpeculans viam, quia erat cor eius pauens pro Arca Dei. Et homo ingreſſus eſt ad nunciandum in ciuitatem, & vlulauit tota ciuitas.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et venit, & ecce Heli ſuper ſellam apud oſtium ſpeculans viam, quoniam erat cor eius pauens pro Arca Dei. Et homo intrauit in ciuitatem ad annunciandum, & exclamauit ciuitas.

Caiet. *Caietan. in comment.* Et vir venit annuntiando ciuitati, & vlulauit tota ciuitas.

Vatab. *Vatabl. in Schol.* Heli ſedebat ſuper ſellam in loco viæ aſpiciens. *Ideſt iuxta viam, quæ ducebat ad caſtra reſpiciens, & expectans.*

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Mendoza. 1 *Cumque ille veniſſet.* Franc. Mend. ibi §. 1. Scilicet in vrbem, antequam accederet ad Heli: neque enim ſtatim ad Sacerdotem conuolauit, fortè à vulgo ſciendi auido detentus, aut veritus infauſto nuntio Pontificem ſauciare.

MYSTIC. Gregor. 2 *Heli ſedebat ſuper ſellam contra viam.* Greg. Variar. cap. 2. Quid eſt quòd ſedet ſuper ſellam, niſi quia ſuperbè extollitur de doctrina? Et quid eſt quòd ſpectat contra viam, niſi quia dum ſuperbè ſcripturas accipit, ei, per quam ire ad æternam patriam debuit, contradicit? Via quippe ſalutis illa eſt, quæ ſemetipſam aſſerit dicens: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Ioann. 14. Non itaque viam, ſed contra viam reſpicit, quia Redemptorem non cognoſcit, cui contradicit. Et bene mortuis filiis pater ſuper ſella ſedere dicitur, quia qui in veteri more ſacrificent, Synagoga non habet, & tamen qui veteri more doceant, adhuc habet.

Ioann 14.

LITERAL. Beda. 3 *Heli ſedebat ſuper ſellam contra viam.* Beda lib. 1. expoſit. Allegor. cap. 9. Cum Doctor noui Teſtamenti ſciſſo litteræ indumento apparuiſſet in Iudæa, Sacerdotium vetus adhuc, quamuis lumine amiſſo, ſedebat ſuper cathedram Moyſi, ſed contra Chriſtum, qui eſt *via, veritas & vita* Ioann. 14.

HISTOR. Comeſt. 4 *Heli ſedebat ſuper ſellam.* Petrus Comeſt. in Hiſtor. Scholaſt. cap. 6. Heli ſedebat contra viam, quæ ducebat ad caſtra ſpectans, ideſt auſcultans, iam enim cæcus erat, vt tradunt Hebræi, ideſt non cæcutiens. *Eadem verba habet* Nauclerus. Naucl.

LITERAL. MORAL. Author Catenæ. 5 *Heli ſedebat ſuper ſellam.* Autor Catenæ. Prope ianuam Tabernaculi, vbi ſediſſe dicitur *cap. 1. verſ. 9.* Cùm orantem Annam tanquam ebriam reprehendit; ibi enim, vt creditur, ius populo tanquam index dicebat, & diiimebat lites. Ibi autem ſediſſe indicant Septuaginta in Sixtia. *Heli ſuper ſellam apud oſtium.* Quod ſupponere videntur Tertullian. lib. aduersùs Phyſicos, cap. 6. & Vvalfridus lib. de rebus Eccleſiaſtic. cap. 13. Ibi ergo cecidit, vbi olim Annam deriſit.

Sixtia. Tertullia. Vvalfr.

LITERAL. Abul. 6 *Erat enim cor eius pauens pro Arca.* Abul ibi. quæſtion. 18. Heli enim cognouerat iniquitates filiorum ſuorum & peccata populi; ideò timebat ne ipſis pereuntibus in bello caperetur Arca, vnde contra eius voluntatem educta eſt de Silo. Sed prænaluit ſententia populi, quia omnes iudicauerant eſſe Arcam deducendam in caſtra. Erat igitur pauens Heli pro Arca, quia magis ſuſpicabatur malum, quàm bonum; timebat enim pro filiis, de quorum periculo adhuc certior erat, quia prænuntiatum fuerat ſibi, quod vna die morerentur ambo, *ſuprà cap. 2.* Nunc autem credidit hoc maxime poſſe fieri in bello. Sed non tantum pro eis timebat,

quia

quia sciebat mortem filiorum suorum esse incuitabilem, vel tunc, vel postea nec quidem communem mortem, sed violentam, quia alias non prænuntiaretur vt in pœnam. De Arca autem Dei nihil prænuntiatum fuerat, ideò timebat ne fortè peccata populi demererentur eam capi, potissimè quia etiamsi vtrumque constaret, sibi ipse magis doleret pro Arca, quàm pro filiis, eo quod in Arca erat communis salus, & gloria totius populi: in duobus autem filiis suis nullum bonum Israelitarum erat.

LITERAL. Caietan. 7 *Erat enim cor eius pauens pro Arca.* Caietan. ibi. Rectè redditur sensus, & eius ratio, tremor videlicet cordis soliciti pro Arca Elohim, ne eueniret quod euênit.

MYSTIC. Beda. 8 *Vt vlulauit omnis ciuitas.* Beda suprà. Euangelizauit Doctor, & pœnituit auditor; audito quippe scelere, quod in Saluatoris nece commiserant, compuncti sunt corde Iudæi, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: *Quid faciemus viri fratres.*

HISTOR. Iosephus. 9 *Et vlulauit omnis ciuitas.* Ioseph. lib. 5. Antiquitat. cap. 12. alias 17. Hanc cladem, & Arcæ captiuitatem postquam in Siluntem Beniamita quidam iuuenis ægrè seruatus è prælio renunciauit, tota vibe repleta luctu, Heli Pontifex ad alteram portam sublimis in Stella sedebat.

LITERAL. Abul. 10 *Et vlulauit omnis ciuitas.* Abul. ibi q. 18. Erat enim istud malum, vniuersalis calamitas, ideò omnes vlulauerunt in cœlum, putantes se penitus fuisse consumptos.

LITERAL. Mendoza. 11 *Et vlulauit omnis ciuitas.* Franc. Mend. ibi §. 14. Hoc est inconditis clamoribus, & misera comploratione lamentata est, non solum quòd suas quisque res amitteret, filios, coniuges, parentes, & cognatos, verùm etiam quod suas quisque spes amissse sibi videretur, cùm nihil humani, nihil diuini auxilij ad quod confugerent, superesset. Dicitur autem tota ciuitas vlulasse, vt non solum inconditus, sed etiam insanus quidam clamor significetur. Nam vlulatus sunt voces quædam bellunæ, seu lapinæ sine ratione prolatæ, quales illa ciuitas, furenti similis, præ dolore excitabat.

HISTOR. Sabell. 12 *Et vlulauit omnis ciuitas.* Sabell. Enead. 2. lib. 7. Fama aduersæ pugnæ ad Silonem perlata, non minorem attulit luctum, quàm si eo ipso prælio omne Iudaicum nomen interiisset. Augebat atrocitatem cladis sacri fœderis iactura: Vulgo prædicari venisse tempus quo pietatis pignore, numinisque fauore ad hostes translato omnis Israelis progenies cum ipso nomine extingueretur. Hic luctus animos occuparat, passunque lamentationes & planctus exaudiri.

VERSVS XIV.

Vulgata. *Vulgata.* Et audiuit Heli sonitum clamoris dixítque: quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinauit, & venit, & nunciauit Heli.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Audiuit autem Heli vocem clamoris, & dixit: Quæ est hæc vos tumultus huius? Vir autem festinauit, & venit, & nunciauit ipsi Heli.

Hebr. ex Franc. Vatab. Et audiens Heli vocem clamoris dixit: Quæ est hæc vox huius tumultus? Vir autem ille festinanter venit, & indicauit Heli. Vatabl.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et audiuit Gheli vocem clamoris & dixit: Quæ vox conturbationis huius? Et vir festinauit, & venit, & nunciauit Gheli. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et audiuit Heli vocem clamoris, & dixit: Quæ vox clamoris huius? Et homo festinans ingressus est, & nunciauit Heli. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtian. Et audiuit Heli vocem clamoris, & dixit: Quæ vox clamoris huius? Et homo festinans intrauit, & annunciauit Heli. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

1 *ET audiuit Heli sonitum clamoris.* Beda lib. 1. exposit. Allegor. c. 9. Et ad ipsas vsque Principum Sacerdotum aures pœnitentis ad exhortationem Apostolorum populi fama peruenit; nec libenter accepta est. MYSTIC. Beda.

2 *Et audiuit Heli sonitum clamoris.* Ioseph. lib. 5. Antiquit. cap. 12. alias 16. Elis Pontifex qui ad alteram portam sublimis in sella sedebat, audito eiulatu, suspicatus id quod res erat noui aliquid mali suis accidisse, iuuenem accersit. HISTOR. Ioseph.

3 *Et audiuit Heli sonitum clamoris.* Abulens. ibi quæstion. 18. Erat enim Heli suspectus de negotiis belli certior ad mala sperandum quàm salutem; ideò erat attentus si quid nunciaretur. Mox igitur, vt ciuitas clamauit, ipse commotus est. LITERAL. Abul.

4 *Et audiuit Heli sonitum clamoris.* Francisc. Mendoz. ibi §. 1. Hinc apparet misera Principum conditio, qui vltimi sua mala norunt. En tota vrbe calamitas populi vulgatur, antequam Principi Heli enuncietur. Sic excidium Niniuis prius ciuibus, quàm Regi prædicatur, vt patet ex *Iona* 3. *v.* 5. & 6. Quia nemo est qui audeat Regibus tristia & infausta denunciare. MORAL. Mendoza. *Principes vltimi sua mala audiunt.*

5 *Quis est hic sonitus?* Greg. lib. 3. Variar. cap. 2. Tumultus est vociferatio populi, sed confusa, cùm videlicet sine disciplina audiendi, multis simul loquentibus, magnitudo fit murmuris sine ostensione rationis. Heli ergo cùm vlulatum ciuitatis audiuit, dixit: *Quis est sonitus tumultus huius?* Quia videlicet magisterium Synagogæ subiectis sibi perfidis, de prædicatione IESV CHRISTI dolentibus, dum causam doloris audire voluit, non percepit responsionem rationis, sed confusionem querelæ. Vt autem excusationem ignorantiæ habere non posset is, qui de Circumcisione ad ministerium Ecclesiasticæ prædicationis accesserat, ei rei veritatem aperuit. Vnde & subditur: *At ille festinauit, &c.* MYSTIC. Gregor.

6 *Quis est hic sonitus tumultus.* Abulens. ibi. quæstion. 18. Audiebat enim Heli tumultum esse magnum, & lugubrem. Tota enim plangebat vrbs, & statim credidit esse sonitum pro aliquo malo magis pertinente ad bellum, quàm ad aliquid aliud. Distinctè tamen nesciebat; ideò quæsiuit. LITERAL. Abul.

7 *At ille festinauit, & venit.* Autor Catenæ. Heli Pontifex de rei nouitate cùm percontaretur, fortè aliquis ex præsentibus, vel famulus ad iuue- HISTOR. Author. Catenæ

nem euocandum conuolauit : ille autem vocatus festinauit, & rem totam enunciaturus venit ad Heli. Hoc indicat Ioseph. dicens : *Iuuenem accersit.* Vel enim nuntius alia via venerat, vel cum eadem, qua inerat Heli, venisset, ab ipso iam non cæcutiente, sed cæco, visus non fuerat, dum transiret.

VERSVS XV.

Vulgata. *Vulgata.* Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant & videre non poterat.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & non poterat videre.

Vatab. *Hebraica ex Francis. Vatab.* Erat autem Heli natus nonaginta & octo annorum, stabántque oculi eius, ita vt non posset videre.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et Gheli filius nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerunt, & non potuit videre.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et erat Heli filius nonaginta, & octo annorum, & oculi eius grauati fuerant, & non videbat; & dixit Heli viris, qui aderant ei : Quæ vox sonitus huius?

Sixtian. *Græc. ex Septuag. in Sixtiana.* Et Heli erat filius nonaginta annorum, & oculi eius steterant, & non perspiciebat ; & dixit Heli viris assistentibus sibi: quæ vox soni huius?

Flaminius. *Flamin. Nobilius in Schol. Sixtian.* Et oculi eius obriguerant, *aut* quasi se exeruerant extra locum suum, *aut* suo amplius officio non fungebantur.

Vatab. *Vatabl. in Schol.* Extabántque oculi eius. *Ideſt caperant fugere retrorsum. Solent enim in senio nercontrahi.*

Cantap. *Cantapetrens. lib. 6. Hipotipoſcon. cap. 4.* Oculi eius caligauerat.

Caietan. *Caietan. ibi.* Ex Hebræo, & oculos suos finiuit, & non poterat ad videndum.

Mendoza. *Mendoz. ibi §. 11.* In Hebræo est. Oculi eius steterat.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Heli autem erat nonaginta & octo annorum.* Greg. lib. 3. variar. cap. 2. Perfectæ senectutis esset si centenarium numerum annorum viuendo peregisset ; cui profectò numero, quia duo anni deesse conspiciuntur, quid est aliud, quia perfectæ maturitatis existeret, si Sacramentum geminum in Redemptoris nostri incarnatione cognouisset. Videlicet veram diuinitatem in humanitate eius, & veram humanitatem in diuinitate. Nunc autem quia multa de Lege veteri, plurima de mandatis cœlestibus rectè intelligit, nonaginta, & octo annorum est, & Deum credit & ex Virgine nasci potuisse per incarnationem, & humanitatis eius naturam suscipi abnegat in diuinitate, centum annorum non est. Vnde & audita viri relatione iustè moritur, quia sine fide Redemptoris ei bona, quæ cognoscit, & alia nequaquam prosunt.

Literal. Abul. 2 *Heli autem erat nonaginta & octo annorum.* Abulens. ibi quæstion. 18. Istud ponitur ad designandum conditionem Heli morientis, & audientis nuntium, scilicet quòd ipse erat iam nimis antiquus, ferè centum annorum, & non poterat videre. Ideò cùm venit nuntius ante ipsum, non vidit eum, nec dixit illi Heli : Quis es? Et vnde venis ? Sed ipse nuncius cognoscens cæcitatem Heli præuenit cum verbis, vt sic sciret quis aderat.

Literal. Mendoza. 3 *Heli autem erat nonaginta & octo annorum.* Franc. Mend. ibi §. 1. Ætas nonagenaria iam in illis temporibus nimium senilis videbatur, quamuis prioribus sæculis multo longiores humanæ vitæ periodi extiterint, vt in Humanæ vitæ Theatro volum. 2. lib. 3. Ex sacris Litteris, & profanis latissimè disseritur. Theatr. vitæ hum.

Literal. Autor Catenæ. Cantap. 4 *Heli autem erat nonaginta & octo annorum.* Autor Catenæ. Septuaginta in Romana Sixti, nonaginta solum annos referunt, non tamen quòd nonaginta & octo non fuerint, sed quòd ex frequenti Scripturarum vsu ponitur numerus completus omisso incompleto : vt & Cantapetrensis probat lib. 1. Hipotipos. cap. 44. in fine. *Solet sic loqui Scriptura nonnunquam, vt & si modicum superſit, vel deſit, plenarium tamen numerum ponere.* Frequentia sunt exempla. *Iudic.* 9. dicitur Abimelech occidisse super petram fratres suos *Septuaginta viros*, & tamen sexaginta nouem fuere ; cum Ioatham natu minimus aufugerit mortem abscondit. Iudic. 9. *Gen.* 17. Dixit Abraham. *Putas ne centenario nascetur filius* ? Cùm tamen hæc diceret, non centenarius erat, sed ad annum peruenerat nonagesimum nonum. Item septuaginta solum palmæ supputantur in deserto, cùm fuerint Septuaginta duæ, & Septuaginta duos Interpretes vulgò Septuaginta nuncupemus, de quo latius Cantapetrensis lib. 6. Hipotipos. cap. 4. & lib. 10. cap. 43. Gen. 17.

Literal. Abul. 5 *Et oculi eius caligauerant.* Abulens. ibi q. 18. Ista caligatio non erat ex ægritudine, sed ex defectu ætatis, quoniam visus per temporis longitudinem hebetatur, quia fit mutatio magna in humoribus contentis intra pelliculas oculi, in quibus est visus.

Literal. Author Catenæ. Pagn. Mendoza. Cantap. Rabbi. Dauid. 6 *Et oculi eius caligauerant.* Autor Catenæ. In Hebræo est : *Oculi eius steterat*, seu *caligauerat*, vt notant Pagnin. lib. 4. Institut. Hebraic. cap. 15. Mendoz. hic, & Cantapetrens. lib. 6. Hipotipos. cap. 4. est autem Hebraismus non infrequens. Sensus verò est vt exponit Rabbi Dauid : Vnusquisque ex oculis eius caligauerat. Accipitur enim nomen plurale pro vnoquoque de multis, & verbum vnicuique eorum, qui sub communi nomine intelliguntur, aptatur. Genes. 26. *Quæ amba offenderant animum Isaac*, Hebraicè *fuerunt exacerbans animum Isaac* ; ideſt vnaquæque earum. Ibidem 27. *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* ; Hebraicè : *Maledicentes tibi, maledictus, & benedicentes tibi, benedictus.* Hæc & alia apud Cantapetrensem suprà. Cæterum an solum cæcutiret, vel omninò lumine priuatus esset, non conuenit inter Interpretes. Abulensis enim non omnino cæcum asserit, sed *ferè*, inquit, *nihil videbat.* Caietanus autem cum Hebræis omninò cæcum existimat, distinguens duo eius tempora. In primo cæcutiebat, cùm non posset *videre lucernam Dei antequam extingueretur*, suprà cap. 3. In secundo penitus visu carebat, scilicet modò quando prælij nuntium, & cladis accepit : in quo Caietano potiùs assentior, quàm Abulensi, cùm Scriptura absque vlla limitatione de eo proferat, quòd *videre non poterat.* Genes. 26. & 27. *Heli an cæcum esset.* Caietan. Abul.

7 *Et*

LITERAL. Comest. 7 *Et videre non poterat.* Comest. in histor. Schol. c. 6. Iam enim cæcus erat, vt tradunt Hebræi, ideſt non cæcutiens.

LITERAL. Abul. 8 *Et videre non poterat.* Abul. ibi. q. 18. Scilicet quòd iam ferè nihil videbat, ita vt non distingueret quid ante ipsum esset: nec enim aduenerat sibi ista caligatio nouiter, sed ex aliquantis temporibus; nam quando Samuel puer existens prænunciauit malum istud futurum in domo Heli, iam Heli videre non poterat lucernam, vt patet præcedenti capite.

LITERAL. Caiet. 9 *Et videre non poterat.* Caietan. in Comment. Vide disparitatem; Superiùs dixerat: *Et oculi eius incœperant caligare*, modo dicit: *Et oculos suos finiuit*, & consequenter superiùs dixerat: Et non poterat ad videndum etiam lucernam ante extinctionem: modò dicit: Et non poterit ad videndum absolutè; vt intelligamus quod erat penitus priuatus visu.

VERSVS XVI.

Vulgata. *Vulgata.* Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est fili mi?

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Dixitque vir ad Heli: Ego venio ex acie, & ex acie fugi hodie. Et dixit: Quod fuit fili mi?

Vatab. *Hebraica ex Francisc. Vatabl.* Et ait vir ille ad Heli: Ego venio de acie: Ego inquam hodie fugi ex acie. Et ait ille: Quid rei fuit fili mi?

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et dixit vir ad Gheli: Ego venio ex acie; & ego ex acie fugi die hac. Et dixit. Quod fuit verbum fili mi?

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia.* Et respondit vir, qui venit, & dixit. Ego sum, qui veni de castris: Ego fugi de acie hodie. Et dixit ei Heli. Quod factum est verbum fili?

Sixtian. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et vir festinans accessit ad Heli, & dixit ei. Ego sum qui veni è castris; & ego fugi è prælio hodie. Et dixit Heli. Quodnam verbum, quod factum est fili?

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. *Pauli prædicatio qualis?* Galat. 1. 1 EGo sum qui veni de prælio. Gregor. libr. 5. Variarum, cap. 2. Quasi in prælio se fuisse memorabat ille, qui dicebat; *Audiistis conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei.* Galat. 1. Fugere ergo de acie Iudæos, quid est aliud, quam à perfidorum errore separari? Et de prælio venire quid est nisi rectæ fidei bonum aliis nuntiare? Fugere namque, timentis est: venire volentis. Quo in loco quia priùs dicitur venire de prælio, quam ex acie fugere; cum prius deseratur perfidia, quàm veritas prædicetur, mirum non est.

LITERAL. Abul. 2 *Ego sum qui veni de prælio.* Abulens. ibi. q. 18. Ideſt si aliquid vis inquirere de bello, inquire; quia ego sum certissimus nuntius calamitatis huius.

LITERAL. Mendoza. 3 *Ego sum qui veni de prælio.* Franc. Mendoza, ibi. §. 1. Ne quis de rebus dicendis dubitaret, audientium fidem captare voluit, præmittendo, se illam omnium testem tutissimè oculatum. *Ego*, inquit, *sum qui veni de prælio:* Et ne quis dubitaret de memoria referentis, subdit se recentissimum esse rerum omnium spectatorem; nimirum eo ipso die vidisse, quæ narrabat. *Ego*, inquit, *qui de acie fugi hodie.* Ac si neque falsitas, obrepere posset oculato testi, neque recentissimo nuntio obliuio.

MYSTIC. Gregor. 4 *Et ego qui de acie fugi hodie.* Gregorius suprà. Notandum quia eo die, quo hæc nuntiabat, se venisse de prælio, & fugisse de acie asserebat. In die quippe fugiunt, quia attestante veritate, *Qui in tenebris est nescit quo vadat.* Ioann. 12. Hinc etiam scriptum est. 1. Thessal. 5. *Qui dormiunt, in nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, in nocte ebrij sunt.* Sancti ergo Prædicatores, qui per Redemptoris nostri gratiam de Circumcisione crediderunt, non alio die, sed eo, quo de acie fugerant de prælio venerunt, quia profectò vtrumque donum in superni amoris splendorem consecuti sunt, veritatem scilicet conuersationis, cum prædicatione verbi.

Ioan. 12. 1. Thess. 5.

LITERAL. Abul. 5 *Et ego qui de acie fugi hodie.* Abulens. ibi. quæst. 18. Ideſt ego sum, qui nouiter recessi de acie, quoniam hodie inde recessi; ideo possum scire quid euenerit: duplicantur autem ista verba hic ad planctum; in lamentationibus enim ad exprimendum miseriam abundantiùs, & ad permouendum passionaliter fit talis repetitio per synonyma.

MYSTIC. Gregor. *Magisterij iudicium quale?* 6 *Cui ille ait: Quid actum est fili.* Gregorius suprà. Fortassè filium vocauit non affectu amoris, sed adulatione calliditatis, vt eo hunc facilius per deceptionem caperet, quo secum paterno affectu diligere demonstraret. Eum itaque filium vocat, à quo quid actum fuerit, scire appetit, vt profectò ille pro impenso honore adulationis seriem peruerteret veritatis. Honor igitur appellationis non ad amorem refertur, sed ad calliditatem.

LITERAL. Abul. 7 *Cui ille ait: Quid actum est fili.* Abul. ibi. q. 18. Captat beneuolentiam eius, vt narret sibi omnem veritatem.

LITERAL. Mendoza. 8 *Cui ille ait: Quid actum est fili.* Franc. Mend. ibi §. 2. Filium vocat tum propter vniuersalem consuetudinem, quia tenes Principes, & Magistri solebant iuuenes subditos, ac discipulos filios appellare: tum vt eum narrare metuentem, hac verborum charitate, & beneuolentia ad narrandum inuitaret.

LITERAL. Author Caten. Gregor. Mendoz. *Gregorius à nota vindicatur.* 9 *Quid actum est fili mi?* Author Catenæ. Blandè eum alloquitur, vt narrationis laborem suscipiat. Gregorius suprà id calliditati adscribit, vt beneuolentiæ huius lenocinio delinitus *seriem peruerteret veritatis.* Gregorium modestè reprehendit Mendoza noster, eiusque sententiæ refragatur; nam Heli quorsum, inquit, veritatem audire rei gestæ recusaret, cùm etiam inuitus paulò post esset auditurus? Ab hac tamen nota Gregorius vindicari facilè potest, si sensus in quo loquitur attendatur. Nec enim Gregorius hic loquitur in sensu litterali, & historico, sed in allegorico, & mystico, huius enim generis est tota ferè eius in librum primum Reg. expositio. Constat enim ex præcedentibus, & ex contextu ipso sub persona Sacerdotis

Heli, magisterium Iudaicum, illorum scilicet Iudæorum, qui duro corde, & in circumcisis auribus adhuc Spiritui sancto resistunt, subintelligi; de quibus iure Gregorius asserit semper veritati auersos potiùs studuisse, vt & se, & alios miserè decipiant.

VERSVS XVII.

Vulgata. *Vulgata.* Respondens autem ille, qui nunciabat, fugit, inquit, Israël coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo: insuper & duo filij tui mortui sunt Ophni & Phinees, & Arca Dei capta est.

VERSIONES.

Pagn. *Hebaica ex Xante Pagnin.* Et respondit nuntians, & dixit: Fugit Israel coram Pelisthim; & etiam plaga magna fuit in populo, & etiam duo filij tui mortui sunt Chophni & Pinchas, & Arca Dei capta est.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Respondit nuntius ille, & ait: Fugit Israel coram Palesthinis, & cædes magna facta est in populo: sed & duo filij tui Hophni, & Pinhas mortui sunt, & Arca Dei capta est.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et respondit qui nuncians, & dixit: conuertit se Israel ab ante Pelisthæos, & etiam percussio magna fuit in populo, & etiam duo filij tui occisi sunt Hhophni, & Pinhhaz, & Arca Domini capta est.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et respondit puer, & dixit: Fugiit vir Israel à facie Philisthiim, & plaga magna facta est in populo, & ambo filij tui mortui sunt, & Arca Dei capta est.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtia.* Et respondit puer, & dixit: Fugit vir Israel à facie alienigenarum, & facta est plaga magna in populo, & ambo filij tui mortui sunt, & Arca Dei capta est.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Fugit, inquit, Israel.* Gregor. lib. 3. Variarum cap. 2. Quid est, quod fugisse Israel asseritur, nisi quia constanter affirmat, quòd dum Iudaicus populus legis sensum carnaliter retinet, spiritualibus sanctæ Ecclesiæ Doctoribus resistere disputando non potest? Et quid est quod magnam ruinam factam fuisse in populo prædicat, nisi quia omnes, qui de Iudaico populo verbum fidei repulerunt, æterna morte periisse confirmat? Et quid est, quòd duo Heli filij mortui referuntur, nisi quia vtique ordo veteris Sacerdotij defecisse asseritur? Et quid est, quòd Arcam Dei captam fuisse dicit, nisi quia cognitionem diuinorum Sacramentorum à Iudæis ablatam, atque à gentibus fideliter apprehensam asserit, quia à gentibus, iam Dei gratia vocante, fidelibus, diuina mysteria cognoscuntur?

Literal. Mendoza. 2 *Fugit, inquit, Israel.* Franc. Mend. ibi. §. vnico. In his hoc loco narrandis seruatur in primis ordo calamitatis secundùm se expectatæ, à leuioribus ad grauiora procedendo. Grauis enim tuit superstitum fuga, quia indecora: grauior cadentium strages, quia immedicabilis: ægrior saltem parenti, filiorum mors; imò & toti populo perniciosior Sacerdotum, & Principum iactura: cadere enim necessarium videbatur totam Reipublicæ molem, Principum cardine quo vertebatur, destitutam: tandem grauissima omnium Arcæ, in qua totum illius populi præsidium, & temporale, & spirituale situm esse credebatur. Prudenter igitur hic vir à leuioribus damnis exorditur ad grauiora progressurus, vt si audientis animus leuiora pati assuescat, ad grauiora sustinenda calum obducat.

Literal. Author Catenæ. 3 *Fugit, inquit, Israel.* Autor Catenæ. Necessum non est, vt quo ordine à iuuene hoc clades refertur, euenit; suprà enim alio diuerso narratur accepta, nimirum hoc ipso capite v. 10. & 11. vbi vide alias Interpretum, & PP. expositiones, & sententias, ne hic eas repetere opus sit.

Literal. Abul. 4 *Coram Philisthiim.* Abul. ibi. q. 18. Idest à facie Philisthiim; scilicet quòd non potuerunt Israelitæ sustinere faciem Philisthinorum, & fugerunt ab eis, vertentes terga.

Literal. Idem. 5 *Et ruina magna facta est in populo.* Idem ibidem. Scilicet corruerunt multi vulnerati, scilicet triginta millia, vt patet suprà.

Literal. Idem. 6 *Insuper duo filij tui mortui sunt.* Idem ibidem. Isti perierunt custodiendo Arcam, & fuerat mors istorum suprà prænuntiata. c. 2.

Mystic. Eucher. *Arca capta, quid significet?* 7 *Et Arca Dei capta est.* Eucher. seu potiùs Autor Comment. in lib. Regum. In prophetia Arca illa ab alienigenis capta indicabat, Testamentum Dei translaturum ad gentes. Quando enim nunciatum est Heli Sacerdoti captam fuisse Arcam Domini, cecidit de sella, & mortuus est. Transeunte Arca Domini ad gentes, periit, atque interiit Sacerdotium Iudæorum. Duo quoque filij Heli corruerunt, &c.

Allegor. Moral. Berchor. *Arca capta quid?* 8 *Et Arca Dei capta est.* Petrus Berchor. lib. 9. Moralitat. cap. 4. Arca Dei est Ecclesia, quæ tunc temporis à Philisthæis capitur, idest à sæcularibus deprimitur, & à Tyrannis, & Principibus affligitur, quando ab Heli sene, & cæcutiente qui lucernam extinctam videt meliùs, quàm accensam, regitur, idest cùm à Prælato sene, negligente, cæcutiente, & ignorante, affectúque etiam malos meliùs, quàm bonos videnti, & permouenti, gubernatur; & quando à malis suis filiis, idest à malis Sacerdotibus, & Clericis, & aliis Ecclesiæ subditis conducitur, & tractatur. Quod reuera credo, quòd nulla est hodie causa, quare Ecclesia à Tyrannis, & sæcularibus opprimitur, nisi quòd Heli, & filij sui, idest Prælati, & subditi Ecclesiastici erga Deum delinquere comprobantur.

Tropol. Lucifer. 9 *Et Arca Dei capta est.* Lucifer libr. 1. pro S. Athanasio. Si hæc mala Heli Sacerdoti, & Iudici Israelitarum vna die venerunt, propter quod non vt fuerat dignum suos castigasset filios, quid tibi Religionis Dei destructori cernis venturum isto in loco probandum tibi censui.

Literal. Abul. 10 *Et Arca Dei capta est.* Abulens. ibi. q. 1. Hoc enim restabat, vt fugientibus Israelitis Arca Dei caperetur, nam à principio belli non fuit reducta de castris, cùm ad hoc ipsa ducta fuerat in castra, vt assisteret bello, fugientibus autem Israelitis nemo eam ducere potuit, nec curauit, quia erat impeditiua fugæ.

Literal. Caiet. 11 *Et Arca Dei capta est.* Caietan. ibi. Nomen est Elohim, & similiter cùm subiungitur: *Cùmque ille nominasset Arcam Dei,*

VERSVS XVIII.

Vulgat. **Vulgata.** Cúmque ille nominaret Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat vir, & grandæuus: & ipse iudicauit Israel quadraginta annis.

Bened. *Benedict. in margine.* Cecidit de sella retrorsum super limen ostij.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Et fuit, cùm commemoraret ille Arcam Dei; cecidit de throno retrorsum iuxta locum portæ, & confractum est occiput eius, & mortuus est. Senex enim erat vir, & grandæuus, & ipse iudicauit Israel quadraginta annis.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatab.* Et factum est simul ac ille Arcæ Dei mentionem faceret, vt caderet retrorsum è sella pone portam, confractáque ceruice moreretur; erat enim vir senex, & grauis: iudicauerátque Israelem quadraginta annis.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et fuit quando memorabat ille Arcam Domini, & cecidit desuper cathedram retrò super gradum viæ portæ, & fracta est cervix eius, & mortuus est. Quia senex vir, & grauis, & ipse iudicauit Israel 40. annis.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et factum est, vt meminit Arcæ Dei, & cecidit à sella in retro adhærentia portæ, & tracta est scapula eius, & mortuus est, quoniam senex erat homo, & grauis, & ipse iudicauit Israel quadraginta annis.

Sixtia. *Græca ex sept. in Sixtina.* Et factum est vt meminit Arcæ Dei, & cecidit de sella retrorsum iuxta portam, & contribulatum est dorsum eius, & mortuus est. Quoniam senex erat homo, & grauis, & ipse iudicauit Israel viginti annis.

Chrysost. *Chrysostom. aduersùs Vituperatores Vitæ Monastic. lib.* 3. Senex enim erat, & grandæuus, & honorabilis.

Blesens. *Petrus Blesens. epist.* 106. Sella euersa, fractísque cervicibus expirauit.

Marroch. *Rabbi Samuel Marrochian. lib. de aduentu Messiæ, c.* 5. Ruptis cervicibus mortuus est.

Lira. *Liran. ibi. In Hebræo habetur.* Et fracto collo suo mortuus est.

Mendoza. *Franc. Mend. ibi. §.* 6. Et confractum est os colli eius, & mortuus est.

Lucifer. *Lucifer lib.* 1. *pro S. Athanas.* Cecidit supinus iuxta portam de sella, & contribulatum est dorsum eius.

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Chrysost. Lyra Heli. 1 *Cvmque ille nominasset Arcam Dei.* Chrys. lib. 3. Aduersus Vituperat. Vitæ Monast. tom. 5. Non solùm ex loco illo, verùm ex alio quoque virtus eius animaduerti potest. Nam cùm bello finitimorum lacesserentur Iudæi, profectúsque ad illum quidam, belli clades denunciasset, vtque turpiter & miserabiliter illius liberi in cædem caterua corruissent, hactenus quidem agebat quietem. Verum cùm ille tantæ huic cladi Arcam Dei direptam ab hostibus fuisse adiecisset; tum vero præ mœroris magnitudine obtenebratus senior cecidit de sella retrò iuxta ianuam, & contritum est dorsum eius.

Mystic. Greg. 2 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei.* Gregor. lib. 3. Variarum cap. 2. Quia in Heli Sapientes iudæorum, & legis peritos designari diximus, audita Israelis fuga, de sella non cecidit; quia quos simplices Synagogæ filij à sanctæ Ecclesiæ Doctoribus in prædicatione superentur, pro paruo ducit. Non cadit relata filiorum cæde populi, quia dum perire audit eos, qui in Iudaismo moriuntur, nequaquam expauescit. Intimata filiorum morte non cadit, quia & obiecta sibi Sacerdotij vtriusque cessatione, superbire non desinit. Illata autem sibi Arcæ captione cadit, quia dum Sacramenta Scripturæ suæ profundè, & spiritualiter sciri à sanctæ Ecclesiæ Prædicatoribus, & fidelibus videt ea, quam carnaliter tantùm intelligit sacri eloquij eruditione superbire non audet. De sella igitur cadit quia spirituali cognito superbire de carnali magisterio non præsumit.

Histor. Ioseph. *Iam a prædicta mente ferunt.* 3 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei.* Ioseph. lib. 5. Antiquitat. c. 12. alias 16. Cumque audisset aduentum prælij, tam militum, quàm filiorum cladem satis æquo animo tulit, vt qui Deo prænunciante iam ante hæc præscierat: solent enim longè grauius afficere quæ præter expectationem accidunt. Vt verò etiam Arcam in hostium potestatem factam cognouit, insperato malo ictus, & doloris impatiens, prolapsus è throno exhalauit animam, vitæ anno nonagesimo octauo, principatus quadragesimo. Primus autem hic Elis ex Ithamari familia, qui fuit alter Aaronis filius Pontificatum obtinuit. Nam ante in Eleazari familia, fuit hoc Sacerdotium, quod filius à patre per manus accipiebat. Ille enim Phineesi id tradidit, quod mox filius, & subcessorius Abiezeres filio suo Bozciæ reliquit; ab hoc Ozcis filius accepit post quem Elis Sacerdotio potitus est, de quo nunc loquimur, quod mansit eius generi vsque ad Salomonis tempora, quando ad Eleazari familiam rursum redit.

Pontificij successio, & ordo.

Literal. Rupert. 4 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei.* Rupert. lib. 4. de Victoria Verbi Dei c. 10. Nimirum cadendo de sella retrorsum, & fractis cervicibus moriendo, palam fecit, quòd neque sedile, neque coronam auream mereretur habere inter iudices alios. Proinde confestim condolendo Scriptura subiungit: *Senex enim erat vir, &c.* Dolendum quippe est illi, quod cùm tot annis iudicauerit Israel, nihil vnquá memorabile, vel iudicis officio dignũ fecit.

Tropol. Theodor. *Ruina temporalis benè ferenda.* 5 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei.* Theod. ibi, q. 12. Cùm filiorum suorum cognouisset cædem non pusillo, & abiecto animo tulit pater, & senex: cùm autem accepisset Arcam captam fuisse ab hostibus, è sella quidem cecidit, ingenti autem animi mœrore affectus, vitæ finem fecit.

Literal. Procop. *Laus Heli.* 6 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei.* Procop. ibi. Filiorum cædem quantumuis pater, & senex tam forti, magnóque animo tulit: propter Arcam verò captam non mediocriter consternatus cecidit, & mortuus est.

Histor. Comest. 7 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei.* Petrus Comest. in Histor. Scholast. c. 6. Audita strage populi, & morte filiorum quieuit. Cum autem audisset Arcam captam cecidit retrorsum, & fractis cervicibus exspirauit.

Tropol. Haren. 8 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei.* Hugo Charens. in Postilla. Nota: Heli reprobus erat, & tamen audito quod Arca Domini capta esset, præ dolore mortuus est.

LITERAL. Abul.

9 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei.* Abulens. ibi, quæstion. 18. Non immediatè vt audiuit Arcam nominari, sed vt audiuit quòd capta esset, cecidit. Nam nominatio Arcæ, si nihil aliud adderetur, non erat sibi grauis. In quo apparet probitas viri huius Heli, qui verè erat vir bonus, atque laudabilis. Nam quanquam à principio, ipse fuisset aliqualiter remissus circa filiorum correctionem, quia diligebat eos, & quia erat senex non potens eos corrigere; erat tamen desiderium illius sanctissimum circa eius religionem. Nam cùm audiuisset filios suos occubuisse, quasi nihil motus est, expectans quid diceretur de Arca. Cùm verò audiuit Arcam captam fuisse, elanguit cor eius, & non remansit in eo spiritus, atque totus velut palpitans defecit: prælegisset vir iste sibi mortem, etiamsi in ætate iuuenili fuisset, quam Arcam captam fore. Ideò nemini dubitandum est circa statum Heli, sicut de filiis suis, vel de quibusdam aliis. Nam istud desiderium, & zelus maximus religionis, qui cum charitate erat, eo quòd propter Deum erat, liberare poterat illum ab omni crimine, quia *charitas operit multitudinem peccatorum.*

Laus Heli.

Heli salutem fuit.

MORAL. Carth.

10 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei.* Carthus. ibid. art. 9. Vnde videtur in eo affectus gratiæ, & zelus Dei pro tunc præualuisse affectioni, amorique sobolis.

MORAL. Caiet.

11 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei, &c.* Caiet. ibid. Vbi aduerte sanctam mentem Heli in hoc, quòd nec audita ruina populi, nec audita morte filiorum motus est, sed audita Arca Dei capta, vsque adeò commotus est, vt rueret retrò, & fracto occipite (seu, vt aliis placet, fracta iunctura) mortuus est.

Laus Heli.

TROPOL. Mend.

12 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei.* Francisc. Mend. ibid. annotat. 13. sect. 3. §. 2. Non poterat profectò à Deo contemni qui filios suos præ Deo contemnebat. Sicut olim ei à Deo exprobratum fuerat illud: *Magis honorasti filios tuos quàm me.* cap. 2. 29. ita nunc ei ipse Deus gratularetur: Magis honorasti, & amasti me, quàm filios tuos; qui præteritam iniquitatem oppositâ charitate expiasti. Nihil enim Deo gratius; quàm vt cognatis, & propinquis præferatur.

Heli laus.

HISTOR. Author Catenæ.

13 *Cúmque ille nominasset Arcam Dei, &c.* Author Catenæ. Littera ita sonat, vt significet Heli prima dumtaxat Arcæ facta mentione cecidisse, quin vlteriora expectaret, eius enim captionem iam diuinabat animus mali præscius. Confirmat hoc Chaldaica phrasis. *Et fuit quando memorabat ille Arcam Domini, & cecidit, &c.* Scilicet eo puncto, quo Arcam nominari audiuit; In quo ab Abulensi dissentio, qui post consummatam Arcæ iacturæ relationem Sacerdotis casum constituit, potiúsque in contrarium assentior Mendozæ.

Heli quando cecidit.

Chald.

Abul.

Mend.

MORAL. Hier.

14 *Cecidit de sella retrorsum.* Hieronym. in cap. 1. Ezech. num. 12. Qui aratri stiuam tenet non debet respicere post tergum, nec imitari vxorem Loth, ne incidat in plagam Deuteronomij, & pereat episthotono insanabili; quo cecidit Heli, qui vitio filiorum offenderat Dominum.

MORAL. Idem.

15 *Cecidit de sella retrorsum.* Idem lib. 3. Commentar. in Epist. ad Ephes. cap. 6. Supinus cecidit, & mortuus est; non enim poterat ad priora extendi, sed retrorsum ruit, & episthotono insanabili lapsus in tergum ad Sodomam cum Loth vxore respexit.

TROPOL. Aug.

16 *Cecidit de sella retrorsum.* August. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 22. tom. 5. Quis ambulat vbique, non inopinatis subiacens casibus? Quid videtur sedente securius? De sella, in qua sedebat, cecidit Heli, & mortuus est.

Vbique diuersimen.

17 *Cecidit de sella retrorsum.* Seuer. Sulpit. lib. 1. Sacræ Historiæ. Heli dato ad se mali nuntio, consternatus animam expirauit, cùm per annos viginti sacerdotium administrasset.

HISTOR. Seuer.

18 *Cecidit de sella retrorsum.* Eucher. seu potiùs Author Comment. in lib. Reg. Quod euidenti signo præfiguratum est, prostrato Heli de sella, Pontifices Iudæorum sedem habere vacuam, & gloriam sacerdotij, regnique extinctam.

MYSTIC. Eucher.

19 *Cecidit de sella retrorsum.* Gratian. 1. part. Decreti. dist. 37. cap. *Legant.* Heli Sacerdos ipse sanctus fuit, sed quia filios suos non erudiuit in omni disciplina, & correptione, supinus cecidit, & mortuus est.

TROPOL. Gratian.

20 *Cecidit de sella retrorsum.* Abul. ibi. quæst. 18. Consueuerat enim Heli sedere in loco isto, scilicet apud ostium Templi. Nam etiam quando Anna mater Samuelis introiuit ad adorandum coram Domino pro filio, sedebat Heli iuxta portam Templi, sicut nunc, vt patet supr à cap. 1. Corruit autem Heli de sella retrorsum, eo quòd istæ sedes essent malè fabricatæ; erant enim altæ, & post tergum nihil habentes super quod sedens aclinare posset caput, aut aliqualiter incumbere. Ideò cum Heli expauisset nimis audita captione Arcæ destitutus viribus corruit per partem posteriorem sedis, cùm nullum haberet retinaculum.

LITERAL. Abul.

21 *Cecidit de sella retrorsum.* Sabellic. Enead. 1. lib. 7. Heli haud oraculi ignarus, vbi multò maiorem cladem videt acceptam, quam ipse animo concipere potuisset, florentissimas copias vno prælio deletas: duos filios occisione occisos: hostes Arca fœderis potitos; cùm nihil iam superesset, cur longior vita proferri deberet amplius; voluntate numinis solio excussus mortem obiit, cùm octauum vitæ ac nonagesimum annum ageret, præfuisset que Summæ rerum annos circiter quadraginta.

HISTOR. Sabellic.

22 *Cecidit de sella retrorsum.* Franc. Mend. ibid. §. 5. Inquiri hoc loco potest vtrùm hic nuntius de captiuitate Arcæ fuerit adæquata causa mortis Heli, itavt illo audito repente interierit, ac postea iam mortuus ceciderit, & ceruices fregerit? An potiùs ex nuntio solùm terrefactus fugerit; deinde verò ruina, & collisio ceruicis simul cum ingenti mœrore mortem attulerit? Prior modus non mihi videtur improbabilis; nam mœror, ac timor etiam naturaliter mortem repentinam afferre possunt, vt Conimbricenses nostri Tract. de Vita & Morte. cap. 5. variis exemplis confirmant. Nihilominùs posterior modus mihi videtur litteræ congruentior.

LITERAL. Mend.

Conimb.

23 *Cecidit de sella retrorsum.* Idem ibidem. §. 9. Cecidit retrorsum vt non videret locum in quem caderet, qui scelera in quæ filij ruerant, ignorabat, & impingeret in offendicula post tergum posita qui posita ante oculos scandala non tollebat.

MORAL. Mend.

24 *Cecidit de sella retrorsum.* Idem ibid. §. 10. Sicut iusti in facies suas cadunt, Abraham Genes. 7. Christus Dominus Matt. 26. Viginti quatuor seniores Apocal. 5. Ita impij cadunt retrorsum. *Cadet ascensor eius retrò.* Genes. 49. *Auertantur retrorsum.* Psalm. 39. *Retrorsum abiistis.* Ieremiæ 15. *Abierunt retrorsum.* Ioann. 18.

MORAL. Idem.

Iusti in facies cadunt.

25 *Cecidit de sella retrorsum.* Idem tom. 1. c. 1. annotat. 12. sect. 2. §. 10. Non metetur in sella sedens, sed sella cadens, vt qui filios probè non instituit, magisterij Cathedra indignus censeretur.

TROPOL. Idem.

26 *Iuxta*

Mystic. Greg.

26 *Iuxta ostium.* Greg. suprà. Quid est quod cadit iuxta ostium, nisi quia dum cæcus errat, impingit in Redemptorem, qui nimirum de semetipso asserit dicens. *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.* Matt. 21. Ipse quoque de semetipso ait. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & egredietur, & regredietur, & pascua inveniet.* Ioann. 10. Iuxta ostium ergo mortuus est Heli, quia Synagogæ magisterium idcirco periit, quia in Redemptorem offendit. Ibi enim cecidit, vbi deliquit. Potest quoque per ostium sactæ Scripturæ littera designari, nam velut per ostium ad æterni Templi atria ducimur, dum per sacri eloquij litteram ad allegoricam, & spiritualem intelligentiam subleuamur.

Matt. 21.

Ioann. 10.

Moral. Origen.

27 *Et fractus cervicibus mortuus est.* Origen. Homil. de Elchana. Heli vir minùs laudabilis pro peccato enim corruens expirauit.

Moral. Idem.

28 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Idem lib. 1. in Iob tom. 1. Huiusmodi parentes, cùm non erudiunt, nec corripiunt filios suos, & ipsorum animas igni inextinguibili in interitum tradunt, & semetipsos in furorem iudicij demergunt. Omnia enim quæ deliquerint filij, de parentibus requiruntur, qui non erudierint neque corripuerint filios suos. Huius euidens exemplum in Heli ostenditur, & in filiis eius, atque in aliis alibi.

Tropol. Basil.

29 *Et fractus cervicibus mortuus est.* Basilius, in Proœmio ad librum Ethicor. Ad hæc omnia scriptum legimus ipsum Heli miserabili admodum exitu vitam terminasse, cùm sibi priùs interminatum sciret fore omninò, vt illius posteritas ab sacerdotali dignitate submoueretur,

Tropol. Idem. *Heli peccatum, & pœna.*

30 *Et fractus cervicibus mortuus est.* Idem in Regulis Breuiorib. regul. 47. Heli quamuis nequaquam dissimulanter scelus tulisset filiorum suorum, illorum, inquam, filiorum pestilentiæ, contráque sæpè illos ab eo deterrere fuisset conatus, dixissetque: *Non filij, non est bona fama, quam ego audio de vobis*, ac longiore oratione, & magnitudinem sceleris, & necessitatem ineuitabilis iudicij demonstrasset, quia tamen de illis non meritas pœnas sumpserat, neque eo modo, quo æquum erat, aduersùs ipsos indignatus fuerat, vsque eò Dei iracundiam irritauit, vt populus vnà cum filiis ipsius internecione assumptus sit, & Arca ipsa capta in ostium potestatem deuenerit, & sub hæc omnia ipse miserabili exitu vitam terminauerit.

Tropol. Chrys. *Heli pœna.*

31 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Chrysost. lib. aduersùs Vituper. Vitæ Monast. tom. 5. Quia non omnia quæ fuerant agenda, vt ea resecarentur vitia, molitus est; & ipse cum filiis vnà periit. Namque & minas illis addere debuerat, & à suo eos conspectu amouere, atque abdicare etiam, & verberibus afficere, multóque illis grauiùs, & duriùs instare. Quia igitur nihil horum egit, verborúmque tantùm monitis contentus fuit, & illis, & sibi ipsi Deum aduersum, infestúmque constituit. Cúmque improbè, & intempestiuè filiis parceret, & suam simul, & illorum salutem perdidit.

Tropol. Idem.

32 *Et fractus cervicibus mortuus est.* Idem hom. 28. ad populum Antiochen. Heli quoniam Dei leges conculcantes neglexerit, cum nihil fuit punitus, & atroces pœnas dedit.

Tropol. Idem.

33 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Idem hom. 27. in Matt. tom. 2. Hoc enim, hoc, inquam, etiam illum quondam admirabilem Sacerdotem perdidit; Heli dico, cuius cùm vita esset irreprehensibilis, tamen quia filios calcantes Dei legem, non cum seueritate corripuit, cum illis etiam iure punitus est.

Tropol. Idem. *Heli non ambitiosus.*

34 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Idem tom. 5. lib. 4. de Sacerdotio, initio. Neque Heli (vt omisso regno, ad Sacerdotium; de quo nobis sermo, veniamus) studiosè, ambitioseve dignitatem eam sibi parauit. Hoc ipsum igitur quid illi post delictum profuit? Et quid dico parauit, cùm nec illi quidem id muneris detrectare per legis necessitatem fas fuerit, vt qui vnus esset ex Tribu Leui, ac quem ipsum oporteret dignitatem eam ad se iam à Maiorum suorum retro origine descendentem suscipere? qui idem tamen liberorum suorum petulantiæ non mediocres pœnas dedit.

Tropol. Tertullian.

35 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Tertull. lib. aduersus Physicos. c. 16. Eliditur pro Templi foribus senior Heli, filij eius in acie ruunt, nurus expirat in partu. Hanc enim meruerat à Deo plagam Domus impudens, sacrificiorum defraudatrix.

Moral. Nazian.

36 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Nazianzen. Apolog. 1. Id quod Heli Sacerdoti accidit, compertum habeo, qui sceleris etiam illius, quod aduersus sacrificia filij committebant, carnium primitias, ex ollis, priùs quàm fas esset, extrahentes, pœnas luit; idque cùm eorum impietati non modò non suffragaretur, sed grauissimis quoque verbis eos hoc nomine identidem obiurgaret.

Mystic. Gregor.

37 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Greg. suprà. Qui etiam cadens ceruices fregit; in ceruice tumor temporalis potentiæ designatur. Fracta ergo ceruice moritur qui perfidiæ magnitudine amissa regni potentia condemnatur.

Tropol. Idem.

38 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Idem ibid. cap. 14. 1. Regum. Heli vita propria iustus, sed authoritate Pastorali remissus, à viro Dei audiuit: *Pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem peruenerit: verumtamen non auferam penitus ex tè ab Altari meo*; vt sacra Scriptura hìc apertè monstraret, & pro dissolutione percussum, & pro præterita conuersatione respectum.

Tropol. Idem.

39 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Idem 2. part. Pastoral. cap. 6. Quia falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum Iudicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit.

Tropol. Cæsareus. *Pœna Heli.*

40 *Et fractis cervicibus mortuus est.* S. Cæsareus Arelat. hom. 15. de aspera animæ admonitione. Timeo enim, & nimium expaueſco Heli Sacerdotis exemplum qui pro eo quod audiens filios suos adulteria committere, dissimulauit, eos, aut cædere, aut à communicatione suspendere; sed tantùm leniter admonuit, & non cum grandi feritate distrinxit, & ipse retrò cadens de sella fractis cervicibus mortuus est, & nomen eius de libro vitæ deletum est. Ecce quàm graue malum factum est per negligentiam Sacerdotis. *Eadem verba habet Hormisda Papa.* Hormisd.

Moral. Hieron.

41 *Et fractus cervicibus mortuus est.* Hier. lib. 1. aduersùs Iouinian. tom. 1. Heli Pontifex, qui corripuerat quidem filios, sed quia non abiecerat delinquentes, retrorsum cecidit, & mortuus est.

Moral. Idem.

42 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Idem lib. 1. aduersùs Pelagian. tom. 2. Heli certè increpauit filios suos dicens: *Nolite filij mei, nolite. Non bonam famam audio ego de vobis.* Corripuit, & punitus est quia non corripere debuit, sed abicere. Quid faciet qui gaudet ad vitia? Qui emendare non audet? Qui conscientiam suam metuit, & quod cunctus populus clamitat, nescire se simulat?

43 *Et*

TROPOL. Pelusiota.

43 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Isidor. Pelusiota. Epist. 360. in lib. 1. Condemnationem Heli pertimesco, propterea, quòd peccantes filios non castigauit.

TROPOL. Eucher. *Heli an damnatus?* Nazianz. Hildeb.

44 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Eucher. vel potiùs Autor Comment. Heli Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, quòd eos peccantes minùs seuera animaduersione plectebat. *Eadem verba habet* Nazianz. *lib. de Epiphan. apud Hildebert. Epist.* 74.

TROPOL. Hormisd. Baron. *Heli damnatus.*

45 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Hormisda Papa in sua Epist. apud Baron. tom. 7. Annal. Quia filios non cum grandi fertitate distrinxit, & ipse retrocedens de sella fractis cernicibus mortuus est, & nomen eius de libro vitæ deletum est. Ecce quàm graue malum factum est per negligentiam Sacerdotis.

TROPOL. Anselm.

46 *Et fractis cernicibus est.* Anselm. in Elucidar. Legitur de Heli, quod quia filios prauè agentibus consenserit, & eos tepidè super transgressione corripuerit, mortem corporis incurrerit, vbi manifestè ostenditur quia mortem, quam iste perpessus est in corpore, isti patiuntur in anima.

TROPOL. Idem.

47 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Idem in cap. 3. Epist. 1. ad Thimoth. Tanta ab Episcopo castitas exigitur, vt si filij eius casti non fuerint, ipse Episcopus esse non possit, & eodem vitio offendat Deum, quo offendit & Heli Pontifex, qui corripuerat quidem filios suos, quoniam in vestibulo Templi cum mulieribus dormiebant: sed quia non abiecerat delinquentes, retrorsùm cecidit, & mortuus est.

MYSTIC. Rupert.

48 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Rupert. lib. 1. Comment. cap. 13. Tunc quidem Sacerdoti vni Heli domus vna concidit, ipso quoque corruente, fractisque cernicibus moriente. Nunc autem tota gens captiua est, tota ciuitas cum Templo suo penitùs in fauillas diſperiit, sacerdotio illo quoque cadente, suúmque opprobrium per omnes gentes circumferente, quia pollutum, sordidatum, immò, & ejectum est eodem, quo viuimus, quo redempti, & emundati sumus nos credentes Christi sanguine.

TROPOL. Innoc. *Prælatus corrigat.*

49 *Et fractis cernicibus mortuus est.* S. Innocent. III. lib. 5. Decretal. tit. 3. cap. *Licèt Heli.* de Simonia. Licèt Heli summus Sacerdos in se bonus existeret, quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se pariter, & in ipsis animaduersionis diuinæ vindictam excepit, dum filiis eius in bello peremptis, ipse de sella corruens fractis cernicibus expirauit. Ad corrigendos igitur subditorum excessus tanto diligentiùs debet Prælatus adsurgere, quanto damnabiliùs eorum offensas desereret incorreptas.

TROPOL. Beda.

50 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Beda in Exposit. Allegor. 1. Reg. cap. 2. Corripuit quidem filios Heli, sed quia correptionem spernentes abiicere supersedit, vnà cum ipsis deperiit.

TROPOL. Gildas.

51 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Gildas Sapiens. lib. de acri correptione in Ecclesiastic. Ordin. Heli Sacerdos pro eo, quòd non digno Dei zelo seuerè in filios, contemnentes Deum, vltus fuerat, sed molliter & clementer, vtpote paterno affectu, monuerat, tali animaduersione damnatur.

TROPOL. Tritem.

52 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Ioann. Tritem. in Comment. Regulæ Sancti Benedicti. Heli falsa pietate cæcatus filios peccantes corrigere neglexit, qua in re, & ipsum, & filios mala morte perisse constat.

TROPOL. Damian.

53 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Petrus Damian. Epist. 6. ad Nicolaum Secundum. Heli quia filiorum peccata cognouit, sed eos inuectione, qua digni erant acerrima non corripuit, eisdem filiis à Philisthiim in bello peremptis, ipse quoque de sella retrorsum cecidit, fractisque cernicibus expirauit. Quin & Arca Domini ab hostibus capta est, & priùs quidem quatuor millia, deinde triginta millia virorum sunt Philisthæo trucidante, prostrata; & quidem redarguit, & quidem corripuit: sed lenitate, & mansuetudine patris; non seueritate, vel autoritate Pontificis. Si ergo Heli propter duos dumtaxat filios, quos non eâ, quâ digni inuectione, corripuit; cum eis simul, & cum tot hominum multitudine periit, quâ arbitramur dignos esse sententiâ, qui in aula Ecclesiastica, & soliis indicantium præsident, & super non ignotis prauorum hominum criminibus tacent.

TROPOL. Idem.

54 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Idem Epist. 3. in lib. 7. Idcircò cernicibus effractis occubuit, quia peccantibus inclementer inclusit.

TROPOL. Idem. *Prælatus corrigat.*

55 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Idem Epist. 15. in lib. 4. Prælati si desidiæ circa delinquentes torpore langueſcant, nudati Sacerdotio cum Heli fractis in terra cernicibus illidentur.

TROPOL. Idem. *Heli reprobus.*

56 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Idem Opusc. 6. inscripto *Liber Gratissim.* cap. 18. Quis Heli Sacerdotem nesciat reprobum, & tam pro lenitate sua, quàm pro liberorum effrænata licentia diuinæ animaduersionis sententia condemnatum?

TROPOL. Gratian.

57 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Gratian. 1. p. Decreti. Distinct. 47. cap. *Necesse est etiam.* Heli quia falsa pietate superatus delinquentes filios ferire noluit, sicut in libro Regum legitur, apud districtum Iudicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Vnde ei diuina voce dicitur: *Honorasti filios tuos, magis quam me.*

MYSTIC. Angelom.

58 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Angelom. in Stromatib. Sicut superiùs mors filiorum finem significat Sacerdotij Iudæorum; ita in hoc loco mors patris designat Pontificatum Iudæorum irreparabiliter prostratum, sedémque habere vacuam, & gloriam Sacerdotij, regnique extinctam. Et hoc est de sella retrorsùm cecidisse, & mortuum esse.

MYSTIC. Bonauen.

59 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Bonauent. in principio Scripturæ ad finem. Christus, Rex, & Sacerdos in primo libro Regum præsignatur, vt euacuaturus Sacerdotium legale in depositione, seu extinctione Heli, & substituturus Sacerdotium nouum in substitutione Samuelis.

LITERAL. Abul.

60 *Et fractis cernicibus mortuus est.* Abul. ibi. quæst. 18. Corruit enim Heli totus super caput suum, & fractæ sunt cerui ces, atque ruptum est caput: quod fuit, quia sedes erat alta, alioquin non cecidisset totus super caput. Etiam fuit hoc, quia senex, & ponderosus, paucas etiam vires habens. Et hic quidem fuit exitus Heli viri clarissimi: Sacerdotis magni, & Iudicis Israël; non quidem tanquam ipse aliquid iniquum egisset, propter quod tam amara morte mulctandus foret, sed quia cùm esset Summus Sacerdos filiorum suorum in Sacerdotio delinquentium nequitiam non correxit, quia ex officio sibi attinebat. Sic patet Extrauag. de Simonia. cap. *Sicut Heli.* In quo satis apparet ex Dei vindicta, quòd negligentia in Prælatis non est de minimis criminibus, sed

sicut

sicut quis mortis reus est, si ipse aliquid dignum morte egerit, ita & si cùm Prælatus fuerit, malè agentes non correxerit, eadè morte multandus est.

TROPOL. MORAL. Cassian.

61 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Simon de Cassia lib. 15. cap. 2. Heli correctus est a Domino, quia non corripuit filios suos Ophni, & Phinees, qui propter gulam, & luxuriam populum diuertebant à cultu Dei, & ipse mortuus est turpiter, & filij eius.

TROPOL. Mendoza. *Heli cur vltimus cadit?*

62 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Franc. Mend. annotat. 13. sect. 4. §. 1. Cui Heli, qui primus tantarum culparum author fuit, postremus ad pœnas tantis malis debitas euocatur? Ea ratio est, vt acerbiùs puniretur, non modò suam pœnam subeundo, sed etiam suorum calamitatem priùs intuendo.

HISTOR. Salian. *Heli quando obiit?*

63 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Salian. tom. 3. Annal. Anno Mundi 2939. num. 25. Mortuus est decimo secundi mensis die, vt in Hebræorum Calendario notatum est. Is enim dies tot cladibus, ac funeribus cumulatus, ieiunio à Iudæis deinceps celebratus est.

LITERAL. Aut. Caten. *Heli an iustus fuerit.* Hormisd. Cæsareus. Tertullian. Hieron. Chrysost. Pelusiot. Innocenti. Ephr. Basil. Gregor. Aug. Eucher. Isidor. Beda. Damian. Charen. Theod. Procop. Abul. Carthus. Caiet. Serar. Mendoz. Salian. Sanctius. Cornel. Stella.

64 *Et fractis cervicibus mortuus est.* Author Catenæ. Rogas an Heli saluus fuerit, an damnatus? Quis id præter Deum definat? Damnatum expressè affirmant Hormisda Papa suprà relatus, cuius verba nihilo immutata habet etiam Cæsareus Arelatensis, Tertullianus lib. de Pudicitia, Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. Chrysost. lib. 2. aduersus Vituper. Vitæ Monastic. Isidor. Peluſiota Epist. 370. Innocent. III. in cap. *Licèt Heli*, de Simonia. Idem etiam plerique PP. & Interpretes insinuant, Ephræm, Basilius, Gregor. Augustin. Eucher. Isidor. Hispalensis, Beda, Damian. Hugo Charensi. & plures alij. Saluum verò fuisse affirmant Theodor. Procop. Abulensi. Carthusian. Caietan. Serarius, Mendoza, Salianus, Sanctius, Cornelius, Didac. Stella in cap. 10. Luc. & plures alij, quibus ipse potiùs assentior. Neque enim deliquisse certum damnationis argumentum est, cùm per pœnitentiam peccatum non solùm non imputetur, vt loquuntur Nouatores, sed omninò, ac penitùs deleatur, quasi nunquam extitisset: neque item misera morte periisse, cùm potiùs hæc in temporalem pœnam sæpè à Deo misericorditer impendatur. Nec denique ad demonstrandam eius damnationem, cuiuscumque, sine Ecclesiæ definitione, aut diuina reuelatione, sufficiat authoritas; de iis autem minimè patet. Adde rationes Chrysostomi, Theodoreti, Abulensis, Caietani, & aliorum, zelum viri morientis, charitatem, pietatem, ac religionem iure optimo perpendentium, qui charissimorum sibi pignorum, gentis quoque suæ stragem constanter tulerit, patienter audierit; Arcæ verò iacturam, vt primùm intellexit, vel potiùs, vt eius nomen excepit, malum suspicatus exanimis, vel ante ruinam ipsam è throno, lethali percitus tremore animam exhalauit. De materia autem huius versus, & de Heli delictis, & supplicio recole dicta superiùs, & Interpretum sententias præcipuè ad cap. 2. vers. 26.

MYSTIC. Gregor. *Quadragesima quid, & quare?*

65 *Et ipse iudicauit Israël quadraginta annis.* Gregorius suprà. Quadraginta annis præfuit per timorem legalium mandatorum. Quidragenarius quippe numerus ad peccatores pertinet; Vnde & Quadragesimæ tempus in Sancta Ecclesia eodem dierum numero consecratum est, vt videlicet ea, quæ committimus peccata tergere pœnitendo studeamus.

MORAL.

66 *Et ipse iudicauit Israël quadraginta annis.* Rupert. lib. 4. de Victoria Verbi Dei. cap. 10. Fortè dicet quis: Heli Sacerdos Domini, ipse quoque Israel iudicauit, sicut scriptum est. Cur ergo cum cæteris Iudicibus ille non annumeratur? Nimirùm propter contemptum verbi Domini, quia in diebus eius calce abiicere legem Domini nimia ferè omnibus licentia fuit. Notandum quippe, quòd mortuo Sampsone, qui iudicauit Israel viginti annis, dignum non existimauit Scripturæ sacræ authoritas, vt diceret: post hunc fuit, vel huic successit Heli; licèt iudicaue it Israël quadraginta annis; sed infelicium dierum illorum ista querela frequens est: *In diebus illis non erat Rex in Israël, sed vnusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Iudic. 12. Rupert. *Heli cur inter iudices non numeratur?* Iudic. 12.

67 *Et ipse iudicauit Israël quadraginta annis.* Petrus Comest. in Histor. Scholastic. cap. 6. Porrò Heli iudicauit Israël quadraginta annis, cui concordat Iosephus. Septuaginta verò, & Paralipomenon dicunt viginti. Potest dici quòd post Sampsonem viginti anni duxerunt sine Iudice, qui aggregati sunt annis, quibus iudicauit Heli. Quidam tamen dicunt viginti annos, quibus iudicauit Samuël aggregandos annis Heli magistri sui. Sed verius anni Samuëlis cum annis Saülis adscribuntur. Sanè potuit fieri, vt Heli factus Iudex transtulerit Sacerdotium de domo Eleazar. Eleazar quidem successit Phinees, cui successit Abiezer, cui successit Buzi, cui successit Ozi, & translatum est Sacerdotium. LITERAL. Comest. *Heli quandiu iudicauit.* *Successio Sacerdotij.*

68 *Et ipse iudicauit.* Theophilus Antiochenus lib. 3. Helis iudicauit Hebræos annis 20. Samuël iudicauit Hebræos annis 12. Iudicibus succedere Reges, quorum primus fuit Saül, qui regnauit annis 20. LITERAL. Theoph. Antioch.

69 *Et ipse iudicauit Israël quadraginta annis.* S. Antonin. Florentin. 1. part. Histor. tit. 2. cap. 6. Post Sampsonem iudicauit Heli, qui & Sacerdos, & à digniori Sacerdos est nominatus, non Iudex; translato enim Sacerdotio à filiis Eleazar, hic primus de filiis Ithamar arripuit. Et forsitan ipsemet factus Iudex Sacerdotium ad se transtulit. Cœpit autè iudicare anno ab exitu de Ægypto CCC. LVI. ætatis autè tertiæ, id est ab Abraham DCCC. LXI. Mundi verò bis millesimo DCCC. IX. Et iudicauit annis XL. Huius tempore contigit Historia Ruth. HISTOR. Antonin. *Chronologia Heli.*

70 *Et ipse iudicauit Israël quadraginta annis.* Seder Olam Rabba cap. 13. Heli gubernauit Israëlem annis quadraginta. Quo autem die interiit, Dominus deseruit Tabernaculum Silo, & repulit Tentorium Ioseph, & dedit in captiuitatem fortitudinem suam. HISTOR. Seder Olá.

71 *Et ipse iudicauit Israël quadraginta annis.* Gilbertus Genebrardus, lib. 1. Chronographiæ Anno Mundi. 3026. Heli Sacerdos iudex factus transtulit Sacerdotium de domo Eleazaris ad suam, cum esset de Ithamaris secundogeniti Aaronis stirpe. HISTOR. Genebrar.

72 *Et ipse iudicauit Israël quadraginta annis.* Author Catenæ. Liber primus Paralipomenon. Septuaginta in Sixtia, Sulpitius, Seuer. Chrysostomus lib. 3. aduersus Vituperat. Vitæ Monast. Procop. Gazæus, & alij loco *quadraginta* habent *viginti*, quod alij aliter cum Vulgata concordant; ex mea autem sententia illi optimè, qui docent Heli viginti solùm annis per se populum iudicasse: viginti autem senio grauatum per filium suum Phinesium, (quidquid reclament Serarius, & Mendoza) qui, vt narrat Iosephus lib. 5. Antiquitat. cap. 11. alias 16. patre concedente, LITERAL. Author Catenæ. Paralip. Sixtia. Sulpit. Chrysost. Procop. Gazæus. *Heli quamdiu iudicauerit.* Serar. Mend. Iosephus.

concedente, patris muneribus fungebatur. Hi autem duo Viginti, seu quadraginta anni, Heli tanquam principali tribuuntur. Vnde facilè Septuaginta cum Vulgata concordantur. Quod autem Comestor, & ex eo Nauclerus perpetuus eius assecla affirmant inter Sampsonem, & Heli viginti annorum anarchiam, seu interregnum intercessisse, quæ Heli gubernationi etiam annectitur, vero fundamento caret, & rei contideranti gratis dictum. Præfuisse autem quadragita annis affirmant Euseb. Augustin. Beda, Isidor. Gregor. Cedrenus, Zonaras, Marian. Scotus, Herman. Contractus, Fræculfus, Salian. & alij communiter Vulgatæ, vt par est, credentes.

Comest. Naucl. Euseb. August. Beda. Isidor. Greg. Cedren. Zonaras. Scotus. Contract. Fræculf. Salian.

VERSVS XIX.

Vulgata. *Vulgata* Nurus autem eius vxor Phinees prægnans erat, vicináque partui, & audito nuntio quòd capta esset Arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus; incuruauit se, & peperit: irruerant enim in eam dolores subiti.

Benedic. *Benedict. in margine.* Et peperit, commoti enim sunt in ea dolores eius.

Text. Gloss. in margine. Irruerant enim in eam dolores *sui.*

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Nurus autem eius vxor Pinchas prægnans ad pariendum, audiuit famam quòd capta esset Arca Dei, & mortus esset socer suus, & vir suus, & incuruauit se, & peperit, quia veriæ erant super eam angustiæ eius.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Nurus autem eius vxor Pinhas, quæ ad partum grauida erat, audiens rumorem, quod & Arca Dei capta esset, quódque mortuus esset socer eius, & maritus suus, incuruauit se, & peperit, versi enim erant in eam anxij dolores eius.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et nurus eius vxor Pinhhazz. prægnans ad pariendum, & audiuit auditionem, quòd capta est Arca Domini, & quòd mortuus est socer suus, & quòd occisus est maritus eius, & curuata est, & peperit, quoniam concrepuerunt eam dolores eius.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et nurus eius vxor Phinees quæ concepit, vt pareret, & audiuit nuntium, quòd capta esset arca Dei, & quòd mortuus esset socer suus, & vir suus, & angustiata est, & peperit, quoniam versi fuerunt in eam dolores eius.

Sixtian. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et nurus eius vxor Phinees, cùm concepisset ad pariendum, & audiuit nuntium, quia capta est Arca Dei, & quia mortuus est socer suus & vir suus, & plorauit, & peperit, quoniam irruerant in eam dolores sui.

Vatab. *Vatab in Schol.* Decubuit, & peperit, quoniam effusi erant super eam dolores sui. *Alij legunt.* Vicina eiulatui erat. *Ideſt, proxima clamoribus, quos solent emittere mulieres parturientes.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Nurus autem eius vxor Phinees prægnans erat, &c.* Gregor. lib. 3. Variar. Expos. in 1. Reg. cap. 2. Quæ fuit nurus Heli nisi plebs Iudæorum reprobis Sacerdotibus subiecta, quæ quia per eorum prædicationem semina perfidiæ in mente susceperat, prægnans erat, & quia subiectam malitiam ipsa quoque cogitabat effundere, non solùm prægnans fuisse dicitur, sed etiam partui vicina? Quid est autem, quòd audita Arcæ captione, & soceri, atque viri sui morte peperisse dicitur, nisi quia Iudaicæ plebis residuum, dum spiritualia Sacramenta scripturarum ad gentium eruditionem transisse cognoscit, dum Sapientes Synagogæ cum vtroque sacerdotio interiisse iam conspicit, ea, quæ concepit hæresis suæ semina loquendo effundere non desistit.

Mystic. Eucher. 2 *Nurus autem eius vxor Phinees prægnans erat, &c.* Eucher. seu potiùs Autor Comment. in lib. Reg. cap. 4. Duo quoque filij Heli corruerunt, vnius vxor viduata, & mox in partu mortua est propter eandem perturbationem. Quod euidenti signo præfiguratum est, post extinctum Sacerdotium Iudæorum, carnalem interiisse Synagogam, prostratóque Heli de sella, Pontifices Iudæorum sellam habere vacuam, & gloriam Sacerdotij, Regníque extinctam.

Histor. Ioseph. 3 *Nurus autem eius vxor, &c.* Ioseph. lib. 5. Antiquitat. Iudaic. cap. 12. aliàs 16. Eadem die Phinees is quoque alterius ex filiis vxor obiit, non valens superesse mariti infortunio. Peperit ea filium septimestrem quidem, vitalem tamen.

Mystic. Angelom. 4 *Nurus autem eius vxor, &c.* Angelom. in Stromatib. Omnia ad superiora tenduntur. Nam sicut diximus; nurus Heli vxor Phinees carnalem plebem Iudaicam designabat, quæ carnali Sacerdotio copulata, cum ipso finem accepit, atque diuinitùs interiit. Sed notandum est, quia non antea interiit, antequam viuum parturiret. Ita & Synagoga Iudæorum ex toto non interiit, antequam viui ex ipsa nascerentur, ideſt ipsa primitiua Ecclesia, quæ ex ipsa plebe credidit.

Literal. Abul. 5 *Nurus autem eius vxor, &c.* Abulens. ibi. quæst. 19. Habuit Heli duos filios, & vterque habebat vxorem. Sed vxor Phinees mortua est. Erat autem iste Phinees Summus Sacerdos loco patris, & mortuo patre ad ipsum pertinere debebat, & ad posteros eius. Quod patet, quia mortuo Heli, & ipso Phinees, ad filios Phinees peruenit istud Sacerdotium. Nam Achimelech fuit Summus Sacerdos infrà cap. 22. & Abiathar filius Achimelech 1. Paralip. 24. Sed Achimelech erat filius Achitob infrà 22. & Achitob erat filius Phinees, vt patet infrà 24. Ergo ad filios huius Phinees peruenit Summum Sacerdotium eo tempore, quo mansit in domo Heli.

Literal. Idem. 6 *Vicináque partui.* Idem ibidem. Ponitur causa mortis huius mulieris, scilicet, quia erat propinqua partui, & dolores irruentes in eam simul cum ipsa amaritudine, ex aduersitate fortunæ ei nuntiatæ, fecerunt eam occumbere.

Literal. Idem. 7 *Et audito nuntio quòd capta esset Arca.* Idem ibidem. Ista enim omnia, quasi simul nuntiata sunt ipsi nurui Heli; ideò eam nimis permouerunt. Ponuntur autem hæc tria, quæ principaliter eam mouerunt, quia quodlibet ad ipsam nimis attinebat: non enim ponitur hic de ruina magna populi, scilicet, quòd periissent triginta millia, quia aliàs bella acciderant, & mortui fuerant multi de Israël.

Literal. Franc. Mendoza. 8 *Et audito nuntio quòd capta esset Arca.* Franc. Mendoza ibi. §. 1. Nihil ei de ruina populi renuntiatur, quæ tamen Heli renuntiata fuerat, nec immeritò, nam militaria negotia, bellicíque euentus minùs ad fœminam pertinebant. Captiuitas Arcæ, quæ

quæ ad Heli vltimo loco defertur, eius nurui primò denuntiatur, vel quia hic nuntius Pontifici, cui potiùs morigerari desiderabat; tristissima quæque statim obtrudere non audebat: quæ tamen fœminæ, cuius ad voluntatem loqui non curabat, statim ingerere non verebatur: vel quia vtriusque animum leuioribus primum infortuniis perstringendum, deinde verò etiam grauioribus exulcerandum iudicabat.

HISTOR. Author. Catenæ

9 *Et audito nuntio, quòd capta esset Arca.* Autor Catenæ. Quisnam nuntium hoc attulerit nurui? Dicis: Vir ille de Beniamin, qui venit ad Heli. Non assentior, quia Hebræus, & Chaldæus contrarium indicant, dum legunt: *Audiuit famam*, vel *audiens rumorem*, vel *audiuit auditionem*. Ex quibus colligitur non à certo Autore ruinam didicisse, sed ex rumore peruagato, & ciuium clamoribus. Confirmatur, quia Beniamita vltimo loco Arcæ captionem denuntiauit; rumor autem qui maiora proponit, primò de Arcæ iactura percrebuit, deinde de minoribus malis, scilicet Sacerdotum cæde, & Pontificis interitu.

LITERAL. Hieron. Genes. 35. & 36. MORAL.

10 *Incuruauit se, & peperit.* Hier. lib. 2. in Micheam cap. 4. tom. 6. Legamus Scripturas, & nunquam inuenietis sanctas mulieres, excepta Rachel, cum dolore peperisse, quæ quia in via erat, & in Hippodromo, id est equorũ cursu, qui in Ægypto venundantur, filium peperit doloris, quem postea vocauit pater filium dexteræ. Eua eiecta de paradiso & audiens *in doloribus paries*, peperisse describitur in dolore. Vxor Phinees contracta nec se erigens, sicut illa, quam in Euangelio Diabolus alligauerat, peperit postquam captam Arcam Dei, populique audisset ruinam.

Luc. 13.

MYSTIC. Gregor.

11 *Incuruauit se, & peperit.* Greg. suprà. Dum reproba Synagoga prædicat, dum parere asseritur, incuruata memoratur. Velut enim non se curuantes pariunt, qui cœlestia loquuntur, quia in statu fidei auditorum suorum corda ad studium erigunt bonæ operationis. Quæ igitur praua asserit, incuruata parit, quia profectò hoc sibi loquendo agitur, vt quo attentiùs loquitur, in damnationis suæ barathro profundius deponatur.

HISTOR. Philo.

12 *Incuruauit se, & peperit.* Pseudophilo in Antiquitat. Biblicis. Et mulier Heli sedebat pariens quæ, vt audiuit hæc, resoluta sunt omnia viscera eius.

LITERAL. Lira.

13 *Incuruauit se, & peperit.* Lira ibi. Quia dolor magnus, & repentinus accelerat partum.

LITERAL. Abul.

14 *Incuruauit se, & peperit.* Abulens. ibi quæstion. 19. Hoc potest dupliciter intelligi. Vno modo, quòd antequam ista fœmina aliquid audisset, occupata fuerat doloribus partus, quia vt dicitur suprà, erat vicina partui. Alio modo intelligitur quòd ista fœmina non habebat aliquos dolores partus, quando audiuit ea, quæ habentur hic, quanquam esset vicina partui, quia tamen ista erant auditu durissima sibi, supra quam dici potest, nimio dolore commota est. Et tunc quia ipsa erat vicina partui ex illo nimio metu dolores partus insurrexerunt.

Adricom.

15 *Incuruauit se, & peperit.* Adricomius in Chronica, anno mundi 2820. Nurus eius vxor Phinees prægnans ex subito partu obiit.

MORAL. Hugo.

16 *Incuruauit se, & peperit.* Hugo Carens. in Postilla. Sic aliqui audita morte parentum, vel etiam aliorum, festinant ad partum boni operis, & vocant opus suum Ichabot, id est ingloriũ, quod ex ipso opere gloriam suam hîc non quærunt.

LITERAL; Mendoza.

17 *Incuruauit se, & peperit.* Franc. Mend. ibi §. 4. Illa incuruatio orta fuit ex nimio dolore, quem vt releuaret, varias se in partes intorquebat, stando, sedendo, cubando, huc atque illuc se flectendo, & incuruando.

LITERAL. Author Catenæ.

18 *Incuruauit se, & peperit.* Autor Catenæ. Emissum fœtum Iosephus septimestrem dicit; fallitur tamen. Nam matrem Textus partui vicinam fuisse affirmat, prægnans verò in septimo mense partui legitimo vicina non est, sed vel in mense nono, aut vt alij volunt, decimo, aut paulò ante quàm impleatur nonus.

MYSTIC. Gregor.

19 *Irruerant enim in eam dolores subiti.* Greg. suprà. Quia Synagoga mortis suæ tormenta non præuidit, subiti dolores in eam irruere dicuntur, subiti namque dolores sunt repentinæ afflictiones mortis sine præuisione venientis. Subitò enim dolores irruunt, cùm Iudaicæ plebis suppliciorum perennium retributiones obuiant, quæ nunc in contemptu veritatis posita non formidat.

VERSVS XX.

Vulgata.

Vulgata. In ipso autem momento mortis eius, dixerunt ei, quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animaduertit.

Benedict.

Benedict. in margine. Quæ non respondit eis, nec apposuit cor suum.

Glossa.

Text. Gloss. in margine. Quæ non respondit eis nec posuit cor suum.

Author Catenæ.

Autor Catenæ. Exemplaria alia habent: *Dixerunt ei, qui stabant.* Sic Bened. & Text. Gloss. adiunctus, Complut. & alia: alia & correctiora habent: *Quæ stabant*, id est fœminæ adstantes. Sic Fortunatiana, Laurentij Beyerlinck, cum aliis.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagn. Tempore autem quo moriebatur, locutæ sunt, quæ stabant iuxta eam: Ne timeas quia filium peperisti; & non respondit neque posuit cor suum.

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Cúmque adesset tempus, vt moreretur ipsa, dicebant quæ ei adstabant: Ne metuas, quoniam peperisti filium. Sed non respondit, nec apposuit cor suum.

Arias.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et in tempore mortis eius, & locutæ sunt mulieres, quæ stantes super eam: Ne timueris, nam filium masculum peperisti. Et non respondit, & non posuit super cor suum.

Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et dixerunt ei mulieres, quæ adstabant ei: Ne timeas quoniam filium peperisti. Et non respondit, & non animaduertit cor suum.

Sixtin.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et in tempore suo morietur, & dicebant ei mulieres assistentes ei: Ne timeas quoniam filium peperisti, & non respondit, & non cogitauit cor eius

Vatabl.

Vatablus Scholijs. Sub articulum temporis, quo mortua est, &c.

Caietan.

Caietanus ibi. Iuxta Hebraum habetur. Et sicut tempus mori eius.

V PP. ET

PP. ET AVCTORES.

Histor. Auguſt.

1 *IN ipſo autem momento mortis eius.* Auguſt. in Pſalm. 77. tom. 8. Ceciderunt in gladio filij Heli, quorum vnius vxor viduata, & mox in partu mortua propter eandem perturbationem plangi non potuit honore funeris.

Histor. Remig.

2 *In ipſo autem momento mortis eius.* Remig. in Pſalm. 77. Vxor alterius audiens, quæ iam erat in partu præ triſtitia abortiendo cecidit mortua.

Histor. Brigitta.

3 *In ipſo autem momento mortis eius.* S. Brigitta Sermon. de Excellent. Beatæ Mariæ Virginis c. 18. Commemorat ſacra Pagina quòd vxor Phinees Arcam Dei ab eius inimicis captam eſſe percipiens, præ dolorum vehementia protinùs expirauit.

Mystic. Strab.

4 *In ipſo autem momento mortis eius.* Strabus in Gloſſa. Vxor Sacerdotis non antea interiit, quàm viuum peperit: nec Synagoga ex toto interiit, antequam primitiua Eccleſia, quæ ex ipſa erat, credidit. Euidenti ſigno figuratur, quia extincto carnali Sacerdotio Iudæorum, extinguitur carnalis Synagoga, quæ ei carnaliter adhærebat.

Mystic. Hugo Vict.

5 *In ipſo autem momento mortis eius.* Hugo Vict. lib. 5. Allegor. cap. 7. tom. 1. Vxor Sacerdotis non ante interiit, quàm viuum peperit: nec Synagoga ex toto interiit, antequam Eccleſia primitiua, quæ ex ipſa erat, credidit. Credentes Synagogam conſolantur, ſed deſperans minime animaduertit, nec ſobolem nouam deputat gloriæ, ſed ignominiæ. Vnde ſequitur *& vocauit puerum Ichabod*, quod nomen deſignat *Inglorium.*

Literal. Abul.

6 *In ipſo autem momento mortis eius.* Abul. ibi. quæſt. 19. Id eſt, dum ipſa expirare vellet, non quidem tunc moriebatur, quia adhuc poſt hoc locuta fuit aliqua verba, quæ habentur immediatè, ſed quia tunc erat morti propinquiſſima, dicebatur eſſe in momento mortis.

Literal. Caiet.

7 *In ipſo autem momento mortis eius.* Caietan. ibid. Non ſcribitur mortua, ſed quaſi mortua, ſeu ac ſi moreretur. Nam ſubiuncta teſtantur quòd tunc non eſt mortua; ſubiungitur enim quòd ipſa non reſpondit, nec animaduertit, ita quod nec intùs nec extra tunc animaduertit circa filium; & cùm hoc ſubiungitur, quòd nominauit filium Ichabod, ergo rediit ad ſeipſam, & nomen impoſuit filio. Non igitur tunc mortua fuit.

Literal. Mend.

7 *In ipſo autem momento mortis eius.* Franciſcus Mendoza ibidem §. 5. Totum hunc euentum dicitur regius Vates ſecundùm aliquos Interpretes, cecinisſe illo Verſiculo. *Sacerdotes eius in gladio ceciderunt: & viduæ eius non plorabantur.* Pſalm. 77. Nam Ophni, & Phinees Sacerdotes in prælio occiſi ſunt, & relictæ eorum vxores non plorabantur, ſeu vt aliqui vertunt apud Genebrardum: *Non plorabant.* Id eſt, tam exiguo tempore ſuperſtites fuerunt, vt ſpatium deplorandi filios ſuos interfectos non habuerint, & quod habuerunt non plorando, ſed obſtupeſcendo tranſegerint.

Pſalm. 77.

Genebrar.

Histor. Auth. Cat. *Vxor Phinees quando mortua?* Ioſephus. Gregor. Brigitta.

9 *In ipſo autem momento mortis eius.* Author Catenæ. Id eſt, cùm iamiam morti nimis proxima eſſet, animámque agere videretur conſolantibus non attendit. Ex quo certò colligitur paulò poſt obiiſſe, quod etiam affirmant Ioſephus, Gregorius, & plures alij; imò reuelatum id fuiſſe videtur Sanctæ Brigittæ ab Angelo, Sermonem ipſi de Beatæ Mariæ excellentia dictante. cap. 18. Maius dubium eſſe poteſt de filio per abortum edito; de quo probabilius eſt continuò quoque periiſſe, vt ait Salianus, vtpote immaturum. Non enim ſeptimeſtris fuit, vt nuper contra Ioſephum probauimus, ſed partui proximum, non tamen adeò proximum, vt naturaliter & legitimè ortus fuerit, cuius etiam vt ſuperſtitis nunquam meminit Scriptura: Meminit autem vtcumque infrà cap. 14. verſ. 3.

Salian. Ioſeph.

10 *In ipſo autem momento mortis eius.* Petrus Vermil. Hæreticus in Comment. De nuru Heli non conſtat inter omnes Interpretes, an hoc partu fuerit extincta. Aliqui eam tradunt non obiiſſe; verum iacuiſſe aliquando moribundam, eámque putant, cùm ad ſe rediiſſet, filio nomen, quod ſequitur impoſuiſſe. Maxima tamen pars Rabbinorum, & inter eos Ioſephus tradunt, eam ex puerperio eſſe mortuam.

Literal. Vermil.

11 *Dixerunt ei quæ ſtabant.* Abulenſis ibidem quæſtione 19. Scilicet quia irruerant in eam dolores partus, aderant ſibi aliqui miniſterium obſtetricum exhibentes, & illi locuti ſunt quæ habentur hìc.

Literal. Abul.

12 *Ne timeas, quia filium peperiſti.* Gregorius lib. 3. Variarum cap. 2. Filium Synagoga peperit, quia durum in nequitia, & inſuperabilem populum eruditit. Quæ autem mulieres iuxta ſtant, niſi mentes æquali ordine impietatis adſtrictæ? ſtant quippe non veritate, & rectitudine fidei, ſed præſumptione, & iactantia religionis. Idcircò eam, ne timeat, cohortantur, quia filium peperit, vt videlicet tanto ſecuriùs in veteri traditione mori non timeat, quanto illos etiam in ea obduratos, & inconuertibiles aſpicit, quos ſuo magiſterio eruditos cognoſcit.

Mystic. Gregor.

13 *Ne timeas, quia filium peperiſti.* Gloſſa Ordinaria ibidem. Credentes Synagogam conſolabantur, ſed deſperans minimè aduertit, nec ſobolem nouam deputat gloriæ, ſed ignominiæ. *Eadem verba habet* Hugo Victorinus *ſuprà.*

Mystic. Gloſſa. Hugo.

14 *Ne timeas, quia filium peperiſti.* Abulenſis ibidem quæſtione 19. Iſta dicebant aſſiſtentes huic mulieri, vt conſolarentur eam; nimis enim gaudent fœminæ, cùm peperint filios; ideò quanquam à principio, dum periclitantur, in partu nimis doleant, tamen poſteaquam pepererint, non recordantur amaritudinis ſuæ. Sic dixit Chriſtus Ioannes 16. *Mulier, cùm parit, triſtitiam habet, cùm autem peperit puerum, non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Iſta eſt igitur conſolatio fœminarum parientium.

Literal. Abul.

Ioan. 16.

15 *Quæ non reſpondit eis, nec animaduertit.* Gregorius ſuprà. Nam dum æterni doloris experiri amaritudinem inchoat, hoc, quod temporaliter aliis profuit, non delectat. Vel certè idcircò de nato puero non lætatur, quia is, qui gignitur, ſua inſtitutione in captiuitate conſpicitur.

Mystic. Gregor.

16 *Quæ non reſpondit eis, neque animaduertit.* Angelom. in Stromatibus. Meritò conſolationem non recipiens ab his, quæ conſolabantur, id eſt Synagoga deſperans ab humilibus credentibus ait: *tranſlata eſt gloria*, &c.

Mystic. Angelom.

17 *Quæ non reſpondit eis, neque animaduertit.* Abulenſ.

Literal.

Abul. Abulens. ibi. q. 19. Ideſt, quanquam intellexit illa, quòd adſtantes conabantur eam conſolari, tamen non reſpondit eis, nec aduertere voluit, conſolari renuens, cum audierit tantam calamitatem Iſrael: erat enim ſibi amara vita ducenda; ideò quanquam ei viuere daretur, non elegiſſet ſuperuiuere.

Moral. Hugo. *Laus non adſcitanda.* 8 *Quæ non reſpondit eis, neque animaduertit.* Hugo Charens. in Poſtill. Sic & nos debemus facere, cùm laudamur de bono opere, quod fecimus, debemus taciti præterire, nec reſpondere.

VERSVS XXI.

Vulgata. *Vulgata.* Et vocauit puerum, Ichabod, dicens: Tranſlata eſt gloria de Iſrael, quia capta eſt Arca Dei, & pro ſocero ſuo, & pro viro ſuo.

Benedict. *Benedict.* Tranſlata eſt gloria Domini de Iſrael, *Et in margine*: Ob captam Arcam Dei, ob ſocerum eius, & ob maritum eius.

Gloſſ. *Textus Gloſſ. in margine.* Tranſlata eſt gloria Domini Dei Iſrael, quia capta & Arca Dei.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et vocauit puerum Ichabod dicendo: Tranſlata eſt gloria ex Iſrael, quòd capta eſſet Arca Dei, & mortuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et vocauit puerum Ichabod, dicens: Tranſmigrauit gloria de Iſraele (ob captam Arcam Dei, ob ſocerum eius, & ob maritum eius.)

Ariaſm. *Chaldaica ex Benedicto Ariaſm. in Regia.* Et vocauit puerum Hichabod dicendo: migrauit gloria ex Iſrael, quòd capta eſt Arca Domini, & quòd mortuus eſt ſocer eius, & quòd occiſus eſt maritus eius.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et vocauit nomen puero gloriæ pro Arca Dei, & pro ſocero ſuo, & pro viro ſuo, quoniam mortui ſunt.

Sixtian. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et vocauit puerum Væbarchaboth pro Arca Dei, & pro ſocero ſuo, & pro viro ſuo.

Gregor. *Gregor. lib. 3. Variar. c. 2.* Et vocauit puerum Hichaboth dicens: Tranſlata eſt gloria Domini, quia capta eſt Arca Dei.

Caiet. *Caietan. ex Hebræo.* Reuolutus eſt honor ab Iſrael ad eſſe captam Arcam Elohim, & ad ſocerum ſuum, & ad maritum ſuum.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gloſſa. 1 *Et vocauit puerum Ichabod.* Gloſſ. Ordinat. ibi. Cabhod *gloria* Icabhod *cecidit gloria*. Tranſlata enim eſt gloria captâ Arcâ. Vnde: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Ichabod* ideſt inglorium, quia verè humilis, quamuis pariat fructum magni meriti, nullam tamen inde gloriam tribuit ſibi, ſed totum diuinæ virtuti ſecundùm Saluatoris conſilium. Lucæ 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus.*

Tropol. *Gloria vni Deo.*

Luc. 17.

2 *Et vocauit puerum Ichabod.* Ioſeph. lib. 5. Antiquit. c. 12. alias 16. Cui ob acceptam ignominiam Ioachabes fuit nomen, quam ea vox apud Hebræos ſignificat. Histor. Ioſeph.

3 *Et vocauit puerum Ichabod.* Abulens. ibi. quæſt. 19. Interpretatur Ichabod *inglorius*, ideſt ſine honore, quia tota gloria tranſierat ab Iſrael, vt paret immediatè; & ipſa expreſſit hîc cauſam nominis eius. De illo puero Ichabod non legitur an ſuperuixerit. Fit autem mentio de ipſo infrà, cap. 14. cùm dicitur quòd Achias filius Achitob fratris Ichabod filij Phinees portabat Ephod. Sed ex hoc non apparet an ipſe ſuperuixerit. Fortè dicetur quòd non ſuperuixerit, quia erat partus immaturus. Literal. Abul.

4 *Et vocauit puerum Ichabod.* Caietanus ibi. Hoc eſt *vbi honor?* ſeu *non honor*. Alterum enim horum ſonam Hebraica dictio, quod tamen nomen proprium illius viri, qui poſtea fuit Sacerdos, eſt. Literal. Caiet.

5 *Et vocauit puerum Ichabod.* Franciſc. Mend. ibi. §. 2. Ichabod idem eſt, atque *inglorius*, ſeu *vbi gloria?* ſeu *non gloria*; ſeu *vae gloria*. Sic enim alij, atque alij interpretantur. Nam אִי־כָבוֹד Ichabod eſt nomen compoſitum, cuius prior pars אִי primo aliquando ſignificat *vbi*: Genes. 4. *Vbi eſt Abel frater tuus?* Aliquando *non*: Prouerb. 31. 4. Iuxta Hebræum. *Principibus non des vinum.* Aliquando *væ*. Eccleſiaſtes 10. 16. *Væ tibi terra.* At verò כָבוֹד Chabodh, ideſt gloria. Pſal. 29. 3. *Vt cantet tibi gloria mea.* Ex quibus partibus prædicta etymologia coaleſcit. Literal. Mendoza. *Ichabod quid?* Gen. 4. Prou. 31. Eccleſ. 10. Pſalm. 29.

6 *Tranſlata eſt gloria de Iſrael.* Gregorius libr. 3. Variarum, capite 2. Gloria Iſrael tranſlata eſt, quia poſtquam à vera religione Synagoga cecidit, redolere per bonæ famæ opinionem ceſſauit. Benè autem non perire Iſrael gloria dicitur, ſed transferri, quia religionis fama, quam perdidit, ad gentilitatem tranſiuit: Tranſlata quippe eſt gloria, quia in Sancta Eccleſia veræ religionis fragrantia redolet, quæ in fide Redemptoris poſita, pro æterni ſplendoris certitudine, quam ſpectat donum Sancti Spiritus pignus tenet. Idcircò de nato filio lætari refugit, quia profectò dum ad gentes tranſire præteritam gloriam conſpicit, ad captiuitatem ſe parere ingemiſcit. Mystic. Greg.

7 *Tranſlata eſt gloria de Iſrael.* Angelom. in Stromatib. Hoc eſt, quod Dominus ait: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Matth. 21. Vnde notandum eſt, quia puerum vocauit Ichabod. Chabod enim *gloria*, Ichabod verò *cecidit gloria*. Ad illos refertur, qui ex Synagoga non credentes prodierunt, qui decori, & gloriæ eſſe poterant ipſi Synagogæ, ſi credere in Deum, & illius prædicationibus voluiſſet. Et quia hoc agere contempſit, gloriam eandem amiſit, quia Prædicatores ſancti, eis contemptis, ad gentes peruenerunt. Mystic. Angelom. Matt. 21.

8 *Tranſlata eſt gloria de Iſrael.* Abulens. ibi. quæſt. 19. Hic ponitur ratio huius nominis: ipſa enim cum vocauerit puerum nomine inſolito, ideſt Ichabod, ideſt *inglorius* aſſignauit cauſam, ſcilicet *quia tranſlata eſt gloria ab Iſrael* in alias gentes. Ideò iam iſte puer erat inglorius, quòd naſcebatur eo tempore, quo receſſerat gloria. Literal. Abul.

9 *Tranſlata eſt gloria de Iſrael.* Caietanus ibi. Quadrat ratio vtrique ſenſui; nam reuolutio honoris ex Iſrael ſeruit, & migrationi Literal. Caiet.

figuratæ, vbi honor? & negationi significatæ, non honor, quia capta est Arca Dei.

LITERAL. Sanct. 10 *Translata est gloria de Israël.* Gaspar Sanct. ibi. num. 19. Erat hoc gentibus olim persuasum, incolumem ciuitatem aliquam esse non posse, si Deos, quos habebat tutelares, aut excessisse sponte, aut esse ablatos ab hoste contigisset. Notum est quid de Palladio senserit antiqua Gentilitas, & quomodo prudentes quique actum putarent esse de Troia, cùm illud ad hostium potestatem venit, & quomodo ex Adytis atque adeò ex vrbe dicantur excessisse Dij, quorum auxilio ciuitas illa stetisse diu, & floruisse credebatur. Quare vt tradit Macrob. Macrobius 3. Saturnal. 9. Cùm prope esset, vt caperetur ciuitas certo carmine ab hostibus euocabantur Dij tutelares, quia aliter expugnari vrbem desperabant.

MYSTIC. Greg. 11 *Quia capta est Arca.* Gregor. suprà. Arca quidem capitur, quia iam Autore Deo à veris fidelibus sanctæ Scripturæ Sacramenta veræ intelligentiæ capacitate retinentur.

LITERAL. Abul. 12 *Quia capta est Arca.* Abulens. ibi. quæst. 19. Ista est causa, quare transit gloria ab Israel in alias gentes: erat enim tota gloria, & honor Israelitarum super alias gentes, quòd Deum suum haberent inter se præsentem, & respicientem ad omnia, quæ ipsi quærerent. Quòd autem ista esset gloria eorum, patet Deuter. 4. Scilicet Deuter. 4. *vt audientes vniuersi dicant. En populus sapiens, & intelligens magna: nec est alia natio tam grandis, qua habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.*

LITERAL. Abul. 13 *Et pro socero suo, & pro viro suo.* Idem ibidem. quæst. 19. & 20. Aliqui exponunt istam litteram, dicentes quòd ista mulier dixit translatam esse gloriam ab Israël propter duo, scilicet propter Arcam, & propter socerum, & virum suum; & hoc patet quia bis dicitur hic; *Translata est gloria Dei ab Israël*, & primò dicitur quòd capta est Arca, & secundò dicitur quòd pro socero suo, & pro viro suo dixit *translata est gloria Dei ab Israël.* Sed ista expositio non stat. Primò quia immediatè subditur causa huius, cùm dicitur: *Eo quòd capta esset Arca Dei*, & sicut bis dicitur: *Translata est gloria Domini*, ita bis, *Eo quòd capta esset Arca*, ergo non propter mortem soceri, & viri sui dixit translatam esse gloriam. Item si pro his intellexisset: non dixisset: *Translata est gloria Domini ab Israël*, sed periit gloria Dei Israël, nam socer suus in Silo mortuus est, & ad ostium Templi. Vir autem eius mortuus fuit in bello, & hoc fuit in terra Israël, quod tamen translatum est, & de vno loco ad alterum mutatum est, ergo non intelligitur pro his.

LITERAL. Caietan. 14 *Et pro socero suo, & pro viro suo.* Caietan. ibi. Iuxta Hebræum tria hæc (videlicet capta Arca, & socer, & maritus) simul ordinantur, in casu accusatiuo, immediatè post illa verba *Reuolutus est honor de Israël*; ita quod subiungitur *ad esse captam arcam Elohim, & ad socerum suum, & maritum suum*, & est sensus, quòd imposuit hoc nomen relatiuè ad hæc tria; deinde immediatè subditur, *Et dixit, &c.*

LITERAL. Mendoza. 15 *Et pro socero suo, & pro viro suo.* Francis. Mendoza ibi. §. 8. Dupliciter explicari potest, primò conuertendo illud *pro* in *de* id enim significat apud Hebræos אֶל El. Et coniungendo sic. Translata est gloria de Israël, & de socero suo, & de marito suo. Secundò coniungendo hæc verba cum illo superiori *vocauit*; quasi diceret: Vocauit, & pro socero suo, & pro viro suo puerum Ichabod: & est sensus: Cùm patres soleant infantibus nomina ponere, illis mortuis, sola mater pro illis vocauit puerum Ichabod.

LITERAL. Autor Catenæ. 16 *Et pro socero suo, & pro viro suo.* Author Catenæ. Planior sensus hic est. Vocauit filium, quem parturiuit, inglorium, ex eo scilicet, quòd eo nasceretur tempore, quo Dei gloria ad alios transierat, hoc est, quia capta fuerat Arca Dei, socérque suus obierat, insuper maritus ceciderat in bello. Hic, inquam, planus sensus est, quem similiter confirmant Hebræus, Chaldæus, & Græcus, vt Versiones supra scriptas legenti constabit. Quod præterea expressius indicant Exemplaria Ioann. Benedicti Parisiensis, qui in margine suæ Bibliæ, sic legit. *Ob captam Arcam Dei, ob socerum eius, & ob maritum eius.* Idem denique notat Caietanus ibidem his verbis. *Iuxta Hebraum tria hæc, videlicet Arca capta, & socer, & maritus simul ordinantur in casu accusatiuo, immediatè post illa verba:* Reuolutus est honor de Israël. *Et est sensus quòd imposuit hoc nomen relatiuè ad hæc tria.* Vnde miror Abulensem tanto hiatu contendere nominis inglorij impositionem, & translationem gloriæ de Israël ad Arcæ tantummodò translationem relatum iri, nusquam verò ad coniugis, & soceri è vita decessum. Miror, inquam, cùm non solùm Vulgata contrarium innuat, sed omnes prædictæ translationes, & id annotent Interpretes. Abulensi subscribit Mendoza, duplicémque expositionem excogitat, vtramque quidem violentam, & absonam. Dicis: Arca Dei dicebatur olim Gloria Dei; sed nec socer, nec maritus erant gloria Dei, ergo translatam fuisse gloriam non alludit ad obitum Sacerdotum, soceri scilicet, & mariti. Respondeo negatâ consequentiâ; mulier enim solùm dixit translatam fuisse gloriam Dei cuius sufficiens probatio est Arca capta, quæ erat gloria Dei, quin ad probationem requiratur socerum, & maritum fuisse gloriam Dei; copulatiuè enim de illis Tribus nempe Arca, marito, & socero prædicari potest, quòd essent gloria Dei, non autem de vnoquoque disiunctiuè, quod solùm Arcæ conueniebat. Idemque respondeo ad aliud Abulensis argumentum; nimirùm solùm Arcam fuisse translatam, non Sacerdotes. Verum quidem id est, sed translatio formaliter solùm de Arca prædicatur, non de Sacerdotibus, de quibus prædicari non requiritur ad probationem translationis gloriæ Dei. Fœminam autem non solùm ad Arcæ translationem, sed & ad viri necem, & soceri obitum allusisse, id etiam maximè suadet, quòd mulier, de cuius zelo, & sanctitate non constat, duriùs quidem ferret mariti occisionem, quàm translationem Arcæ, quod patet, quia audita Arcæ captiuitate, non quidem incuruauit se, & irruentibus doloribus acta describitur, sed postquam soceri, & viri interitum accepit. Sed de his satis vt breuitatis sit consultum.

VERSVS XXII.

VVlgata. Et ait: Translata est gloria ab Israël, eo quòd capta esset Arca Dei. Vulgata.

Benedict. & Text. Gloss. Et rursùm ait, *vel* dixit. Benedic. Glossa.

VERSIO

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnin.* Dixit : Translata est gloria ex Israel, quia capta est arca Dei.

Vatab. *Hebraica ex Francis. Vatab.* Et rursùm ait : Transmigrauit gloria de Israële, quoniam capta est arca Dei.

Ariasm. *Chaldaïca ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et dixit: Migrauit gloria ex Israël, quoniam capta fuit Arca Dei.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et dixit: Translata est gloria ab Israël, eo quòd capta est Arca Dei.

Sixtian. *Græc. ex Septuag. in Sixtiana.* Et dixerunt: Transmigrauit gloria Israël in eo, quòd capta est Arca Domini.

Caiet. *Caietan. in Comment.* Et dixit : Reuolutus est honor ab Israël, quia capta est Arca Elohim.

Author Catenæ. *Author Catenæ.* Particula, seu coniunctio *Et* quæ præcedit verbum *ait*; abest à pluribus exemplaribus, sicut etiam ab Hebræo, vnde vterque versiculus ab aliquibus connectitur. *Translata est gloria de Israel, quia capta est Arca Dei, & pro socero suo, & pro viro suo dixit: Translata est gloria ab Israel, quòd capta esset Arca Dei.* Vbi sensus quidem congruenter aptatur, & simul indicatur vltima hæc verba *eo quòd capta esset Arca Dei*, immò & aliqua alia ex superioribus, non quidem fœminæ, sed libri Autoris, qui Interpretem egit, esse, verumeninverò Vulgatæ nuper correctæ retinenda est lectio, quæ consonat & Græco, & Chaldaico; satisque ex eo aptatur sententia, si dicas extremum hunc versiculum esse præcedentis repetitionem, & simul expositionem, vt innuatur, licèt primò translatæ gloriam, non solùm Arcam, sed & suorum iacturam dixerit; modò tamen ad solius Arcæ translationem animum, lectúmque intensiùs appulisse, quoque morti proximiorem, eo religiosiorem exitisse.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Mendoz. 1 *Et ait.* Francis. Mendoza ib. §. 1. Septuaginta in Bibliis Sixtianis in plurali vertunt: *Et dixerunt*, quasi vbi nurus Heli suum illud epicedium inchoauit, statim omnes fœminæ, quæ illi aderant, pari voce sequerentur.

Literal. Abul. 2 *Translata est gloria ab Israel.* Abulens. ibi. quæst. 20. Idest à Summis Sacerdotibus, & quia socer huius fœminæ, scilicet Heli, & vir eius Phinees erant Summi Sacerdotes pro iis dixit, quòd translata erat gloria Domini ab Israël, idest ab illis.

Literal. Caietan. 3 *Translata est gloria ab Israël*, &c. Caietan. ibi. Duo dixerat mulier, alterum est *Ichabod*: alterum est : *Reuolutus est honor ab Israel*, & in littera declaratur ad quid retulerit mulier ambo; priùs enim declaratur, quòd nomen infantis retulerit ad Tria, ad Arcam, ad socerum, & ad maritum. Modò declarat quòd reuolutionem gloriæ retulerit ad Arcam Elohim captam.

Moral. Mendoza. *Laus nurus Heli.* 4 *Translata est gloria ab Israel.* Franciscus Mendoza ibi. cap. 4. vers. 21. §. 5. Quòd si quis illam (nurum Heli) adhuc sanctis fœminis adnumeret, dicere poterit eam quodammodo erubescentem, quòd res sacras, & profanas simul deplorauerit, respuisse, & priori luctu relicto, ad solam Arcæ iacturam lamentandam illa verba iterasse: *Translata est gloria Israel, eo quòd capta esset Arca Dei.*

Literal. Author Caten. 5 *Translata est gloria ab Israël.* Author Catenæ: Ex mœroris, doloríque acerbitate, eadem repetit more acriter lamentantium, nec semel Arcæ translationem deplorasse libet, donec ad vltimum quidem spiritum vita luctui inseruiat, & dolori. Quanto verò æquius diuinæ gratiæ amissionem, spiritualeque ruinas Christianus animus debeat lamentari? Huic vni & lachrymæ, & singultus, ac æternus, vt par est, mancipetur dolor.

Moral. *Peccatum lachrymis dignum.*

Literal. Saa. 6 *Quòd capta esset Arca Dei.* Emanuël Saa in Biblia Trium PP. Verba sunt Autoris libri.

Histor. Philo. 7 *Eo quòd capta esset Arca.* Pseudophilo in Antiq. Bibl. Audiens Samuël quæ contigerant Israël, abiit, & orauit Dominum, diceris: Ecce nunc in vanum ignoratur mihi intellectus, vt viderem exercitum populi mei. Et nunc timeo, ne fortè dies mei in malum veterascant, & anni mei finiantur in dolore, vbi enim Arca Dei non est mecum, quid adhuc mihi viuere?

METAPHRASIS

CAP. IV.

Ex superiori Interpretum doctrina.

CONTIGIT autem, aliquo annorum interuallo facto, vt Hebræi, ex Samuelis consilio expeditionem contra Philistæos appararent, quibuscum veteres agerent inimicitias, & à quibus tunc etiam temporis dominabantur. Philisthæi verò similiter classicum canere, & in vrbe sua Aphec (quæ ad sortem Iudæ pertinuerat) castra disponere: quos contra Israëlitæ in vrbe Bethcar fixere tentoria, iuxta lapidem, postea Adiutorij à Samuële dictum. Irruentibus autem rectè ordinatis Philisthinis, ventum est ad arma, quibuscum cæderent Hebræi, & inordinatà fugà saluti consulerent, ad quatuor millia hominum ex eisdem periere, reliquis in castra compulsis. Ibi verò cùm antiquiores ducum militare consilium agitassent, diuinæ vindictæ acceptam cladem non sine admiratione adscribentes, in vnum id conueniunt, Arcam nimirum fœderis in castra deferri oportere, quo faustum sibi, propitiúmque numen redderent. Decretum mittitur in Silo Summo Sacerdoti, vrbísque Senatui. Arca loco suo extrahitur à Pontifice, minorum Sacerdotum ministerio; eodem etiam ad castra deducitur palliis cooperta; quam castris appropinquantem, vt in conspectum venit, vniuersus populus lætitia, spéque excitatus, tumultuariis clamoribus salutat, locis omnibus circumquaque echo latè resonantibus. Hos vt Philisthæorum castra percepere, factáque disquisitione ad Arcæ aduentum referri, ab exploratoribus acceperunt, extimuere omnes, Deum (vt ipsi Arcam credebant, Hebræorum in castra, suis laturum opem, animósque facturum, descendisse, ingemiscentes. Væ, inquiunt, miseris; quorsum hostium nostrorum insolita hæc exultatio vergit? Cuiúsnam præsidiis excipiemur à fortissimorum Deorum potenti dextera? Ab iis, scilicet, qui in mari Rubro iuxta desertum

ſertum clade maxima totam Ægyptum vaſtauerunt? Quid ergo? itáne inertes occidemur? Quin potiùs timidos ſuſcitet deſperatio, armetque timor. Agite ergo Philiſtæi, nominis glorioſi non immemores: arma corripite, animos repetite, nec turpi vos ſeruorum veſtrorum ſeruituti ſubiicite, immò alacriter fortiterque præliamini. His dictis accẽſi hoſtes irruunt, quos tanta ſtrage perſundant, vt triginta Hebræorum millia iugulent, reliquis huc illúcque diſperſis, caſtriſque relictis, Arcâ ſimul in victorum manus amandatâ, & Heli Sacerdotis filiis Arcæ excubantibus, obtruncatis. Ex iis, qui ex acie fugerant, iuuenis Beniamita die ipſa Siluntem venit, de clade accepta nunciaturus, qui, vt doloris erat impatiens, veſtes ſciderat, & caput puluere fœdauerat; malum autem dum nunciat exturbata ciuium multitudo, dolore perciti miſeri conclamant, ſeu ferarum etiam in morem vlulant. At Heli Pontifex, qui Tabernaculi foribus inſederat iuxta viam, nuntium aliquod de bellico euentu aucupaturus, (nam diuinarum comminationum conſcius grande aliquod malum circa filios, & quod maximum ſibi erat, circa Arcam Domini anxius verebatur,) vt vrbis excepit tumultum, quoſcumque circa ſe reperit percontatur, quidnam rei, quódve malum indicet vrbis eiulatus? Accitus tandem iuuenis peruenit, quem iam excæcatus præ graui nonaginta, & octo annorum ſenio Heli non vidit, nec viderat, donec nuntius notum ſe fecit Pontifici; is autem blandè eum alloquutus rei euentum expoſcit. Enarrat itaque iuuenis primò Iſraëlitarum fugam, ſtragem deinde acceptam, filiorum poſt Heli internecionem, denique Arcæ captiuitatem. Hæc verò, vt à Pontifice auditur ſtupidus obriguit, retróque in caput actus, de ſede eminenti corruens, vt grauis homo erat, & ſenectute inualidus, fractis ceruicibus occubuit, cùm annos quadraginta Iudicis munus obiiſſet. Delata quoque totius ruinæ ratione, eiuſdem nurus, Phinees alterius ex Sacerdotis filiis vxor, cùm eſſet grauida, partuíque iam proxima, repentinis acta doloribus, facta incuruatione, filium immaturum quidem peperit, iamiámque moriens, ſpretis conſolatorum lenociniis Ichabod, ſeu inglorium puero nomen impoſuit, rei rationem ſemel, & iterum teſtata, quòd ſcilicet Iſraëlis gloria, captâ ab Allophilis Arcâ, & ſublatis Sacerdotibus, ad alios tranſiiſſet.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS.

CAPTA à Philiſthinis Arca in Palæſtinã deducitur, & Dagonis in ede collocatur. Sed mane ſemel & iterum deiectus & colliſus Dagon apparet, & ſacrilegi variis plagis à Deo percutiuntur. Ineunt tandem conſilium de ea ad ſuos remittenda.

CAPVT QVINTVM.

1 PHILISTHIIM autem tulerunt arcam Dei, & aſportauerunt eam à lapide adiutorij in Azotum. 2. Tuleruntque Philiſthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam iuxta Dagon. 3. Cumque ſurrexiſſent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. 4. Rurſumque mane die altera conſurgentes, inuenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen. 5. Porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo. Propter hanc cauſam non calcant ſacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, ſuper limen Dagon in Azoto, vſque in hodiernum diem. 6. Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos: & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magnæ in ciuitate. 7. Videntes autem viri Azotij huiuſcemodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Iſraël apud nos: quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon deum noſtrum. 8. Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas Philiſthinorum ad ſe, & dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Iſraël? Reſponderuntque Gethæi: Circumducatur arca

Dei

Dei Israël. Et circũduxerunt arcam Dei Israël. 9. Illis autem circũducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis : & percutiebat viros vniuscuiusque vrbis, à paruo vsque ad maiorem, & computrescebant prominẽtes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas. 10. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ, dicentes, Adduxerunt ad nos arcam Dei Israël, vt interficiat nos & populum nostrum. 11. Miserunt itaque & congregauerunt omnes satrapas Philisthinorum : qui dixerunt: Dimittite arcam Dei Israël, & reuertatur in locum suum, & non interficiat nos cum populo nostro. 12. Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valde manus Dei. viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium : & ascendebat vlulatus vniuscuiusque ciuitatis in cœlum.

VERSVS PRIMVS.

Vulgata. *Vulgata.* Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei, & asportauerunt eam à Lapide adiutorij in Azotum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Pelistim autem tulerunt Arcam Dei, & adduxerunt eam à Lapide adiutorij in Asdod.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Porrò Palesthini, acceptâ Arcâ Dei, duxerunt illam ab Æben-Æser in Asotum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et Pelisthæi cœperunt Arcam Domini, & adduxerunt eam à petra auxilij ad Asdod.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et Philithiim tulerunt Arcam Dei, & asportauerunt eam ex Lapide adiutorij in Azotum.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et alienigenæ ceperunt arcam Dei, & intulerunt illam ex Abenezer in Azotum.

PP. ET AVCTORES.

Histor. August. 1 *Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei.* August. seu Author Mirabil. Sacræ Scripturæ. c. 7. tom. 3. Philisthini victoriæ munere lætantes in terram suam eandem captam perducunt.

2 *Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei.* Nazianzen. Orat. 14. Miseranda res erat, Arcâ ab externis occupatâ, & excisâ, atque à gentibus calcatâ.

3 *Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 3. Quid est, quòd Arca à Lapide adiutorij asportatur, nisi quia præcones veritatis ab eo, quem Iudæi falsa opinione expectant, Christo, mysteria Scripturarum auferuntur? Dum enim ad veri Redemptoris cognitionem Sanctæ Scripturæ testimonia conuertuntur ab eo nimirum in quem sui auxilij spem Iudæi posuerant, Arcam tollunt; & quia gentibus fidei mysteria creduntur, Arca Dei in Azotum perducitur.

Histor. Ioseph. 4 *Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 1. Partâ de Hebræis victoriâ, sacráque Arcâ, quemadmodum diximus, captâ, Philisthini cum cæteris spolijs Azotum eam referunt.

Histor. Isidor. Pelus. 5 *Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei.* Isid. Pelusiota Epist. 7. in lib. 1. Arcam vnà cum ipsis Sacerdotibus, qui deliquerant, Barbaris dedidit, & vrbem sanctificationis, & Cherubim gloriæ, & stolam, & prophetiam, & vnctionem, & Thomim in concaleationem, & contanunationem gentibus addixit.

6 *Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei.* Beda lib. 1. Expositi. Allegor. cap. 10. Gentes susceperunt verbum Euangelij à Iudæa, vbi Dominus corporaliter natus, conuersatus, & passus loca dispensationis suæ mysteriis vsque hodiè sacra reliquit; & asportauerunt illud fama felici in exteras vsque mundi prouincias. Mystic. Beda.

7 *Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei.* Petrus Damian. Epist. 21. ad Episcop. Parmens. in lib. 1. Captam bello Arcam Dei Israël Philisthinorum Principes temerare non audent, sed clausam vndique, illibatámque conseruant. Tu Christianæ pietatis arcanum, & non lapidearum tabularum, sed Verbi Dei viui & permanentis cœleste mysterium vexare, & soluere niteris frementium cuneis bellatorum. Tropol. Damian. *Schismata quid faciant?*

8 *Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei.* Abulensis ibid. quæst. 1. Cùm enim fugisset vniuersus Israël singuli in Tabernacula sua, vt patet præcedenti capite, manserunt castra eorum vacua, & cùm inquirerent Philisthiim spolia, inuentam Arcam inter illa portauerunt in terram suam; reputabant eam esse spolium pretiosissimum, quod patet ex honore, quem impenderunt ei. Histor. Abul.

9 *Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei.* Idem ibidem quæst. 2. Quæret aliquis, quomodo Philisthiim non mortui sunt, cùm acceperunt Arcam Dei; nam nemini licebat eam tangere, nisi iis, qui ordinati erant à Deo ad eam tangendum; & si illi aliter tangerent, quàm constitutum erat, morerentur sicut cæteri, vt patet Numer. 4. Respondendum est quòd Philisthiim non percussi sunt, quando tulerunt Arcam, siue dicamus, quòd eam nudam tulerint, siue opertam, & loquendo rationabiliter non debebant ipsi puniri à Deo quomodocumque portauissent Arcam in terram suam; quia, quòd moreretur aliquis tangens nudam, vel opertam Arcam, vel videns eam nudam, solùm erat ex lege Dei. Si enim non fuisset posita lex de custodia, & honore Arcæ, licuisset omnibus videre illam, & nemo moreretur tangendo, vel videndo: sed quia lex posita fuit, non licuerunt ista. Lex tamen posita non obligat ad bonum, vel ad malum, nisi eos, super quos ponitur. Sed non fuerat data lex ista de custodia, & honore Arcæ Philisthinis, ergo qualitercumque ipsi tetigissent, aut vidissent illam, illis non erat obligatio ad punitionem. Literal. Idem. Numer. 4.

10 *Philisthiim autem tulerunt Arcam Dei.* Rupert. ad cap. 3. Ioël. *Argentum meum, & aurum tuli-stis.* Ioël 3. Philisthiim tulerunt Arcam Dei, & intulerunt eam in Templum Dagon: Arca ipsa, & Tabulæ Testamenti in ea, simúlque vrna aurea habens manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & propitiatorium, duóque Cherubim obumbrantia Literal. Rupert. Ioël. 3.

propitiatorium, argentum, & aurum erant, quæ quodammodo desiderabilia eius dici poterant.

LITERAL. Mendoza. 11 *Philisthim autem tulerunt Arcam Dei.* Franc. Mend. ibi §. 2. Quæri potest, cur non dicantur Philisthini alia quoque spolia ex hoc prælio retulisse: Respondeo: vel quia alia non erant; nam Hebræi illis temporibus pauperes ad pugnandum descendebant; vt ad caput 11. ostendemus; solo ferro armati, vt milites, non auro exculti, vt sponsi: vel quia, si qua erant ea omnia, Israelitæ non minùs auri, quàm vitæ cupidi in tempore colligebant, ne ab hostibus raperentur. Vel tandem quia hoc vnum spolium erat omnium præstantissimum.

LITERAL. Idem. *Arca cur translata?* 12 *Philisthim autem tulerunt Arcam Dei.* Idem ibidem §. 5. Quæres cur à Deo permissum sit abduci Arcam in Philisthæam? Respondeo in Hebræorum, & Philisthinorum punitionem: dum Hebræi deseruntur ab Arca, in qua ipsi nimiùm arrogantes confidebant: & Philisthim flagellantur ab Arca, quam ipsi suis viribus superatam existimabant.

LITERAL. Salian. 13 *Philisthim autem tulerunt Arcam Dei.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 2940. Humanâ prudentiâ rem æstimando, nisi Dominus Philisthæis mentem abstulisset, ne partâ victoriâ vterentur, in summa illa trepidatione hominum, ac confusione rerum de Republica Hebraica actum esse videbatur. Cùm enim tribus illa rebus maxime niteretur, diuino præsidio, Sapientum consilio, flore iuuentutis, ea simul omnia penè conciderant.

Author Catenæ. 14 *Philisthim autem tulerunt Arcam Dei.* Autor Catenæ. Credibile est Arcam ipsis castris remansisse, dum iniretur prælium, victores autem, dum castra spoliantur, Arcam in ipso loco Lapidis adiutorij inuentam cum propitiatorio, & Cherubinis aureis, suis etiam operculis, & palliis mouolatam, suam in vrbem Azotum, non sine reuerentia, & honore transportasse. Erat autem Azotus vrbs propinqua, & Dagonis fano celeberrima, in monte Petrus Blesens. ep. 104. Gelboe sita (si Petro Blesensi fides.) Dicitur autem Glossa. Lapis adiutorij in Azoto constitutus, quia fortasse tota illa regio Azotus ab vrbe dicebatur; & sic Glossæ Ordinariæ lux affertur, quæ asserit Lapidem adiutorij fuisse in Azoto, hoc est in regione, seu prouincia Azoti à qua in vrbem ipsam inducta fuit.

LITERAL. MYSTIC. Angelom. 15 *Et asportauerunt eam à Lapide adiutorij in Azotum.* Angelom. in Stromatib. cap. 5. Lapis adiutorij dicitur locus ille, in quo posuit Samuel lapidem vnum inter Maspha, & inter Sen. Azotus, & Azot dicitur, est vna de quinque ciuitatibus Allophilorum, interpretatur autem Incendium patris; & bene incendium patris dicitur, vbi idolum Dagon consistebat, quia aduentus Arcæ Dei in Azotum incendium erat Diaboli patris omnium inimicitiarum.

MYSTIC. Gloss. 16 *Et asportauerunt eam à Lapide adiutorij in Azotum.* Gloss. Ordin. ibi. Per hoc, sicut dictum est, figurata fuit portatio sanctæ Crucis in Persidem.

LITERAL. Lira. Cantic. 5 17 *Et asportauerunt eam, &c.* Lira ad cap. 5. Cantic. ibi. *Quo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum, quo declinauit dilectus tuus?* Ista littera referenda est ad tempus captionis Arcæ per Philisthinos, & translationis eius ad terram illorum: tunc enim dicitur Deus abisse de terra Israel, eo quod propitiatorium super Arcam existens, Dei locus dicebatur.

LITERAL. Abul. 18 *Et asportauerunt eam, &c.* Abulens. ibi quæst. 1. Lapis adiutorij erat quidam locus in terra Israel, in quo erant castra Israelitarum, vt patet præcedenti capite. Et vocatur etiam iste locus hic Lapis adiutorij per anticipationem, sicut ibi: quia non fuit locus hic vocatus vsque ad tempora Samuelis, vt patet infrà cap. 7. quia tamen ista scripta sunt multo tempore, postquam gesta fuerunt, potuit fieri anticipatio, vel recapitulatio. Dicitúrque, portata est Arca in Azotum, quia ista est vna ex nobilissimis ciuitatibus totius terræ Philisthinorum.

19 *In Azotum.* Hier. de locis Hebraic. tom. 3. Azotus quæ supra Asdod vsque hodie non ignobile municipium Palæstinæ, & vna de quinque ciuitatibus Allophilorum, decreta quidem tribui Iudæ, sed non retenta ab ea, quia nequaquam veteres accolas potuit expellere. *Eadem verba habet* Rabbanus. LITERAL. Hieron. *Azotus quæ?* Rabban.

20 *In Azotum.* Petrus Blesens. epist. 14. Ipsi talentum Domini terræ infodiunt, atque Baal construunt, dum pro temporalium rerum quæstu, quasi sub tactu aleæ vitam, & animam ponunt. Illi constituunt Arcam Domini in Azoto quod interpretatur *Ignis concupiscentiæ*, quia per ambitiosam concupiscentiam gloriam nostræ professionis euacuant. TROPOL. Petr. Blesens.

21 *In Azotum.* Idem epist. 23. Peccato talium (*maiorum Prælatorum*) quasi filiorum Heli translata est hodie Arca, sine glória Domini de Israël in Azotum, ignem scilicet concupiscentiæ. Ignis autem iste non inflammat, sed infumat: non illuminat, sed excæcat, sicut scriptum est: *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* TROPOL. Idem. Psal. 57.

22 *In Azotum.* Carthus. ibi art. 10. Forte primò occurrit eis in reditu, ideo primò in eam tulerunt Arcam. LITERAL. Carthus.

23 *In Azotum.* Hier. Lauretus in Sylua. verbo *Azotus.* Azotus id est deprædatio, siue ignis delicti, aut ignis patrui, seu ignis vberis, siue generationis ciuitas Palæstinorum in tribu Iuda, typum gerit gentiliratis, ad quam allata fuit Arca Dei, hoc est Lex Christi; & Azotij sunt Gentiles ad fidem conuersi. LITERAL. Lauret.

24 *In Azotum.* Ioann. Benedict. Parisiens. in sua Biblia. Azotus vrbs insignis in sorte Tribus Dan ducentis, stadiis distans ab Ascalone, vna tandem ex præcipuis vrbibus Philisthinorum. LITERAL. Ioann. Ben. *Azotus quæ?*

VERSVS II.

VVlgata. Tulerúntque Philisthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in Templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Tulerúntque Pelisthim Arcam Dei, & introduxerunt eam in domum Daghon, & statuerunt eam apud Daghon. Pagn.

Hebraica ex Francisco Vatab. Rursùs sumpserunt Palesthini Arcam Dei, & introduxerunt eam in domum Dagon, collocauerúntque eam iuxta Dagon. Vatab.

Chaldaïca ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et tulerunt Pelisthæi Arcam Domini, & ascendere fecerunt eam ad ædem Dagon, & statuerunt eam in latere Dagon. Ariasm.

Græc. ex Septuag. in Complutens. & Regia. Et tulerunt Philistim Arcam Dei, & intulerunt eam in domum Dagon, & statuerunt iuxta Dagon. Compl. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et ceperunt alienigenæ Arcam Sixtia.

Arcam Domini, & intulerunt eam in domum Dagon, & collocauerunt illam iuxta Dagon.

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Chrysost. *Templa unde Sanctia?*

1 *Et intulerunt eam in templum Dagon.* Chrys. Orat. 3. contra Iudæos, circa finem tom. 5. Quondam, cùm bellum teneret Iudæos, victores Azotij ceperunt arcam, & in suum templum intulerunt. An ideò sanctum erat illorum Templum, quòd haberet arcam? Nequaquam, sed profanum, sed impurum. Id protinus ipsis factis declaratum est, vt hostes intelligerent victoriam ipsis cecidisse, non ob imporentiam Dei, sed ob iniquitatem eorum, à quibus colebatur Arca capta in aliena terra vim suam ostendit.

Histor. Prosper. Tropol.

2 *Et intulerunt eam in Templum Dagon.* Prosp. Achitanic. 2. p. de Promissionib. & Prædicationib. c. 24. Arcam Dei, quam ceperant hostes, ea veneratione colendam esse crediderunt, vt in Templo Dei sui Dagon collocandam arbitrarentur. Videant metuántque Reges, & gentes quæ penes se sacrata omnipotentis Dei vasa nunc vsque captiua retinent, eáque reddere detrectant. Quæ enim mala ventura credimus eis, qui nomen illud, quod est super omne nomen, in vasis eius sacratis honorare noluerunt, cùm sic punitos, Arcam Dei honorantes, diuina testetur historia?

Mystic. Greg. *Arca iuxta Dagon quid?*

3 *Et intulerunt eam in Templum Dagon.* Greg. libr. 3. Variarum c. 3. Quia gentibus fidei mysteria creduntur, Arca Dei in Azotum perducitur, quæ profectò Arca in Templum infertur. Quid ergo fuit Templum Dagon, nisi vnaquæque anima infidelis quondam idololatriæ superstitione pollutæ? Quid simulachrum Dagon, nisi totius idololatriæ superstitionem designat? Quid igitur erat aliud mysteria fidei cordibus infidelium intimare, quam Arcam Dei in Templum Dagon inferri? Velut enim iuxta Dagon statuebatur Arca, dum Prædicatores sanctæ Ecclesiæ Gentiles admonerent, vt ad probandam fidei veritatem, & prædicationem, quam audiebant, & idololatriæ, quam tenebant, errores discuterent.

Mystic. Beda. 1. Ioan. 5. Luc. 11.

4 *Et intulerunt eam in Templum Dagon.* Beda lib. 1. Expolit. Allegor. c. 10. Intulerunt gentes fidem in mundum, qui *in maligno positus erat*, & de quo Dominus ait: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Luc. 11. Fortis erat Dagon quando stulta gentilitas arma suo custodiebat in atrio, fortior est Arca fidei, quæ huic victrix spolia impietatis eripuit.

Histor. Ioseph.

5 *Et intulerunt eam in Templum Dagon.* Ioseph. lib. 5. Antiquitat. c. 1. Partâ de Hebræis victoriâ, sacráque Arcâ, quemadmodum diximus, captâ; Palæstini cum cæteris spoliis Azotum eam retulerunt, & in fano Dei sui Dagonis inter donaria collocant.

Histor. Damian.

6 *Et intulerunt eam in Templum Dagon.* Petrus Damian. Epist. 21. in lib. 1. Captam bello Arcam Dei Israel Philisthinorum Principes temerare non audent, sed clausam vndique illibatamque conseruant.

Mystic. Glossa. Ordin. *Crucis captiuitas.*

7 *Et intulerunt eam in Templum Dagon.* Gloss. Ordin. ibi. Per quod figurata fuit positio Sanctæ Crucis in fano, quod Chaldræi fuerat, & ibi se tanquam Deum adorari faciebat.

8 *Et intulerunt eam in Templum Dagon.* Lir. ibi. Attribuentes sibi victoriam, & Arcæ captionem; propter quod Dominus ostendit contrarium. Literal. Lira.

9 *Et intulerunt eam in Templum Dagon.* Abul. ibi. q. 10. Scilicet non posuerunt in aliqua domo profana, sed in Sanctuario suo. Erat autem Dagon Deus Azori, & ad hanc ciuitatem fuit Arca deducta. Dicunt autem Iudæi quòd istud idolum Dagon habebat figuram piscis, vel saltem caput eius erat sicut caput piscis. Quòd autem totus esset ad figuram piscis, non stat, quia dicitur infrà, quòd caput, & manus Dagon abscissæ sunt ad formam piscis, non haberet palmas; quòd autem caput illius esset ad formam piscis, & cætera membra essent more humano lineata, satis stat, quoniam alia idola pingebantur cum tota humana effigie, & cornibus arietis, sicut Ammon Lybicus, & multa alia figmenta similia fuerunt. Literal. Abul.

10 *Et intulerunt eam in Templum Dagon.* Caiet. ibi. An causâ honorandi Arcam, an causâ honorandi Dagon, posuerunt Arcam Dei iuxta Dagon incertum est? vtrumque enim intelligi potest. Primum tamen magis insinuatur ex situ videlicet, quod ad latus Dagon iuxta Hebraicam veritatem posuerunt eam. Secundum autem magis quadrat allatæ victoriæ, vt Arcam tanquam trophæa posuerint coram Dagon Deo eorum. Literal. Caiet.

11 *Et intulerunt eam in Templum Dagon.* Franc. Mendoza ibi. §. 3. & 5. Dagon fuit vnum ex tribus præcipuis Idolis Philisthinorum, minus quidem quàm Beelzebu, qui Princeps Dæmoniorũ dicebatur. Luc. 11. sed magis quàm Astaroth. Vnde Philisthini, occiso Saüle, eius arma posuerunt in Tẽplo Astaroth infrà, c. 31. At verò eius caput affixerunt in Templo Dagon. 1. Paral. 10. vt nobilium Idolo nobilius spolium, quale erat caput Regium, consecrarent. Quamuis de materia Dagonis nihil inueniam; si tamen res colligenda est ex Romanorum consuetudine, qui maiores Deos ex auro, vel argento: minores ex ligno, vel luto fabricabant, vt Verderius ad initium sui operis, de Imaginibus Deorum ostendit; crediderim fuisse hoc simulachrum ex præstantiori aliqua materia constitutum, quia præcipuo honore à Philisthinis colebatur. Literal. Mendoza. Luc. 11. 1. Paral. 10. Verder.

12 *In Templum Dagon.* Idem ibidem. §. 7. Omnes quidem conueniunt hominem, pariter ac piscem repræsentasse: hominem quidem, quia paulò inferius dicitur duas palmas manuum habuisse, quod non videtur, nisi homini conuenire: piscem verò propter etymologiam Dagon, ideſt *piscis tristitia*, seu *doloris*, vt D. Hieronym. Beda, Rabban. Hugo Victor. Rupertus, Caietanus, aliique censent. Literal. Mendoza. Hieron. Beda. Rabban. Hugo. Rupert. Caiet.

13 *In Templum Dagon.* Autor Catenæ. Prædæ alterius omissa relatione, Arcæ translatio describitur, eiúsque in Templum Dagonis, seu Dercetæ, siue veneris, quæ in idem recidunt, inductio. Dagon autem monstrum erat homine supernè, pisce verò infernè constans; vt docent Vatablus, Anton. de Gueuara in Abachu, Salian. Sanct. & alij. An verò honoris ergo Arcam in fanum Dagonis intulerint, ipsíque idolo apposuerint, dissidium commune est, in quo potiùs Augustino, Prospero, Abulensi, Sanctio, Saliano, & pluribus aliis affirmantibus subscribo, quàm Basilio, Theodoreto, Ioseph. & Procop. asserentibus tanquam spolium, seu manuias, captam Arcam Dagoni suo consecrasse, victoriam iidem gratulantes; neque enim spolia iuxta Idola apponere mos fuerat, sed vel foribus præfigere, vel appendere ex fornicibus, vel denique Literal. Author Catenæ. Vatab. Gueuara. Salian. Sanctius. August. Prosp. Abul. Sanctius Salian. Basil. Theodor. Ioseph. Procop.

tanquam

tanquam victa humi prosternere, ergo religionis causa iuxta Deum suum Deum Hebræorum, vt ipsi dicebant, collocauerunt. Cedrenus verò minimè ferendus est, dum ait Azotios Arcam Dei ad simulachri sui pedes constituisse, nec vnde id acceperit, aut somniauerit, video. De Dagonis verò ratione, & historia videatur omninò Celius Rodiginius libr. 23. Antiquar. Lection. cap. 5. quod etiam monstrum Plinius prodigiosam vocat Atergatim, quòd esset facie hominis, & corporis reliqua in piscem desinerent. Videatur quoque Lilius Girald. de Diis gentium. Syntagm. 2. qui Iouem Aratorium à Phœnicibus, ob inuentum aratrum, excultum credit, quod sentit quoque Euseb. libr. 1. de Præparat. Euangelica. Videatur quoque Petrus Vermil. in Commentar. Ioannes Annius, & Diodor. Siculus. Scaliger in Coniectan. in Varron. Ioann. Seldenus Marin. Ioann. Drus. libr. 1. quæst. 82. & Alij plures apud Claudium Rangolium in præsenti, qui de forma, & aliis, quæ ad hoc monstrum pertinent, latiùs disputant.

Cedren. Rodig. Plin. Girald. Euseb. Vermil. Annius. Siculus Scaliger. Selden. Marin. Drusius. Rangol.

HISTOR. Basil.

14 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Basil. in Ps. 77. Arcam Philisthæi nacti Dagon Deo suo, tanquam spolium quoddam obtulerunt.

LITERAL. Idem.

15 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Idem Orat. 3. de Peccato. Circa Arcam ea acciderant, quæ ne audita quidem vnquam antè fuerant. Nam quam licitum non erat neque Israelitis, neque ipsis etiam minoribus Sacerdotibus attingere, eam impiæ manus hinc, & hinc transferebant, & pro locis sacris, in fanis Idolorum reponebant, in quibus compotationes, & conuiuia erant solita. Et sanè facilè colligere licet etiam ipsum nomen Dei risui, ac ludibrio tunc habitum fuisse.

HISTOR. Chrysost.

16 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Chrysost. libr. contra Gentiles, circa finem, tom. 5. Præsio olim in Palæstina à Iudæis contra alienigenas quosdam facto, victoria potiti hostes captam Dei Arcam tanquam exsuuias, & opimum quoddam spolium suo cuidam idolo (huic nomen erat Dagon) donarij loco consecrarunt. Eâ postrò in idoli eius Templum perlatâ, statim Idoli statua delapsa in caput iacebat.

HISTOR. Aug.

17 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Aug. vel Autor Mirabil. sacræ Scripturæ, lib. 2. c. 7. tom. 3. Victoriæ munere lætantes in terram suam eandem captam perducunt, & veluti triumphi huius autorem, iuxta Dagon Deum suum Arcam Dei Israel in Templo statuerunt.

HISTOR. Idem.

18 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Idem lib. 10. de Ciuit. Dei, c. 17. tom. 5. Post hoc etiam, cùm iam in terra Promissionis essent, & eadem Arca propter eorum peccata fuisset ab hostibus capta, hi, qui eam ceperant, in templo Dei sui, quem præ cæteris colebant, honorificè collocarunt, abeunteisque clauserunt.

HISTOR. Theodor.

19 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Theodor. in Psalm. 77. Arcam, cùm cepissent alienigenæ, veluti trophæum quoddam Dagoni consecrarunt.

HISTOR. Idem.

20 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Idem in lib. 1. Reg. q. 13. Alienigenæ, cùm post victoriam Arcam deprexissent, & eam veluti manubias suis dedicassent idolis, experientiâ Dei didicêre virtutem.

HISTOR. Procop.

21 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Procop. in Commentar. Cùm partâ victoriâ eam contemnerent, & veluti frugum primitias, aut spolia hostibus detracta, in Templo Deorum suorum reponerent, Dei vim, & potentiam in re ipsa experti sunt.

MYSTIC. Angelom. *Dagon quid?*

22 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Angelom. in Stromatib. Dagon interpretatur *Piscis tristitia.* Significat hostem antiquum, qui in mari istius mundi positus deuoret peccatores.

LITERAL. Comest.

23 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Comest. in histor. Scholast. c. 7. Statuerunt eam iuxta Dagon quasi trophæum.

TROPOL. Damian. *Sacerdotum pueris.*

24 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Petrus Damian. serm. 61. in Vigilia Natalis Domini. Quid turpius quàm membra Christi sanguine consecrata, & consepulta ei in baptismate, libidinosis ardoribus maculare, neque attendere reuerentiam præsentis Dei minantis pœnam, gloriam promittentis? Absit, vt aliquis vestrûm huic idolo subiternatur, & filium Virginis in Veneris Templo suscipiat, vt Arcam Dei iuxta Dagon collocet, ne nutritus in croceis stercora complectatur. Quid Petro cum mago? Quid Christo cum Antichristo? Quid Virgini, & libidini? Quid puritati, & impuritati?

MYSTIC. MORAL. Berchor.

25 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Petr. Berch. lib. 9. Moralit. c. 4. Dagon, idest Diabolus sedens in Templo honorificè iuxta Arcam significat malum Ecclesiasticum, vel Prælatum, qui scilicet in Templo Ecclesiæ ad aliquod altum beneficium erigitur, & ibi honoratur, & iuxta Arcam colitur, idest iuxta Christum, & Sanctos in Ecclesia commoratur. Tales ergo dicuntur Idolum Dagon, qui interpretatur *Piscis inutilis*, piscis iniquus, piscis mœroris, quia verè isti propriè sunt Idola propter fictionem hypocritam: Apostolus. *Idolum nihil est.* Sunt pisces propter carnalitatis remolitionē. Habac. 1. *Facies homines sicut pisces maris, & quasi reptile non habens Principem.* Sunt pisces inutiles propter omnimodam imperfectionem: sunt pisces mœroris propter tristitiam, & detractionem: sunt pisces iniqui propter iniustitiam, & æquitatis suffocationē, & propter rapinam, incredulitatem, & exactionem.

TROPOL. Bonauen. *Mali Sacerdotes quid faciunt?*

26 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Bonau. in Ps. 28. Philisthæi posuerunt Arcam Domini iuxta Idolum Veneris Dagonem. Sic mali Sacerdotes quando ponunt filium Virginis iuxta filium Veneris in Altari.

LITERAL. Abul.

27 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Abul. ibi. q. 10. In quo videbantur satis eam honorare dupliciter. Primo, quia non posuerunt eam in loco profano, sed in maximo Sanctuario suo, scilicet in Templo Dagon. Secundo, quia posuerunt eam apud Dagon, quasi facientes eam æqualem Deo suo Dagoni.

LITERAL. Idem.

28 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Idem ibid. q. 11. Quæret aliquis, quare posuerunt Philisthiim Arcam in Templo Dagon, & apud ipsum Dagon? Respondendum est: quòd hoc poterat fieri ex duplici intentione. Primo, quidem ad honorandum Arcam Dei; nam sicut prædictum est, Philisthiim credebant Deum Hebræorum esse magnæ potentiæ, quia destruxerat Ægyptios, & Deos eorum; ideò timebant ne sic iratceretur eis, & deleret eos, quamobrem honorabant ipsum. Et quia si ponerent Arcam Dei in aliquo loco profano, erat dedecus, posuerunt eam apud Dagon in Templo suo. Altera autem causa huius esse potuit, scilicet Hebræi superari fuerant à Philisthinis, & Arca Dei capta, quam putabant Philisthiim esse Deum Hebræorum; & quia Philisthiim adscribebant gloriam victoriarum suarum Diis suis, posuerunt in Templo Arcam

coram

coram Dagon.in signum, quòd Dagon superanerat Deum Hebræorum.

Literal. Vermil. 29 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Petrus Vermilius, Hæreticus. Palæstini captam Arcam suo Dagoni sistunt, tanquam Ioui Feretrio spolia opima. Romani olim parta insigni victoria gratulationes, & supplicationes ad omnia Templa Deorum solebant decernere. Imperator autem in triumpho magnâ pompâ vehebatur in Capitolium, vt ibi Ioui gratias ageret. Ita Palæstini ac si nonmodo Hebræos, verùm etiam Deum, illorum debellassent, captiuam Arcam detulerunt ad templum Dagonis.

Moral. Fabius. Maxi. Longè aliter Fauius Maximus egit, qui cum Tarentinos expugnasset, Deos tamen illorum non attigit; & rogatus quid statueret de illis, ait: *Relinquamus eos Tarentinis suis iratos.*

Literal. Rangol. 30 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Claudius Rangol. in comment. Non solùm simulachra, arma, vexilla, & trophea Diis dicare post victoriam solemne fuit apud antiquos, sed etiam prædæ partem selectam Templis, ac Sacerdotibus offerebant.

Moral. Xenoph. Testis Xenophon in Cyropædia lib. 4. ad calcem, & lib. 5. Statuerunt eam iuxta Dagon nimirùm tanquam in anathema Deo suo, & in testimonium acceptæ ab eo victoriæ, quæ Dei maxima est contumelia. Sed Dei vtique permissu, ac voluntate factum est, dum mauult aliis potiùs, quàm suis ludibrio esse.

Literal. Mendoza. 31 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Franciscus Mendoza ibi §. 15. Philisthini fortasse crediderunt eam captiuitatem non ex impotentia Dei Israëlis, sed ex malitia Israëlitarum processisse; ex quo facilius inducebantur ad Arcam illam quamuis victam honorandam: quamuis quia multi in hac fide nutabant, grauissimis plagis per Arcam victam admoniti conualuerunt.

Literal. Estius. 32 *Et statuerunt eam iuxta Dagon.* Guillielm. Estius in Biblia magna Parisiensi. Non vt vna cum Deo suo Dago colerent, quamuis Græci, & Romani aliquando à victis gentibus numina mutuati sint; sed vt esset Arca instar insignis spolij, hostibus erepti, cuiusmodi spolia solent victores in suorum Deorum Templis, velut adeptæ per eos victoriæ, grata testimonia collocare.

VERSVS III.

Vulgata. *Vulgata.* Cúmque surrexissent diluculo Azotij altera die: Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.

Benedic. *Benedict. in margine.* Ecce Dagon iacebat ante eam pronus.

Gloss. *Textus Gloss. in margine.* Ecce Dagon ceciderat in faciem suam.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante pagn.* Et surrexerunt Asdodij in crastino, & Ecce Daghon ceciderat super faciem suam in terram coram Arca Domini: Et tulerunt Daghon, & restituerunt eum in locum suum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et cùm Azotij postero die mane surrexissent, ecce Dagon iacebat ante eam in terram, nempe ante Arcam Domini: tollentésque Dagon restituerunt eum in locum suum

Arias. *Chaldaica ex Benedict. Arias. in Regia.* Et anticipauerunt homines Asdod in die qui post illum, & ecce Dagon proiectus super faciem suam super terram ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt illum ad locum suum.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et surrexerunt manè Azotij, & ingressi sunt in domum Dagon altera die, & viderunt: & ecce Dagon cecidit in faciem suam coram Arca Domini: & eleuauerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.

Sixtian. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et manè vigilauerunt Azotij, & intrauerunt in domum Dagon, & viderunt, & ecce Dagon cecidit in faciem suam ante Arcam Dei, & erexerunt Dagon, & statuerunt eum in locum suum. Et grauata est manus Domini super Azotios, & cruciauit illos, & percussit illos in sedibus eorum Azotum, & Regiones eius.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. *Dagon lapsus quid?* 1 *Cúmque surrexissent diluculo Azotij.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 3. Altera die surgentes, pronum in terra ante Arcam iacentem Dagon inuenerunt, quia & in cognitione veritatis statum idololatria perdidit. Vnde & benè cùm lapsus Dagon asseritur, iacere pronus in terra memoratur. Ante Arcam quidem cadit, quia ex mysteriorum diuinorum scientia innotescit. Sed pronus in terra iacet, quia Autore iam Deo, ad aspectum fidelium simulatæ rationis imaginem non habet. Qui enim pronus in terra iacet, faciem in terra deprimit; per faciem verò simulachri, simulatio exprimitur rationis. Pronum itaque in terra iacere, est iam vera cognoscentibus simulationis suæ fraudibus illudere nunquam posse.

Histor. Ioseph. 2 *Cúmque surrexissent diluculo Azotij.* Ioseph. lib. 5 Antiquitat. cap. 1. Sequenti verò die mane venientes, vt adorarent Deum suum, inuenerunt eum è basi excidisse, & pronum prostratum ante Arcam. Quod ægrè ferentes, in pristinum locum eum reponunt.

Literal. Abul. 3 *Cúmque surrexissent diluculo Azotij.* Abulens. ibi quæst. 11. Hic ponitur pœna, quæ secuta est super Deos Philisthinorum. Nam posuerunt Philisthini Arcam apud Dagon ad laudem Dagon: Deus autem voluit ostendere Dagon nihil esse, & Arcam suam esse glorioſiorem Dagon. Et dicitur hîc quòd surrexerunt Azotij scilicet Sacerdotes Dagon, qui diluculo venerunt ad Templum, ad faciendum cæremonias suas, & tunc inuenerunt Dagon iacentem.

Literal. Carth. 4 *Cúmque surrexissent diluculo Azotij.* Carthusian. ibi. Diluculo surrexerunt, vt pro solito Dagonem Deum suum honorarent, cuius virtute arbitrabantur se tantum sortitos triumphum.

Literal. Mendoza. *Azoty cur diluculo.* 5 *Cúmque surrexissent diluculo Azotij.* Franc. Mendoza ibi, §. 2. Cur tam citò euigilarunt, qui hesterno de labore fatigati potiùs ad multam noctem dormituri viderentur? Respondeo multiplici de causa. Vnâ ad adorandum, nam etiam Ethnici antelucanas preces suis Diis offerebant. Alterâ, ad gratulandum Dagoni de parta victoria. 3. ad consulendum suum Deum. 4. ad explorandum quid suo Deo ex vicinitate Arcæ contigisset. 5. vt si quid detrimenti, & infortunij Dagon ex vicinitate Arcæ subiisset, ipsi in tempore aduolarent ad illud resarciendum, antequam in vulgus proderetur.

Literal. Rangol. 6 *Cúmque surrexissent diluculo Azotij.* Rangol. in Comment. Significat diluculum tempus illud medium,

medium, quod interiacet inter noctem, & diem quod neque nox iure dici potest, cùm iam albescat vicino Sole, neque dies, cùm adhuc dubia caligo Hemisphærio nostro incubet, nec dum Sole supra Orizontem exorto. Dicitur autem diluculo quasi parua dies. Est autem dici prima tempestas, & lucis exordium.

HISTOR. Origen. 7 *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam.* Origen.hom.16.in Numeros. Non solùm Dæmonia affligebantur, & percutiebantur Allophili, verùm etiam cultus ipse Dæmonum destruebatur, vtpote simulachris eorum, Templisque ad ingressionem Arcæ corruentibus.

HISTOR. Seuerus. 8 *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam.* Seuerus Sulpit.lib.1.sacræ Historiæ tom.5.Bibliotecæ PP. Simulachrum Dæmoni dicatum, vbi Arca illata est, corruit.

HISTOR. Chrysost. 9 *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam.* Chrysost.lib. contra Gentil. Eà porrò in Idoli eius Templum perlatâ, statim Idoli statua delapsa in caput iacebat.

LITERAL. Idem. 10 *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam.* Idem ad locum Psalm. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ*, seu *fortitudinis tuæ.* Et vtraque vera, quæ enim erant ei impositæ litteræ, erant & sanctitatis effectrices, & roboris. Pulchrè ergo sic dixit, magna enim Deus per eam potentiam ostendit semel, & bis, & sæpenumero, vt quando capta ab Azotiis simulachra deiecit; quando eos qui ceperant, percussit; quando ea reddita, vt plaga cessaret, effecit.

HISTOR. August. 11 *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam.* August. seu Autor Mirabil. sacræ Scripturæ cap.7. tom. 4. Primo die Dagon coram Arca prostratus, repertus iterùm in loco suo restituitur.

HISTOR. Idem. 12 *Ecce Dagon iacebat.* Idem lib.10. de Ciuit. Dei cap.17. Abeuntes clauserunt, apertóque postero die, simulachrum cui supplicabant, inuenerunt collapsum, deformitérque confractum.

TROPOL. Idem. 13 *Ecce Dagon iacebat.* Idem serm.14. in Festo omnium Sanct.cap.7.rom.10. Si vis esse Templum veritatis, frange Idolum falsitatis. Iam in cor tuum, si placet intret Arca Testamenti, & ruat Dagon.

TROPOL. Theodor. 14 *Ecce Dagon iacebat, &c.* Theodor. serm.10. de Prouident. Allophilis Arcam tradidit, populi iniquitatem arguens: traditæ autem maiestatem tuetur, Allophilos docens, quòd non Deum vicissent, sed hominum iniquitatem. Propterea Dagon quoque, quem illi, ceu Deum adorabant, ante Arcam corruere facit, & eundem cultoribus suis spectandum exhibet, vt Allophili discrimen discerent.

LITERAL. Idem. 15 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Theodor. orat.3.in Daniel. Deus, ne superbia elati alienigenæ gloriarentur, quasi ipsi Deum vicissent, & captiuum duxissent, id effecit vt Dagon Idolum, quod ipsi colebant, ante Arcam cadens, conteratur, & adorationis speciem præ se ferens, victum se fateatur, & insolentis sibi Dæmonis ostendat seruitutem. Duplex itaque eo tempore percepta est vtilitas, neque enim Iudæis tantùm, sed Barbaris etiam profuit, quod ad breue tempus à Deo permissum est.

HISTOR. Basil. 16 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Basil. in Isaiam cap. 10. In faciem prolapsus erat ipse Dæmon, à claritate gloriæ deuictus, quæ circa Arcam Dei splendescebat. Manufactum à se discussit.

HISTOR. Bleisens. 17 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Petrus Blesens.epist.124. Arca fœderis ab Allophilis capta, & posita iuxta Dagon à virtutibus non cessauit.

18 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Isidor.Clarius ibi. Cernis vt vbique gloria Domini emineat, etiam tum, cùm deuicta existimatur. HISTOR. Clarius.

19 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Comest.in histor.Scholastic. cap.7. Surgentes diluculo inuenerunt Dagon prostratum in terra ante Arcam, & quasi adorantem, vt dicit Iosephus. HISTOR. Comest. Ioseph.

20 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Petrus Berchor.lib.9. Moralitat.cap.4. Arca testamenti nunquam patitur Dagon iuxta se, quia Christus nunquam potest pati iuxta se in Templo, vel in statu, gradu, vel prælatura idolum Dagon, id est malum Ecclesiasticum, vel Prælatum. Necesse enim est, quòd per infortunium à statu suo cadat, vel quòd post per apostasiam à religione decidat, vel quòd per mortem corruat, & succumbat. Vel dic quòd Dagon iuxta Arcam est in Templo, cùm in corde nostro est auaritia iuxta scientiam; inanis gloria iuxta bonam operationem: sæcularis negotiatio iuxta religionem: Diabolus iuxta animam: peccatum iuxta conscientiam; iuxta enim insimul stare non possunt, quinimò, si Arca stat, ideò si bonum in corde perseuerat, necesse est Dagon, ideò vitium cadere, & cessare. Fatui sunt igitur quidam Religiosi, & Clerici, qui seruire Deo, & mundo volunt, & sacram Scripturam ad lucrum temporale conuertunt, & bona opera ad mundi gloriam faciunt. TROPOL. Berchor.

21 *Dagon iacebat.* Ioan.Zonaras tom.1.Annal. Manè in Dagonis ædem ingressi, simulachrum ante Arcam humi projectum repererunt, idque sublatum in suam basim restituunt. Vt autem hoc sæpiùs factum deprehendunt, & statuam quoties erexissent, toties ante Arcam adorantis specie, projectam reperissent, obstupescunt dubitantes, quid rei esset? HISTOR. Sabell.

22 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Gloss.Interlineal.ibi. Postquam testamentum Dei peruenit ad gentes statim Idola corruerunt. MYSTIC. Interlin.

23 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Hier.Lauret. in Sylua Allegoriar.verbo Dagon. Dagon, ideò frumentum, vel piscis, nomen. Idoli Philisthinorum designare potest superstitionem idololatriæ, & cùm iacuit præcisis manibus, & capite coram Arca fœderis, cessationem idololatriæ designauit aduenientè fide Ecclesiæ. Designat etiam totam Dæmonum massam, qui ceciderunt coram Christo abscisis manibus, & capite, hoc est ablatis eorum cultu, Regibus, & Principibus. MYSTIC. Lauret.

24 *Dagon iacebat.* Sabellic.Enead.1.lib.7. Philisthæi Arcam in Azotum vrbem delatam, cùm speciem trophæi in Dagonis Templo statuissent, miraculo euenisse aiunt, vt postridie Dagonis statua sub ara quasi supplex reperta sit. Quæ in pristinam basim restituta, iterum sequenti die, eodem sit loco inuenta: Quod cum tertiò, sæpiúsque euenisset, stupor maximus, tacitúsque suæ vanitatis pudor omnium animos defixit. Perstare tamen cum gentis odio, tum vana patriæ superstitionis persuasione, rem diuinam ludibrio habere. Erenim nullum animal est ipso homine contumacius. HISTOR. Sabell.

25 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Abulens.ibi quæst. 12. Ideò Sacerdotes inuenerunt Dagon iacentem in terra, scilicet, non erectum, vel stantem, sed iacentem super pauimentum, & extentum toto corpore. Dicitur autem quòd erat pronus, quia non solùm erat iacens, sed etiam super os suum iacebat, vt poneretur tanquam adorans Arcam. LITERAL. Abul.

26 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Caietan. in Commentar. Verè Deus semper vtitur malis ad bonum. LITERAL. Caiet.

27 *Ecce*

Literal. Vermil.

27 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Petrus Vermil. Hæreticus in Comment. Deus verus, & viuus suam contumeliam mirabiliter vlciscitur, & cùm existimatur victus, & captus, tum maximè vincit, & regnat. Dauid, Psalm. 78. Cùm hanc rẽ gestam elegantissimè descripsisset, ad extremum subiecit: *Et excitatus est tanquam è somno Dominus, tanquam potus exultans à vino.* Dissimularat aliquandiu vim suam, postremò tamen, tanquam expergefactus, Dagonem ad terram deiicit, & suppliciis meritissimos Palæstinos afficit.

Psalm. 78.

Literal. Rangol.

28 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Claud. Rangol. Num id casu factum dicemus, vt quiuis artifex summo mane ad opus properans, iacentem Dagon reperiret? Sed quomodo potuit foribus clausis, atque prospectum arcentibus? Sed patuisse quorundam Deorum Templa dicit, noctúque didicimus. Pausanias in Atticis ædis Iunoniæ, meminit absque tecto, & foribus. Probabilius tamen videtur à Solis Templi ædituis, quorum domus non modo apud Hebræos, sed etiam Gentiles sacris ædibus coniunctæ erant, Dei suæ ruinam, ac dedecus primum esse deprehensum. Qua tandem occasione non erit difficile suspicari.

Histor. Pausanias.

Histor. Philo.

29 *Dagon iacebat.* Pseudophilo in Antiquitat. Bibl. Et cùm venissent interrogare Dagon de exitu suo, inuenerunt eum cecidisse in faciem, & manus eius, ac pedes ante Arcam positos. Et exierunt in primo mane crucifigentes Sacerdotes eius.

Literal. Mendoza.

30 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Francisc. Mend. ibi §. 1. Fortasse recedentibus de Templo Philisthæis, statim corruit Dagon, quamuis eius casus non nisi sequenti die obseruaretur. At cur non statim illis adhuc præsentibus Dagon cecidit? Fortè ne præceps vindicta, sed matura videretur.

Literal. Salian.

31 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 1940. num. 18. Hoc initium certaminis Arcæ Dei aduersùs Dagonis Idolum nocte initum, aduersùs Principem tenebrarum; & quamprimum initum, ne idoli casus alteri cuipiam causæ, & non Arcæ Dei ab infidelibus tribueretur.

Literal. Tropol. Author Catenæ. *Bonorum consortium quantum prodest?*

32 *Ecce Dagon iacebat pronus, &c.* Autor Catenæ. Pronus ante Arcam Dei sternitur Dagon, seu vt Hebræus habet, *In faciem suam cadit*, suam testatus confusionem. Vnde verò Sathanæ verecunda hæc humilitatis species? Ecce sedere iam non amat in monte Testamenti, nec in lateribus Aquilonis molitur imperium, quin potiùs humum corruens amplectitur. Sed hæc, me Iudice, ad Arcæ Dei, diuinæque legis communicationem, & consortium referri debent, quia etiam Dæmones (si fas est dicere) resipiscunt, & externam saltem in melius mutationem præ se ferunt. Quanti ergo fiat, necesse est, bonorum, & amicorum Dei societas, & communicatio? Hunc in scopum fortè Regius Vates: *Surge*, inquit, *Domine tu, & Arca sanctificationis tuæ.* Ab hac enim Dagon ipse specimen sanctitatis accepit.

Psal. 131.

Histor. Prosper.

33 *Et restituerunt eum in locum suum.* Prosper Achitan. lib. de Promissionib. Dei part. 2. cap. 24. Sub Arcæ potentia sequenti die Idolum suum elisum, prostratúmque viderunt. Sed hoc casui dantes, cùm vncis fortioribus, validioribúsque defigunt.

Mystic. Gregor.

34 *Et restituerunt eum in locum suum.* Gregor. suprà. Quid est Dagon in locum suum restituere, nisi iuxta iam cognitam spiritualium Sacramentorum veritatem idololatriæ statum subtili consideratione perquirere?

Mystic. Interl.

35 *Et restituerunt eum in locum suum.* Glos. Interl. ibi. Multi fuerunt defensores idololatriæ.

Literal. Abul.

36 *Et restituerunt eum in locum suum.* Abul. ibi quæst. 12. Scilicet posuerunt eum in Altari, vel in loco eminenti, in quo ante erat. Hoc autem fecerunt Sacerdotes diluculo antequam veniret populus, ne videret Deum suum humiliatum coram Arca, & crederet maioris potestatis esse Deum Hebræorum.

Tropol. Mendoza. *Culpa Prælati occultanda.*

37 *Et restituerunt eum in locum suum.* Franc. Mend. ibi §. 12. Expende Sacerdotes Azotios valdè sollicitos fuisse de ignominia sui Dagonis occultanda; vt ex hoc loco discant Christiani suorum Prælatorum, ac Maiorum, quos Dei loco habere debent, defectus occultare.

Literal. Author Catenæ.

38 *Et restituerunt eum in locum suum.* Autor Catenæ. Septuaginta in Sixtia huic etiam versiculo addunt percussionem Azotiorum de qua versiculo 6. Videntúrque innuere statim à restituto in locum pristinum Idolo, diuinam vindictam incepisse, quæ etiam postea in rebelles excreuit. Nisi velis hic per anticipationem prænumerari.

VERSVS IV.

Vulgata.

Vulgata. Rursúmque mane die altera consurgentes inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscisæ erant super limen.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Et mane die crastino, & ecce Daghon ceciderat super faciem suam in terram coram Arca Domini. Caput autem Daghon, & duæ palmæ manuum eius abscisæ erant in limine.

Vatab.

Hebraica ex Francisco Vatab. Et cùm postera luce iterum mane surrexissent, ecce iacebat Dagon coram ea in terra, coram Arca, scilicet, Domini; & caput Dagon, atque duæ palmæ manuum eius resciſsæ erant super limen.

Ariasm.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et anticipauerunt in aurora in die, qui post illum, & ecce Dagon proiectus super faciem suam super terram ante Arcam Domini, & caput Dagon, & duæ extremitates manuum eius truncatæ, percussæ super limen: solum corpus eius relictum est super se.

Compl. Regia.

Græc. ex Septuag. in Complutenſ. & Regia. Et factum est, vt surrexerunt altera die mane Azotij, & ecce Dagon cecidit in faciem suam coram Arca Dei, & caput Dagon, & ambo vestigia pedum eius abscisa super anteriora liminum, & ambæ iuncturæ manuum eius iacentes super limen.

Sixtia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et factum est, cùm mane vigilassent, & ecce Dagon ceciderat in faciem suam ante Arcam Testamenti Domini, & caput Dagon, & ambo vestigia manuum eius super anteriora Amapheth singuli, & ambo articuli manuum eius ceciderant in limen.

Lucifer.

Lucifer apud Flamin. Nobilium in notis Sixtia. Et ambo vestigia manus eius ablata erant per partes centum.

Caiet. *Caietan. in Commentar. ex Hebræo.* Et surrexerunt mane in crastino, & ecce Dagon ceciderat in faciem suam in terram coram Arca Domini; caputque Dagon & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant ad limen.

PP. ET AVCTORES.

HISTOR. Chrysost. 1 *Vrsúmque mane die altera consurgentes.* Chrys. lib. contra Gentiles circa fin. tom. 5. Vbi diuinæ virtutis robur, hac ruina illi minime agnoscentes, Idolum de integro excitatum in sede sua collocauerunt, postridie sub auroræ tempus eò cùm accessissent, viderunt non iam collapsum Idolum sed prorsus diffractum. Huius enim manus ab humeris auulsæ vnà cum pedibus ad Templi limen exilierant, reliquà Idoli parte, & eà quoque diuulsà, aliò dispersa.

HISTOR. Idem. 2 *Rursúmque mane die altera consurgentes.* Idem ad locum Psal. 131. Magnam enim Deus per Arcam ostendit semel & bis, & sæpe numero, vt quando capta ab Azotiis simulachra deiecit.

HISTOR. Seuerus. 3 *Rursumque mane die altera consurgentes.* Seuerus Sulpit. lib. 1. Sacræ historiæ. Cúmque Idolum loco restituissent, nocte insecuta discerptum est.

HISTOR. Auguit. 4 *Rursumque mane die altera consurgentes, &c.* Auguit. seu Autor libri de Mirabilib. Scripturæ. lib. 2. cap. 1. tom. 3. Primo die Dagon coram Arca prostratus, repercussus tamen repertus, iterum in loco suo restituitur. Crastina verò fractus ad limen in centum partes capite, & manibus, spina dorsi eius truncata reperitur. Quod fugere idololatriæ, in aduentu Dominicæ legis, cultum monstrabat: qui enim fugiunt, persequenti dorsum dant.

MYSTIC. Greg. 5 *Rursumque mane die altera consurgentes, &c.* Gregorius libr. 3. Variarum c. 3. Diluculo iterùm surgunt, quia ad amorem auditæ veritatis iam certitudine deliberationis se erigunt. Primus itaque dies deliberationis est, sequens cognitionis; tertius verò deliberatæ iam certitudinis, & oblatæ professionis.

HISTOR. Ioseph. 6 *Rursúmque mane die altera consurgentes, &c.* Ioseph. lib. 5. Antiquitat. c. 1. Cúmque sæpius illuc accedentes semper prostratum, & adorabundum reperirent, stupor maximus, ac perturbatio totum populum inuasit.

HISTOR. Comest. 7 *Rursúmque mane die altera consurgentes, &c.* Comest. in Histor. Scholastica. c. 7. Rursus mane consequente inuenerunt eum prostratum, caput verò eius & manus abscissæ à trunco iacebant super limen.

LITERAL. Abul. 8 *Rursúmque mane die altera consurgentes, &c.* Abulens. ibi. q. 12. Dicet aliquis: Quare cùm Dagon hic fuerat bis in terram deiectus, non fuit factum per diem, sed semper per noctem, vt patet in littera? Respondendum est quòd hoc fiebat, vt non viderent Philisthini, quomodo fiebat miraculum, sed postea illud factum tenerent. Si enim per diem fieret, oportebat, vt aliqui viderent saltem de Sacerdotibus.

HISTOR. Author Catenæ 9 *Rursumque mane die altera consurgentes, &c.* Autor Catenæ. Textus semel, & bis corruisse Dagonis effigiem memorat; sunt tamen qui credant sæpe idem accidisse, quousque tandem truncatus fuerit. Probabilius id ego etiam iudico. Mouetur autem Ioseph, Theodoreti, & aliorum auctoritate; hoc autem non repugnat Scripturæ, sæpe enim aliqua omittit, nec omnia semper enarrat. Vbi obiter nota quàm lento procedat gradu diuina vindicta; priùs enim bis, terque in Idola inuehitur, quàm rebelles & contumaces cultores verberet.

MORAL. 10 *Rursúmque mane die altera consurgentes, &c.* Francisc. Mend. ibi. §. 2. Si semel tantum rueret Dagon, casu incidisse crederetur: dum tamen toties restitutus, & toties lapsus apparebat, aliqua superiori virtute deiectus videbatur. Addo ita fieri oportuisse, vt magis Dagonis ignominia, & Arcæ potestas detegeretur. Nam priores ruinæ maiorem hominum concursum in singulos dies in Templum euocabant; rumores enim de hac ruina crebrescentes intuendi desiderium in omnium animis acuebant; vnde frequentiores in singulos dies conuolabant. HISTOR. Mendoza.

HISTOR. Philo. 11 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Philo Hebræus, vel potius Autor libri Antiquitat. Biblic. Inuenitur, (aiebant Azotij,) quo die Deus noster cadens in faciem ante conspectum Arcæ.

HISTOR. Basil. 12 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Basil. in cap. 10. Isaiæ. Prolapsus igitur Dagon quidem ea erat, quæ cernebatur, statua; in faciem verò prolapsus erat ipse Dæmon à claritate gloriæ deuictus, quæ circa Arcam Dei spendescebat, manufactum autem à se discussit.

LITERAL. Chrysost. 13 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Chrys. Orat. 3. contra Iudæos, circa finem, tom. 5. Vt hostes intelligerent victoriam ipsis cecidisse, non ob impotentiam Dei, sed ob iniquitatem eorum, à quibus colebatur, Arca capta in aliena tetra vim suam ostendit, Idolo bis in solum deiecto, effecit, vt etiam comminueretur.

TROPOL. Theodor. 14 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Theod. serm. 10. de Prouident. Denuò collapsum vident, & tamen adorant.

Caduca ne colas.

MYSTIC. Eucher. 15 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Eucher. seu potiùs Autor Commentar. in libr. Regum cap. 6. Quid est, quod cùm posuissent Philisthiim Arcam Domini in Templo Dagonis Dei sui, intrauerunt Templum, & inuenerunt Deum suum prostratum, atque confractum caput eius, duæque manus abscissæ? Starim enim vt testamentum Domini peruenit in gentes, confestim Idola, quæ deceptum possidebant orbem, destructa sunt, omnisque error simulachrorum corruit, præsentiam Dei ferre non sustinens, nam in manibus præcisis Dagon potest idololatriæ finis agnosci: limen enim finem itineris significat. Etiam & illud ad magnam pertinet significationem in ipsa ruina Dagon Dei sui, atque fractura, quod dorsum illius solum inuenerunt, fractis omnibus eius membris; dorsum quippe fugam significat, quicumque enim fugiunt, persequentibus dant dorsum. Vnde scriptum est de hostibus: *Quoniam pones eos dorsum.* Psalm. 20. Vbi enim Idola perierunt, etsi aliqua remanentia ab aliquibus absconduntur, fugerant. Psalm. 20.

MYSTIC. Rupert. 16 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Rupertus libr. 1. Comment. in Reges, cap. 14. Grande spectaculum, grande miraculum: translata ab Israel gloria Domini, capta ab Allophilis Arca Domini victoriam de victoribus versa vice exigit, primúmque in Deum ipsorum Dagon, deinde, & super homines aggrauantur manus Domini. Hoc quid portenderit, perspicuum est. Vbi enim, supradicto modo cecidit Sacerdotium vetus cum terrena Hierusalem, & manufacto Templo eius, tunc victoriosus pugnam iniit cum Diis gentium, Arca Domini, quæ est Christus

Christus Dominus secundùm compactum ex carne nostra corpus eius sedens, & manens in Ecclesia sua, & ipsa quoque est corpus eius, & plenitudo eius. Cecidit coram Arca ista Dagon; cecidit, inquam, coram illa omnis massa Dæmoniorum, quæ intelligitur per totum Idolum, per hoc ipsum nomen Dagon; interpretatur enim *piscis tribulatus*, illum, vt suprà dictum est, significans qui in mari est, cete magnum, Leuiatam serpentem tortuosum. Cecidit hic & alij Dagon coram Arca Domini tandem truncatus capite, & abscissis manibus, ideſt sublatis à cultu eius Regibus terræ, & Principibus, qui priùs adstiterant, & conuenerant in vnum aduersùs Dominum, & aduersùm Christum eius.

MYSTIC. Angelom. 17 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Angelom. in Stromatib. cap. 5. Illi, qui Dagon restituerunt in locum suum, figuram gesserunt eorum, qui defensores fuerunt idololatriæ cultus. Nam in manibus Dagon præcisis opus idololatriæ amputatum: in capite verò eius superbia Diaboli abscissa significabatur.

MYSTIC. TROPOL. Berchor. 18 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Petrus Berchor. lib. 9. Moralitat. Bibliæ cap. 4. Videmus quòd dato, quòd isti (mali Clerici, aut Prælati) quandoque à suis casibus releuantur, & per adiutorium amicorum ad gradum pristinum restituuntur. *Imago enim eius est, & opus est illi adiutorium.* Sapient. 13. Oportet tamen quòd finaliter decidant, atque per infortunia, vel per mortem à loco suo sublimi destituantur, & à consortio Arcæ finaliter deponantur, quod breuiter nullum Idolum, ideſt nullus fictus potest diutiùs iuxta Aream, ideſt Christum in statu religionis, vel Ecclesiæ persistere. Sapient. 13.

LITERAL. Lira. 19 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Lira ibi. Licet enim caput esset abscissum à corpore, corpus tamen ita iacebat super terram, ac si facies esset ad terram versa, si esset corpori coniuncta. Caput etiam super limen sic iacebat, quòd facies erat versùs terram.

LITERAL. Abul. 20 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Abulens. ibi quæst. 12. Non potest propriè dici quòd esset Dagon super faciem suam, quia caput eius, & manus abscissæ erant super limen Sanctuarij. Sed dicitur esse super faciem suam, scilicet super partem illam, versùs quam erat facies, scilicet super ventrem, & hoc erat, vt iterùm significaretur iacens ad adorandum Aream Dei.

LITERAL. Caiet. 21 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Caietan. ibi. Verè monstrat Deus Israël non fuisse se victum à Deo Philisthinorum hoc manifesto miraculo. Considera prudens Lector, quòd hac secunda vice Dagon cecidit in faciem suam ad terram, coram Arca, & quòd caput, & manus scissæ super limen fuerunt, & sic intellige Textum istum sonare, non quòd Dagon truncus relictus fuerit in loco suo (iam enim dictum est quòd cecidit in terram super faciem suam) sed sonare quòd in ipso Idolo non remansit nisi Dagon, hoc est forma piscis; apud Hebræos, siquidem sonat Dagon piscem, & aiunt Idolum illud fuisse idolum hominis mixti piscis, ita quod caput, & manus erant hominis, reliquum verò corpus erat piscis.

LITERAL. MORAL. Vermil. 22 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Petrus Vermil. in comment. Restitutus Dagon rursùs concidit, & quidem turpiori casu. Verus Deus cùm deprimi videtur, fortior, & robustior excitatur: Dagon autem cum reponitur, cadit longe turpius quàm priùs: sic etiam superstitiones, vt maiori cum pompa obtruduntur, tanto maiore dedecore solent euanescere.

TROPOL. Author Catenæ. 23 *Inuenerunt Dagon iacentem.* Autor Catenæ. Mirum quidem est quàm acriter Arca Dei Dagonem, apud quem morabatur, vexauerit, eòs autem Philisthinorum, quorum postea domus inducta fuit, vt docet Abulens. quæst. 17. nulla affecerit calamitate, nam præter primos duos dies in profana domo remansit. Cuius mihi duplex occurrit ratio. Prima, quia Diabolus, qui in specie Dagonis colebatur, in sempiternum obstinatus iniquior censeri debet quouis peccatore, de cuius pœnitentia, dum est in via, desperandum non est. Secunda, quia victima iniquitatis meæ est sub pietatis, ac religionis specie Deo dedecus, & contumeliam inferre, quod accidit Philisthinis, qui religionis prætextu iuxta Deum suum Aream collocauerant. *Cur casus?* *Hypocrisis iniquitas.*

MYSTIC. Æphræm. *Crucis victoria.* 24 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Æphræm Syrus serm. de pretiosa Margarita prope fin. Quemadmodum intra alienigenas Arca ipsum Dagon destruxit, atque subuertit; ita etiam in cruce Christus Diabolum profligauit, & blasphemos corripuit, cognitionémque diuinæ suæ potentiæ infidelibus, vel inuitis præbuit.

MYSTIC. Gregor. 25 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Gregor. suprà. Quid Dagon, ideſt idololatriæ caput, est aliud, nisi ipsum initium omnis iniquitatis Diabolus? Et quæ sunt palmæ manuum eius, nisi vniuersa opera idololatriæ? Caput itaque Dagon amisit, quia per Idolorum culturam regnare maligni spiritus in corde Gentilium desinunt: palmæ autem manuum eius abscissæ sunt, quia Idolis vanis sacrificia nusquam offeruntur; & quia à cunctis fidelibus eius deformitas vbique conspicitur, truncus Dagon in loco suo remansisse memoratur, caput verò, & manus abscissæ, & super limen positæ memorantur, quia profectò quisquis ad veram fidem ingreditur principia Diabolicæ suasionis repellere atque vniuersis eiusdem Sathanæ operibus renunciare præcipitur.

MYSTIC. Isidor. 26 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Isidor. Hispal. ibi cap. 3. In manibus Dagon præcisis opus idololatriæ amputatum, & in capite eius Diaboli superbia præcisa significatur. Erant verò in limine, vt certum, præfinitúmque sui idololatriæ finem agnoscerent; limen enim finem itineris significat.

HISTOR. Theodor. 27 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Theodor. ibi quæst. 13. Primum quidem viderunt ante Arcam cecidisse Deum, & adorationis præ se ferre figuram; deinde cùm erexissent, postridiè inuenerunt contritum, & extremis partibus priuatum.

LITERAL. Abul. 28 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Abulens. ibi quæst. 12. fuit istud factum, vt non possent occultare Sacerdotes populo deiectionem Dei sui coram Arca. Nam etiamsi vellent restituere eum in locum suum, vt priùs, nihil proderat, quia non habebat caput, nec manus, ideo cognouerunt hac vice Azotij, quòd Deus Hebræorum humiliauit Deum suum, vt patet infrà, scilicet: *Videntes autem viri Azotij dixerunt: Non maneat Arca Dei Israël apud nos, quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.*

TROPOL. Idem. *Deus in eadem punit.* 29 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Idem ibidem quæst. 13. De manibus, & capite, quare magis fuerint abscissæ, quam aliæ partes, non apparet aliqua causa, sed referendum est ad quandam similitudinem operum nostrorum, ac si diceremus quòd

Dagon Deus Azoti peccauit malè adorando Deum Israel, ideò abscissæ sunt illæ partes, quæ ad adorationem pertinent, scilicet caput, quia illud non benè curuauit; & manus, quia illas non benè inclinauit coram Domino.

HISTOR. Idem. 30 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Idem in cap. 16. Iudic. q. 45. Cùm fuisset in locum suum restitutus, secunda nocte repertus est in terra fractis pedibus, & brachiis, & capite, & erat truncatus, vt patet 1. Reg. 5. Et cognouerunt Philisthini istud factum esse à Deo Israël.

1. Reg. 5.

MYSTIC. Venet. 31 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Franciscus Georg. Venetus tom. 1. Histor. sacræ sect. 8. Problemate 446. Caput, & manus Dagon abscinduntur, vt innuatur intellectualis, & operatiua virtus illius Idoli à facie Dei esse penitùs collisa, & ablata.

MORAL. Sanctius. 32 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Gaspar Sanct. ibi num. 9. Tam Ioui (si Iupiter est Dagon) quàm Veneri, detruncatæ sunt manus, in quibus vis est, & solertia ad cuiuscumque operis molitionem, & fabricam; quia omne vitium torpescit, & languet, vbi Deus locum illum impleuit, aut insedit, quem, vitium antea tanquam alienus Dominus, aut crudelis Tyrannus occupauerat. Manet igitur Dagon truncus ante Arcam in Templo, sicut hostis captiuus, & armis, atque ornamentis exutus ante victorem Dominum.

LITERAL. Menoch. 33 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Stephan. Menoch. in sua Biblia. Grauiùs secunda vice mulctatur Dagon, vt vel sic intelligerent Azotij veri numinis potentiam, & Idoli sui vanitatem.

LITERAL. Vermil. 34 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Vermil. in Comment. Dagoni irruenti amputantur manus, & caput. Capite sapientia notatur; manibus autem vis efficiendi, vt docerentur eius cultores nihil ei aut sapientiæ, aut virium ampliùs superfuisse. Nam quidquid Idola vel sentiunt, vel possunt, id totum à Diabolo accipiunt, cùm per seipsa nihil valeant.

LITERAL. Author Catenæ. *Triumphus Arcæ.* 35 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Autor Catenæ. Quam bellè triumphum suum ex Dagone Arca Dei palam fecit. Quemadmodum strenuus solet venator comprehensi cerui caput, cornuáque, vel etiam lupi, aut apri pellem pro foribus suis figere quo suam venandi iactet dexteritatem, sic Israëlis Deus vt quos egisset ex Dagone triumphos, eius videant cultores, prostrati Idoli abscissum caput, manúsque, seu etiam pedes, vt addunt Septuaginta, liminibus fani apponit, decorum vero Deo; turpe cultoribus spectaculum, ac monimentum. Addunt autem Augustin. Isidor. Eucher. Lucifer, & alij non solum truncatum fuisse Dagonem capite & manibus, sed in varias etiam partes dissectum esse, ac laceratum.

COMPLUT. AUGUST. ISIDOR. EUCHER. LUCIFER.

TROPOL. Author Catenæ. Abul. Mendoza. 36 *Caput autem Dagon, & duæ palmæ, &c.* Autor Catenæ. Caput, manúsque Dagoni præcinduntur, ac si ea præcipuè, quæ déliquerant, membra lacerentur, vt rectè annotauit Abul. suprà. Neque enim caput religiosè inclinatum fuerat, neque leuatæ manus in diuinas laudes. Displicet tamen hæc ratio Mendozæ nostro, §. 12. *Non video*, inquit, *quid peccati committere, quid supplicij luere debeat statua Dagonis, sensus, & rationis expers.* Me tamen iudice iniquo iure contendit Mendoza, Abulensis verò ratio pulcherrima est, si omnia eius verba perlegantur suprà, num. 29. vbi inter alia: *Referendum*, inquit, *est ad quandam similitudinem operum nostrorum.* Quid ergo ad rem quod Dagonis statua sensus fuerit, & rationis expers? Eodem argumento impugnaret Mendoza eos Patres, immò & seipsum, qui nuper vers. 3. procumbentem Dagonem in faciem suam ante Arcam, quasi eam adorantem describunt, quod statuæ rationis experti minimè quoque conuenit. Abulensis ergo & Patres reliqui, vel metaphoricè loquuntur, vel Dagonis nomine Diabolum intelligunt, qui rationis expers non est, ac sub illius Idoli specie colebatur, & ab Arca Dei externis vindictæ signis vexabatur.

Abulensis vindicatur.

37 *Super limen.* Angelom. supra. Quod in limine inueniuntur, gestum est, vt scilicet præfinitum suæ idololatriæ finem agnoscerent; Limen enim finem itineris significat, idest consummationem Idoli. Seu limen significat fidem, per quam idololatriæ cultus destructus est.

MYSTIC. Angelom.

38 *Super limen.* Abulens. ibi quæst. 13. Dicendum quòd hoc fecit Deus, vt maneret memoria miraculi eius in terra Philisthinorum; nam quia repertæ sunt istæ partes super lumen domus, viri Azotij in reuerentiam Dei sui statuerunt, ne quis calcaret pedibus super limen, vbi steterunt partes Dei sui, & sic fuit obseruatum hoc inter Philisthinos, vt patet infrà, & sic mansit memoria miraculi.

LITERAL. Abul.

39 *Super limen.* Vermil. ibi. Caput, & manus Idoli non modò ceciderunt, sed vsque ad limen fani proiecta fuisse videntur ad ignominiam vtique Dagonis; vt illius deiectio, ac turpis casus magis fieret perspicuus. Attamen Palæstini hoc cernentes minimè resipuerunt.

LITERAL. Vermil.

VERSVS V.

VVlgata. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur Templum eius, super limen Dagon in Azoto vsque in hodiernum diem.

VULGAT.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Tantum Daghon remanserat iuxta eam. Ideò non calcant Sacerdotes Daghon, & omnes qui ingrediuntur in domum Daghon super limen Daghon in Asdod vsque ad diem hanc.

PAGN.

Hebraica ex Franc. Vatab. Dumtaxat Dagon relictus erat in eo, vel apud se. Hinc Sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur fanum Dagon, non calcant limen Dagon in Azoto, in præsentem vsque diem.

VATAB.

Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia. Propterea non gradientes sacrificuli Dagon, & omnes intrantes ad ædem Dagon super limen Dagon in Asdod vsque ad diem hunc.

ARIASM.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Verum scapula Dagon relicta est. Propter hoc non ascendunt Sacerdotes Dagon, & omnis qui ingreditur in Templum Dagon super limen domus Dagon in Azoto vsque in diem hunc, sed transilientes transiliunt.

COMPLUT. REGIA.

Græca ex Sept. in Sixtia. Tantummodo truncus Dagon remanserat. Propter hoc non incedunt Sacerdotes Dagon, & omnis intrans in domum Dagon super limen domus Dagon in Azoto, vsque in diem hanc, quoniam transcendentes transcendunt.

SIXTIA.

Caiet. ex Hebræo. Tantùm Dagon relictus est super ipsum.

CAIETAN.

Isidor. Clar. ibi. Dagon truncus remanserat iuxta eam.

ISIDOR.

PP. ET

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Porrò Dagon solus truncus remanserat, &c.* Abul. ibi. quæst. 13. Cùm vidissent omnes viri Azotij, quòd manus, & caput Dei sui, iacuerunt super limen domus, crediderunt iniustum esse, & magnæ irreuerentiæ, si ipsi calcarent post in loco, vbi iacuerat Deus eorum, & ob hoc statuerunt, vt nemo ibi calcaret, & sic obseruatum est.

Literal. Caietan. 2 *Porrò Dagon solus truncus remanserat, &c.* Caietan. ibi. Aiunt Idolum illud fuisse Idolum hominis mixti pisci, ita quòd caput, & manus erant hominis, reliquum verò corpus erat piscis, & hoc valdè quadrat litteræ hebraicæ clarè sonanti; tantum Dagon relictus fuit super ipsum. Abscissis enim membris humanis tantùm piscis relictus est in ipso prostrato, coram Arca Dei.

Mystic. Mendoza. 3 *Porrò Dagon solus truncus remanserat, &c.* Francis. Mendoza ibi. §. 2. Non immeritò Dagon hominis formam amisit, & in sola piscis figura remansit, vt Diabolus coram Arca Dei totam suam astutiam exuisse, & cum extrema stultitia commutasse significaretur.

Mystic. Idem. *De sum Dagon quia.* 4 *Porrò Dagon solus truncus remanserat, &c.* Idem ibidem. §. 4. Iuxta Græcum dicitur scapula Dagon relicta fuisse, hoc est solùm dorsum, quia Dagon suum dorsum ad flagella præparabat, quasi se verberonem, ac mastigiam, hoc est, flagris dignissimum fateretur. Sciebat enim Arcæ inimicos, qualem se esse non negabat, acriter à Deo flagellandos.

Moral. Clar. 5 *Dagon truncus solus remanserat.* Isidor. Clarius in Scholiis. Cernis vt vbique gloria *Domini* emineat etiam tum, cùm deiecta existimatur.

Mystic. Greg. 6 *Propter hanc causam non calcant Sacerdotes, &c.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 3. Sacerdotes Dagon se esse insinuant, qui super limen non calcant. Quibus in verbis cautè inspiciendum est, quia non dixit limen, sed super limen, vt caput & manus Dagon calcanda esse doceantur, quæ super limen abscissa esse referuntur. Idcircò autem Sacerdotes super limen non calcant, quia abscissas eius manus, & caput pede conterere vitant. Sacerdotes namque Dagon vsque in hodiernum diem remanent, quia qui per immunda desideria antiquo hosti sacrificet, adhuc est, qui profectò super Templi limen calcare refugiunt, quia nec immundis suggestionibus, nec malis operibus resistunt. Dagon itaque Sacerdotes sunt, quia etsi manufactis se idolis non humiliant, concupiscentiarum tamen simulachris per nefaria opera se incuruant.

Mystic. Beda. 7 *Propter hanc causam, &c.* Beda lib. 1. Exposit. Allegor. cap. 10. Dagon truncati caput, & pedes in limine, suos ab eiusdem liminis tactu deterrent. Agni verò immaculati sanguis in limine suos se semper recolentes tutos ab hoste reddit.

Literal. Abul. 8 *Propter hanc causam, &c.* Abul. quæst. 13. Ideò istud obseruatur solùm in Templo Dagon, quia etsi essent Templa aliorum Idolorum, non fiebat aliquid tale in eis, quia nihil acciderat huiusmodi. Dicitur etiam quòd hoc fit in Azoto, quia in aliis vrbibus, quamuis essent Templa Dagon, non obseruabatur in eis aliquid tale, eo quòd ista deiectio Dagon coram Arca solùm accidit in Azoto.

9 *Propter hanc causam, &c.* Idem ibidem. q. 14. Non solùm super limen Templi Dagon non calcant intrantes, sed etiam super partem illam, in qua iacuit Dagon, quia causa eadem est. Scriptura tamen expressit solum de limine, eo quod ibi videbatur esse difficilius obseruari. Literal. Abul.

10 *Propter hanc causam, &c.* Caietan. ibi. Ex vsu deinceps ingredientium Templum Dagon in ciuitate Azoti, manifestat seruari memoriam tanti miraculi. Literal. Caiet.

11 *Propter hanc causam, &c.* Author Catenæ. Hoc est, transiliunt ingressuri limen, vt exprimunt Septuaginta. Qui verò ex hoc loco credunt cum Cedreno, *Dagonis fanum in honore esse desisse*; nec frequentari deinceps, falluntur, cùm addat expressè Textus: *Omnes, qui ingrediuntur Templum.* Templum ergo desertum non fuit, sed frequentabatur. Literal. Author Catenæ. Cedren.

12 *Vsque in præsentem diem.* Autor Catenæ. Hoc est vsque ad tempus id, in quo liber hic à Samuële, vel Dauide, vel Esdra, vel alio quouis scribebatur, de quo diximus in proœmio. Non est autem ratio ob quam Mendoza §. 11. suspicetur ex hac Philisthinorum superstitione, Gentiles etiam, vel Templorum limina non calcare, vel singularem eis reuerentiam impertiri consueuisse; cùm hæc liminum religio aliis causis adscribi debeat, nempe vel ipsorum Templorum religioni, vel falsis illis Numinibus, quæ liminibus præesse credebantur, nempe Iano, Limentino, Forculo, & Cardo, quæ refert Tertul. lib. de Corona Militis. c. 13. & in Apologetico c. 13. & de Idololat. c. 15. Hæc scripseram, cùm incidi in Barnabã Brissonium nobilem Iuris Consultum, & Parisiensis Senatus Præsidem, virum apprimè eruditum, qui libello de Nuptiar. ritu, cùm latiùs agat de gentilica cæremonia à nouis nuptis obseruata, vt mariti limen non calcent, sed transiliant, cùm primò ingrediuntur domum, nusquam ritum refert ad Azotiorum historiam, sed ad reuerentiam Vestæ limini præsidentis; probátque latiùs ex Seruio, Tibullo, Isidor. & aliis. Literal. Author Catenæ. Mend. Tertul. Brissonius. Seruius. Tibul. Isidor.

13 *Vsque in præsentem diem.* Vermil. ibi. Deus iussit Moysi calceos modo exuere; quod terra sancta esset; quam tamen postea calcare licuit. At isti locum, quem sanctificauerant sibi, ne calcari quidem patiuntur, vel vsque ad tempora Samuelis, à quo ista fuerant conscripta; vel vsque ad Esdram, qui ea denuò collegit. Vermil.

14 *Vsque in præsentem diem.* Leui. Ben. Gerson. ibi. Nihil aliud isti faciebant quàm ignominiæ suæ testimonium ferre. Gerson.

VERSVS VI.

Vulgata. Aggrauata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos: & percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate. Vulgata.

Benedict. in margine. Et percussit in inferioribus ventris. Benedic.

Text. Gloss. in margine. Et percussit mariscis in secretiori parte natium. Glossa.

VERSIONES.

Hebraïc. ex Xante Pagn. Aggrauata est autem manus Domini in Asdodios, & desolatus est eos, & percussit eos mariscis Asdod, & omnes fines eius. Pagn.

Vatab. *Hebraïc. ex Franc. Vatabl.* Manus autem Domini grauis fuit in Azotios,& perdidit eos, percussitque eos in podicibus non Azotios dumtaxat,sed finites eius.

Arias. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et fortificata est percussio Domini super hominem Asdod,& vastauit eos, & percussit eos in constrictionibus Asdod,& terminum eius.

Complut. Regia. *Graec.ex Sept. in Complut. & Regia.* Et aggrauata est manus Domini super Azotios, & torsit Azotios,& percussit eos in natibus eorum Azotum, & terminum eius.

Sixtia. *Grec. ex Sept. in Sixtiana.* Et grauata est manus Domini super Azotum,& induxit eis, & efferbuit eis in natibus, & medium regionis eius expullularunt mures,& facta est confusio mortis magnæ in ciuitate.

Lucif. Flamin. *Lucifer apud Flamin. Nobilium.in Schol. Sixtia.* Et grauata est manus Domini super Azotum,& induxit illis mures,& facta est confusio mortis in ciuitate.

Lucas. Brugens. Codex. Brugens. Henten. Hunnæus, Cod. Pari. Complut. Vatican. Epanort. Mendoza. Aquila. S.Lucif. August. Theodor. Simmach. Author Catenæ. Lira. Abul. Caietan. Brugens. Burgens. *Franc.Lucas Brugensis ibi.* Hanc Versus 6. partem *Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius; Et facta est confusio mortis magnæ in ciuitate,* multa Latina exemplaria transfodiunt:Cathedralis Ecclesiæ Brugensis vnum; Henteni duo; Hunnæi duo, Parisiensium tria,cum Complutensi, ex quo Regium est expressum.Cardinalis Vaticanionis Codex in margine non addendum monet. Proinde Epanortotæ inter, *& percussit in secretiori parte nationum Azotum, & fines eius; & videntes autem viri Azoty,* nihil interponendum docet.

Francis. Mendoza ibi. §.13. Ex Septuag. *Et torsit eos*: Chaldæus *vastauit eos*: Hebræus *desolare fecit eos,& percussit in locis altis,* siue *extantibus,*Chald.*in constrictionibus,*Septuaginta quos Aquila, S.Lucif.D.August.in Psal.77.Theod.q.13.& alij imitantur, *in sedibus:*quamuis Lucifer etiam vertat: *in domibus*; sed idem est, quòd in sedibus. Simmachus *in locis absconditis.*

*Autor Catenæ.*Verba illa Et *Ebullierunt* vsque ad finem Versiculi,vt notarunt Lira,Abul.Caietan. Brugens.& Burgens.non sunt in Text. Hebraic.nec in Chaldaico, nec in Græco, Complut. & Regio, nec in Versione Hispanica; immò, vt notat Text. Gloss. in margine, in Latinis pluribus antiquis,sed fortè tanquam glossa additæ sunt, & notariorum ignorantia Textui irrepsere. His tamen non obstantibus,excludenda non sunt; cùm correctæ Bibliæ à Sixto V. non excludant. Loco autem *magna,*quod est in secundo casu, alia habent *magna* in primo:alia vtrumque omittunt, vt notauit Lucas Brugensis.

Sixtus. Brugens.

Lucifer. *Lucifer. lib.1. pro S. Athan.* Et percussit illos in domibus eorum in Azotum,& regiones eius, & factum est, cùm ante lucem vigilassent, & Dagon cecidera in faciem ante Arcam testamenti, & caput Dagon, & ambo vestigia manus eius ablata erant per partes centum, & ambo articuli manus illius cecidernnt in limen.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Aggrauata est autem manus Domini super Azotios.* Gregor. lib.3. Variar. cap.3. Manum super Azotum aggrauauit, cùm Gentilium corda virtute suæ potentiæ ad conuersionem mouit; Nam dum per internam aspirationem eis vim internæ mortis innotuit, de perpetratis iniquitatibus gentium mentes mirabili terrore percussit.

Rupert. Genes. 2 *Aggrauata est autem manus Domini.* Rupert. lib.3.Comment.in Genes.cap.13. Si Psalmistæ recte licuit dicere, *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus tanquam potens crapulatus à vino,* pro eo quòd tardiusculè subuenit: capta quippe fuerat iam Arca Dei, & Sacerdotes eius in gladio ceciderant Ophni, & Phinees, quanto magis tunc tanquam crapulatus à vino toto meridie dormisse dicendus est, quando illo tacente tantum malum vniuerso generi humano partum est?

Histor. Ioseph. 3 *Aggrauata est autem manus Domini.* Ioseph. lib.6. Antiquitat. cap.1. Postremò grauissima pestis Azotiorum vrbem, atque agrum adorta est, correpti enim dysenteria cruciabiliter moriebantur nonnulli interanea vitiata morbóque corrosa euomebant, ager verò totus scatebat muribus,qui omnia vastantes, nec segetibus parcebant, nec cæteris fructibus.

Morat: Incogni. *Deus per malos punit.* 4 *Aggrauata est autem manus Domini.* Incognitus,in Psalm.77.vers.1348. Quamuis Deus multotiens populi sui peccata puniat per malos, sicut idololatriam populi sui puniuit per Babilonios,tamen illi aliorum peccata punientes ex hoc non merentur, quia hoc non faciunt amore iustitiæ, sed magis ipsi à Deo puniri merentur. Sic accidit de Philisthæis, per quos puniuit peccata populi sui, quia ampliori punitione ipsi punitores digni fuerunt;ideò quia odio,& non zelo iustitiæ hoc fecerunt, iram Dei contra se fortiùs prouocauerunt: & hoc est, quod Psalmus hîc dicit: *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus,&c.*

Literal. Procop. 5 *Aggrauata est autem manus Domini.* Procop. in Comment. Cum parta victoria Arcam contemnerent, ac veluti frugum primitias, aut spolia hostibus detracta in Templa suorum Deorum reponerent, Dei vim, & potentiam reipsa experti sunt.

Literal. Abul. 6 *Aggrauata est autem manus Domini.* Abul. ibi,q.14.Percussit Deus primò Deum Azoti, scilicet Dagon, vt sic vellent Philisthini dimittere Arcam; noluerunt tamen, quia indurati erant, quousque percuterentur ipsi nimis. Erat dura percussio,quia super omnes veniebat,siue magnos, siue super parvos.

Histor. Tursellin. 7 *Aggrauata est autem manus Domini.* Oratius Tursellin.lib.1.Epitome.Arca apud hostes captiua breui dissimulatum Dei numen ostendit, maximas quippe hostium Diis, corporibus, agris intulit clades.

Literal. Mendoza. 8 *Aggrauata est autem manus Domini.* Francis. Mendoza ibi.§.2.Manus Domini in Scriptura frequenter sumitur pro potentia diuina ad puniendum vt Eusebius Cæsarien.lib.8. de Præparat. Euang.cap.3.ad finem testatur. Vel etiam pro plaga, & punitione ipsa diuinitùs illata. Exempla passim occurrunt Exod. 7. 4. Ruth.1.13. Iob. 13. 21. Psalm.31.&c.

Morat: Lucifer. 9 *Et demolitus est eos.* Lucif.lib.1.pro S.Athan. Vides Constanti, quomodo sinat Deus nostrer humiliatam videri religionem suam à vobis alienigenis,& eo quidem vsque humiliatam, donec etiam vos persecutores veræ religionis videatis non esse Deum alium præter Deum nostrum.

Literal. Abul. 10 *Et demolitus est eos.* Abulens.ibi. quæst.14. Demoliri significat *destruere.* Fuerunt autem demoliti,quia plures eorum moriebantur hâc plagâ: alij autem ita affligebantur nimis, quòd mortem sibi eligerent.

11 *Et*

MORAL. Athanas. 11 *Et percussit in secretiori parte natium.* Athanasius Epist. ad Solitariam vitam agentes. Vt olim Azoti incolæ ausi Arcam attingere, quam illis vel oculis conspicere nefas fuit, sedium tormentis excruciati peribant; ita Arrianus quidam iuuenis sellam lineam (*Templi Alexandrini ex qua docebat Athanasius*) conuellere, fragmento ligni, inde in ventrem ipsius resiliente, intestina sua perforauit, & rupta aluo sua intestina effudit.

MORAL. Nazian. 12 *Et percussit in secretiori parte natium.* Nazianz. Carm. 11. ad Episcop.

Ac Gethæi vtinam morbo perimantur, vt æquum est
Pœnas ob sedem meritas in sede luentes.

MORAL. Idem. *Congrua ambitiosi pœna.* 13 *Et percussit in secretiori parte natium.* Idem Orat. ad Episcop. Alij pro sacris sedibus inter se digladiantur, mutuósque fluctus excitant, ac densissimis malis, conuitiisque se mutuò incessunt. Qui vtinam eodem, quo Gethæi cruciatu doloris angerentur, sedentariáque pœna afficerentur, vt intima eorum præsidendi cupiditas congruenti supplicio vindicaretur.

MORAL. August. *Deus in eodem punit.* 14 *Et percussit in secretiori parte natium.* Augustinus seu Author lib. de Mirabilibus Scripturæ. lib. 2. cap. 7. tom. 3. Præterea quoque tota Philisthæa fœda admodum plaga percutitur; nam & exitales eorum foras prominebant, & ingens sterilitas, & insolens copia per totam prouinciam diffundebatur; conuenienter quippe Dominus illis vtramque pœnam parauerat, qualem rerum ipsarum conueniens ratio exigebat, quatenus qui misera animalia Diuino cultu venerabantur, per miserrima animalia in aduentu Dominicæ legis castigarentur: & qui Tabernaculi Domini interiora, id est Arcam extra limites suos protraxere, hi internorum suorum foras prominentium fœda affligerentur clade.

TROPOL. Greg. *Deus in eodem punit.* 15 *Et percussit in secretiori parte natium.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 3. In secretiori parte natium percussi perhibentur, quia peccator quisque ex ea parte vulnus accipit animæ, quam incurrit ad peccati delectationem.

MYSTIC. MORAL. Beda. 16 *Et percussit in secretiori parte natium.* Beda lib. 1. Exposit. Allegor. cap. 10. Qui susceptæ Dei Arcæ super Dagon interitu dolent, ruinámque eius erigunt, in posterioribus feriuntur, eorúmque à muribus terra demolitur; quia qui fidei agnitione, vel etiam mysteriis imbuti, aut Idola sterni, aut vitia sibi non tolerant interdici; quia retrò respiciunt, immunditiam vitæ veteris non relinquunt, & posteriora, quæ cum Apostolo, obliuisci, & arbitrari debuerant vt stercora, reperunt, ex his nimirum, quæ eligunt, puniuntur; ipsáque fit miseris causa pœnæ, quæ delectatio erat culpæ.

MYSTIC. Aug. 17 *Et percussit in secretiori parte natium.* Aug. in Psalm. 77. tom. 8. *Et percussit inimicos suos in posteriora.* Psalm. 77. Illos vtique qui gaudebant, quòd Arcam eius captiuare potuerunt; percussi enim sunt in sedibus suis. Quod eius pœnæ signum mihi videtur, quia quisque cruciatur, si in posteriora respexerit.

MYSTIC. MORAL. Angelom. *Constantia in bono.* 18 *Et percussit in secretiori parte natium.* Angelom. in Stromatib. cap. 6. Quòd percussi in posteriora hi, qui Arcam captiuauerunt, hac pœna significari videtur; quia si qui susceperint Testamentum Dei, & posteriorem vitam dilexerint, ex ipsis, & pro ipsis iustissimè iusto Dei iudicio in posteriora cruciabuntur, quæ, sicut ait Apostolus, existimari debent, sicut stercora. Qui enim sic assumunt Testamentum diuinum, vt in posteriora respicientes, veteri se vanitate non exuant, similes sunt hostibus illis, qui Arcam Testamenti captiuam iuxta Idola sua posuerunt. *Eadem verba habent* Eucher. August. Glossa & alij. EUCH. AUG. GLOSSA.

19 *Et percussit in secretiori parte natium.* Theodoretus ibi. quæst. 13. Sedis morbum passi sunt, vt qui Arcam diuinam impiè locauerant, nempe apud Deum falsò appellatam. HISTOR. THEOD.

20 *Et percussit in secretiori parte natium.* Idem ibidem. Vt Septuaginta sunt interpretati: Percussi sunt in sedibus; vt autem Aquila: Laborauerunt excedente vlcere, quod dicunt Phagedænam. Iosephus autem docuit, iis fuisse morbum dysenteriæ. Sed nemo existimet esse inter se discrepantes diuersas illas editiones. Nam dysenteriæ successit morbus sedis; frequens enim excretio inflammauit particulam illam. HISTOR. IDEM. SEPT. AQUILA. IOSEPH. *Varii Aretiorum qui?*

21 *Et percussit in secretiori parte natium.* Procopius Gazæus ibidem. Pro fluuio ventris laborarunt, eo quòd Arcam Domini impiè & nefariè iuxta mendacem Deum suum collocauissent. HISTOR. PROCOP.

22 *Et percussit in secretiori parte natium.* Petrus Blesens. Epist. 48. Nonne isti in posteriora percussi sunt, quorum finis, interitus, quorum posteritas damnata est, vt successor eorum in Ecclesia Dei de cætero non resurgat? TROPOL. BLESENS.

23 *Et percussit in secretiori parte natium.* Petrus Berchor. lib. 9. Moralit. cap. 5. Detentores Arcæ, & decimarum, & Ecclesiæ iurium, & etiam beneficiorum Ecclesiæ, duplici malo percutiuntur, scilicet malo culpæ, & malo pœnæ. Malo, dico, culpæ, quod circa posteriora putrescunt, quod facit peccatum luxuriæ, quo inficiuntur, & per quod gratia, & fama priuantur. Psal. 77. *Percussit inimicos suos in posteriora, & opprobrium sempiternum dedit illis.* Malo etiam pœnæ, quod mures, id est raptores, tyranni, & Principes sæculares, mali etiam Prælati, & officiales contra istos debacchantur, & apud eos quandiu Ecclesiæ iura, vel beneficia iniustè retinent, ebullire noscuntur. MYSTIC. TROPOL. BERCHOR. PSAL. 77.

24 *Et percussit in secretiori parte natium.* Liranus ibidem. Percussi enim fuerunt dysenteria vehementi, ita quod intestina inferiora, per quæ fæces egrediebantur, putrescebant, vel scaturiebant vermibus, & exterius prominebant. LITERAL. LIRA.

25 *Et percussit in secretiori parte natium.* Ansel. Laudunens. in Glossa Interlinear. Quoniam Sodomitæ erant. MORAL. INTERL. *Pœna æquius.*

26 *Et percussit in secretiori parte natium.* Abul. ibid. quæst. 14. Quidam dicunt, quòd, illis partibus putrescentibus, scatebant vermes, & erat fœtor intolerabilis. LITERAL. ABUL.

27 *Et percussit in secretiori parte natium.* Idem ibidem. quæst. 15. Aliqui intelligunt Versum illum Psalm. 77. *Percussit inimicos suos in posteriora*, de Hebræis modernis, quòd sint percussi in posterioribus, id est quod fluat sanguis per secessum eorum in pœnam, quia ipsi dixerunt de Saluatore: *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Sed an verum sit quòd ista passio accidat Hebræis modernis omittitur, constat tamen quòd Versus ille non intelligitur nisi de percussione Philisthinorum. LITERALI. IDEM.

28 *Et percussit in secretiori parte natium.* Iacobus de Valentia in Psalm. 77. *Opprobrium sempiternum dedit illis*, quia emittebant fluxum sanguinis per posteriora ad modum menstrui mulierum, quæ dicitur hæmorroïca ægritudo, & sic fuerunt coacti remittere Arcam Dei ad filios Israël. LITERAL. VALENT.

29 *Et percussit in secretiori parte natium.* Franciscus Georg. Venetus tom. 2. sect. 8. Problem. 448. TROPOL. VENETUS.

Quia solebant Templum illud intrare posterioribus præmissis, & tergo verso ad Idolum, pariterque se cum Arca gesserant; ideò posterioribus male affecti sunt.

MORAL. Rangol. Iacobus Cuiacius.

30 *Et percussit in secretiori parte natium.* Claudius Rangol. in Comment. Annotat Cuiacius lib. 7. Obseruat. cap. 13. Mundi Principes ob hoc quoque suis legibus fuisse æmulatos, vt iis potissimùm partibus, ac membris reos mulctarent, quibus ante deliquissent. Solebant, inquit, serui fugitiui pedum amputatione coerceri, atque adeò qua parte peccassent, eâdem mulctari. *leg. 3. Cod. de Seru. fugitiu.* Sicut falsario incisos digitorum neruos, Alexandri decreto, Lampridius, Claudij præcisas manus Suetonius scribit. Idem Galbam nummulario non ex fide versanti pecunias manus amputasse, mensæque eius affixisse, *&c.*

Lex 3. Cod. de Seru. fugitiu.

LITERAL. Autor Catenæ. Clarius. Genebrar. Aquila. Procop. Glossa. Flamin. Abul. Ioseph. Theodor. Procop. Comest. Lira. Carthus. Sabell. Mendoza. Psalm. 77. Kimhi. Vatab. Conc. Nic. Versio Illirica.

31 *Et percussit in secretiori parte natium.* Author Catenæ. In assignando Azotiorum morbo, seu morbi nomine non conueniunt Interpretes. Plures eorum ficum vocant, notum morbi genus. Sic Isidorus Clarius, cum Genebrardo & aliis. Alij Phagædænam dicunt, hoc est, vlcus putridum corrosiuum, & exedens. Sic Aquila, & Procopius. Mariscas, & alij, hoc est, tubercula vlcerosa, quibus præpostera Venere vtentes, laborant. Sic Textus Gloss. in margine, & ex Hebræo aliqui apud Flamin. in Schol. Sixtiana, Abulensis cum aliis hæmorrhoïdem, id est, fluxum sanguinis. Iosephus, Theodoretus, Procopius, Comestor, Lira, Carthusianus, Sabellicus, & alij dysenteriam, seu ventris fluxum, & ad ima vsque intestina resolutionem. Tandem iuniores alij, quorum Mendoza suppresso nomine meminit, morbum Venereum, qui ex frequenti luxuria ortum habet. Hinc patet germana expositio Psal. 77. Vers. 66. *Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis*; & iure optimo impugnantur Rabbi Kimhi, Vatablus, & alij hebraïzantes hanc inimicorum Dei in posteriora percussionem, non ad morbum turpem referentes, sed ad fugam Philisthinorum, & cladem in fuga acceptam. Qui fortè errandi ansam sumpserunt ex Concilio Nicæno. 2. Act. 7. Epistol. 1. Quod hæc referens, sic Latinè habet. *Percussit inimicos suos, & dedit eis in posterum improperium sempiternum.* Vel etiam Illirici Psalterij Vers. *Et percussit inimicos suos in calcaneum.* Deceptos autem fuisse patet ex loco hoc, qui ab omnibus communem cum loco Psalmi sensum continere perhibetur, & de turpi ac infami morbo ab omnibus exponitur, ob quem à gentibus Azotij in risu fuere, erúntque, dum sacra Historia viguerit; vigebit autem in sempiternum. Vnde *opprobrium sempiternum dedit illis.* Non omittam tandem quòd curiosa hîc obseruatione annotauit noster Gaspar Sanctius num. 44. Ex hac Azotiorum percussione in sedibus emanasse, & perdurasse apud Hispanos nostros nomen *Azotar*, & *Azotar*. Hoc est flagella, & flagellare, quasi dicas Azotizare, quam vocem his maximè plagis accommodant, quas in ea parte subeunt pueri à pædagogis, & Magistris, quæ maximè in Azoto, aliisque ciuitatibus Palæstinæ vexata est.

Morbus Azotiorum quis?

Sanct.

Vox Hispaniæ Azotes, vnde?

MORAL. Mend.

32 *Et percussit in secretiori parte natium.* Franc. Mendoza ibidem §. 16. Verberatio in posteriora est supplicium puerile. Vt igitur Philisthini si non ætate, saltem infirmitate pueri esse ostendantur, puerili supplicio feriuntur; ne deinceps contra Deum viros se profiteantur dicentes: *confortamini, & estote viri.*

33 *Et ebullierunt Villa, & agri.* Rupertus in Commentario cap. 14. Quid sunt illi, qui ebullierunt, & terram demoliti sunt mures, nisi maligni spiritus, iustis quidem contemptibiles, vt mures; peccatoribus autem terribiles, vt Leones.

MYSTIC. Rupert. *Mures qui?*

34 *Et ebullierunt villæ, & agri.* Glossa Ordinaria ibidem. Per mures bona agrorum corrodentes, significati fuerunt Eraclij Bellatores terram Persarum deuastantes. Per plagam vero quam passi fuerunt Azotij in posterioribus, significatum fuit opprobrium seruitutis, quod incurrerunt Persæ sub Romanis.

MYSTIC. Glossa.

LITERAL, Lira.

35 *Et ebullierunt villæ, & agri.* Lira ibidem. Totus ille Versus non est in Hebræo, nec in libris antiquis, sed per modum Glossæ primò fuit additus extra Textum, eo quòd infrà 6. cap. exprimitur ista plaga murium facta in quinque ciuitatibus principalibus, quarum Azotus erat vna, & postea aliqui impediti hunc Versum inseruerunt Textui, sicut & in pluribus aliis locis factæ Scripturæ reperitur.

LITERAL. Abul.

36 *Et ebullierunt villæ, & agri.* Abulensis ibidem quæst. 15. Dicebatur ebullire terra, quia ita erant mures multi super terram, quòd videbatur terra ebullire sicut olla, quando est in feruore suo.

HISTOR. Sulpit.

37 *Et nati sunt mures.* Seuerus Sulpitius lib. 1. sacræ Historiæ. Inde mures per totam regionem exorti noxiis morsibus multa hominum millia lecto dabant.

MYSTIC. Gregor.

38 *Et nati sunt mures.* Gregorius suprà. Mus immundum est animal, & per legem edi prohibitum. Quid ergo per mures nisi Dæmonia designantur? Et quid est morderi à muribus nisi peccati pœna lacerari? Sed mordebantur à muribus, cùm ad purgandum ventrem egrediebantur. Quid est ergo purgare ventrem, nisi expletione peccati miseræ famæ fœtorem proferre?

MYSTIC. Gloss. *Mures hæretici.*

39 *Et nati sunt mures.* Glossa Ordinaria ibid. Per mures signantur hæretici conurgentes, & per plagam in posterioribus, conuersi ad fidem ad vomitum postea reuertentes, sicut fuit Iulianus Apostata.

LITERAL. Abul.

40 *Et nati sunt mures.* Abulensis ibidem quæstione 14. Causauit Deus de terra multos mures ebullientes, & isti ascendebant per crura Philisthinorum, & corrodebant intestina illa putrida, ac pendentia, nec se poterant Philisthini defendere ab his muribus, quia isti fuerant dati à Deo in plagam.

HISTOR. Mendoza. *Mures quibus infesti.*

41 *Et nati sunt mures.* Franciscus Mendoza ibidem §. 52. Quæres quibus rebus pernicioſi fuerint hi mures? Respondeo: nauibus, agris, & vrbibus. Nauibus quidem, quia Septuaginta in Bibliis Sixtianis transtulerunt, siue addiderunt, *Hæc murium plaga efferbuit eis in nauibus.* Moueor, vt ita sentiam, quia Azotus, & Ascalon, & plures aliæ vrbes Philisthinorum erant maritimæ, vt Volaterranus libro primo Geographiæ, Galarza libro 6. Institutionum cap. 4. Salmeron. tom. 1. Prolegomeno 41. pag. 621. & plures alij referuntur. Deinde pernicioſi fuerunt hi mures circumuicinis agris, in quibus dicuntur ebulliisse, quidquid viriditatis in illis erat, depascentes. Tandem pernicioſi fuerunt vrbibus: *Facta* enim *est*, inquit Textus, *confusio mortis magna in ciuitate.* Nam in primis domos corrodendo diruebant. An verò hi mures in ipsos etiam homines desæuirent dubium esse potest.

Volater. Galarza. Salmeron.

HISTOR. anno Adricom.

42 *Et nati sunt mures.* Adricomius in Chronica Adricom.

anno mundi 1850. Insuper primò Azotij, deinde cùm Arcam oppidatim circumducerent, & cæteri quoquoque Philisthæi graui dysenteria à Domino percutiuntur, terráque eorum à muribus deuastatur.

MORAL. Mendoza. *Deus punitionem expectat.*

43 *Et nati sunt mures.* Idem ibidem §.62. Respondeo punitos fuisse potiùs per mures, quàm per leones, quia hi quidem statim lacerarent: illi verò lentius torquerent, atque adeò per mures daretur locus pœnitentiæ; per leones tolleretur: Deus autem, etiam puniens, peccatorum resipiscentiam expectat.

LITERAL. Abul.

44 *Et facta est confusio mortis magna in ciuitate.* Abulens. ibi. quæst. 15. Idest moriebantur multi in vrbe Azoto, & isti confusè, scilicet tam masculi quàm fœminæ; tam magni, quàm paruuli. Vel erat confusio mortis, idest plaga, eo quòd multi moriebantur, quod accidebat principaliter propter mures.

VERSVS VII.

Vulgata.

Vulgata. Videntes autem viri Azotij huiusce modi plagam, dixerunt: Non maneat Arca Dei Israel apud nos: quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagnin. Et viderunt viri Asdod quòd sic essent percussi, & dixerunt: Non maneat Arca Dei Israel nobiscum, quia dura est manus eius contra nos, & contra Dhagon Deum nostrum.

Vatab.

Hebraica ex Francisc. Vatabl. Et videntes ciues Azoti sic fieri, dixerunt: Ne maneat Arca Dei Israel nobiscum, quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.

Ariasm.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et viderunt homines Asdod, quòd posita super eos percussio, & dixerunt: non habitabit Arca Domini Israel nobiscum, quoniam fortificata est percussio eius super nos, & super Dagon errorem nostrum.

Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia. Et viderunt viri Azoti quòd sic factum est ipsis, & dicunt: non sedebit Arca Dei Israël nobiscum, quoniam dura manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.

Sixtia.

Græca ex Septuaginta in Sixtia. Et viderunt viri Azotij, quoniam sic, & dicunt; Quoniam non sedebit Arca Dei Israel nobiscum, quoniam dura est manus illius super nos, & super Dagon Deum nostrum.

Beda lib. 1. Expos. Allegor. c. 10. Quoniam dura est manus eius super Dagon Deum nostrum.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Gregor. *Azotiorum stupor.*

1 *Videntes autem viri Azoty huiusce modi plagam.* Gregor. lib. 5. Variar. c. 53. Nam cùm cernerent Templa destrui, sacrificia cessare, & vxores à viris, & viros ab vxoribus diuidi, à genitoribus filios, & patres à filiis separari, quid aliud quàm, & super se, & super superstitionem suam, manum Domini duram esse putauerunt?

HISTOR. Ioseph.

2 *Videntes autem, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 1. His calamitatibus Azotij pressi, nec valentes amplius tolerare, intellexerunt Arcam in causa esse, & victoriam cum eiusmodi spoliis luctuosam sibi contigisse.

LITERAL. Abul.

3 *Videntes autem viri Azotij.* Abulens. ibi. quæst. 15. Idest videntes, quòd incurrerunt istam plagam propter Arcæ præsentiam, quia antequam veniret Arca, non tolerabant eam; In aliis quoque vrbibus Philisthinorum non erat ista plaga, voluerunt igitur à se excludere Arcam Dei.

MYSTIC. Beda.

4 *Dixerunt: Non maneat Arca Dei Israel apud nos.* Beda libr. 1. Expos. Allegor. c. 10. Videntes idololatriæ dilectores potentiam Christi contra Deos suos, nolunt fidem eius recipere, ne propter hanc solam cogantur omnem Deorum suorum turbam abdicare. Videntes falsi Christiani propter fidem Christi interdicta sibi peccata, quæ amant, ipsam fidei religionem, quantum valent, detestantur; ne huius occasione desideria, quibus pro Deo seruiunt, iubeantur extinguere.

MORAL. Berchor.

5 *Dixerunt: Non maneat Arca Dei Israel apud nos.* Petrus Berchor. lib. 9. Moralitat. Bibliæ cap. 3. Ista videtur vox quorundam peccatorum, qui scilicet Arcam Dei Israel, idest bonum Prælatum; vel quemlibet virum sanctum Prædicatorem, vel correctorem nolunt apud se manere, cùm se vident per ipsum corrigi, & iuxta demerita sustinere. Vnde in Prouerb. cap. 15. *Non amat pestilens eum, qui se corripit.* Prou. 15.

LITERAL. Abul.

6 *Dixerunt: Non maneat, &c.* Abulens. ibi. q. 15. Ista dixerunt viri Azoti inter se inito consilio; nam ad eos tanquam ad nimis glorioſos in tota terra Philisthinorum translata fuerat Arca de terra Hebræorum. Ipsi autem volebant renunciare huic priuilegio suo, concedentes, quòd transiret Arca ad alias vrbes.

HISTOR. Idem.

7 *Quoniam dura est manus eius super nos.* Idem ibidem. Credebant quòd si maiori tempore apud eos esset, nemo maneret de omnibus Philisthinis in terra Azoti, & confinium suorum.

TROPOL. Mendoza. *Peccator sentit pœnam meritam.*

8 *Quoniam dura est manus eius super nos.* Franc. Mend. ibi. §. 10. Ratio huius decreti, quo Arcam à se repellendam statuerunt, fuit dolor pœnæ. Non dicunt: quoniam iniustè eam cepimus; quoniam eam irreuerenter cum Dagone collocauimus; quoniam arroganter de illius captiuitate superbiuimus: sed; *Quoniam dura est manus eius super nos*; nempe de culpa nihil, de pœna maximè dolebant, vt qui seruili tantùm metu tenerentur.

MORAL. Palaf.

9 *Quoniam dura est manus eius super nos.* Ioannes Palafoxius lib. 1. Historiæ Sacræ Regalis. Exiguas adeò bestiolas in Philisthinorum plagam, qui Israelitas cæciderant, Deus eligit ad vtriusque gentis documentum: Palæstinæ quidem, vt videat non Arcam à se, sed populum Israelis fuisse deuictum: Israeliticæ verò, vt videat, Arcam ad victoriam aduersus victores infirmis adeò instrumentis satis fuisse.

MORAL. Aut. Caten. *Manus Dei quæ grauis.*

10 *Quoniam dura est manus eius super nos.* Autor Catenæ. Ex temporalis morbi inflictione, duram prædicant manum Dei, Philisthini, & peccatores. Quid cum æterna mala, & sempiternam cædem infligat? Verè tunc horrendum erit *incidere in manus Dei viuentis*, vt prædicat Apostolus Hebr. 10.

MORAL. Mendoz. *Peccator sentit Deum præsentem.*

11 *Et super Dagon Deum nostrum.* Franc. Mend. ibi. §. 10. & 11. Suo se Dagoni, cui seruiebant patrum reuerentes, & obsequentes præstiterunt, quia priùs suam quam illius pœnam deplorarunt. *Super nos*, inquunt, *& super Dagon Deum nostrum.* Quod testimonium cum ab Amico feratur, maiorem probabilitatem

babilitatem sortitur. Quis enim dubitet de Dagonis infirmitate, quam etiam eius amici nequaquam inficiantur.

Tropol. Auth. Car. *Peccator ex malitia.*

12 *Et super Dagon Deum nostrum.* Autor Catenæ, Chaldæus habet: *Et super Dagon errorem nostrum.* Vbi Idololatrarum obstinatio elucet, qui cùm errare se sentiant, errare adhuc amant, & erroris turpitudinem non erubescunt. Quibus similes existunt impij, ac peccatores, qui non ex ignorantia plerumque, sed ex contumacia, & malitia delinquunt.

VERSVS VIII.

Vulgata. *Vulgata.* Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israel? Responderuntque Gethæi: circumducatur Arca Dei Israel. Et circumduxerunt Arcam Dei Israel.

Benedict. *Benedictina in margine.* Deducatur in Geth Arca Dei Israel. Et eduxerunt.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Miserunt itaque, & congregauerunt omnes Satrapas Peliſtinorum ad se, & dixerunt. Quid faciemus Arcæ Dei Israel? Et dixerunt ad Ghath. Circumducatur Arca Dei Israel. Et circumduxerunt Arcam Dei Israel.

Vatab. *Hebraic. ex Francisc. Vatabl.* Mittentes itaque congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum ad se, dixeruntque. Quid faciemus arcæ Dei Israelis? Responderunt: transeat Arca Dei Israelis in Ghath. Circumduxerunt ergo Arcam Dei Israëlis.

Ariasm. *Chaldaïc. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et miserunt, & congregauerunt omnes tyrannos Peliſteorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus Arcæ Dei Israel? Et dixerunt ad Garh: Circumferatur Arca Dei Israel. Et circumtulerunt Arcam Dei Israel.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et mittunt, & congregant Satrapas Philisthinorum Azotij ad seipsos, & dicunt Azotij: Quid faciemus Arcæ Dei Israel? Et dicunt Ghethæi: Transeat iam Arca Dei. Et transiit Arca Dei Israel in Geth.

Sixtan. *Græca ex Septuag. in Sixt.* Et mittunt, & congregant Satrapas alienigenarum ad se, & dicunt: Quid faciemus Arcæ Dei Israel? Et dicunt Gethæi: Transeat Arca Dei ad nos. Et transiit arca Dei Israel in Geth.

Lucifer. Flami. *Lucifer apud Flamin. in Scholiis Sixt.* Et congregant reliquos alienigenas ad se.

Isid. Clar. *Isidorus Clarius ibi.* Deducatur in Gith Arca.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Gregor. 1 *Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas.* Greg. libr. 3. Variarum Exposit. in 1. Reg. c. 3. Quia Satrapas Philisthinorum congregauerunt, dicitur: quare autem congregauerunt, non dicitur. Sed quia respondisse Satrapæ dicuntur: & circumducendæ Arcæ consilium tribuisse, quia ad tribuendum pro eadem Arca consilium vocati essent, apertè cognoscitur. Qui ergo sunt Satrapæ Philisthinorum, nisi electi Prædicatores Gentilium, Satrapæ quidem Principes dicuntur, de quibus profectò Principibus per Psalmistam dicitur. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Populorum namque appellatione Gentes designantur. Quj ergo populorum nomen, & Principum posuit, nimirum eos, de quibus loquimur, Philisthinorum Satrapas designauit. Qui certè populorum Principes cum Abraham Deo conuenerunt, quando ad salutem conuertendarum gentium hoc Prædicatores sonuerunt verbo, quod omnipotens Deus interno eis aspirabat desiderio.

Histor. Ioseph. 2 *Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas.* Iosephus lib. 6. Antiquit. cap. 1. Miserunt igitur ad Ascalonitas, postulantes vt arcam in ipsorum vrbem transferrent. Qui non grauatim Azotiorum legationi annuentes cupide arcam ad se receperunt.

Literal. Abul. *Satrapa quis* 3 *Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas.* Abulensis ibi. quæst. 15. Satrapæ, idest Principes, & Consiliarij. Sed magis Satrapa significat Principem: dicitur enim Satrapa quasi satis potens. Erant autem Satrapæ Philisthinorum quinque secundùm numerum quinque Ciuitatum principalium terræ Philisthinorum. De hoc patet sequenti capite. *Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt in Acharon.* Vocantur autem isti Satrapæ aliquando Reges, erat enim diuisa terra Philisthiim in quinque Reges, & quia parui erant, vocantur Reguli.

Literal. Mendoza. 4 *Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas.* Francisc. Mendoza, ibi. §. 1. Mittentes, (supple nuntios, qui congregarent Satrapas. Est enim vulgaris Hebraismus, quo quis dicitur mittere, non expressâ persona, quam mittit. Psalm. 56. *Misit de cœlo, & liberauit me.* Ps. 104. *Misit Rex, & soluit eum.* Matt. 14. *Misit Rex, & decollauit Ioannem.*

Literal. Mendoza. 5 *Congregauerunt omnes Satrapas.* Idem ibidem §. 2. Omnes Philistinorũ Satrapæ ad consultandum de Arca in Azotum conuocantur; vel quia Azotus erat principalis vrbs, & ius vocandi, seu potestatem aliquam Monarchicam habebat, vel si potestas tantùm erat Aristocratica, seu Optimatibus communis, quia in ea vrbe casus Dagonis, & plaga ciuium contigerat, & vbi malum acciderat, ibi consilium de remedio inquiri oportebat.

Literal. Author Catenæ. S. Thom. Abul. Mendoza. Calep. *Satrapa quid sit?* 6 *Congregauerunt omnes Satrapas.* Autor Catenæ. Satrapa non idem est, quòd sapiens, sed idem quòd Præfectus, Iudex, Regulus. Hi enim, de quibus modò agitur, quinque erant Proceres, seu Comites, qui quinque Philistinorum præcipuas regebant vrbes. Dicuntur autem Satrapæ, vel quòd *satis parati*, vel *satis rapientes*, vt docet S. Thomas lib. 3. de Regim. Principis c. 22. Vel *satis potentes*, vt vult Abul. quibus iure non assentitur Mendoza, cùm nemini Punico non debeat Latina Nomenclatio accommodari: Satrapa autem nomen est Persicum, vt notat Calepinus.

Literal. Abul. 7 *Quid faciemus de arcâ Dei.* Abul. ibi. q. 15. Istud dixerunt Azotij, & proposuerunt plagam, quam sustinebant, & quomodo propter Arcam Dei illam patiebantur, ideoque prouideretur super ea, quia ipsi iam nolebant eam apud se tenere.

Idem. 8 *Quid faciemus de arcâ Dei Israel.* Idem ibidem quæst. 27. Dicendum est hic quòd Samuel, qui ista scripsit spiritu Prophetico egit. Nam quamquam possent Hebræi cognoscere ea, quæ acciderant circa Arcam in terra Philisthinorum, tamen non completè cognoscerent, & aliquid falsitatis in cognitione illa admisceretur; Vix enim illi, qui res gestas vident, veritatem de singulis scribere possunt, quanto magis illi qui ab alio relatas scribunt. Et dato quòd potuisset Hebræi plenam

veritatem

Mystic.

veritatem agnoscere de his, per relationem Philisthinorum, tamen Samuël, qui hæc scripsit, Non auderet describere aliquid, quod ad sacram Scripturam pertinere deberet, nisi Maiorem haberet certitudinem; Istud autem est per reuelationem Propheticam, quæ certior est, quàm quæcúmque alia cognitio.

LITERAL. MISTIC. Interlin. 9 *Respondérúntque Gethæi.* Interl. ibi. Sacerdotes, & Diuini. Gethæi, torcularia, vel opprimentes.

LITERAL. Lauret. 1. Reg. 5. 10 *Respondérúntque Gethæi.* Lauretus in Sylua, Gethæi dici possunt Philosophi, qui supereminebant aliis de populo, velut Gigantes 1. Reg. 5.

HISTOR. Basil. 11 *Circumducatur Arca Dei.* Basil. Oratione 3. de Peccato. Circa Arcam sacri Dei Testamenti, ea acciderant, quæ ne audita quidem vnquam antea fuerant. Nam quam licitum non erat, neque Israëlitis, neque ipsis etiam omnibus Sacerdotibus attingere, neque etiam quiuis illud quod erat ipsi impositum recipiebat, eam impiæ manus hinc, & hinc transferebant, & pro locis sacris, in suis Idolorum reponebant, in quibus comporationes, & conuiuia celebrari erant solita.

MYSTIC. Gregor. 12 *Circumducatur Arca Dei.* Gregor. suprà. Quid est Arcam Dei circunducere nisi veræ fidei, mysteria publicè prædicare? Manet enim Arca apud eos, qui veræ fidei Sacramenta, quæ audiunt, per amorem amplectuntur. Qui autem, non maneat apud eos Arca? dicunt, prædicationem fidei à se verti concupiscunt. Satrapæ ergo è contrario dicunt: *Circumducatur Arca Dei*, qui illis attentiùs diuina prædicabant, quos ad odium veritatis grauis error accenderat.

MYSTIC. Beda. 13 *Circumducatur Arca Dei.* Beda lib. 1. Exposit. Allegor. cap. 10. Et hæc Arcæ conductio tempori præsentis æui congruit, vbi quisque lentorum ab alio magis dura verborum Domini, quàm à se desiderat impleri.

LITERAL. Glossa. 14 *Circumducatur arca Dei.* Glossa. Ordin. ibi. Vt si quocumque erat, communiter percussio comitetur, sciamus esse plagam à Deo, quod voluntate Dei, consilio eorum actum est, vt plaga communis esset, quoniam culpa communis erat.

LITERAL. Rangol. 15 *Circumducatur Arca Dei.* Valer. Rangol. in comment. Certum est Palæstinos præter Satrapas Prouinciarum, etiam Regem habuisse, qui Rex Gethæus dictus est, quòd in ea vrbe præcipuam Regni sedem collocasset; illum tamen communi Satraparum consilio refragari nefas fuit, vt docebimus huius libri capite 29. Quanquam eius nomine, Senatúsque sui, vt apparet, edicta inferrentur.

LITERAL. Hieron. 16 *Et circumduxerunt eam.* Hieron. lib. de Locis Hebraic. verbo *Getha.* tom. 3. Getha ad quem locum transtulerunt Arcam Testamenti de Azoto, nunc vicus grandis vocatur Githam inter Antipatridem, & Samiam.

HISTOR. Seuer. 17 *Et circumduxerunt eam.* Seuer. Sulpit. lib. 1. Sacræ Historiæ. Quo malo compulsi Azotij ad declinandam calamitatem, Arcam Dei ad Gethæos transtulerunt.

LITERAL. Abul. 18 *Et circumduxerunt eam.* Abulens. ibi. quæst. 18. Primò post vrbem Azoti ducta est Arca in vrbem Geth, quia Gethæi fuerunt, qui respondérunt, quòd deberet Arca circumduci.

VERSVS IX.

Vulgata. *Vulgata.* Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros vniuscuiusque vrbis, à paruo vsque ad maiorem, & computrescebant prominentes extales eorum. Inierúntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.

Benedict. *Benedict. in margine.* Fiebat *per manum* Domini Dei per singulas ciuitates *tumultus magnus valdè.* Et percutiebat viros vniuscuiusque vrbis, à parte vsque ad maiorem, *habuerúntque secretos morbos.*

Gloss. *Textus Gloss. in margine.* A paruo vsque ad maiorem, & antea incognitæ erant eis mariscæ. (*Aly*) Læsit eos in natibus.

Caietan. *Caietan. in Comment.* Quod subditur in Vulgata editione: *Inierúntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas*: Superfluum est, nam in Hebræo non habetur.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante pagn.* Et fuit postquam circumduxerunt eam fuit manus Domini contra ciuitatem, contritione magna nimis, & percussit viros ciuitatis à paruo vsque ad magnum, & antea incognitæ erant eis mariscæ.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et factum est, cùm eam transtulissent, vt Manus Domini immineret vrbi, admodùm vehementi impetu, percuteréntque homines vrbis illius, non obscuros modo, & humiles, sed & magnos, vt lateret eis morbi.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et fuit postquam circumtulerunt eam, & fuit percussio Domini in vrbe, conturbatio magna valdè, & percussit viros vrbis, à paruo, & vsque magnum, & percussit eos in constrictionibus.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et factum est, cùm transibat Arca ad Gethæos, & fit manus Domini in ciuitate turba magna valdè, & percussit viros ciuitatis à paruo vsque ad magnum in natibus.

Sixtian. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et factum est, postquam ipsa transiit, & fit manus Domini ciuitati turbatio magna valdè, & percussit viros ciuitatis à paruo vsque ad magnum, & percussit eos in sedibus eorum; & fecerunt sibi Gethæi sedes.

Theodor. Philo. Lucifer. *Theodor. ibi.* Fecerunt sibi sedes aureas. *Philo Biblicus*: Fecerunt sibi sedilia aurea. *Lucifer.* Et ebulliuit illis mures in sedibus, & fecerunt Gethæi sedes pelliceas.

Tygur. *Thigurina.* Vt lateret eis morbi.

Caiet. *Caietan. ex Hebræo.* Et fuit, postquam circumduxerunt, fuit manus Domini in ciuitatem contritione magna valdè, & percussit viros ciuitatis à paruo vsque ad magnum, & fuerunt abscondiræ eis mariscæ.

Author Caten. *Author Catena.* Consilium Gethæorum, & effectus sedium pellicearum, abest ab Hebræo, Chaldæo, & Græco, Complutensi, & Regio, & excluditur à Caietano, Vatablo, & aliis. Vaticana verò sedium meminit, non tamen pellicearum. Cæterùm cùm eam periodum Romani Correctores admiserint, minimè expungenda est.

Isidor. Clar. *Isidorus Clarius ibi.* Factus est per manum Domini in Ciuitate tumultus valdè magnus.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. 1 *Illis autem circumducentibus eam.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 3. circumducta est Arca, quia fidei nostræ Sacramenta ab aliorum notitia sublata sunt, atque

atque aliis reuelata. Vnde & cùm circumducerentur, interfectio magnanimis per singulas ciuitates fieri perhibetur, quia vbicumque verbum ducebant fidei gratia multiplicabatur conuersionis.

MYSTIC. Beda. *Apostasiæ pœna.*

2 *Illis autem circumducentibus eam.* Beda ibid. Qui fidem transitoriè, nec fixa intentione percipiunt, non solùm nihil commodi credendo merentur, sed & pœnam de pretio salutis miseri mercantur æternam.

LITERAL. Abul.

3 *Illis autem circumducentibus eam.* Abul. ibid. quæst. 17. Primò autem post Vrbem Azoti ducta est Arca in vrbem Geth, quia Gethæi fuerunt, qui responderunt, quòd deberet Arca circumduci: & quanquam hîc non dicitur quòd immediatè venerit in vrbem Geth, tamen apparet ex eo, quod sequitur infra.

MYSTIC. Mendoza. *Arca, & Christi differentia.*

4 *Illis autem circumducentibus eam.* Franciscus Mendoza ibidem §. 4. Expende longè maximum discrimen inter Arcam veteris legis, & Arcam nouæ legis, quæ est Christus Dominus. Nam illa pertransibat malefaciendo, & percutiendo omnes, vt ex hoc patet: hæc autem, Lucas inquit, *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes.* Actor. 10. Æquum enim erat, vt lex illa timoris continuas plagas inferret: hæc autem lex amoris continua beneficia præstaret.

Actor. 10.

HISTOR. Procop.

5 *Fiebat manus Domini per singulas ciuitates.* Procop. ibidem. Suspicati sunt Gethæi illam plagam non immissam diuinitus, sed morbum ex pestilenti quadam affectione ortum esse: Arcam igitur ad se transferentes, eadem patiuntur.

HISTOR. Ioseph.

6 *Fiebat manus Domini per singulas ciuitates.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 1. Ascalonitæ mox eisdem, quibus illi malis, laborauerunt. Cum Arca enim simul etiam calamitates sunt translatæ.

HISTOR. Anton.

7 *Fiebat manus Domini per singulas ciuitates.* Antonin. Florent. 1. part. Historiæ, tit. 2. cap. 6. Percussi sunt Philisthini vlceribus in natibus; & quocumque ferebant Arcam, sequebatur plaga illa, muribus ex terra ortis, corrodentibus eos in posterioribus.

HISTOR. Sabell.

8 *Fiebat manus Domini per singulas ciuitates.* Sabellic. Enead. 1. lib. 7. Fœderis Arca per hostium Ciuitates nusquam meliori euentu eorum, qui haberent aliquandiu in certa sede translata est. Postremò metus & religio gentis animos incessit, consiliaque mota sunt Arcæ Israëlitis restituendæ: Fremere Ciuitatis Principes impiúmque arbitrati, simúlque calamitosum vniuersæ genti, & exitiale, quod multas iam clades publicas, & priuatas experti in re sacra per iniuriam retinenda, perseuerassent. Posse homini, ab homine resisti: Deo non posse in cuius potestate sunt omnia.

LITERAL. Abul.

9 *Fiebat manus Domini per singulas ciuitates.* Abulensis ibi. quæst. 17. Id est potestas Dei ad vindictam erat in qualibet vrbe, cùm ibi esset Arca, & illa vocatur manus Domini, quia per manum significatur operatio.

LITERAL. Caietan.

10 *Fiebat manus Domini per singulas ciuitates.* Caietanus in Comment. An sit sermo de sola ciuitate Geth, an vt Interpres intellexit de singulis ciuitatibus, non est perspicuum. Nam & inferiùs vbi Vulgata editio habet: *Et percutiebat viros vniuscuiusque vrbis.* Iuxta Hebræum habetur: *Et percussit viros ciuitatis, à parvo vsque ad magnum.* Iuxta tamen ordinem litteræ Ciuitas Geth significari videtur ex eo, quòd subiungitur missio arcæ ad Accaron.

LITERAL. Author Catenæ.

11 *Fiebat manus Domini per singulas ciuitates.* Author Catenæ. Scilicet in singulis vrbibus distributiuè, non collectiuè, & simultaneè, nam in vnaquaque vrbe, quam Arca subibat, interfectio, & morbi continuò grassabantur, quod quidem ita contigisse indicant plures Versiones, Septuaginta, Luciferi, Vatabli, & aliorum, quos suprà retulimus transcribentes in *vrbe*, seu *ciuitate*. Quòd primò in vrbe Geth patuit, quò ex Azoto deducta fuit Arca, vt expressêrunt Septuaginta in vtraque editione, quorum authoritas narrationi Iosephi, & Sabellici, Pinedæ, & aliorum ab Azoto, ad Accaronem deductam affirmantium, præferri debet. Vulgata autem, cùm idem referre videtur, non de immediato transitu, sed de mediato exponenda est cum Mendoza.

Sept. Lucifer. Vatab. Ioseph. Sabellic. Pineda. Mendoza.

LITERAL. Abul.

11 *Et percutiebat viros vniuscuiusque vrbis.* Abulensis ibidem quæst. 19. A principio percutiebantur illæ ciuitates, ad quas transibat Arca: ad extremum tamen, cùm essent Philisthini nimis duri, nolentes dimittere Arcam, percussit Deus simul omnia loca terræ Philisthinorum, & sic, omnibus clamantibus, coacti sunt Philisthini dare Arcam. Quod etiam intelligendum est de fœminis. Nam cùm ista plaga accidisset propter peccata totius populi, in omnes de populo redûdare debebat.

LITERAL. Carth.

12 *Et percutiebat viros.* Carth. ibidem art. 11. Qui & præ fœminis erant culpabiles.

LITERAL. Autor Catenæ. Abul. Mend. Aug.

13 *Et percutiebat viros.* Author Catenæ. Non solùm percussos viros, sed & fœminas contendunt Abulensis, & Mendoza, quia sub honoratiori sexu, ait hic, vterque comprehenditur ex Augustino. quæst. 72. in Exod. & alibi sæpè. Non eo inficias interdum ista accidere, sed non semper. Nam Genes. 19. 4. vbi dicitur: *Viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem*, nullus de fœminis rem exponit, sed de masculis. Ibidem Vers. 31. *Nullus virorum mansit in terra, qui posset ingredi ad nos.* Cap. 24. 3. *Ad lauandos pedes Camelorum, & virorum, qui venerant cum eo,* & alibi passim. Arguit Abulensis tanquam à minori ad maius: percussi fuerunt pueri, ergo & fœminæ, quibus infantes innocentiores erant. Verùm, assumptum non satis efficaciter probatur ex verbo *à parvo vsque ad maiorem*, cùm satis congruenter non de ætate, sed de gradu percussorum exponi possit; nam Vatabli ecphrasis sic habet: *Non obscuros modo, & humiles, sed & magnos.* Potiùs ergo assentior Carthusiano. art. 11. qui litteræ adhærens, in solos masculos morbum desæuisse credit. Quod ipse lubentius existimo ex eo, quòd infrà cap. 6. vers. 19. solos quoque mares percussos fuisse ex Bethsamitis communiter dicitur, nusquam fœminas. Ratio hanc sententiam confirmat; æquum enim fuit, vt ij solùm, qui Arcam eripuerant; imò & violauerant, singulariter ab eadem flagellarentur. Adde, neque Textum vllibi; neque Iosephum, neque ex antiquioribus aliquem, morbum infictum fuisse fœminis prædixisse. An verò ad Arcæ ingressum in Dæmoniorum ædes Idola corruerint, vt Azoti, accidit; incertum est, indicant aliqui ex Patribus, & Interpretibus. Sed oppositum cum Abulensi potiùs assererem, cùm id ægrè ex Textu colligi posse videam.

Genes. 19. 4. *An etiam fœmine, & pueri percussi fuerint.* Carthus.

LITERAL. Abul.

14 *A parvo vsque ad maiorem.* Abul. ibid. q. 19. Paruuli aliqui puniebantur hîc, qui fortè nunquam peccauerant. Erat autem ista punitio propter parentes, scilicet, vt in punitione parentes magis punirentur. Nam Deus punit sæpè peccata parentum in filios.

HISTOR. Augustí.

15 *Et computrescebant prominentia extalia eorum.* Augustí. seu Author Mirabil. Sacræ Script. cap. 7.

Propterea

Propterea quoque tota Philisthæa fœdâ admodùm plaga percutitur. Nam & extales eorum foras prominebant, & ingens foricum, & intolens copia per totam prouinciam diffundebatur. Conuenienter quippe Dominus illis vtráque pœnam parauerat, qualem rerum ipsarum conueniens ratio exigebat, quatenus qui misera animalià Diuino cultu venerabantur, per miserrima animalia in aduentu dominicæ legis castigarentur; & qui Tabernaculi Domini interiora, id est, Arcam, extra limites suos protraxerè, hi interiorum suorum foras prominentium fœda affligerentur clade.

TROPOL. *Pœna in eodem.*

MYSTIC. Gregor.

16 *Et computrescebant prominentes, &c.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 3. Extales putrescere, est peccati meatus ab effusione consueti fœtoris penitus interire. Benè namque percussus est, cuius prominentes extales computrescunt, quia nimirùm nonnulli sunt, qui post munditiam conuersionis, pristinâ inuoluuntur sorde flagitij. Horum profectò prominentes extales minime computrescunt, quia ad consuetum peccatorum fluxum per iniqua opera recuruantur. Hos nimirum ab imperfecta percussione malè sanos ille redarguit, qui ad fœtores pristinos deuolutos insinuat, dicens. *Canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti.* 2. Petri 2.

MYSTIC. Rupert. *Sodomitarum pœna.*

17 *Et computrescebant prominentes, &c.* Rupert. lib. 1. Comment. cap. 14. Quid est, quòd percussit inimicos in posteriora. Ita vt computrescerent prominentes extales eorum, nisi quod illos, qui victoriam eius recipere noluerunt, qui intelligentes virtutem Dei, *Non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, tradidit in reprobum sensum*: Roman. 1. Nam *fœmina eorum*, inquit Apostolus, *mutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in inuicem: masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit erroris sui, in semetipsos recipientes.* Dum enim huic vitio nequissimo incredulos subdidit terribile iudicium Domini, profectò *percussit inimicos suos in posteriora, & opprobrium sempiternum dedit illis.*

Rom. 1.

LITERAL. Clarius.

18 *Et computrescebant prominentes, &c.* Isidor. Clarius. ibid. Vt latenter eis marisca; quoniam morbus ille absconditus fuit, & non erat in propatulo, grauius affligebat Palæstinos cùm nullam medelam adhibere possent.

HISTOR. Hebræi. Gloss. *Philisthinorum morbus.*

19 *Et computrescebant prominentes, &c.* Hebræi apud Glos. Ord. Cùm ex infirmitate ani etiam intestinum rectum propenderet, & effunderet sanguinem, atque reliquum ventris succum, veniebant mures è terra, & intestinum corrodebant cum maximo patientis dolore.

ALLEG. Steph. Tilman.

20 *Et computrescebant prominentes, &c.* Steph. Cantuar. apud Tilman. in Allegor. Bibliæ. Extales, id est, cogitationes eorum, qui scientiam Dei indignè detinent, prominentes per praua opera computrescebant praua consuetudine.

LITERAL. Abul.

21 *Et computrescebant prominentes, &c.* Abul. ibi. quæst. 19. Erat etiam aliud malum, scilicèt quòd intestina istorum Philisthinorum pendentia, atque mittebatur inde fœtor intolerabilis, & scatebant vermibus intestina.

LITERAL. Caietan.

22 *Et computrescebant prominentes, &c.* Caiet. ibi. Iuxta Hebræum habetur: *Et fuerunt abscondita eis marisca*; ad interiora corporis redacta plaga mariscarum describitur.

LITERAL. Serar.

23 *Et computrescebant prominentes, &c.* Serar. in Comment. Hoc nomen Hebræum vertit Interpres Vers. 6. & 12. *Partem secretiorem*, cui synonimum Hebræum capite sequenti ponitur Vers. 11. & 17. ita vt vnum pro altero legatur Deuter. 26. 29. Hunc morbum vocant aliqui cirinnium, vel frarigium apud Franc. Brugens. Vatablus mariscas, quas intrinsecus absconditas fuisse vult Rabbi Dauid lib. Radic. Hebræi hemorrhoidas: alij morbum quo podex procedit: Aquila, vt apud Theodoretum, & Procopium est, vertit fagedænam, id est vlcus exedens, seu cancrosum: Iosephus dysenteriam quidem nominat; sed non hunc, quo tantum affligebantur, nec moriebantur, vt eius descriptione patet, sed eum, quo moriebantur, & distinguit Theodoretus, cùm dysenteriæ successisse ait morbum sedis.

Deuter. 28. Brugens. Vatab. Rabbi Dauid. Hebræi. Aquila Theodot. Procop. Ioseph. *Plaga qua fuerit?* Theodor.

ALLEGOR. Steph.

24 *Et fecerunt sibi sedes pelliceas.* Steph. Cantuar. supra. Sedes pelliceas facere est, mollitiem sæculi in hac mortalitate quærere.

MYSTIC. Berchor.

25 *Et fecerunt sibi sedes pelliceas.* Petr. Berchor. lib. 9. Moralium. Bibl. c. 5. Ideo sedes pelliceas sibi fecerunt, qui a scilicet viri carnales molliter, & suauiter sedere, & viuere semper quærunt. Vnde Ezechiel. 23. *Sed ille in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te.*

Ezech. 23.

LITERAL. Lira.

26 *Et fecerunt sibi sedes pelliceas.* Lira ibi. Vt possent meliùs sedere, & mures importuni non possent intestina prominentia mordere.

LITERAL. Abul. *Sedes pelliceæ quæ?*

27 *Et fecerunt sibi sedes pelliceas.* Abul. ibi. q. 19. Id est fecerunt sibi fœminalia de pellibus. Hoc autem faciebant propter duo. Primò, vt intestina eorum non multum dependerent erumpentia de ventre, quia in hoc nimis grauabantur, & tolerabant dolores acerrimos; nunc autem non penderent intestina, sed conseruarentur in pellibus. Secundò faciebant istas sedes pelliceas propter mures, qui erumpentes de terra mordebant intestina pendentia: nunc autem licèt ascenderent per crura Philisthinorum, non poterant extales prominentes corrodere, & hoc modo fuit eis aliquod consilium doloris; nec tamen effugere valuerunt, quia secundùm Iosephum. 6. Antiquit. graui passione dysenteriæ tenebantur tunc, quia cùm sæpè sedes pelliceas sibi auferre cogerentur, mures quasi ex industria insidiantes, eorum pendentia viscera corrodebant.

Ioseph.

LITERAL. Mend. *Sedes pelliceæ quæ?*

28 *Et fecerunt sibi sedes pelliceas.* Franc. Mend. ib. §. 26. Ne sedium nomen in alienum significatum abducatur, potiùs dicendum est cum Carthus. fuisse mollissima sedilia facta ex pellibus ouinis, & forte ipsis quoque ouium velleribus mollissimè substrata. Sed quis fuit harum sedium finis? dicet aliquis: vt Philisthini iuxta veterum Gentilium superstitionem pellibus incubantes Deos suos consulerent de remedio contra tot plagas obtinendo.

LITERAL. Mend. Masius.

29 *Et fecerunt sibi sedes pelliceas.* Idem ibi. Fortè dicamus fuisse has sedes paulò à terra altiores, & in aëre suspensas, ne possent mures insilire. Quo pacto homines in Brasilia noctu ad noxia vitanda animalia cubant in retibus, à terra suspensis, vt nostrates Lusit. ibi diligenter experiuntur, & Masæus lib. 2. Histor. Indicæ non procul ab initio testatur.

SANCTIUS.

30 *Et fecerunt sibi sedes pelliceas.* Gasp. Sanct. ibi. n. 36. *Sedes* porrò pro *sedis*, id est natium integumẽto sumi nouum non est, cùm id sit Script. sacræ, & profanæ quoque disciplinæ non infrequens, vt ornamentum, aut vestis illius partis nomen sibi vendicet, quam ornat, aut tegit. Sic *pedes* procalceamẽtis sumuntur Deut. 8. 4. Etu. lib. 2. c. 9. 21. *Corpus* pro corporis tegumẽto Exod. 21. 3. vbi Vulg. *Cũ quaue sse exeat.* Hebr. *Cũ quo corpore intrauit.* Cùm ergo fœminalia partes illas corporis vellent, quę *sedes* appellãtur, ipsa quoqua nominantur *sedes*.

Deuter. 8. 4. Exod. 21. 3.

TROPOL. Rangol. *Animæ potiùs prouidendum.*

31 *Et fecerunt sibi sedes pelliceas.* Claud. Rangol. in Comment. Corporis quidem incommodis sedulò remedia quærimus; animæ verò, licet morbo, ac tabe confectæ, nulla cura adhibetur, tametsi illam, quæ vitæ fons est, ac principium, curari cumprimis necesse sit: quod si Palæsthini fecissent, sedibus illis opus non fuisset, sublata namque causa, vis quoque morbi remisisset. Si allegoriam spectes, nullum pœnitentiæ argumentum præ se ferunt. Sedere namque illorum est, qui locum mutare nolint, nec retrocedere, aut progredi studeant, quæ tamen iis, quos pœnitet, in primis necessaria sunt. Nam à malè quidem incœptis reuocare gradum oportet, ad virtutem autem, & pietatem omni conatu niti. Pelles certè, quæ sunt mortuorum animalium spolia, peccata ipsa designant, in quibus tandiu peccator sedet, donec resipiscat.

Peccatoris perseuerans.

LITERAL. Author Catenæ. *Sedes pelliceæ quæ?*

32 *Et fecerunt sibi sedes pelliceas.* Author Catenæ. Philo Biblicus, vel Pseudophilo, & Theodoretus, & Lucifer loco sedium pellicearum *sedes aureas* transtulerunt. Vnde potiùs crederem sermonem esse per anticipationem de sedibus, seu anis aureis, quos Arcæ in sui remedium tandem obtulere, de quo infrà. Nec tamen displicet expositio Abulensis de femoralibus coreis, ne muribus daretur locus nates corrodendi; tunc autem sedium nomine contentum poneretur pro continenti, per synecdochem. Acuta quoque est Mendozæ interpretatio de sedibus, seu retibus suspensis eandem ob causam more Brasiliorum, & Peruanorum, qui suspensis ex aduersis arboribus retibus, noctu in syluis accubant, quæ ipsi patrio idiomate *Amacas* vocant, vt serpentum morsus eludant. Singularis est inter omnes expositio Domini Ioannis Palafoxij Angelitani Episcopi, qui pelliceas sedes non sedilia, sed domos, vel tuguria ex pellibus compacta intelligit, nam cùm vrbes muribus scaterent, agros, ac syluas Palæstini subibant, ibique tentoria ex pellibus ad habitandum struebant. Quæ acutè excogitata sunt, sed aliis Interpretibus non conueniunt.

Palafox.

VERSVS X.

Vulgata.

Vulgata. Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron. Cumque venisset Arca Dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ dicentes: Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, vt interficiat nos, & populum nostrum.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xante pagn. Et miserunt Arcam Dei in Heceron, & fuit, cùm venisset Arca Dei in Heceron, exclamauerunt Hecronitæ dicendo: Circumduxerunt ad me Arcam Dei Israël, vt interficiat me, & populum meum.

Vatab.

Hebraica ex Franc. Vatab. Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron; cúmque Arca Dei venisset in Accaron, clamauerunt ciues Accaron hisce verbis: Circumduxerunt (vel abduxerunt) Arcam Dei Israëlis ad me, vt me, & populum meum interficiant.

Arias.

Chaldaica ex Benedict. Arias. in Regia. Et miserunt Arcam Domini in Gheqron, Et fuit, cùm venisset Arca Domini in Gheqron, & clamauerunt Gheqronei dicendo: Circumtulerunt ad nos Arcam Dei Israël ad occidendum nos, & populum nostrum.

Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et mittunt Gethæi Arcam Dei in Accarona. Et factum est, vt venit Arca Dei in Accarona, & exclamauerunt Accaronitæ dicentes; Quid misistis Arcam Dei Israël ad nos, vt interficiat nos, & populum nostrum?

Sixtia.

Græc. ex Sept. in Sixtiana. Et emittunt Arcam Dei in Ascalonem. Et factum est, vt intrauit Arca Dei in Ascalonem; & clamauerunt Ascalonitæ dicentes: Quid conuertistis Arcam Dei Israël ad nos, ad mortificandum nos, & populum nostrum?

PP. ET AVCTORES.

HISTOR. Hier. *Accaron quæ?*

1 *Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron.* Hier. de Locis Hebraic. tom. 3. Accaron in Tribu Dan, siue, vt ego arbitror, in Tribu Iuda ad læuam Chananæorum: vrbs vna de quinque olim Satrapiis Palæstinæ; & decreta est quidem Tribui Iudæ, nec tamen tenta ab ea, quia habitatores pristinos nequiuit expellere. Sed & vsque hodie grandis vicus Iudæorum. Accaron dicitur inter Azotum, & Samniam ad Orientem respiciens. Quidam putant Accaron turrim Stratonis, postea Cætaream nuncupatam.

LITERAL. Greg.

2 *Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron.* Greg. lib. Variar. Expos. in 1. Reg. cap. 3. Accaronitæ qui interpretantur *Steriles*, Gentiles designant inconuertibiles.

HISTOR. Ioseph.

3 *Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 1. Itaque hinc quoque ablegata est ad alios, sed ne apud illos quidem permansura; agitati enim eisdem pestibus ad vicinas vrbes eam transmittebãt; atque in hunc modum quinque Palæstinorum vrbes peruagata est Arca, veluti tributum, per singulas pœnã violatæ religionis exigens.

Arca tributum exigebat.

HISTOR. Seuer.

4 *Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron.* Seuer. Sulpit. lib. 1. Sacræ Histor. Gethæi cùm simili clade afficerentur, in oppidum Ascalonensium Arcam transuexerunt.

LITERAL. Abul.

5 *Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron.* Abul. ibi. quæst. 19. Ista est tertia ciuitas de principalibus Philistinorum, quæ Regem habebat, vt patet Iosue 13. & suprà declaratum est. Ad istam autem vrbem venit tertio loco.

LITERAL. Caietan.

6 *Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron.* Caietanus ibi. Idem *Elohim* nomen repetitur in aduentu Arcę in Hec'eron. Cùm verò dicitur. *Circumduxerunt ad me Arcam Dei Israël*, nomen est, *Elohe*, & similiter cum subditur: *Dimittite Arcam Dei.*

LITERAL. Mend. Sixtia. Theodor. Lucifer. Sulpit. Regia. Complut. Vulg. Vatab. Pagn. Clarius. Caiet. Ioseph. Sabell.

7 *Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Septuag. in Bibliis Sixtia. transferunt *in Ascalonem*, quos Theodor. Lucifer, & Sulpitius imitantur. Nihilominùs Regia. Compl. Vulg. quorum maior est authoritas habent *in Accaron*, & sic reliqui Interpretes Vatab. Pagn. Clar. Caiet. aliique admittunt, & potest esse pro hac parte hæc vna coniectura: quòd Ascalonitæ magno cum gaudio, ac plausu Arcam Dei exceperunt, rati eam suæ vrbi decus, ac præsidium fore, vt Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 1. & Sabell. Ænead. 1. lib. 7. testantur. At verò Accaronitæ cum magno fletu, ac tristitia eam recipere compulsi sunt, vt ex loco patet.

Arca quo translata?

LITERAL. Author Catenæ. *Arca quo inducta?*

8 *Miserunt ergo arcam Dei in Accaron.* Author Catenæ. An immediato transitu ex vrbe Geth Accaronem Arca inducta fuerit, non omninò patet ex littera. Coniunctio illatiua *ergo* quæ ponitur, immediatum transitum innuere videtur. Obstat tamen Sixtianæ lectio, quam plures approbant Interpretes, & Historiographi asserentes *Ascalonem*, non autem *Accaronem* Arcam deductam fuisse. Fortè, si diuinare licet, quamuis transitus in Accaronem unmedia-

immediatus non fuerit, sit tamen illius præcipua mentio, vt Accaronitarum clamores, luctusque notarentur, prætermissa aliarum translationum relatione, quia nihil in eis singulare acciderit.

LITERAL. Abul. 9 *Cumque venisset Arca Dei in Accaron.* Abul. ibid. q.19. Non ponuntur hic aliæ vrbes Philisthinorum, ad quas peruenit Arca. Ioseph. tamen lib.6. Antiquitat. scribit, quòd fuerit Arca transducta per omnes quinque vrbes Philisthinorum, quod satis verisimile est. Scriptura tamen propter breuitatem, non curauit omnia enarrare, potissimùm, quia eisdem plagis Gazæi, & Ascalonitæ passi sunt, quas aliæ tres vrbes.

LITERAL. Abul. 10 *Exclamauerunt Accaronitæ dicentes.* Idem ibid. Querebantur de malo regimine Regni, quia cùm illa Arca manifestè tantas inferret clades, vbicumque esset, non debebat teneri in aliquo loco, sed mitti in terram suam, vel relinqui in aliquo deserto.

LITERAL. Mendoz. 11 *Exclamauerunt Accaronitæ dicentes.* Franc. Mend. ibi. §.4. Crediderim Principes fuisse; tum quia ipsi se statim a populanibus separarunt dicentes: *Vt interficiat nos, & populum nostrum*, tum quia ad Principes spectat reipublicæ commodis prouidere, & omnia eius pericula propulsare. *Tyranni quales?* Quamuis hi more Tyrannorum non tantùm suis, quàm sibi consuluisse videatur, dum prius se, quam suos nominarunt. *Vt interficiat*, inquiunt, *nos, & populum nostrum.* Ac si prius sibi, quàm suis, & timuerint, & consuluerint.

LITERAL. Rangol. 12 *Vt interficiat nos, & populum nostrum.* Rangol. in Comment. Porro Satrapatum consilio nihil vsquam imprudentius excogitari potest. Quis enim, cùm pestem sentiant in prouinciam serpere, si quidem mentis compos sit, non illam omni studio arcere studeat, potiùs quàm propagare? At isti Arcam circumagi iubent, & singulis vrbibus inferri: quo fit, vt ab ea clade nulla ciuitas immunis permaneat. Et verè quidem dicunt, *vt interficiat nos, & populum nostrum.* Nam & si non eo consilio Satrapæ fieri decreuissent is tamen effectus continuò sequebatur, vnde coniurasse videri poterant in suorum perniciem.

VERSVS XI.

Vulgata. *Vulgata.* Miserunt itaque, & congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum; qui dixerunt: Dimittite Arcam Dei Israël, & reuertatur in locum suum, & non interficiat nos cum populo nostro.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Miserúntque, & congregauerunt omnes Satrapas Pelisthinorum: dixerúntque: Dimittite Arcam Dei Israël, & reuertatur in locum suum, & non interficiat me, & populum meum.

Vatab. *Hebraïc. ex Franc. Vatab.* Miserunt ergo, & congregauerúnt omnes Satrapas Palæsthinorum dicentes: Amandate Arcam Dei Israëlis, vt redeat in locum suum, neque perdat me, & populum meum.

Arias. *Chaldaic. ex Benedict. Arias. in Regia.* Et miserunt, & congregauerunt omnes Tyrannos Pelisthæorum: & dixerunt: Mittite Arcam Dei Israël, & redibit ad locum suum, & non occidat me, & populum meum; quoniam fuit conturbatio occisionis in omni vrbe: tortis nimis percussio Domini ibi.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et mittunt, & congregant omnes Satrapas Philisthinorum, & dixerunt: Mittite Arcam Dei Israël, & reuertatur in locum suum, & non interficiat nos, & populum nostrum. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et mittunt, & congregant Satrapas alienigenarum: & dixerunt: Emittite Arcam Dei Israël, & resideat in loco suo, & non morti dabit nos, & populum nostrum. Sixtin.

PP. ET AVCTORES.

HISTOR. Comest. 1 *Et congregauerunt omnes Satrapas.* Petrus Comest. in Histor Schol. cap.7. Conuenientes Principes quinque vrbium, tractabant quid facturi essent. Et erant qui dicerent causam passionum factam per Arcam: alij per casum: alij per corruptionem aëris, & fructuum terræ.

HISTOR. Ioseph. 2 *Et congregauerunt omnes Satrapas.* Ioseph. lib.6. Antiquit. c.1. Defessæ vrbes tot malis, & aliis exemplum factæ, ne Arcam reciperent, talia hospitij præmia referentem, nihil superesse videbant, quam vt bono aliquo modo à se eam ablegarent. Et cùm conuenissent quinque Ciuitatum Principes Gittæ Accaronis, Ascalonis, Gazæ, & Azoti dispiciebant quid facto opus esset; ac primùm visum est remittendam esse Arcam ad suos, cuius captiuitatem Deus vlcisceretur, cùm tot mala simul cum ea, regionem ingressa homines, & agros vastare non desinat. Neque defuerunt qui huic sententiæ contradicerent negantes hæc imputanda captiuæ isti Arcæ, cuius si tanta vis esset, aut si omninò Deo chara fuisset, nunquam illam in diuersæ religionis hominum manus deuenire permisisset; suadentésque vt hos casus æquo animo ferrent, & sic cogitarent hæc omnia non aliunde, quàm à natura prouenire, quæ & corporibus, & terris, & plantis, & cæteris potentiæ suæ subditis per certas temporum vices huiusmodi mutationes ingenerare solet.

LITERAL. Abul. 3 *Et congregauerunt omnes Satrapas.* Abul. ibid. quæst. 19. Accaronitæ enim qui tunc patiebantur ista mala vocauerunt Satrapas omnium prouinciarum Philisthinorum ad vrbem suam, vt ibi decernerent quid facto opus esset.

HISTOR. Naucler. 4 *Et congregauerunt omnes Satrapas.* Naucler. Volum.1. Gener.32. Conuenientes Principes quinque vrbium tractabant, quid faciendum esset, dubitantes num esset propter Arcam.

LITERAL. Mendoza. TROPOL. 5 *Et congregauerunt omnes Satrapas.* Francisc. Mend. ibi. §.1. Locus huius consilij, ni fallor, fuit vltima vrbs ad quam Arca deuenit, quæcumque illa fuerit, ne sine necessitate dicamus eam recurrisse in Accaron. Cæterùm in hoc consilio suam merentur laudem Philisthini, qui non temerè se præcipitarunt ad agendum quod liberet, sed quid agendum oporteret, maturè consultarunt.

LITERAL. Author Caten. 6 *Et congregauerunt omnes Satrapas.* Author Cat. Consultationis locus quantum ex littera colligitur, Accaron fuit. *Miserunt itaque*, inquit, *& congregauerunt.* Quinam miserunt? Ij scilicet, de quibus immediatè Textus loquebatur, quod coniunctione illa *itaque* satis expunitur. In eo igitur à Mendoza dissentior, ad aliam quamque vltimam omnium vrbem referente. Mendoza.

MYSTIC. Greg. 7 *Dimittite eam.* Gregor. lib.3. Variar. cap.3. Consilium itaque Satrapatum fuit, vt in locum suum reuerti Arcam Dei permitterent, vt videlicet

qui læso orbi prædicatione nullum fidei fructum ferebant, eam saltem illis diuitterent, qui ex ea fructum sibi in æternitate præpararent. Benè igitur qui remittendæ Arcæ consilium acceperunt, Accaronitæ nominantur. Accaronitæ quippe interpretantur *Sterila*; quia enim de audita fidei veritate nullum credulitatis, aut boni operis fructum dederant, steriles erant.

TROPOL. Beda. *Eucharistia qualiter tractanda.*

8 *Dimittite Arcam Dei.* Beda lib. 1. Exposit. Allegor. c. 10. Iuxta litteram præsens lectio quæ Philisthæos Arcæ Dei vicinia pallos narrat, docet ne immundus quilibet Sanctis appropiare præsumat, sed quicumque vel dominicum corpus accipere, vel sacratissima eius dicta tractare voluerit, probet seipsum, *Et sic de pane illo edat, & de calice bibat.* 1. Corinth. 11.

1. Cor. 11.

HISTOR. Seuer.

9 *Dimittite Arcam Dei.* Seuerus. Sulp. lib. 1. Sacræ Histor. His verò (Ascalonensibus) aduocatis gentis eius primoribus consilium fuit Arcam Domini Hebræis reddere.

LITERAL. Abul.

10 *Dimittite Arcam Dei.* Abul. ibi. quæst. 19. Quilibet de Satrapis Philisthinorum loquebatur hoc ad reliquos Satrapas, & ad reliquum populum, qui conuenerat.

HISTOR. Mend.

11 *Dimittite Arcam Dei.* Francis. Mendoza ibi. §. 6. Quamuis in littera vna tantùm huius consilij sententia referatur, triplicem tamen fuisse ex diuersis Autoribus coniicio. 1. fuit, Arcam illam esse comminuendam in frustra, & tradendam in flammas, vt per quam ipsi peribant, penitùs deperiret.

LITERAL. Author Catenæ. Mendoza.

12 *Dimittite Arcam Dei.* Author Catenæ. Quæris cum Mendoza, vtrùm Satrapæ à se, an à Deo inspirati rectè collimauerint in remittendæ Arcæ exhortatione? Crediderim libentiùs cum eodem à Deo in eam sententiam fuisse excitatos, quod quidem ex munere gubernandi illis omninò congruebat, vti Caiphæ olim euenit. Ex eo etiam in hanc sententiam impellor, quod Satrapæ plus aliquid quàm sciebant, vel conabantur, propheticè protulerunt; nam cùm de Arcæ restitutione decernerent; *reuertatur*, inquiunt, *in locum suum.* Neque enim reducatur, inquiunt, vel comportetur ab aliis, sed ipsa sua se virtute ad suos conferat, quod reuera ita, vt prænunciatum ab illis est, euenisse videas, cùm non tam vaccæ Arcam in Israëlis terram ducerent, quàm ab Arca ipsæ ducerentur. Infrà c. 7.

MORAL. *muneris gratia.*

LITERAL. Abul.

13 *Et reuertatur in locum suum.* Abul. ibi. quæst. 19. Idest reducatur, quia non intelligebant Philisthini, quod ipsa per se reuersura foret. Nam quanquam postea sic accidit, quòd ipsa dirigebat vaccas euntes per viam, nec patiebatur declinare ad dexteram, vel ad sinistram, quanquam in domo vaccæ fœtæ reliquissent filios suos, Philisthini tamen non aduertebant ad hoc, quia non putabant sic esse futurum.

MYSTIC. Gregor.

14 *Et non interficiat nos cum populo nostro.* Gregor. suprà. Quis est populus de quo Satrapæ, idest Principes dicunt, vt non interficiat nos cum populo nostro? Quis est populus, nisi populus Christianus? Dicunt ergo Principes: *Dimittite Arcam Dei Israël, vt reuertatur in locum suum.* Quasi dicat: Hoc vnde, vos mori pertimescitis, nos ad æternæ vitæ meritum exercere non prohibeatis.

VERSVS XII.

Vulgata.

Vulgata. Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valdè manus Dei. Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: & ascendebat vlulatus vnuscuiusque ciuitatis in cœlum.

Text. Gloss. in margine. Fiebat enim contritio mortis in singulis ciuitatibus. Glossa.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Erat enim contritio mortis in omni ciuitate: grauis erat valdè manus Dei ibi. Viri autem qui non fuerant mortui, percussi sunt marisci: Ascenditque clamor ciuitatis in cœlum. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. (Fuit enim grassatio mortis in tota ciuitate, nimisque illic inualuerat manus Dei.) Portò viri, qui non moriebantur, mulctati sunt in podicibus; ita vt clamor ciuitatis in cœlos vsque ascenderet. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et viri, qui non mortui sunt percussi sunt in contrictionibus. Et ascendit clamor ciuitatis ad latus cœlorum. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Quoniam fiebat confusio mortis in vniuersa ciuitate, grauis valdè, vt ingressa est Arca Dei Israël; & viui, & qui moriebantur percussi fuerunt in natibus, & ascendit vlulatus ciuitatis vsque ad cælos. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Quia facta est confusio in ciuitate tota grauis valdè, vt intrauit Arca Dei Israël illuc, & qui viuebant, & non sunt mortui, percussi sunt in sedibus, & ascendit clamor ciuitatis ad cœlum. Sixtia.

Aquila apud Theodor. quæst. 13. Laborarunt vlcere exedente, quod vocant Phagædenam. Aquila. Theodor.

Vatab. in Scholu. Quidam legunt *In omni ciuitate*, ac si morbus fuisset in omnibus vrbibus Palæstinorum, quod doctioribus minùs probatur. Vatab.

Caietan. in Comment. ex Hebræo. Aggrauauit valdè manus Elohim ibi. Caietan.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul.

1 *Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus.* Abul. ibi. quæst. 19. Aliqui exponunt hoc de singulis vrbibus, per quas transibat Arca. Sed non solùm istæ vrbes plagam sustinebant, sed etiam omnes vrbes Philisthinorum, vt suprà declaratum est.

LITERAL. Caietan.

2 *Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus.* Caietan. ibi. Iuxta Hebræum scribitur passio quædam, qua homines fiunt attoniti: & scribitur hæc passio, non qualiscumque, sed mortalis, ita quòd in qualibet ciuitate multi moriebantur.

LITERAL. Author Catenæ.

3 *In singulis vrbibus.* Author catenæ. Exposuimus hoc suprà v. 9. Per singulas ciuitates, intelligi omnes illas, in quas inuehebatur Arcę, cũ suburbiis, quod etiam ex hoc Versu confirmatur, quidquid reclament Abulensis, & Mendoza; id namque dilucidè expressit Sixtiana. *Quia facta est, inquit, confusio in ciuitate tota grandis valdè, vt intranit Arca Dei Israël illuc.* Quis enim non videat illud de singulis ciuitatibus quas Arca visitabat, intelligi debere? Neque enim ego video, qui hoc Septuaginta testimonium eludi possit, maximè apud Mendozã, qui eorum autoritatem maximi vbique facit. Sentio ergo cum illis, qui apud Vatablum docent non omnes simul vrbes, aut villas Palæstinæ, sed eas dumtaxat quas subibat Arca multiplici illa

plaga

plaga percussas fuisse. Si enim omnes æque vapularent, nihil Arcæ prætentiæ, illiusque vindictæ adscribi oporteret, neque eam percussæ vrbes tam studiosè à se ablegare contenderent.

LITERAL. Abul. 4 *Et grauissima valdè manu Dei.* Abulens. ibi q. 19. Non dicitur manus hic, nisi propter potentiam punitiuam, & actualem punitionem. Erat enim dura, vel gratis, quia in qualibet vrbe multi moriebantur, & omnes percutiebantur.

LITERAL. Author Catenæ. Seuerus. Philo *Occisorum numerus.* 5 *Et grauissima valdè manu Dei.* Autor Catenæ. Manus Domini grauitatem occisorum penè incredibilis numerus expressit. Nam Seuerus Sulpitius multa hominum millia neci data fuisse perhibet; Philo verò, vel potiùs Pseudophilo in suis Biblicis Antiquitatib. ducenta, & viginti millia totius sexus, & ætatis homines periisse refert, nullo tamen, vt video, firmo fundamento.

MYSTIC. Greg. 6 *Viri quoque qui mortui non fuerant, &c.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 3. Quia percussionem natium superiùs retulimus ad cognitionem peccatorum; sunt profectò viri, qui non sunt mortui. Viri quippe sunt, qui pro æterna vita, quam appetunt, agere fortia decreuerunt. Sed viri adhùc non sunt mortui, qui agere magna deliberant, & tamen ad dolorē cōpunctionis mala præterita nequaquam pensant.

LITERAL. Abul. 7 *Viri quoque, qui mortui non fuerant, &c.* Abul. ibi quæst. 19. Hic ponitur vniuersitas plagæ, quantum ad homines, sicut ponebatur suprà vniuersitas quantum ad loca; scilicet quòd in loco quolibet, quo erat plaga, morierentur plurimi; cæteri autem percutiebantur, vt suprà dictum est.

LITERAL. Rangol. 8 *Viri quoque, qui mortui non fuerant.* Rangol. ibi. Locus hic docere videtur nonnullos ad primum Arcæ conspectum, cum temerè quasi ad deuictam & triumphatam accessissent, vt etiam postea Bethsamitas repentina morte fuisse sublatos; alios verò qui Arcæ conspectum vitassent, nihilominùs marisicis tumentes, ciuitates gemitu, atque vlulatu compleuisse, quod vtrumque iustissimè contigit.

MYSTIC. Gregor. 9 *Et ascendebat vlulatus.* Greg. suprà. Clamor in cœlum ascendit, quia omnipotens Deus conuersorum gemitus clementer accipit, & quia in tempore conuersionis gentium magnus erat ad fidem concursus, non ab aliqua vna, sed à pluribus ciuitatibus clamor ascendisse perhibetur. Vnde & in persona vniuersalis Ecclesiæ Propheta deprecatur dicens. *Intende orationi meæ à finibus terræ ad te clamaui.*

Psalm. 60.

LITERAL. Mendoza. 10 *Et ascendebat vlulatus.* Franc. Mend. ibi §. 6. Dicitur vlulatus, quæ non est vox humana, sed lupina: ac si Philisthini, præ doloris sensu in morem belluarum efferati, non clamarent vt homines, sed vlularent vt Lupi.

MORAL. Idem. *Peccatorum oratio qualis* Eccli. 35. 11 *Et ascendebat vlulatus vniuscuiusque ciuitatis in cœlum.* Idem ibidem §. 7. Chaldaicè. *Ascendit in latus cœlorum* fortasse non sine aliquo mysterio. Non enim erat oratio iustorum, quæ *penetrat nubes.* Eccli. 35. Sed erat vociferatio impiorum, quæ ad cœli latera irrito ascensu quodammodò resilit, ac retorquetur, nec ad aures Dei rectà pertingit, vt exaudiatur. Et ideò fortasse dicitur vlulatus, quæ est vox significationis expers, quia peccatores non corde, sed ore vociferantes, nihil magis, quàm Lupi vlulantes exaudiuntur.

LITERAL. Salian. *Plagarum furor.* 12 *Et ascendebat vlulatus, &c.* Iacob. Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 2940. num. 35. Publicus erat ciulatus, & à præsenti dolore, & à futurorum metu, cùm aliqui post excrementa, & sanguinem, & intestina, vitam cum anima effunderent. Alij, toti horridi, squalentes, luridi, animam ægrè trahentes mortem expectarent. Alij ex consuetudine ægrorum eodem morbo corriperentur.

METAPHRASIS

CAP. V.

Ex superiori Interpretum doctrina.

CÆSIS, fugatisque Hebræis, Arca ab illis in castris derelicta ab Allophilis inter spolia capitur, cum ipso Propitiatorio, & aureis Cherubinis, suis quoque inuolucris opertam, Azotum, nobilem ipsorum vrbem, in monte Gelboë, quæ ad sortem Iudæ spectauerat, vt castris viciniorem transferunt, ibique religionis gratiâ in Dagonis, seu Veneris fanum inductam iuxta Idolum ipsum in Ara collocant, vel Deo suo tanquam nobile spolium, & trophæum consecrant. Collapsum verò, & in caput suum actum eorum Sacerdotes, qui antelucanas preces acturi, primo mane Templum adierant, Dagonem repererunt, & cùm in pristinum locum reposuissent, collapsum denuò lacerúmque, & contritum ante Arcam Dei pronum, tanquam adorabundum, die altera, primo quoque manè conspiciunt. Neque eam duntaxat ruinam passus fuerat, sed abscisso etiam capite, manibus, ac pedibus truncus remanserat, abscisaque eius membra in Templi limine supina iacebant, ex quo, nec Sacerdos, nec Laicus id Dagonis Templum ingrediens in violati Numinis reuerentiam, limen calcat, sed saltu prætergreditur, quæ ad tempus vsque, quo hæc scribebantur, superstitio durabat. His prodigiis acti Palæstini, cùm nec resipiscerent, nec de Arcæ restitutione curarent, grauia diuinæ vindictæ supplicia sustulêre; fœdo quippe percutiebantur morbo, ficis scilicet, seu marisicis laborabant, simul etiam dysenteria, & sanguinis profluxu torquebantur, infecta quoque intestina per secessum emittebant. Ad hæc murium immensa colluuies ex terra orta, nec fructibus parcebant, nec animantibus, nec hominibus, sed extantes eorum podices ingenti dolore corrodebant. Plagis tandem prudentiores redditi, inito iam consilio, à se Arcam tot malorum altricem ablegari decernunt, & conuocatos vndique suæ gentis Regulos in consilium suum trahere conati, Gethæis non abnuentibus, Arcam immittunt; eos verò facti sui breui pœnituit, iisdem namque plagis grauiter affecti per vrbes alias circumagendam Arcam statuerunt, morbis etiam, & soricum infestatione quaque, Arcæ inductionem secuta. Ad extremum, cùm ad Accaronitarum vrbem asportaretur; incolæ imminenti malo perturbati in cœlum clamare, illatæque iniuriæ conqueri, & malum auertere. Quorum inclamationibus excitis Philisthinorum Principes, in consiliúmque vocati conueniunt tandem de Arcæ ad suos remissione, in quod eos consilium morientium horror, & perturbatarum vrbium pauor impellebat, nam qui mortem euaserant, fœda tamen illa corporum plaga ad vnum excruciabantur.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS.

RODIGIIS acti Philisthini tandem plaustro nouo impositam Arcam duabúsque effœtis vaccis commissam Bethsamitis tradunt. Hi verò, quia curiosi Arcam reuiserint, percutiuntur ingenti admodum clade, vnde accolis Cariathiarim præmissis nuntiis, vt ad se eam reducant, rogant.

CAPVT SEXTVM.

1. EVIT ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus. 2. Et vocauerunt Philisthiim sacerdotes & diuinos, dicentes: Quid faciemus de area Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt: 3. Si remittitis arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & scietis quare non recedat manus eius à vobis. 4. Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntque illi: 5. Iuxta numerum prouinciarum Philisthinorum, quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis, & satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israël gloriam: si forte releuet manum suam à vobis, & à diis vestris, & à terra vestra. 6. Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor suum? nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt? 7. Nunc ergo arripite & facite plaustrum nouum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi. 8. Tolletisque arcam Domini, & ponetis in plaustro, & vasa aurea, quæ exsoluistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius: & dimittite eam vt vadat. 9. Et aspicietis: & siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minime: sciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit. 10. Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi. 11. Et posuerunt Arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos & similitudines anorum. 12. Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dextram neque ad sinistram: sed & satrapæ Philisthiim sequebantur vsque ad terminos Bethsames. 13. Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle: & eleuantes oculos suos, viderunt arcam, & gauisi sunt cum vidissent. 14. Et plaustrum venit in agrum Iosue Bethsamitæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, vaccásque imposuerunt super ea holocaustum Domino. 15. Leuitæ autem deposuerunt arcam Dei, & capsellam quæ erat iuxta eam, in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino. 16. Et quinque satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa. 17. Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto, Domino: Azotus vnum, Gaza vnum, Ascaron vnum, Geth vnum, Accaron vnum: 18. Et mures aureos secundum numerum vrbium Philisthiim, quinque prouinciarum, ab vrbe murata vsque ad villam quæ erat absque muro, & vsque ad Abelmagnum, super quem posuerunt arcam Domini, quæ erat vsque in illum diem in agro Iosue Bethsamitis. 19. Percussit autem de viris Bethsamitibus

eo

eo quod vidissent arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna. 20. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet à nobis? 21. Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philisthiim arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.

VERSVS PRIMVS.

Vulgata. *Vulgata.* Fuit ergo Arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Fuit autem Arca Domini in regione Pelisthinorum septem mensibus.

Vatab. *Hebr. ex Franc. Vatab.* Fuit ergo Arca Domini in agro Palesthinorum septem mensibus.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicti. Ariasm. in Regia.* Et fuit Arca Domini in vrbibus Pelisthæorum septem mensibus.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et fuit Arca Domini in agro Philisthinorum mensibus septem.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtina.* Et fuit Arca in agro alienigenarum septem menses, & efferbuit terra eorum mures.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Fuit ergo Arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.* Gregor. lib. 3. variar. cap. 4. Quid septem menses isti, nisi totam vitæ præsentis prolixitatem designant: Quanquam Azotij, & Accaronitæ clamarent: *circumducatur Arca Dei Israel; & non maneat Arca Dei apud nos.* Veritate tamen sanctæ Historiæ dicetur, quod in typo sanctæ Ecclesiæ cognoscamus, quia in regione Philisthinorum Arca Dei septem mensibus fuit. Non ergo malorum, & impiorum hominum voluntas, sed Dei dispensatio in salute gentium adimpleta est.

Mystic. Beda. 2 *Fuit ergo arca Dei, &c.* Beda lib. 1. expolit. Allegor. cap. 10. Fuit, & futura est Arca dominicæ fidei in gentibus vniuersis tempore sæculi, quo gratia Spiritus sancti septiformis Ecclesiam implere, & ad lucendum infirmis quasi subditis sibi terris illustrare dignabitur.

Mystic. Angelom. 3 *Fuit ergo Arca Domini, &c.* Angelom. in Stromatib. cap. 6. Hoc tempus propter vniuersitatem temporum, quæ septenario numero discutitur, significat Testamentum Domini vsque ad consummationem sæculi in gentibus permansurum.

Rabban. *Eadem verba habet* Rabbanus.

Histor. Theodor. *Arca sub dio mansit.* 4 *Fuit ergo Arca Domini, &c.* Theodor. ibi quæst. 13. Cùm nulla ciuitas auderet arcam excipere, eam foris reliquerunt sub dio. Sic enim docuit Historiographus: *Fuit enim*, inquit, *Arca Domini in agro alienigenarum menses septem.* Postquam autem existimarunt, foris manente Arcâ, se esse liberatos à plagis à Deo immissis, intulit Deus supplicia etiam rebus inanimis; immisit enim murium multitudinem in vites, & segetes, qui omnes eorum fructus perdiderunt.

Histor. Procop. 5 *Fuit ergo Arca Domini, &c.* Procop. ibi. Cùm nullum ex oppidis Arcam recipere auderet, eam extra oppida sub dio reliquerunt, sic rati se posse malis liberari. Quamobrem Domino ipsos castigante etiam frugum terræ penuria mulctati sunt.

6 *Fuit ergo Arca Domini, &c.* Abul. ibi quæst. 2. Sciendum quòd in toto tempore isto, quo Arca Dei fuit in terra Philisthinorum, non fecerunt circa eam aliquid inhonestum, scilicet, vt caperent ex ea Tabulas aperientes illam, vel vnam cum manna, vel virgam Aaron, quæ intus posita erant. Non enim aperuerunt Arcam toto isto tempore; nec audebant tangere eam, nisi cum magna reuerentia, & necessitate. Histor. Abul.

7 *Septem mensibus.* Idem ibid. quæst. 3. Quæret aliquis, qui fuerint isti septem menses, quibus mansit Arca Domini in regione Philisthinorum? Respondendum est quòd fuerunt ab Octobri nostro, vel Nouembri vsque ad principium Maij. Quod patet, quoniam infrà dicitur, quòd Arca Domini venit in campum Bethsames, vbi erat ager Iosue Bethsamitæ, & tunc erant ibi viri metentes triticum, ergo à tempore messis tritici sumenda est ratio computandi, scilicet, quòd accipiantur septem menses immediatè præcedentes ad tempus messis triticeæ. Est autem messis triticea in terra Chanaam, circa finem Aprilis, & principium Maij. Nam principium messis ordeaceæ apud Iudæos in terra Chanaam erat post decimumsextum diem mensis Martij, quia ante hoc nemo de Iudæis audebat tollere saltem vnam spicam, vel granum de segete. Leuit. 23. Esset igitur messis ista triticea circa finem mensis Aprilis, vel per totum Maium. Litteral. Idem. *Qui fuerint isti menses.*

8 *Septem mensibus.* Franc. Mend. ibi §. 3. Si quæras cur Arca tandiu permanserit apud Philisthinos? Respondeo ad litteram, quia peccatores, quales erant Philisthini ad restituenda debita difficile adducuntur. Tropol. Mendoza. *Restitutio quam difficilis?*

9 *Fuit ergo Arca Domini, &c.* Autor Catenæ. Theodoretus, & Procopius, perpetuus eius aßecla, & alij affirmant Arcam Dei, eo quòd à nulla iam ciuitate reciperetur, sub dio in campo mansisse. Fundamentum eorum est Hebræus, & Græcus Textus, qui loco regionis, vt est in Vulgata, habent *agro.* Probabile id quidem, cum percussi populi eam à se continuò expellere curarent, quæ vrbes cùm quinque solùm essent, vt patet ex earum oblationibus infrà, & septem mensium spatium longum sit, sequitur maioris temporis partem in agris fuisse ab illis expositam. Cæterum fundamentum Theodoreti ex Hebræo firmum omninò non est, cùm verbum Hebraicum שְׂדֵה *Sadeh*, vt Pagninus docet in Thesauro, ex æquo agrum & regionem significet. Addit Theodoretus in mulctam huius ex vrbibus Arcæ depulsionis immissis muribus agros, & fructus vastatos fuisse: fauet etiam Sixtiana addens: *Et efferbuit terra eorum mures.* Ego verò potiùs crediderim hos mures non fuisse alios ab iis, qui suprà referuntur. Itaque vel eorum suprà fit mentio per anticipationem; vel hìc per recapitulationem superiùs relati memorantur. Mecum sentit Salianus ann. Mundi 2940. num. 40. Hinc etiam apertè colligitur error Iosephi, qui quatuor tantùm menses apud Palæstinos Arcam fuisse commemorat lib. 6. Antiquitat. cap. 2. De Litteral. Author Catenæ. Theodor. Procop. Theodor. Salian. Ioseph.

mensibus autem Hebræorum, eorúmque nominibus, ac numero, multa Beda cap. 6. de Ratione comput. & lib. de Ratione tempor. cap. 10. Bridefertus quoque Rameſſienſis in ſuis ad eum Scholiis, & Ioann. Nobiomagus, Theod. Gaza, Calonim. & alij, quos conſules, ſi placet.

Beda. Bridefer. Nobiomag. Gaza. Calonim.

VERSVS II.

Vulgata. *Vulgata.* Et vocauerunt Philiſthiim Sacerdotes, & Diuinos dicentes: quid faciemus de Arca Domini? Indicate nobis quomodo remittamus eam in locum ſuum. Qui dixerunt.

Benedict. *Bened.* Et poſt hæc vocauerunt Philiſthiim, &c. *Et in margine.* Indicate nobis cum qua re remittamus eam.

Gloſſa. *Text. Gloſſ. in margine.* Indicate nobis in quo remittamus eam in locum ſuum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnin.* Vocauerúntque Peliſthim Sacerdotes, & Diuinos dicendo. Quid faciemus Arcæ Domini? Indicate nobis in quo dimittamus eam in locum ſuum? Et dixerunt.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et vocantes Paleſthini, Sacerdotes, & Diuinos dixerunt. Quid faciemus Arcæ Domini? Indicate nobis, quo cùm remittamus illam ad locum ſuum? Qui dixerunt.

Ariaſm. *Chaldaica ex Benedict. Ariaſm. in Regia.* Et vocauerunt Peliſthæi ſacrificulos, & diuinatores dicendo: Quid faciemus Arcæ Domini? Docete nos quemadmodum mittemus eam ad locum ſuum?

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et vocauit Philiſthiim Sacerdotes, & Prophetas, & Incantatores ſuos, & dicunt eis: Quid faciemus Arcæ Domini? Indicate nobis in quo mittamus eam in locum ſuum? Et dixerunt.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et alienigenæ vocánt Sacerdotes, & Vates, & Incantatores ſuos dicentes. Quid faciemus Arcæ Domini? Notum facite nobis in quo mittemus eam ad locum ſuum? Et dixerunt.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Et vocauerunt Philiſthiim Sacerdotes, & Diuinos.* Greg. lib. 3. variar. cap. 4. Qui ſunt, qui Sacerdotes, & Diuinos conſulunt, niſi fideles ſanctæ Eccleſiæ, qui æternæ ſalutis viam ſine errore tenere concupiſcunt? Et qui Sacerdotes, & Diuini, niſi ſanctæ Eccleſiæ Prædicatores intelliguntur? Sacerdotes quippe ſunt ob oblationem Sacramenti: Diuini verò miniſterio prædicationis. Nam duo iſta in perſona Paſtoris conueniunt, ſi ei adſit & ſanctitas vitæ, & eruditio ſapientiæ; quia ad purganda peccata ſubditorum conſtitutus eſt, & ad errorum caliginem prædicationis luce depellendam. Qui de Arcæ loco, & de remittenda Arca Dei interrogant, & Sacerdotes, & Diuinos vocant, quia nimirùm ij, qui de cognitione diuinæ prædicationis venturæ vitæ gaudia diligunt, ad ſalutis conſilium, nec carnales ſapientes, nec multùm ſimplices Religioſos Paſtores quærunt. Sacerdotes itaque, & Diuinos vocant, quia eis ſe committunt, qui & ſuperni rectitudinem itineris demonſtrant ſublimitate ſententiæ, & pro ſubditis omnipotenti Deo idonei interceſſores ſunt per puritatem vitæ.

Hebr. Seder Olam. 2 *Et vocauerunt Philiſthiim Sacerdotes, & Diuinos.* Hebræi in Seder Olam Rabba c. 13. Fuitque Arca Domini in agro Philiſthinorum ſeptem menſibus; & poſt hæc vocauerunt Philiſthiim Sacerdotes, & Diuinos dicentes: Quid faciemus de Arca Dei?

Literal. Lira. 3 *Et vocauerunt Philiſthiim Sacerdotes, & Diuinos.* Liran. ibi. Qui per pacta cum Dæmonibus inita tacitè, vel expreſsè, dicunt hominibus aliqua incognita. Dæmones enim eo quòd in eis remanſerunt naturalia integra ex intellectus perſpicacitate, & experientia longi temporis multa ſciunt hominibus incognita, & de talibus prædicti Diuini ab eis inſtruuntur.

Literal. Serar. 4 *Et vocauerunt Philiſthiim Sacerdotes, & Diuinos.* Nicol. Serar. ibid. Cùm ad religionem ea quæſtio ſpectare, pluſculumque difficultatis habere videretur, vocati ſunt Sacerdotes, & Diuini, de quibus Iſai. 2. Qui tria reſponderunt. Iſaiæ 2.

Literal. Mendoza. 5 *Et vocauerunt Philiſthiim Sacerdotes, & Diuinos.* Franc. Mend. ibi §. 9. Inquiri hoc loco poteſt, an peccauerint Philiſthini Diuinos conſulendo? Dico illos non peccaſſe contra legem poſitiuam Hebræorum, vt ſic, quia illa non tenebantur, vt per ſe patet, cum Iſraëlitico tantùm populo data fuerit. (Deuter. 18.) de quo illi non erant. Quod verò attinet ad legem naturalem reſpondeo, quamuis hoc peccatum ſit ex ſuo genere grauiſſimum, tamen poſſe excuſari propter ignorantiam inuincibilem. Deuter. 18.

Tropol. Mend. *Sæculares ne iudicent Eccleſiaſticos.* 6 *Sacerdotes, & Diuinos.* Idem ibidem §. 13. Cauent Iudices ſæculares ne in Eccleſiaſticas cauſas ſe intromittant; alioqui tanquam Satrapæ Philiſthinorum de re ſacra iudicantes errabunt toto cœlo, & litigantes expedire cupientes in arctiores laqueos impedient, ſeu potiùs in grauiora exitia præcipitabunt; immò & ipſi in culpam incurrent læſæ diuinitatis in ipſum Deum.

Tropol. Rangol. *Sacra ad ſacros.* 7 *Sacerdotes, & Diuinos.* Rangol. ibi. Deus ſemper optimus, ac maximus, tametſi ſuperſtitioni nunquam fauit, quia tamen illis religio eſſe videbatur, iuſta Sacerdotum aſſerere, eorundémque ſententiam ſuo calculo comprobare ſtatuit; neque enim ſacra profanis addicere licet; ſed ſi quæ ad belli, paciſque adminiſtrationem pertinent, earum rerum habenas Principem moderari æquum eſt, vtpote quas Deus eiuſdem fidei permiſit; at de religione ſtatuere, & in ea, quæ Sacerdotum ſunt, imperium vſurpare, quid aliud eſſe dicemus, quàm ea vi, atque auctoritate, quæ ad Reipublicæ conſtitutionem conceſſa eſt, inuito Domino abuti ad ipſius contumeliam.

Tropol. Author Catenæ. *Sacerdotum religio.* Baron. Molina. Ioann. Sebaſtian. 8 *Sacerdotes, & Diuinos.* Autor Catenæ. Hinc licet colligere, quanta apud Barbaros etiam Sacerdotij dignitas, atque auctoritas fuerit, ſiquidem ad Sacerdotum conſilium res tanti ponderis defertur, non autem ad Proceres, & Dinaſtas. Quod apud omnes etiam gentes euenìſſe tradit Baronius tom. 1. Annal. ann. Domini 57. Anton. de Molina, Carthuſian. de Sacerdot. tractat. 1. cap. 1. §. 2. & 3. Ioannes noſter Sebaſtian. lib. etiam de Sacerdot. & alij, qui de eorum honore, & religione apud Chriſtianos, Iudæos, & Gentiles multa ornatè coacerùarunt. Diuini verò vocantur, qui futura prædicunt, quod quidem; cùm ſit omninò diuinum, futuri præſcios, Diuinos denominauit.

Tertull.

Tertullian. Tertull. in Apolog.c.20. *Idoneum opinor testimonium diuinitatis veritas diuinationis.* Hi verò sunt veri Dei Prophetæ: Aruspices verò, Ariolos, Magos, & cæteram diuinantium colluuiem potius dixeris diuinitatis Antipodes.

Tropol. Author Catenæ. *Profani Iudices sacris se ingerunt.* 9 *Et vocauerunt Philisthiim Sacerdotes, & Diuinos.* Autor Catenæ. Immissis à Deo plagis prudentiores effecti Philisthini de re sacra Sacerdotes, & Diuinos in consilium adducunt, nec temerè se in sacris ius dicere affectant. Quod si simili plures nostri sæculi profani Iudices verbere vapularent, nusquam rerum ordinem perturbarent, nec sacra profanis miscuissent. Dum verò ius naturale, & regale officium, vt prædicant, tueantur, & vis Sacerdoti illatæ iniuriam auertant, sæpiùs interdum de sacris, quàm de profanis ius dicunt; cùm è contrario nefas esse ducant illatam à profano Iudice vim ab Ecclesiastico propulsari. Audiant hi Nazianzenum apud Ciues suos Sermonem habentem. Orat. 17. *Vos quoque potestatis meæ, meisque subsellijs lex Christi subiecit. Imperium enim nos quoque gerimus: addo etiam præstantius, & perfectius, nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere.*

Nazianz.

Tropol. Chrys. *Deus paulatim procedit.* 10 *Quid faciemus de arca Dei?* Chrisost. hom. 6. in Matth. tom. 2. postquam Deus Magos duxit, & quidem manuduxit, ad ipsum præsepe statuit, non iam per stellam, sed Angelos eis loquitur: ita paulatim meliores fiebant. Hoc etiam Ascalonitis, hoc Gazensibus fecit. Etenim istæ quinque vrbes postquam lethali plaga, Arcâ ad se veniente, percussæ sunt, nullámque ex vrgentibus malis liberationem inueniebant, vocatis Vatibus, & concione congregata, quærebant medelam diræ illius plagæ inuenire, quemadmodum ita Dei placari posset, &c.

Literal. Abul. 11 *Quid faciemus de arca Dei.* Abulens. ibi. q. 7. Non quærebant an deberent remittere Arcam, vel apud se retinere, quia iam diffinierant quinque Satrapæ Philisthinorum eam esse mittendam, vt patet præcedenti capite. Sed quærebant quomodo eam remitterent, scilicet si darent aliqua munera, vel non? Si irent ipsi cum Arca, vel dimitterent eam solam; sicut patet immediatè.

Literal. Caiet. 12 *Quid faciemus de arca Dei?* Caietan. ibi. Nomen Tetragrammathon hic scribitur nominatum à Philisthinis, quòd faterentur Arcam illam esse Arcam summi Dei, qui est fons essendi. Nec quærunt quid facendum de Arca, sed quid faciendum Arcæ: decreuerant enim remittere ipsam in locum suum in terram Israel, & petunt quid exhibendum sit Arcæ.

Literal. Abul. 13 *Indicate nobis quomodo remittamus eam?* Abulens. ibi. quæst. 7. Idest, quæ sunt cæremoniæ, quas facere debemus adhoc quod mittatur Arca? Dicebant autem hoc, quia timebant ne mittendo Arcam, prætermitterent aliquam cæremoniam honoris propter quam offenderetur Deus Hebræorum, & rursus puniret eos. Et quia isti erant sapientiores, inquisierunt ab eis de modo cæremoniarum.

Literal. Caiet. 14 *Indicate nobis quomodo remittamus eam.* Caietanus ibi. *In quo mittemus ipsam ad locum suum.* Habet Hebraica veritas. Et quidquid intellexerint dicendo *in quo mittemus*, perspicuum tamen est, quòd deliberauerant mittere; sed petunt, an vehenda curru ab hominibus, & cum quo honore.

* * *

VERSVS III.

Vulgata. Si remittitis Arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & scietis quare non recedat manus eius à vobis. Vulgat.

Bened. in margine. Nolite dimittere eam vacuam, sed redderis ei oblationem. Bened.

Textus Gloss. in margine. Nolite dimittere eam vacuam, sed restituite ei hostiam. Gloss.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Si dimittitis Arcam Dei Israel, ne dimittatis eam vacuam, sed restituendo restituite ei hostiam pro delicto. Tunc curabimini, & notum erit vobis, cur non recesserit manus eius à vobis. Pagn.

Hebraica ex Francisc. Vatab. Si remittitis Arcam Dei Israelis, ne vacuam eam remittatis; sed omninò redderis ei sacrificium expiatorium pro delicto. Tum demum sanabimini, notúmque fiet vobis, cur manus eius non recesserit à vobis. Vatabl.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et dixerunt. Si mittentes vos Arcam Dei Israel, non mittetis eam vacuam, sed reddendo redderis, ante ipsam, oblationem expiationis eius. Ita sanabimini, & refrigerium erit vobis, ad quid non quieuerit percussio eius à vobis. Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Si remittitis vos arcam fœderis Domini Dei Israel: Non mittatis eam vacuam, sed reddentes reddite ei pro delicto dona, & tunc curabimini, & placabitur vobis, ne non recedat manus eius à vobis. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtiana. Si dimittite vos Arcam testamenti Domini Dei Israel, ne dimittatis eam inanem, sed reddentes reddite ei pro cruciatu, & tunc curabimini, & depropitiabitur vobis, numquid non recedet manus eius à vobis. Sixtin.

Greg. ibi. Si remiseritis Arcam, &c. Gregor.

Caiet. ex Hebræo. Quia restituendo restituetis eis Asam. Caiet.

Flamin. Nobil. in Schol. Vatic. Alij ex Hebræo vertunt: Redditte ei culpatorium, id est hostiam pro peccato, & culpa, Flaminius.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Mendoza. 1 *Si remittitis Arcam Dei.* Franc. Mendoza ibi. §. 1. Non dicunt absolutè: Remittite, sed conditionatè: *Si remittitis*; quia solùm ad interrogata respondebant. Cùm enim Philisthini non interrogarent, an deberent Arcam remittere, sed solùm quo pacto remittere deberent, adhoc tantùm posterius, non ad illud prius respondendum censuerunt.

Mystic. Greg. *Fides sine operibus vacua.* 2 *Nolite dimittere eam vacuam.* Gregor. lib. 3. Variar. c. 4. Quidnam est Arca vacua, nisi diuina scientia sine bona operatione? Vacuam namque Arcam remittere, est de cognitione spiritualium Sacramentorum fructum boni operis nullum ferre.

Literal. Lira. 3 *Nolite dimittere eam vacuam.* Lira. ibi. Idest absque muneribus gloriam, & virtutem Dei Israel significantibus; ideò subdit: *Sed quod debetis reddite pro peccato.* Idest emendam pro peccato.

4 Sed

Mystic. Gregor. (*Conscientia morsus.*)

4 *Sed quod debetis, reddite pro peccato.* Gregor. supra. Quid est quod pro peccato debetur Arcæ, nisi afflictio deuotæ pœnitentiæ? Quo in loco notandum est, quia eis loquitur, qui à moribus morsi sunt. Qui enim morsi à moribus sunt, nisi qui in fidei Catholicæ illuminatione positi, ante eiusdem fidei cognitionem, siue post, prauа egisse se recolunt.

Mystic. Idem.

5 *Sed quod debetis, reddite pro peccato.* Idem ibidem. Debitum Arcæ redditur pro peccato, cùm peccatores ex Scripturæ sacræ cognitione affliguntur, & cruciatu tergere culpas satagunt, quas carnis delectatione traxerunt. Curantur autem quando iam expleta mensura afflictionis ad fiduciam diuinæ indulgentiæ per auxilium releuantur interni solatij.

Tropol. Clar.

6 *Quod debetis ei reddite pro peccato.* Isidor. Clar. in Scholiis Quia homo peccans, quantum in se est, tollit id quod est Dei, & sibi vsurpat; atque ideò tenetur iterum ablatum restituere, si cupiat Deum sibi habere propitium. Restitutio illa est cordis contritio, atque huius signum, exterior oblatio.

Literal. Abul.

7 *Sed quod debetis, reddite pro peccato.* Abul. ibi. q. 10. Idest: peccauistis in Deum Israel, ideò reddite aliquid ei tanquâ in emendationé offensæ.

Literal. Brixian.

8 *Sed quod debetis, reddite.* Marinus Brixian. Quia homo peccans quantum in se est, tollit id, quod est Dei, & sibi vsurpat, atque ideò tenetur iterum ablatum restituere, si cupiat Deum sibi habere propitium.

Literal. Caiet.

9 *Sed quod debetis, reddite ei pro peccato.* Caietan. ibi. Parui refert, quod Hebraicè habetur: *Quia restituendo, restituetis ei Asam*, hoc est, pro delicto. In Leuitico dictum est, quòd Charath significat, quod offertur pro peccato. Asan verò significat quod offertur pro delicto, & de hoc sermo in propolito.

Literal. Vermil.

10 *Sed quod debetis reddite ei.* Petrus Vermil. in Comment. Consuetudo hæc fuit omnium propemodùm gentium, vt ab aliquo morbo, seu calamitate, diuina ope assertæ, anathemata, & monimenta quædam numini ponerent, à quo se putarent fuisse liberatos, vt quoad fieri poterat, celebraretur, & coleretur. Hæc igitur erat hostia pro delicto: quoniam huiusmodi simulachris, & imaginibus se, & suum Dagonem testabantur victos à Domino, illi eidem adscribendo & plagam, & medicinam.

Literal. Author Catenæ. Moral. *Peccatum excruciat.*

11 *Sed quod debetis, reddite ei.* Autor Catenæ. Sixtiana loco *peccati*, *cruciatum* habet, quod iuxta litteram sonat: Reddite quod debetis pro pœna, & reatu peccati. Moraliter verò significat peccatum, quamuis oblectare, & mulcere videatur, tandem vt colubrum mordere pectus, & excruciare. Quod ad extremum impij ipsi non inficiantur, sed aperte fatentur. Sapient. 5. *Ambulauit nos*, inquiunt, *vias difficiles*; cùm ad prata potiùs floribus vernantia molliter pedibus suis calcanda sese inuicem olim cohortarentur. Ibidem. cap. 2. *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.*

Literal. Abul.

12 *Et tunc curabimini.* Abul. ibi. q. 10. Scilicet quando remiseritis Arcam cum donis istis. Ista erat curatio à plagis, quas Deus inferebat Philisthinis, & fieri debebat dupliciter. Primo cessando ab inflictione plagarum. Secundo modo curabat, si sanaret à plagis eos, qui iam vulnerati fuerant, & vtrumque eorum factum est post reuersum Arcæ de terra Philisthum.

13 *Et tunc curabimini.* Autor Catenæ. Hæc Sacerdotes, & Diuini non ex certa scientia, sed coniectura prudenti ducti pronuntiebant; nisi dicas diuino eos spiritu afflatos ex sacerdotali munere prophetasse, vt in simili de Satrapis Philisthinorum nuper diximus. Quòd si emissâ Arcâ cessarent plagæ, prudenti quoque, & morali coniectura intelligi daretur acceptarum cladium eam, quod impiè retineretur, in causa fuisse. Literal. Auth. Cat.

14 *Et scietis, quare non recedat, &c.* Greg. suprà. Tunc etiam sciunt, quare manus Domini non recedat ab eis, quia tunc vtilitatem compunctionis, seu afflictæ carnis bonum intelligunt, cùm de inducia diuinæ indulgentiæ ineffabiliter lætantur. Quid est enim dolor pœnitentiæ, nisi plagæ molestia ex Dæmonum percussione. Mystic. Gregor.

25 *Et scietis, quare manus eius non recedat a vobis.* Idem ibidem. Nam antequam curet, quare manus Domini ab eis non recedat, scire non possunt. Quia tunc penitentiæ bonum intelligunt, cùm in purificato iam corde Sancti Spiritus gratiam recognoscunt. Mystic. Idem.

VERSVS IV.

Vulgata. Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntque illi. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Et dixerunt. Quæ est hostia pro delicto, quam restituemus ei? Responderunt. Pagn.

Hebraic. ex Francisc. Vatabl. Et dixerunt. Quod verò sacrificium illud expiatorium pro delicto? Responderunt. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et dixerunt: Quæ oblatio expiationis eius, quam reddemus ante eam? Et dixerunt: Iuxta numerum Tyrannorum Philisthæorum, quinque maritæ auri, & quinque mures auri; quoniam percussio vna posita omnibus vobis, & Tyrannis vestris. Ariasm.

Græc. ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et dicunt: Quid pro delicto, quod reddemus ei? Et dixerunt. Complut. Regia.

Græca ex Septuagint. in Sixtian. Et dicunt: Quid est, quod pro cruciatu reddemus ei? Et dixerunt. Sixtian.

Greg. ibi. Qui respondentes dixerunt. Gregor.

Caiet. ibi. Quod est Asam, quod restituemus ei? Et dixerunt. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

1 *Qui dixerunt.* Abul. ibi. q. 10. Scilicet Satrapæ Philisthinorum. Literal. Abul.

2 *Quid est, quod pro delicto reddere debemus.* Idem ibidem. Idest, quid est rationale, quod demus Arcæ Dei pro delicto, quod in eam egimus? Hoc enim magis scire poterant Sapientes, scilicet Sacerdotes, & Diuini. Literal. Idem.

3 *Quid est, quod pro delicto reddere debemus.* Idem ibidem, quæst. 11. Cùm dicitur, quòd Philisthini dederunt Deo Israel munera pro peccato suo, non est intelligendum pro eo, quod erat verè peccatum, sed pro eo quod ipsi opinabantur. Literal. Idem.

4 *Quid est, quod pro delicto reddere debemus.* Literal. Franc.

Franc.Mend.ibi.§.1. Ac si nihil omninò agere vellent, nisi ex suorum præscripto Sacerdotum; & sicut ab eis de mittendis cum arca muneribus edocebantur; ita pariter edoceri vellent quanta, & qualia mitti oporteret. Qua in re vtinam Christiani Philisthinos imitarentur, & in negotio salutis suæ totos se ad suorum Sacerdotum, non solùm iussum, sed & nutum accommodarent.

Mendoz.

Literal. Aut. Caten. *Delictū, & peccatum idem.*

5 *Quid est, quod pro delicto reddere debemus.* Autor Catenæ. Sacerdotes in præcedenti Versu dixerant: *Reddite quod debetis pro peccato.* Satrapæ verò, dum, quidnam esset, quod pro peccato deberent, interrogant; non *pro peccato*, vt illi prædixerant, sed *pro delicto* rogant. *Quid est, quod pro delicto reddere debemus.* Hinc non vulgaris exoritur quæstio, idémne significet peccatum, ac delictum. De quo ad c.7. Leuit. v.7. Orig. August. Isichius, Lira. Abul. Isidor, Clarius. Vatabl. & Lorin. quos refert, & eorum plures disertè, vt solet, impugnat Mendoza in præsenti; cuius quidem sententiam aliis præferendam censui. Scilicet quidquid de eorum stricta significatione peccati, ac delicti sit, quoad præsens tamen institutum attinet, promiscuè pro eodem accipi; cùm præcipuè Barbaros nunquam ad Hebræorum eruditas impositiones attendisse credendum sit, & confirmatur ex Hebræo fonte; vbi idem verbum *Asam* vtrobique repetitur, vt notat Caietanus, licet Interpres noster delictum modò, modò peccatum vertat.

Origen. August. Lira. Abul. Clarius. Vatab. Isich. Lorin. Mend. Caietan.

Literal. Moral. Author Catenæ. *Peccatum excusat.*

6 *Quid est, quod pro delicto reddere debemus.* Autor Catenæ. Quódnam delictum? Laudo in primis eorum modestiam, qui cùm hucvsque nullum circa Arcam delictum suum agnouissent, vt à Sacerdotibus edocentur, non abnuunt, non se impudenter excusant, sed creduli admittunt. Dico secundò in eo fortasse delictum constitisse, quod Arcæ retentioni pertinaciter inhæserant, dum ex plagarum signis potiùs ad suos remittendam edíscere debuissent.

VERSVS V.

Vulgata.

Vulgata. Iuxta numerum Prouinciarum Philisthinorum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: Quia plaga vna fuit omnibus vobis, & Satrapis vestris. Facietísque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israel gloriam; si forte releuet manuum suam à vobis, & à Diis vestris, & à terra vestra.

Benedic. Gloss.

Benedict. in margine. & Text. Glos. ibid. Iuxta numerum principum Philisthinorum.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagnin. Secundùm numerum Principum Pelisthinorum quinque ani aurei, & quinque mures aurei, quia plaga vna est omnibus illis, & Principibus vestris. Facietísque imagines anorum vestrorum, & imagines murium vestrorum, qui deuastauerunt terram, dabitísque Deo Israel gloriam: si fortè alleuietur manus eius à vobis, & Diis vestris, & à terra vestra.

Vatab.

Hebraica ex Francisc. Vatabl. Iuxta numerum Satraparum Palestinorum quinque podices aureos, & quinque mures aureos: eadem enim plaga & omnibus, & Principibus vestris. Facietis igitur imagines anorum vestrorum, & imagines murium vestrorum, qui vastant terram. Et ita dabitis gloriam Deo Israelis, si fortè remittat manus eius à vobis, a Diis vestris, & à terra vestra.

Ariasm.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et facietis figuras mariscarum vestrarum, & figuras murium vestrorum, qui perecutientes terram; & dabitis ante Deum Israel gloriam. Fortasse quiescet percussio eius à vobis, & ab erroribus vestris, & à terra vestra.

Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia. Iuxta numerum Prouinciarum Philisthinorum quinque anos aureos, quoniam error in vobis, & in Principibus vestris, & populo. Et quinque mures aureos similitudinem murium corrumpentium terram vestram. Et dabitis Domino Deo Israel gloriam, vt releuet manum suam à vobis, & à Diis vestris, & à terra vestra.

Sixtia.

Græca ex Septuaginta in Sixtia. Iuxta numerum Satraparum alienigenarum quinque sedes aureas, quoniam delictum in vobis, & in Principibus vestris, & populo: & mures aureos similitudinem murium vestrorum corrumpentium terram. Et dabitis Domino gloriam, vt alleuet manum suam à vobis, & à Diis vestris, & à terra vestra.

Philo. Theod.

Philo Biblic. Quinque sedilia aurea facietis.

Theodoret. ibi. quæst. 13. Quinque sedes aureas facietis.

Vatabl. in Ecphrasi. Si fortè leuiorem faciet manum suam.

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Beda.

1 *Iuxta numerum Prouinciarum.* Beda libr. 1. Expolit. Alleg. cap. 11. Iuxta numerum quinque sensuum, quos retrò respiciendo contaminastis, quorum fructus omnes fidem malè tractando perdidistis, iam modo per cuncta, quæ videndo, audiendo, gustando olfaciendo, vel tangendo geritis, clarissima patientiæ, compunctionis, humilitatis, cæterarúmque virtutum Christo debita soluite.

Sensus Deo sacrentur.

Mystic. Literal. Gregor.

2 *Quinque anos aureos facietis.* Gregor. lib. 3. Expolit. Allegor. cap. 4. Hæc profectò si more Iudaico secundùm litteræ vilitatem pensantur, non solùm despicienda sunt, sed nec auditu digna. Quæ profecto dignè accipit, qui quò viliora per litteræ sonum audit, eò ea per spiritualem significationem vtiliora esse intelligit.

Mystic. Idem. *Ani aurei quid?*

3 *Quinque anos aureos facietis.* Idem ibidem. Profecto tunc Arcæ debitum pro peccato benè soluitur, si anorum, & murium similitudines ex auro fabricentur. In ani quippe similitudine emittendi fœtoris membrum cernitur, & tamen quia similitudo non veritas est, fœtore iam nullo maculatur; & quia de auro efficitur, hoc profectò insinuat, quia ex splendore pulchritudinis species commutatur deformitatis. Peccator ergo conuersus ani similitudinem facit, cum quibus peccati fœtoribus membra sua deposuerat, ad memoriam ducat. Ani ergo similitudinem fabricare, est membrorum suorum nuper peccantium turpitudinem pœnitenti corde recolere. Vel fortasse memorando, similitudines anorum fiunt: flendo deauruntur quia & recolendo quæ fecimus, fingimus, & dum commissa attentius lugemus, in iustitiæ splendorem membra deauramus.

Mystic. Greg.

4 *Quinque anos aureos facietis.* Idem ibidem. Quinque anos aureos præcipiuntur vt faciant, vt de omnibus compungantur sensibus; & quia omnes peccaue

peccauerunt;ideò ad supernæ vitæ claritatem membra omnia rediguntur, quæ per oblectamenta carnis omnimoda polluerunt sordes flagitij.

Histor. Ioseph. 5 *Quinque anos aureos facietis.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 1. Vicit sententia probatæ prudentiæ hominum, qui tunc aptiora ad propositum negotium censere videbantur. His nec remitti Arcam placuit, neque retineri, sed pro quinque ciuitatibus quinque statuas aureas dedicari Deo, in testimonium gratitudinis, quod eius fauore conseruati essent ex ea peste, quam humanis remediis euadere fuerit impossibile, & totidem mures aureos addi illis similes, qui agris vastitatem intulerunt.

Histor. Comest. 6 *Quinque anos aureos facietis.* Petrus Comest. in Histor. Scholast. cap. 7. Dixerunt autem Sacerdotes, & Diuini: cur aggrauatis cor vestrum, sicut Pharao, & Ægyptus. Remittite Arcam, sed non vacuam. Reponite in capsella iuxta Arcam quinque anos aureos, & quinque mures aureos pro numero ciuitatum, quæ percussæ sunt.

Histor. Abul. 7 *Quinque anos aureos facietis.* Abul. ibi q. 13. Quæretur, cùm isti ani aurei, & mures venissent cum Arca in terram Israël, quid factum est postea de eis? Respondendum est, quod dupliciter in hoc dici potest. Vno modo, quòd ista relicta sunt in Sanctuario Domini, & posita sunt in aliquo loco, in quo ab omnibus viderentur ad laudem Dei. Alio modo dici potest, quòd cùm istud esset aurum mundum, & non impensum in aliquos turpes vsus, facerent inde Iudæi aliqua vasa pro Sanctuario Domini.

Literal. Carth. 8 *Quinque anos aureos facietis.* Dionys. Carthus. ibi art. 13. Videtur mos inoleuisse, quòd hi, qui cruciantur in manu, pede, aut alio membro, offerant talium membrorum similitudines cereas, aureas, argenteas omnipotenti.

Literal. Bellarm. 9 *Quinque anos aureos facietis.* Bellarmin. in Psalm. 77. Prouidentia Dei fecit, vt ipsi Philisthæi anos aureos appenderent Arcæ ad memoriam sempiternam morbi pudendi, quo Deus illos affecerat.

Literal. Serar. 10 *Quinque anos aureos facietis.* Serar. in comment. Scilicet sigilla, seu simulachra quinque podicum, & murium.

Literal. Tropol. Mendoza. *Supplicia humiliter ferenda.* 11 *Quinque anos aureos facietis.* Franc. Mend. ibi §. 8. Quemadmodum fontes nudantes in plagas terga, vt feriantur, & deosculantes humiliter cultros, quibus feriendi sunt, suam ad supplicia ferenda patientiam, & lubentiam ostendunt, & Iudicum, spectatorúmque animos ad sui misericordiam inflectunt; ita & Philisthini non subtrahentes corpora verberibus, sed exponentes, nec dedignantes verberum instrumenta, sed amplexantes, & se promptos ad patiendum offerebant, & Deum ad sui misericordiam prouocabant.

Tropol. Vermill. 12 *Quinque anos aureos facietis.* Petrus Vermil. hæretic. in comment. Isti nec pœnitentiam suadent, nec abiectionem Idolorum, nec inuocationem veri Dei. Cæremoniam tantùm externam proponunt, qua Deo aurea munuscula offerantur, cum talia ornamenta, & cæremoniæ sine fide meræ sint religionis pestes: tamen sciendum est Deum omnia ista consilia in suam gloriam referre.

Literal. Pintus. 13 *Quinque anos aureos facietis.* Andræas Pintus Ramirez in Spicilegio. Solebant Ethnici bonorum, quæ à Diis orabant, imagines illis consecrare. Virg. vel quisquis autor est in Priapæis.

Letus Aristagoras natis bene villicus vuis
Decera facta dat tibi poma Deus.
At tu sacratis contentus imagine pomi.
Eas veros fructus ille Priape ferat.

Vt hic dicata fructuum imagine, sperabat sibi fructus veros consequendos: sic contrà Philistæi fœda vulnera, turpes mures quos aberruncatos cupiebant, sæua eorundem imagine pellendos sperabant.

13 *Quinque anos aureos facietis.* Autor Catenæ. In expositione huius verbi *anos aureos*, variant Interpretes ex variis translationibus. Primò errasse constat Iosephum 6. Antiq. cap. 1. *aureas statuas* referentem iuxta recentiores editiones, Basilienses, & Lugdunenses. Secundò errasse deformiùs Antonium Sabellicum *Simulachra*, seu *imagines quinque vrbium* scribentem. Tertiò, Sixtia. Theodor. Pseudophilo transferunt *sedes aureas*, vti etiam transcripserant suprà cap. 5. 9. Vnde nostra sententia confirmatur ibidem expressa, quæ modo non displicet Mendozæ, scilicet sedes illas à Gethæis inuentas in mali sui leuamen non fuisse alias ab his, quæ modò referuntur, scilicet sedes aureas, hoc est, nates, seu anos ex aureo formatos, pro numine placando, quæ suprà per prolepsim, seu anticipationem referuntur, & fortè consilium hoc à Gethæis Sacerdotibus, & Diuinis excogitatum fuit, ideóque illis potissimùm adscribitur. Caietanus iuxta Chaldæum, *mariscas aureas* scribit; sunt autem mariscæ, vt suprà tradidimus, tubercula vlcerosa, seu papillæ, quibus ad os ani præpostera Venere vtentes, laborant. Sed potiùs standum Hebræo, & Græco iuxta Complut. Reg. & Sixtian. Denique Serarius ex Hebræo iuxta Vatablum *podices aureos* narrat, est autem podex os intestini recti, per quod fæces emittuntur. Sed Vulgata omnibus præferenda est *anos aureos* scribens, quod plerique Interpretum, vt debent, amplectuntur.

Literal. Autor Catenæ. *Ani aurei qui?* Ioseph. Sabellic. Sixtia. Theodor. Philo. Caiet. Compl. Regia. Sixtia. Serar. Vatab.

Quinque anos aureos facietis. Andræas Pint. lib. 3. in Cant. c. 7. v. 4. §. 2. Quomodo offeruntur iam Deo aureæ imagines priscæ fœditatis? Quid Arcæ Dei cum plagatis membris? aut vnde aurum in vulnerum fœditate? vnde tantis sordibus tanta pulchritudo? Repræsentabant hæc dona membra iam per pœnitentiam sanata; quidni aureo lachrymarum fluuio inaurata pulchritudini iam vt olim fœditati deferuirent?

14 *Et quinque mures aureos.* Greg. suprà. Mures etiam, qui terram demoliti sunt, de auro fieri iubentur, quia & immundi spiritus, qui carni nostræ corruptionis oblectamenta suggerunt, ad iustificationem nostram memorantur.

Mystice. Gregor.

15 *Quia plaga vna fuit omnibus vobis.* Franc. Mend. ibi §. 31. Quæres, cur Philisthini, sicut offerre iubentur, vnum munus pro depellendis morbis, & alterum pro depellendis muribus? non etiam offerebant tertium pro depellenda plaga suorum Deorum? Respondeo, vel ne suos Deos Deo Israëlis subiicere viderentur, quasi mallent suos Deos torqueri, quam humiliari. Vel quia magis curabant suarum diuitiarum iacturam, quàm suorum Deorum iniurias, ac proinde has facilè præteribant, illam auertere nitebantur.

Literal. Tropol. Mendoza. *Cur non offerunt hostiam pro Dii.*

16 *Quia plaga vna fuit omnibus vobis, &c.* Autor Catenæ. Ex eo, quòd in secunda persona Sacerdotes, & Diuini loquantur, colligit Caietanus exteros fuisse, & non ex Philisthæis. Non tamen rectè, quia sæpè is loquendi modus occurrit in Scriptura, vt notat Mendoza §. 39. infrà cap. 8. Samuel ad populum Israël de iure Regio pronuntians; *Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis: filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias: agros quoque vestros, & vineas dabit seruis suis.* Qui stilus consiliario potissimùm congruit, vt in consiliis

Literal. Autor Catenæ. Caietan. Mendoza. 1. Reg. 8.

redden

reddendis non sibi, non suis, sed consulentium saluti, & commodis consuluisse videatur. Ad hæc vers. 9. in prima persona loquuntur, *Fecit nobis.*

Chrys. Chrys. etiam hom. 23. in Matth. tom. 2. eos vocat *quinque illarum Pronunciarum Sacerdotes, atque Diuinos.*

Literal. Abul. 17 *Facietisque similitudines anorum vestrorum.* Abul. ibi quæst. 11. Reduplicatio est eiusdem sententiæ, dicitur autem de similitudinibus anorum, quia non possunt propriè figurari, sed loco illorum faciebant quidem circulos aureos, quia in hoc conformabantur in figura cum anis.

Literal. Mendoza. *Cur imagines oblatæ?* 18 *Facietisque similitudines anorum vestrorum.* Franc. Mend. ibi §. 28. Quæres, cur non potiùs aurum rude, vel saltem auream pecuniam, quam simulachra aurea offerri decreuerunt; præsertim cùm non ignorauerint lege Hebræorum omne sculptile, etiam reptilium seuerissimè prohiberi. Deuter. 4. 15. ac proinde non posse per hæc dona Deum Hebræorum placari, sed potiùs irritari? Respondet

Deuter. 4. Venetus. Num. 21 8. Georgius Venetus probl. 449. quia Sacerdotes, ac Diuini Philisthinorum, vel ex lege, vel ex Diabolo didicerunt Deum Israëlis aliquando placatum fuisse imagine serpentis in altum erecti. Vnde colligerunt, etiam nunc hisce imaginibus placandum.

Mystic. Gregor. 19 *Et dabitis Deo Israel gloriam.* Greg. suprà. Eis, quæ prædictæ sunt similitudines factis, Deo dare gloriam est, de studio boni operis & de æstimatione humilitatis in semetipso inaniter non gloriari, sed Dei omnipotentis laudibus omne, quod agitur, impendere.

Literal. Abul. 20 *Et dabitis Deo Israël gloriam.* Abulens. ibi quæst. 14. Idest dando istos mures aureos, & anos, honorabitis Deum Israël, quia confitebantur Philisthini potentiam Dei Israël, & quòd ab eo fuerant percussi.

Tropol. Gregor. *De venia non præsumendum.* Ionæ 3. 21 *Si forte releuet manum suam à vobis.* Gregor. supra. Quid aliud in hoc verbo dubitationis accipitur, nisi quia difficilis ostenditur reconciliatio criminosorum? Vnde & per Ionam dicitur: *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus?* Ionæ 3. Quia ergo si forte releuet manum suam, dicitur, commoueri ad pœnitentiæ lachrymas cum magna fortitudine debemus, quia & si hi, qui pœnitentiam austeram faciunt, vix fiduciam salutis inueniunt; negligentes salui fieri quomodò possunt?

Literal. Caiet. 22 *Si forte releuet manum suam à vobis.* Caietan. ibi. Tria perculsa colliguntur videlicet homines, Deum eorum, & terram, & hinc habetur quòd Sacerdotes isti, & Diuini accersiti ad dandum consilium non erant Philisthini, sed alienæ gentis; loquuntur enim ad Philisthinos in secunda persona, *super vos, super Eloe vestrum, super terram vestram.*

Mystic. Greg. 23 *Et à Diis vestris.* Greg. supra. A Diis, & à terra manus Domini releuatur, cum tam sapientes, quàm simplices ad certitudinem diuinæ indulgentiæ, aut occulto, & spirituali solatio, aut Prædicatorum iudicio reducuntur.

Literal. Menoch. 24 *Et à Diis vestris.* Menoch. in sua Bibl. Probabile enim est non Dagon tantum simulachrum, de quo dictum est *capite superiori*, sed alia etiam idola in aliis Satrapiis constituta, Arcæ aduentu corruisse.

Literal. Autor Catenæ. Origen. Mendoza. Carth. 25 *Et à Diis vestris.* Autor Catenæ. Hinc Origen. Mend. Carthus. Sanct. Cornel. Tirin. Menoch. & alij colligunt non solum Dagonem contritum, & prostratum fuisse ingressu Arcæ; sed & Deos alios, in quorum vrbes, vel fana Arca inuehebatur.

Orig. hom. 16. in Numer. *Cultus ipse Dæmonum destruebatur, vtpote simulachris eorum, Templisque ad ingressum Arcæ Domini corruentibus.* Non assentior tamen, sed potius Abulensi, Caiet. & Saliano, quia Hebræus Textus, eodem teste Caietano, numero singulari vtitur, *& à Deo vestro.* Secundo, quia licet plurali vtatur Vulgata, vnum pro altero numero vsurpat, vt etiam Origenes vsurpasse credendus est. Tertiò quia si testimonium Origenis admittitur, docet etiam Templa ad ingressum Arcæ corruisse, quod nec ex Scriptura, nec ex alio quouis veterum Interpretum constat; constaret autem res tanti ponderis, cùm minutissima quæque referantur de Dagonis ruina, & collisione.

Sanctius. Cornel. Tirin. Menoch. Abul. Caiet. Salian.

VERSVS VI.

Vulgata. Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor suum? Nónne postquam percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt? Vulgata.

Benedict. in margine. Nam cùm ageret eos, dimiserunt eos, & abierunt. Benedict.

Text. Gloss. in margine. Nónne postquam factum est in eas dimiserunt? Gloss.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Et ait: Quid aggrauatis cor vestrum, quemadmodum aggrauauerunt Ægyptij, & Parhoh cor suum? Nonne quando operatus est in eos, dimiserunt eos, & abierunt? Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Cur induratis cor vestrum, quemadmodum Ægyptij, & Pharao ipse indurauerunt cor suum? An non cum illusisset eis, tandem dimiserunt eos, vt abirent? Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et ad quid grauabitis corda vestra, quemdmodum aggrauauerunt Miszrei, & Pargho cor suum? An non sic vltus est ex eis, & postea dimiserunt eos, & abierunt? Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et quare aggrauatis corda vestra, vt aggrauauit Ægyptus & Pharao cor suum? Nónne quando illuserunt eis, miserunt eos, & abierunt? Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et vt quid aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor suum? Nónne quando illusit eis, dimiserunt eos, & abierunt? Sixtia.

Chrys. in Psalm. 135. Audi quæ dicant Vates Azotiorum. Hic est Deus fortis, qui percussit Ægyptum. Et quando illusit eis, tunc ipsos eduxit. Chrys.

Idem hom. 8. in cap. 2. Matth. tom. 2. Quare grauatis corda vestra, sicut grauauit Ægyptus, & Pharao cor suum. Non ne postquam illusit eis, dimiserunt populum suum, & abiit? Idem.

Procop. ibi. Quemadmodum ipse etiam Deus varias plagas Ægyptiis intulit. Procop.

Caietan. in comment. Nonne postquam operatus est, *vel* illusit, *vel* irrisit in eis, dimiserunt eos, & abierunt? Caiet.

PP. ET AVCTORES.

1 *Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus?* Gregor. lib. 3. Variar. expos. in 1. Reg. c. 4. Cor, vt Ægyptus, & Pharao Morat. Caietan.

aggrauat, qui iam cognitione sacri eloquij, vulnera peccatorum suorum intelligit, & tamen per meliorationem vitæ, per amaritudinem pœnitentiæ ad vera futuræ vitæ gaudia animum non intendit.

HISTOR. Comest. 2 *Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus.* Petrus Comest. in Histor. Scholastic. Dixerunt autem Sacerdotes, & Diuini: Cur aggrauatis cor vestrum, sicut Pharao, & Ægyptus? Remittite Arcam, sed non vacuam.

LITERAL. Abul. 3 *Quare aggrauatis corda vestra.* Abulens. ibi quæst. 14. In ista littera aliqui errant existimantes quod Sacerdotes, & Diuini iudicarent Arcam esse remittendam, & citò hoc faciendum esse. Sed falsum est, quia ipsi dubitabant an Arca esset causa horum malorum; ideò nolebant eam simpliciter dimittere, nec ad hoc hortabantur Satrapas Philisthinorum, sed solum vt facerent istam experientiam, quam ipsi dabant, per quam cognoscerent, an propter Arcam euenissent pestes istæ.

LITERAL. Caietan. 4 *Quare aggrauatis corda vestra.* Caietan. ibi Monitio hæc non indurandi cor respicit ad id, quod dixerant: *Date honorem Elohe Israël*; nisi enim difficiles existimassent, aut vidissent Philisthinos ad hanc humilitatem, vt darent honorem Elohe Israël, nequaquam monuissent eos, ne imitarentur Ægyptios, & Pharaonem.

TROPOL. Mendoza. *Correctio quatu.* Vatab. Pagn. Caietan. Actor 4. *Peccatores ad malum conformes.* 5 *Quare aggrauatis corda vestra.* Franc. Mend. ibi §. 1. Prudenter quidem nam prius leniter monuerant: postea grauiter obiurgarunt, vt qui blandis verbis non molliebantur, duris saltem frangerentur. Vatablus, Pagn. & Caietan. legunt in singulari cor vestrum. Nam sicut olim credentium Christianorum erat cor vnum, ad bonum. Actor. 4. ita etiam infidelium Philisthinorum erat cor vnum ad malum.

MORAL. Mendoza. 6 *Quare aggrauatis corda vestra.* Idem ibidem. Meritò dicuntur aggrauare, est enim peccatum graue pondus, sub quo homines obruuntur. Vnde Diuus Petrus antequam dubitaret, leuis super aquas ambulabat; cùm dubitare cœpit, grauis sub aquis mergebatur. *Matth.* 14.

Matth. 14.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. 7 *Quare aggrauatis corda vestra.* Auctor Catenæ. *Errant*, inquit Abulensis quæst. 14. *aliquie existimantes, quòd Sacerdotes, & Diuini iudicarent Arcam esse remittendam. Sed falsum est, nam ipsi dubitabant, an Arca esset causa horum malorum.* Hæc Abulensis. An verò ipse potiùs non errauerit, mihi in dubium venit. Vt quid enim cordis eorum duritiam præcauent Diuini, & cum Ægyptiaca proteruia conferunt? An Pharaonis obstinatio in eo sita fuit, vt experientias facere renuerit? An potiùs in eo quòd Hebræos dimittere reluctatus fuerit? Ergo cùm ipsorum obiurgant Satraparum duritiem, non ex eo est, quòd experimenta facere abnuant, sed quod Arcam dimittere nolint. Fundamentum etiam Tostati infirmum est, scilicet, quod *vers.* 9. dubitare se indicent Sacerdotes & rei veritatem experimento remittere. *versu etiam* 3. non Arcam remittendam, sed remissionis modum, si ableganda esset, edocuerint. Parum hæc conuincunt, cum Orator vt auditori persuadeat notitiam suam interdum prudenti consilio celet, nec sibi fidem dari, sed experimentis velit. Sic Præcursor Domini, dum suos ad Christum Discipulos legat, vt illum tanquam verum Messiam recognoscant, quasi dubius, seu ignarus interrogare eos iubet. *Tu es, qui venturus est, an alium expectamus?* Vt in cognitione Saluatoris, suæ ipsi experimentali notitiæ potiùs, quàm alieno testimonio crederent.

Matth. 11. 2.

8 *Sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao.* Chryf. homil. 8. in Matth. cap. 2. tom. 2. Est diuinitatis virtute dignum, non modò confidenter superare hostes verumetiam cum omni illos facilitate decipere. Sic enim & Ægyptios populi sui vtilitate seduxit. Cúmque palam in Iudæorum manus illorum posset transferre diuitias, occultè hoc magis fieri, ac decipiendo præcepit. Quod certè illorum apud inimicos non minus fecit, quàm alia signa, terribilem. Ascalonitæ certè, omnésque alij, quando Arcam Dei ceperunt, percussique plaga suaserunt ciuibus suis, ne pugnarent, neque se opponerent, cum cæteris mirabilibus hoc quoque in medium protulerunt dicentes: *Quare grauatis corda vestra, sicut grauauit Ægyptus, & Pharao cor suum? Nonne postquam illusit eis, dimiserunt populum suum, & abiit?* Hæc verò dicebant, cùm aliis palam editis signis nequaquam istud esse inferius iudicarent ad potentiam, & magnificentiam declarandam.

LITERAL. Chryf. *Deus delusit Ægyptios.*

MYSTIC. Gregor. 9 *Sicut aggrauauit Ægyptus.* Greg. suprà. Quid Ægypti nomine accipitur, nisi à Cœlorum sedibus Angelorum lapsa multitudo? Et quid in Pharaone Ægypti Rege nisi ipse tenebrarum Autor Diabolus designatur? Bene ergo dissimulatores pœnitentiæ Ægypto, & Pharaoni in cordis aggrauatione similantur. Reprobi quippe Angeli semel à cœlestibus lapsi, sicut amorem amissæ beatitudinis non recipiunt, ita & pœnitentiam agere de perpetrata superbia nunquam possunt.

LITERAL. Procop. 10 *Sicut aggrauauit Ægyptus.* Procop. ibi. Recentem illarum rerum memoriam fuisse sermones eorum testantur.

LITERAL. Brugens. *Palæstini Ægyptios deteriores.* Exod. 3. 11 *Sicut aggrauauit Ægyptus.* Paul. Burgens. in addit. ad cap. 12. Genes. Ægyptij diuinam prouidentiam aliqualiter fatebantur, promptius & humilius, quàm Philisthiim, qui videntes idola sua corruentia, & ipsos multipliciter à Deo plagatos propter detentionem Arcæ Domini adhuc nitebantur proteruire dicentes: *Ne quaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit.*

LITERAL. Chryf. 12 *Nonne postquam percussus est, &c.* Chryf. in Psalm. 135. Audi quid postea dicant Vates Azotiorum. *Hic est Deus fortis, qui percussit Ægyptum, & quando illusit eis, tunc ipsos eduxit.* Vides eos propter hoc ipsum contremiscere propter furtum, propter fraudem, qua eos circumscripsit.

LITERAL. Abul. 13 *Nonne postquam percussus est, &c.* Abulens. ibi quæst. 14. Quasi dicat: Non debetis ingrauare corda vestra sustinentes magno tempore pœnas, vt non dimittatis Arcam Domini, quia si Deus Israël ista agit, oportet vos ad extremum etiam inuitos dimittere Arcam, & tunc eritis nimis puniti. Sic enim factum est in Ægyptiis.

LITERAL. Caiet. 14 *Nonne postquam percussus est, &c.* Caietan. ibi. Si legitur *illusit*, diuinæ operationes significantur sub specie illusionis pro quanto Deus, vt etiam Moyses scripsit, ad instar illudentis Pharaoni differebat educere Israëlem de Ægypto inferendo tot plagas.

LITERAL. Author Catenæ. Chryfost. 15 *Nonne postquam percussus est, &c.* Autor Catenæ. Ex eo quod Græcus, & alij habeant loco *percussus est*, *illusit eis* contendit Chrysostomus supra relatus spoliationem vasorum factam

Ægyptiis

Ægyptiis per fraudem in causa fuisse, vt Pharao, ciuisque populus tandem dimitterent Hebræos. Chrysostomum modestè, & diserte impugnat Mendoza, cùm potiùs primogenitorum occisio ratio potissima fuerit, cum aliis quoque plagis antea perlatis. *Illusit* ergo non de spoliatione per fraudem, sed de inflictione plagarum intellige, vnde Pagninus, & Caietanus, ex Hebræo legunt: *Nonne postquam operatus est in eu*, scilicet calamitates, & ruinas.

Mend. Pagn. Caiet.

VERSVS VII.

Vulgata. *Vulgata.* Nunc ergo arripite, & facite plaustrum nouum vnum, & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi.

Benedict. *Benedictina in margine.* Duas vaccas lactantes. Et recludite vitulos earum in domum.

Gloss. *Text. Gloss. in margin.* Et recludite vitulos earum, sequentes eas ad domum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Et nunc tollite, & facite plaustrum nouum vnum, & duas vaccas lactantes super quas non ascendit iugum; & ligate vaccas in plaustro, & reducite filios earum, qui sunt post eas, ad domum.

Vatab. *Hebraic. ex Francisc. Vatabl.* Capite igitur, & facite plaustrum vnum nouum, & vacculas duas lactantes, quibus iugum nondum est positum. Iungite vacculas illas plaustro, reduciteque vitulos earum ab eis domum.

Arias. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et nunc accipite, & facite plaustrum nouum vnum, & duas boues lactantes, quæ non ductæ sunt in iugo, & ligabitis boues in plaustro, & reducetis filios earum de post eas intro.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et nunc accipite, & facite plaustrum nouum vnum, & accipite duas vaccas primò enixas sine filiis, super quas non est positum iugum, & iungite vaccas in plaustro, & filios earum ducite à tergo earum in domum.

Sixtin. *Græca ex Septuagint. in Sixtian.* Et nunc sumite, & facite plaustrum nouum, & duas vaccas primò enixas sine filiis, & iungite vaccas in plaustro & abducite filios à post eas in domum.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. Plaustrum quid?

1 *Nunc ergo arripite, & facite plaustrum nouum.* Greg. libr. 3. Variarum cap. 4. Quid plaustri nomine, nisi aut vniuersa simul sancta Ecclesia, aut vnaquæque cuiusque fidelis anima designatur? Cuius profectò rotæ plaustri sunt vtrumque Testamentum. Nam dum sancta Ecclesia, vel electa quælibet mens per vetus, & nouum Testamentum instructa ad æternam vitam nititur quasi sublimibus prælata rotis ad propositum locum per altum fertur.

Gregor.

2 *Plaustrum nouum.* Idem ibidem. Plaustrum nouum fieri præcipitur, vt videlicet qui ad æterna gaudia peruenire desiderat, per præceptum dilectionis noui hominis splendore vestiatur. Hoc quippe plaustrum innouari præcipiebat Dominus dicens: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, Ioan. 5. Hinc Paulus præcipit dicens: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem*, Ephes. 4. Ioann. 5. Ephes. 4.

3 *Facite plaustrum nouum.* Iosephus libr. 6. Antiquitat. cap. 1. His omnibus in loculum inclusis, & super Arcam impositis plaustrum ei nouum fabricari, vaccas deinde nuper enixas plaustro subiungi, inclusis domi earum vitulis, ne sint impedimento matribus, & fœtuum desiderio magis properarent: ipsas verò deduci in triuium arcam vehentes, atque ibi relinqui, vt quamcumque velint viam, ineant. **Histor. Ioseph.**

4 *Plaustrum nouum.* Glossa Ordinaria ibi. Plaustrum nouum, Crux Christi; Arca, Sacra Scriptura. **Mystic. Gloss.**

5 *Nunc ergo arripite & facite plaustrum nouum.* Abul. ibi. quæst. 14. Ideſt velociter facite: Arripere enim, pertinet ad aliquod, quod velociter & quasi sine deliberatione fit. Dicitur Plaustrum nouum, ad reuerentiam Arcæ. Intelligebant enim Philisthini se percussos à Deo Israel propter Arcam, ideo volebant eam honorabiliter reducere in terram suam. **Literal. Abul.**

6 *Nunc ergo arripite, & facite plaustrum nouum.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Nimirum ligna, & cætera instrumenta necessaria ad plaustrum fabricandum. Vel certe *arripere* est particula exhortatoria, sicut illa: *Venite faciamus lateres*, Genes. 11. *Venite*, & *arguite me* Isai. 1. **Literal. Mendoza.** Gen. 11. Isai. 1.

7 *Et facite plaustrum nouum.* Rangol. ibi. Nouum idcirco fieri præcipiunt, quòd indignum esse videatur, ea quæ iam profano vsu detrita sunt, diuino Numini consecrari. In eandem sententiam Christus Dominus, cùm rudes, & indoctos, rerúmque inexpertes Apostolos delegisset, quo factum probaret, asseruit ex hominum consuetudine vinum nouum in vtres veteres mitti non debere, ne vim æstúmque ferocientis musti ferre non possint. *Ecce*, inquit, *noua facio omnia.* Aut enim noua facit, cùm sit Autor originis omnium: aut siquid in iis, quæ dudum fecerat, vetustate collapsum est, priùs integritati restituit, quàm sibi adiungat. Vetustas animæ peccatum esse censetur, illius namque tabe conficitur, illius vitæ vires marcescunt, decorque omnis euanescit: At virtus perpetuò floret, & nouos semper fructus ex se fundit, nec annorum diuturnitate senescit, sed tanquam toto vitæ tempore adolescat, se ipsa semper præstantior euadit. **Tropol. Rangol. Renouatio mentis.**

8 *Et facite plaustrum nouum.* Guillielmus Estius in Biblia Magna Parisiens. Hoc consilium etsi ab idolorum Sacerdotibus, ac Diuinis datum, tamen instinctu Dei datum videtur, qui hoc modo voluit gloriam suam in reducenda Arca manifestari. Nam & Dæmones suis Ariolis aliquando hoc suggerunt, non quod ipsis gratum est, sed quod permittitur, vel iubetur à Deo. **Literal. Estius.**

9 *Et duas vaccas fœtas.* Chrysost. Hom. 6. in Matth. tom. 2. Tunc eorum respondere Vates, vt iuuencas indomitas adhuc, & pruniperas ad plaustrum iungerent, quo Arca veheretur, nullóque eas regente, quò vellent, ire permitterentur; sic apparituram esse dicentes, vtrum à Deo plaga illa venisset, an communi quodam casu morbus accidisset. **Histor. Chrysost.**

10 *Et duas vaccas fœtas.* Greg. suprà. Vaccæ sunt sancti Prædicatores, qui quia & gemino præcepto charitatis insignes sunt, & in noua conuersatione conuersorum animas gignunt, recte **Mystic. Greg.**

LITERAL. Mendoza.

2 *Et ponetis in plaustro.* Franc. Mend. ibi §. 1. Non dicunt & religate eam, sed absolutè: *& ponetis eam.* Credo non sine mysterio ad maiorem miraculi euidentiam, nam si non religata adhuc nihilominus staret, nullus de miraculo dubitandi locus superesset.

MYSTIC. TROPOL. Gregor. *Peccati memoria quàlis.*

3 *Et vasa aurea, quæ exsoluistis ei, &c.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 4. Quid est quod superiùs anorum & murium similitudines esse perhibuit; nunc vasa aurea appellauit? Sed ibi de eo quod arcæ pro peccato exsolui debebat, tractabatur: hic autem de arcæ remissione. Quid ergo est, quod res istæ eædem honestiori nomine exprimuntur, nisi quia peccata, quæ pœnitentiæ fletibus tersæ non sunt, in deformitate sua attentius videnda, atque lugenda sunt; ea verò quæ iam sunt diluta magnis fletibus non attendi, neque in deformitate sua respicienda, sed æstimatione humilitatis aliquando cogitanda.

LITERAL. Abul.

4 *Et vasa aurea, quæ exsoluistis ei, &c.* Abulens. ibi quæst. 17. In idiomate Hebræo vocantur vasa omnia supellectilia, & sic aliquando vocantur vasa belli, ideſt arma, vel vasa Psalmi, ideſt organa; & sic ista, quæ erant supellectilia, vocantur vasa.

TROPOL. Gregor. *Peccati memoria quàlis.*

5 *Ponetis in capsella.* Gregor. suprà. Bene in capsella ad latus Arcæ eadem vasa reponuntur; nam si Arca diuinæ cognitionis secretum insinuat ad latus vasa dependantur, quia dum altitudo diuinæ cognitionis mentem eleuat ad virtutem humilitatis infirma nostra præterita ad memoriam reducenda sunt. Non igitur ponenda sunt ante Arcam, nedum immoderatius infirma respicimus, attolli ad superna nequeamus.

LITERAL. Abul.

6 *Ponetis in capsella ad latus Arca.* Abulens. ibi quæst. 17. Non fuerunt posita intra Arcam Dei, quia Philisthini non ausi sunt aperire Arcam, vt ponerent intus vasa. Fecerunt igitur Philisthini capsellam, vt ponerent in ea vasa, & ista fuit posita ad latus Arcæ. Nam super Arcam poni putabant esse nefas: nec etiam ipsa vasa nuda ponerent super Arcam.

LITERAL. Mendoza. *Capsella quanta fuerit.*

7 *Ponetis in capsella ad latus Arca.* Franciſc. Mendoz. ibi §. 9. Aliqui vertunt *in cophino textili*, quem dicunt fuisse compositum ex capillis, qualem Græci vocant σαγήνην, hoc est sacculum, seu crumenam. Hanc capsellam tanti fecerunt Israëlitæ, vt in primo Templo simul cum Arca perpetuò conseruauerint, nec nisi cum Arca è Templo erepta fuerit impendente captiuitate Babylonica, vt Galatinus lib. 4. de Archan. cap. 9. ad finem refert ex lib. Ioma, vbi sic. *In Sanctuario secundo non fuit Arca. Traditio enim est, quòd ex quo abscissa est Arca, abscissa est cum ea vrna manna, & lenticula olei vnctionis, & virga Aaron, & amygdala eius, & flores eius, & capsella, quam miserunt Philisthæi munus Deo Israël.*

Galatin. Ioma.

TROPOL. Author Catenæ. Abul. *Hypocrita qualis.* Sabellic. Ioseph. Vulgata. Hebræus. Græcus.

8 *Ad latus Arca.* Autor Catenæ. Non intra Arcam dona reposuêre, vt ait Abulens. quæst. 17. *quia tunc Iudæi nescirent an aliqua munera obtulissent Philisthæi, cum Hebræi non essent aperturi Arcam*; quos quidem illi imitantur, qui opera sua, vt videantur ab hominibus, per hypocrisim efficiunt, non vni patri, *qui videt in abscondito*, consecrant; nec vni Deo placere student, sed inanem etiam hominum plausum aucupantur. Sabellicus Iosephum secutus non ad latus Arcæ, sed super eam dona imposita refert; nescio verò quî temeritatis notam effugiat, dum Vulgata, Hebræus, & Græcus *ad latus* expresserint.

TROPOL. Greg.

9 *Et dimittite eam, vt vadat.* Greg. suprà. Tunc competenter Arca dimittitur, cum id cui imponi debeat, plaustrum antè fabricatur. Cùm ei vasa argentea, quæ debentur pro peccato ex latere appenduntur; quia profectò tunc secura esse poterit vita liberè viuentis subditi, cùm renouatione interioris hominis custodire longo vsu didicerit; cùm ex vitæ puritate celsitudinem diuinæ eruditionis apprehenderit; ac inter dona sublimia, ea, quæ aliquando prauè egisse memorat, recolere ad humilitatem non negligit.

LITERAL. Abul.

10 *Et dimittite eam, vt vadat.* Abulens. ibi quæst. 17. Id est nullus dirigat vaccas in itinere. Nam si quis dirigeret illas, omnia illa supra posita nihil proficerent ad cognoscendum quod volebant Philisthini.

VERSVS IX.

Vulgata. VVlgata. Et aspicietis: & si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minimè: sciemus, quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïca ex Xante Pagnin.* Et aspicite: Si viam confinis sui ascendat in Bethsemes, ipsa fecit nobis omne malum grande hoc: sin vero: sciemus: quod non manus eius tetigit nos; sed accidens fuit nobis.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et videte, si via termini sui ascenderit in Bethsemes, ipse nos omni malo hoc ingenti affecit: sin minus; certi sumus manum eius nos non mulctasse, sed casu nobis hoc accidisse.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et prospicietis, si in via termini sui ascenderit ad Beth-semes, ab ante eum factum est nobis malum magnum hoc: & si non; & sciemus, quod non percussio eius accessit nobis casus ipse, qui fuit nobis.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et videbitis si in viam finis sui ibit contra Bethsames, ipse fecit nobis malum grande hoc: & si non, cognoscemus quod nequaquam manus eius tetigit nos, sed casus hic factus est nobis.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et abibitis, & videbitis: si viam finium suorum ibit post Bethsamys; ipse fecit nobis malum magnum hoc: & si non: & cognoscemus, quia non manus eius tetigit nos: sed accidens hoc euênit nobis.

Chryſ. *Chryſ. hom. 73. in Matth. tom. 2.* Ipse fecit nobis malitiam hanc magnam.

Author Catenæ. *Autor Catenæ.* Plures ex Interpretibus legunt iuxta Hebræum: ipsa fecit nobis, ideſt Arca. Sic Abulensis, Comestor, & alij.

PP. ET AVCTORES.

TROPOL. Greg.

1 *Et aspicietis, &c.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 4. Dimissam Arcam Prædicatores aspiciunt, vtrùm recto itinere contra Bethsames gradiatur, quia cùm proprio arbitrio dimittuntur subditi, explorare Prælati debent, an bonum libertatis ad profectum conuertant cœlestis itineris. Sed & cautè notandum est, quia tunc rectè contra Bethsames

Arca ascendit, cum confinium viam transgrediendo non deserit: confines etenim nostri sunt electi priores.

HISTOR. Ioseph. 2 *Et aspicietis, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 1. Vaccas deduci in triuium Arcam vehentes, atque ibi relinqui, vt quamcumque velint viam, ineant. Et si quidem ad Hebræorum regionem se verterint, ad eámque perrexerint, credere Arcam fuisse calamitatum causam: sin aliò deflexerint, retrahendas ex itinere indubitato argumento nihil in hac ineisse virium.

LITERAL. Theoph. 3 *Et aspicietis, & si quidem per viam.* Theophilact. in cap. 1. epist. ad Titum. Idem & Deus facit quod suis à consuetis & creditis attrahens vt Magos per stellam: Saülem per fœminam Pythium spiritum in se habentem, quia huic fœminæ ille fidem adhibebat: Et Vates à bobus trahentibus Arcam; non quod verum loquerentur Vates, sed vt suo eos ore arguat.

LITERAL. Abul. 4 *Et aspicietis, &c.* Abul. ibi quæst. 17 Idest ibitis sequentes eas, vt videatis quid faciunt, nam si non irent post eas, nescirent euentum rei; posset enim euenire, quod aliqui de Israëlis essent insidiantes circa locum, de quo Arca missa est, scilicet circa vrbem Acharin, & illi raperent vaccas cum Arca, duceréntque in terram suam.

HISTOR. Chrysost. 5 *Et si quidem per viam finium suorum ascenderit.* Chrysost. hom. 6. in Matth. tom. 2. Si inquiunt iugum præimperitia contriuerint, aut mugientes ad vitulos recurrerint, casu id factum esse manifestum est. Si verò recto itinere contenderint, neque mugitu vitulorum etiam affectæ, neque in aliam regionem ignotæ viæ errore detorserint, liquido patebit Dei manu has vrbes fuisse percussas.

MYSTIC. Gregor. 6 *Et si quidem per viam finium suorum ascenderit.* Greg. suprà. Quæ est via confinium, nisi afflictio temporalis? Hanc viam Bethsamis per semetipsum Dominus demonstrat dicens: *Arcta est via,* Matth. 13. *quæ ducit ad vitam.* Matth. 13. Hanc item commendat cùm Discipulos increpans ait: *O stulti, & tardi corde ad credendum! Nonne oportuit pati* Luc. 24. *Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24.

TROPOL. Greg. *Crescere in virtute.* 7 *Et si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames.* Idem ibidem. Quia non ire, sed ascendere dimissa Arca dicitur, altior via dimissis in libertate subditis, indicatur; quia per viam Bethsamis non rectè graditur, si non quotidie de bonis ad meliora proficitur. Ascendere enim meritis virtutum quotidie ad meliora proficere est.

LITERAL. Abul. *Bethsames quæ.* 8 *Et si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames.* Abul. ibi quæst. 17. Quia iste est primus locus terræ Israël ex illa parte Philisthinorum, scilicet apud vrbem Acharon. Est autem duplex ciuitas Bethsames in terra Israël. Prima est in sorte Iudæ, & ponitur in terminis eius, de Iosue 15. & 19. qua habetur *Iosue* 15. Alia autem est in sorte Isacar, de qua habetur *Iosue* 19. Hic autem accipitur de illa, quæ est in sorte Iudæ, quia sors Iudæ erat coniuncta terræ Philisthinorum.

LITERAL. Mendoza. *Ascendere quid.* 9 *Ascenderit contra Bethsamei.* Franc. Mend. ibi §. 2. Hoc est, si perrexerit etiam æquata, ac plana via. Sic enim verbum *ascendi* frequenter in sacris Litteris vsurpatur. Vel re vera. Si ascenderit per viam arduam, quia Palæstina cum fuerit maritima, humilior erat: Iudæa, vtpote mediterranea, erat Luc. 1. sublimior. Vnde Luc. 1. *Montana Iudæ* nominantur.

LITERAL. Chrys. 10 *Ipse fecit nobis hoc malum grande.* Chrys. homil. 25. in Matth. tom. 2. *Malitiam grandem.* Quinque illarum Prouinciarum Sacerdotes, atque Diuini quando arcæ subiunxerunt boues, permiserunt ire absque vitulis, illatas à Deo plagas & mœrorem illum, ac dolorem, quem ex earum afflictionibus sentiebant, malitiam nominabant.

LITERAL. Idem. 11 *Ipse fecit nobis hoc malum grande.* Idem homil. 3. in cap. 2. epist. ad Titum. Rursùs in Arca Dei cùm fuisset ab alienigenis capta, maximísque plagis gens illa diuinitus percussa esset, dum remittendi consilium inirent: si hanc, inquiunt, semitam vaccæ perrexerint, vera est Dei indignatio, quemadmodum suggesserant Vates. Num vero Vates vera prosequuntur? Absit, sed Deus eos suo ore corripuit, atque redarguit.

HISTOR. Iustin. 12 *Ipse fecit nobis hoc malum grande.* Iustin. Mart. Dial. cum Triphone prope finem. Scitis cum Tabernaculum testimonij ab hostibus Azotiis raptum, atque illi plaga horrenda, & insanabili affecti essent, consilium eos cepisse, vt id super curru imponerent periculi faciendi gratiâ, an virtute Dei propter Tabernaculum plaga percussi essent, & Deus ideo reductum vellet, vnde raptum fuerat.

LITERAL. Caiet. 13 *Ipse fecit nobis hoc malum grande.* Caietan. in comment. Connumerant Sacerdotes, & Diuini se ipsos patientibus ratione amicitiæ. Et diuino factum est nutu, vt humana præsumptione statuerent sibi ipsis signum discernendi Autorem plagarum illarum, an fuerit Deus Israël, an casu euenerint istæ plagæ simul cum Arca Dei.

LITERAL. Author Catenæ. 14 *Ipse fecit nobis hoc malum grande.* Autor Catenæ Ipse, ideſt Deus Hebræorum, quem Arcam ipsam Philisthini credebant; quod magis exprimunt Comest. & Abul. legentes *ipsa*, fœmineo genere, ideſt ipsa Arca.

MYSTIC. Gregor. 15 *Sin autem, minimè: sciemus, &c.* Greg. suprà. Manus Domini quid est, nisi vnigenitus Patris æternus? Manu namque Domini non tanguntur, qui non inspiratione diuini Verbi, sed subita deliberatione cordis sui à pristina conuersatione separantur. Qui certè tantò celerius ab incœpta bonitate deficiunt, quantò quod per arctam viam ingredi ad æternam patriam proposuerant, qua fortitudine exequendum esset, præcogitare nescierunt.

LITERAL. Abul. *Philisthini an peccauerint.* 16 *Sin autem minimè: sciemus, &c.* Abulens. ibi quæst. 18. Isti Philisthini non peccauerunt quantum ad hoc, quia isti nesciebant, an Deus Israël esset Deus verus; sed existimabant eum esse, sicut vnum de Diis Gentium; tentare autem tales Deos peccatum nullum est, quoniam illi Dij non sunt, ideò nec offendi possunt.

VERSVS X.

Vulgata. VVlgata. Fecerunt ergo illi hoc modo; & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulósque earum conclusérunt domi.

Benedict. & Text. Gloss. in margine. Benedict. Glossa. Vitulósque earum duxerunt in domum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xantes Pagn.* Feceruntque viri sic: & tulerunt duas vaccas lactantes, & ligauerunt in plaustro, & filios earum adduxerunt in domum.

Vatab. *Hebr. ex Franc. Vatab.* Fecerunt ergo viri illi sic: tollentes duas vacculas lactantes, iunxeruntque eas plaustro, vitulósque earum domi incluserunt.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et fecerunt viri sic, & acceperunt duas vaccas lactantes, & ligauerunt eas in plaustro, & filios earum clauserunt in domo.

Græc.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et fecerunt Philisthiim sic: & acceperunt duas vaccas primò enixas, & iunxerunt eas in plaustro, & filios earum recluserunt domi.

Sixtin. *Græc. ex Septuag. in Sixt.* Et fecerunt alienigenæ sic: & sumpserunt duas vaccas primò enixas, & iunxerunt eas in plaustro, & filios earum abstraxerunt in domum.

PP. ET AVCTORES.

Histor. August. 1 *Fecerunt ergo illi hoc modo.* August. lib. 2. de Mirabilib. Sacræ Scripturæ tom. 5. vel illius operis Autor. Quapropter Arcam plaustro nouo impositam duabus fœtis vaccis vehendam, quæ iugum antea non cognouerunt, teneris domi vitulis mugientibus ad fines suos redire Arcam permiserunt.

Histor. Philo. 2 *Fecerunt ergo illi hoc modo.* Pseudophilo in Antiq. Bibl. Et congregati sunt omnes Allophili, & reduxerunt arcam in Silon cum tympanis & tibiis & choris, & proripientibus pessimis quæ exterminauerunt eos, fecerunt sedilia aurea & sanctificauerunt arcam. Et factum in ea exterminatione Allophilorum numerus earum quæ in vtero habentes mortuæ sunt LXXV. M. & lactentes LXV. M. & earum quæ lactabant LV. M. & virorum XXV. M. & quieuit terra septem annis.

Mystic. Tropol. Beda. 3 *Fecerunt ergo illi hoc modo.* Beda lib. 1. Expos. Allegor. c. 11. Fecerunt Philisthiim de Arca secundùm consulta Sacerdotum suorum, & Diuinorum. Fecerunt & facturi sunt de Ecclesia fideles eius dispensatores iuxta prælagia vel futura præcedentium Sacerdotum, & Prophetarum. Faciamus & nos de correptione, vel nostra, vel proximi, videlicet Ecclesiæ membrorum iuxta imperium Magistrorum spiritualium.

Histor. Ioseph. 4 *Fecerunt ergo illi hoc modo.* Iosephus lib. 6. Antiquit. c. 1. Hoc consilium omnibus calculis est approbatum; quod mox opere sunt executi, & paratis quæ diximus, productóque in triuio plaustro, ac ibi relicto ipsi retrorsum discesserunt.

Literal. Abul. 5 *Fecerunt ergo illi hoc modo.* Abul. ibi. q. 18. Id est Satrapæ Philisthinorum, quia isti consuluerunt Sacerdotes, & Diuinos.

Histor. Naucl. 6 *Fecerunt ergo illi hoc modo.* Ioann. Naucler. volum. 1. Generat. 32. Huic consilio obedientes Azotij Arcam Domine vaccarum fœtarum iugo imponunt, eásque educunt.

Tropol. Mendoza. *Obedientia actus prudentia.* 7 *Fecerunt ego illi hoc modo.* Francisc. Mend. ibi. §. 1. In Hebræo est: *Fecerunt ergo viri.* Quod est nomen prudentiæ, & virtutis, vt quantam præstiterint in imperiis suorum Sacerdotum exequendis ostenderetur.

Literal. Author Catenæ Naucler. 8 *Fecerunt ergo illi hoc modo.* Autor Catenæ. Naucler. supra. Eos, qui Sacerdotum dicto paruerunt hoc loco Azotios vocat. Nescio quo fundamento. Cur enim potiùs Azotiis, quam Gethæis, aut Acharonitis adscribendum, cùm de illis, qui Sacerdotes, & Diuinos consulebant, ita fecisse Textus asserat; non autem soli Azotij conuenerant in consilium capiendum? Nisi dixeris eos potiùs Arcæ remissioni institisse, qui priores receperant, & priùs percussi plagis fuerant, vt qui in culpa præcesserant, in pœnitentia præirent.

Tropol. *Prior in culpa præest in pœnitentia.*

Histor. August. 9 *Et tollentes duas vaccas, &c.* August. lib. 10. de Ciuit. Dei, c. 17. tom. 5. Deinde Philisthini prodigiis acti, deformiúsque puniti Arcam diuini testimonij populo vnde ceperant, reddiderunt. Ipsa autem redditio qualis fuit? Imposuerunt eam plaustro, eíque iuuencas à quibus vitulos sugentes abstraxerant, subiunxerunt; & eas quò vellent ire, siuerunt, etiam hinc vim diuinam explorare cupientes.

Histori Eucher. 10 *Et tollentes duas vaccas, &c.* Eucher. seu potiùs Autor Commentar. in libr. Regum cap. 7. Cùm de terra Philisthiim Arca Domini ad terram Israelitarum rediret, plaustro superposita est, & vaccæ plaustro subiunctæ sunt, quæ fœtæ fuisse memorantur, quarum filios clauserant domi.

Literal. Mendoza. 11 *Et tollentes duas vaccas, &c.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Plaustrum nouum fecerunt; quamuis id hoc loco prætermittatur. Credo breuitatis causa, ac de more Scripturæ, vbi aliquando quæ facienda dicuntur, postea tacentur, quasi reuera facta supponantur. Quo pacto Rebecca statuit filium suum Iacobum ex Mesopotamia reuocare. Genes. 23. nec postea reuocasse memoratur. Gen. 23.

Literal. Mendoza. 12 *Vitulosque earum recluserunt domi.* Idem ibidem §. 2. Aduerte vitulorum stabulum, seu præsepe tam hic, quàm v. 7. domum appellari, nequis putet Magos Reges intrantes *domum* Matth. 2. ad Verbum infantem recens natum adorandum, stabulum, seu præsepe non intrasse. Nam & hoc in sacris Litteris *domus* nomine significatur. *Domus quid?* Matth. 2.

Literal. Author Catenæ. Serar. Mendoza. 13 *Vitulosque earum recluserunt domi.* Autor Catenæ. Ex phrasi Septuaginta in Sixt. & aliis datur colligi non solum vitulos in stabulis esse relictos, sed etiam cum matribus antea adductos. Deinde eo ipso tempore quo fugebant vaccarum matrum vbera, vi abstractos fuisse, & in præsepia, ipsis matribus circumspicientibus, & dolentibus, reductos; vaccas verò continuò in viam contrariam à Satrapis actas, quod etiam diserté annotarunt Serarius, & Mendoza. *Vituli quando retracti.*

VERSVS XI.

Vulgat. VVlgata. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos, & similitudines anorum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Posuerúntque arcam Domini in plaustro, & capsam, & mures aureos, & imagines anorum suorum.

Vatabl. *Hebraica ex Francisc. Vatab.* Porro Arcam Domini imposuerunt plaustro, arculam quoque cum muribus aureis, atque cum imaginibus colorum suorum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et posuerunt Arcam Domini in plaustro & capsam, & mures auri, & figuras matisarum suarum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et posuerunt Arcam Domini super plaustrum & capsellam, & mures aureos & similitudines anorum suorum.

Sixtin. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et posuerunt arcam Domini super plaustrum & capsulam Ergab & mures aureos.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Theodor. 1 *Et posuerunt arcam Domini super plaustrum.* Theodor. ibi. q. 13. In triuio autem absque auriga dimissis vaccis expectabant, vt viderent, an

ad vitulorum mugitus reuertantur, an ad aliam viam declinarent.

HISTOR. Ioseph. 2 *Et posuerunt arcam Domini super plaustrum.* Ioseph. libr. 6. Antiquitat. cap. 1. Productoque in triuium plaustro atque ibi relicto, ipsi retrorsum discesserunt.

MYSTIC. Angelom. *Plaustrum Crux Christi.* 3 *Et posuerunt arcam Domini super plaustrum.* Angelom. in Stromatib. Plaustrum illud in quo arca gestabatur crucis Christi innuebat mysterium. Vnde & veritas ait: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

TROPOL. Berchor. *Prælati mali quos eligant.* 4 *Et posuerunt arcam Domini super plaustrum.* Petrus Berch. lib. 9. Moral. c. 6. Philisthæi sunt mali Superiores, qui reuera ad trahendum plaustrum arcæ Domini, ideſt ad regendam Ecclesiam Dei, seu obtinendum Ecclesiastica beneficia, non alligant, nec promouent hodie, nisi vaccas, ideſt nisi personas carnales, & luxuriosas, qui scilicet vitulos & filios & concubinas domi habent propter quorum affectum mugire, loqui, & curam gerere nusquam cessant.

HISTOR. Abul. 5 *Et posuerunt arcam Domini super plaustrum.* Abulens. ibi. q. 18. Scilicet disponentes eam ne caderet, colligantes ipsam, facilè enim erat ipsam cadere, potissimè cum vaccæ essent nouiter iugo subiectæ, & verisimile esset, quòd calcitrarent. Sic enim cùm conaretur Dauid portare arcam Dei de Gabaa in Ierusalem, atque portaretur plaustro, boues calcitrantes declinauerunt eam, ita vt ruitura videretur. Oza autem volens eam tenere applicuit manum, & mortuus est. *Infra, c. 6. lib. 2.* Maximè autem nunc debebat conuenienter ligari, quia nullus iturus erat cum Arca, qui tenere posset eam, si ruitura videretur; sed Satrapæ sequebantur eam retrò distantes à plaustro, vt patet in Littera *infra.*

TROPOL. Mendoza. *Obedientes viri sunt.* 6 *Et posuerunt arcam Domini super plaustrum.* Franc. Mend. ibi. §. 2. Philisthini & facto, & animo suis Vatibus obtemperarunt, etiam Arcam, quam maximè retinere cupiebant ex eorum consilio remittentes, in cuius testimonium laudis superiori numero *Viri* appellantur; ne quis putet Prælatorum suorum decretis ex animo obtemperare puerile esse, cùm maximè virile censatur.

TROPOL. Idem. *Mali Prælati quales?* 7 *Et posuerunt arcam Domini super plaustrum.* Idem ibid. §. 3. Sacerdotes quia Arcam quam suis humeris religiosè portare debuissent, in plaustro superstitiosè imponi voluerunt, adumbrant hac in re illos, qui, vt loquitur Christus Dominus: *alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere.* Matth. 23. Matt. 23. parùm curantes an subditi tanquam boues Philisthinorum mugiant, & obmurmurent, dummodò portent; cùm tamen etiam iniustis subditorum obmurmurationibus aliquando cedendum

Exod. 18. 8. sit exemplo ipsius Dei, qui murmurationes, ac si essent orationes, aliquando exaudit.

LITERAL. Aut. Caten. Abul. Mendoza. *Arca an ligata fuerit?* 8 *Et posuerunt arcam Domini super plaustrum.* Autor Catenæ. Religatam, ne rueret, credit Abul. nexibus absolutam sibi habet Mendoza. Neutram constat. Sed Abulensis existimatio mihi probabilior est; neque enim est fundamentum, vt credamus in hoc etiam, experimentum diuinæ virtutis eos accipere voluisse, cùm sufficientissimum esset, si vaccæ iugo insuetæ, & à vitulis abstractæ nouam viam meditarentur in Bethsames, stabulis, fœtibusque posthabitis. Quod si hoc etiam periculum feciſſent, & vt existimauerant, euenit, vt nimirum Arca funibus expedita non ruerit, rem tanti momenti Canonicus Scriptor, aut saltem Ioſephus non prætermisisset.

9 *Et capsellam, qua habebat mures aureos, &c.* Aug. seu Autor lib. 2. de Mirabilib. sacræ Scripturæ cap. 7. tom. 3. Quinque mures & totidem anulos aureos indices plagarum suarum, ne eam vacuam remitterent iuxta eam in capsella posuerunt. Sed in his multiplex figurarum intelligentia latet, quæ proprij operis industria, & tempore indiget, & otio. HISTOR. August.

VERSVS XII.

VVlgata. Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad sinistram: sed & Satrapæ Philisthiim sequebantur vsque ad terminos Bethsames. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et direxerunt se vaccæ per viam, iuxta viam Bethsemes, via eadem perrexerunt pergendo, & mugiendo, & non declinauerunt ad dexteram, & ad sinistram: Satrapæ verò Pelisthinorum ibant post eas, vsque ad terminum Bethsemes. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Vaculæ ergo rectà per viam incedebant, per viam scilicet, (quæ ducebat ad Bethsames;) & quidem eadem semita incedebant eundo, & mugiendo, itaut neque ad dexteram, neque ad sinistram deflecterent. Sed & Satrapæ Palæsthinorum sequebantur eam vsque ad limitem Bethsames. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et verterunt se boues in via super viam Bethsemes in strata vna, & iuerunt eundo, & mugierunt, & non diuerterunt ad dexteram, & ad sinistram. Et Tyranni Pelisthæorum ambulantes post eas vsque terminum Bethsemes. Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia. Et direxerunt vaccæ in via in viam Bethsames, in semita, in qua ibant, laborabant, & non declinabant ad dexteram, neque ad sinistram, in itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes. Et Satrapæ Philisthiim ibant post ipsos vsque ad terminos Bethsames. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixt. Et direxerunt vaccæ in via ad viam Bethsamys: in semita vna ibant, & laborabant, & non declinauerunt à dextera, neque à sinistra. Et Satrapæ alienigenarum ibant post eam vsque ad terminos Bethsamys. Sixtin.

Lira. in Moral. Pergentes, & cantantes. Lira.

Caiet. ex Hebr. Et direxerunt se vaccæ in viâ, quæ ducit Bethsemes: itinere vno iuerunt eundo, & mugiendo, & non declinauerunt ad dexteram, & ad sinistram. Et Satrapæ Pelisthinorum iuerunt post eas vsque ad terminos Bethsemes. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

1 *Ibant autem in directum vaccæ.* Chrysost. in Ps. 131. Magnam Deus potentiam per Arcam ostendit semel, & bis, & sæpenumerò, vt quando capta ab Azotiis simulachra deiecit: quando eos, qui ceperant, percussit: quando ea reddita, vt plaga cessaret, fecit. HISTOR. Chrysost.

2 *Ibant*

LITERAL. THEOPOL. Idem.

2 *Ibant autem in directum vaccæ.* Idem Hom.6. in Matt. tom.2. Quoniam igitur Vatibus ista dicentibus illarum regionum populi crediderunt, eorumque impleuere præceptum, Deus quoque Vatum secutus est sententiam, iterum condescendens: nec maiestate sua putauit indignum, in effectum operis præsagium Vatum perducere; idque agere, vt illi fideliter viderentur ista suasisse. Nam quod per se præclarum in eos edidit opus, eo maius fit, quod ipsi quoque aduersarij diuinæ potentiæ testimonium perhibent; & quod ipsorum quoque Magistri consonant, fecerunt de veri Dei potestate sententiam.

HISTOR. August.

3 *Ibant autem in directum vaccæ.* August.lib.10. de Ciuit.Dei cap.17.Vaccas, quo vellent ire, siuerunt, etiam hinc vim diuinam explorare cupientes. At illæ sine homine, duce, atque rectore ad Hebræos viam pertinaciter gradientes, nec reuocatæ mugitibus elurientium filiorum, magnum Sacramentum suis cultoribus reportarunt. Hæc atque huiusmodi Deo parua sunt, sed magna terrendis salubriter, eruiendisque mortalibus.

HISTOR. Seuer.

4 *Ibant autem in directum vaccæ.* Seuer.Sulpit. lib.1.Sacræ Histor.tom.5. Bibliot.PP. Colonien sis. Ann.1618. Illud mirabile; quòd cùm oneri boues fœminas subiecissent, vitulosque earum domi retinuissent, iter nullo ducente in Iudæam pecudes direxerunt, non reuocante affectu fœtus relicti. Cuius rei miraculo Reguli Allophylorum vsque in fines Hebræorum Arcam secuti religiosum officium præstiterunt.

LITERAL. Origen. *Vnus quis dixerit.*

5 *Ibant autem in directum vaccæ.* Origen.Hom. 16.in cap.23.Numer.Quis ergo in his, si diligenter inspiciat, præscientiam hanc, quæ de boum directione præacta est, vel fortuitam dicat, vel aliqua ante compositam, & non operatione quadam Dæmonum ministratam? Qui pertimuerunt Arcæ Dei virtutem, qua non solùm affligebantur, & puniebantur Allophyli, verum etiam cultus ipse Dæmonum destruebatur, vtpote simulachris eorum, Templisque ad ingressum Arcæ corruentibus.

HISTOR. Tosеph.

7 *Ibant autem in directum vaccæ.* Ioseph. lib.6. Antiq.cap.7. Vaccis veram viam ingressis, & rectam, non aliter quam si deducerentur tendentibus, Principes Palæstinorum sequebantur cupientes cognoscere, quò peruenirent, & vbi plaustrum sisterent. Vicus est quidam in Tribu Iuda nomine Bethsama; huc postquam venerunt vaccæ, tametsi pulchram planitiem ante se se haberent, vlterius tamen non sunt progressæ, sed ibi plaustrum statuerunt.

MYSTIC. Blesens. *Vaccæ, Doctores.*

7 *Ibant autem in directum vaccæ.* Petrus Blesens. in festo omnium Sanctor. Serm.34. Vaccæ, quæ traxerunt plaustrum nouum mugientes vsque ad agrum Iosue Bethsamitæ, sunt Doctores Ecclesiastici, qui mugitibus suis replent cardines terræ, donec Ecclesiam, quam volunt non dedignantes ad dexteram, neque ad sinistram in agrum Iosue introducant, scilicet donec fideles fiant *hæredes Dei, cohæredes autem Christi.*

MYSTIC. Rupert.

8 *Ibant autem in directum vaccæ.* Rupert.lib.1. Comment. cap.15. Quid vaccæ nisi fideles quosque in Ecclesia designant: qui dum sacri eloquij præcepta considerant, quasi supertmpositam Domini Arcam portant.

MYSTIC. Beda.

9 *Ibant autem in directum vaccæ.* Beda lib.1. Expos it. Allegor.cap.11. Vno, eodemque fidei, & veritatis calle gradiebantur, gementes quidem quasi homines, separari se ab his, quos diligebant; libentius tamen eos, vbi necessitas ingruerit, quàm iustitiæ viam deserentes, ardentiùs ad victimam passionis pro Arca Domini properantes, quàm fletu filiorum Arcam deponere consentientes.

HISTOR. Cedren.

10 *Ibant autem in directum vaccæ.* Georgius Cedrenus in Annalibus. Vaccæ nemine dirigente viam confecerunt, fecitque hoc Israëlitico Populo honori, cùm Barbari, re visa, magno metu percellerentur.

MYSTIC. Hugo Vict.

11 *Ibant autem in directum vaccæ.* Hugo Victorin.apud Tilman.in Allegor. Vaccæ Arcam superimpositam gestantes, & mugientes recto itinere Bethsamis vadunt, quando fideles legis diuinæ meditationem iugiter in corde suo portantes, per viam boni operis ad cælestem patriam tendunt, & pergentes pro his, quos adhuc carnalis affectus in hoc mundo obligat, mugitus compassionis edunt, qui nec propter compassionem à recto itinere declinant.

MORAL. Innocent.

12 *Ibant autem in directum vaccæ.* Innocent.III. Serm.2.de S. Ioann. Baptis. Grauis est pugna, sed grandis est victoria, quando contendunt adinuicem carnalis, & spiritualis affectus. Si spiritualis vincit in hac pugna carnalem, tunc vtique vaccæ feræ, quæ vitulos domi reliquerant, plaustrum nouum trahentes, quo Arcam Domini superimpositam sibi portant, in directum procedunt per viam, quæ ducit Bethsames, & vno itinere gradiuntur pergentes, & mugientes, vt nec ad dexteram, nec ad sinistram declinent. A talibus ergo regnum Cœlorum vim patitur.

LITERAL. Theodor.

13 *Ibant autem in directum vaccæ.* Theodor. ibi. quæst. 13. Plaustrum quod à nullo homine regebatur, habebat Arcam, & onus, & aurigam.

MYSTIC. Angelom.

14 *Ibant autem in directum vaccæ.* Angelom. in Stromatib. Quid vaccæ Allophylorum gestantes Arcam Dei, nisi figuram Sanctorum, ac fidelium renuntiantium sæculo præfigurabãt, qui nullum delicti iugum traxerunt, neque vllo parentelæ studio à proposito religionis præpediuntur, neque opere? sicut per Moysem de talibus dicitur, *Qui dicunt patri suo, & matri: nescio vos, & nescierunt.* Deuter.33.

Deuter.33.

MYSTIC. Berchor. *Vacca quid.*

15 *Ibant autem in directum vaccæ.* Berchor.lib. 9.Moral.cap.6. Per Bethsames, quæ interpretatur *Dies solis*, intelligo paradisum, vbi Sol iustitiæ Christus regnat Isaiæ.19. *Ciuitas Solis vocabitur.* Per istas vaccas Religiosos, & Catholicos accipio, qui scilicet, iugo Domini sunt superpositi, & ad plaustrum Religionis, & Ecclesiæ corrigiis votorum, & statutorum ligati. Per vitulos, istorum parentes assumo, qui scilicet in domo, ideſt in sæculo remanserunt, & ab istis, dum erant cum ipsis, lactari, & fœtari consueuerant. Igitur sit veritas, quod postquam vaccæ, ideſt Religiosi, & Clericiad plaustrum religionis sunt ligati, & ad Dei seruitium ordinati, & ad defendendam Arcam, ideſt fidem, & regulam deputati; necnon ad eundum in Bethsames, ideſt in domum Solis, iustitiæ paradisum, specialiter combinati directè, & iuste per viam iustitiæ debent ad istam ciuitatem incedere, nec ad dexteram per amorem delectabilium, nec ad sinistram per timorem terribilium debent de via diuertere.

MYSTIC. Bonauen.

16 *Ibant autem in directum vaccæ.* Bonau. in Psalm.118. vers.5.art.4. Per vaccas, quæ inter animalia mundi deputantur, affectiones mundæ denotantur, per quas portatur Arca fœderis, ideſt anima fidelis fœderata cum Deo fœdere charitatis. Bethsames interpretatur *Domus illuminationis*, ideſt domus cœlestis. Tunc itaque in directum

vadunt

vadunt vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, cùm mundæ affectiones ſpiritualem animam deportantes directè vadunt per viam contemplationis, quæ ducit ad domum illuminationis.

LITERAL. Serar. 17 *Ibant autem in directum vaccæ.* Serar. in Comment. Vaccæ in Bethſames agrum venerunt Deo ſcilicet, bonisque Angelis ducibus, quemadmodum etiam factum poſtea eſt in Sancti Columbani Hiſtoria.

LITERAL. Mendoz. Chald. Septuag. Caiet. 18 *Ibant autem in directum vaccæ.* Franc. Mendoza ibi. §. 1. Plus aliquid exprimit Chaldæus transferens. *Verterunt ſe boues in via ſua per viam Bethſames.* Seu vt transferunt Septuaginta *Direxerunt ſe vaccæ in via ad viam Bethſames.* Nempe *direxerunt ſeipſas*, vt addit Caietanus, & eſt ſenſus: Philiſthiim collocarunt vaccas auerſas à Iudæa, & conuerſas in Palæſtinam, vt faciliùs in hanc, quàm in illam graderentur, præſertim cùm ſic ante oculos haberent ſuos vitulos, quos vt ſuperiori numero iuxta Septuaginta diximus, à ſeipſis in caulas per violentiam abduci conſpiciebant, & nihilominùs illæ ſe à Palæſtina in Iudæam conuerterunt, vt in hanc potiùs abirent.

LITERAL. Hieron. *Bethſamis quæ?* 19 *Per viam, qua ducit Bethſames.* Hieron. lib. de locis Hebraicis. Bethſamis ciuitas ſacerdotalis in Tribu Beniamin, quæ vſque hodie demonſtratur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim in decimo milliario contra Orientalem plagam. Bethſamis altera in Tribu Nephtalim in qua & ipſi cultores priſtini permanſerunt.

MYSTIC. Beda. Ioan. 14. & 18. 20 *Per viam, qua ducit Bethſames.* Beda ſuprà. Ibant in directum Doctores per Chriſtum, qui ducit ad regna cœlorum. Via quippe Bethſames, ideſt *domus Solis*, ipſa eſt quæ dicit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Ioann. 14. & alibi. *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Ioan.

LITERAL. Procop. 21 *Per viam, qua ducit Bethſames.* Procop. ibi. Deus Ariolorum ſententiæ obſecundauit, vt ipſi etiam hoſtes virtuti diuinæ teſtimonium perhiberent, & Magiſtri ipſorum de hac re ſententiam ferrent.

MYSTIC. Rupert. Malach. 4. 22 *Per viam, qua ducit Bethſames.* Rupert. ſuprà. Bethſamis *Domus Solis* interpretatur, & Propheta ait: *Vobis autem, qui timetis Dominum, orietur Sol iuſtitiæ.* Malach. 4. Si igitur ad æterni Solis habitationem tendimus, dignum profecto eſt, vt de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus. Tota enim virtute penſandum eſt, quòd vaccæ Dei plauſtro ſuppoſitæ, pergunt & gemunt: dant ab intimis mugitus, & tamen de itinere non retorquent greſſus. Amorem quidem per compaſſionem ſentiunt, ſed colla poſteriùs non reflectunt. Sic nimirum Prædicatores Sancti, ſic fideles quippe eſſe debent intra Sanctam Eccleſiam, vt compatiantur proximis per charitatem; & tamen de via Dei non exorbitent per compaſſionem. *Eadem verba habent* Gregor. *trom. 37. in Euang. & lib. 7. Moral. cap.* 18. Eucher. Angelom. & Paterius.

Greg. Eucher. Angelom. Paterius.

MYSTIC. Angelom. 23 *Per viam, qua ducit Bethſames.* Angelom. in Stromatib. Bethſames *domus Solis* interpretatur. Sed nunc quæ alia poteſt in hoc loco eſſe domus Solis, niſi Sancta Eccleſia à Sole iuſtitiæ illuſtrata.

LITERAL. Comeſt. 24 *Per viam, qua ducit Bethſames.* Comeſt. in Hiſtor. Scholaſtic. cap. 7. Hæc eſt vna Sacerdotalium ciuitatum in Tribu Beniamin. Eſt altera Bethſames in Tribu Nephtali.

MYSTIC. Lauret. 25 *Per viam, qua ducit Bethſames.* Hieron. Lauret. in Silua Allegor. Bethſames typum gerit cœleſtis patriæ, in quam deportatum eſt corpus Chriſti, & Beatæ Virginis Mariæ. Deſignat etiam internam lucem ad quam perueniunt ferentes Arcam Domini.

LITERAL. Author Catenæ. *Bethſames quadruplex.* 26 *Per viam, quæ ducit Bethſames.* Author Catenæ. Quantum coniicio, quadruplex diſſinitur Bethſames. Prima in Tribu Iudæ, de qua Ioſue 15. 10. Secunda, in Tribu Iſacar, ibidem 19. 22. Tertia, teſte Hieronymo ſuprà, in Tribu Nehptali: ibidem. 19. 38. Quarta denique in Tribu Beniamin. ibidem. 21. 16. Quæ ex communiori ſententia ea fuit, in quam Vaccæ Arcam deportauêre.

TROPOL. S. Nilus. *Religioſi cognatos obliuiſcantur.* 27 *Itinere vno gradiebantur.* S. Nilus Abbas, lib. Aſcetico. Sanguine coniunctos ſic obliuiſcantur (*Monachi*) vt nulla vnquam eorum memoria interpellentur. Si enim vaccæ currui, quo Arca vehebatur, iunctæ; naturam, & vitulos, qui domi remanebant incluſi, ſic oblitæ ſunt, ipſius Arcæ vectæ maieſtate, vt neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinantes, ſine errore iter conficerent, neque ceruicis inflexione vllum amoris erga filios ſignum oſtenderent, neque gemitu dolorem, quòd ab illis ſeiunctæ eſſent, teſtarentur, ſed quamuis eas, & Arca pondus premeret, & amoris aculeus ſtimularet, tamen non aliter quàm ſi præſcripta lege inceſſiſſent, nec latum quidem vnguem à recto tramite deflexerunt: cur non quibus ſpiritualis Arca geſtanda eſt, idem efficiant, & multo etiam magis, ne qui, ſunt rationis participes, ab animalibus rationis expertibus in operibus neceſſariis ſuperentur, niſi videantur id ſponte, & ratione facere, quod illa cogente vi, ac neceſſitudine?

TROPOL. Gregor. *Hypocrita duplici via graditur.* 28 *Itinere vno gradiebantur.* Gregor. ſupra. Vno itinere contra Bethſames vaccæ gradiuntur, quia electi ad æternam patriam feſtinantes bona foris agunt, ſed ex eiſdem bonis operibus ſæculi præmia non requirunt.

LITERAL. Abul. 29 *Itinere vno gradiebantur.* Abul. ibi. quæſt. 18. Hoc dicitur ad ſignificandum quòd, quanquam iſtæ vaccæ eſſent indomitæ, vtpote quæ nunquam ſuſcepiſſent iugum, tamen non recuſabant illud, nec tendebant in diuerſa, ſicut facere ſolent quæcumque iumenta iugo nouiter aſſueta.

TROPOL. Charenſ. *Vnitas doctrinæ.* 30 *Itinere vno gradiebantur.* Hugo Charenſ. in Poſtilla. In vno itinere vnitatis concordia inſinuatur, quam debent habere Doctores in docendo, & Prædicatores in prædicando.

TROPOL. Gregor. 31 *Pergentes, & mugientes.* Gregor. ſuprà. Pergere dicuntur, quia Sancti viri bona inceſſanter faciunt: mugiunt verò, quia carnalia deſideria in ſemetipſis extinguere ſine magna quotidie tribulatione non poſſunt. Mugire namque ad laborem edomandæ carnis pertinet: pergere autem ad perſeuerantiam bonæ voluntatis. Nam, dum contra naturam caro carnales motus comprimere cogitur, vel vt mugit, dum graditur, quia propria deſideria adimplere cohibetur.

TROPOL. Idem. *Iobi patientia.* 32 *Pergentes, & mugientes.* Idem lib. 7. Moral. cap. 19. Amiſſis Iob vitulis mugit, quia audita morte filiorum in terram non ſo capite corruit; ſed recto tamen itinere mugiens graditur, quia os eius in gemitu ad Dei laudes aperitur, cùm protinus dicit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit &c.*

TROPOL. Bernard. *Cognati qualiter audiendi?* 33 *Pergentes, & mugientes.* Bernard. lib. de Paſſione Domin. p. 23. vel Autor illius lib. Si iam portas, ſiue profeſſione aperta, & ſolemni, ſiue occulto propoſito iugum Domini, hoc eſt, regulam quamcumque per Spiritum Sanctum à Patribus inſtitutam,

institutam, si te prædictorum vermium (*consanguineorum*) suggestiones incipiunt corrodere, imitare vaccas Allophylorum portantes Arcam Domini. Redde mugitum signum affectus, hoc est, condole, compatere, consolare eos, qui naturali amore coniuncti sunt; nihilo tamen minùs serua viam inceptam, hoc est, perfice bonum propositum, dirigendo pedes tuos versùs Bethsames, versùs domum Solis, hoc est ad cælestem patriam, vbi est summa, & spiritualis habitatio Solis iustitiæ.

TROPOL. Idem. *Pergentes, & mugientes.* Idem lib. de Modo benè viuendi ad Sor. cap. 7. Sicut vaccæ pro filiis suis mugiendo pergebant, ita conuenit seruis Dei pro parentibus suis mugire, id est orare, vt benè sit eis, & vt à malo liberentur, atque in bono confirmentur.

TROPOL. Petrus Blesens. *Parentes qualiter amandi?* *Pergentes, & mugientes, &c.* Petrus Blesens. Epist. 20. Vaccæ, quæ in Bethsames deferebant Arcam Domini, licèt eas traheret naturalis quædam affectio vitulorum, ad eos tamen colla sua minimè reflectebant. Multi pro parentibus suas animas perdiderunt.

TROPOL. Berchor *Prælati quales?* *Pergentes, & mugientes.* Petrus Berchor. suprà. Istud potissimum debet esse verum de Prælatis, qui reuera vitulos, id est, nepotulos, qui remanserunt in domo paterna, non debent per carnalem affectum aliquid in mente gerere, nec propter eorum amorem à charitatis semita declinare.

TROPOL. Lira. *Pergentes, & mugientes.* Liran. in Glossa Moral. Dicitur quòd vaccæ ibant mugientes, quia Prædicatores per viam huius vitæ procedentes, debent deuotè decorare. Psalm. 118. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ.* Vnde de istis vaccis dicitur in Hebræo, *quòd cantabant*, quasi Deum modo suo laudantes.

Psalm. 118.

TROPOL. Greg. *Medium tene.* *Et non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Gregor. suprà. Ad dexteram declinare est virtuti abstinentiæ immoderatè insistere, quia per bonum, quod videtur, viam deserimus, cùm sic necessariam abstinentiæ virtutem sequimur, vt alia nobis auxilia de carne substrahamus. Ad sinistram quoque declinare, est, carni abundantiùs indulgere. Nam per apertæ remissionis vitium à Bethsamis via deflectimur, dum carnem per delitias deducimus, qui paradisi viam in afflictione dispositam noueramus.

MYSTIC. Rupert. *Et non declinabant, &c.* Rupertus suprà. Non declinant à recto itinere, quia Arcam Dei portant in mente.

TROPOL. Rabban. *Et non declinabant, &c* Rabbanus Magnus in Glossa. Id est nec extollebantur prosperis, nec frangebantur aduersis. Si igitur ad æterni Solis habitationem tendimus, ab itinere Dei pro carnalibus affectibus non declinemus.

TROPOL. Author Catenæ. *Et non declinabant, &c.* Author Catenæ. Cùm rectitudo in puncto indiuisibili consistat, ita à recto deflectimus, ad quodcumque extremum nimis inclinemus, æquúmque in vtroque est periculum, vel ad dexteram, vel ad sinistram vitiosè conuerti.

MYSTIC. Lira. *Arcæ reportatio.* *Vsque ad terminos Bethsamæ.* Liran. ibid. in Morali. Per Arcæ reductionem significatur sanctæ crucis reportatio, quam Eraclius Imperator occiso Cosdroë, & Persis in deditionē receptis Ierusalem reportauit, quæ per Bethsames, vbi Arca fuit reportata, significatur, eo quòd Bethsames *domus* interpretatur; Ierusalem autem conuenienter dicitur domus Solis, eo quòd diuinitùs fuit electa ad Dei cultum, & quia ibi mysterium Christi fuit completum. Aliter autem per reportationem Arcæ in Iudæam significari potest reuersio fidei ad Iudæos circa finem mundi. Per duas autem vaccas Arcam reportantes in Iudæam intelliguntur duo Prædicatores contra Antichristi perfidiam, scilicet Helias, & Enoch, quibus eius perfidiam detegentibus Iudæi dicuntur tunc recepturi fidem.

43 *Vsque ad terminos Bethsamæ.* Abul. ibi. q. 18. Noluerunt Satrapæ Philisthinorum introire in terram illam, sed steterunt in confinibus terræ Philisthinorum, & Israël, maximè quia ex loco illo poterant videre quomodo iret Arca in Bethsames, vel reciperetur à Bethsamitis, qui erant metentes triticum in valle.

LITERAL. Abul.

44 *Vsque ad terminos Bethsamæ.* Author Catenæ. Seuerus addit: Satrapas Arcam secutos *religionis officium* præstitisse. Quod autem religiosum hoc officium fuerit, nusquam constat. Fortè Arcam tanti miraculi operatricem adorarunt, vel etiam *cum tympanis, sibis, & choris eam insecuti fuerunt*, vt tradit Pseudophilo in suis Biblicis Antiquitatibus; abeuntes enim hospites suos olim cum cantu, & simphonia veteres dimittebant, vt colligitur ex Genes. 31. 27. vbi Laban tacitam Iacobo fugam exprobrans, inquit, Si discessum eius cognouisset cum canticis, & tympanis discedentem generum prosecuturum fuisse. An verò soli Satrapæ arcam comitati fuerint, an simul etiam Sacerdotes, vel quipiam ex populo, non constat; quamuis improbabile non sit.

LITERAL. Author Caten. Seuerus. Pseudoph. Genes. 31. 27.

VERSVS XIII.

VVlgata. Porrò Bethsamitæ metebant triticum in valle: & eleuantes oculos suos, viderunt Arcam, & gauisi sunt, cùm vidissent.

Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Viri autem Bethsemes metebant messem frumentariam in valle, & leuauerunt oculos suos, & viderunt Arcam, & lætati sunt, cùm vidissent. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Bethsemitæ verò demetebant messem tritici in valle, sublatisque oculis suis viderunt Arcam, gauisique sunt, cùm vidissent. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et Bethsmisei metentes messem tritici in planitie, & leuauerunt oculos suos, & viderunt Arcam, & gauisi sunt, videndo. Ariasm.

Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia. Et qui in Bethsames metebant messem tritici in valle, & eleuauerunt oculos suos, & viderunt Arcam Domini, & gauisi sunt in obuiationem eius. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtiana. Et qui in Bethsamis metebant messem frumentorum in valle, & eleuauerunt oculos suos, & viderunt Arcam Domini, & lætati sunt in occursum eius. Sixtia.

Caiet. ex Hebræo. Gauisi sunt ad videndum. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

1 POrrò *Bethsamitæ metebant triticum.* Gregor. lib. 3. Variar. c. 4. Quid Bethsamitæ rectiùs possunt intelligi, quàm ij, qui perfecti iam viri sunt in sublimitate contemplationis, nam velut de domo Solis sunt, qui contemptis terrenis omnibus veri luminis splendoribus illustrantur? De domo quidem Solis sunt, qui iam omni mundo sepulti

MYSTIC. Gregor.

ad

ad videndam conditoris sui claritatem flammâ miræ dilectionis inardescunt. Quid est, quòd Bethsamitæ metunt triticum in valle; nisi quia contemplatiuæ vitæ dediti delitias internæ refectionis colligunt in virtute humilitatis? Vallis quippè in sacro eloquio æstimationem designat humilium, Psalmistâ testante, qui de Domino loquens, ait. *Qui emittis fontes in conuallibus.* Psal.103. Psalm.104. Nam infusionem supernæ gratiæ mentibus infundit dispositis per humilitatem.

ANAGOG. Gregor. 2 *Metebant triticum in valle.* Idem ibidem. Sed fortasse in ista vita adhuc positi non sumimus panem, sed spicas metimus: in illa autem superna vita beatitudinis non spicas, sed panem manducabilem. In ista enim vita cùm ad contemplanda æterna sustollimur, supernarum rerum similitudines capere de rebus istis infimis, & visibilibus nitimur, vt iuxta egregij Doctoris vocem, *inuisibilia à creatura mundi per ea, quæ visibilia facta sunt,* cognoscamus.

ANAGOG. Beda. 3 *Porro Bethsamitæ metebant triticum.* Beda lib.1.Expositi.Allegor.cap.11. Porrò Ciues æternæ lucis fructus virtutum maturos, quos humili corde protulerunt in gaudia patriæ cælestis condere desiderabant, & eleuatis cordis oculis vbicumque terrarum vidissent cœlestia, gauisi sunt.

MYSTIC. Angelom. 4 *Porrò Bethsamitæ metebant triticum.* Angelom. in Stromatib. Quid est Bethsamitas in valle frumenta metere, nisi Doctores Ecclesiæ annonam verbi Dei in humilitate tractare?

LITERAL. Abul. 5 *Porro Bethsamitæ metebant.* Abul.ibi. q.18. Quia erat iam mensis Maius, vel quasi in quo tempore in terra Chanaam metitur triticum, vt suprà declaratum est quæst.3. Ex hoc patet qui fuerint menses, quibus stetit Arca in terra Philisthinorum, quia stetit ibi septem mensibus, & isti finiti sunt tempore messis triticeæ, ergo oportet, quòd fuerint septem præcedentes immediate.

LITERAL. Mendoza. Ioseph. 6 *Porrò Bethsamitæ metebant.* Francis. Mendoza ibi.§.2. Tempus fuit nostrum vernum, quod Palæstinis erat æstiuum, vt Iosephus appellat, vnus scilicet, ex illis tribus mensibus Martio, vel Aprili, vel Maio, in quos messis triticea incidebat.

MYSTIC. Gregor. 7 *Et leuantes oculos suos viderunt Arcam.* Gregor.suprà. Oculos eleuant, quia dum de se alta non sentiunt æstimatione sua, velut in plano sunt. Oculos eleuant, quia eos, quos diuina gratia dignos aspiciunt, in alto positos meritorum culmine contemplantur. Sed eleuantes oculos Arcam vident, quia quò se humilius per æstimationem deiiciunt, proximorum bona cognoscere meliùs possunt. Eleuatio autem oculorum ad studium discernendorum spirituum conuenienter referri potest.

HISTOR. Sulpit. 8 *Viderunt Arcam, &c.* Seuer.Sulpit.lib.1. Sacræ Histor. Iudæi autem, vti referri arcam vident, certatim ex oppido Bethsamis cum gaudio obuiam ruere, festinare, exultare, grates Domino referre.

HISTOR. Theodor. 9 *Videtur Arcam, & gauisi sunt.* Theodor. ibi.quæst.14. Hebræi rem nouam, & alienam conspicati, nempe plaustrum, quod à nullo homine regebatur, lubenter accurrerunt, & mirati sunt Dei victoriam.

LITERAL. Author Catenæ. Lira. Abul. 10 *Viderunt Arcam, & gauisi sunt.* Author Catenæ. Hebræi, vt moris illis est, in hoc etiam delirant, qui apud Liram, & Abulensem hanc Bethsamitarum lætitiam, & ouationem non solùm ineptam dicunt, & ex capitis leuitate profectam, sed vsque adeò Deo inuitam, vt ex eo solo exultationis crimine ingentem illam stragem in eos exercitam, (de qua Vers.17.) ortum, & principium habuisse asserant. Mouentur, vt notat Abul.quæst. 18. quia nulla eorum, præter ineptæ huius lætitiæ, culpa reperitur. Ob eam ergo peccarunt, & puniti sunt. Nugæ. Primò enim lætitia ob Arcæ, populi sui decoris, & ornamenti, virtutis, & præsidij miraculosam recuperationem, cur inepta, & leuis arguatur? Quod si leuis, & inepta; adeóne atrox crimen, quod tot hominum millibus occisis litandum foret. 2. Quia extra hanc culpam, alias eorum Interpretes compererunt, ob quas diram adeò Dei vindictam experti fuerint. Potiùs ergo Hebræorum sententia, quàm Bethsamitarum lætitia ex capitis leuitate processit.

LITERAL. Abul. 11 *Et gauisi sunt.* Abul. ibi quæst.18. Quia videbant Israëlitæ, quòd erat difficilimum eripi Arcam de manu Philisthinorum; cum essent Philisthini potentiores Israëlitis: nunc autem cùm vidissent sine bello & gladio Arcam rediisse in terram suam, gaudebant nimis. Dicunt autem Iudæi, quòd ista lætitia fuit inepta, & procedens ex leuitate capitis. Hoc autem inducunt, quia Bethsamitæ postea à Deo percussi sunt; sed nemo percutitur à Deo, nisi male agens.

HISTOR. Ioseph. 12 *Et gauisi sunt.* Ioseph. lib.6. Antiquitat.c.2. Ad quod spectaculum à vicanis mox cum gratulatione est concursum. Cùm enim esset æstas, & fruges ex aruis comportarentur, vt viderunt Arcam, præ gaudio mittentes opus è manibus, ad plaustrum illud properabant.

LITERAL. Caiet. 13 *Et gauisi sunt.* Caietan. Legendum est *ad videndum.* Peccatum describitur Bethsamitarum, non quòd primum viderint Arcam Dei; sed quòd lætati sunt ad videndum Arcam. Nunquam enim secundùm legem populus videbat Arcam Dei, immo & Leuitæ non nisi inuolutam à Sacerdotibus videbant eam, cum vecturi essent illam, vt patet Numer.4. vbi clarè mors scribitur imminere, si aliter viderint eam. Lætitia iraque ad videndum (quæ & perseuerantiam, & concursum ad videndum Arcam Dei insinuat) culpatur. *Bethsamitarum peccatū.*

VERSVS XIV.

VVlgata. Et plaustrum venit in agrum Iosue Bethsamitæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraïc. ex Xante Pagn. Plaustrum autem venit in agrum Iehosuah Bethsemitæ, & stetit ibi. Ibi autem erat lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, & vaccas immolauerunt in holocaustum Domino. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Venit itaque plaustrum in agrum Iehosue Bethsemitæ, & illic stetit. Fuit enim illic lapis magnus, & concidentes ligna plaustri, atque vacculas obtulerunt holocaustum Domino. Vatab.

Caldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et plaustrum venit ad agrum Iehosuagh de Bethsemes, & stetit ibi; & ibi lapis magnus, & secuerunt ligna plaustri, & boues, & ascendere fecerunt holocaustum ante Dominum. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et plaustrum venit in agrum Iosue, qui de Bethsames: & Complut. Regia.

stetit

stetit ibi iuxta lapidem magnum, & conciderunt ligna plaustri, & vaccas obtulerunt holocaustum Domino.

Sixtia. *Grac. ex Sept. in Sixtia.* Et plaustrum intranit in agrum Oseæ, qui in Bethsamis, & statuerunt ibi apud eam lapidem magnum, & scindunt ligna plaustri, & vaccas attulerunt in holocaustoma Domino.

Caiet. *Caietanus ex Hebræo.* Et plaustrum venit in agrum Iehosuæ Bethsimitæ, & stetit ibi. Et ibi erat lapis grandis: cecideruntque ligna plaustri, & vaccas immolauerunt in holocaustum Domino.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. MORAL. Iustin. *Nominis* IESV *virtus.*

1 *ET plaustrum venit in agrum Iosuë.* Iustin. Mart. Dialog. cum Triphone. Non ad eum venere locum (vaccæ) vnde Arca abrogata fuerat, sed in agrum hominis cuiusdam IESV, seu Iosuë dicti, illius cognominis qui IESV nomine tranominatus fuerat, quique populum in terram introduxit, & hæreditario iure ipsis eam diuisit. In quem agrum cùm venissent, constiterunt; quo facto indicatur virtute nominis ductas esse haud aliter, quàm prior populus per eum, qui nomen IESV recepit, in terram est deductus.

MYSTIC. Greg. 2 *Et plaustrum venit in agrum Iosuë Bethsamita.* Gregorius libro tertio. Variarum Enarrat. capite quarto. Iosuë Bethsamita non tam typo, quàm ipso nomine, & dignitate humani generis Redemptorem significat; Iosuë quippe Saluator nostro eloquio dicitur, & de semetipso Dominus dicit: *Venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.* Luc. 19. Benè autem idem ager Saluatoris esse perhibetur, quia contemplatiuæ vitæ amatores, quo secretiùs conuersantur, Redemptori nostro graziores, & familiariores sunt.

Luc. 19.

LITERAL. Abul. 3 *Et plaustrum venit in agrum Iosue Bethsamite.* Abulensis ibidem quæst. 18. Fortè, quia reputatus est ille à Deo vir iustior cæteris, vel quia ibi erat quidam lapis magnus, vbi posset poni Arca, & immolarentur sibi hostiæ.

LITERAL. Author Caten. Septuag. Iosue 10. 4 *Et plaustrum venit, &c.* Author Catenæ. Iosuë Israëlitici populi Imperator priùs Oseæ dictus fuerat. Num. 13. 17. Ad eius ergo exemplum Iosue Bethsamita à Septuaginta in Sixtianis Oseæ dicitur: & sicut prioris Iosue mysticum nomen Christi Saluatoris nostri nomine adumbrato, Solem quondam stare fecit: sic etiam posterioris Iosue nomen eundem Christum præsonans Arcam quoque stare fecit; quæ illum etiam præferebat, qui & *Sol iustitiæ est*, & *in Sole posuit Tabernaculum suum.* Bethsames autem *Domus Solis* interpretatur.

MISTIC. Gregor. 5 *Et stetit ibi.* Gregorius suprà. Stare ad prælij custodiam pertinet, non ad pacis quietem. Stetit quippe plaustrum in agro, quia & si mens amæna iam illius supernæ, & semper virentis patriæ videndo, atque amando inhabitat, tamen quod amorem visionis delectabiliter possidet, sine incessantis curæ solicitudine nequaquam seruat.

LITERAL. Abul. 6 *Et stetit ibi.* Abulensis ibidem quæstione 18. Non oportebat, quòd vlterius procederet contra Bethsames, ipsi enim Bethsamitæ eam portarent aliter secundùm morem terræ suæ. Et etiam fuit hoc, vt Satrapæ Philisthinorum viderent finem huius rei.

7 *Et steterit ibi.* Franc. Mend. ibi §. 5. Ibi cessarunt miracula vbi necessaria esse desierunt. LITERAL. Mendoza.

8 *Erat autem ibi lapis magnus.* Cyprian. lib. 2. Testim. ad Quirin. cap. 15. Hic est (Christus) lapis magnus in Reg. 1. super quem posita est Arca Testamenti, quando eam ab Allophylis remissam, & redditam in plaustro, boues reportauerunt. MYSTIC. Cyprian. *Lapis Christus.*

9 *Erat autem ibi lapis magnus.* Hierony. seu Author Tradit. Hebraic. Lapidem istum Hebræi aram ab Abraham ædificatam intelligunt. LITERAL. Hieron.

10 *Erat autem ibi lapis magnus.* Angel. in Stromatibus cap. 6. Quis est lapis in agro Iosue, nisi Christus Dominus in Ecclesia sua? Ligna verò illa plaustri ipsius Christi præfiguralle crucis mysterium non dubium est. Vaccas verò super lapidem immolare, est conuertos Sanctos à sæculo in Christi imitatione mortificare. MYSTIC. Angelom.

11 *Erat autem ibi lapis magnus.* Abulensis q. 18. Non decebat eam locari in solo humili cum cæteris rebus, sed posuerunt eam excelsiorem cæteris, scilicet, super lapidem magnum. Et fortè etiam super partem illius lapidis oremauerunt holocausta, nam non fierent conuenienter sacrificia super pauimentum, sed semper fiebant super Altare. LITERAL. Abul.

12 *Erat autem ibi lapis magnus.* Franc. Mend. ibidem §. 7. Si Hebræi in hac ara fingenda de more suo non fabulantur, (quod tamen Carthusianus suspicatur) sed reuera illa Abrahami ara eatenus extabat, credibile est propter dignitatem sacrificij, quod in ea parabatur, magno fuisse in honore apud Hebræos, & præcipua quadam religione obseruatam. Vnde maximè congruebat, vt Arca Dei, quæ in profana Dagonis ara per Philisthinos collocata fuerat, in sacra ara Abrahami per Bethsamitas collocaretur, vt honor iniuriæ responderet, & quantum illic dedecoris acceperat, tantum hîc venerationis obtineret. Vbi etiam aduerte antiquam illam Sanctissimi Abrahami obedientiam denuò commendatam, & remuneratam. LITERAL. Mendoz. Hebræi. Carth. MORAL. *Arca cur in ara Abrahæ?*

13 *Et conciderunt ligna plaustri.* Gregor. suprà. Quid sunt ligna plaustri Arcæ Dei, nisi Sanctæ Scripturæ Sententiæ, & exempla Sanctorum? Bethsamitæ quippe ligna concidunt, cùm secretioris vitæ propositi subiectorum suorum mentibus Scripturarum sensus subtilius aperiunt; cùm excellentiora exempla Patrum ad eorum imitationem proferunt. MYSTIC. Greg.

14 *Et conciderunt ligna plaustri.* Liran. ibid. Scilicet postquam Arca depolita fuit per Leuitas, licet ante scribatur. LITERAL. Liran.

15 *Et conciderunt ligna plaustri.* Abul. ib. q. 18. Quia putabant, quòd Deus perduxisset vaccas, & plaustrum; ideò volentes conuertere penitùs in obsequium eius, cùm ad nihil vltra Deo possent famulari, immolauerunt vaccas, & conciderunt plaustrum. LITERAL. Abul.

16 *Et conciderunt ligna plaustri.* Author Catenæ. Quinam conciderunt & vaccas insuper mactarunt? Priscí Rabbini, quos sequuntur Mariana, & Salianus, hæc ad ipsos Allophylorum Satrapas referunt, quibus vtpote plaustri, & vaccarum Dominis, ipsis in diuinum cultum vti pro arbitrio liceret; non verò Hebræis hæc licebant. Secundò, Quia Bethsamitæ non obtulissent in holocaustum, victimas, seu vaccas femellas, cùm prohibitum id fuisset. Leuit. 1. nec ipsi Sacerdotalis vrbis accolæ ius suum ignorassent. Addo tertiò eorum sententiam planiorem reddere Textus ordinem, cùm statim post holocausti relationem ad- LITERAL. Author Catenæ. Mariana. Salian. Leuit. 3.

datur: Leuitas Arcam deposuisse; esset autem ordo præposterus, si priùs exactum sacrificium post Arcam depositam à Bethsamitis referretur, cùm vt plaustrum considerent, priùs Arcam deponi necessum fuerit. 4. denique, quia continuo subsequenti Versu immediatè holocausta, & victimas Bethsamitarum referri video, ergo priùs holocaustum non ad eos, sed ad Philisthinorum Satrapas, seu eorum Sacerdotes pertinuit, cùm præcipuè nulla hic anticipationis ratio, aut necessitas appareat. Mariana ergo, & Saliano facile assentior; quorum sententiam confirmat Seuer. lib. 1. Sacræ Histor. dicens: *Reguli Allophylorum vsque in fines Hebræorum Arcam secuti, religiosum officium præstiterunt.* Si verò contendas holocaustum quod hoc Versu. 14. narratur idem fuisse cum eo, quod Vers. 15. refertur, vt affirmat Liranus, fateor tunc non Allophylis, sed Bethsamitis adscribendum; potiùs verò ea distinguenda reor, ita vt priùs ad Satrapas, posterius verò ad Bethsamitas pertinuisse credunus.

Mariana. Saliano. Seuer. Lira.

Mystic. Beda.

17 *Vaccásque imposuerunt super ea.* Beda lib. 1. Expolit. Allegor. cap. 11. Nihil vetat duas has vaccas, quæ Arcam Domini referentes Israëlitis, holocaustum sunt Domino datæ, super Enoch, & Elia interpretari, qui tunc Iudæis fidei gratiam aperturi, nec mora ab Antichristo mortem creduntur esse susceperuri.

Literal. Lira.

18 *Vaccásque imposuerunt super ea.* Liran. ibi. In hoc videntur malè egisse, quia fœmella non offerebatur Domino in holocaustum, quod erat sacrificium perfectissimum, vt habetur Leuitic. 1.

Literal. Mendoza.

19 *Vaccásque imposuerunt super ea* Franc. Mend. ibi. §. 27. Dubitatur cur Bethsamitæ illud plaustrum, quo Arca vecta est, comburere, & illas vaccas, quæ Arcam portauerunt, immolare voluerunt? Respondeo primò, vt combusto illo plaustro, & immolatis, quæ Arcam tulerant, feliciter sibi ominarentur Bethsamitæ Arcam nunquam ampliùs ex Iudæa auehendam esse, & ad externas gentes exportandam. 2. vt plaustrum, & boues, quæ rei sacræ deseruierant, nunquam deinceps rebus profanis deseruirent.

Literal. Author Catenæ. Abul. Lira. Sanct.

20 *Vaccásque imposuerunt super ea.* Autor Catenæ. Abulensis, & Liranus qui sacrificium à Bethsamitis peractum fuisse credunt, eos à peccato non excusant, quod ex fœmellis obtulerint. Cæterum absoluuntur à Sanctio num. 36. nam aliàs Scriptura peccatum non omninò subticuisset. 2. quia piè quidem, & prudenter cogitarunt vaccas diuinitùs coactas fuisse, vt in holocaustum ei, qui eas adduxerat, offerrentur, cùm potissimum nec tempus, nec locus mares suppeditaret.

Literal. Abul.

21 *Holocaustum Domino.* Abul. quæst. 21. Dicendum quòd isti non obtulerunt sacrificium, sed erant ibi aliqui Sacerdotes, & illi obtulerunt.

Literal. Idem.

22 *Holocaustum Domino.* Idem ibidem. q. 19. Quæret aliquis an isti Bethsamitæ errauerint in faciendo holocaustum Deo de vaccis, quæ portauerant arcam: Et respondetur quòd sic, quia holocaustum nunquam debet esse nisi de masculo, siue esset de bobus, siue arietibus, siue capris, vt patet Leuitic. 1.

VERSVS XV.

Vulgata. *Vulgata.* Leuitæ autem deposuerunt Arcam Dei, & capsellam, quæ erat iuxta eam, in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante pagn. Leuitæ autem deposuerunt Arcam Domini, & capsam, quæ erat secum, in qua erant vasa aurea, & posuerunt in lapide magno. Viri autem Bethsames obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die ipsa Domino. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Porrò Leuitæ deposuerunt Arcam Domini, & arculam, quæ penes eam erat, in qua erant aurea illa instrumenta, posuerúntque super lapidem magum. Ciue autem Bethsemes sacrificarunt holocausta, & immolauerunt victimas Domino eodem die. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et Leuitæ descendere fecerunt Arcam Domini, & capsam, quæ cum illa in qua vasa auri: & posuerunt super lapidem magnum. Et viri. Beth-semes ascendere fecerunt holocausta, & mactauerunt mactationem sanctitatum in die illa ante Dominum. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et Leuitæ attulerunt Arcam Domini & capsellam, quæ cum ea, & vasa aurea, & posuerunt super lapidem magnum. Et viri Bethsames obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas Domino in die illa. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtiana. Et Leuitæ attulerunt Arcam Domini, & capsulam Ergab cum ea, & quæ super eam vasa aurea, & posuerunt super lapidem magnum. Et viri Bethsamis attulerunt holocaustoses, & sacrificia in die illa Domino. Sixtia.

Caietan. in Comment. Et Leuitæ deposuerunt Arcam Domini, & capsellam, quæ erat cum ea, in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Homines autem Bethsimitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

1 *Leuitæ autem deposuerunt Arcam.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 4. Arcam Leuitæ deponunt, cùm perfecti Prædicatores suos subiectos admonent, vt eos spiritualis scientia nequaquam inflet. Capsellam quoque cum vasis aureis deponunt, cùm eos etiam de vitæ splendore conueniunt, vt eo de se humiliùs sentiant, quo etiam Redemptorem nostrum ad exaltationis suæ præmium eorum quique iam peruenisse didicit; quia de se inaniter alta non sensit. Benè itaque depositæ Arcæ, & vasa aurea super grandem lapidem posita memorantur, quia inter dona sublimia de se humiliter sapere illi verius possunt, qui Redemptoris magnitudinem, & humilitatem recolere sæpius didicerunt. Mystic. Gregor.

2 *Leuitæ autem deposuerunt Arcam.* Seuer. Sulpit. lib. 1 Sacræ Histor. Mox Leuitæ, quorum hoc negotium erat, sacrificium Deo celebrant, bouésque eas, quæ Arcam adduxerant, immolant. Histor. Sulpit.

3 *Leuitæ autem deposuerunt Arcam.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 2. Demptam deinde Arcam, & vas, quod statuas illas, ac mures continebat in petra eadem, quæ in campo extabat, deposuerunt, & accitis victimis, peractóque sacrificio splendidè epulati plaustrum simul, ac vaccas holocaustum à Deo fecerunt. Histor. Ioseph.

4 *Leuita*

LITERAL. Abul. 4 *Leuitæ autem deposuerunt Arcam.* Abul. ibid. quæst. 21. Ponitur hic mutatio ordinis, quia manifestum est, quòd priùs Bethsamitæ deponerent Arcam de plaustro, quàm excinderent ligna plaustri, & facerent holocaustum. Sed Scriptura sæpè vtitur istis mutationibus. Dicitur autem quòd Leuitæ deposuerunt Arcam, quoniam non pertinebat ad populares eam tangere.

LITERAL. Caiet. 5 *Leuitæ autem deposuerunt Arcam.* Caiet. ibi. Quamuis errauerint circa visionem, non errauerunt tamen circa tactum. Verùm & hic, quia nihil dicitur de adhibito velamine, Leuitarum quoque peccatum omittendo velare Arcam, non caret suspicione.

LITERAL. Mend. 6 *Leuitæ autem deposuerunt Arcam.* Franciscus Mendoza ibidem §. 2. Hi Leuitæ non erant ex iis, qui in agro triticum metebant. Nam Tribus Leuitica seruilibus ministeriis non vacabat; & propterea, vt notat Diuus Cyprian. Epist. 9. in lib. 1. *Vt alijs terram colentibus ipsa tantum Deum coleret.* Cyprian.

LITERAL. Abul. 7 *In qua erant vasa aurea.* Abul. ibi. quæst. 21. Secundum morem idiomatis Hebræorum, quo omnia supellectilia, vel huiusmodi vasa vocantur.

HISTOR. August. 8 *Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta.* August. seu Author Quæst. ex Vet. Testam. q. 46. tom. 4. In tantum autem Sacerdotes minimè defuisse probantur, vt remissa Arca ab Allophylis, vocatis Leuitis, viri Bethsamitæ obtulerunt Deo sacrificia absente Saüle.

MYSTIC. Greg. 9 *Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta.* Gregorius suprà. Holocausta offerunt, cum per contemplationis ascensum se Deo omnipotenti ineffabili affectione coniungunt. Sed holocaustis victimas sociant, quia nimirùm tantæ iucunditatis bonum non suis meritis, sed diuinæ referunt bonitati. Sine victimis quidem holocaustum offert qui iam supernis in magna delectatione coniungitur, & insurgentibus elationis occultæ motibus, per humilitatis virtutem, nequaquam dominatur.

LITERAL. Abul. 10 *Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta.* Abulensis ibidem quæst. 21. Fuerunt duo genera sacrificiorum, scilicet holocaustum, & hostia pacifica. Erat autem holocaustum ad solam Dei laudem, cùm Deo soli proueniret. Hostiæ autem pacificæ sunt ad Dei laudem, & ad lætitiam ipsorum offerentium, quia maxima pars carnium sacrificij pacifici proueniebat offerentibus, vt patet Leuit. 7. De hostijs autem pro peccato nihil dicitur. Leuit. 7.

LITERAL. TROPOL. Mend. *Gratiarum actio non differenda.* 11 *In die illa.* Franc. Mend. ibid. §. 4. Quæ fortè inclinabat iam in vesperum maiorem diei partem Arca in itinere consumente. Sed nihilominùs Bethsamitæ sacrificia in crastinum differenda non putarunt; Adeo ad gratulandum Deo pro accepto beneficio festinabant.

LITERAL. Author Catenæ. 12 *In die illa.* Author Catenæ. Ex eo, quòd in die illa, quæ ad occasum iam vergebat, sacra peracta fuerint, aliqui suspicantur, à Laicis ipsis sine Sacerdotibus, qui fortè non aderant, fuisse exercita. Non tamen hoc fide dignum est, quia in Sacerdotali vrbe nulla Sacerdotum penuria laboraretur. Secundò quia, qui ad depositionem Arcæ ex plaustro Leuitæ vsi sunt, cur piè credantur ad sacrificia facienda sacerdotes non accitisse?

VERSVS XVI.

Vulgata. *Vulgata.* Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Et quinque Satrapæ Philistinorum non viderunt, & reuersi sunt in Hechron in die illa. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Quod videntes quinque Principes Palæsthinorum Accaron eodem die reuersi sunt. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et quinque tyranni Pelisthæorum viderunt, & redierunt ad Gheqron in die illa. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et quinque Satrapæ alienigenarum viderant, & reuerterunt in Ascalonem die illa. Sixtian.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. 1 *Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt.* Gregorius lib. 3. Variar. cap. 4. Satrapæ Philisthinorum, vt iam superiùs dixi, electi sunt Prædicatores Gentilium, qui nimirùm quinario numero continentur, quia ad refrænandos quinque sensus corporis aut rudibus adhuc fidelibus, aut carnalibus præsunt. Hi profectò plaustrum cùm Dei arca committantur, quia ad studium spiritualis vitæ transeuntes, iam eruditos discipulos solicitudinis suæ cura prosequuntur. Sed applicante in agrum Iosue plaustro, & vaccis immolatis, in Accaron redeunt, quia cùm eorum perfectionem iam considerauerint, conuersationis eorum itinera vlteriùs non explorant.

MYSTIC. Rupert. 2 *Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt.* Rupertus lib. 1. Commentar. cap. 16. Sic planè perseuerantiam Prædicatorum, de quibus iam dictum est, Principes idololatriæ viderunt, quod scilicet nullis affectibus carnis reuocari potuerunt, quia etiam corpora sua passionibus obijcientes, in holocaustum Domino obtulerunt, & tandem confusi à persecutionibus, cessauerunt.

LITERAL. Abul. 3 *Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt.* Abulensis ibidem quæst. 22. Hoc viderunt, quia manserunt in aliquo loco excelso apud terminos Bethsames, & exinde speculabantur ea, quæ fiebant in valle, in qua recepta est Arca in agro Iosue.

TROPOL. Carthus. *Seculorum duritiei.* 4 *Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt.* Carthusianus ibidem. Per quinque Satrapas istos rectè designantur filij sæculi nobiles, & potentes secundùm carnem, delectationibus quinque sensuum dediti, qui etsi audiant verba Dei, videántque exempla iustorum, & miracula omnipotentis agnoscant, rarò tamen & pauci conuertuntur ad Dominum.

MYSTIC. Gregor. 5 *Et reuersi sunt in Accaron.* Gregorius suprà. In Accaronem redeunt, quia ad conuertendos alios se conuertunt. Accaron quippe nostro eloquio sterilis dicitur: steriles quoque sunt, qui aut fide carent, aut bona conuersatione.

HISTOR. Ioseph. 6 *Et reuersi sunt in Accaron.* Iosephus lib. 6. Antiquitat. cap. 2. Quo vitio Principes Palæsthinorum retrò ad suos sunt reuersi.

TROPOL. Beda. 7 *Et reuersi sunt in Accaron.* Beda libro 1. Expositionis Allegoricè cap. 11. Præcedentes quique in Christo tandiu succedentium sibi in illo, fidem & acta, quasi specula contemplantur, donec & ipsos firmato in fide, & bene proficientes agnouerint, & sic de illorum salute securiores effecti, ad

suæ curandæ conuersationis habitaculum recurrerunt. Potest, & de Hypocritis intelligi, qui cùm ad tempus viam vitæ videantur imitari, portas tamen Bethsamis, id est *Solis iustitiæ* propter instabilitatem simistræ mentis non merentur ingredi.

LITERAL. Abul. 8 *Et reuersi sunt in Accaron.* Abulensis ibidem q. 22. Tunc certificati redierunt in terram suam, scientes quòd Deus Israël perculserat eos propter Arcam.

LITERAL. Mendoza. 9 *Et reuersi sunt in Accaron.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Nimirum, vt miraculum quod viderant, testarétur. Volebat enim Deus vt notitia de sanctitate Arcæ non vanis rumoribus, sed oculàris testibus vulgaretur; & propterea fortasse fuerunt quinque Satrapæ, & numero, & qualitate personarum ad faciendam fidem conferente. Satrapæ quidem, seu Reguli, ne quis dubitaret de eorum dictis propter dignitatem, qua in Palæstina fungebantur: Quinque verò quia totidem erant Metropoles in Palæstina, quarum singulis singuli earum Principes sanctitatem Arcæ facilius persuaderent.

TROPOL. Mendoza. *Per iuliuosum exactio.* 10 *Et reuersi sunt in Accaron.* Idem ibidem §. 2. Adeò erant suis erroribus excæcati, vt videntes sanctitatem Arcæ tantis prodigiis confirmatam, adhuc nihilominùs non ad Bethsames, domum Solis pergerent, suas Deo animas in perpetuam seruitutem traditurí, sed ad suas tenebras, idololatriásque redirent sub infelici Dæmonum tyrannide consumendi.

TROPOL. Rangol. 11 *Et reuersi sunt in Accaron.* Rangol. ibi. Multi sunt adhuc horum similes, qui diuina mysteria vidisse, vel audisse contenti, confestim ad pristinæ vitæ studium recurrunt, vt canis ad vomitum, & sus ad volutabrum luti. De his dicebat Iacobus Apostolus; *Non auditores legis, sed factores, iusti sunt apud Deum.* Iacobus.

LITERAL. Author Catenæ. Sixtia. 12 *Et reuersi sunt in Accaron.* Author Catenæ. Septuaginta in Sixtiana, qui suprà cap. 5. Vers. 10. Arcam ab Azoto non in Accaron, sed in Ascalonem inductam dixerant, modo etiam Satrapas non in Accaronem, sed in Ascalonem reuersos scribunt. Vide quæ ibi diximus. Certum tamen videtur Arcam tandem in Accaronem translatam, vnde Bethsames plaustro asportata fuit, quod quidem Vulgata persuadet, & communis interpretum sententia. Reuersi ergo Satrapæ sunt in Accaronem, & quia locus proximior erat, & quia inde exierant, nec quisque suam vrbem, aut Metropolim repetere potuit, quia per diem, qui necessariò iam claudebatur, non licebat.

LITERAL. Abul. 13 *In die illa.* Abulensis ibidem quæst. 22. Dicitur quòd redierunt in Accaron; quia ista est ciuitas propinquissima terræ Iudæorum de vrbibus Philisthiim. Vnde in eadem die venerunt de vrbe Accaron vsque ad terminos Bethsames, & ibi stantes viderunt quæ faciebant Israelitæ receptâ Arcâ, & eadem die iterùm venerunt in Accaron. Est autem ista ciuitas, in qua factum est consilium quinque Satraparum Philisthiim, vt reduceretur Arca in terram Israël; fuit enim vitimatè in loco illo, & ibi est factum plaustrum, & inde cœpit duci Arca in terram Israel.

VERSVS XVII.

Vulgat. *Vulgata.* Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto Domino: Azotus vnum, Gaza vnum, Ascalon vnum, Geth vnum, Accaron vnum.

VERSIONES.

Hebraïc. ex Xante Pagn. Isti autem sunt ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim propter delictum Domino. Pro Asdod vnus: pro Hazzah vnus: pro Aschelon vnus: pro Gath vnus: pro Hecron vnus. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Et isti sunt ani aurei, quos restituerunt Palæstini Domino pro sacrificio expiatorio delicti. Pro Azoto vnum, pro Gaza vnum, pro Ascalon vnum, pro Gath vnum, & pro Accaron vnum. Vatabl.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et hæ marisæ auri, quas redire fecerunt Philisthæi sacrificii expiationis ante Dominum. Asdod vnam: Ghaza vnam: Ascalon vnam: Gath vnam: Geqron vnam. Ariasm.

Græc. ex Septuag. Complut. & Regia. Et hi ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro peccato Domino, Azoti vnum: & Geth vnum: & Gazes vnum: & Ascalonis vnum: & Accaron vnum. Complut. Regia.

Græc. ex Septuag. Sixtia. Et hæ sunt sedes aureæ, quas reddiderunt alienigenæ pro cruciatu Domino. Azoti vnam, Gaze vnam, Ascalonis vnam, Geth vnam, Accaron vnam. Sixtia.

Caietan. ex Hebræo. Istæ autem sunt marisæ aureæ, quas reddiderunt Philisthiim pro delicto Domino. Pro Asdod vna, pro Hazza vna, pro Ascelon vna, pro Gath vna, pro Ecc'-ron vna. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

1 *Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim.* Mend. ibi. §. 3. An obtulerint singulæ vrbes singulos mures aureos, non apparet tam expressum in Vulg. Videtur distributiue loqui ita vt ani, siue circuli aurei ad vrbes primarias spectarint, vt hoc Numero exprimitur; mures autem aurei ad minora oppida, vt colligitur exsequenti; nihilominùs dubitandum non est, vtraque munera à primariis vrbibus oblata, vt D. Hier. Lira, & Abul. aduertunt; vtraque enim illis fuerunt imperata suprà num. 5. & vtraque de facto ab illis oblata, & ex hoc, & sequenti numero non obscure colligitur. LITERAL. Mendoza.

2 *Hi sunt autem ani aurei, &c.* Angelom. in Stromatibus. Hæ quinque vrbes munera aurea offerunt, quando auro spiritualis intelligentiæ instructi ab his vitiis per pœnitentiam declinantes, quæ in quinque sensibus corporis admittuntur, diuinis testamentis se subdunt. MYSTIC. Angelom.

3 *Hi sunt autem ani aurei, &c.* Author Catenæ. Cùm Sacerdotes, & Diuini pro numero præcipuarum ciuitatum quinque anos aureos, & totidem mures reddi pro peccato persuasissent, executioni eorum consilium datum fuisse ostenditur. Vnde non solùm anos aureos, sed & singulos etiam aureos mures ab iisdem vrbibus oblatos fuisse credendum est. Quid autem ani, quid sedes, & marisæ, satis suprà declaratum manet. LITERAL. Author Catenæ.

4 *Azotus vnum.* Hieronymus lib. de locis Hebraïcis tom. 3. Azotus, quæ suprà Asdod vsque hodie non ignobile municipium Palæstinæ, & vna de quinque ciuitatibus Allophylorum decreta quidem Tribui Iudæ, sed non retenta ab ea, quia nequaquam veteres accolas potuit expellere. LITERAL. Hieron. *Azotus quæ?*

5 *Azotus vnum.* Angelom. in Stromatib. cap. 6. Azotus benè interpretatur *ignis*, illum scilicet significans, quo corda miserorum succenduntur, de quibus scriptum est, *omnes adulterantes velut clibanus coctus eorum.* Osee 7. MYSTIC. Angelom. Osee 7.

6 *Azotus vnum.* Abul. ibi. q. 22. Erat ista ciuitas apud mare mediterraneum, quod vocatur Mare magnum in Scriptura. LITERAL. Abul. *Azotus quæ?*

7 *Azotus*

LITERAL. Mend. Iosue 13.3.

7 *Azotus vnum.* Franc. Mendoza ibi. §. 2. Omnes fuerunt Metropoles, vt Iosue 13.3. habetur. Omnes maritimæ, vt ex Ezech. 25.16. intelligitur.

LITERAL. Hier. *Gaza qua?*

8 *Gaza vnum.* Hieron. suprà. Gaza ciuitas Euæorum in qua habitauêre Cappadoces pristinis cultoribus interfectis. Apud veteres autem erat terminus Chananæorum iuxta Ægyptum, cecidítque in sorte Tribus Iudæ: sed eam tenere non potuit, quia Enachim, ideſt Gigantes fortissimi Allophylorum restiterunt, & vsque hodie insignis ciuitas Palæsthinæ.

LITERAL. Angelom. *Gaza quid? Matt. 13.*

9 *Gaza vnum.* Angelom. suprà. Gaza, quæ dicitur *fortitudo eius*, quia fortes sunt adulterantes in malum. Siue diuitiæ, de quibus Dominus dicit, solicitudine diuitiarum suffocant verbum, accipiuntur, in quibus confidunt iniqui.

LITERAL. Abul. *Gaza qua?*

10 *Gaza vnum.* Abul. ibi. quæst. 22. Ciuitas in extremitate terræ Philisthiim, & totius terræ Chanaam versùs meridiem. Fuit autem ista ciuitas in qua cepit Samson mulierem meretricem nomine Dalila; & portas huius vrbis super humeros portauit.

LITERAL. Hieron. *Ascalon qua?*

11 *Ascalon vnum.* Hieron. suprà. Ascalon vrbs nobilis Palestinæ, quæ & ipsa antiquitus vna fuit de quinque Satrapiis Philisthinorum, separata quidem Tribui Iudæ per sortem, tamen non retenta ab ea, quia habitatores eius superare non potuit.

MYSTIC. Angelom. *Ascalon quia?*

12 *Ascalon vnum.* Angelom. suprà. Ascalon *ponderata* sonat, vel *ignis homicida*, malitiæ pondus, quo deprimuntur reprobi; de qua re dicitur: *Iniquitas in talento plumbi sedet*, quia iniquitate succensi, vt diuitiis abundare possint, homicidia perpetrãt.

Hieron. *Geth qua?*

13 *Geth vnum.* Hier. suprà. In hac Gigantes, qui vocabantur *Enachim*, & Philisthinorum accolæ permanserunt. Ostenditur vicus in quinto milliario ab Eleuteropoli euntibus Diospolim.

Angelom. *Geth quid?*

14 *Geth vnum.* Angelom. suprà. Geth *torcular* interpretatur: significat autem tribulationes præsentis vitæ, vbi torquentur electi, ac reprobi.

LITERAL. Abul.

15 *Geth vnum.* Abul. suprà. De ista vrbe erant quidam Gigantes Philisthinorum; fuit namque de ea Goliath cum quo congressus est Dauid.

LITERAL. Hieron. *Accaron qua?*

16 *Accaron vnum.* Hier. suprà. Accaron in Tribu Dan, siue, vt ego arbitror, in Tribu Iudæ ad lævam Chananæorum. Vrbs vna de quinque olim Satrapiis Palestinæ, & decreta est quidem Tribui Iudæ, nec tamen tenta ab ea, quia habitatores pristinos nequiuit expellere. Sed & vsque hodie grandis vicus Iudæorum Accaron dicitur inter Azotum, & Iamniam ad Orientem respiciens. Quidam putant Accaron turrim Stratonis postea *Cæsaream* nuncupatam.

MYSTIC. Angelom. *Accaron quid?*

17 *Accaron vnum.* Angelom. suprà. Accaron quæ *sterilitas*, vel *eradicatio* dicitur, reproborum significat sterilitatem, qui his vitiis insistunt; & si in his perseuerauerint, eradicabuntur à terra viuentiũ.

LITERAL. Abul. *Accaron qua?*

18 *Accaron vnum.* Abul. ibi. q. 22. Est ista ciuitas in qua postea fuit Ordo Militum, qui nunc vocantur *Ordo S. Ioannis de Acie*, mutato nomine antiquo, scilicet Acharon; & duranit ibi militia magna, dum Christiani possederunt terram promissionis.

VERSVS XVIII.

Vulgata.

VVlgata. Et mures aureos secundùm numerum vrbium Philisthiim quinque prouinciarum ab vrbe murata, vsque ad villam, quæ erat absque muro, & vsque ad Abel magnum, super quem posuerunt Arcam Domini, quæ erat vsque in illum diem in agro Iosue Bethsamitis.

Benedict. *in margine.* Et vsque ad lapidem luctus magnum, super quem posuerunt Arcam Domini, quæ erat vsque in præsentem diem. — Benedict.

Text. Gloss. *in margine.* Secundùm numerum omnium vrbium Philisthiim quinque Principum. Et vsque ad lapidem magnum, super quem posuerunt Arcam Domini, quæ erat vsque ad diem hanc. — Glossa.

Autor Catenæ. Alia exemplaria habent. *Quæ erat vsque in illa die in agro Iosue Bethsamita.* — Author Catenæ.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Mures verò aurei secundùm numerum omnium vrbium Pelisthinorum quinque Satrapis ab vrbe murata, vsque ad villam absque muro, vsque ad Abel magnum, super quem posuerunt Arcam Domini, vsque ad diem hanc in agro Iohosuæi Bethsamitæ. — Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Et mures insuper aureos iuxta numerum omnium Ciuitatum Palæsthinorum, nempe secundùm quinque Satrapas tam vrbium, quæ munitæ fuerunt, quam pagorum, qui non fuerunt muniti, ad lapidem vsque luctus magnum, super quem reposuerant Arcam Domini vsque in præsentem diem in agro Iehosue Bethsemesitæ. — Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et mures aurei iuxta numerum omnium ciuitatum Pelisthæorum, ad quinque tyrannos ab vrbibus munitis, & vsque ad vrbes apertas, & vsque ad lapidem magnum, super quem ascendere fecerunt Arcam Domini, vique diem hanc, ecce ille in agro Iehosuagh. qui ex Bethsames. — Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et mures aurei secundùm numerum omnium vrbium Philisthiim quinque prouinciarum ab vrbe murata ad vsque ad villam Pherezæi, & vsque ad lapidem magnum, vbi posuerunt super ipsum Arcam fœderis Domini vsque ad diẽ hũc in agro Iosue Bethsames. — Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtina. Et mures aurei iuxta numerum omnium ciuitatum alienigenarum quinque Satraparum à ciuitate confirmata, & vsque ad pagum Pherezæi, & vsque ad lapidem magnum in quo imposuerunt super eum Arcam Testamenti Domini, quæ erat in agro Oiex Bethsamitæ. — Sixtin.

Caietan. ex Hebræo. Et mures aureos secundum numerum ciuitatum Pelisthim quinque dominorum à ciuitate murata, vsque ad villam absque muro, & vsque ad Abel magnum super quem posuerunt Arcam Domini vsque ad diem hanc in agro Iehosue Bethsimitæ. — Caietan.

Simmac. apud Procop. Vsque ad Abel magnam, per quam Arcam Domini emiserunt. — Simmac.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Hieron.

1 ET mures aureos secundùm numerum, &c. Hieron. seu Autor Trad. Hebraic. in lib. Reg. Quinque anos, & quinque mures hæ ciuitates dederunt: reliquæ autem ciuitates Prouinciarum, & villæ, quæ erant absque muro mures tantum dederunt: idcirco dicitur, *Ab vrbe murata vsque ad villam, quæ erat absque muro.*

MYSTIC. TROPOL. Greg.

2 *Et mures aureos secundùm numerum.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 4. Quid est, quòd cùm reddi pro peccato debitum Arcæ præcipitur quinque ani aurei, & quinque mures simul nominantur? Cùm verò iam redditum, quod debebatur, asseritur; vrbes singulæ separatim vnum reddidisse referuntur?

Sed simul suprà nominantur, quia simul omnium membrorum designabatur ornatus in cõmutatione bonorum operum: dic autẽ cùm redditum debitum Arcæ describitur, cautè ostenditur, quia vrbes singulæ anos aureos & mures obtulerunt, vt profectò peccatori conuerso insinuetur, vt semel peccata deserat, quæ per solitam prauitatem vlteriùs non requirat, vrbes quippe singulæ anos, & mures singulos reddunt, cùm conuersi peccatores semel terla lachrymis pœnitentiæ peccata non repetunt.

MYSTIC. Rupert. 3 *Et mures aureos secundùm numerum.* Rupert. libr. 1. Comment. c. 16. Hoc vrbium numero, quæ anos aureos, & mures reddiderunt, vniuersitas illorum significatur, qui quinq; corporis sensibus priùs per fornicationem abusi, postea supradictas passiones ignominiæ fugientes, peccata priora subsequentibus bonis operibus redemerunt.

HISTOR. Comest. 4 *Et mures aureos secundùm numerum.* Comest. in histor. Scholastic. c. 7. Asserunt quidam quinque tantùm esse ciuitates Philistiim, & ideò quinque tantùm misisse anos, & quinque mures. Sed in sequentibus legitur Sicaleg fuisse ciuitas Philisthinorum. Vnde melius videtur, quod dicit Isidorus quinque fuisse tantùm Metropoles, & quæque obtulit anum aureum, & murem: aliæ solùm mures obtulerunt vsque ad Abel magnum, super quem posuerunt Arcam Domini.

Isidor.

HISTOR. Isidor. Clarius. 5 *Et mures aureos secundùm numerum.* Isidor. Clarius ibi. Aliarum ciuitatum, & locorum homines audientes consilium Sacerdotum, voluerunt & ipsi offerre Deo Israel anos, & mures aureos, timentes quinque præcipuarum ciuitatum oblationem sibi minimè suffragaturam.

LITERAL. Hugo. Victorinus. 6 *Secundùm numerum vrbium.* Hugo victor. in Annotat. Elucid. tom. 1. Intelligendum est, quòd quinque prouinciæ quinque mures dederunt, & quinque anos, singulæ singulos; quos licet pro dignitate specialiter ciuitates, quasi capita Prouinciarum dedisse dicuntur, tamen pecunia non solùm ab iis qui in ciuitatibus erant, sed etiam à Villis, quæ erant absque muro, hoc est tam à minimis, quàm à maximis collecta est; vt sicut periculum erat omnium, ita oblatio esset vniuersorum.

LITERAL. Abul. 7 *Et mures aureos secundùm numerum.* Abul. ibi. quæst. 22. Non est intelligendum, quòd istæ quinque vrbes offerrent solæ istos quinque annos aureos, & totidem mures, sed quinque Prouinciæ Philisthinorum, in quibus erant istæ quinque vrbes. Soluebantur autem expensæ pro his muribus, & anis, partim ab his ciuitatibus, & partim ab aliis minoribus prouincialibus suis; & hoc significatur infrà cùm dicitur: *Ab vrbe murata vsque ad Villam, quæ erat absque muro.* Id-est, isti quinque ani, & mures non fuerunt solùm dati ab istis quinque vrbibus supradictis, sed etiam ab omnibus locis terræ Philisthiim incipiendo ab vrbe murata, vsque ad Villam absque muro, ideſt à magnis, vsque ad minima.

LITERAL. Caietan. 8 *Et mures aureos secundùm numerum.* Caiet. ibi. Sensus est, quod licet ani aurei fuerint quinque, numerus tamen murium fuit longè maior; quia fuit iuxta numerum non solùm ciuitatum, sed etiam iuxta numerum Villarum, quas possidebant quinque Principes Pelisthinorum.

MORAL. Vermill. 9 *Et mures aureos.* Petrus Vermillius ibi. Hæc donaria Palæstinorum, si materia spectetur, satis magnifica sunt; si verò ea consideres propius ac iuxta eorum formam reuera nihil aliud sunt, quàm mures, & podiçes. Talia sunt infidelium speciosa opera, quantumuis præclara, & magnifica hominum iudicio habeantur, in conspectu Dei turpia sunt.

LITERAL. Author Catenæ. 10 *Et mures aureos, &c.* Autor Catenæ. Sensus est: Quinque Prouincias Palæstinæ anos quinque aureos, totidémque mures obtulisse, reliquas verò Villas, seu pagos tantùm mures aureos pro earum numero. Quod videtur Vulgata expressisse, dum anos solis quinque Prouinciis attribuit; mures verò & Prouinciis, & Villis communes fecit, cùm vtrisque apposuerit. Quæ sententia est Autoris Trad. Hebraic. Hidor. Hispal. Comest. & Caietan. Omnes vero, & vrbes, & Villas ad communes expensas concurrisse, vt sentiunt Beda, Lira. Abul. & Sanctius probabiliter coniecturatur, idémque expresse habet Biblia Vulgaris Hispanica, quo leuioribus sumptibus donaria ex auro confici potuerunt.

Hieron. Isid. Hisp. Comest. Caiet. Beda. Lira. Abul. Vers. Hisp.

MYSTIC. Greg. 11 *Ab vrbe murata vsque ad Villam.* Gregorius libr. 3. Variarum cap. 4. Quia ista forma conuersionis tam sapientibus, quàm indoctis, tam fortibus, quàm debilibus in sancta Ecclesia obseruanda est, benè ab vrbe murata, vsque ad Villam sine muro, hæc solutio debiti expensa perhibetur; Nulli enim intra Sanctam Ecclesiam constituto liberum est peccare: nulli innoxium præua committere. Quare per Prophetam Dominus comminatur dicens: *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Muratæ quippe vrbes sunt mentes sanctarum Scripturarum eruditione circumdatæ. Villæ autem absque muro sunt mentes simplices.

Ierem. 31.

LITERAL. Hieron. 12 *Et vsque ad Abelmagnum.* Hieronym. suprà. Abel magnum ciuitas est in termino Israel. Abel magnum idcircò vocatur, cùm antea Bethsamis vocitata sit, siue propter luctum super viris Bethsamitibus ibi factum, siue propter distinctionem ciuitatis Abel Bethmaca, de qua exclamauit mulier sapiens ad Ioab dicens: *Qui interrogant, interrogent in Abela.* Sic itaque intelligendum est, quòd ab vrbe murata, vsque ad Villam, quæ erat absque muro, & vsque ad Abel magnum dederint mures, super quem, ideſt super luctum, posuerunt Arcam Domini; quæ erat vsque ad illum diem in agro Iosue Bethsamitis. *Eadem verba habet* Rupert.

2. Reg. 20. Rupert.

MYSTIC. Greg. 13 *Et vsque ad Abelmagnum.* Gregor. supra. Abel interpretatur *Luctus*, quo nimirum nomine lapis ille, in quo Arcam Dei posuerunt, vocabatur. Sed hoc profectò Redemptori nostro nomen congruit, quia etsi propria, quæ fleret, non habuit; nostra tamen quotidianis precibus, & fletibus peccata purgauit.

LITERAL. Comest. 14 *Et vsque ad Abelmagnum.* Comest. suprà. Videtur hæc littera sonare, quod Abel sit nomen lapidis, super quem posita fuit Arca. Alij asserunt ciuitatem, quæ tunc Bethsames dicebatur, quæ postea dicta est Abel, quod interpretatur *luctus* propter luctum Bethsamitarum, qui secutus est. Et tunc legitur: Super quem posuerunt Arcam, ideſt, iuxta quem.

LITERAL. Liran. 15 *Et vsque ad Abelmagnum.* Liran. ibi. Ratio mutationis huius nominis fuit, quia populus ibi percussus fuit, & luxit, vt dicitur; & ideò vocatus est Abel, quod *luctus* interpretatur. Item quia nomina sunt propinqua; Abeu enim in Hebræo lapidem significat, & mutata *N.* in *L.* fit Abel.

LITERAL. Abul. 16 *Et vsque ad Abel magnum.* Abul. ibi. q. 23. Vocatur iste lapis Abel magnus, quia forte nomen

suum

suum erat Abel, sicut interdum ponuntur alia nomina lapidibus, qui sunt in desertis, vel agris, vt patet Iosue 21. Scilicet: *Miserúntque nuntios ad filios Beniamin, qui erant in petra Remon.* Si maneret nomen, in Hebræo deberet dici *Aben*: & non *Abel*, & hoc licèt quidam putent ex industria mutatum, quia Abel significat luctum ad significandum magnum luctum, qui fuit in Bethsames pro morte eorum, qui viderunt Arcam: verius, & rationabilius puto prouenisse ex ignorantia librariorum, qui faciliter in transcribendo corrumpunt, potissimum in nominibus alienæ linguæ.

Iosue 21.

Literal. Caietan. *Abel quid?*

17 *Et vsque ad Abel magnum.* Caietan. ibi. Dictio *Abel* apud Hebræos sonat luctum, vel planitiem. Et si quidem legitur *planities*, sétiuset, quòd numerus murium fuit iuxta numerum etiam Villarum, quæ erant vsque ad planitiem magnam, super quam posuerunt Arcam Domini. Ita quòd à quatuor describitur, vbi posita est Arca, Primum, à lapide magno, tanquam à loco propriissimo. Deinde ab agro Iosue, tanquam loco prædicti lapidis. 3. à magna planitie, tanquam loco communi, cuius pars erat ille agri; & demum à ciuitate Bethsames, tanquam à proprietate territorij. Si autem legeretur *luctu*, non potest legi, vt luctus est nomen appellatiuum, quia discordaret in genere cum adiectiuo *magnum*; nam Hebraicè adiectiuum hoc est fœminei generis. Sed oportet legere *luctum* vt nomen proprium ciuitatis, ita quòd Bethsames appelletur luctus grandis, propter subiecturum in ea magnum luctum, & ad differentiam alterius Abel paruæ.

Literal. Serar. Rabbi Dauid.

18 *Et vsque ad Abel magnum.* Nicolaus Serar. ibi. Quidam interpretantur ad lapidem magnum posita L. pro N. inquit Rabbi Dauid in Rad, & ita Chaldæus. Sed addit Rabbi Dauid nomen magni lapidis super quem Arcam posuerunt, fuisse Abel propter luctum, qui ibi actus est, sicut & Arca Athad dicta est Abel, ideſt, luctus Ægyptiorum.

Gen. 50.

Gen. 50. 11. licèt ibi Chaldæus ipsum Abel retinuerit; potest enim & planitiei, & luctus significatum simul includere, vel ipso Mercero Autore

Mercer.

Literal. Author Catenæ.

19 *Et vsque ad Abel magnum.* Author Catenæ. Per Abel magnum alij planitiem magnam intelligunt, alij ciuitatem ipsam Bethsames, quæ deinceps ex acerbo planctu Abel, ideſt luctus, dicta est; faciuntque adiectiuum fœmineum, quod est in Hebræo. *Abel magnam.* Obstat tamen relatiuum, quod additur: *super quem posuerunt Arcam*, neque enim super ipsam vrbem posita Arca fuit, sed iuxta, super lapidem. Tandem alij, quibus potiùs assentior per Abel, ipsum lapidem grandem, super quem Arca locata est, intelligunt, cum quadam allusione ad *Aben*, quod Hebraicè lapis est. Sic Beda, Carthus. Charens. Lira, Salian, Saa, Mariana, & plures alij. Si verò obiicias relatiuum generis fœminei, quod sequitur: *Quia erat vsque in illum diem*, quod lapidi malè aptatur. Respondeo primò ab Hebræo, & Græco excludi. 2. etiamsi non excluderetur, oriri ex licentia Grammaticæ Hebraicæ, quæ interdum concordantiæ non attendit, vt docet Pagninus lib. 2. Instit. cap. 1. & Sanctius hic numero 48. & in cap. 7. Isaiæ.

Beda. Carthus. Charen. Lira. Salian. Saa. Marian. Pagn. Sanctius.

Literal. Hugo Vict.

20 *Quia erat vsque in illum diem, &c.* Hugo Victor. suprà. Quo scilicet percussit Dominus Bethsamitas in agro Iosue. In quo etiam culpa eorum notari potest, quòd non eam in domum introduxerunt, sed foris dimiserunt, vbi ab omnibus irreuerenter aspiceretur. Nam viri Chariathiarim non sic fecerunt postea, propter quod, nec percussi sunt illi.

21 *Qua erat vsque in illum diem &c.* Abul. ibi. quæst. 23. De lapide isto sic intelligendum est, quòd ante diem illum semper fuit ibi, & postea, etiam semper. Sed Scriptura non curauit significare, quod ibi fuerit postea, quia non erat necessarium Scripturę. Et ista est cõsuetudo Scripturæ sacræ, iuxta illud Matt. 1. Ioseph *non cognoscebat* MARIAM, *donec peperit ei filium suum primogenitum.* Licèt etiam certum sit, quòd nec postea cognouit: non dicit an postea cognouerit, vel non, quia istud non erat necessarium ad intentionem Scripturæ, scilicet, quòd Christus natus esset de Spiritu Sancto sine semine, quia etiamsi postea cognosceretur à Ioseph, quod falsum est, nihilominus esset iam Christus de Spiritu Sancto, & sine semine, quod solum intendebat Euang.

Literal. Abul. Matt. 1.

VERSVS XIX.

Vulgata. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quòd vidissent Arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxitque populus eo quòd Dominus percussisset plebem plaga magna.

Vulgata.

Benedict. Percussit autem Dominus, &c. *Et in margine.* Et quinquaginta millia hominum.

Benedict.

Text. Gloss. in margine. Eo quòd vidissent quæ erant in Arca Domini. Et quinquaginta millia viros.

Gloss.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Percussit autem aliquot ex viris Bethsemes, quia aspexerunt quæ erant in Arca Domini, & percussit è populo septuaginta viros, & quinquaginta millia virorum; Luxerúntque populus, quia percussit Dominus populum plaga magna.

Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Porrò ciues Bethsames percussit Dominus, quod introspexissent Arcam Domini: percussit, inquam, in populo septuaginta viros, & quinquaginta millia virorum. Populus verò luxit, quòd Dominus populum tanta clade percussisset.

Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et occidit in viris Beth-semes super quod gauisi sunt, quòd viderunt Arcam Domini, quando apparuit, & occidit in senibus populi septuaginta viros, & in vniuersitate quinquaginta mille veros; & luxerunt populus quoniam percussit Dominus in populo percussionem magnam.

Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et percussit viros Bethsæmes, quia viderunt Arcam Domini, & percussit in eis septuaginta viros, & quinquaginta millia virorum ex populo. Et luxit populus, quia percussit Dominus in populo plaga magna valdè.

Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et non sunt delectati filij Iechoniæ in viris Bethsamiis, quia viderant Arcam Domini, & percussit in eis septuaginta viros, & quinquaginta millia virorum. Et luxit populus quia percussit Dominus in populo plaga magna valdè.

Sixtia.

Autor Tradit. Hebraic. Et percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia viros.

Hieron.

Theodor. ibi. quæst. 14. Non lubenter autem acceperunt filij Iechoniæ in viris Bethsames, quòd viderunt Arcam Domini. Et percussit in eis septua-

Theodor.

ginta viros, & quadraginta millia virorum ex populo.

Gregor. *Greg.lib.3.Variar.cap.4.* Percussit autem Dominus de viris Bethsamitibus.

Eucher. *Aliqui apud Eucherium in præsenti.* Percussit autem de viris Bethsamitibus, quia despexerunt Arcam Dei.

Tygurin. *Tygurina.* Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quòd introspexissent in Arcam Domini.

Caietan. *Caietan.ex Hebræo.* Percussit autem de hominibus Bethsemes, quia viderunt in Arca Iehouah: & percussit in populo septuaginta viros, quinquaginta millia virorum, luxitque populus, quia percussit Dominus populum plaga magna.

Isidor. *Isid.Clar.ibi.* Et quinquaginta millia *hominum.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Greg. lib.3.variar.cap.4. Qui sunt Bethsamitæ percussi, nisi falsa contemplatione decepti hæretici? Bethsamitæ enim non veritate fuerunt, sed præsumptione. Dum igitur Arcam videre in lapide præsumerent, percussi sunt, quia cùm Domini, ac Redemptoris nostri Sacramenta indigni discuterent, æternæ damnationis laqueis per fallaciam proprij sunt depressi erroris.

Literal. Rupert. 2 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Rupert.lib.1.comment.cap.16. Idcircò percussit eos, quia viderant Arcam Domini, quia curiosè inspexerant, cùm fuissent lege prohibiti; ait enim Dominus in lib. Numer. *Aaron, & filij eius intrabunt ipsi, qui disponent opera singulorum, & dividents quæ portare quis debeat. Alij nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario, priusquam involuantur; alioquin morientur.* Sic nimirum millia multa de viris Bethsamitis, de viris domus Solis, de viris Ecclesiasticis, multa, inquam, millia plebis, multos Primates viros percussit iudicium Domini, & errare eos fecit, eo quòd vidissent Arcam Domini; eo quòd indignè non dilectionis studio, sed præsumptionis, & curiositatis vitio ausi fuissent in Scripturis scrutari secreta Diuinitatis, & facti sunt hæresiarchæ iudicante Domino superbos ad conspectum Diuinitatis & veritatis non admitti.

Tropol. *Hæreticorum ruina.*

Literal. Beda. 3 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Beda lib.1. exposit. Allegor. cap.11. Non Sacerdotes, & Leuitas, quorum officij erat Arcam portare, sed vulgus ignobile, cui nec videndi eam fas erat, percussit. Quod ne pateretur in Exodo, populus à longè stabat, & orabat, solúsque Moyses ascendit ad Dominum. Soli namque scientia, & actione perfecti cœlestium contemplationi in hac vita mentem intendere norunt. At si quis minùs perfectus adhuc in humanis diuina tractare præsumpserit, cauendum ne vel hæresi, vel desperatione, vel alio quolibet discrimine reuerberetur eius inconsulta temeritas.

Tropol. *Qui diuina tractent?*

Literal. Eucher. *Populus, & plebs eadem?* 4 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Eucher. seu potiùs Autor commentar. in lib. Reg. c.8. Populus & plebs pro vna, eademque re indifferenter accipitur. Nam ex vno Græco, quod est λαὸς solet vtrumque transferri. Sed in hoc videtur esse distantia, quòd in priori commate Versiculi additum est *viros*: Viros enim maiores natu significat, vt sit sensus, quia de optimatibus populi septuaginta sunt percussi: de ipsa autem turba vulgari hominum quinquaginta millia. Quod ne pateretur in Exodo, populus à longè stabat, & orabat, solúsque Moyses ascendit ad Dominum. Isti à Deo ob hoc percussi sunt, quia non solùm appropinquauerunt, sed etiam, vt alia translatio habet, *despexerunt*, quod rationi plus congruum est. Nam in Exodo viderunt, & audierunt, perspicua diuinæ potentiæ inspexerunt, nec perierunt, & ideò isti non de visione, sed de despectione, & temeritate mulctati sunt.

Histor. Seuerus. 5 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Seuer. Sulpit. lib.1. sacræ Histor. Sed in oppido, quod suprà diximus, teneri Arca non potuit, itaque passim Dei nutu per totam vrbem sæuitum.

Histor. Ioseph. 6 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Ioseph. lib.6. Antiquit. cap.1. Cæterùm indignatio Dei Bethsamitas inuasit, ex quibus septuaginta occidit, quod cùm non essent Sacerdotes, profanis manibus contrectare Arcam sunt ausi; quæ res lætitiam vicanorum nouo luctu nonnihil obscurauit eo magis, quod suos non fatali morte, sed diuina vltione extinctos desiderabant.

Literal. Theodor. *Cur percussi Bethsamita?* 7 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Theodor. ibi quæst. 14. Populus fuit castigatus, vt qui noluerit pro Arca adire periculum, & septem menses eam reliquerit apud alienigenas, & pro ea bellum non susceperit. Cùm ergo ostendisset Deus, quòd eorum non egeat auxilio, & quantum honorem, ac cultum acceperit ab alienigenis, eos ostendit magis impios. *Eadem verba habet* Procopius *ibi.* Procop.

Literal. Theodor. 8 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Theodor. ibi quæst. 14. Filij lechoniæ, vt impij, & seruientes Idolis ægrè tulerunt videntes Arcam, & meritò luerunt supplicium. Quod etiam impiorum populus contempserit Arcam, testantur quæ sequuntur. Diuinissimus enim Samuel eos est exhortatus, vt conuerterentur ad Dominum, & auferrent Deos alienos è medio sui, & lucos. *Eadem habet* Procop. Procop.

Literal. Gloss. Ord. *Cur percussi?* 9 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Gloss. Ordin. ibi. Hebræi dicunt: nulli licebat detectam videre Arcam, nisi Pontifici. Percussi ergo sunt, eo quòd indigni essent, vel, indignè accessissent, vel, non custodissent Arcam.

Tropol. Berchor. *Meliores grauiùs peccant.* 10 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Petrus Berchor. lib.9. Moralit. Bibliæ cap.6. Hoc videtur ibi mirabile, quòd Philisthæi, cùm essent idolatræ, nec Arcæ, nec Dei veri cultores, videndo Arcam, non fuerunt mortui. Potest allegari quòd Gentiles minùs peccant in eodem genere peccati, quàm filij Israël: Iudæi, quàm Christiani: Laici quam Clerici, & Religiosi; minúsque debet homini displicere delictum extranei, quàm propinqui. Psalm.54. *Quod si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: tu verò homo vnanimis dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Psalm 54.

Adricom. 11 *Percussit, &c.* Adricomius in Chronica, anno Mundi 2850. Cùm Arcam aperirent, & curiosè inspicerent, percussit Dominus de clarioribus viris 70. de vulgo 50. millia.

Literal. Lira. *Cur percussi?* 12 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Liran. ibi. Cuius percussionis duæ causæ priùs sunt actæ, scilicet inepta lætitia, & holocaustum indignè oblatum. Tertia tangitur hîc, scilicet curiositas, qua moti fuerunt ad videndum Arcam, quod sub pœna mortis inhibebatur, vt habetur Numer. 4. Quarta autem causa ex circumstantiis litteræ datur intelligi, scilicet quòd Arcam Domini dimiserunt nimis sub dio sine luminaribus, & cultu debito. Numer 4.

Literal. 13 *Percussit autē de viris Bethsamitibus.* Abul. ibi quæst. 24.

Abul. *Qui occisi?*

quæst. 24. Quamquam solùm essent Bethsamitæ, qui occisi sunt, tamen poterant ibi esse aliqui Sacerdotes, & Leuitæ, quia præter vrbes, quæ datæ fuerunt Sacerdotibus, & Leuitis ad habitandum, ipsi habitabant adhuc in vrbibus Israëlitarum. Et hoc propter paupertatem; erant enim Leuitæ pauperes, & quia vt in plurimum eleemosynis Israëlitarum erant gubernandi.

Literal. Idem.

14 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Idem ib. q. 26. Non est credèndum, quòd percussi fuerunt omnes, qui eam viderunt, nam secundum communem expositionè solùm perierùt Septuaginta: verisimile tamen est quòd plures de Bethsamitis essent præsentes Arcæ ad honorandum eam. Et si Arca ab aliquo discooperiretur, omnes, qui præsentes erant, viderent, quia non erat in potestate eorum nequaquam videre. Solùm igitur dicendum est, quòd perierunt illi, qui discooperierunt.

Histor. Sabellic.

15 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Sabellic. Enead. 1. lib. 1. Procul boues à nullo actas intuiti propiùs accedunt, cognoscendi studio, quid res esset. Mox fœderis Arcam intuiti miraculo defixi, aliquandiu silentium tenuere. Insperato inde gaudio, nimiáque lætitia obortis lachrymis venerabundi currum quasi cœlo demissum excipiunt. Fama receptæ Arcæ per omnes Iudææ fines euagatur. Bethsamitani hîc vbi sacrarium receperant, boues ipsas Deo immolant, multaque hilaritate epulantur. Palæstinorum munera, velut profana supra saxum, eodem statuunt loco. Ipsi quia temerè Arcam attrectassent quia non essent ministerio initiati, graui sunt pestilentia vexati, donec sacrarium in Chariathiarim vrbem deportandum curarunt.

Mystic. Bonauen.

16 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Bonauent. in 4. distinct. 9. quæst. 2. art. 4. tom. 5. Bethsamitæ figuram gerunt, & supplicium huius Sacramenti arcana videre volentium, qui propter tumorositatem frequenter in fide pereunt, & moriuntur.

Literal. Marian.

17 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Ioan. Mariana in Schol. Quare percussit? Kimhi, quia aperuerunt Arcam. Id indicant illa verba: *Eo quòd vidissent Arcam Domini.* Non vult Deus, vt populus arcana scrutetur. At Leui Ben-Gherson: *Quòd non continuò relicta messe occurrissent Arcæ.*

Rabbi Leu.

Literal. Mendoza. *Plaga quæ?*

18 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Franciscus Mend. ibi §. 2. Nihil amplius dicitur in littera, quàm quòd Deus percusserit. Genus autem, & modus percussionis prorsùs tacetur. Neque vllus Interpretum rem attingit. Immo Dionysius. *Quæ fuerit,* inquit, *plaga illa nescitur.* Vnus tantùm Antonius Sabellicus existimat Bethsamitas fuisse pestilentia vexatos, nullo tamen prodito suæ existimationis argumento. Quidquid tamen sit de ea re non dubito percussionem fuisse capitalem, repentinam, & Angelorum ministerio illatam.

Carth.

Sabell.

Literal. Autor Catenæ. *An fœmina percussa?*

19 *Percussit autem de viris Bethsamitibus.* Autor Catenæ. Nullus Interpretum, quos vidi, disputat, an qui percussi fuerint, solùm mares, an verò etiam fœminæ? Supponere tamen videntur viros, seu mares fuisse. Vnde confirmari potest, quod supra cap. 5. vers. 9. diximus solos etiam ex Azotiis viros fuisse infami morbo percussos, nec sub viri nomine vtrumque sexum semper contineri.

Literal. Tropol. Hugo Vict.

20 *Eo quod vidissent Arcam Domini.* Hugo Victor. in Annotationib. Elucidator. Scilicet non reuerenter, neque cum timore, vt tantam rem decebat, sed audacter irruentes, respexissent Arcam Domini. Indignum quippe fuerat, vt qui Philisthæos, qui digni non erant Arcam Dei retinere, præsumentes pro sua temeritate percussos audierant; ipsi quoque infirmitatis suæ memores cum magna reuerentia, & timore ad illam respiciendam accederent.

Histor. Comest.

21 *Eo quòd vidissent Arcam Domini.* Comest. in Histor. Scholastic. cap. 7. Percussi sunt de Bethsamitis septuaginta viri, & quinquaginta millia plebis eo quòd vidissent Arcam nudam. Creduntur autem illi Septuaginta deposuisse Arcam, cùm non essent Sacerdotes. Sed quæritur: Cur ergo mortui non sunt Philisthæi quotquot viderunt Arcam? Potest dici, quòd non peccauerunt videndo, quia non erat illis prohibitum videre.

Histor. Zonaras.

22 *Eo quòd vidissent Arcam Domini.* Ioann. Zonaras tom. 1. Annal. Numen autem iis qui Arcam attigerant, cùm profani essent, iratum necem attulit.

Literal. Abul.

23 *Eo quòd vidissent Arcam Domini.* Abulens. ibi quæst. 25. & 26. Quia viderunt Arcam, est propter quam causam facta fuit plaga, & ista solum exprimitur in littera, fuit enim communis omnibus. Et viderunt eam nudam. Fuit autem hoc, quia cùm venisset Arca Dei de terra Philisthiim nouiter repleti magno gaudio discooperuerunt eam, vt viderent; & forte hoc faciebant populares, quia nullus vnquam Israëlitarum, præter Sacerdotes, viderant Arcam nudam, & quia ipsa erat quid pretiosissimum apud Hebræos, desiderabant nimis videre illam.

Literal. Idem.

24 *Eo quòd vidissent Arcam Domini.* Idem ibidem quæst. 26. Hebræi dicunt, quòd non solùm viderunt Arcam, sed etiam aperuerunt eam, vt viderent quid intra illam erat: Et hoc dicunt, quia littera Hebraica dicit hîc, quòd percussit Dominus Bethsamitas, *quia viderunt in Arca*, ideſt intra Arcam, scilicet aperientes eam. Littera autem nostra nihil huius expressit, quia intellexit Hieronymus, quòd nihil speciale dicebat illa præpositio, scilicet viderunt *in* Arca, quia secundùm modum improprium loquendi sermonis Hebraici, interdum ponuntur aliquæ, quæ nihil efficiunt.

Hieron.

Literal. Caiet.

25 *Eo quòd vidissent Arcam Domini.* Caietan. ibi: Nihil refert, quòd Hebraicè habetur, *Quia viderunt in Arca Iehouah.* Significatur enim, non quòd viderint interiora Arcæ, sed quòd curiosè inspexerint in ea quæ elaborata erant ab artificibus tempore Moysis in ea.

Literal. Serar. Rabbi Salomon.

26 *Eo quòd vidissent Arcam Domini.* Serar. ibi. Rabbi Salomon dicit Bethsamitas Arcam contemplisse.

Histor. Turſellin.

27 *Eo quòd vidissent Arcam Domini.* Orat. Turselin. lib. 1. epitome. Bethsamitis, quia Arcam curiosè introspexerunt, millia amplius quinquaginta diuinitùs illata clade perierunt.

Literal. Author Catenæ. *Cur percussi?*

28 *Eo quòd vidissent Arcam Domini.* Autor Catenæ. Cùm Textus expresserit percussos Bethsamitas fuisse, eo quòd vidissent Arcam, vel vt Hebræus habet, *quia aspexerunt quæ erant in Arca*, nescio quo inutili studio, ne audaci, dicam, aliæ omninò diuersæ causæ huius percussionis ab aliquibus excogitentur. Quarum quæ à Lyrano assignantur, vel confictæ sunt iuxta Rabbinorum commenta, vel nullæ, vt disertè, & eruditè probant Abulensis, Salian. Cornel. & Mendoza. Cùm enim sub mortis pœna Hebræis inhiberetur Numer. 4. nudæ Arcæ aspectus, hîc autem describatur, vel supponatur legis huius transgressio, reorum neces cuinam alij causæ, aut quibus aliis rationibus adscribantur? Adde satis probabiliter credi non solùm eos nudam Arcam audacibus animis prospexisse,

Liran.

Abul. Salian. Cornel. Mendoza. Numer. 4.

xisse, sed & actos curiositatis studio eam aperuisse, vti affirmat Rabbi Kimhi cum aliis, vt viderent an ab alienigenis quid inde abstractum, vel ibi repositum fuisset: quod impudentiæ, & temeritatis crimen tot millium hominum cæde nondum satis vindicatum est. Arcam quoque à Bethsamitis apertam affirmant apud Isidorum Clarium Hebræi, & confirmatur ex Hebraica Lectione Pagnini, atque Vatabli, & confirmari etiam potest ex alia, nescio cuius, versione apud Eucherium, nimirùm: *Quia non solùm appropinquauerunt, sed etiam, vt alia translatio habet*, despexerunt. Despicere autem, non de contemptu intelligo, vt Mendoza, sed de inspectione interiorum Arcæ; despicere enim propriè, est ex alto inferiora conspicere, quod fieret apertâ Arcâ, vt quæ intùs continerentur videri possent.

Rabbi Kimhi. Isidor. Clarius. Pagn. Vatab. Eucher. Mend.

LITERAL. Gordon. 29 *Eo quòd vidissent Arcam Domini.* Iacobus Gordon. in Comment. Causa tot cæsorum fuit, quia aperuerunt Arcam, & curiosè videre voluerunt, quid intus erat.

LITERAL. Hieron. 30 *Et percussit de populo septuaginta viros.* Hier. vel potiùs Author Tradit. Hebraic. in lib. Reg. Hos septuaginta viros Iudices Septuaginta Hebræi intelligunt, quorum meritò & gloriæ quinquaginta millia viri comparabantur; sicut de Dauid dicitur: *Quia tu vnus pro decem millibus computaris.*

Rupert. 2. Reg. 18. *Eadem verba habet* Rupert.

LITERAL. MYSTIC. Gregor. 31 *Et percussit de populo septuaginta viros.* Greg. suprà. Quid est quod de populo septuaginta viros, de plebe autem quinquaginta millia percussa sunt? Sed quia appellatione populi etiam vrbium nobiles continentur; plebs autem vulgus est reliquum sine nobilibus, potest hoc colligi, quia hæreticorum alij inter alios quasi nobiles extiterunt, qui immunditia operum solo errore perierunt: cæteri verò quasi plebis rusticitatem secuti cum errore fidei, obscurati sunt sorde prauæ operationis.

LITERAL. Lira. 32 *Et percussit de populo septuaginta viros.* Lira. ibid. Sic debet intelligi etiam secundùm Hebræos, quòd solùm septuaginta viri sunt percussi, qui erant tantæ reputationis, quod æquiparabantur quinquaginta millibus de plebæis, eo modo loquendi, quo dicetur de Dauid 2. Reg. 18. *Tu vnus pro decem millibus computaris.*

2. Reg. 18.

LITERAL. Interl. 33 *Et percussit de populo septuaginta viros.* Glos. Interl. ibidem. Maiores natu, Optimates scilicet populi.

LITERAL. Abul. 34 *Et percussit de populo septuaginta viros.* Abul. ibid. q. 26. Hoc fuit conueniens ad monstrandum gloriam suam; sciebant enim Iudæi, quòd Arca Dei à principio inter ipsos fuerat aliquid nimis honorabile, quia tamen ducta fuerat à Philisthinis, & remanserat in terra ipsorum, forte tam non crederetur digna tanto honore; ideò Deus voluit monstrare gloriam suam æqualem esse apud Arcam tunc, & à principio, & ad hoc illos, qui incidenter eam videre voluerunt, occidit.

LITERAL. Charen. 35 *Et percussit de populo septuaginta viros.* Hugo Charens. in Postilla. Quidam dicunt, quòd septuaginta viri, qui mortui sunt, deposuerunt Arcam, cum non essent Sacerdotes; & ideò mortui sunt.

LITERAL. Author Catenæ. Quos occisi? Raschi. Angelom. Lira. 36 *Et percussit de populo septuaginta viros.* Author Catenæ. Aliqui tantùm septuaginta percussos fuisse affirmant, qui tamen vtpote Iudices, & nobiles pro quinquaginta millibus reputarentur. Ita Raschi, Angelom. Lira, & alij ex Hebræis. Dura quidem, & violenta expositio contra planum, & historicum sensum litteræ. Secundò censet Abulensis numerum *quinquaginta millium* vitio fortè irrepsisse Hebraico Textui. Sed hoc diuinare est ablque sufficienti fundamento, cùm etiam Iosephus apud Glossam eundem numerum reponat (licet in nouissimis editionibus Sigilmundi, & aliorum omittatur) & ante Iosephum Septuaginta eundem numerum expressérint. Tertiò alij percussos septuaginta in vrbe, quinquaginta millia continente. Sed sensus est præposterus, & ex nulla litteræ parte collectus; cùm simpliciter referat percussos fuisse, & septuaginta, & quinquaginta millia. Male ergo historicus, & simplex sensus eluditur. Nec te ingens occisorum numerus ab hoc sinceriori sensu deterrebit, si & diuinæ iustitiæ immensitatem consideres, & delinquentium multitudinem apud æquissimum Iudicem minimè impunitatem facere. Maior enim numerus creditur fuisse Angelorum, qui vnico instanti in tartara detrusi sunt.

Abul. Ioseph. Sigism.

TROPOL. Villanoua. 37 *Et quinquaginta millia plebis.* Thoma Villanoua Archiepiscopo Valentiæ serm. 3. de Eucharistia. Res mira, & stupenda. Misit Dominus in illo populo grauissimam pestem, & occidit septuaginta Viros nobiles; & de populo quinquaginta millia. Propter quid obsecro Domine? Propter quid in cultores tuos, & adoratores sic sæuis? Sic indignaris. Quænam iniquitas? Quod flagitium? Quod peccatum? Vtique non aliud, nisi quia viderunt oculis suis Arcam nudam, quia eam non statim pallio operuerunt, ne aspicerent; quia ausi sunt oculos in eam intendere. O inæstimabilem seueritatem! In eis discamus quanti piaculi simul, & periculi sit indignè tractare, aut sumere sacrosanctam Christi carnem in hostia salutari, cuius typum sic Deus sublimauit, sic vindicauit.

LITERAL. Hugo Victor. 38 *Et quinquaginta millia plebis.* Hugo Victor. suprà. Ac si dixisset: quinquaginta millia, & septuaginta percussit de populo, nec hoc solùm de Bethsamitis, ne fortè non de populo, sed ipsum populum prostrauisse videatur, sed de tota prouincia, & regione circumiacenti ciuitati Bethsamis.

HISTOR. Cedren. 39 *Et quinquaginta millia plebis.* Georgius Cedrenus in Annal. At verò filij Ieconiæ, cum ad Arcam minùs religiosè accessissent, septuaginta de iis mortui sunt: erant enim impij & falsorum Numinum cultores, & sicut plerique omnes Bethsehemesani Ciues, quapropter etiam quinquaginta millia virorum de illo populo perierunt.

LITERAL. Abul. 40 *Et quinquaginta millia plebis.* Abul. ibid. quæst. 28. Si tamen dici posset, melius esset, quòd diceremus in littera Hebraica fuisse aliquid additum, scilicet per errorem ab antiquo secundùm quod aliqua deficiunt, vt patet in 21. cap. Iosue, vbi in omnibus libris Iudæorum deficiunt duo Versus, vt confitentur Doctores eorum. Sic enim dicit Rabbi Dauid Kimhi. Ita ergo dicitur quod quinquaginta millia esset hic ex superabundanti; cùm solùm deberent esse sexaginta. Sed ista additio facta est valde ab antiquo.

Iosue. 21. Rabbi Dauid.

TROPOL. Venetus. 41 *Et quinquaginta millia plebis.* Franciscus Georgius Venetus. Problemate 452. Hinc vero docemur quàm reuerenter aspicere, & tangere sacra, atque diuina debeamus.

LITERAL. Saa. 42 *Et quinquaginta millia plebis.* Emanuël Saa in Scholiis. Potest & sensus esse in eo populo, in quo quinquaginta millia hominum erant, percussos fuisse septuaginta. Atque id fortè voluit indicare Chaldæus addens: *In vniuersitate.* Quasi dicat: Cùm omnis populus quinquaginta millibus constaret.

43 *Et*

LITERAL. Serar.

43 *Et quinquaginta millia plebis.* Serarius in Comment. Vel diuinorum hîc iudiciorum seueritas agnoscenda, vt Num. 16. 17. Vel Latina, & Hebræa intelligenda, vt quinquaginta millia sint casus nominatiui, quasi diceretur: Et quinquaginta millia aderant.

LITERAL. Mendoza.

44 *Et quinquaginta millia plebis.* Franc. Mend. ibi. §. 15. Verior expositio, & litteræ congruentior mihi videtur, quæ asserit tot fuisse occisos, quot in littera exprimuntur, nempe septuaginta viros super quinquaginta millia plebis. Ita planè supponit Diuus Gregorius.

Gregor.

LITERAL. Salian.

45 *Et quinquaginta millia plebis.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 1940. n. 59. Abulensis non probat tam breui tempore Arcam mansisse apud Bethsamitas, aut eodem ipso die omnes occisos; quin potiùs credibile est Arcam delatam in vrbem, & decenti quopiam in loco positam, ibique à toto populo sat diu curiosè spectatam, tractatamq; maioribus vsque ad minores, qui non ad vrbem ipsam tantùm, sed pagos circumpositos pertinebat, quibus Bethsamitarum nomen propter vicinitatem accommodatur.

LITERAL. Author Catenæ Gregor. Beda. Isid. Aulus Gellius. Alex. Tiraquell. Angelom.

46 *Et quinquaginta millia plebis.* Autor Catenæ. Populum, & plebem alij confundunt, alij distinguunt, vt Greg. Beda, Isidor. & alij: & ex profanis Aulus Gellius lib. 10. c. 20. Alexander ab Alexandro lib. 6. c. 23. Tiraquellus de Nobilitate cap. 27. quibus potius assentior, idque suo modo expressit Interpres noster, dum priores, hoc est, nobiles, *Viros* vocat, non verò posteriores, scilicet plebeios, vt notauit Angelomus.

TROPOL. Mendoza. *Mala spiritualia potiùs deploranda.*

47 *Luxitque populus.* Franc. Mendoza ibi. §. 30. Nescio vtri magis deplorandi, mortuine, ob tam atrocem plagam, an viui ob tam insignem insaniam, qui solas corporales cædes, non autem spirituales ruinas lamentabantur?

VERSVS XX.

Vulgata.

Vulgata. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet à nobis?

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Dixerúntque viri Bethsemes: quis poterit stare coram Domino Deo sancto isto, & ad quem ascendet à nobis?

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Dixerunt ergo ciues Bethsemes: quis stare poterit coram Domino Deo isto sancto, & ad quem ascendet à nobis?

Ariasm.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et dixerunt viri Bethsemes: quis poterit stare ante Arcam Domini Dei sancti hanc? Et ad quem locum transferetur à nobis?

Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia. Et dixerunt viri qui in Bethsames: quis poterit stare in conspectu Domini sancti huius, & ad quem ascendet Arca Domini à nobis?

Sixtia.

Græca ex Sept. in Sixt. Et dixerunt viri de Bethsamys: quis poterit transire coram Domino Deo sancto isto, & ad quem ascendet Arca Domini à nobis?

Procop.

Procop. ibi. Alij reddunt: Quis poterit subsistere, vel consistere?

Abul.

Abul. ibi. q. 28. Et ad quem ascendet à nobis Arca testamenti.

Caiet.

Caietan. in Commentar. ex Hebræo. Quis poterit stare in conspectu Iehouah Elohim Sancti huius?

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor.

1 *Quis poterit stare in conspectu Domini, &c.* Gregor. lib. 3. Variar. Expos. c. 4. Quasi veri fideles, sed simplices dicant. Si tam Sapientes, & Philosophi in summæ veritatis cognitione falluntur, indocti, & simplices quando venire ad eius notitiam possunt? Sed & si de sua mensura diffidunt, donum tamen diuinæ cognitionis adesse Ecclesiæ non diffidunt.

MYSTIC. TROPOL. Idem. *Sacerdotes quales? Eucharistia qualiter tractanda.*

2 *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius?* Idem ibidem. Bethsamitæ quidem sunt in sancta Ecclesia Sacerdotes mortui, & ministri sacri Altaris reprobi: quia de domo quidem Solis iustitiæ sunt dignitate ministerij, non virtute, & gratia sanctitatis. Bethsamitæ quidem sunt, quia per sacræ oblationis officium conuersantur in domo Dei: sed tantò sunt acriori damnatione percutiendi, quanto non solùm audent videre sacra mysteria; sed contrectare. Quanto non iam veteris Testamenti Arcam respiciunt, sed quod omnia superat, indigne se corpori, & sanguini ingerunt Redemptoris, quos percussos insinuat Paulus dicens: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit* 1. Corint. 11. 1. Cor. 11.

MYSTIC. TROPOL. Greg.

3 *Quis poterit stare in conspectu Domini, &c.* Idem ibidem. Altitudinem tantæ administrationis considerant & tanti Sacramenti dignitatem formidant. Sed dum tantæ rei subitæ officium (Sacerdotes) metuunt, qui id exhibere valeant, digniores quærunt.

LITERAL. Abul.

4 *Quis poterit stare in conspectu Domini, &c.* Abulens. ibi. q. 28. Quasi dicant: Iste Deus noster tantum est sanctus, quòd nemo potest coram ipso stare, scilicet quia si steterit coram eo errabit in aliquo paruo, & morietur. Dicebant hoc Bethsamitæ percussi magno timore, vel quasi desperatione. Nam poterant ipsi tenere Arcam Dei apud se, & quod non morerentur, quanquam Deus nimis sanctus esset, sicut tenuerunt viri Chariathiarim, sed ex percussione illa facta consternati animo cæperunt magis timere, quàm timendum erat.

LITERAL. Abul.

5 *Quis poterit stare in conspectu Domini, &c.* Idem ibidem. Est ista querela non ex parte rationabilis, qualiter solent conqueri homines, quibus malum aliquod magnum prouenit ex culpa sua, nam leues colores querelarum inquirunt, vt sic per querelas aliquam doloris sui consolationem habeant. Velut non simpliciter ipsi sibiipsis malorum suorum causa existant.

LITERAL. Caietan.

6 *Quis poterit stare in conspectu Domini, &c.* Caietan. in Comment. Iuxta Hebræum habetur; in conspectu Iehouah Elohim sancti huius? Nominant Deum primùm nomine proprio, deinde nomine Iudicis, & demum à munditia videntes iudicia eius proficisci à summa munditia quia tanquam indignos tanta munditia percussit populum; & verè indigni erant, vt viderent Arcam tam sanctam, & velut rem profanam, tractauerint eam, concurrendo ad videndum eam.

LITERAL. Mendoza.

7 *Quis poterit stare in conspectu Domini.* Franc. Mendoza, ibi. §. 1. Dixerunt, scilicet, vel murmurando in publicis circulis, & conuentibus. Vel, quod potiùs credo, consultando in vrbano aliquo consilio quod ad hanc rem diffiniendam coëgerunt.

8 *Quis*

Literal. Mendoza. *Deus etiam punient laudabilis.*

8 *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius?* Idem ibidem §. 3. In qua ratiocinatione obiter expendendum, Deum etiam, cùm punit, sanctum esse, non iniquum. Vnde Moyses de Deo locuturus: *Terribilis*, inquit, *& laudabilis.* Exod. 15. 11. Quia etiam cùm terret, ac punit, laude dignus est; non enim punit amore vindictæ, sed zelo iustitiæ.

Exod. 15. 11.

Moral. Vermil. *Peccatorum malitia.*

9 *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius?* Petrus Vermillius ibi. Malorum causam in Deum transferunt, de suis sceleribus nihil interim cogitantes: illum clamant esse durum, difficilem, morosum, seuerum; ac si ipsi nihil mali commeruissent. Obliti erant, vel potiùs nunquam cogitarant se partim voluisse cum Deo, vt & ipsorum curiositati satisfieret, & aliquid eius præscripto relinqueretur. At non ita decidendum erat cum Deo.

Literal. Author Catenæ

10 *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius?* Author Catenæ. Bethsamitæ ingenti clade affecti, suæ indignitatis conscij Arcam aliò mandandam decernunt. Cui autem vrbium proximarum amandarent, non facilè percipiunt, nam transactis cladibus intellectis difficilis reddebatur eius à quauis ciuitate receptio.

Mystic. Gregor.

11 *Et ad quem ascendet à nobis.* Greg. suprà. A nobis Dominus ascendit, quando id, quod de eius cognitione nobis abscónditur, per electorum fidelium vocem prædicatur. Vel vt ascendere namque eius à nobis, est quod simplicioribus, siue infirmioribus de æterna contemplatione occultauerit, sublimibus per humilitatem cordibus reuelare.

Literal. Abul.

12 *Et ad quem ascendet à nobis.* Abul. ibi q. 28. Quasi dicant: nullus populus illam recipere volet, intelligens quòd ipsi percutientur, sicut nos percussi sumus. Intelligebant enim Bethsamitæ quòd acciderat Israëlitis tale malum, sicut Philisthinis. Vel potest intelligi quòd hoc dicebant per modum deliberationis, scilicet inter se inquirentes, ad quem populum mitterent Arcam, & iudicauerunt eam mittendam esse in Chariathiarim.

VERSVS XXI.

Vulgata.

Vulgata. Miserúntque nuntios ad habitatores Chariathiarim, dicentes: reduxerunt Philisthiim Arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xante Pagn. Miserúntque nuntios ad habitatores Chiriathicharim, dicendo: reduxerunt Pelisthim Arcam Domini, descendite, facite ascendere eam ad vos.

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Et missis nuntiis ad ciues Kiriathicarim diuerunt; Palæsthini reduxerunt Arcam Domini, descendite ergo, & reducite eam ad vos.

Arias.

Chaldaica ex Benedict. Arias. in Regia. Et miserunt nuntios ad habitatores Kiriathgharim ad dicendum: Redire fecerunt Pelisthæi Arcam Domini, descendite, ascendere facite eam ad vos.

Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et mittunt nuntios ad habitatores Chariathiarim, dicentes: reduxerunt Philisthiim Arcam Domini, & descendite, & reducite eam ad vos.

Sixtia.

Græca ex Sept. in Sixtina. Et mittunt nuntios ad habitatores Chariathiarim, dicentes: Redire fecerunt alienigenæ Arcam Domini: descendite, & adducite eam vos.

Caietan. *ex Hebræo.* Miserúntque nuntios ad habitatores Ciriath Ieharim dicendo. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Ioseph.

1 *Miserúntque nuntios.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. Iudaic. cap. 2. Quam ob rem indigaos se iudicantes, qui hospitium Arcæ præberent, mittunt nuntios ad vniuersos Hebræos, qui certiores faciant de Arca à Palæstinis reddita.

Mystic. Rabban.

2 *Miserúntque nuntios.* Rabban. Maurus in Gloss. Significatur translatio Testamenti Domini à Iudæis ad gentes; quia cùm illi carnali obseruantia, atque Pharisæorum superstitionibus legem fœdarent, Christi, & Discipulorum eius doctrinam recusauerunt.

Literal. Abul.

3 *Miserúntque nuntios.* Abul. ibi quæst. 28. Hoc fecerunt, vt scirent, an illi vellent recipere eam; alioquin frustra fuisset Arcam illuc remitti. Item fuit hoc, vt ipsi Bethsamitæ excusarent se de portatione Arcæ; sed habitatores Chariathiarim descenderent in Bethsames, & portarent Arcam ad se.

Literal. Serar.

4 *Miserúntque nuntios.* Nicolaus Serar. in comment. Reuera Arca vnum, alterúmve diem tantùm in agro illo mansit; statim enim vt alio migraret, vel ab ipsa Republica Israëlitarum, vt ait Iosephus, vel ab ipsa tantùm Chariathiarim ciuitate, vt habet versus 21. petierunt Bethsamitæ, eo quòd plagam à Domino magnam accepissent.

Literal. Mendoza.

5 *Miserúntque nuntios.* Franc. Mend. ibi §. 1. Cuius rei duplex ratio se mihi offert: vna, vt prudentiores, ac modestiores quàm Philisthinis se præstarent: hi enim Arcam remittebant ad alios, atque alios, etiam inconsultos, parùm soliciti de periculo alieno: altera, quia non audebant ipsi ad Arcam propiùs accedere, sussque humeris portare; nam experti illam acerbam stragem propter Arcam visam timebant, ne aliam acerbiorem propter tactam paterentur. Quarecitus Chariathiarenos admonebant, vt ipsi descenderent, & suis eam humeris portantes in suam vrbem inferrent.

Literal. Hieron. *Cariathiarim qua?*

6 *Ad habitatores Chariathiarim.* Hieroym. lib. de locis Hebraic. tom. 3. Chariathiarim, quæ & Chariath baal Ciuitas Saltuum, vna de vrbibus Gabaonitarum pertinens ad Tribum Iuda euntibus ab vrbe Ælia Diospolim in milliario vno. De hac fuit Vrias Propheta, quem interfecit Ioachim in Ierusalem, sicut scribit Hieremias.

Mystic. Gregor.

7 *Ad habitatores Chariathiarim.* Greg. lib. 3. Variar. expos. in lib. 1. Reg. cap. 4. in fine. Chariathiarim dicitur ciuitas eorum. Quæ est ciuitas Sanctorum, nisi illa Ierusalem, quæ sursum est? Qui sunt ergo habitatores eius, nisi perfecti viri ab amore mundi altera contemplatione separati? quorum profectò vnus cæteris efficacior ait. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Philip. 3. ad hos quippe nuntij mittendi sunt, vt Dei Arcam suscipiant, quia ad electionem Sacerdotum Viri sancti non solùm recipiendi sunt, sed etiam inuitandi. Philip. 3.

Mystic. Rabban.

8 *Ad habitatores Chariathiarim.* Rabban. Maurus in Gloss. Charlathiarim interpretatur villa syluarum, de qua dicitur: *Donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis Syluæ.* Locus enim Domini est Tabernaculum pectoris Christiani populi; ciuitas enim Syluarum, idest

conuentus

conuentus gentium, est locus aptus ad susciendam Arcam.

LITERAL. Abul. 9 *Ad habitatores Chariathiarim.* Abulens. ibi. q.28. Est Chariathiarim quædam ciuitas nobilis, quæ non multùm distat ab vrbe Bethsames, vt ait Ioseph.6. Antiquitat. Est autem ista ciuitas in sorte Iudæ; vt patet Iosue 15. & vocatur ibi Chariathiarim, idest vrbs Syluarum, vel Chariath Baal.

LITERAL. Mendoza. 10 *Reduxerunt Philisthiim Arcam.* Francisc. Mendoza ibi. §. 1. De plaga Bethsamitica nihil dicuntur renunciasse, vel quia omnibus nota, vel ne Chariathiarenos tot strages, ac funera replicando deterrerent, in eo calliditatis arguendi, quòd suam merccm eius vitio non prodito, venditarent.

Bethsamitarum calliditas.

MYSTIC. Gregor. 11 *Descendite, & reducite eam ad vos.* Greg. suprà. Notandum, quia viris sublimioribus per nuntios dicitur: *Descendite, & reducite eam.* Descendunt quippe, quia obediunt, nequaquam enim descenderent, si id, quod ab eis fraternus amor expetit, impendere superba mente refutarent. Tunc quidem vere sublimes sunt, cum se Christo non auferunt; cùm id quod fraterno iudicio eis imponitur, non repellunt.

Perfecti obediunt.

LITERAL. Abul. 12 *Descendite, & reducite eam ad vos.* Abul. ibi. quæst. 28. Volebant innuere Bethsamitæ, quòd Chariathiarim erat locus nobilior, & dignior ad habendum Arcam, quàm Bethsames; ideò honorabant illos inuitando ipsos, vt haberent Arcam. Fortè etiam fingebant se sua de re hoc, quia securiùs esset Arca in Chariathiarim, quàm in Bethsames; eo quòd Bethsames erat locus paruus, & magis coniunctus erat terræ Philisthinorum, quàm Chariathiarim. Vnde periculosè erat in Bethsames, quia possent Philisthini subitò irruere super vrbem Bethsames, & tollere inde Arcam, quod non fieret in Chariathiarim, quia erat locus distantior, & maior, atque fortiùs munitus.

LITERAL. Abul. 13 *Descendite, & reducite eam ad vos.* Idem ibidem. Dicitur *descendite*, eo quod morabantur viri Chariathiarim in loco excelsiori, quàm Bethsamitæ; nam dicitur Chariathiarim, Vrbs Syluarum, erat enim fortè in montibus altis, & Bethsames erat in loco humiliori.

LITERAL. Autor Catenæ. Ioseph. 14 *Descendite, & reducite eam ad vos.* Autor Catenæ. Non est improbabile, quod Iosephus refert ad omnes Hebræorum vrbes nuntios remissos à Bethsamitis fuisse de reditu Arcæ monituros. Ciuibus autem Chariathiarim non solùm immissum est nuntium, sed etiam adhortatio, ac preces, vt Arcam ad se tanquam digniores aduocarent. Hoc verò præstitisse eos credo, antequam acceptæ cladis notitia diuulgaretur, quam fortè occuluerunt; honorisque, & officij prætextu, subdoláque status ratione (vt politici consueuerunt) saluti propriæ, & commodo consulere maluerunt. Ratio autem potissima, qua ciues Chariathiarim in suum consilium traherent, ea forte fuit, quam Abulensis significat, nimirum quòd cùm Bethsames adeò esset Philisthinorum ditioni propinqua, muris, ac præsidio forte destituta, redintegrato aliquando bello, facile in hostium potestatem Arca rediret; vnde in securiorem eam locum, ac munitiorem transportari oportebat.

Bethsamitæ politici.

* * *

METAPHRASIS

CAP. VI.

Ex superiori Interpretum doctrina.

PER septem mensium spatium retenta à Philisthinis non sine honore Arca est. Iis expletis, cùm acceptis cladibus Palæstini prudentiores effecti, restituendam Arcam decreuissent, consultis ea de re Sacerdotibus, & Diuinis, (quia religionis negotium agebatur) de remissionis modo, & cæremoniis deliberant. Consultorum autem consilium hoc fuit, ne vacuam, nec sine honoribus eam ad suos amandarent; sed in commissi criminis satisfactionem dona ei appenderent, quo ab inflictis malis, vt sperabant, immunes redderentur. Cùm verò de munerum qualitate dubitaretur, anos quinque ex auro efformatos, totidem aureos mures pro præcipuarum vrbium numero apponi, Sacerdotibus, & Diuinis potiùs placuit, quo acceptarum plagarum supplicium agnoscere, & venerari profiterentur; In hoc eos consilium, & acri obiurgatione, & Ægyptiacæ cladis exemplo nutantes solicitant. Ergo, inquiunt, nec mora, nec requies; sed vt consilij nostri sanitatem experimento deprehendatis, exstruite plaustrum, & vaccas duas nuper enixas, & laboris, iugique expertes ei subdite; illarum verò vitulos ante ipsarum matrum oculos substrahite, & in caulas, ac præsepia recludite: Arcam muneribus intra capsellam appositis currui imponite, ac colligate. Tum demum boues Arcam trahentes in biuio siue rectore constituite versis ad caulas vultibus. Quòd si præsepis, & vitulorũ studio Accaronem versus gressus direxerint, vel, vtpote iugi ignaræ, extra viam se egerint, vel plaustrum præ imperitia contriuerint; rem totam, & quæ sustulistis mala, casui, & fortunæ adscribite. Sin verò spretis caulis, ac vitulorũ mugitibus, recto tramite perrexerint versùs Bethsames, affinem Hebræorum vrbem, nec de via vsquam deflexerint, immissas ab eorum Deo vobis plagas, propter Arcæ retentionem, manifesto experimento cognoscetis. Annuũt his dictis Philisthinorum Reguli, omnibúsq; iuxta Sacerdotum institutionem executioni præstitis, vaccas in biuio absq; auriga cõstituunt: illæ verò dolorem suũ mugitibus contestatæ stabulis, fætibúsq; posthabitis in viã, quæ Bethsames duceret, conuersæ, nusquam declinãtes recto itinere gradiebantur, insequentibus aliquo interuallo Palæsthinorum Proceribus, vt rei euentum comprobarent. Venit tandem currus in Bethsamitharum conspectum, sub messis tempore, vrbi proximas fruges in valle metentium, qui & ob recuperatã Arcam, & ob inusitatũ, & planè miraculosum euentum iure optimo exultarunt. Vtque plaustrum apud Iosue, cuiusdã vrbis illius incolæ agrũ constitit, eò contentiosè concurrunt accitíque Sacerdotibus, & Leuitis deponunt Arcam, & lapidi magno, qui forte agro inerat, imponunt, simul etiam capsellam dona continentem: plaustrum in frusta concidunt; vaccas iugulant, & admoto igne, Deo gratulantes holocaustum offerunt. Quibus peractis Palæsthinorum Principes, qui à longe ex aduerso aderant, rei finem inspecturi ad suos se die eadem receperunt. Munera verò, quæ in capsella Bethsamitæ reperêre, ea fuerunt. Quinque scilicet ani

aurei totidémmque aurei etiam mures pro numero præcipuarum Philisthinorum vrbium. Plures insuper mures ex auro villarum omnium, & pagorum Palæstinæ donum, quæ maiorum vrbium exemplum sunt secutæ. Cæterùm Bethsamitæ, qui non modò audacibus animis nudam Arcam contra diuinas leges aspexerant; sed & aperuerant, vt quæ in ea continerentur, indagarent, temeritatis suæ debitas pœnas persoluerunt, ex iis enim subita à Deo immissa clade septuaginta Proceres, & Iudices cecidere: ex hominibus verò mediæ plebis quinquaginta millia simili ruina perierunt. Sequitur populi totius ob ingentem calamitatem plánctus, consiliumque de expulsione Arcæ tantarum ærumnarum auctrice. Legant ergo nuntios ad præcipuas Israelitarum vrbes de Arcæ reditu monituros; tum etiam ad ciues Chariathiarim nobilis, & muratæ vrbis in Tribu Iuda, nec longè distantis; maioríque præsidij, honoris, & officij prætextu hortantur, vt ad se Arcam transferant, vt ipsi à se periculum retentionis, & asportationis laborem auerterent.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS.

ARCA Cariathiarim inducitur, & ibi diu resídet. Israëlitæ ex Samuelis hortatu repulsis Idolis pacatè degunt: Philisthini verò, qui eos in Masphath religionis ergo congregatos, bello adoriuntur, placato priùs Samuelis holocausto Numine, dirè ab Hebræis cæduntur; vrbésque Israelitæ & pristinum decus recuperant, cúmque hoste pacis fœdera paciscuntur. Samuel toti præest populo, & Israelis vrbes, ius dicturus, frequenter lustrat; Ramathæ autem, vbi in plurimum degebat, altare Domino constituit.

CAPVT SEPTIMVM.

1. VENERVNT ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam Domini, & & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret arcam Domini. 2. Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe iam annus vigesimus) & requieuit omnis domus Israel post Dominum. 3. Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israel, dicens: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth: & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philisthiim. 4. Abstulerunt ergo filij Israel Baalim & Astaroth, & seruierunt Domino soli. 5. Dixit autem Samuel: Congregate vniuersum Israel in Maspha, vt orem pro vobis Dominum. 6. Et conuenerunt in Masphath: hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauitque Samuel filios Israel in Masphath. 7. Et audierunt Philisthiim quod congregati essent filij Israel in Masphath, & ascenderunt satrapæ Philisthinorum in Israel. Quod cum audissent filij Israel, timuerunt à facie Philisthinorum. 8. Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum. 9. Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino: & clamauit Samuel ad Dominum pro Israel, & exaudiuit eum Dominus. 10. Factum est autem cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel. 11. Egressíque viri Israel de Masphath, persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos, vsque ad locum qui erat subter Bethchar. 12. Tulit autem Samuel lapidem vnum, & posuit eum inter Maspha & inter Sen: & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij. Dixitque: Hucvsque auxiliatus est nobis Dominus. 13. Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt

fuerunt vltra vt venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuelis. 14. Et redditæ sunt vrbes, quas tulerant Philisthiim ab Israel Israeli, ab Accaron vsque Geth, & terminos suos: liberauitque Israel de manu Philisthinorum, eratque pax inter Israel & Amorrhæum. 15. Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ. 16. Et ibat per singulos annos circuiens Bethel & Galgala & Maspha th, & iudicabat Israelem in supradictis locis. 17. Reuertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israelem: ædificauit etiam ibi altare Domino.

VERSVS PRIMVS.

Vulgata. *Vulgata.* Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret Arcam Domini.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Venerunt autem viri Chiriathicharim, & ascendere fecerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab, quæ erat in Ghibhah, & Elhazar filium eius sanctificauerunt, vt custodiret Arcam Domini.

Vatab. *Hebraica ex Francisc. Vatab.* Venerunt itaque ciues Kiriath-icarim, & reducentes Arcam Domini, introduxerunt eam in domum Abinadab in Gibea, & Eliazar filium eius consecrauerunt, vt custodiret Arcam Domini.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et venerunt viri Kiriathiegharim, & ascendere fecerunt Arcam Domini, & introduxerunt eam ad domum Abinadab, qui in Gibhatha, & Eleghazar filium eius præfecerunt, ad custodiendum Arcam Domini.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et veniunt viri Cariathiarim, & reducunt Arcam fœderis Domini & adduxerunt eam in domum Abinadab, quæ in colle, & Eleazar filium eius sanctificauit, vt custodiret Arcam fœderis Domini.

Sixtian. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et veniunt viri Cariathiarim, & reducunt Arcam Testamenti Domini, & introducunt eam in domum Aminadab quæ in colle, & Eleazarum filium eius sanctificauerunt ad custodiendam Arcam Testamenti Domini.

Liran. *Liranibi.* Hebræi dicunt: *Præparauerunt*, seu *disposuerunt*, & in idem recidit, quia talis præparatio est quædam sanctificatio.

Caietan. *Caiet. ex Hebræo.* Venerunt ergo viri Cir-iath-Icharim, & ascendere fecerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Ghabha, & Elhazarum filium eius sanctificauerunt, vt custodiret Arcam Domini.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Seder Olã. 1 *Venerunt ergo viri Cariathiarim.* Seder Olam Rabba cap. 13. Cum Arcam remisissent Philisthiim, venerunt viri Cariathicarim, & reduxerunt illam, & intulerunt in domum Aminadab in Gabaa.

Mystic. Lira. 2 *Venerunt ergo viri Cariathiarim.* Lira, ibi. in Moral. Per viros Cariathiarim Arcam ad se reducentes, possunt intelligi pauperes Religiosi crucem pœnitentiæ sibi assumentes.

Histor. 3 *Venerunt ergo viri Cariathiarim.* Ioann. Catena in Reges, Tom. I. Naucler. volum. 1. Generat. 32. Timentes Bethsamitæ, qui erant de terra Iuda, miserunt ad viros Cariathiarim, vt reducerent ad se Arcam; qui abduxerunt eam, & collocauerunt in domum Aminadab Leuitæ iustissimi, qui eius curam gessit per viginti annos. Postea Samuel transtulit eam in Maspha, inde in Galgalam per eundem Samuelem, & Saülem Regem, postmodum à Dauid in domum Naboth, inde in Sion, vltimoque à Salomone in Templum. Denique incenso Templo à Chaldæis, Ieremias Propheta abscondit eam. Fertur postea Romam deductam. Naucler. *Arca vbi fuerit*

4 *Venerunt ergo viri Cariathiarim.* Francisc. Mendoza ibi. §. 1. Cariathiarim non procul aberat à Bethsames, vt Iosephus lib. 6. Antiquit. c. 1. testatur. Quinque milliaria distare expressit Brucardus apud Maxium Iosue 15. Autor quæst. Hebraic. in Paralip. non procul ab initio eandem facit cum Hebron, seu Cariatharbe, de qua Iosue 14. num. 14. sermo est, & quæ interpretatur *Ciuitas quatuor*; nempe Patriarcharum, qui in ea sepulti dicebantur, nimirum Adam, & Eua; Abraham, & Sara; Isaac, & Rebeca; Iacob, & Lia; vt ibi refert Liranus. Iuxta hanc sententiam mystica ratio potest assignari, cur Arca in hanc vrbem introducatur, nempe vt à Philisthinis pulsa, & à Bersamitis contempta inter Sanctorum Patriarcharum ossa conquiescat. Literal. Mendoza. Ioseph. Hieron. Marius. Bruchar. Lira.

5 *Et reduxerunt Arcam Domini.* Seuer. Sulpit. lib. 1. Sacræ Histor. tom. 5. Biblioth. PP. Anni 1628. Arca in Cariathiarim oppidum translata est, ibique per viginti annos fuit. Histor. Seuer.

6 *Et reduxerunt Arcam Domini.* Ambros. libr. 1. Officior. capite 43. Sæpe quod alterum decet, alterum non decet: aliud iuueni aptum; aliud seni; aliud in periculis: aliud in rebus secundis. Saltauit ante Arcam Domini Dauid; non saltauit Samuel, nec ideò ille reprehensus, sed magis iste laudatus. Tropol. Ambros.

7 *Et reduxerunt Arcam Domini.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 2. alias 1. Hebræi recognita transferunt eam in Cariathiarim vrbem, vicinam Bethsamitis; atque ibi apud Aminadabum quendam Leuitam opinione religionis, ac iustitiæ celebrem in ædibus eius collocant, idoneum sacrario locum existimantes, vbi vir iustus haberet domicilium. Cura Arcæ commissa est eius filiis, quam per viginti annos cum summa laude gesserunt, tot enim annos in Cariathiarim mansit; quatuor solùm mensibus apud Palæsthinos detenea. Histor. Ioseph.

8 *Et reduxerunt Arcam Domini.* Ioann. Zonaras tom. 1. Annal. Cariathiarim abducunt, & in Aminadabi Leuiticæ tribus hominis ædibus collocant, vbi annis viginti mansit: cùm apud alienigenas quatuor menses fuisset. Histor. Zonar.

9 *Et reduxerunt Arcam Domini.* Abulens. ibi. quæst. 2. Viri Cariathiarim cognouerunt magnam Literal. Abul.

gnam plagam fuisse inter Bethsamitas, tamen ex hoc non recusauerunt portare Arcam, quia cognouerunt, quòd non accidisset ista plaga propter præsentiam Arcæ, sed quia Bethsamitæ se habuerunt irreuerenter circa Arcam, videndo eam qualiter non licebat, scilicet discoopertam.

LITERAL. Idem. 10 *Et reduxerunt Arcam Domini.* Idem ibidem, q.10. Arca nunquam fuit in Masphat, neque in Galgala, neque in Nobe, aut Gabaon, sed solùm in Cariathiarim, & in domo Obededon, postea autem in domo Dauid vsquequo Salomon transtulit eam in Templum, quod ædificauerat. Fuit autem istud spatium annorum fere 91.

LITERAL. Abul. *Sanctuarium vbi fuerit?* 11 *Et reduxerunt Arcam Domini.* Abul. ibi. quæst.18. Dicendum rationabiliter, quòd in his locis fuit Sanctuarium, & non in aliquibus aliis; scilicet quod post mortem Heli Sacerdotis per monitionem alicuius Prophetæ, quòd non esset Deo accepta habitatio in Silo, translatum fuit tabernaculum in ciuitatem Nobe; postea autem mansit ibi tanto tempore, quo fuit iudex Samuel in Israel, & aliquanto tempore in regno Saülis; postea autem Saül destruxit ciuitatem Nobe, & tunc, quia erat ipse Rex de Tribu Beniamin, transtulit templum in sortem Beniamin, & posuit in vrbe Gabaon, quæ est de illa Tribu, vt patet Iosue 18. Postea autem mansit ibi semper toto tempore regni Saülis, & Dauid; Salomon autem transtulit de illa vrbe in ciuitatem Ierusalem in Templum, quod construxerat.

HISTOR. Genebrar. *Arca vbi fuerit?* 12 *Et reduxerunt Arcam Domini.* Gilbertus Genebrard. lib.1. Chronograph. ann. Mund. 3066. Collocata est in Cariath-icharim, vbi non solùm viginti annis mansit apud domum Aminadab quoúsque afferretur magna pompa à Dauide, vt vitiosè colligunt Hebræi c.2.Reg.6. verum iam tum præterierant anni viginti, cùm Samuel iudicis munere fungens sanctam illam concionem habuit, quæ extat. 1.Reg.7.

2. Reg. 6. 1.Reg.7.

TROPOL. Mendoza. 13 *Et reduxerunt Arcam Domini.* Franc. Mend. ibi. §.6. Qui debitam cum diuina gratia adhibet reuerentiam, Cariathiaritas imitetur. Accedat ad Eucharistiam frequenter, nec vana formidine terreatur, vt egregiè monet Abbas Theonas apud Cassian. Collat. 23. c.21. *Non debemus*, inquit, *à Dominica communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores, sed ad eam magis, ac magis propter animæ medicinam, & purificationem spiritus auidè festinandum est. Verumtamen ea humilitate mentis, ac fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ iudicantes, remedia potius nostris vulneribus expetamus.*

Abbas Theonas. Cassian. *Imum timor ne ab Eucharistia reuoce?*

HISTOR. Mendoza. 14 *Et reduxerunt Arcam Domini.* Idem ibidem. §.8. Quæret aliquis, an Samuel in hac deportatione Arcæ interfuerit: Ego quidem non dubito interfuisse, erat enim Princeps illius populi à primis annis religioni deditissimus, qui cæteris proculdubio ad diuinum cultum anteiret: præsertim cùm verò simile sit hanc Arcæ translationem publica autoritate factam esse.

MYSTIC. Greg. 15 *Et intulerunt eam in domum Aminadab.* Greg. lib.3. Variar. Expositi. c.5. Aminadab interpretatur *Populus meus spontaneus.* Gabaa *sublimis.* Et nimirum talibus Arca Dei committenda est. Populus namq; spontaneus est, quem ad exercenda virtutum opera sola bona voluntas trahit; quem ad implenda mandata Dei necessitas non compellit. Quos nimirum sub vnius descriptione Beatus Paulus prædicat dicens: *Hilarem datorem diligit Deus.* 2.Cor.9.

2.Cor.9.

LITERAL. 16 *Et intulerunt eam in domum Aminadab.* Theodor. ibi. Prompto autem, & alacri animo Arcam excepit Aminadab, & idcircò totam eius domum Dominus repleuit benedictione.

MORAL. Theodor.

17 *Et intulerunt eam in domum Aminadab.* Lira. ibi. Hoc non fuit factum statim, sed per magnum tempus post, quia per aliquod tempus stetit in Cariathiarim; & inde translata fuit in Maiphath, & inde in Galgala, vt dicitur lib. de Hebraic. quæst. & postea fuit translata in Nobe, vbi erat tempore Saül secundum quod habetur infra cap.21. & inde translata est postea in Gabaa in domum Aminadab, vt hic dicitur; & de loco illo Dauid transtulit eam in domum Obededon, & inde in ciuitatem Dauid.

LITERAL. Lira. *Arca vbi fuerit?* 1.Reg.21. 2.Reg.6.

18 *Et intulerunt eam in domum Aminadab.* Abul. ibi. q.9. Quod Aminadab esset Leuita, satis verisimile est, quia magis ponerent Israelitæ Arcam in domo illius, ad quem pertinebat ex lege officium portandi Arcam, & conseruandi eam, quàm in domo illius, ad quem nihil pertinebat, quia fortè crederent, quòd sequeretur aliqua plaga.

LITERAL. Abul. *Aminadab Leuita?*

19 *Et intulerunt eam in domum Aminadab.* Autor Catenæ. Rabban. Charens. Carthus. & Angelom. sequuti Comest. Aminadabum Sacerdotem fuisse credunt: Abulens. Sanctius, & alij Leuitam. Neutrum constat. Leuitam tamen fuisse congruentiùs dicitur. Non verò repugnat ministerio Arcæ custodiendæ, etiamsi fuisset Laicus, vt benè notat Abulensis.

LITERAL. Author Catenæ. *Aminadab an Sacerdos?* Rabban. Charen. Carthus. Angelom. Comest. Abul.

20 *In Gabaa.* Gregor. supra. Domus profectò in Gabaa, id est in sublimi sita cognoscitur, quia charitatis altitudine ad cælestia subleuamur. Vel certè in sublimi est domus, quia charitas omnibus virtutibus antefertur. Nam sublimitatis huius altitudinem insinuans Paulus ait. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstrabo.* 1.Cor.12.

Sanct. MYSTIC. Gregor. 1 Cor.12.

21 *In Gabaa.* Beda libr. 1. Expositi. Allegor. cap.12. Gabaa quod interpretatur *collis* & intelligendus est aliquis locus eximius in Cariathiarim, vel certè Arx eiusdem fuisse ciuitatis, altitudinem perfectæ actionis insinuat. In quo nimirum colle infertur Arca Domini, cùm diuina voluntas ostenditur; hi sunt prædestinati ad vitam æternam.

LITERAL. MYSTIC. Beda.

22 *In Gabaa.* Rabban. in Gloss. Gabaa collis animæ humiliù, vnde: *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Idest montes maiores animæ; colles minores. Siue etiam Gabaa interpretatur *sublimitas*, vbi Eleazar Sacerdos constituitur. *Eadem verba habet* Angelomus.

MYSTIC. Rabban. Angel.

23 *In Gabaa.* Abul. ibi. q.9. Accipitur hìc Gabaa, non prout est nomen vrbis; sed prout est nomen commune significans collem, vel celsitudinem. Primo enim est nomen vrbis, vt patet Iosue 18. & est ista ciuitas in sorte Beniamin, vt patet in prælegato capite. Hic autem accipitur Gabaa pro celsitudine, vt vult Iosephus. 6. Antiquitat. scilicet quod cùm posita est Arca Domini in domo Aminadab, erat in celsitudine, scilicet, quia domus illa erat in loco altiori totius ciuitatis, & hoc apparet 1. Paralip. 13.

LITERAL. Abul. *Gabaa quid?* Ioseph. 1.Paral.13.

24 *In Gabaa.* Caietan. in Comment. Hic est nomen appellatiuum, nisi enim ciuitatis vna pars fuisset collis, altera planities, non diceretur *in colle*; sed ad describendum in qua parte ciuitatis erat domus Aminadab, dicitur, quod *intulerunt eam in domum Aminadab in colle.* Et hoc est rationabilius, quam intelligere collem esse suburbanum ciuitati, minùs enim fuisset honorata Arca, quoniam secundum legem Moysis debebat esse in medio populi.

LITERAL. Caietan. *Gabaa quæ?*

25 *In*

LITERAL. Vatab. 25 *In Gabaa.* Vatabl. in Schol. Gabaa pars erat vrbis Cariathiarim, nempe collis.

LITERAL. Author Catenæ. *Gabaa quid?* Comest. Angelom. Rupert. Liran. Iosue 18.28. 26 *In Gabaa.* Autor Catenæ. Autor Quæstionum Hebraicarum, quæ Hieronymo falsò adscribuntur, Comestor, Angelomus, Rupertus, Liran. & alij Gabaa vrbem intelligunt, de qua Iosue 18. 28. Addúntque Arcam translatam primò fuisse in Cariathiarim, deinde in Masphath, deinde in Galgala, vlteriùs in Nobe, postea in Gabaam, de qua hîc mentio. Denique inde à Dauide in domum Obededon Gethæi. Sed deceptos eos fuisse manifestè probant Abulens. à quæst. 10. & Mendoza

Abul. Mendoza. Sanctius. Cornel. Vermil. Theodor. §. 13. qui cum Sanctio, Cornelio, & aliis, quibus adde Vermillium, conuincunt Gabaam, non vrbem, sed collem hîc significare, vti expressérunt Septuaginta, & Theodoretus transferentes: ἐν τῷ βουνῷ, hoc est in colle. Relatas etiam Arcæ translationes nusquam extitisse probatur ex 1. Paral. 13.

Paral. 13. 5. & 6. 5. & 6. ibi: *Congregauit Dauid cunctum Israël, vt adducerent Arcam Dei de Cariathiarim: & ascendit Dauid, & omnis vir Israël ad collem Cariathiarim, qui est in Iuda, vt afferrent inde Arcam Domini.* Ergo Arca adhuc erat in colle Cariathiarim; nisi dicabis in Cariathiarim inductam, quod verum esse colligitur infrà cap. 14. 18. non tamen alio, quàm in illo prælio, aut loco fuisse inuenitur. Gabaa ergo collis est in Cariathiarim, quod etiam, præter relatos Autores, affirmant Beda, Carthus. Comest.

Beda. Carthus. Comest. Caiet. Vatab. Torniel. Ziegler. Pineda. Saa. Salian. Marian. Serar. Mendoza. Sanctius. Cornel. Vermil. Abul. lib. 2. Reg. cap. 9. Licèt in additione contrarium doceat. Caietan. Vatab. Torniel. ann. Mundi 1940. Iacob Ziegler. Pineda in Salom. Præu. Saa, Salian, Mariana, & Serar. apud Mendoz. §. 13. quibus adde Sanct. Cornel. ac Vermill. Obiicies: In dictis locis facta sacrificia perhibentur, sed fieri non poterant, nisi vbi esset Arca, ergo in his omnibus locis prædictis Arca fuit. Minor falsa est, cùm etiam coram Tabernaculo sæpiùs fierent, & adhuc in locis aliis, vbi nec Arca, nec Tabernaculum vnquam fuit, vt inferiùs sæpè patebit, & multis probat Abulensis.

MYSTIC. TROPOL. Greg. 27 *Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt.* Gregor. suprà. Quia Eleazar Dei adiutor dicitur, profectò ostenditur, quia non solùm sanctificari Dei ministri debent, sed etiam inspici, quales sint ad eiusdem consecrationis ordinem promouendi. Qui enim sunt Dei adiutorium; nisi qui cum diuina gratia ministrando conueniunt, & quos omnipotentis Dei dignatio intus visitat, quam ipsi per exterius ministerium bene viuendo, & docendo confirmant?

MYSTIC. TROPOL. Rabban. 28 *Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt.* Rabban. in Glos. Eleazar, Dei adiutorium. Benè autem qui hoc nomine vocatur ad Arcam Domini custodiendam eligitur, quia sancti viri quidquid habent boni, Deo attribuunt, non sibi.

1. Cor. 3. Angelom. Vnde: *Sufficientia nostra ex Deo est.* 1. Cor. 3. *Eadem verba habet* Angelomus.

LITERAL. Hugo. 29 *Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt.* Hugo Charens. in Postilla. Idest Sacerdotem instituerunt ad custodiam Arcæ.

LITERAL. Abul. Numer. 8. Leu. 8. Exod. 29. 30 *Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt.* Abul. ibi quæst. 19. Non accipitur hîc sanctificatio pro aliqua consecratione, siue pro illa quæ requirebatur in Leuitis, de qua Numer. 8. siue pro illa, quæ requirebatur in Sacerdotibus Leuit. 8. & Exod. 29. nam non debebat facere aliquam administrationem circa Arcam ad hoc quòd exigeretur sanctificatio, vel consecratio. Sed dicitur sanctificatus, quicumque ad aliquid est dispositus, idest mundus, vel sanctificatus, idest Deo applicitus. Etiam satis potest accipi sanctificatus, idest purificatus, quia non decebat aliquem virum immundum custodem esse Arcæ.

LITERAL. Abul. *Eleazarus ad Sacerdos?* 31 *Eleazarum autem filium eius, &c.* Idem ibidem quæst. 22. Quæretur de isto Eleazaro custodiente Arcam, an esset popularis, Leuita, vel Sados? Respondendum est, quòd sufficiebat esse Leuitam istum custodem Arcæ; nam Arca cùm erat velata, pertinebat ad Leuitas, & ipsi eam portabant, atque custodiebant: quando autem erat nuda pertinebat ad Sacerdotes. Nunquam autem erat nuda, nisi quando portabatur intra Sanctuarium.

LITERAL. Carth. 32 *Eleazarum autem filium eius, &c.* Carthus. ibi. Hortati sunt eum, vt per continentiam ab vxore ad tempus per orationes, & sacrificia exhiberet se ad custodiendam Arcam idoneus.

TROPOL. Idem. *Puritas ad Eucharistiam?* 33 *Eleazarum autem filium eius, &c.* Idem in Moral. Per hoc quod Eleazarus sanctificatus est, quatenus dignus esset Arcam custodire, præfiguratum est quàm puros, & sanctificatos esse oporteat Sacerdotes nouæ legis, qui Christum vnigenitum Patris consecratum offerunt, tractant, & sumunt.

LITERAL. Saa. 34 *Eleazarum autem filium eius, &c.* Emanuel Saa in Schol. Idest consecrarunt, seu deputarunt.

LITERAL. Mendoza. *Sanctificari quid?* 35 *Eleazarum autem filium eius; &c.* Franciscus Mend. ibi §. 16. Tripliciter intelligi possunt Cariathiaritæ Eleazarum sanctificasse. Primò, quia eum sacris initiarunt in Sacerdotem, vel Leuitam. Secundò, quia eum præpararunt ad Arcam dignè custodiendam. Tertiò, quia illum huic custodiæ præfecerunt. Sic enim transtulit Chaldæus, cui Ioseph. Abul. Isidor. Clar. Vatab. Saa, aliíque assentiuntur, quia illum elegerunt ad hoc munus obeundum.

Chaldæus. Iosephus. Abul. Clarius. Vatab. Saa.

TROPOL. Mendoza. 2. Reg. 6. Abul. *Societas non sanctificat?* 36 *Eleazarum autem filium eius, &c.* Francisc. Mend. ibi §. 18. Nota obiter hunc Eleazarum, qui Arcam religiosè custodiuit, fuisse fratrem illius Ozæ, qui Arcam temerariè tetigit 2. Reg. 6. vt Abul. ibi q. 8. supponit. Vt intelligas in eadem sancta domo, & sub eodem sancto parente nutriri posse duos fratres, vnum diuinæ legis cultorem: alterum contemptorem, vt de Abel, & Caim; de Isaac, & Ismaël; de Iacob, & Esaiu, pluribúsque aliis dici potest.

VERSVS II.

Vulgata. VVlgata. Et factum est, ex qua die mansit Arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe iam annus vigesimus) & requieuit omnis domus Israël post Dominum.

Gloss. *Text. Gloss. in marg.* Et ingemuit, *vel* luxit omnis domus Israël post Dominum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Et fuit à die, qua mansit Arca in Chiriathicharim, multiplicati sunt dies, & fuerunt viginti anni, & luxerunt omnis domus Israël, & secuti sunt Dominum.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Et factum est à die quo mansit Arca in Kiriath-icarim, vt multi transirent dies, viginti nempe anni; & lamentatione quadam post Dominum vniuersa domus Israël anhela fuit.

Ariasm. *Chald. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et fuit à die, quo mansit Arca in Kiriath Iegharim, & multiplicati fuerunt dies, & fuerunt viginti anni, & quieti fuerunt omnis domus Israël post vultum Domini.

Compl. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et factum est, ex qua die fuit Arca in Cariathiarim, multiplicati sunt dies, & fuerunt viginti anni, & reuersa est omnis domus Israël post Dominum.

Sixtina. *Græc. ex Sept. in Sixtina.* Et factum est, ex qua die

fuit Arca in Cariatheatim, multiplicati sunt dies, & fuerunt viginti anni; & respexit omnis domus Israel post Dominum.

Abul. *Abul.ibi quæst.* 23. In Hebræo ponitur hic verbum, quod significat *festinare*, vel, præparare se, scilicet quòd omnis domus Israël festinauit post Dominum ad sequendum eum.

Caiet. *Caietan.ex Hebr.* Et fuit à die, qua mansit Arca in Cir-iath Iehatim, multiplicati sunt dies, & fuerunt anni viginti, & luxerunt omnis domus Israël post Iehouath.

Vatab. *Vatabl.in Schol.* Lamentata est vniuersa domus Israël post Dominum. Idest; *Vniuersi Israëlitæ pœnitentia ducti conuersi sunt ad Dominum.*

Isidorus Clarius ibi. Et luxit omnis domus Israël.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *ET factum est, ex qua die mansit Arca.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 5. Quia nos Arcæ protectionem ad contemplatiuæ vitæ perfectionem retulimus, in Cariathiarim manet Arca Dei, cùm eruditæ mentes contemplantium; eiusdem eruditionis suæ domum in oblectamento proficiunt reuelatæ sibi supernæ claritatis. Viginti quippe annis manet ibi tunc Arca Dei, quia electæ animæ ad exultationis intimæ culmen euectæ habent denarium numerum in perfectionem scientiæ, vicenarium verò in superna delectatione. Potest etiam dierum multiplicatio ad virtutum spiritualium incrementa referri.

Literal. Mystic. Rupert. *Synagoga reprobo.* 2 *Et factum est, ex qua die, &c.* Rupert. lib. 1. Comment. in Reg. cap. 7. Nusquam ex tunc in Silo reducta fuisse legitur, quia repulit, & spreuit illum locum Deus, in typum videlicet Synagogæ, in qua quondam erat Sanctuarium Domini, sed repulsa, & spreta est, & omne sanctum alio trãsmigrauit, quod Propheta respiciens; *& repulit*, inquit, *Tabernaculum Silo Tabernaculum suum.* Psal. 77. Manet autem nunc Arca Domini in Cariathiarim. Cariathiarim interpretatur *Ciuitas syluarum*, quo nomine rectè Ecclesia gentium designatur; ipsa namque quondam erat syluæ magna bestiis ferocibus, idest, malignis spiritibus inhabitata, & peruia: nunc autem ciuitas est fide fundata, muro diuinitatis, & Angelorum præsidiis communita. Hic ergo manet, hic Arca Domini inuenienda est. Vnde Propheta, cùm dixisset; *Ecce audiuimus eam in Ephrata*, continuò subiunxit: *Inuenimus eam in campis syluæ.*

Psalm. 77.

Literal. Liran. 3 *Et factum est, ex qua die, &c.* Liran. ibi. Quia littera est intricata, & indiget supplemento, sicut & in pluribus aliis locis sacræ Scripturæ, sciendum est, quòd Heli mortuo Samuël statim incœpit discurrere, & docere populum, vt illum reduceret ad Deum per debitam conuersionem ad cultum diuinum, quæ quidem conuersio incepit à tempore, quo populus iam viderat malum, quod euenerat propter peccata filiorum Heli, & audiuerat plagam Philisthinorum propter Arcam Domini, & durauit tempore Samuëlis vsque ad Regnum Regis Saulis, scilicet viginti annis, vel circiter.

Literal. Abul. 4 *Et factum est, ex qua die, &c.* Abulens. ibi quæst. 23. Hic intendit Scriptura enarrare, quantum fuit tempus, quod transiuit ab initio principatus Saülis, vsque ad diem, quo facta est ista exhortatio, & dicitur, quòd fuerunt anni viginti. Dicitur autem de tempore, quo mansit Arca in Cariathiarim, scilicet quando viri Bethsames ad se ductam miserunt ad viros Cariathiarum, & incipitur ab hoc tempore computatio viginti annorum, eo quòd hic incepit principatus Samuelis; nam ipse fuit Princeps post mortem Heli.

Histor. Hieron. 5 *Multiplicati sunt dies.* Hieronym. vel potiùs Autor Quæst. Hebraic. in lib. Reg. Id est viginti anni. A tempore, quo reprobatum est Sacerdotium Heli, vsque ad Samuelis ducatum viginti fuerunt anni miseriarum referti. Peracto vigesimo anno translata est eadem Arca à Samuële in Masphad, & de Masphath transtulerunt eam Samuël, & Saül in Galgala, vnde translata est à Saül in Nobe; de Nobe in Gabaa. De Gabaa translata est à Dauid in domum Obed-Edon. De domo Obed-Edon transtulit eam Dauid in Sion. De Sion transtulit eam Salomon in Sancta Sanctorum. *Eadem verba habet* Rupertus. Rupert.

Literal. Gregor. 6 *Multiplicati sunt dies.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 5. Si ad historiam respicimus, dies mansionis Arcæ multiplicati sunt, quia illic multo tempore fuit. Vnde & subditur. *Erat enim annus vigesimus.* Et ad quid istam dierum multiplicationem introduxerit, subdidit: *Et requieuit omnis domus Israel post Dominum.*

Mystic. Rupert. 7 *Multiplicati sunt dies.* Rupert. suprà. Mansit igitur Arca Domini in Cariathiarim, & multiplicantur dies; dies, inquam, Sanctorum, dies virtutum, subcrescitque in lucem multitudo gentium vsque ad tempus præfinitum, quo & reliquiæ Silo, idest carnalis Israël saluandæ sint.

Literal. Angelom. 8 *Multiplicati sunt dies.* Angelom. in Stromatib. 1. Reg. 7. Est ergo sensus memoratæ sententiæ, quia ex qua die mansit Arca in Cariathiarim, erat annus vigesimus, cùm eam inde transferri temporibus Saül causa belli contingeret. Denique vicesimo peracto anno translata est à Samuële in Masphad, &c. Vel certè vicesimus annus erat; cùm adhuc omnis domus Israël quieuisset post Dominum abiectis Idolis, videlicet illi soli seruiens.

Literal. Lira. 9 *Multiplicati sunt dies.* Lira ibi. In quibus Samuel hortabatur populum, ad bonum.

Literal. Caiet. 10 *Multiplicati sunt dies.* Caietan. in Comment. Hic sensus quadrat rebus gestis, & solicitudini, ac bonæ famæ Samuëlis, vt quamprimùm potuerit, postquam cessauit clades Bethsamitarum, per viginti annos non destiterit vacare iis, quæ ad salutem erant populi.

Literal. Beda. 11 *Erat quippe iam annus vigesimus.* Beda lib. 1. exposit. Allegor. cap. 12. Iuxta litteram quidam putant, quòd vicenario annorum numero, quo manente in Cariathiarim Arca, requieuit omnis domus Israël post Dominum, & modus, & status temporis, quo Samuël Israëli præfuerit, ostendatur. Neque enim, vt quidam Chronographi frustrà turbantur, viginti annis, quibus ibidem Arca mansit vsque ad octauum Regni Dauid annum, quando ab ipso Ierosolimam translata est, pertingere putandi sunt. Legimus namque inferiùs in principio Regni Saül eam fuisse in Gabaa Beniamin. 1. Reg. 14. 18. Ideóque intelligere debemus, tacente licet Scripturâ, reductam eam post hæc de Gabaa Beniamin in Gabaa, idest, collem Cariathiarim, vnde regnante Dauid in Ierusalem transferretur. *Eadem penè verba repetit in Quæstionib. in lib. Regum quæstion.* 4.

12 *Erat*

LITERAL. Rabban. 12 *Erat quippe iam annus vigesimus.* Rabban. in Gloss. Est sensus; quia ex quo mansit Arca in Cariathiarim erat annus vicesimus, cùm in tempore Saülis translata est in castra. Vel vicesimus annus erat, cùm omnis domus Israël post Dominum quieuisset abiectis Idolis. *Eadem verba habet* Eucherius. Eucher.

HISTOR. Seder-Olam. 13 *Erat quippe iam annus vigesimus.* Hebræi in Seder-Olam Rabba. cap. 13. Initio autem istorum viginti annorum intulerunt Tabernaculum fœderis, siue conuentus in Nob, & quamuis Arca Domini esset in Cariath-Icarim, offerebant tamen in Nob cunctis annis tredecim primis, & septem postremis in Gabaon.

LITERAL. Lira. 14 *Erat quippe iam annus vigesimus.* Lira ibi. Postquam incœperat Samuël docere populum.

HISTOR. Genebr. 15 *Erat quippe iam annus vigesimus.* Genebrardi in Chronograph. lib. 3. Ann. Mund. 3066. Nõ solùm viginti annis mansit apud domum Aminadab, quousque efferretur magnâ pompâ à Dauide, vt vitiosè colligunt Hebræi. 2. Reg. 6. Verùm iam tunc præterierant anni viginti; cùm Samuël Iudicis munere fungens, sanctam illam concionem habuit. 2. Reg. 6. 1. Reg. 7.

LITERAL. Serar. Genes. Canus. 16 *Erat quippe iam annus vigesimus.* Serar. ibi. Videtur ex Textu verisimilius, quod Genebrardus; & Canus lib. 11. cap. 5. tradiderunt post annos istos viginti primum Samuëlem ad iudicandum accessisse; concionem capitis huius habuisse; ita vt Princeps esse cœperit anno 53. vt ex supradictis cap. 3. patet, licet interim monendo, instituendo, vaticinando, Israëlitas ad optima quæque vocarit maximamque inde autoritatem perceperit.

LITERAL. Abul. 17 *Erat quippe iam annus vigesimus.* Abul. ibi. quæst. 23. Hoc ponitur ad declarandum præcedentia, scilicet quòd transierant dies multi à tempore positionis Arcæ in Cariathiarim; nam iam erat vigesimus annus. Ponitur autem hoc tempus ad declarationem eorum, quæ sequuntur; scilicet quòd requieuit omnis domus Israël post Dominum; ideſt in istis viginti annis curauerunt Israëlitæ colere Deum. Hoc autem fuit, quia docebat eos tunc Samuël; cùm fuissent isti viginti anni sub principatu eius. Non ponitur autem in toto isto tempore quid fecerit Samuël, vel populus Israëlitarum. De Israëlitis autem satis apparet causa, scilicet quia non acciderunt aliqua bella, vel aliqua alia notabilia, quæ stilo digna forent. De Samuële autem ex littera potest colligi quid fecerit in istis viginti annis, scilicet quòd docuit Israëlitas colere Deum, & recedere ab Idolis; quod prioribus temporibus non faciebant.

LITERAL. Hieron. 18 *Et requieuit omnis domus Israel post Dominum.* Hieron. vel Autor Tradit. Hebraic. Requieuisse post Dominum dicuntur, quia abiectis Idolorum sordibus, Domino se ad seruiendum toto corde tradiderunt. *Eadem verba habet* Rupertus. Rupert.

HISTOR. Seuer. 19 *Et requieuit omnis domus Israël post Dominum.* Seuer. Sulpit. lib. 1. Sacræ Histor. Ea tempestate Samuël Sacerdos Hebræis præerat, quietis à bello rebus, populus in otio degebat.

LITERAL. Gregor. 20 *Et requieuit omnis domus, &c.* Gregor. suprà. Quæ nimirùm requies in illo veteri populo non bonorum operum; sed bonæ deuotionis intelligenda est.

MYSTIC. Idem. 21 *Et requieuit omnis domus, &c.* Idem ibidem. Quid est quod anno vicesimo requiescere omnis Israël post Dominum dicitur, nisi quia sublimitas perfectionis electorum non consistit in fortitudine boni operis; sed in virtute contemplationis; quiescere namque post Dominum, Redemptoris nostri incitationem inuincibili charitate retinere est.

HISTOR. Ioseph. 22 *Et requieuit omnis domus; &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 2. Cúmque populus toto hoc vicennio votis, & sacrificiis operam daret, magnámque religionem, & cultus diuini curam præ se ferret, Propheta Samuël animaduersa eorum promptitudine, putans se nactum occasionem adhortandi ad libertatem, &c.

LITERAL. Lira. 23 *Et requieuit omnis domus, &c.* Lira ibi. Scilicet viginti annis, quibus præfuit Samuël.

LITERAL. Abul. 24 *Et requieuit omnis domus, &c.* Abul. ibi. quæst. 23. Ideſt omnes Israëlitæ curauerunt inquirere Deum.

TROPOL. Carth. *In Deo quies.* 25 *Et requieuit omnis domus, &c.* Carthus. ibi. Conquiescere studeamus in Deo, ipse est enim finis noster, ad quem semper respicere, & adspirare debemus; in quo solo vera, & salutaris quies consistit, & in ipso per fidem, sapientiam, & virtutes defigimur; *Optimum est enim gratia stabilire cor.* Hebr. 13. Hebr. 13.

LITERAL. Caiet. 26 *Et requieuit omnis domus, &c.* Caietan. in Comment. iuxta Hebræum habetur: *Et luxerunt.* Ecce prima actio populi infra istos viginti annos, & est actio pœnitentiæ propter offensum Deum.

LITERAL. Author Catenæ. Ioseph. 27 *Et requieuit omnis domus.* Autor Catenæ. Dubitabis, an populi quies morumque probitas ab ipso Arcæ in Cariathiarim introitu, an post viginti annos principium duxerit? Primum mihi vero similius apparet, & fauet Iosephus suprà cum aliis.

VERSVS III.

VULGATA. *Vulgata.* Ait autem Samuël ad vniuersam domum Israël, dicens: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth: & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philisthiim.

VERSIONES.

PAGN. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Dixit autem Semuël ad vniuersam domum Israel, dicendo: Si toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, & Astharoth: & præparate cor vestrum Domino, & seruite soli ei, & liberabit vos de manu Pelisthinorum.

VATAB. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Et dixit Samuël ad vniuersam domum Israël, hisce verbis. Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos, & Astaroth de medio vestri, & præparate cor vestrum ad Dominum, & ei soli seruite. Tum liberabit vos de manu Palesthinorum.

ARIASM. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et dixit Semuël ad omnem domum Israël, dicendo. Si in omni corde vestro vos redeuntes ad cultum Domini, transfire facite errorem gentium de inter vos, & Gastaratha & confirmate cor vestrum in cultum Domini, & seruite ante eum in solicitudine sua, & liberabit vos de manu Pelisthæorum.

COMPLUT. REGIA. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et dixit Samuël ad vniuersam domum Israël, dicens. Si in toto corde vestro vos reuersi estis ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, & lucos, & præparate corda vestra ad Dominum, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philisthim.

Sixtia. *Græc. ex Septuag. in Sixtia.* Et dixit Samuel ad vniuersam domum Israël, dicens. Si in toto corde vestro vos reuertitis ad Dominum, circumauferte Deos alienos de medio vestri, & lucos, & præparate corda vestra erga Dominum, & seruite soli ei, & eruet vos de manu alienigenarum.

Procop. Aquila. *Procop. ibi.* Et lucos Astaroth. *Aquila* Astarthæ statuas.

Author Catenæ. Theodor. Aquila. *Autor Catenæ.* Pro *Baalim*, & *Astaroth* vertit Aquila apud Theod. quæst. 14. *Simulachra Astarthes.* Astarthem autem vocant Venerem ex Astro cognomen facientes; hanc enim esse Luciferum fabulantur. Verba sunt Theodoreti.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Lira. *Prælatus bonus.* 1 *Ait autem Samuel.* Lira ibi in Moral. Per Samuelem significatur bonus Prælatus sæcularis, vel religiosus, qui populum hortatur recedere à seruitute Diaboli, & inhærere seruituti Dei.

Histor. Ioseph. 2 *Ait autem Samuel.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 2. Samuël animaduersa eorum promptitudine, putans se nactum occasionem adhortandi ad libertatem, & bona, quæ illam sequuntur; orationem & tempori accommodans, & negotio; verba in hanc fermè sententiam ad eos fecit. Viri Israëlitæ, quandoquidem nec hostis infensus esse desinit, nec Deus vestris precibus flexus propitius esse incipit, oportet non votis tantùm libertatem expetere, sed eo totis viribus incumbere, vt vel nunc tandem illa potiri contingat. Cauete ergo, ne vestrismet moribus hac indigni reddamini, sed pro se quisque colat iustitiam; expulsisque omnibus vitiis ex animo, purgatas mentes ad Deum conuertite, & in eius veneratione constanter perseuerate. Hæc enim facientibus breui omnia bona venient, & in primis noua libertas, & victoria de hostibus, quæ neque armis, neque robore corporum, neque copiarum multitudine consequi licet. Non enim his rebus Deus præmia proposuit, sed probitati, ac iustitiæ, qui vestram expectationem non fallet, mihi credite.

Literal. Abul. 3 *Ait autem Samuël, &c.* Abul. ibi quæst. 25. Ista verba non loquutus fuit Samuël in principio exhortationis suæ, scilicet in illis viginti annis, sed ad finem, quando iam erat annus vigesimus, vt dicitur hîc. Nam tunc facta sunt ea, quæ habentur hîc; & ratio huius fuit, quia ista sunt verba magnæ confidentiæ, scilicet, quando aliquis videt eos, ad quos loquitur, nimis dispositos, & loquitur quodcumque vult. A principio autem exhortationis Samuëlis, Israëlitæ erant multum alienati à Domino; ideò paulisper eos reducere conabatur; & si dixisset illis, quòd totaliter excluderent à se Baalim, & Astaroth, à principio; nihil fecissent.

Literal. Mendoza. *Concio hæc vbi facta?* 4 *Ait autem Samuël ad vniuersam domum Israël.* Franc. Mend. ibi §. 2. Hoc loco de certa aliqua concione sermo est, vt colligitur ex litera, vbi est verbum *ait*, quod determinatam actionem significat; non autem *aiebat*, quod plerumque significat morem, consuetudinémque agendi, vt infrà numer. 16. *Ibat*: hoc est ire solebat, & proinde certus ei locus assignari debet, qui cùm in litera non exprimatur, diuinandus est, vel certè inde coniiciendus, quòd cùm proximè de Cariathiarim sermo processerit, in eadem vrbe hæc concio, quæ statim sequitur, habita fuisse videatur.

Literal. Author Catenæ. Abul. Geneb. Caiet. Serar. Canus. Torniell. Mendoza. Cornel. 5 *Ait autem Samuël.* Autor Catenæ. Quæris, quando concio hæc à Samuële habita, vtrùm post viginti annos, an paulo postquam Arca in Cariathiarim inducta fuerat? Prius affirmant Abulensis, Genebrard. & alij. Posterius vero Caietano, Serario, Cano lib. 11. de locis cap. 5. Torniello, Mend. Cornel. & mihi plus placet; tum quia nunquam populus ad audienda Samuëlis monita promptior credendus est, quàm post tot strages, & susceptas calamitates, Arcamque miraculosè recuperatam. Tum quia Samuël alias deses, incuriúsque argueretur, qui in toto viginti annorum spatio prædicationi pepercerit, & nactam occasionem, opportunúmque tempus perperam triuerit. Cùm verò comitia Samuël edixit, iam annus erat vigesimus.

Tropol. Carth. *Deo toto corde seruiendum.* 6 *Si in toto corde vestro conuertimini ad Dominum.* Carthus. ibi art. 15. Hoc vnusquisque Prælatus, & Prædicator dicere debet tori congregationi, & vnicuique, cui præest, aut prædicat. Oportet equidem toto corde conuerti ad Dominum, quem toto corde iubemur diligere, & cui præ omnibus tenemur intellectu, & voluntate integruliter adhærere, qui ait per Ioelem: *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* De his verò, qui conuertuntur ad Dominum non toto spiritu, est in Osee: *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.*

Mystic. Gregor. 7 *Auferte Deos alienos.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 5. In Samuële nouos sanctæ Ecclesiæ Prædicatores designari diximus; rectè itaque de medio sui Deos alienos in vniuersam Israël domum auferre præcepit, quia in accedentibus ad fidem Gentilibus, non solùm rectæ professionis veritatem Prædicatorum ordo petiit, sed etiam damnationem antiquæ superstitionis; nihil enim eis prodesset & veritatem profitendo colere, vel obsequendo; nisi falsa priùs detestando reliquissent. Quisquis etiam nunc intra sanctam Ecclesiam positus est per fidem, sed Deo rebellis per iniquam operationem, admonendus est, vt alienos Deos de medio sui auferat.

Literal. Lira. 8 *Auferte Deos alienos.* Liran. ibi. Per quos significantur vitia, quibus Diabolo deseruitur; veniter enim Deus est gulosi.

Literal. Morat. Carth. 9 *Auferte Deos alienos.* Carthus. ibi art. 14. Si iuxta præhabita, pòst totus populus Israël per tot annos quieuit post Dominum, quid necessaria fuit exhortatio ista? Ad hoc videtur dicendum quòd quamuis cessauerunt Idola colere, adhuc tamen apud se tenuerunt simulachra.

Literal. Mendoza. Abul. 10 *Auferte Deos alienos.* Francisc. Mendoz. ibi §. 17. Præcepit Samuël, vt Deos alienos auferrent, quia, vt vult Abulensis, adhuc aliqui eos colebant, quamuis tam pauci, vt præ multitudine colentium verum Deum, nulli ferè viderentur, & propterea absolutè dici posset omnem domum Israël post Dominum requieuisse.

Mystic. Gregor. 11 *De medio vestri.* Gregor. suprà. In medio nostri, quid est, nisi cor nostrum? Sunt tamen nonnulli operatione mundi, sed infirmitate cordis vsu fœdantur prauæ cogitationis. Bona quidem incessanter faciunt, sed cogitare reproba nunquam prætermittunt. Quia verò tot in eorum cordibus Dæmonia requiescunt, quot desideria immunda, auferre de medio sui alienos Deos instanter admonentur.

Theodor. Carthus.

12 *De medio vestri.* Carthus. ibid. art. 15. Deos alienos auferamus de medio nostri, hoc est, vnusquisque de corde suo tollat, ac iugiter pellat omnem affectionem vitiosam ad creata, ac peritura vana phantasmata; quod enim quis amplius colit, & amat, quam Deum, hoc sibi impiè effecit Deum, seu vltimum finem.

Procop.

13 *Baalim, & Astaroth.* Procop. ibid. Aquila *Astarthe statuas* reddit. Sic autem Venerem à Sidere denominant, Luciferum enim ipsius esse fabulantur.

Mystic. Angelom.

14 *Baalim, & Astaroth.* Angelom. in Stromatibus. Baalim *habentes*, seu ascendentes, aut superiores interpretatur, quem filij Israël proiecerunt pariter cum Astaroth idola gentium, significat, quæ proiecerunt credentes ex gentibus post susceptionem Arcæ Testamenti. Seu qui verus Israël est, idest vir videns Deum, aufert à se omnem facturam malignorum spirituum, hoc enim interpretatur Astaroth.

Literal. Abul. *Baalim, & Astaroth qui?*

15 *Baalim, & Astaroth.* Abul. ibi. Illi duo Dij erant multum communes inter Gentiles. De Baalim patet, quia tota domus Israël in decem Tribubus colebat Baalim, sicut improperauit eis Propheta Helias, & Elisæus, & sæpe habetur in 3. & 4. lib. infrà. Astaroth autem erat Deus gentium, quia erat Deus Philisthinorum, vt patet infrà c. vltimo.

Literal. Lauret. *Baalim, & Astaroth qui?*

16 *Baalim, & Astaroth.* Hieronymus Lauret. in Sylua Allegor. *Baalim*, id est Idolum, aut dominans, vel subiiciens, aut possidens. Est etiam nomen aliquorum hominum. In plurali dicitur *Baalim*, & interpretatur iuxta Hieronymum, *In sublimioribus*. Videtur esse iuxta Augustinum nomen Iouis, qui lingua Punica dicitur *Baalsamen*, id est domus cœli. Erat Idolum Sydoniorum, & designare potest errores hæreticorum. Dicitur etiam *Baalberith*, id est Idolum fœderis. Iudic. 9. *Astaroth*, id est, nemora, siue luci, vel insidiæ, nomen Idoli Sydoniorum, quod & *Astarthe* dicitur. Creditúrque Iuno, quæ lingua Punica dicitur *Astarthe*.

Iudic. 9.

Literal. Saa.

17 *Baalim, & Astaroth.* Emanuël Saa in Bibl. Trium PP. Quasi dicas Deos, & Deas, est enim masculinum nomen, & fœmineum.

Literal. Mend.

18 *Baalim, & Astaroth.* Franc. Mend. ibid. §. 19. *Baalim* est nomen plurale, à singulari *Baal*, seu *Beel*, seu *Bel*, vt in aliis, ac aliis Scripturæ locis vsurpatur. Secundum Etymon idem est, quòd dominantes, seu possidentes, & quamuis sit nomen appellatiuum, seu generale idolorum, vt Theodor. in cap. 31. Ierem. obseruat, tamen aliquando ex aliquo additamẽto ad certos aliquos Deos significandos determinatur; nam *Baal* Tyriorum est Hercules apud Tullium. lib. 3. de Natura Deor. *Baal* Aquilcienſium est Apollo apud Herodianum. *Baal* Syriorum est Bellus Nini Pater apud Hieron. in cap. 2. Oseæ. *Baal* Carthaginiensium, seu Pœnorum est Iupiter apud Sanctum August. quæst. 16. in Iudic. & sic de aliis. Hoc loco generaliter sumitur pro quocumque Idolo.

Theodor. Tull. Herod. Hieron. August.

Literal. Mendoz. Aquila. Montan. Tull. Theodor. Procop. Lucian. Epiph. Aug. Serar. Herodot.

19 *Et Astaroth.* Idem ibidem §. 20. Aquila vtrumque coniungens vertit *lucos Astaroth*, & maiori cum emphasi, vt significet non solùm Idola auferenda, sed etiam nemora in quibus colebantur, eradicanda: ne si locus remaneret, idololatria repullularet. Est autem *Astaroth* nomen plurale à singulari *Asterath*, quemadmodum Septuaginta dicunt pluraliter *Astarthas*, singulariter *Astarthem*; & quamuis generaliter significet quamlibet Deam, vt Montanus in cap. 2. Iudic. aduertit, tamen, vt diximus de *Baalim* ad certas ex certis circunstantiis limitatur. Nam *Astarthe* Sydoniorum, Philisthinorum, & Tyriorum est Venus apud Herodotum lib. 1. Tul. lib. 3. de Natura Deor. Theod. hoc loco quæstione 14. Procopius & alios. Astarthe Edeſenorum est Luna apud Lucianum de Deo Syria. *Astarthe* Babyloniorum est Diana apud Sanct. Epiphan. *Astarthe* Pœnorum est Iuno apud Sanct. Augustinum quæst. 16. in Iudic. & sic de aliis. Figura huius Idoli alia ab aliis traditur. A Suida quidem dicitur figura Astri, quod Serarius latiùs probat, & hanc fuisse credit quam Herodianus lib. 5. appellauit *Astroarchen*, id est Astrorum Principem, & Hieronymus cap. 44. num. 17. Reginam cœli, hoc est ducem, & Principem luminum reliquorum. A Rabbi Kimhi dicitur fuisse figura ouis.

Astaroth quid.

Hieron.

Rabbi Kimhi.

Hestor. Nissen.

20 *Et præparate corda vestra Domino.* Greg. Nissenus Orat. in Laud. Basil. Cùm Israëlitarum Rex, per cum statum, quo nullius certi magistratus imperio continebantur, in promiscua populi; & confusa potestate malè se se haberent; Samuël extitit, qui per se se subditos in officio contineret, & à consuetudine, atque commercio alienigenarum prohiberet. Deinde cùm illum confusum statum quo nullus certus Magistratus erat, ad constitutionem regni traduxisset, duodecim Tribus congregauit in vnum, & regium imperium lege lata sanxit.

Theologi. Greg.

21 *Et præparate corda vestra Domino.* Gregor. suprà. Cor Domino præparat, qui mentem non solùm ab immunda cogitatione separat, sed etiam cogitationum, sanctarúmque virtutum fulgoribus illustrat, vt velut abiectis, & comminutis Idolis, se Dei Templum efficiat.

Theologi. S. Thom. *Præparatio ad gratiam qualis?*

22 *Et præparate corda vestra.* Thom. 1. 2. q. 112. art. 2. in corpore. Si loquamur de gratia secundùm auxilium Dei mouentis ad bonum, sic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quasi præueniens diuinum auxilium, sed potiùs quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei mouentis animam ad bonum, & secundùm hoc ipse bonus motus liberi arbitrij, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrij moti à Deo, & quantum ad hoc dicitur homo se præparare.

Theologi. Carth.

23 *Et præparate corda vestra.* Carthus. ibidem. Id est ad gratiam, & virtutes, seu ad earum incrementa disponite vos faciendo quod in vobis est, & obicem auferendo.

Theologi. Author Catenæ.

24 *Et præparate corda vestra Domino.* Author Catenæ. Hoc est, qui increduli adhuc, & rebelles estis, excipite diuinas inspirationes, quas me prædicante vestris mentibus diuinus Spiritus infundit, vt eisdem moti, & excitati inani Idolorum cultui renuncietis, & peccatorum sordes lachrymarum fluentis abluatis: Qui verò repulsis iam anteactæ vitæ criminibus diuina gratia fruimini, vos vos ipsâ gratiâ cooperante ad noua virtutum incrementa extendite. Hæc recta est præparationis à Samuele expetitæ declaratio: nam naturales actiones, & præparationes ad primam gratiam, quam excitantem dicimus, cùm sint ordinis inferioris, non sufficiunt nec de condigno, nec de congruo ad eius dispositionem, vt docet Concilium Trient. sess. 6. cap. 5. & can. 3. Milevitanum, Arausicanum, & alia; nec eas Deus expectat, vt diffinit Concilium secundum Arausican. Can. 4. & passim Concilia, & PP. contra Semipelagianos. Posse autem liberum hominis arbitrium à Deo excitatum se præparare, & agere in ordine ad recep-

Cõc. Trid. Milevitan. Arausican.

ptionem

ptionem gratiæ iustificantis constat ex Tridentino relato sess.6. cap.5. ibi: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendum iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, &c. anathema sit.* Potuit ergo Samuel suos hortari, vt gratiâ primò excitante, & motrice adiuti ad gratiam secundam iustificantem, se se disponerent: eos verò qui iam iustificati essent ad augmentum eiusdem gratiæ mediis bonis operibus ab arbitrio, & gratia procedentibus; de quibus latè Theologi.

TROPOL. Greg. *Totum cor Deo?*

25 *Et seruite illi soli.* Gregor. suprà. Soli Domino seruit, qui bonis operibus praua non inserit. Nam qui sic bona agit, vt mala non deserat, Deo soli nequaquam seruit, quia malo spiritui obsequium exhibet, cuius perficere non metuit voluntatem. Vnde agitur, vt etiam bona agens Deo non seruiat, quia qui totum hominem condidisse creditur, habere eum communem cum aduersario non dignatur.

TROPOL. Bonauent. *Soli Deo seruiendum.*

26 *Et seruite illi soli.* Bonauentura serm.1. in Dominic. 14. post Pentecost. Cùm nemo possit duobus Dominis seruire, repudiemus alterum, scilicet Diabolum, vt soli Deo seruiamus. *Præparate corda vestra Domino, & seruite illi soli.*

TROPOL. Idem.

27 *Et seruite illi soli.* Idem tom.3. serm.1. Dominic.4. Aduent. Seruite illi soli nulla admittentes communia: nulla æquiparantes paria; sed eum extollentes sublimiter super omnia, eum amando, corde obsequendo, ore prædicando, & si necesse fuerit corpore patiendo, siue moriendo. Præparemus nos, vt veri pœnitentes ad respondendum Iudici per emendationem defectus, & de hoc dicitur. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Eccles.2.

Eccles.2.

MYSTIC. Greg.

28 *Et eruet vos de manu Philisthiim.* Gregor. suprà. Quid hoc loco aliud Philisthiim, quàm maligni spiritus designantur, qui nimirùm, dum superbiæ suæ calice in momento inebriati sunt, à statu gloriæ tumescendo ceciderunt? Quæ est igitur manus Philisthiim, nisi potestas illa Dæmonum, qua mortuas in peccato animas ad æterna tormenta perducunt?

HISTOR. Zonaras.

29 *Et eruet vos de manu Philisthiim.* Ioannes Zonaras tom.1. Annal. Samuël Propheta iam celebris, & magnus, præditus authoritate, populo conuocato de vindicanda libertate disserit ac persuadet.

VERSVS IV.

Vulgata.

Vulgata. Abstulerunt ergo filij Israël Baalim, & Astaroth, & seruierunt Domino soli.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraïc. ex Xante Pagn. Et remouerunt filij Israël Behalim, & Astharoth, & seruierunt Domino soli.

Vatab.

Hebraïc. ex Francisco Vatab. Abstulerunt ergo filij Israël Baalim, & Astaroth, & soli Domino seruierunt.

Ariasm.

Chaldaïc. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et transire fecerunt filij Israel Baghalaia, & Gastharatha, & seruierunt ante Dominum in solitudine sua.

Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et abstulerunt filij Israël Baalim, & lucos Astaroth, & seruierunt Domino soli.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et circumabstulerunt filij Israël Baalim, & lucos Astaroth, & seruierunt Domino soli.

Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

1 *Abstulerunt ergo filij Israël, &c.* Greg.lib.3. Variar. cap.5. Electorum quippe mos est, vt cùm diuina prædicationis hortamenta suscipiunt, ad studium auditæ bonæ operationis accendantur; nam reprobi, & frequenter verba Dei audiunt, & eisdem tamen verbis nulla bona opera proponunt; Pigri in suis actionibus permanent, quia à diuina luce proiecti omnipotentis Dei gloriam, cuius verba audiunt, interna contemplatione non vident. Rectè ergo qui obediunt, Israël filij dicuntur, quia quo die maiestatem apertiori manifestatione conspiciunt, eius præceptis obedire deuotiùs agnoscuntur.

TROPOL. Greg. *Verborum Dei extensio.*

2 *Abstulerunt ergo filij Israël, &c.* Ioseph.lib.6. Antiquitat. cap.2. Hanc adhortationem alacris populus faustis acclamationibus excepit, promptum se offerens ad omnia quæcumque Deus velit, ac iubeat.

HISTOR. Ioseph.

3 *Abstulerunt ergo filij Israel, &c.* Anton.Sabel. Ob eas clades, quas adierant, erant diuinis rebus vehementer additi. Nullus enim populus fuit vnquam aut in secundis contumacior, aut in aduersis obsequentior.

HISTOR. Sabell. *Hebræi quales?*

4 *Abstulerunt ergo filij Israël Baalim, & Astaroth.* Abul. ibi. quæst.26 Confregerunt eos proponentes nunquam vlteriùs habere illos in Deos, & si aliqui alij Dij erant in terra illa, nomine istorum intelliguntur.

LITERALE Abul.

5 *Abstulerunt ergo filij Israel Baalim, & Astaroth.* Caietan.ibi. Hinc clarè apparet, quòd infecti erant idololatria multiplici filij Israël.

LITERAL. Caiet.

6 *Abstulerunt ergo filij Israel, &c.* Franc.Mend. ibi.§.1. Dices Samuelem tria præcepisse: Vt auferent Deos alienos: Vt præpararent corda Domino: Vt soli Deo seruirent; Hebræos autem hoc loco executos fuisse primum, & vltimum, scilicet abstulisse Deos falsos, & vero Deo seruisse; non autem illud medium, quia non dicuntur corda Domino præparasse. Nihilominùs omnia peregisse intelligendi sunt; quamuis enim ille actus præparandi corda non exprimatur, quia erat internus, tamen per externum sufficienter declaratur.

LITERAL. Mendoza.

7 *Abstulerunt ergo filij Israel.* Author Catenæ. Non exprimitur corda Domino præparasse, sed Idolorum repulsio, & cordium ad Domino soli seruiendum applicatio, præcipua est ad Dominum cordis præparatio, quæ gratia mouente, & excitante efficitur.

LITERAL. Author Catenæ.

8 *Abstulerunt ergo filij Israel.* Vermil.in Com. in instauranda Republica ratio haberi debet cultus Dei, nam doctus Medicus primò causam exquirit morbi, deinde facit medicinam; causa autem dissipationis publicæ, erat Idololatria, quare necesse erat, vt ea primum tolleretur; & certè nulla vnquam erit tranquillitas inter Principes Christianos, nisi populo restituatur cultus Dei.

TROPOL. Vermill.

9 *Baalim, & Astaroth.* Ioan.Marian.in Schol. Quoniam *Baalim* est masculini generis, Hebraicè *Astaroth* fœminini, quidam putant per has voces significari abstulisse Deos, Deasque gentium. Ego potiùs crediderim per *Baalim*, id est Dominos, idola omnia designari: per *Astharotha* peculiare Idolum, cui magis erant affecti.

LITERAL. Marian.

10 *Baalim,*

LITERAL. Rangol. Calcagn. 10 *Baalim, & Astaroth.* Rangol. in Comment. Calcagninus lib. 5. Obseruat. Venerem fuisse autumat. Sed quocumque nomine censeatur, siue Venus, siue Luna aut etiam Iuno, vel Cœlestis, certum est Dæmonem fuisse muliebri specie à Sydoniis cultum ac pro Deo habitum.

VERSVS V.

Vulgata. **VVlgata.** Dixit autem Samuël Congregate vniuersum Israël in Maspha, vt orem pro vobis Dominum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante pagn.* Dixitque Semuël: Congregate vniuersum Israël in Maspha, & orabo pro vobis ad Dominum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Dixit vero Samuël: Congregate vniuersum Israëlem in Mizpa, & orabo pro vobis ad Dominum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit Semuel: Congregate omnem Israël in Miszpeia, & orabo super vos ante Dominum.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et dixit Samuël: Congregate vniuersum Israël in Massepha, & orabo ad Dominum pro vobis.

Sixtia. *Grat. ex Sept. in Sixtiana.* Et dixit Samuël: Congregate vniuersum Israël in Massephat, & orabo pro vobis ad Dominum.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul. 1 *Dixit autem Samuël.* Abul. ibi. quæst. 26. Istud erat in anno vigesimo ducatus sui, postquam omnes Israëlitæ conuersi erant ad colendum Deum solum. Nam tunc voluit eos admonere ad maiora, scilicet, quomodo se haberent contra Philisthinos quia certissimè Deus esset auxiliator eorum.

HISTOR. Ioseph. 2 *Dixit autem Samuël.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 2. Samuel autem edixit, vt conuenirent in oppidum Masphatim, quæ vox Conspicuum significat.

LITERAL. Caietan. 3 *Dixit autem Samuël.* Caietan. ibi. Ecce tertia actio in illis annis. Et est procul dubio sermo de Maspha in Tribu Iuda.

LITERAL. Mend. 4 *Dixit autem Samuël.* Franc. Mendoza ibi. §. 2. Samuël ordinariam potestatem conuocandi populum habebat, vt Iudex: vt nihil interim dicam de potestate delegata, qua vt Propheta fruebatur.

ALLEGOR. Cassia. 5 *Congregate vniuersum Israel.* Simon de Cassia lib. 8. cap. 38. Samuël Propheta Domini populum iussit congregari in Maspha; quod speculationem, aut contemplationem sonat, vt oraret pro populo. Congregari expedit ad speculationem diuinorum, & contemplationem beneficiorum, & gestorum eius pro nobis; Et tunc orabit pro nobis omnium Vates vatum Dominus noster IESVS.

LITERAL. Carthus. 6 *Congregate vniuersum Israel.* Carthus. ibi art. 14. Ad illam vrbem, scilicet Maspha populum conuocauit, vel propter conuenientiam loci, vel quoniam vrbs illa extitit celebris, quoniam Iosue frequenter erat ibi.

MYSTIC. Greg. 1. Cor. 13. *Maspha quid?* 7 *In Maspha.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 5. Maspha dicitur speculatio, seu contemplatio, quam profectò speculationem Beatus Paulus exponit dicens: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Speculari etenim nobis, est de altitudine Scripturarum æterna bona contemplari, quasi enim speculamur quod iam fidei veritate cognoscimus, & adhuc reuelata facie non videmus.

8 *In Maspha.* Gloss. Ordin. ibi Ciuitas est in Tribu Iuda iuxta Cariathiarim. LITERAL. Glossa.

9 *In Maspha.* Vatab. in Schol. In Mispha Deo iuuante Reges deuicerunt Israëlitæ. Ob id congregantur illic, nam præponitur voci *Mispha* apud Hebræos littera, quæ illis est vice articuli, quasi dicas in illa Mispha, quæ insignis est ea victoria, quæ legitur in Iosue cap. 11. LITERAL. Vatabl. Iosue 11.

10 *In Maspha.* Francis. Mendoza ibi §. 5. Inquiris cur potiùs in Maspha, quàm in alia quauis vrbe populus congregari inbeatur. Respondeo, quia Maspha erat Regni sedes, in qua scilicet Samuël iudicabat, & proinde magno hominum concursu frequentissima. Voluit ergo Samuël, vt publica idololatria, quæ in Hebræos irrepserat, non solùm priuata, sed etiam publica abiuratione in loco maximè patenti deleretur. LITERAL. Mend. *Cur in Maspha?*

11 *In Maspha.* Autor Catenæ. Insudant aliqui in assignanda ratione, cur potiùs in Maspha concio hæc seu congregatio facta fuerit, quàm alibi, scilicet, in Silo Nobe, aut aliis vrbibus. Plura quidem non constant, in quibus diuinare potiùs, quàm rem definire licet. Dices: forte Arcam aliquando in Maspha fuisse, vt refert Euseb. lib. de Locis Hebraic. Hieron. Roman. in suis Reb. public. & alij suprà relati. Hoc tamen falsum est, nec solido fundamento, aut autoritate nititur. Crediderim hanc potiùs vrbem à Samuele pro libito fuisse electam, nec ratio alia requiritur. LITERAL. Author Catenæ. *Cur in Maspha?* Euseb. Roman.

12 *Vt orem pro vobis Dominum.* Abul. ibi. q. 26. volebat enim ibi facere reconciliationem Samuël inter Deum, & Israëlitas; ideò enim ipsi cessauerant à malo, quod faciebant, & dolebant quod fecerant. Solùm igitur supererat, vt Samuel oraret pro eis ad Dominum, vt auerteretur ab ira sua. LITERAL. Abul.

13 *Vt orem pro vobis Dominum.* Carthus. ibi art. 14. Nonne & alibi potuit orare pro populo, & non præsente? Poterat vtique, voluit tamen orare pro communitate, ea præsente, & Dominum inuocante, quatenùs ex multarum præsentia facierum exaudibilior esset sua oratio. MORAL. Carth. *Oratio multorum.*

13 *Vt orem pro vobis Dominum.* Caietan. in Comment. Iuxta Hebræum habetur: *Et orabo pro vobis ad Dominum.* Finis enim huius congregationis, vt subiungitur, non fuit oratio Samuëlis, sed communis ac publica abrenunciatio idololatriæ, cum confessione, & satisfactione. Dicendo autem, *Et orabo pro vobis*, non Pontificis officium vsurpat, tum quia Propheta erat, & vt Propheta oraturus erat ad Iehouah, tum quia non fiebat hæc oratio in Templo Dei, nam Tabernaculum Dei erat in Silo, & Arca erat in Cir'iathleharim; hæc autem congregatio fiebat in Mispha, vbi nunquam Scriptura tradit fuisse Arcam, aut Tabernaculum. LITERAL. Caiet.

15 *Vt orem pro vobis Dominum.* Petrus Vermil. ibi. Potuit Samuël seorsim orare, sed noluit preces suas, cùm futuræ essent tanti momenti, esse pritas, sed publica totius populi voce comprobari. Non autem vsurpat sibi munus Pontificis, erat iam designatus Propheta, & Prophetarum erat orare pro populo. LITERAL. Vermil.

16 *Vt orem pro vobis Dominum.* Autor Catenæ. Finem huius conuentus non fuisse orationem contendit Caietanus, nititur autem in originali Textu, vbi *& orabo*, inquit, *pro vobis*, quod Græcus etiam habet. Fateor, sed Vulgato potiùs, quàm cuiuis LITERAL. Author Catenæ. Caiet. Græcus.

cuiuis alij adhibenda fides est. 2. Nec Græcus, nec Hebræus hunc sensum excludit, immo satis indicant. 3. De facto pro eis Samuelem orasse in eodem loco constat, nam irruentibus Philisthinis filij Israël Samuëli instabant: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum*, hoc est, procede, & ne desistas ab inceptis in orando, ergo non solùm propter alios fines, sed etiam propter publicam orationem Comitia à Samuële indicta sunt.

VERSVS VI.

Vulgata. *Vulgata.* Et congregati sunt in Maspha, & hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauitque Samuël filios Israël in Maspha.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Et congregati sunt in Mispah, hauseruntque aquam, & effuderunt coram Domino, & ieiunauerunt die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauitque Samuël filios Israël in Mispah.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Qui cum conuenissent in Mizpa, hauserunt aquam, & effuderunt coram Domino: ieiunauerúntque die illo, & dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Et iudicauit Samuël filios Israel in Mizpa.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et congregati sunt ad Misspa, & impleuerunt aquas, & effuderunt cor suum in pœnitentia ante Dominum, & ieiunauerunt in die illo, & dixerunt ibi. Peccauimus ante Dominum. Et iudicauit Semuël filios Israël in Misspa.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et conuenit populus in Masepha, & hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini super terram. Et ieiunauerunt in die illa, & dixerunt: Peccauimus Domino. Et iudicauit Samuël filios Israël in Masepha.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et conuenerunt in Massephat, & hauriunt aquam, & effundebant coram Domino super terram, & ieiunauerunt in die illa, & dixerunt: Peccauimus coram Domino. Et iudicabat Samuël vniuersum Israël in Massephat.

Chaldæus. Vatab. *Chaldæus apud Vatab. in Schol.* Hauserunt aquas è puteo cordis sui, & abundè lachrymati sunt coram Domino resipiscentes.

Isidor. Clarius. *Isidorus Clarius ibi.* Et ibi quoque iudicabat Israël.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Euseb. 1 *ET conuenerunt in Maspha.* Euseb. lib. de Locis Hebraic. Masepha in Tribu Iuda apud quem habitabat Iephte iuxta Cariathiarim, vbi quondam Arca Testamenti fuit, & Samuël populum iudicauit. Meminit huius & Ieremias. Maspha in Tribu Gad separata Leuitis. Est autem & alia nunc Maspha in finibus Eleutheropoleos contra Septentrionem pergentibus Aeliam, pertinens ad Tribum Iuda.

Mystic. Gregor. 2 *Et conuenerunt in Maspha.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 5. Conuersis peccatoribus in Maspha conuenire, est pro meritis intentionem de Dei omnipotentis miseratione considere. Sed sic de Dei misericordia præsumant, vt tamen id, quod se nequiter egisse recolunt, per pœnitentiam delere non negligant. Vnde & illis repente subiungitur. *Hauseruntque aquam, &c.*

Mystic. Rabban. 3 *Et conuenerunt in Maspha.* Rabban. in Gloss. Maspha, speculatio, vel contemplatio, vel intentio, vel locus iudicij. Benè autem conuenit iste locus tam Sancto viro, qui iustitia, & veritate iudicauit, & summa prudentia iudicauit populum.

Literal. Abul. 4 *Et conuenerunt in Maspha.* Abul. ibi. q. 26. Non est intelligendum quòd omnes iuissent illuc, nullis manentibus in vrbibus, sed de quolibet loco ibant multi, ita vt posset dici, quòd omnes Israëlitæ conuenerant. Et fuit factum hoc in Maspha, quia iste erat vnus de tribus locis, in quibus consueuerat iudicare quolibet anno Samuël Israëlitas. Est autem Maspha in terra Galaad, & in hoc loco habitabat Iephte Iudex Israël, qui dicebatur *Galaaditis*, vt patet Iudic. cap. 11.

Literal. Hieron. Hebræorum commenta. 5 *Hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini.* Hieron. vel potiùs Autor Tradit. Hebraic. in lib. Reg. tomo 3. Hebræi tradunt, quòd coram Domino in eandem aquam maledicta congesta sint, & sicut in lege mulier Zelotypa hausta aquâ probabatur, ita & hic idololatræ hâc aquâ probati sunt. Hi videlicet qui se Idola coluisse penitùs negabant. Tradunt etiam quòd quicumque idololatra hanc aquam gustasset, labia eius ita sibi adhærerent, vt nequaquam ea abinuicem idololatra separare posset. Hoc indicio idololatra deprehendebatur, & interficiebatur, quod & sequentia demonstrant in eo quod ait: *Iudicauitque Samuël filios Israel in Maspha.* Iudicare in hoc loco idololatras secundùm legem, morti tradere intelligendum est. Dicunt etiam quòd Moyses hoc modo idololatras, qui sibi vitulum fecerant, probauerit, quando arripuit vitulum, & combussit, & contritum vsque ad puluerem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israël. *Eadem verba habent* Angelom. & Rupert. lib. Comment. c. 17.

Angelom. Rupert.

Mystic. Cyrillus. *Sacrificium Samuelis, quale* 6 *Hauseruntque aquam, &c.* Cyrillus Alex. Hom. 18. de Festis Paschalib. tom. 3. nuper excuso. Lex per Moysem data boues immolari iussit; turturésque, & columbas sacrari Deo. Nullum verò sacrificij genus constituit eo ritu, vt aquam telluri supereffundi oporteat. Dicimus itaque Samuëlem, cùm Propheta esset, mentémque sancto Spiritu plenam gereret, Vnigeniti Dei Filij magnum, & venerabile Incarnationis mysterium proculdubio non ignorasse. Cogitabat porrò ipsam quoque veritatis vmbram iis, qui in periculo versarentur, salutem afferre posse. Vim salutis per Christum obtinendæ sibi veluti meditando depingens. Hoc antiquioribus Propheta Samuël, velut in aqua describens, aquam effudit in terram. Est aqua nempe symbolum vitæ; carnis verò terra; ergo Verbum caro factum est.

Mystic. Gregor. 7 *Hauseruntque aquam, &c.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 5. Quid est aquam haurire, nisi de profunda animi pœnitentis confusione lachrymarum fluenta producere? Velut enim aquam haurimus, dum, quam profunda iniquitate cecidimus, considerantes, plangimus. Quam profectò lachrymarum aquam in conspectu Domini effundimus, si, cùm pœnitendo compungimur, de eiusdem confusionis fletu non quærimus fauorem sæculi, sed solum fructum diuinæ placationis.

Histor. Ioseph. 8 *Hauseruntque aquam, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 2. Ibi hausta aqua libauerunt Domino, & indicto vnius diei ieiunio publicè supplicatum est.

9 *Hausé*

ALLEG. Beda. 9 *Hauseruntque aquam, &c.* Beda lib. 1. expos. Allegor. cap. 12. Hauserunt compuncti de imo pectore fontem lachrymarum, quem effunderent, quasi gratissimum Deo libamen, per oculorum vasicula proferendo.

LITERAL. Richard. 10 *Hauseruntque aquam, &c.* Richard. de S. Laurent. lib. 10. de Laudib. Beatæ Mariæ. Iudæi volentes cum Deo pacificari calicem laticis fundebant in terram, & in hac effusione significabant, quod sicut aqua effusa ad suum vas non poterat reuerti, sic nec ipsi de cætero reuerterentur ad peccatum suum.

MYSTIC. Liran. Rabbi Ion. 11 *Hauseruntque, &c.* Liran. ibi Ionatham filius Oziel maximæ reputationis apud Hebræos hoc exponit de conuersione cordium ad Deum, & sic per istas aquas intelliguntur lachrymæ contritionis exeuntes à corde, & per oculos effusæ.

LITERAL. Abul. Rabbi Salom. 12 *Hauseruntque aquam, &c.* Abul. ibi q. 27. Dicit Rabbi Salomon quod istud erat ad significandum se nimis humiliatos ab hostibus suis, quia sicut aqua ista effusa ad nihilum valet vltra, sic in conspectu tuo nihil sumus, nec valemus. In translatione autem Chaldaica aliter exponitur, scilicet de conuersione vera ad Deum, qua cor conteritur, & per istas aquas intelliguntur lachrymæ contritionis exeuntes à corde, & effusæ per oculos. Considerandum autem, quòd hîc ponitur vera pœnitentia, & perfecta Israelitarum.

LITERAL. Abul. 13 *Hauseruntque aquam, &c.* Idem ibid. q. 28. Aqua non pertinebat ad sacrificium, vel ad libamenta. Ideò cùm quæritur ad quod genus sacrificij pertinet, dicendum, quòd ad nullum, quia sacrificia solùm fiunt de animalibus. Si etiam dicatur, ad quod genus oblationum, & libamentorum pertinet? Dicendum etiam, quòd ad nullum, quia illa solùm fiunt de farina, oleo, vino, thure, & sale: aqua tamen poterat hîc dupliciter coram Domino effundi. Vno modo, quòd fieret hoc in modum orationis, & ad significationem, scilicet, quòd per effusionem aquæ significabant se nimis humiliatos à Philisthinis: alio modo potest intelligi, quòd offerrent aquam coram Domino, tanquam aliquid gratum ei, quodcumque enim esset Deo gratum, posset offerri illi, licèt non offerretur super altare.

LITERAL. Idem. 14 *Hauseruntque aquam, &c.* Abul. ibi q. 29. expositio Hebræorum non stat. Rationabiliter, quoniam Samuël hortabatur hîc Israelitas, quod abiicerent Idola, & magis erat hoc per modum beneuolentiæ, quàm per modum rigoris: exercere tamen istam probationem pertinebat ad magnum rigorem, potissimùm contra totum populum; ideò non faceret hoc Samuël.

LITERAL. Carth. 15 *Hauseruntque aquam, &c.* Carthus. ibi art. 14. Nonnulli dixerunt, quòd Samuël idolum quoddam comminuit, eiusque puluerem misit in aquam illam, quam bibentes discreti sunt idololatræ ab aliis, ita quòd in barbis idololatrarum apparuit signum impietatis eorum, cui simile est, quod in Exodo Moyses fertur fecisse.

LITERAL. Caietan. 16 *Hauseruntque aquam, & effuderunt.* Caietan. ibi. Noua est hæc cæremonia ad significandam sensibili signo totalem abdicationem idololatriæ; ad hoc enim hausta aquam publicè effuderunt coram Deo; vt quemadmodum aqua sic abiicitur, quòd nihil eius remanet in vase, non color, non odor, non sapor, ita monstrabant se sic abdicare idololatriam, vt nihil eius in ipsis remaneret.

LITERAL. 17 *Hauseruntque aquam, & effuderunt.* Emanuel Saa in Schol. Scilicet in signum effusi cordis, & ante Dominum prostrati; vel quasi dicant: ita pereamus, vt aqua è vase effusa, si pactum cum Deo violauerimus. Saa.

18 *Hauseruntque aquam, & effuderunt.* Franc. Turrian. lib. 3. pro epist. Pontific. cap. 6. Si effusio aquæ iussa fieri a Samuële secundùm spiritum in nomine Dei, qui futurus erat homo, tantùm valuit, vt victoriam de hostibus, Deo de cœlo tonante perterrefactis, impetraret; cur non multo etiam plus ad terrendos, ac fugandos Dæmones valebit effusio aquæ per Verbum Dei iam incarnati, & pro nobis in aquæ morem effusi? MYSTIC. Turrian. *Aquæ benedictæ encomium.*

19 *Hauseruntque aquam, & effuderunt.* Ioann. Marian. in Schol. Aqua in sacrificium offertur, quod fecit etiam Dauid, quando ei allata est de cisterna Bethlehem. LITERAL. Marian.

20 *Hauseruntque aquam, & effuderunt.* Nicol. Serarius ibi. Non sacratam dicunt aliqui adhibitam fuisse pœnitentiæ, squallori, & sordibus abluendis, quod cinere caput aspersi essent; illoti permansissent, &c. apud Munsterum. Vel etiam vestibus abluendis, vt Exod. 19. Secundò, signum contritionis, quasi dicerent meritò se lachrymarum effundere tantum debere, & optare, quantum vel terræ ipsi rigandæ, & madefaciendæ satis foret; & quasi profiterentur terram ipsam suis sceleribus pollutam, quam quemadmodum in vasis immundis fieri solebat, eruere deberent; quemadmodum ob eam causam dicitur Psalm. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum*; seu vt Hebraicè est: *Natare faciam tota nocte lectum meum.* Tertiò, signum est effectus optati, quasi dicerent: vt ait Abenez: euanescant peccata nostra, vt aqua hæc. LITERAL. Serar. Exod. 19. Psalm. 6. Abenez.

21 *Hauseruntque aquam, & effuderunt.* Idem ibidem. Huic modo aquam in tristitia, & luctu hauriendi opposuit Esaias illud: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris cap. 12.* LITERAL. Serar.

22 *Hauseruntque aquam, & effuderunt.* Franciscus Mendoz. ibi §. 7. Facilè possunt aliæ rationes excogitari. Vna sit animorum sinceritas. Nam sicut ea, quæ sub aliquis latent, oculis patent, ita, quæ sub animis sinceris continentur, foras produntur. Altera significatio esse potest animorum innocentiæ. Nam sicut populus diuinam legem accepturus, lauare iubetur vestimenta sua, Exod. 19. 10. ita hoc loco Hebræi, vt se, post abiuratam idololatriam innocentes assererentur, aquam, quia abluerentur, effundebant. Tertia significatio ingens pœnitentiæ fructus. Nam sicut aqua campos irrigat, oblimat, ac fœcundat; ita pœnitentia animos. Quarta denique significatio esse potest, futura per Baptismum ablutio animorum. LITERAL. Mendoza. *Effusio aquæ, quid?* Exod. 19. 10.

23 *Hauseruntque aquam, & effuderunt.* Autor Catenæ. Ex Autore Traditionum Hebraicarum, & aliis, constat Hebræorum traditio; nemper probatos à Samuele fuisse idololatras, & deprehensos epotæ aquæ indicio. Quod nugatorium esse commentum probatur præter rationes ab Abulensi, & aliis assignatas ex eo, quòd probationes huius generis absque diuino consilio ex natura sua impium, & malum est, & aduersùs religionem, cùm manifestam Dei tentationem in se contineat. Quam ob causam duplex ex aqua probatio, nempe frigida, & calida, vel feruenti, quæ olim apud plures gentes moleuit, Saxones, Longobardos, Rhenarios Frisios, & alios apud Delrium libro 4. Disquisit. LITERAL. Author Catenæ. Delrius.

Marinus. Steph.V. Alexan. II. Honor.III. Tho.Sanct. Saurius. S.Thom. Caiet. Antonin. Binsfeld. Thiræus. Petr Greg. Abbas. Turrecrem. Alciatus. Godelman. Delrius. Vvierius. Bodin. Euanch. Neuald. Lerchem. Oldedorp. Horoman. Borcholt. Venator. Godelm. Delrius. Turonens. Saian.

Magic. cap.4. quæst.6.sect.4. Gottis etiam nostris, & Hispanis familiare, vt affirmat Marin. lib.5. de Rebus Hispan. cap. 7. Non solùm Canonico iure frequenter prohibetur. Secunda, quæstione 5. cap. *Mennam.* Stephanus Quintus ibidem. cap. *Consuluisti.* Alexander Secundus Epist. ad Rainaldum Cummanum. Honorius Tertius de Purgat.Vulgar. cap. *Delicti*, sed & prudentum, & Theologorum omnium calculo exploditur. Quocirca conulatur Thomas Sanctius in Decalog. lib.2. cap.34. n.12. Suarius lib.1.de Irreligiositate c.3. S.Thom. 2.2. quæst.95. art.8. Caietan. ibidem. Antonin. 4.par. tit.15. cap.34. §.2. Binsfeldus, Thiræus, Petrus Gregorius, Abbas, Turrecremata, Alciatus, Godelmam,& plures alij apud Delrium lib.4. Magic. Quæst. cap.4. quæst.5. sect.2.Sed & ipsorum etiam Hæreticorum placitis impugnatur, hi sunt Wierius. Bodin. Ioann.Euuichius,Hermannus Neualdus, Lerchemerus, Oldendorpius, Hotomannus, Ioann. Borcholt. Venatorius, & alij apud Godelmanum. lib. 3. de Lamiis, cap. 4. Ergo Samuël piissimus, & religiosissimus proba impia, irreligiosa, & omnium prudentum ore, imò, & calce protrita non vteretur ad deprehensionem Idololatrarum. Præterquam quod qui proba hac olim vtebantur, nusquam per modum potionis aquam adhibebant, sed per totius corporis, vel saltem manus immersionem, vt probat Delrius ex Gregorio Turonensi. lib.1. de Gloria Martyr. cap.81. & annotat Saianus. Samuël autem neutrum exegisse constat; cùm solùm referatur filios Israel aquam hausisse, & in conspectu Domini effudisse, ergo neque ore sumebant, neque in eam immittebant manus. Quid ergo ibi probæ?

LITERAL. Abul.

24 *In conspectu Domini.* Abul. ibid. quæst.26. Non est intelligendum, quòd in hoc loco fuerit Tabernaculum, vel Arca, quanquam ibi Samuël obtulit sacrificium, quoniam in aliis locis offerebat, de quibus erat manifestum, quòd non esset ibi Sanctuarium, sicut patet de Bethlehem infrà.

LITERAL. Caiet,

25 *In conspectu Domini.* Caietanus ibid. Quod dicitur in conspectù Iehouah, ad testimonium spectat, quod in veritate ita intus se habebant, quemadmodùm foris effundendo aquam significabant; ac si dictum fuisset, quod effuderunt aquam, inuocando Deum testem, seu tanquam in præsentia Dei inspicientis corda.

TROPOL. Hieron. *Ieiunium dat vires.*

26 *Et ieiunauerunt in die illa.* Hierony. lib.2. aduersùs Iouinianum tom.2. Congregatum populum Samuël in Maspha indicto ieiunio roborauit, & fecit hostibus fortiorem.

MISTIC. Gregor.

27 *Et ieiunauerunt in die illa.* Gregorius lib.3. Variarum cap. 5. Dicit peccatricis animæ est spes consequendæ indulgentiæ in diuini verbi repromissione. Vnde & per Prophetam Dominus repromittit dicens: *Nolo mortem peccatoris: magis autem, vt conuertatur, & viuat.* Ezechiel.33. In die igitur illa ieiunant qui ideircò carnem pœnitendo atterunt, quia in luce spei peruenire ad indulgentiam se indubitanter credunt.

Ezech.33.

TROPOL. S.Leo. *Ieiunij laus.*

28 *Ieiunauerunt in die illa.* S.Leo Magn.serm.1. de Quadragesima.Hebræorũ quondam populus, & omnes Israeliticę Tribus;cùm propter peccatorum suorum offensiones graui Philisthinorum dominatione premerentur, vt superare hostes suos possent (sicut Sacra manifestat Historia) vires animi, & corporis indicto sibi reparauere ieiunio. Intellexerant enim duram, & miseram illam subiectionem neglectu se mandatorum Dei, & morum corruptione meruisse, frustráque se armis certare, nisi priùs vitiis repurgassent; abstinentes ergo à cibo, & potu, seuerę sibi castigationis adhibuêre censuram; & vt hostes suos vincerent, gulæ illecebram in seipsis ante vicerunt, factúmque est hoc modo, vt sæui aduersarij & graues Domini esurientibus cederent, quos sibi saturos subiugarant.

TROPOL. Tertullian. *Ieiunij laus.*

29 *Ieiunauerunt in die illa.* Tertul.lib.aduersùs Physic. cap. 7. Ieiunium etiam iratum Deum homini reconciliat. Deliquerat Israël in aquatione apud Maspha,congregatus à Samuële; ita statim delictum ieiunio diluit, vt periculum prælij simul fugerit. Cùm maximè Samuël offerebat holocaustum, in nullo magis procuratam audiuimus Dei clementiam, quàm in abstinentia populi.

TROPOL. Cassian.

30 *Et ieiunauerunt in die illa.* Simon de Cassia lib.4. cap.4. Ieiuna, vt virtute Chriltifera hostes deuincas, quos corporum ferocitate, atque armorum industria non vales deuincere. Filij Israël,cùm arguerentur à Samuele quòd adorauerant Deos alienos Baalim, & Astaroth, & vellet eos congregare in Maspha,ad docendum eos Domini bona, pactum faciens cum Domino de non adorando Idola & confessi sunt se peccatores, & ieiunauerunt ob pœnitentiam. Sensus epulis non oppressus facilè susscipit documenta virtutum.

LITERAL. Abul. *Ieiunium Hebræorum:*

31 *Et ieiunauerunt in die illa.* Abul.ibi. q.28. Istud fecit, tanquam pars satisfactionis peccatorum suorum;& fuit ad signandum dolorem, quem conceperant pro peccatis præteritis. Ieiunium autem Hebræorum erat, quòd ni die illa, qua ieiunarent, nihil comederent per viginti quatuor horas ieiũantes, sicut patet de die expiationis, in qua iubentur affligere animas suas.Leuit.16.& 23. In hac autem die, vsque ad Solis occasum, & à principio præcedentis noctis nihil gustant.

LITERAL. Caiet.

32 *Et ieiunauerunt in die illa.* Caietanus ibid. Collige has actiones, & perpende confessionem, dicendo: *Peccauimus Iehouah*: satisfactionem verò ieiunando: signum autem veræ contritionis effusionem aquæ in conspectu Dei.

LITERAL. Serari. *Ieiunium Hebræorum:* Leuit.16. Num.6.30.

33 *Et ieiunauerunt in die illa.* Serarius ibid. Nota duplex apud Hebræos ieiunij genus esse: vnum dictum est *Onasim*, id est, coactionum, quòd scilicet à lege perscriptum, seu ad quod cogebantur, vt Leuitic.16. alterum *Conasim*, id est, voluntariè susceptum, vt Numer.6. 30.

LITERAL. Mendoza. Galatin. Geneb. Bellarm. *Confessio Hebræorum.*

34 *Et dixerunt: peccauimus Domino.* Franc. Mendoza ibidem. §.10. Quamuis apud Hebræos non fuit confessio sacramentalis, fuit tamen cæremonialis, vt vel ipsi Rabbini apud Galatinum. lib.10. cap.3. & Genebrard. in Psalm.31. ibidem. *Delictum meum cognitum tibi feci*, & Bellar.lib.3. de Pœnit. cap.3. testantur in qua non solùm Deo, sed etiam homini peccata sua, non solùm in genere, sed etiam in specie cum firmo proposito non relabendi, confitebantur.

TROPOL. Vermil.

35 *Et dixerunt: peccauimus Domino.* Petrus Vermil.ibidem. Panca quidem sunt ista verba, sed magni ponderis, non enim moratur Dominus multitudinem, aut ornatum verborum pœnitentem requirit, non obloquentem. Publicanus Paucis verbis ait: *Propitius esto mihi peccatori.* Dauid paucioribus: *peccaui Domino*; tamen vtriusque oratio Domino erat gratissima.

HISTOR. Nissen.

36 *Iudicauitque Samuel filios Israel in Maspha.* Greg.Niss.Orat.de Laud.Basilij. Cùm Israelitarum res per eum statum, quo nullius certi magistratus imperio continebantur, in promiscua populi,atque confusa potestate malè se se haberent Samuel stetit,

qui

qui per se se subditos in officio contineret, & à consuetudine, ac commercio alienigenarum prohiberet.

TROPOL. Gregor. *Prælatus qualis?*

37 *Iudicauitque Samuël filios Israël in Masphath.* Gregor. suprà. In Masphath Sacerdos iudicat, cùm non humanum arbitrium sequitur, sed diuinum: cùm in omni, quod disponendum est, se in altâ contemplatione subleuat, & hoc in subiectorum iudicio disponit, quod æquum esse in superna visione cognoscit.

LITERAL. Angelom.

38 *Iudicauitque Samuël filios Israël in Masphath.* Angelom. in Stromatib. Nos iam Hebræorum deliramenta omittentes (quia verùm verum sit, ignoramus) simpliciter intelligimus quòd tam sancto viro conueniebat, vt plebem sibi commissam in iustitia, & veritate iudicaret, & summa prudentia gubernaret. Cæterùm quid figura significet,

MYSTIC. intimare breuiter aggredimur. Masphath enim quò congregatus est Israël, vbi & aquam hausit in conspectu Domini, interpretatur *Intentio*, sanctam significans Ecclesiam, vbi vera est intentio, quæ meliùs potest per ipsum Masphath intelligi, in veritate fidei sub nouo Sacerdotio collectam, aquas lachrymarum hauriens, & per satisfactionem pœnitentiæ eas in conspectu Domini effundens.

LITERAL. Comest.

39 *Iudicauitque Samuel filios Israel in Masphat.* Petrus Comestor. in Hist. Scholastic. cap. 8. Ideò docuit eos iudicia Dei.

LITERAL. Abul.

40 *Iudicauitque Samuël filios Israël in Masphath.* Abul. ibi. quæst. 28. Istud iudicium fuit reconciliatio Israëlitarum inter se, quia non solùm reconciliauit Israëlitas Domino, sed etiam inter se ipsos, scilicet, vt iniurias sibi remitterent; vel fortè iudicauit inter eos, vt iudex, dirimendo causas eorum.

LITERAL. Caiet.

41 *Iudicauitque Samuël filios Israël in Masphath.* Caietan. ibi ex qua sententia habes tum, quòd Samuël fuerit iudex; tum quòd à Samuële, tanquam à Prophetâ inductus est populus ad hanc publicam professionem pœnitentiæ: tum, quòd exinde incæpit esse Iudex, qui priùs erat dumtaxat Propheta.

LITERAL. Vermil.

42 *Iudicauitque Samuël filios Israël in Masphat.* Petrus Vermil. ibi. Alij putant eum errata cuiusque didicisse, & singulis imposuisse varia genera sacrificiorum, provt quisque plus, minúsve peccasse videbatur. Sed cùm iam populus rediisset in gratiam cum Deo, proximum erat, vt interstitiæ inter ipsos seditiones, & iniuriæ componerentur. Iudicauit ergo Samuël populum, hoc est dedit operam, vt omnis memoria iniuriarum in populo funditùs tolleretur. Verùm ego hunc locum simpliciùs intelligo, Samuëlem antè fuisse à Deo designatum iudicem; nunc ab eo publicè declarari.

MYSTIC. Rabban. *Masphath quid?*

43 *In Masphath.* Rabban. *Masphath* speculatio, vel contemplatio, vel intentio, vel locus iudicij. Benè autem conuenit iste locus tam sancto viro, qui in iustitia, & veritate iudicauit, & summa prudentia iudicauit populum.

LITERAL. Mendoza. *Masphath, quæ?* Euseb. Abul.

44 *In Masphath.* Franc. Mendoz. ibi. §. 4. Vers. 5. Masphath non quidem illa in qua Iepthe habitabat. Iudic. 11. 11. quidquid dicat Eusebius de Locis Hebraicis, & Abulensis hoc loco. Nam hæc erat in terra Galaad trans Iordanem, vt patet ex citato loco Iudicum. Ideóque ibi Masphath Galaad ad distinctionem alterius Masphath de Tribu Iuda dicebatur, sed alia in confinio Beniamin, & Iuda, vt sentit Adricomius.

Adricom.

VERSVS VII.

VVlgata. Et audierunt Philisthiim, quòd congregati essent filij Israël in Masphath, & ascenderunt Satrapæ Philisthinorum in Israël. Quod cùm audissent filij Israël, timuerunt à facie Philisthinorum. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante pagn. Audierunt autem Pelisthim, quòd congregati essent filij Israël in Mispah, & ascenderunt Satrapæ ad Israël, & audierunt filij Israel, & timuerunt à facie Pelisthim. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Audientes autem Palesthini, quòd congregati essent filij Israël in Mizpa, ascenderunt Principes Palesthinorum ad Israël, quòd cùm audirent Israëlitæ, timuerunt à Palesthinis. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et audierunt Pelisthæi, quòd congregati sunt filij Israël in Mizpeia, & ascenderunt Thiranni Pelisthæorum super Israël, & audierunt filij Israël, & timuerunt ab ante Pelisthæos. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et audierunt Philisthiim, quòd congregati erant filij Israël in Masepha omnes. Et ascenderunt Satrapæ Philisthinorum ad Israël, & audierunt filij Israël, & timuerunt à facie Philistinorum. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et audierunt alienigenæ, quia congregati sunt omnes filij Israel in Massephat, & ascenderunt Satrapæ alienigenarum super Israël; & audiunt filij Israël, & timuerunt à facie alienigenarum. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

1 *ET audierunt Philisthiim, quòd congregati.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. Iudaic. c. 2. Nec latuit Palæstinos Hebræos circa Masphatim congregari, sed confestim cum magno exercitu adfuêre, sperantes se illos nec opinos posse opprimere. HISTOR. Ioseph.

2 *Et audierunt Philisthiim.* Comestor. in Histor. Schol. cap. 8. Et audierunt Philisthiim, congregatum Israël esse inermem in Masphat, & armati ascenderunt aduersùs eos. HISTOR. Comest.

3 *Et audierunt Philisthiim.* Abul. ibi. q. 29. Sensus est, quòd audierunt Philisthini, quòd congregabantur Israëlitæ in Masphat, nam Samuël prædixerat per aliquot dies ante hoc, quòd congregarentur de omni terra Israëlitarum in Masphat, & dum hoc mandatum fuisset datum, audierunt Philisthini, qui etiam congregati sunt, parantes se ad bellum contra Hebræos, ita vt in eadem die, qua erant Israëlitæ congregati in Masphat, irruerent super eos Philisthini, quasi ex insidiis. LITERAL. Abul.

4 *Et audierunt Philisthiim.* Autor Catenæ. Ergo quando Philisthini audierunt de conuentu Israëlitarum, iam illi conuenerant in Masphat: contra Abulensem, qui vt celerrimæ Philisthinorum expeditionis, & incursus in Hebræos intra breuissimum eiusdem vnius diei spatium difficultatem eludat, non de conuentu iam peracto à Samuele intelligendam credit Palæstinorum notitiam; cùm tamen Textus asserat, *quòd congregati essent filij Israël.* Ast dices: quî fieri potuit, vt vnius diei spatio tot hostium millia, & quinque eorum Reguli diuersa loca colentes congregari, in bellum expediri, & acies instruere potuerint? Respondeo LITERAL. Author Catenæ Abul.

Mend. primò cum Mendoza forte Israëlitas non vnicum, sed plures dies in Masphat consumpsisse. 2. Eam esse locorum, & vrbium vicinitatem, vt in tam breui spatio hæc omnia fieri potuerint, maximè ab hostibus omninò instructis, & ad bellum ferè continuum paratissimis, & ex vrgenti periculo congregati Israëlitarum populi, ad arma alacriter accurrentibus.

Tropol. Greg. *Dæmones quos impugnant.* 5 *Et ascenderunt Satrapæ, &c.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 5. Ablatis namque Diis alienis, peracto ieiunio, exhibita à Prædicatore censurâ examinis, ad Israël Philisthinorum Principes ascendunt, quia cùm altiori vita profecimus, maligni spiritus, qui semper benè agentibus inuident, nobis infestiores sunt. Et quia de innocentis vitæ sublimitate nos deponere appetunt, ascendere dicuntur.

Tropol. Idem. *Perfecti plus tentati.* 6 *Et ascenderunt Satrapæ, &c.* Idem ibidem. Quia contra perfectiores Christi milites non quorumlibet malorum spirituum, sed fortiorum Dæmonum prælia excitantur. Non Philisthiim contra Israël ascendere, sed Philisthinorum Satrapæ perhibentur.

Literal. Abul. 7 *Et ascenderunt Satrapæ, &c.* Abul. ibi. q. 29. Sciendum quòd istud ideò est factum, quia postquam Philisthiim subiecerunt Israëlitas maxima subiectione, cùm capta est Arca propter peccata filiorum Heli, decreuerunt, ne Israëlitæ haberent aliquas congregationes, & hoc vt non haberent opportunitatem ad incundum consilium, vt reuelarent illis. Ideò nunc scientes quòd congregarentur, irruerunt super eos ad delendum ipsos, vel subiiciendum maiori seruituti. Satrapæ Pelisthinorum erant Principes, vel Reges in terra Philisthiim, & erant quinque secundùm numerum quinque prouinciarum terræ illius. Iosue 13.

Iosue. 13.

Mystic. Lira. *Satrapæ quid?* 8 *Et ascenderunt Satrapæ, &c.* Lira in Gloss. Moral. Qui interpretantur *satis rapientes* propter quod significat Dæmones, qui rapere student homines per peccata; ideò dicitur, quòd ascenderunt ad Israël, idest ad fideles, vt suæ subiicerent seruituti.

Literal. Caietan. 9 *Et ascenderunt Satrapæ, &c.* Caietan. ibi. Suspicantes congregationem Israëlis parituram rebellionem, parauerunt se ad prælium.

Literal. Mend. Lira. Abul. *Irruptionis causa.* 10 *Et ascenderunt Satrapæ, &c.* Franc. Mendoza ibi. §. 4. Quare Philisthini tam subiti ad arma conuolarunt? Lira, & Abulensis existimant, quia Philisthini Hebræis à se victis legem imposuerant, ne quando populum congregarent, vt hic eos distraherent, & à se mutuò diuellerent. Nihilominùs huius legis nulla hoc loco mentio reperitur; immò intra illos viginti annos, qui iam ab Arcæ restitutione excurrerant, sæpiùs fuerant Israëlitæ congregati partim ad transferendam Arcam ex Bethsames in Chariathiarim, vt patet ex num. 1. partim ad audiendas Samuëlis conciones, quæ ab initio frequentes ad vniuersam domum Israëlis habebantur num. 3. quin tum Philisthini ad eas congregationes impediendas, ac disturbandas prouolarint.

Histor. Sabell. 11 *Et ascenderunt Satrapæ, &c.* Marc. Anton. Sabellic. Eneade prima, lib. 7. in tomo 1. Mouit Samuëlis oratio multitudinem, sed nihil æquè ac viri autoritas ob creditam sanctitatem, fatidicam naturam, ad arma perpulit. Frequentes igitur Masphathon vrbem conuenere. Natura situs dedit loco nomen, idem hebræa vox sonat, quòd *deorsùm spectans*. Hic Samuël ieiunio suis indicto statuit hostem expectare. Nam Philisthæi audito Israëlitarum tumultu rati quod erat, gentem ad defectionem spectare, ad primos ipsorum motus opprimendos confestim affluere.

Literal. Moral. Rangol. 12 *Et ascenderunt Satrapæ, &c.* Claud Rangol. ibi. Plures erant causæ, ob quas Diabolus concionem dissipari summopere cuperet. Prima, quòd ibi peccata plangerentur, quæ nullo vnquam tempore aboleri volebat. Altera, quòd male ruptum fœdus, cùm Deo populus renouaret, quo sibi diuinum præsidium adiungeret. Tertia, quòd Palæstinorum iugum à se repellere meditarentur, quo excussò verebatur, ne deinceps pro sua libidine eos vexare non posset. Postremò, quòd decipiendæ plebis opportunitatem ex Palæstinorum vsu, ac commercio sibi eripi vehementer dolebat; societas namque malorum ad corrumpendos animos, & perdendam religionem venenum est præsentissimum.

Mystic. Gregor. 13 *Quod cùm audissent filij Israël, timuerunt.* Gregor. suprà. Armata hinc contra se aspiciunt desideria, quæ sibi dudum pacata seruiebant: illinc supernus amor inuitat, vt cœpta bona non deserant. Hinc spiritus mentem eleuat: illinc caro grauat, ac dum finis sui modum scire non possunt, de electionis suæ incertitudine vehementer expauescunt. Vnde & hic aptè subditur: *quod audientes filij Israël, timuerunt, &c.*

Literal. Abul. 14 *Quòd cùm audissent filij Israël, timuerunt.* Abul. ibi. quæst. 29. Scilicet illi, qui erant in Masphath. Nam cùm introierunt Satrapæ Philisthinorum in terram Israël, alij Israëlitæ, qui manebant in locis, ascenderunt velociter ad nunciandum hoc omnibus Israëlitis, qui erant congregati in Masphath, ne præuenirentur incauti à Philisthinis.

Mystic. Greg. 15 *Timuerunt à facie Philisthinorum.* Greg. suprà. A facie Philistinorum timent, vt eorum posteriora non timeant. Quæ est enim malorum spirituum facies, nisi concupiscentia sæcularis? Quia verò non Philisthinorum faciem, sed ab eorum facie timuisse Israël dicitur, sic electorum mentes insinuat, vt etiam reproborum stultitiam latenti ratione reprehendat. Non enim faciem, sed à facie timuerunt, quia videlicet sancti viri, aliud est, quod foris aspiciunt, aliud, quòd intùs expauescunt. Nam etsi aliquando florentem mundum humana ratione considerant, repentè mentis oculos ad ea mala, quæ mundi gaudia sequuntur, retractantes leuant, & velut à facie trepidant, qui pœnis sequentibus contingere præsentes delectationes vetant. At contra reprobi, qui hanc Philisthinorum faciem nequaquam metuunt, sequentes ferocitatis eorum impetus euadunt.

Literal. Abul. 16 *Timuerunt à facie Philisthinorum.* Abul. ibi. quæst. 29. Quia sciebant venire illos cum magna multitudine parata ad bellum, ipsi autem non erant parati, quia non venerant ad pugnandum, sed ad orandum.

VERSVS VIII.

Vulgata. VVlgata. Dixerúntque ad Samuëlem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philisthinorum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Dixerúntque filij Israël ad Semuël: ne sileas pro nobis clamando ad Dominum Deum nostrum, vt seruet nos de manu Pelistim.

Hebraic.

Vatabl. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Dixerúntque filij Israël ad Samuëlem: ne sileas, quominùs clames pro nobis ad Dominum Deum nostrum, vt seruet nos de manu Palæstinorum.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixerunt filij Israël ad Semuël: ne taceas à nobis ab orando ante Dominum Deum nostrum, & eripiat nos de manu Philisthæorum.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et dixerunt filij Israel ad Samuël: ne cesses à nobis clamare ad Dominum Deum tuum, & saluabit nos de manu Philisthinorum.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et dixerunt filij Israël ad Samuël: ne taceas à nobis, vt non clames ad Dominum Deum tuum, & saluabit nos de manu alienigenarum.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Greg. *Sacerdotis officium.* 1 *Dixerúntque ad Samuëlem.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 5. Tentatis subditis Pastores boni non solùm orationum præsidia conferunt, sed etiam sacrificiorum. Vnde subditur: *Tulit autem Samuël agnum lactentem.*

Histor. Ioseph. 2 *Dixerúntque ad Samuëlem.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 2. Quapropter trepidi ad Samuëlem concurrunt consilium dubiis rebus petentes, nihil dissimulantes non esse sibi satis vel virium, vel animi ad confligendum cum tam potente hoste, à quo toties victi discessissent, & libenter quieturos, si liceat, ne vltrò sibi perniciem accersere videantur. Conuenisse se ad supplicationes, & sacrificia, vtque Sacramento ad militiam adigerentur: nunc imparatis, & inermibus imminere hostem, vt nulla spes salutis supersit, ni Deus à Propheta exoratus periclitantes in tutelam accipiat. Ille iubet eos securo animo esse, neque enim auxilium Dei defore.

Literal. Abul. 3 *Dixerúntque ad Samuëlem.* Abul. ibid. q. 29. Hoc fecerunt; quia spes eis nulla erat, nisi in opere Dei; nam cùm essent inermes, & Philisthini armati nulla habitudo pugnæ poterat esse inter vtrosque.

Literal. Caiet. 4 *Dixerúntque ad Samuëlem.* Caietan. in Com. Confidebant in Samuëlis oratione, quia Propheta Domini erat.

Moral. Greg. 5 *Ne cesses pro nobis clamare.* Greg. suprà. Quid est clamor Samuëlis, nisi in supplicatione Pontificis magna virtus desiderij? Vnde ad tacentem labijs Moysem, licèt populi salutem feruente deuotione cupientem, à Domino dicitur: *Quid clamas ad me?* Exod. 14.

Mystic. Bedà. 6 *Ne cesses pro nobis clamare.* Beda lib. 1. Expositi. Allegor. cap. 12. Timentes Discipuli Christi à facie persequentium Iudæorum, vigilauerunt iubente illo, & orauerunt, ne intrarent in tentationem; dixerúntque subitò, tentationum turbine perculsi: *Domine salua nos, perimus.*

Literal. Abul. 7 *Ne cesses pro nobis clamare.* Abul. ibid. q. 29. Quasi dicant: si cessaueris orare, destruent nos Philisthini. Hoc erat ad exemplum Moysis, quando pugnauerunt Israelitæ in deserto contra Amalechitas, quia tunc fuit dux belli Iosue, & Moyses orabat ad Dominum, dum pugnabant Israëlitæ erectis manibus in cœlum, & dum relaxaret eas, vincebant Amalechitæ Israëlitas; cùm autem haberet erectas, vincebantur Amalechitæ, quia tunc videbatur instanter orare. Et cùm deprimebat manus, vincebantur Israelitæ, eo quòd tunc videbatur cessare ab intentione precis; vt patet Exod. 17. Sic autem volebant isti, quòd nunquam cessaret Samuel orare pro eis. Exod. 17.

8 *Ne cesses pro nobis clamare.* Carth. ibi. De propriis meritis non præsumimus, nec de viribus nostris confidimus, sed te esse Dei amicum cognoscimus. Literal. Carthus.

9 *Ne cesses pro nobis clamare.* Claud. Rangol. in Comment. Ex quibus apparet quantum in vnius iusti prece spei, ac fiduciæ posuissent; plus enim in vnius deprecatione præsidij collocant, quàm in omnibus suis copiis, armis, & viribus; quibus non aliter inimicorum impetum comprimi posse confidebant, quàm si Prophetæ oratione corroborarentur. Moral. Rangol.

10 *Ne cesses pro nobis clamare.* Franc. Mend. ibi. §. 2. Cur non ipsi statim ad Deum confugiunt oraturi, sed potiùs Samuëlem, vt Deum oret, deprecantur? Respondeo primò, quia, qui impetrare aliquid à Deo volunt, non sua tantum authoritate nituntur, sed quàm multos possunt, ad Deum summittunt precatores. Secundò: Quia ipsi adhuc de suorum scelerum conscientia erubescentes, ad Deum beneficia petituri accedere non audent. Tertiò; Quia tantum Samuelis sanctitati deferebant, vt vnam illius orationem plus apud Deum, quàm aliorum omnium preces valituram arbitrarentur. Ad hæc volebat populus, vt labores æqua proportione inter se diuiderentur, & Samuel quidem orando, populus autem pugnando de hostibus triumpharent. Literal. Mendoz.

11 *Ne cesses pro nobis clamare.* Author Catenæ. Ecce recta vtriusque officij distributio. Laici quidem arma tractent: Sacerdotes verò Deum precibus, hostiisque solicitent; quàm enim sit alienum à Prælatis militiæ intendere, & bellicis affluescere, quis non videat? Nostri ergo ævi Sacerdotes caueant, & resipiscant, nec temporales Principes alienam à sancta professione personam ipsis imponant, de quo pluta suprà diximus ad cap. 4. Moral. Vnthor Catenæ.

12 *Vt saluet nos de manu Philisthinorum.* Abul. quæst. 29. Id est, vt non deleant nos hîc Philisthini, cùm simus inermes. Literal. Abul.

VERSVS IX.

Vulgata. *Vulgata.* Tulit autem Samuël agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino; & clamauit Samuël ad Dominum pro Israël, & exaudiuit eum Dominus.

Glossa. *Text. Glos. in marg.* Holocaustum totum Domino.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Tulit autem Semuël agnum lacteum vnum, & obtulit illum holocaustum totum Domino; & clamauit Semuël ad Dominum pro Israël, & exaudiuit eum Dominus.

Vatab. *Hebraïc. ex Franc. Vatab.* Et Samuël accepto agno lactenti vno sacrificauit illum Domino holocaustum integrum, clamauitque Samuël ad Dominum pro Israele, & exaudiuit eum Dominus.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et accepit Semuël agnum lactis vnum, & ascendere fecit holocaustum consumptum ante Dominum; & orauit Semuël ante Dominum super Israël, & accepit orationem eius Dominus.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Et tulit Samuël agnum lactentem vnum, & obtulit holocaustum Domino cum vniuerso populo, & clamauit Samuël ad Dominum pro Israël, & exaudiuit eum Dominus.

Sixtian. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et sumpsit Samuël agnum lactentem vnum, & attulit eum holocausto-

sim cum vniuerso populo Domino: & clamauit Samuël ad Dominum pro Israël, & exaudiuit eum Dominus.

Caiet. *Caietanus ibi.* Iuxta Hebræum habetur; *Et respondit ei Dominus.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Augustin. *Agnus Christus.* 1 *Tulit autem Samuel agnum lactentem.* Aug. lib. Quæstion. in Vetus, & Nouum Testam. quæst. 56. Agnus oblatus pro populo Dei victoriam præstat, & per passionem Christi, Dæmonibus superatis, pax data est fidelibus.

Mystic. Greg. 2 *Tulit autem Samuel agnum lactentem.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 5. Tentatis subditis pastores boni non solùm orationum præsidia conferunt, sed etiam sacrificiorum. Quis est agnus lactens, nisi ille, quem Præcursor eius ostendit, dicens: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi*; & lactens dicitur, quia in eius innocentia vera humanitas prædicatur. Vnus Agnus offertur, quia post ipsum, qui mundi tollat peccata, nequaquam reperitur.

Mystic. Angelom. 3 *Tulit autem Samuel agnum lactentem.* Angel. in Stromatib. Agnus hic in typo oblatus, populo Dei victoriam præstitit, quia videlicet per passionem Christi immundis spiritibus superatis, pax reddita est fidelibus.

Literal. Abul. 4 *Tulit autem Samuël agnum lactentem.* Abul. ibid. quæst. 29. Accepit agnum lactentem, id est, qui adhuc erat in lacte, scilicet erat tener, quia Deus acceptat ea, quæ tenera sunt; nam sicut nos pro cibis nostris eligimus ea, quæ sunt sapidiora, & teneriora; ita Deus vult, quod in sacrificiis suis ponerentur ea, quæ erant meliora.

Mystic. Lira. 5 *Tulit autem Samuel agnum lactentem.* Liran. ibid. in Morali. Id est agnum tenellum, per quem significatur Christus, de quo dicitur Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei*, qui dicitur tenellus teneritudine pietatis; quem bonus Prælatus offerre debet in Sacramento Eucharistiæ pro suorum subditorum salute, & Dæmonum repulsione.

Literal. Cyrilius. 6 *Et obtulit illum.* Cyrillus Alexand. hom. 18. de Festis Paschalib. tom. 3. nuper excuso. Diuinus Samuël, cùm pro Israële effunderet preces, non tantum ipsis, velut in vmbra, & ænigmate perfectam Incarnationis figuram exhibuit, aquam telluri superinfundens; verùm illicò quod præterea reliquum erat, adiunxit, scilicet pro totius orbis salute mactatum hostiam: audis immolasse agnum imaginem scilicet, & figuram veri? Quem etiam Beatus Ioannes propemodùm intento digito commonstrauit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1.

Ioan. 1.

Literal. Cyrillus. 7 *Et obtulit illum.* Idem in collectaneis, libro aduersùs Iudæos quæst. 5. Quomodò Samuël, relicto tabernaculo fixit Altare; Elias autem diuiso templo Aram excitauit? Sciens Deus quàm esset populus propensus ad idololatriæ insaniam vno loco circumscripsit Dei cultum, cæterùm viris, qui legis norant scopum & institutum, permittebatur omnis locus ad Dei cultum. Hinc quidem recte factum est, vt Deus dictorum hominum admittens sacrificia, non solùm eos ab omni liberarit reprehensione, sed eò magis eos habuerit in admiratione, & maiori gloria affecerit; & alioqui ij præfiguraruntutorum Christianorum Dei cultum in omni loco eorum dominatus.

Literal. Nazian. 8 *Et obtulit illum.* Gregorius Nazianzen. Apologetico 1. Quis Diabolum profligauit? Quis? Samuël preces, & sacrificia pro populo fundens, eumque, qui de hostibus triumphare poterat, in Regem vngens 1. Reg. 10.

Literal. Hieron. *Samuel non Sacerdos.* 9 *Et obtulit illum.* Hieron. 1. contra Iouinian. tom. 2. Simul noscendum, quòd Samuël Leuita, non Sacerdos, non Pontifex fuerit. Vnde & faciebat illi mater sua Ephod Bat superhumerale videlicet lineum, qui habitus propriè Leuitarum, & minoris est ordinis.

Literal. Ident. *Samuël Sacerdos.* 10 *Et obtulit illum.* Idem in cap. 1. Epist. 1. ad Corinth. tom. 9. Samuëlem Sacerdotem fuisse illa res probat, quia & Sacerdoti successit, & hostias offerebat: de quo etiam secundùm Historiam dictum est: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.* Qui quamuis non sit ex genere Aaron, tamen de Tribu Leui esse in Paralipomenon legitur, quia ipse hunc constituit, qui & illum; ita enim Aaron elegit, vt alios postea eligendi non amiserit potestatem.

Literal. Aug. *Samuël non Sacerdos?* 11 *Et obtulit illum.* Augustin. seu potiùs Author Quæstion. ex Veteri Testamenti quæst. 46. tom. 4. Quantum apparet, probatum est Samuelem, non Sacerdotem, sed Propheram fuisse. Nunc his respondemus, qui ignorantes, quia Samuël non est de filiis Aaron Sacerdotis, æstimant illum Sacerdotem fuisse; nec enim fas erat, vt de origine Aaron descendens Sacerdos non esset, quos primum volo cognoscere, quia si Sacerdos erat Samuël, sine dubio & Helcana pater eius Sacerdos fuit: congruum quoque fuerat, & filios eius Sacerdotes fuisse, quos quia Sacerdotes non erant, iudices illos constituit filis Israël, sicuti & idem ipse erat Samuël.

Literal. Aug. *Samuël Sacerdos.* 12 *Et obtulit illum.* Augustin. lib. 17. de Ciuitat. Dei, cap. 4. Heli Sacerdote reprobato substitutus est in Dei ministerium Samuël simul officio functus Sacerdotis, & Iudicis.

Literal. Idem. *Samuel non Sacerdos.* 13 *Et obtulit illum.* Idem lib. Quæst. in Vetus Testament. quæst. 46. Obtulit Deo sacrificium Samuël, sed non inde vicem Sacerdotis egisse cognoscitur. Ipse enim dicitur offerre, cuius oblationes sunt, quas super Altare ponit Sacerdos.

Allego. Gregor. 14 *Et obtulit illum.* Gregorius suprà. Agnum offerimus, cùm per bonum castitatis, & innocentiæ Redemptori nostro conformamur; & cùm doctrina innocentium Patrum nostrorum pascimur, velut vbera sugimus, quibus ad æternam vitam nutriamur. Vnumquoque agnum offerimus, si post initia religiosæ conuersationis nulla polluimur iniquitate prauitatis. Vnum quippe agnum offert, qui proposito innocentiæ ad pollutæ vitæ maculas nequaquam defluit, à quibus redeat per iterationem bonæ operationis.

Histor. Ioseph. 15 *Et obtulit illum.* Iosephus libro 6. Antiquitatum, cap. 2. Mactato agno lactente rogat Deum, vt in se sperantes protegat, & à vi Palæstinorum tutos faciat, néve patiatur iam iterum ab eodem hoste cladem accipere. Hac victima egregiè litatum est, & Deus præsens, ac propitius insignem eis victoriam annuit.

Literal. Rabbi Leui. 16 *Et obtulit illum.* Rabbi Leui. Non ipse Samuël sacrificauit, sed aliena manu.

Literal. Primas. *Samuel Sacerdos.* 17 *Et obtulit illum.* Primasius in Epist. 1. ad Corinth. cap. 1. Et Samuël inter eos fuit, qui inuocarunt nomen Domini, nam Sacerdos fuit, qui & Sacerdoti successit, & qui hostias offerebat, & de quo secundùm Historiam dictum est: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem.*

Mystic. Beda. 18 *Et obtulit illum.* Beda. lib. 1. Expolit. Allegor. cap. 12. Tulit Dominus innocentem, quem pro salute

salute mundi vnicum indicarat hominem, & obtulit illum in Altari crucis holocaustum integrum Patri. Et benè holocaustum, ideſt totum incensum, benè integrum obtuliſſe perhibetur, qui ſine iniquitate conceptus, natus & in carne moratus, totum quidquid per hominem geſſit, igne Deo Spiritus ſanctus dignum reddidit.

LITERAL. Theodor. 19 *Et obtulit illum.* Theodor. ibi quæſt. 15. Cùm ſciret Deus populi propenſionem ad impietatem, diuinum cultum loco circumſcripſit piis enim, & his, qui ſciunt ſcopum legis quilibet locus eſt conſecratus ad Dei cultum. Nam & celeberrimus ille Elias, cùm diuinum templum omnes ad ſe vocaret ex lege, in Carmelo extruxit Altare, & obtulit ſacrificium 3. Reg. 18. *Eadem verba habet* Procopius.

3 Reg. 18. Procop.

LITERAL. Abul. 20 *Et obtulit illum.* Abulenſ. ibi quæſt. 30. Samuël, quanquam eſſet ſimplex Leuita, potuit hoc facere; non quia Leuita erat, quia nulli Leuitæ hoc licebat, ſed quia ipſe erat Propheta Domini, & Deus mouebat eum ad faciendum hæc. Quæcumque autem homines agunt, Deo impellente, bona ſunt; & quanquam illa videantur eſſe contra legem, non ſunt; quia qui huiuſmodi ſunt, non ſunt ſubiecti legi, iuxta illud: *Qui ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege.* Quod autem Deus moueret eum ad faciendum hoc, apparet, quia interdum hoc expreſsè mandabat, vt patet infrà cap. 16. vbi iuſſit, quòd iret ad immolandum in Bethlehem.

LITERAL. Caietan. 21 *Et obtulit illum.* Caietan. in comment. Certè vides Samuelem non Sacerdotem, ſed Leuitam (Propheram tamen) & offerre holocauſtum, & extra locum Tabernaculi Domini, videlicet in Maſphath.

LITERAL. Ceuell. *Samuel Sacerdos.* 22 *Et obtulit illum.* Petrus de Ceuell. lib. contra Iudæos, & Sarracen. p. 2. Samuël fuit integer, & perfectus Sacerdos. Sicut regnum tranſlatum fuit à Saule ad domum Dauid, ita & Sacerdotium ab Heli negligente Sacerdote ad Samuelem Sacerdotem virum Dei.

LITERAL. Saa. 23 *Et obtulit illum.* Saa in Schol. Scilicet per Sacerdotem aliquem.

LITERAL. Marian. 24 *Et obtulit illum.* Ioann. Mariana in Schol. Per Sacerdotem aliquem, nam ipſe Samuël Leuites erat, & ianitor cap. 3. 15.

LITERAL. Author Catenæ. *Samuel quid immolauerit.* Tornell. Rabbi Leui. Author Quæſt. Saa. Marian. Abul. Caietan. Serar. Sanct. Salian. Genebrar. Mend. Carth. Remig. Ioſeph. 25 *Et obtulit illum.* Autor Catenæ. Agnum ſcilicet, non vitulum, vt falsò Torniellus ſuppoſuit anno Mundi 2959. Vrget verò difficultas, qua venia immolarit Samuël, qui Sacerdos non erat? Rabbi Leui, Vatabl. Autor Quæſt. veteris Teſtamenti, quæ falsò Auguſtino adſcribuntur, Saa, Mariana, & alij Sacerdotum miniſterio præſtitum aſſerunt; ſed pluribus non placent. Alij Sacerdotem Samuëlem fuiſſe credunt, ſed obſtat ex progenie Aaron minimè ortum fuiſſe. Deinde neque eius patrem Helcanam, neque filios inter Sacerdotes computari. Dicendum potiùs ex Dei conceſſione, & ſingulari priuilegio Sacerdotis munere functum fuiſſe, vti Abulenſis, Caietanus, Serarius, Sanct. Salian. Genebrard. Mendoza, & alij malunt; quibus lubentiùs aſſentior, vt notaui ſuprà cap. 2. verſ. 11. quod ex vno Dei libito, & voluntate occaſionem habuit; non vero ex defectu Sacerdotis, vt contendit Carthuſianus, quem in eo, quòd aſſerit. *Quoniam Icaboth filius Phinees filij Heli adhuc parvulus erat*; deceptum fuiſſe probat Mendoza §. 7. potiùs enim dicere debuiſſe pro Icaboth Achitob, hic enim frater erat maior natu; nam Icaboth vix natus obierat, vt conſtat ex Remigio, Ioſepho, & aliis certis coniecturis apud eundem Mendoz. c. 4. verſ. 20. §. 4. Huius Samuëlis ſacrificij meminit Eccleſiaſt. c. 46. 18. ibi: *Et cognitus eſt in verbis ſuis fidelis, quia vidit Deum lucis, & innocuis Dominum omnipotentem in oppugnando hoſtes circumſtantes vndique in oblatione viri immolati.*

Mendoz. Eccl. 46. 18.

26 *Holocauſtum integrum Domino.* Greg. ſuprà. Profectò agnum integrum obtulit; integritas quippe agni ad ſoliditatem pertinet Catholicæ profeſſionis. Velut enim agnum diuidit, qui à canone fidei per gladium ſeparatur erroris. Agnus itaque dicitur pro innocentia: lactens pro aſſumptione naturæ: vnus pro ſingularitate potentiæ: integer pro fidei noſtræ firmiſſima ſoliditate.

MYSTIC. Gregor.

27 *Holocauſtum integrum Domino.* Idem ibid. Integrum quoque Agnum offerre, eſt ad æternam vitam non ſolùm carnis continentiam, ſed mentis integritatem præparare. Integrum quoque Agnum Domino nequaquam offert, qui carnem Deo per continentiam conſecrat, ſed mentis ſuæ ſecreta ab immundarum cogitationum laſciuia non refrænat. Velut enim agni partem ſacrificio ſubripit, qui puritatem cordis corporis continentiæ non coniungit. Hinc fatuæ Virgines in Euangelio notantur, quæ lampades parauerunt, & oleum non parauerunt; lampades namque paratas habent, qui bonum pudicitiæ ſeruant in corpore: oleum quoque habent, qui nitorem puritatis tenent in mentis ſuæ circumſpectione.

ALLEG. TROPOL. Idem.

28 *Holocauſtum integrum Domino.* Abul. ibi quæſt. 29. Noluit Samuël offerre ſacrificium pro Iſraël: obtulit autem holocauſtum, quia nullum eſt inter ſacrificia, quod magis conueniat ad Dei laudem. Erant enim tria ſacrificia, quæ poterant fieri de hoc Agno, ſcilicet holocauſtum, hoſtia pacifica, & hoſtia pro peccato. Fecit tamen holocauſtum, quia iſtud erat magis conueniens.

LITERAL. Abul.

29 *Holocauſtum integrum Domino.* Idem ibid. Non eſt ſenſus, quòd eſſet integer, ideſt, quòd cremaretur cum pelle, carnibus, & ſimo nullo dempto; quia hoc ſolùm competebat quibuſdam ſpeciebus ſacrificiorum pro peccato, ſcilicet cùm offerebantur pro peccato populi, vel ſummorum Sacerdotum, vt patet Leuitic. 4. In holocauſtis autem nunquam hoc fiebat. Nam primo iugulato animali tollebatur pellis, & deinde lotis inteſtinis, & pedibus diuidebantur omnes carnes in fruſta, & ponebantur ſuper Altare, vt patet Leuit. 1. ſed dicit: obtulit integrum: ideſt obtulit omnes partes carnium nihil inde demendo; & hoc dicit ad differentiam aliorum ſacrificiorum, quia in ſacrificio pacifico nihil proueniebat Domino, niſi adeps, cætera autem pertinebant ad Sacerdotes, & ad offerentes.

LITERAL. Idem. Leuit. 4. & 7.

30 *Holocauſtum integrum Domino.* Salian. tom. 3. Annal. anno Mundi 2960. num. 20. Ipſæ temporis angustiæ, quas imminens hoſtis afferebat, quæ tantæ fuerunt, vt nondum conſumpto tantulo ſacrificio ſuperuenerit, & prælium inierit, ſuadent, vt dicamus agniculum indiuiſum in partes, vt moris erat, ſed integrum, & forte cum pelle, pedibus, & inteſtinis in flammas iniectum.

LITERAL. Salian.

31 *Et clamauit Samuël ad Dominum.* Abulenſ. ibi quæſt. 30. Scilicet cùm offerret ſacrificium, orauit pro Iſraël, & iſte erat clamor ſuus. Erat autem hoc generale, quòd quandocumque Sacerdotes offerebant ſacrificia, ſemper orarent pro illis, qui dabant animalia illa ad offerendum. Leuit. 9.

LITERAL. Abul. Leuit. 9.

32 *Et clamauit Samuel ad Dominum.* Caietan. ibi: Non extetioris vocis ſono, ſed magna cordis deuotione.

LITERAL. Caietan.

TROPOL. Gregor. *Intercessor qualis?*

33 *Et exaudiuit eum Dominus.* Greg. suprà. Ille namque exauditi à Domino pro aliis orans potest, qui ex parte aliqua, ei, cui supplicat Domino odibilis non est; nam si adhuc propria infirmitate deprimitur pro obtinenda proximorum fortitudine, nequaquam exauditur.

TROPOL. Chrysost. *Oratio quo fit?*

34 *Et exaudiuit eum Dominus.* Chrysostom. hom. 1. in Priorem epist. ad Thessalon. tom. 4. Samuël pro Israëlitis orauit, & efficax fuit precatio. Sed quando? Quando & ipsi benè placebant, & quiescebant, tunc & hostes vincebant.

TROPOL. Mendoza. *Oratio efficax qua?*

35 *Et exaudiuit eum Dominus.* Franc. Mend. ibi §. 15. Duo requiruntur (vt interim alia omittam) vt oratio suum effectum sortiatur; nempe, vt tam ille, qui orat; quàm illi pro quibus orat, quantum in se est ad diuina beneficia recipienda cooperentur. Neutrum hoc loco defuit, nam Samuël, & Israël se hoc loco per lachrymas, & pœnitentiam expiarunt.

VERSVS X.

Vulgata. *Vulgata.* Factum est autem, cùm Samuël offerret holocaustum, Philisthiim inière prælium contra Israël: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israël.

Benedict. *Benedict.* Factum est autem, cùm Samuël offerret holocaustum, Philisthæos inire bellum contra Israël. Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos; & cæsi sunt à filiis Israel. *Sic legunt* Gregor. & alij.

Gloss. *Text. Gloss. in marg.* Et contriuit eos.

Benedict. *Benedict. in marg.* Vt Philisthæi accederent pugnaturi. Et dissipauit eos, vt corruerent in conspectu Israel.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et fuit Semuël offerente holocaustum, Pelisthæi accesserunt ad prælium contra Israël: intonuit autem Dominus voce grandi in die illa contra Pelisthæos, & contriuit eos, & cæsi sunt coram Israël.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Factúmque est, cùm Samuël sacrificaret holocaustum, vt Palæsthini appropinquarent congressuri cum Israëlitis: at Dominus ingenti sonitu illo die super Palæsthinos intonuit, & conturbauit eos, vt caderent coram Israël.

Ariasm. *Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et fuit Semuël ascendere faciens holocaustum, & Pelisthæi appropiáquarunt ad ineundum bellum in Israël: & sonuit Dominus voce magna in die illo super Pelisthæos, & conturbauit eos, & fracti sunt ante Israël.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et erat Samuël offerens holocaustum, & Philisthiim inierunt bellum contra Israël; & intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & confusi sunt, & ceciderunt in conspectu Israël.

Sixtin. *Græc. ex Sept. in Sixtina.* Et erat Samuël offerens holocaustosim, & alienigenæ accesserunt in prælium super Israël; & tonuit Dominus in voce magna super alienigenas, & confusi sunt, & ceciderunt coram Israël.

Cajet. *Caietan. ex Hebræo.* Et reddidit eos attonitos, & fuerunt mortificati in conspectu Israëlis.

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Nazianz. 1 *Factum est autem, cùm Samuël offerret holocaustum.* Gregor. Nazianz. orat. 20. post medium. Postquam intùs fuit (*Valens Imperator,*) atque ipsius aures Psalmorum cantu, non secùs ac tonitruo quodam personuerunt, plebísque pelagus vidit, omnémque ordinem, & concinnitatem, quæ tam in Sacrario, quàm prope Sacrarium erat, Angelicam potiùs, quàm humanam, atque ipsum quidem Basilium ante populum recto corpore stantem, qualem Scriptura Samuelem describit, nec corpore, nec oculis, nec animo, perinde ac si nihil noui contigisset, vllam in partem se mouentem, sed Deo, vt ita dicam, & Altari affixum humanum quiddam passus est, atque oculorum vertigine, ac tenebris totus impletur. Ita enim titubare cœpit, vt nisi quispiam ex Sacrarij ministris vacillantem supposita manu retinuisset, miserè vtique, & luctuosè prolapsurus fuerit.

HISTOR. Seuerus. 2 *Cum Samuël offerret holocaustum.* Seuer. Sulpit. lib. 1. sacræ Histor. Samuël cæsa prius hostiâ Domino fretus, suos in prælium deduxit, primóque impetu fusis hostibus victoria penes Hebræos stetit.

HISTOR. Ioseph. 3 *Cùm Samuël offerret holocaustum.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. c. 2. Priusquam totam flammam assumeret, nondum Sacro peracto, hostis in conspectu aciem explicat, rem factam se habere putans, interceptis Iudæis imparatis ad pugnam, & tantùm non inermibus, vt qui non in hoc, in eũ locum conuenerant. At longè aliter accepti sunt, quàm crederent, etiam si quis prædixisset. Primum enim terra, iubente Deo, sub pedibus eorum intremuit, & vacillante vestigio nutabant; nonnulli etiam in improuisos hiatus prolabebantur; deinde fulminibus crebris attoniti, & ignitis fulgoribus oculos, ac manus semiv stulati, vt ne arma quidem retinere possent, in fuga spem totam ponebant.

HISTOR. Comest. 4 *Cùm Samuël offerret holocaustum.* Comest. in Histor. Scholast. cap. 8. Et dum clamaret Samuël ad Dominum, initum est prælium, & intonuit Dominus fragore magno super Philisthæos, & mota est terra, & per loca pandebat hiatus, & Philisthæi in fugam versi, cæsi sunt à filiis Israël.

LITERAL, Abul. 5 *Cùm Samuel offerret holocaustum.* Abulens. ibi q. 30. Intelligitur hoc de combustione sacrificij, quia iam Samuël immolauerat Agnum, & carnes conoisas posuerat super Altare; tamen nondum erant crematæ; holocaustum autem durabat, quousque omnes carnes crematentur.

TROPOL. Gregor. 6 *Philisthiim inière prælium.* Greg. lib. 3. Variar. cap. 5. Offerente holocaustum Samuële Philisthiim contra Israël prælium ineunt, quia maligni spiritus tunc aduersùs fideles subditos grauiores tentationes commouent, cùm contra se stare instantiùs Pastores vident.

LITERAL, Abul. 7 *Philisthiim inière prælium.* Abul. ibi q. 30. Idest inceperunt Philisthæi pugnare; quia cùm ipsi accessissent ad locum, in quo conuenerant Israëlitæ, mox inierunt bellum, timentes quòd aliàs fugerent, cùm essent inermes.

HISTOR. Eccl. 46. 8 *Intonuit autem Dominus,* Ecclesiastic. cap. 46. Et intonuit de cœlo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam, & contriuit Principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim.

HISTOR. Physic. Tertullian. 9 *Intonuit autem Dominus.* Tertull. lib. aduersùs

TROPOL. *Ieiunij laus.* Physic. c.7. Allophyli prælio admouebant, ibidem Dominus intonuit voce magna super Allophylos, & confusi sunt,& corruerunt in conspectu Israëlis & percusserunt viri Israel ex Maspha, & persecuti sunt Allophylos, & vsque Bethor cæciderunt pastos impasti, armatos inermes. Hæ erunt vires ieiunantium Deo. Cœlum pro eiusmodi militat; En formam præsidij etiam spiritualibus bellis necessariam.

HISTOR. Cyrill. 10 *Intonuit autem Dominus.* Cyrillus Alexandrin.lib.7. contra Iulian.Quòd per omnipotentem Deũ sæpissimè victæ sint fortes, & inexpugnabiles hostium acies,ex sacris Scripturis siquidem quis videre poterit facilè. Nam diuinus quidem Samuel Iudæorum terram Philisthinis bello depopulantibus,grauémque,& molestum impetum facientibus, precibus ad Deum fusis grandinem de cœlo descendere fecit tam copiosum, & grauem, & intolerabilem, vt pedestri exercitu cum equitum alis cadente, absque labore Israelitæ victores euaserint, & pro his, qui Deum timebant, cœlum arma mouerit.

TROPOL. *suos defendit.*

LITERAL. MORAL. August. 11 *Intonuit autem Dominus.* August.seu Autor libri Mirab. Sacræ Scripturæ lib.2. cap.8. tom.3. Iterum infinita Philisthinorum agmina, quasi arenæ maris innumerabilia, per plana se terræ Israel effuderunt, quæ Dominus Samuele orante à facie filiorum Israel ingenti cœli fragore perterrebat, quatenus per hoc & Israel non propria virtute vicisse intelligeret, & hostes Dei protectionem, & auxilium erga hunc esse populum scirent.

MORAL. Chrys. 12 *Intonuit autem Dominus.* Chrysost.in Ps.39. vers.6. Numerum, & omnem narrationem superant miracula,quæ à tua potentia facta sunt. Non est enim qui possit tibi facere similia; sunt enim pulcherrima, & maxima tua opera. Vincunt autem laudes humanas ea, quæ administrantur à tua prouidentia, quæ in Ægypto, quæ in deserto, quæ duce Moyse, duce Iesu, duce Samuele facta sunt.

HISTOR. Anselm. 12 *Intonuit autem Dominus.* Anselm. in c.11. Epist. ad Hebræos. Samuel quoque per fidem vicit regna Philisthæorum;quia cùm Satrapæ gentis illius cum exercitibus suis aduersùs Israel conuenissent,obtulit Samuel holocaustum, & clamauit ad Deum pro Israel, & exaudiuit eum Dominus; nam in ipsa hora sacrificij contigit Philisthæos inire prælium contra Israel,& intonuit Dominus fragore magno super eos, atque exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel.

MYSTIC. Gregor. 13 *Intonuit autem Dominus.* Gregor. libr.3. Variar. Expositi. c.5. Super Philisthæos Dominus intonat quia orantibus Doctoribus fidelibus subditis diuina gratia robur administrat. Tonitrua enim fieri per nubila solent: nubes autem sublimes per cæleste desiderium animæ intelliguntur. Vnde & Propheta mentes electorum in amore cœlestium eleuatas admirans, dixit: *Qui sunt isti,qui vt nubes volant?* Isaiæ 60. Quæ sunt autem tonitrua nubium, nisi illa feruentia, & superna electorum desideria, quibus dum per diuinam gratiam eorum mens succenditur omne, quod maligni spiritus decipiendo suggerunt, ab ea penitùs expellunt?

TROPOL. Idem. 15 *Intonuit autem Dominus fragore magno.* Idem ibidem. Quia fragore magno intonuisse Dominus dicitur,quid est aliud,nisi quia imperfecta Christianorum desideria Dæmonibus terribilia non sunt; fragor enim magnus tonitrui perfectum est vniuscuiusque desiderium electi. Cùm igitur fragore magno super Philisthæos Dominus intonat, tunc à filiis Israel cæduntur.

MYSTIC. Rabban. 16 *Intonuit autem Dominus.* Rabban. in Gloss. Cùm per Prædicatores Euangelij Dominus intonat, spirituales hostes in fugam conuertuntur coram Israël, idest populo Dei.

MYSTIC. Angelom. 17 *Intonuit autem Dominus.* Angelom.in Stromatib. Tunc fragore magno Dominus intonuit, quando per Sanctos Apostolos sonum prædicationis emisit; iuxta quod scriptum est: *Intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam.* Psal.17. Sed dum ista intonuit Dominus exterruit Philisthiim, & cæsi sunt à filiis Israel, quia videlicet immundi spiritus prædicationibus Sanctorum cedentes, à facie eorum discesserunt; quod plenius in Ecclesiastica Historia declaratur.

LITERAL. Lira. 18 *Intonuit autem Dominus.* Liran. ibi. Ita quòd ex fulgure multi fuerint mortui,& alij exterriti fugientes pro magna parte occisi.

MORAL. Caiet. 19 *Intonuit autem Dominus.* Caiet. ibi. Cerne hîc quantum valeat oratio Prophetæ ad debellandum hostes.

HISTOR. Sabell. 20 *Intonuit autem Dominus.* Sabellicus Eneade 1.lib.7.tom.1. Inter spem, & metum soliciti tantæ rei exitum Israëlitæ expectabant, cùm Philisthæis in procinctu stantibus, lacessentibúsque cum conuitio hostem; murósque vrbis inuasuros se, nisi in æquum descenderent minitantibus, terra primò horridè mota est,in patentémque hiatum subsedit: fœda inde tonitrua, fulguráque Philisthæorum animos, & ora perstringunt. Secuta inde procella ingens cum ventorum turbine, quæ tanta vi afflauit aciem,vt huc,& illuc rotati milites, atq; in præceps acti sine imperio,sine ordinibus attoniti exutíque armis, neque prælij, neque fugæ compotes passim deiicerentur.

LITERAL. Mendoza. Caiet. Ioseph. 21 *Intonuit autem Dominus.* Franciscus Mendoza ibi. §. 3. Sonuerunt tonitrua, vt ait Caietanus ex Iosepho, fulmina viderunt, & videtur hoc Historiæ innuere dicens Philisthæos exterritos, & cæsos fuisse:exterritos quidem per tonitrua, magno fragore perstrepentia: cæsos autem, seu vt est in Ecclesiastico *contritos* per fulmina magno impetu fauciantia.

MORALI Author Catenæ. Caiet. *Orationis excellentia.* Ps.50. 22 *Intonuit autem Dominus.* Autor Catenæ. Dubitabis,cui potissimum Samuelis officio mirabile Dei auxilium adscribas? Orationine, an sacrificio? Vtrique adscribi fas est, Caietanus autem vnius orationis muneri mauult exhibitum, vt orationis excellentiam super hostias, & oblationes agnoscas,iuxta Prophetæ sententiam Psal.50. *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c.*

MYSTIC. Greg. 23 *Et exterruit eos.* Greg.suprà. Benè dicitur: *Intonuit Dominus super Philisthæos, & exterruit eos*, nam dum per gratiam suam electis mentibus superna desideria infundit;quia etiam terrena omnia facit contemnere,eos etiam qui ea iis appetere suggerunt,nequam spiritus in fugam vertit. Velut enim tonitruo territi fugiunt, dum in electis mentibus, quas tentando pulsauerant, ingentem sonitum diuinæ virtutis expauescunt.

LITERAL. Abul. 24 *Et exterruit eos.* Abul.ibi.q.30. Scilicet fragor magnus tonitrui terruit eos; sed adhuc magis terruit motus terræ, quia videbatur subtrahi pedibus eorum & coruscationes, quæ videbantur incendere vultus ipsorum.

LITERAL. Caiet. 25 *Et exterruit eos.* Caietanus ibi. Deus pugnauit

gnauit primum tonitruis cum efficacia reddendi Palæstinos attonitos, & mortificandi eos. Et hinc coniicitur non fuisse tonitrua pura, sed etiam fulmina.

TROPOL. Leo. *Iejunij præsidium.*

26 *Et cæsi sunt à facie Israel.* Leo Magnus. serm.1. de quadrag. Factum est hoc modo, vt sæui aduersarij & graues domini esurientibus cederent, quos sibi saturos subiugarant. Et nos itaque dilectissimi inter multas aduersitates, & prælia constituti, si similibus remediis vti cupimus, simili obseruatione curemus. Eadem enim propemodum causa nostra est, quæ illorum fuit. Quoniam sicut illi à carnalibus aduersariis, ita & nos à spiritualibus maximè impugnamur inimicis.

TROPOL. Greg. *Deuotio Dæmonem exterrit.*

27 *Et cæsi sunt à facie Israel.* Greg.suprà. Benè quoque priùs territi Philisthæi,deinde à filiis Israel cædi memorantur. Nam terrentur electorum deuotione; cæduntur opere; & quia opere deuotio prior est, terreri priùs, postea verò cædi rectè perhibentur.

TROPOL. Gregor.

28 *Et cæsi sunt à facie Israel.* Idem ibidem. Benè Dominus super Philisthæos intonare, & exterrere eos dicitur; filij autem Israel illos cædere perhibentur,quia bona desideria nobis per diuinam gratiam ministrantur; sed nos bona gratiæ, per conatum liberi arbitrij, ad virtutum victorias promouemus.

LITERAL. Abul.

29 *Et cæsi sunt à facie Israel.* Abul. ibi. q.31. Aliquis dicet: cùm Israelitæ non haberent arma, quia non venerant ad bellum, quomodo poterant Iosephcædere Philisthinos? Videtur,sicut dicit Iosephus, quòd diripuit Dominus omnia arma de manibus Philisthinorum; illa autem arriperent Israelitæ, & pugnarent.

LITERAL. Author Catenæ. Caiet. Mendoza. Bened. Glossa. Gregor. *A quo hostes cæsi*

30 *Et cæsi sunt à facie Israel.* Autor Catenæ. A quo cæsi? an à Deo,an verò ab Israelitis? Illud prius insinuant Caietan. & Mendoza cum aliis. Sed potiùs posterius dixerim iuxta multa exemplaria, nempe Benedictina, Textum Glossæ adiunctum, & ea, quibus Gregorius, aliique vtebantur. Ibi *Cæsi sunt à filiis Israel.* Rogas quibus armis,nam Israelitæ inermes erant? Respondeo ex Iosepho, & aliis;ipsorum hostium gladiis, & telis è manibus eorum cœli fragore, & terræmotu excussis; ea quippe est diuinæ prouidentiæ dispositio, vt impios ipsos agressores in suam ipsorum perniciem reddat armorum suorum administratores. Sic cum Dauide inermi actum est. 1.Reg.17. vt non solùm ab incircumciso gladium acciperet, quo eundem iugaleret, sed etiam vt cadens in faciem suam arma porrecturus accederet, qui si retrorsum, vt par erat, cecidisset,vt statura procerus erat,laborem viæ iuueni, & periculum ab hostibus proximioribus induxisset.

MORAL. *Impy in suã perniciẽ arma prabent.*

VERSVS XI.

Vulgata.

*Vulgat.*Egressique viri Israel de Masphath,persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos, vsque ad locum,qui erat subter Bethchar.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic.ex Xante Pagn. Et egressi sunt filij Israel de Mispah,& persecuti sunt Philisthim,& percussit eos vsque ad locum, qui est subter Bethchar.

Vatab.

Hebraic. ex Francisc. Vatabl. Egressi igitur filij Israel de Mizpa,persecuti sunt Palæsthinos,& percusserunt eos vsque ad locum,qui est sub Beth-car.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm.in Regia. Et prodierunt homines Israel ex Mizpeia,& insecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos vsque subtus Beth-saron. Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia. Et egressi sunt viri Israel ex Masepha, & persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos, vsque ad infra Bæthchor. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtiana. Et exierunt viri Israel è Meisephat,& persecuti sunt alienigenas, & percusserunt eos vsque sub Bethchor. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

1 *Egressique filij Israel de Masphath.* Gregor. lib.3. Variar. c.5. Benè, qui Philisthæos cædunt, de Masphath egressi perhibentur. In Masphath enim, quæ *speculatio* dicitur, morantur,qui in diuinarum rerum contemplatione persistunt. Sed ad cædendos Philisthæos exeunt, cùm ex arcano internæ meditationis consulti venientes comprimunt vires aduersæ dominationis. Intus enim latenter ordinant, qualiter foris in apparato opere hostium cuneos irrumpant. Tanto quidem grauiores pugnas eis procedentes exhibent, quanto, dum interna cogitant,apud se quietiores latent. ALLEG. MORAL. Greg. *Contemplatio actioni præcedat.*

2 *Egressique filij Israel.*Iosephus lib.6.Antiquit. c.1.Cum subitò Samuel in perturbatos irruit,cæsisque plurimis, reliquos vsque Corræos (id loci nomen est) persequi non destitit. HISTOR. Ioseph.

3 *Egressique filij Israel.* Abulens.ibi. quæst.31. Ista est sententia duplicata. Erant autem Israelitæ in Masphath, quia Masphath erat ciuitas; & cùm vidissent, quod Dominus exterruisset Philisthæos, & hoc in fauorem suum factum esse crederent, exiuerunt persequentes illos versus terram Philisthim. LITERAL. Abul.

4 *Egressique filij Israel* Caiet.ibi. Hinc apparet, quòd Philisthini prælium inierant aduersus ipsam ciuitatem Masphath. LITERAL. Caietan.

5 *Egressique filij Israel.* Francisc.Mend. ibi.§.1. Quæres,an Samuel cum cæteris Israelitis irruerit in Philisthæos? Sunt, qui negent. Nihilominus Iosephus affirmat, & quidem probabilius, nisi fallor; tum quia Samuel non modò erat ciuilis iudex,sed etiam militaris dux;tum quia nemini legitur hanc suam potestatem delegasse: tum quia in tanta rerum trepidatione vix tempus ad eligendum alium ducem superesset, & vix alius populum trepidantem ad pugnandum confirmaret: Tum denique quia Samuel in termino huius excursionis lapidem erexit in victoriæ monumentum. LITERAL. Mendoza. *Samuel an prælium inierit?*

9 *Egressique viri Israel.* Autor Catenæ. Caietanus credit in vrbe Masphath Israelitas inclusos fuisse,indeque vt sonat littera,exiuisse. Non assentior,neque enim vrbs modica,vt creditur, tot hominum millia caperet. Versus item præcedens decimus refert prælium à Philisthinis cum Israelitis initum fuisse, quod non in vrbe per obsidionem, sed aperto campo rectius intelligitur. Masphath ergo in præsenti non tam vrbem, quàm proximam stationem significat. LITERAL. Author Catenæ. Caietan.

7 *Et percusserunt eos.* Cyrillus Alexandrin. hom.18. de Festis Paschalib. tom. 3. nuper excuso. Inuasere Israelem pridem victores, & illicò quicumque contra constitissent,nullo negotio sub ditionem, imperiúmque venturos esse sibi persuaserant. At illi contrà aduerso prælio superati,cecidêre, non copias nacti bellicis artibus instructas, HISTOR. TROPOL. Cyrill.

reique

reíque militaris egregiè peritas, non armatas peditum manus, non equestre agmen, sed imbellem aduersarium, quem vis tamen diuina firmarat. Intonuit namque contra illos vehementi fragore cœlum, quique antea spiritus superbos gerebant, consternati pauore, in fugam conuersi sunt. Porrò, vt victoribus superiores forent, Israëlitæ ieiunij, ac precationis bono consecuti sunt.

Ieiunij, & orationis vir.

Histor. Comest.

8 *Et percusserunt eos, &c.* Petrus Comest. in hist. Scholastica c. 8. Philisthæi in fugam versi sunt à filiis Israel, qui percusserunt eos, vsque ad terminos terræ suæ.

Litéral. Caiet.

9 *Et percusserunt eos, &c.* Caiet. ibi. Primæ duæ percussiones fuerunt à Deo, hæc autem tertia fuit humanis manibus effecta.

Mystic. Gregor. Isai. 53.

10 *Vsque ad locum, qui erat subter Bethchar.* Greg. suprà. Bethchar *Domus agni* interpretatur. Hunc Agnum nobis Isaias insinuans ait: *Tanquam agnus ad occisionem ducetur.* Isaiæ 53. Quæ igitur fuit domus agni, nisi illa sublimis, & singulariter munita conuersatio Redemptoris? quæ dum culpa caruit, cunctis nequam spiritibus inaccessibilis fuit. Ad Bethchar, ideſt *domum agni* peruenire nemo potest, quia quisquis multum proficit, sanctitate Redemptoris inferior est. Vnde & Prædicator egregius eiusdem Redemptoris laudibus insistens, dicit: *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, &c.* Hebræor. 7.

Hebræ. 7.

Mystic. Gregor.

11 *Vsque ad locum, qui erat subter Bethchar.* Idem ibid. Potest etiã domus agni cælestem patriam designare. Vnde & Ioannes dicit. *Vidi supra montem Sion Agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia.* Quis est igitur locus, qui est sub domo Agni, nisi terminus temporalis vitæ ex quo ad supernæ patriæ gaudia assumuntur electi?

Mystic. Angelom.

12 *Vsque ad locum, qui erat subter Bethchar.* Angelom. in Stromatib. Bethchar, vbi cæsi sunt, interpretatur *domus agnitionis*, siue domus agni (Ecclesiam præfigurauit) illius, de quo Ioannes ait: *Ecce Agnus Dei, &c.* in qua, & à qua Ecclesia, Domino fauente, immundi spiritus superati sunt.

Literal. Abul.

13 *Vsque ad locum, qui erat subter Bethchar.* Abul. ibi. q. 31. Ista fuit longitudo itineris. Nam persecuti sunt Israelitæ Philisthinos vsque ad terram suam.

Moral. Mendoza.

14 *Vsque ad locum, qui erat subter Bethchar.* Francisc. Mendoza ibi. §. 4. Addo non immeritò Hebræos à sacrificio agni ad domum agni excurrisse, quia tota sanctorum vita à Christo incipit, & in Christum desinit.

VERSVS XII.

Vulgata.

Vulgata. Tulit autem Samuel lapidem vnum, & posuit eum inter Masphath, & inter Sen: & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij; dixitque: Hucvsque auxiliatus est nobis Dominus.

Benedic.

Benedictina in margine. Inter Masphath, & inter scapulum petræ.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Et tulit Samuel lapidem vnum, & posuit inter Mizpah, & inter Sen, & vocauit nomen eius Ebenhahezer, & dixit: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Samuel autem accepit lapidem, & posuit eum inter Mizpa, & inter Sichen, & vocauit nomen eius Æbenæser dicens: Hucvsque auxiliatu sest nobis Dominus.

Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et accepit Semuel lapidem vnum, & posuit inter Mizpeia, & inter Sina, & vocauit nomen eius Lapidem auxilij, & dixit: Hucvsque auxiliatus est nobis Dominus.

Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et tulit Samuel lapidem vnum, & statuit inter Massepha, & inter antiquam, & vocauit nomen eius Abennecer, quod significat *lapis adiutorij*, & dixit: Hucvsque auxiliatus est nobis Dominus.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixt. Et sumpsit Samuel lapidem vnum, & statuit illum inter Mesephat nouam, & inter veterem, & vocauit nomen eius Abenecer, Lapis adiutorij, & dixit: Vsque huc adiuuit nos Dominus.

Sixtian.

Alia editio apud Gloss. Vocauit nomen loci illius Abengener.

Gloss.

Eucherius in Comment. Et posuit eum inter Masphath, & Sicelech.

Eucher.

Septuag. apud August. lib. 17. de Ciuit. Dei, c. 7. Inter Masphath nouam, & veterem.

Septuag.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Hieron.

1 *Tulit autem Samuel lapidem vnum.* Hieron. Epist. 127. ad Fabiolam. Sedet Moyses super lapidem dictum *Azacharia*, qui septem habebat oculos; & in Samuelis volumine appellatur *Abenhaezer*, id est Lapis adiutorij, & vtramque manum eius *Aaon*, & *Hur*, ideſt montanus, lucidúsque sustentant.

Mystic. Idem. *Christus lapis.*

2 *Tulit autem Samuel lapidem vnum.* Idem in Ps. 133. tom. 8. Lapis ille, qui erat ad caput Iacob, Christus erat, lapis angularis, *lapis quem reprobauerunt ædificantes; hic factus est in caput anguli.* Lapis ille, qui scriptus est in Regnorum libro *Abenhaezer*, lapis iste Christus est; Abenhaezer autem interpretatur *lapis adiutorij.*

Mystic. Greg.

3 *Tulit autem Samuel lapidem vnum.* Gregor. libr. 3. Variarum c. 5. Lapis in sacro eloquio Dominum, & Redemporem nostrum significat; lapis verò vnus à Samuele tollitur; cùm à sanctæ Ecclesiæ Prædicatore Redemptoris fortitudo singulariter prædicatur. Qui profectò inter Masphath, & Sen prefigitur, quia in vitæ exitu electos protegit: reprobos constringit; Sen quippe excussio dicitur, excussi autem sunt reprobi, ideſt à fidelium societate separati.

Mystic. Angelom. *Christus lapis.*

4 *Tulit autem Samuel lapidem vnum.* Angelom. in Stromatib. Lapis iste, quem Samuel posuit, quem alium, nisi Dominum nostrum Iesvm Christvm præfigurauit? qui, secundùm dicta Prophetarum inter inuentionem Veteris Testamenti, & Euangelij prædicationem positus, fidelibus suis contra aduersarias potestates dimicantibus auxilium præstat; ipse enim præfigurabatur in lapide propter firmitatem: ipse signifícabatur in Agno propter innocentiam, siue quia pro nobis est immolatus.

Mystic. Beda. *Christus lapis?*

5 *Tulit autem Samuel lapidem vnum.* Beda lib. 1. Expos. Allegor. cap. 12. Tulit Dominus lapidem pretiosum angularem electum, hoc est, semetipsum, & posuit inter Iudæorum, & Gentium populum, qui potenti sui spiritus auxilio vtrumque congregaret in vnum.

6 *Tulit*

HISTOR. Ioseph. 6 *Tulit autem Samuël lapidem vnum.* Ioseph. lib.6. Antiquitat. cap. 2. Persequi non destitit, & fixo ibi suæ victoriæ, fugæque hostium termino, qui trophæi vice esset, appellauit eum fortem (aliàs fortitudinem) in signum datæ à Deo contra hostem fortitudinis.

HISTOR. Comest. 7 *Tulit autem Samuël lapidem vnum.* Comest. in Histor. Schol. cap. 8. Tulitque Samuel lapidem, & posuit eum in terminis.

LITERAL. MORAL. Lira. 8 *Tulit autem Samuel lapidem vnum.* Lira in Morali. Quia de talibus beneficiis diuinis debet memoria remanere in fidelium cordibus, ideò dicitur, quòd Samuel posuit lapidem, & locum vocauit *lapidem adiutorij* ad memoriam beneficij diuini.

LITERAL. Abul. 9 *Tulit autem Samuel lapidem vnum.* Abul. ibi quæst. 31. Iste lapis erat magnus ad hoc, quòd non faciliter moueretur, & maneret in memoriam æternam in locum illum, vsque ad quem Israëlitæ accesserant persequentes Philisthinos. Et cum dicitur: Tulit illum Samuel: non est intelligendum, quòd ipse mouerit, sed fecit quod Israelitæ mouerent.

LITERAL. Author Catenæ. Mendoza. Leu. 26. 10 *Tulit autem Samuel lapidem vnum.* Autor Catenæ. In huius lapidis erectione Samuel vir sanctissimus minimè peccasse credendus est. Vel enim speciali Dei priuilegio, & inspiratione se gessit, vt credit Mendoza, vel potiùs legem illam Leuit. 26. non violauit, vbi non absolutè lapidum erectiones, sed illæ dumtaxat prohibentur, quæ in idololatriam deseruirent. Ibi: *nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum.* Ob quos autem fines lapides olim erigi solerent ab antiquis, vide Mendozam in præsenti; & Wolfrangum lib. 9. cap. 1.

VVolfrang.

MYSTIC. Gregor. 11 *Et posuit eum inter Masphath, & inter Sen.* Greg. suprà. Possunt per Sen etiam maligni spiritus designari; excussi quippe sunt, quia à cœlesti secreto per superbiam proiecti; & quia nunc in hac vita nobiscum præliantur, benè cùm victoriæ nostræ tempus asseritur, lapis inter eos, & nos positus perhibetur; quia cum militiæ nostræ donatiua percipimus, vltra nobis eorum prælia nequaquam renouantur.

MYSTIC. Eucher. 12 *Et posuit eum inter Masphath, & inter Sen.* Eucher. vel potius Autor Comment. in Reg. c. 10. Vt Septuaginta transtulerunt: *inter Masphath nouam, & veterem.* Masphath interpretatur *intentio*: Lapis ille adiutorij medietas est Saluatoris, per quem transeundum est à Masphath vetere, ad nouam, idest ab intentione, quæ expectabatur in carnale regnum, quod erat beatitudo falsa; ad intentionem, quæ per nouum Testamentum expectaretur in regnum cœlorum, vbi est beatitudo verissima spiritalis, qua, quoniam nihil est melius, hucusque auxiliatur Deus; *Eadem verba habet* Augustinus *lib. 17. de Ciuit. Dei, cap. 17.*

August.

LITERAL. Abul. 13 *Et posuit illum inter Masphath, & inter Sen.* Abul. ibi quæst. 31. Ista sunt duo loca, inter quæ fuit percussio & plaga Philisthinorum: Masphath enim est locus de quo egressi sunt: Sen autem est locus, vsque ad quem accesserunt. Multa autem memorialia reliquerunt Israëlitæ in positione lapidum. Sic enim fuit apud Iordanem, & in Iordane; nam duodecim lapides abstuleruntur Israëlitæ de ripa Iordanis; & posuerunt intra flumen erectos, vt posset cognosci, quod per ipsum locum transierant Israëlitæ.

THEOLOG. Gregor. 14 *Et vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij.* Greg. suprà. Quia omne, quod à nobis in hac vita nostra prosperè geritur, diuinæ gratiæ adscribitur; apte ab eo lapis ille, qui in medio sistitur, lapis adiutorij vocatur. Ipse est namque lapis adiutorij, qui si nobis subuenire noluerit, vinci possumus; vincere nequimus de quo iam in medium posito dicitur: *Hucusq; auxiliatus est nobis Dominus*, quia eius præsidia electos suos vsq; ad æternæ retributionis tempora prosequuntur. Et quia vt diximus, iam tũ nobis in æterna requie susceptis à depressis hostibus prælia nulla mouentur, sequitur: *Et humiliati sunt, &c.* *Omnia bona à gratia.*

MYSTIC. Angel. 15 *Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.* Angelom. in Stromatib. Ostendit, quia quicunque hos terminos transcendunt (sicut Hæretici) auxilium Dei non merentur.

LITERAL. Abul. 16 *Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.* Abul. ibi quæst. 31. Quia non persecuti fuerunt Israelitæ Philisthinos cùm ibi esset iam terra Philisthinorum, quia non auli fuerunt introire.

LITERAL. TROPOL. Mendoza. 17 *Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.* Franc. Mend. ibi §. 9. tom. 2. Neque enim extra terram promissionis licuit excurrere, Palæsthinósque suis sedibus, ac finibus propulsare, triplici de causa: Vna, ne populus victor nimium insoleseeret: Altera ne hostibus procul, ac penitus exturbatis, omni metu victor populus solueretur: Tertia, vt sumpto ab externis hostibus ad internos documento, intelligamus nunquam spirituales hostes sic à nobis in hac vita debellari, vt non supersint adhuc alij debellandi; & sic vicisse gaudeamus, vt postea vinci posse cogitemus. *Vtilitas ex bellis.* *Semper pugnandum.*

VERSVS XIII.

VVlgata. Et humiliatæ sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltra, vt venirent in terminos Israël. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuëlis. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et humiliauerunt se Pelisthim, & non addiderunt vltra, vt venirent in terminum Israël. Et fuit manus Domini contra Pelistim omnibus diebus Semuel. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Et humiliati sunt Palesthini, nec venerunt ampliùs in limitem Israëlis; fuitque manus Domini contra Palæsthinos cunctis diebus Samuëlis. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et fracti sunt Pelisthæi, & non addiderunt ampliùs, vt intrarent in terminum terræ Israël. Et fuit percussio Domini in Pelisthæos omnibus diebus Semuël. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et humiliauit Dominus Philisthiim, & non apposuerunt vltra, vt venirent in terminum Israël; & facta est manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuël. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et humiliauit Dominus alienigenas, & non adiecerunt vltra accedere ad terminum Israël; & facta est manus Domini super alienigenas omnibus diebus Samuël. Sixtia.

Franc. Mend. ibi §. 1. Ex Hebræo legi potest: Contriti sunt Philisthiim. Mendoza.

PP. ET AVCTORES.

1 ET humiliati sunt Philisthiim. Gregor. lib. 3. Variar. cap. 5. Hæc profectò sic electorum singularia MYSTIC. Gregor.

singularia facta exprimunt, vt sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, & procinctum inuant belli, & gaudia remunerationis. Hanc namque vniuersalis Ecclesiæ victoriam iam post resurrectionis nostræ gloriam futuram Beatus Paulus ostendit, qui quasi futuræ incorruptioni præsens, morti insultabat dicens. *Absorta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* 1. Corinthiorum 15.

2.Cor.15.

MISTIC. Gregor.

2 *Et humiliati sunt Philisthiim.* Idem ibidem. Humiliatos Philisthæos (Paulus) vidit, quia Apostatarum Angelorum memorans, ad amorem futuræ dignitatis electos ascendit dicens, *An nescitis, quia Angelos iudicabimus.* 1.Corinth.6. Tum quippe humiliantur, cùm in præparata sibi ab origine mundi æterni ignis incendia Dæmones mittuntur.

1. Cor.6.

LITERAL. Abul.

3 *Et humiliati sunt Philisthiim.* Abul.ibi.q.31. Id est deiecti, vel diminuti ab honore suo, & potestate magna, quam exercebant super Hebræos; Non tamen fuerunt penitus deiecti à potestate illa, quoniam postea tempore Saülis adhuc habebant dominium super Israël, & imponebant eis leges; nam faciebant quòd non esset faber ferrarius in Israël. infrà, cap.13. Etiam semper exigebant tributa ab Israëlitis vsque ad tempora Dauid, qui abstulit hæc; vt patet lib.2. cap.8.

1.Reg.13.

2.Reg.8.

LITERAL. Author Catenæ.

4 *Et humiliati sunt Philisthiim.* Author Catenæ. Vulgata passiuam & violentam ab extrinseco Philisthæorum humiliationem indicat, non voluntariam, & honestam. Cæterùm Hebræus innuit voluntariam: *& humiliauerunt se Philisthiim*, ait Pagninus; fortè tot vtilis mirabilibus, & clade ingenti *sub potente manu Dei*, quæ super eos facta perhibetur, se humiliauerunt. Vel potiùs hic sensus elicitur: Humiliauerunt se, hoc est, animo ceciderunt, neque antiqua elationis superbia intumuêre.

Pagn.

1.Petri 5.

MYSTIC. Gregor.

5 *Nec apposuerunt vltra, vt venirent.* Gregor. suprà. Qui sunt Israëlis termini, nisi cœli? Quomodò autem mali spiritus in Israëlis terminos venient, qui sic in inferni profunda damnati sunt, vt à submersione pœnarum nunquam resurgant?

MYSTIC. ANAGOG. Beda. *Solùm in cœlo securitas.*

6 *Nec apposuerunt vltra, vt venirent.* Beda lib.1. Expos. Allegor. cap. 12. Prouenientibus ad Lapidem illum auxiliatorem, cui Psalmista iuxta Hebraicam, dumtaxat veritatem decantat. *Esto mihi in lapidem fortissimum, & in domum munitam, vt saluum me; quia petra mea, & munitio mea tua.* Psalm.30. humiliabuntur hostes nostri, neque apponent vltra virtutum nostrarum incursare terminos cùm nobis apud Dominum glorificatis se viderint esse deiectos. Nam in hoc nobis sæculo laborantibus nunquam tentationum bella deerunt.

Psalm.30.

HISTOR. Ioseph.

7 *Nec apposuerunt vltra, vt venirent.* Iosephus lib.6. Antiquit. cap. 2. Hostis post hanc cladem nunquam bellum instaurare ausus est, sed cohibente metu, & accepti incommodi memoria intra fines suos se continuerunt, & inuictis rerum vicibus eorum ferocia in partes victoris transiit. Nec his contentus Samuel crebris expeditionibus, & multis cædibus eos vastauit, donec omninò superbiam gentis perdomaret.

LITERAL. Comest.

8 *Nec apposuerunt vltra, vt venirent.* Comest. in Historia Schol. cap. 8. Nec appositerunt vltra Philisthiim, vt intrarent terminos Israel, dum viueret Samuel.

LITERAL. Abul.

9 *Nec apposuerunt vltra, vt venirent.* Abulensis ibidem quæst.32. Non est intelligendum, quòd nunquam postea venerint, sed quod steterunt aliquanto tempore, quo non venerunt. Nam postea non multo tempore venerunt iterum, scilicet in principio regni Saülis, & ingressi sunt terram Israel, atque destruebant eam distincti in tres cuneos. Postea etiam tempore Saülis erant semper bella contra Philisthinos; nam infra cap.14. dicitur, quod *erat bellum potens aduersus Philisthiim omnibus diebus Saülis.* Postea etiam in bello, quo mortuus est Saül, introierunt Philisthiim in terram Israël, vt patet infrà, cap.29. & 31.

1.Reg.14. Ibidem.29. & 31.

LITERAL. Author Catenæ.

10 *Nec apposuerunt vltra, vt venirent.* Author Catenæ. Obicis postea venisse sæpius cum expeditione ad eos terminos, & eos adhuc transcurrisse. 1.Reg.13.5.& 17. ibidem cap.17. 1. & sæpe aliàs. Respondeo primò iuxta Scripturæ phrasim, *vltra* non absolutam totius temporis negationem, sed alicuius spatij interuallum significare: quod signis vniuersalibus commune est, vt latè probant Cantapetrensis lib.6. Hypotyposeon cap.3. Mendozam in præsenti §.3. & latiùs ad Vers. 15. §.5. Salianus tom.3. Annal. ann.Mundi 2960.num.26. Sanct. 1.Reg.2. num.106. & ibidem cap.7. n.31. & Ioannes Ferdin. in Thesauro. Respondeo secundo subsequentibus verbis antecedentium vniuersalitatem determinari, scilicet *cunctis diebus Samuelis, quibus facta est manus Domini super Philisthinos.*

1.Reg.13.5. & 17. cap.17.

Cantapet. Mend. Salian. Sanctius. Ioan. Ferd.

11 *Facta est igitur manus Domini super Philisthæos.* Gregorius suprà. Qui sunt dies boni Doctoris, nisi vernantes illi radij fulgentis æternitatis? qui aptè Samuelis esse referuntur, quia etsi communes sunt electorum omnium, ex speciali quadam gratia ad gaudia lucent Prædicatorum. Vel certè Prædicatorum sunt, quia specialius eorum mentibus lucent, quorum prædicatione nunc sanctæ Ecclesiæ demonstrantur. Manus autem Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis facta perhibetur, quia diuina potestas malos spiritus semper opprimit, quæ in æternæ claritatis gloria etiam electos exhilarare non desistit.

ANAGOG. Greg.

12 *Facta est igitur manus Domini super Philisthæos.* Beda lib.1. Expos. Allegor. cap.12. Facta est gratia Christi ad conterendos hostes Ecclesiæ primitiuæ cunctis, quibus lux Euangelij viguit in Iudæa, nec adhuc discutiendo, & persequendo repulsa est: & redditæ sunt animæ, quas deceperant immundi vel Doctores, vel spiritus, reductæque ad Ecclesiæ societatem.

MYSTIC. Beda.

13 *Facta est itaque manus Domini.* Abulensis ibidem quæstione 32. Id est Deus posuit terrorem suum super Philisthinos; fieri enim manum Domini super aliquem est, quòd Deus operetur aliquid speciale super illum.

LITERAL. Abul.

14 *Facta est itaque manus Domini, &c.* Franc. Mendoza ibid. §.2. Hoc est, quamdiu Samuël solus imperabat, nam eo tempore non dicuntur Philisthæi ad prælium descendisse; tanti momenti erat iustum, & strenuum Principem populo præesse, vt sub eo populus ab hostibus non tentaretur quidem, tantùm abest, vt vinceretur.

LITERAL. Mendoza.

15 *Cunctis diebus Samuelis.* Abulensis ibidem quæstione 32. Intelligitur cunctis diebus, id est, multis, non tamen tota vita Samuelis, quia non multum post hoc fuerunt bella Philisthinorum contra Israelitas, vt infrà, capite decimotertio & decimoquarto: & aliud bellum tempore Goliath Ghæthæi infrà decimoseptimo, & tamen tunc viuebat Samuël, nam multo post mortuus est; de cuius morte patet infrà, capite vigesimoquinto. Vel potest dici, quod cunctis diebus Samuelis fuit hoc, id est,

LITERAL. Abul.

ideſt cunctis diebus, quibus ipſe manſit in principatu. Poſtquam verò ſuſcepit principatum Saül, facta ſunt bella multa; & iſte eſt conueniens ſenſus. Nam poſt hoc vſquequo Saül factus eſt Rex, non fuit aliquod bellum inter Iſraelitas, & Philiſthinos; & iſti dicebantur dies Samuelis, nam poſtquam fuit factus Rex Saül, iam nó fuerunt dies Samuelis, quia computabãtur tempora diebus Saülis.

LITERAL. Carthuſ. 16 *Cunctis diebus Samuelis.* Carthuſ. ibi. Quia Hebræi ſub Samuele Domino ſeruierunt, & ita tam meritis Samuelis, quam propriis iſtam aduerſariorum repreſſionem ſortiti ſunt.

MORAL. Carthuſ. *Præſuli exemplum.* 17 *Cunctis diebus Samuelis.* Idem ibidem. Sic præſidentibus viris virtuoſis, ac ſanctis repelluntur à ſubditis contrariæ poteſtates: nempe ſecundùm iudicem populi ſic & miniſtri eius: *& qualis rector eſt ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Eccli. 10.2. Quo conſtat quãtum bonum, & quàm præfulgidum Dei donum ſit idoneus, & condignus Paſtor. Ideo verè ait Scriptura: *Multitudo Sapientum ſanitas eſt orbis terrarum: & Rex ſapiens ſtabilimentum populi.* Sap. 6. 26.

Eccli. 10. 2.

Sap. 6.

LITERAL. Caiet. 18 *Cunctis diebus Samuelis.* Caietan. ibi Geſta meritis Samuelis à Deo ſupputantur in illis viginti annis.

LITERAL. Author Catenæ. Comeſt. Naucler. 19 *Cunctis diebus Samuelis.* Author Catenæ. Ne ita intelligas, vt toto vitæ Samuelis ſpatio Philiſthinos in Iſraëlitas bella non mouiſſe credas (errabis enim cum Magiſtro Hiſtoriæ Scholaſticæ, & Nauclero Volum. 1. Chronographiæ Generat. 32.) cum ex Scriptura conſtet oppoſitum. 1. Reg. 17. 1. & ibidem 14. 52. ſed toto tempore, quo Samuel reſpublicas vel adminiſtrauit ſolus, vel cum Saüle, primis dumtaxat regni eius annis. Replicabis ergo vnico anno ad ſummum, hæc Philiſthinorũ humiliatio durauit. Probas, quia à principio præfecturæ Samuelis ad præſentem victoriam viginti anni iam excurrerant 1. Reg. 7. 2. *Erat enim iam annus vigeſimus.* Quid ergo Philiſthæorum depreſſionis diuturnitatem Scriptura commendat? Primò Mendoza §. 5. obiectionem deglutit. Reſpondet 2. ſermonem eſſe poſſe de pace, quæ floruit totis huſce viginti annis prioribus, quibus Samuel ſolus imperauit; nam hoc, vno prælio excepto, nullum fuit. Reſpondet 3. addi poſſe hoc loco, ſermonem eſſe conditionalem in hunc ſenſum: bellum cõtra Philiſthinos tam fortiter à Samuele geſtum eſſe, & pacem cum illis tam ſolidè ſtabilitam, vt ſi Samuel in præfectura perſeueraret cunctis diebus, aurea quædam pax, & tranquillitas pacata fuiſſet. Sed quis hæc æquis auribus audiat, cum à ſimplici, & hiſtorico Scripturæ ſenſu tantùm abhorreant? Secunda etiam ratio infirma eſt, & violenta expoſitio; cùm ex victoriæ huius, & acceptæ cladis magnitudine humiliationem, & depreſſionem diuturnam hoſtium Scriptura concludat: *facta eſt itaque manus Domini, &c.* & humiliatos Philiſthinos referat, qui quidem ante belli huius ruinam humiliati non erant, ſed inſolentes. Reſpondeo ergo Philiſthinorum depreſſionem non vnicum annum perduraſſe, ſed alios aliquot, ſcilicet eos duos, vel tres, vel forte plures, quo Samuel ea apud Saülem auctoritate fungebatur, vt res publicæ non Regis ſolùm libito, ſed & Samuelis conſilio agerentur. Quod quidem tunc ceſſauit, cùm Samuel ob inobedientiam, & tranſgreſſum Domini præceptum circa Amalecitarum omnimodam extinctionem Saüli infenſus ſe ab eius conſpectu perpetuò ſubſtraxit. 1. Reg. 15. 35. ibi: *Et non vidit Samuel vltra Saul vſque ad diem mortis ſuæ.* Vnica ſupereſt difficultas, ſcilicet Philiſthinos aſſignato à nobis tempore durante, prælia cum Iſraelitis miſcuiſſe 1. Reg. 13. 5. & 15. Reſpondeo hæc prælia non à Philiſthinis tenta primò fuiſſe, ſed à Ionatha, & Saüle ibi. Vers. 3. *Et percuſſit Ionathas ſtationem Philiſthinorum.* Nuſquam verò conſtat Philiſthinos priores aggreſſos fuiſſe, ſed in ſui defenſionem, & ſalutem arma corripuiſſe, quod latè probat Abulenſis ibi. quæſt. 3. Hoſtis autem ſi irritetur non ſolùm animos, ſed & furorem capit.

humiliatio Philiſthinorum quandiu duraſſe.

Mendoza.

VERSVS XIV.

Vulgata. Et redditæ ſunt vrbes, quas tulerant Philiſthiim ab Iſrael, Iſraeli, ab Accharon vſque Geth, & terminos ſuos: liberauitque Iſrael de manu Philiſthinorum, erátque pax inter Iſrael & Amorrhæum. Vulgata.

Benedict. in margine. Vſque Geth cum terminis earum. Benedict.

Text. Gloſſa in margine. Vſque Geth, & terminum ſuum liberauit Iſrael de manu Philiſthinorum. Gloſſ.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et redierunt vrbes, quas tulerant Peliſthim ab Iſrael, ad Iſrael; ab Hecron vſque Ghath, & terminum ſuum, liberauitque Iſrael de manu Peliſthim; fuitque pax inter Iſrael, & inter Emorræum. Pagn.

Hebraic. ex Franciſc. Vatabl. Reſtitutæ quoque ſunt Iſraelitis ciuitates, quas abſtulerant Paleſthini Iſraelitis ab Accaron vſque Gath cum terminis earum, aſſeruitque eas Iſrael de manu Paleſthinorum, & fuit pax inter Iſraëlem, & Amorrhæum. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariaſm. in Regia. Et redierunt vrbes, quas ceperant Philiſthæi ab Iſrael ab Hgekron, & vſque Gath, & terminos earum eripuit Iſrael de manu Peliſthæorum, & fuit pax inter Iſrael, & inter Emoreum. Ariaſm.

Græca ex Septuaginta in Complutenſ. & Regia. Et redditæ ſunt vrbes, quas tulerant Philiſthiim à filiis Iſrael ab Accaron vſque Geth, & terminum; liberauerunt Iſrael de manu Philiſthinorum, & erat pax inter Iſrael, & inter Amorrhæum. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtiana. Et redditæ ſunt ciuitates, quas tulerant alienigenæ de filiis Iſrael, & reddiderunt ſe ipſi Iſrael ab Aſcalone, vſque Azob, & terminum Iſrael abſtulerunt de manu alienigenarum, & fuit pax inter Iſrael, & inter Amorrhæum. Sixtin.

Iſidor. Clar. ibi, Rapuitque eas Iſrael de manu Philiſthinorum, & erat pax. Iſidor. Clarius.

PP. ET AVCTORES.

1 *ET reddita ſunt vrbes.* Greg. lib. 3. Variar. c. 5. Vrbes ſublatæ, ſunt illæ perditæ multitudines Angelorum. Sed tunc redduntur, quando de electa natura humana aſſumitur, vnde quod de Angelis periit, ſuppleatur. Quod etiam in conuerſione flagitioſorum hominũ accipi conuenienter poteſt. MYSTIC. Gregor. *Vbi redditæ quid?*

2 *Et reddita ſunt vrbes.* Ioſep. lib. 6. Antiquit. c. 2. Agrum etiam, quem prælio victis Iudæis abſtulerant qui latè inter Gittam, & Accaronem patet, armis recepit. Reliqui verò Cananæi pacem eo tempore cum Iſraelitis habebant. HISTOR. Ioſeph.

3 *Et reddita ſunt vrbes.* Abul. ibi. quæſt. 52. Philiſthini timore Iſraelitarum reddiderunt eis loca, quæ à principio tenuerant; vel forte fuit hoc LITERAL. Abul.

factum

factum sub conditione pacis, quia volebant Israelitæ nunc, cùm superiores essent, pugnare contra Philisthinos, vt redderent eis loca, quæ antiquitus possederant.

Tropol. Carthus. 4 *Et reddita sunt vrbes.* Carthus. ibi. Sic virtuosus Prælatus animas à Dæmonibus victas Christo reducit, & congregationes reformat, atque ab Ecclesia malignantium, in Ecclesiam Deo militantium multos restituit, ac reducit.

Literal. Caiet. 5 *Et reddita sunt urbes.* Caiet. ibi. Nec tempore Samsonis, nec tempore Heli tantum beneficium collatum legitur Israeli.

Theolog. Mendoza. *Resuscitatio meritorum.* 6 *Et reddita sunt urbes.* Franc. Mend. ibi. §. 3. Discè pœnitentem priora peccata retractantem, & ad meliorem frugem se recipientem hoc loco significari posse, quem constat non solùm à Dæmonis seruitute liberum exire, sed etiam mortificata per peccatum merita recuperare, vt Theologi cum S. Thom. 3. p. q. 89. communiter inculcant. Vnde post illam Dei exhortationem: *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Ioel. 2. sequitur illa promissio: *Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca*: ibidem vers. 23. Quæ mystice explicata significant restitutionem meritorum, quæ per peccatum mortificata delituerant.

S. Thom.

Literal. Menoch. 7 *Et reddita sunt urbes.* Menoch. in sua Bibl. Vel vi ablatæ, vel à Philisthæis, sibi ab Israelitis timentibus, traditæ.

Mystic. Gregor. 8 *Ab Accaron, vsque Geth.* Gregorius suprà. Quia non solùm qui agere bona negligunt, sed etiam qui abundanter iniquitatem faciunt, pœnitendo saluantur, subditur ab Accaron vsque Geth. Accaron dicitur *sterilis*: Geth *torcul*. Steriles quidè sunt, qui bona opera non agunt: in torculari autem vua premitur & vinum promulgatur. Quid est autem concupiscentia sæcularis, nisi vua reprobæ mentis? Quid verò est feruor peccandi, nisi liquor vini, qui peccatoris mentem æternorum bonorum immemorem facit?

Literal. Abul. 9 *Ab Accaron, vsque Geth.* Abulens. ibi. q. 32. Ista præpositio *Ab.* potest dicere exclusionem, vel inclusionem. Si dicat exclusionem, est sensus, quòd erant aliquæ vrbes cùm terminis suis inter Accaron & Geth, & pertinuerunt olim ad Israelitas: nunc autem reductæ sunt. Vel potest accipi inconclusiuè, scilicet quòd cum illis vrbibus essent Accaron & Geth, quæ erant vrbes magnæ, & capita prouinciarum duarum Philisthinorum.

Literal. Autor Catenæ. Lira. 10 *Liberauitque Israel de manu Philisthinorum.* Autor Catenæ. Scilicet ab oppressione, & diuturna bellica irruptione Philisthinorum, non verò à tributo, vt senserunt aliqui cum Lirano: nam Dauidi adscribenda potiùs hæc gloria est,

2. Reg. 8. Abul. qui 2. Reg. 8. *tulit frenum tributi de manu Philisthiim*; vt benè arguit Abulens. quidquid reclamet

Mendoza. Mendoza noster; sufficienter enim colligitur vsque ad illas Dauidis victorias tributa ab Israelitis expensa fuisse, siquidem tunc direpta fuisse primo Scriptura commemorat, quæ rem tanti momenti non prætermisisset.

Mystic. Gregor. 11 *Eratque pax inter Israel, & Amorrhæum.* Greg. suprà. Quæ est ista pax, nisi quam Propheta Michæas asserit, dicès: *Et erit iste pax in terra, cùm venerit.* Mich. 5. Hinc Paulus ait: *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Ephes. 2. Quid est autem quod inter Israelem, & Amorrhæum pax ostenditur? Sed quid per Amorrhæum, nisi pars hominum reproba designatur? Qui verò per Israelem designantur, nisi electi? & quia electi in dextera Dei, reprobi verò in sinistra futuri sunt, dum pax esse inter vtrosque asseritur, Sanctorum beatitudo inclita demonstratur, qui iustitiæ Conditoris tanta æquitate conueniunt, vt de conspecta reproborum pœna, nulla compassione mouentur.

Mich. 5. Ephes. 2.

12 *Eratque pax inter Israël, & Amorrhæum.* Tropol. Beda lib. 1. Exposit. Allegor. cap. 12. Erit in te pax, cùm deuicta in te vitia cuncta virtutibus fauere docueris; & membra, quæ fuerant arma iniquitatis peccato, feceris arma iustitiæ Deo. Beda.

13 *Eratque pax inter Israël, & Amorrhæum.* Mystic. Angelom. in Stromatibus. Hoc in futuro intelligi dabatur, quia postquam per passionem Domini aëreæ potestates victæ cesserunt, vsque populus, ex circuncisione videlicet, & præputio credens in veritate fidei sibi concordauit. Amorrhæus interpretatur *amarus*, vel *loquens*, & Apostolus ait: *Vos qui eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Ephes. 2. Angelom. Ephes. 2.

14 *Eratque pax inter Israël, & Amorrhæum.* Tropol. Carthusianus in Moral. Absit à nobis pax inordinata, & pessima, qua spiritus acquiescit desideriis carnis, & ratio concupiscentiis seruit ita quòd facta famula Dominæ principetur, hæc est pax inquinata, quam cum Eua habuit Adam, quando ad Euæ suggestionem comedit fructum prohibitum. Carth.

15 *Eratque pax inter Israël, & Amorrhæum.* Literal. Lira ibi: Quia seruiebat Israël sub tributo. Lira.

16 *Eratque pax inter Israël, & Amorrhæum.* Literal. Abul. ibi. q. 32. Accipiuntur Amorrhæi dupliciter: vno modo pro quodam populo speciali inter septem populos Cananæorum: alio modo pro omnibus Cananæis. Abul.

17 *Eratque pax inter Israël, & Amorrhæum.* Literal. Saa in Schol. Id est Philisthæos, seu Palæstinos. Saa.

18 *Eratque pax inter Israel, & Amorrhæum.* Literal. Franc. Mend. ibid. §. 5. Id est inter Israël, & Philisthæum. Nam quamuis Amorrhæus propriè sit nomen specificum significans vnam ex septem gentibus, quæ terram Chanaam habitabant, vt patet ex Iosuë 3. 10. aliquando tamen est nomen generi- Iosuë 3. 10. cum significans omnes Cananæos, vt patet ex Genes. 15. verbis Domini. *Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum.* Genes. 15. hoc est omnium Cananæorum. Mendoza. *Amorrhæus quis.*

19 *Eratque pax inter Israel, & Amorrhæum.* Tropol. Author Catenæ. Iuxta probabiliorem sententiam seruiebant adhuc Philisthinis Israëlitæ sub tributo, quæ quidem pax falsa est, illique persimiles, quam peccatores carni sub tributo indulgentes iactitant dicentes: *Pax, pax, & non erat pax.* Ierem. 6. Illa vera pax est, quam ex profligatis, edomitisque carnis affectibus comparaueris: pax aurea, pax diuturna. *Impiis verò non est pax dicit Dominus.* Isaiæ 48. Aut. Caten. *Pax vera quæ.* Ierem. 6. Isaiæ 48.

VERSVS XV.

VVlgata. Iudicabat quoque Samuël Israëlem cunctis diebus vitæ suæ. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et iudicauit Semuël Israel omnibus diebus vitæ suæ. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Iudicauit autem Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et iudicauit Semuel Israel omnibus diebus vitæ suæ. Ariasm.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et iudicauit Samuel Israel cunctis diectus vitæ suæ.

Sixtia. *Græc. ex Septuag. in Vaticana.* Et iudicauit Samuel Israel omnibus diebus vitæ suæ, & ibat per annum.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Beda. 1 *Vdicabat quoque Samuel.* Beda lib. 1. Expositi. Allegor. cap. 12. Iudicat Dominus Ecclesiam omni tempore, quo hanc in terris peregrinantem diuinæ præsentiæ suæ luce viuificat, iidem enim sunt dies Christi, qui Ecclesiæ de quibus in Euangelio loquitur. *Quandiu in mundo sum, lux sum mundi.*

Ioan. 9.

Tropol. Lira. 2 *Iudicabat quoque Samuel.* Lira ibi. Quia bonus Prælatus non solùm debet pro subditis exorare, sed defectus eorum per correctionem debitam emendare.

Literal. Abul. 3 *Iudicabat quoque Samuel.* Abul. ibi. q. 33. Habebat iurisdictionem quantum ad omnes causas tam ciuiles, quàm criminales; ipse enim iudicabat in toto Israel. Non est autem intelligendum, quòd ipse solus iudicaret, quoniam non sufficeret ipse ad omnes causas, cùm Moyses à principio Israelitici populi hoc attentauerit, sed non præualuit. His tamen non obstantibus iudicabat Samuel, quoniã per appellationem ad eum deuoluebantur causæ; etiam quia ipso volente iudicare, cessabat officium aliorum minorum Iudicum.

Literal. Caietan. 4 *Iudicabat quoque Samuel.* Caiet. ibi. Hinc apparet, quòd quamuis creatus sit Saul Rex, non tamen depositus est Samuel à dignitate, & autoritate iudicis, quamuis non exerceret officium Iudicis propter senectutem, ob quam creauit Regem.

Mystic. Greg. 5 *Cunctis diebus vitæ suæ.* Gregor. Iuprà. libr. 3. Variarum Expositi. cap. 5. Qui sunt dies vitæ vniuscuiusque Doctoris, nisi virtutum specialium claritates? Omnibus namque diebus vitæ suæ Israelem iudicant, qui legem iustitiæ, quam loquendo asserunt, ad subditorum fidelium exemplum perfectione repræsentant bonæ conuersationis. Qui autem virtutum spiritualium lucem non habet, quia ad docendum assumit bona conuersationis extrancæ, diebus profectò iudicat vitæ alienæ.

Literal. Liran. 6 *Cunctis diebus vitæ suæ.* Lira. ibi. Vsque ad institutionem, & confirmationem Saülis. Ex tunc enim Saül habuit officium iudicandi.

Literal. Abul. 7 *Cunctis diebus vitæ suæ.* Abulens. ibi. q. 33. Idest omnibus diebus, quibus vixit in principatu. Nam postquam Saül factus est Rex, transiuit ad ipsum potestas; & ideò Samuel non iudicabat. Etiam intelligitur hoc de tempore illo, quo fuit Samuel potens ad discurrendum per totam terram Israel. Nam postquam factus est senex, posuit filios suos Iudices in Bersabee, & ipse iam non iudicabat.

Literal. Serar. 8 *Cunctis diebus vitæ suæ.* Serar. ibi. quæst. 5. Facillima ratio fuerit, si dicamus ista phrasi significari magnos, & assiduos ipsius labores, antequam Rex Saul deligeretur, eum scilicet cunctis vitæ suæ diebus iudicasse, idest, omne tempus Principe dignis laboribus in publica populi vtilitate posuisse: nullum sibi otium, aut remissionem indulsisse.

Literal. Mendoza. 9 *Cunctis diebus vitæ suæ.* Francisc. Mendoza ibi. §. 7. Dicunt alij Samuelem iudicasse cunctis diebus vitæ suæ, nempe firmæ, vegetæ, ac robustæ, quæ sola vita dicitur; nam quæ in senectutem fœtam morbis, & effœtam viribus deuergit, *mors est potiùs dicenda, quàm vita*, inquit Tullius in Somnio. Sed hæc responsio vt arguta Tull. sit, solida non est; quia Samuelis ætas non erat adeò senilis, vt gerendo magistratui prorsus inepta videretur.

Literal. Sanct. 10 *Cunctis diebus vitæ suæ.* Gaspar Sanctius ibi. num. 37. Ex hoc dicendi modo colligo paulò postquam defunctus est magistratu Samuel, defunctum fuisse vita: cùm autem mortuus fuerit paulò post Saul, hinc etiam colligo Saulis regnum non fuisse diuturnum, sed durasse tantum biennio, vt expresiè Scriptura docet infrà c. 13. Est autem vsitatum in Scriptura, vt cùm ex magno numero exiguum aliquid detractum est, nihil existimetur fuisse detractum.

Literal. Author Catenæ. 11 *Cunctis diebus vitæ suæ.* Autor Catenæ. Regnante iam Saüle superstes Samuël fuit, saltem decem, & octo annos, qui ergo Samuelis principatus ad extremum eius vitæ terminum perdurauit? omissis aliorum placitis, respondeo: nunquam Samuelem principatui suo renunciasse, nec à populo, nec à nouo Rege ex eo fuisse deturbatum, vt sentit Caietanus; & confirmari potest, Caiet. quia Regi iam creato Saüli, & confirmato iussa dabat, eundem corripiebat, & præsente eo Regem Amalech suo vno imperio fecit trucidari. Confirmatur secundo, quia sic datur plana, & historica intelligentia ipsi litteræ 1. Regum 13. quæ de Saüle ait: *Duobus annis regnauit super Israel*; non quòd solis duobus annis regnauerit, Sanctius. vt cum Hebræis credidit Sanctius noster, sed quòd duobus tantum annis fuerit in principatu solus mortuo iam Samuele, qui quodammodo Ariasm. corregnabat. Nam à Samuelis obitu, ad necem Saülis duo dumtaxat anni excurrerunt, vt Adrico. notarunt Ariasm. in Apparatu de Sæcul. & Adricomius. Aliæ verò quorundam responsiones vel mysticæ sunt, qualis est expositio sancti Gregorij; vel nugatoriæ, qualis est eorum solutio, qui principatum vitam dicunt, quos benè impugnat Mendoza §. 6. vel frigidiores, qualis est Dionysij articul. 14. & Serarij in Commentar. verbum *iudicandi* ad doctrinam, & institutionem transferentium: vel difficiles, qualis est ipsius Mendozæ, Lirani, & Abulensis asserentium particulam *Omnibus diebus vitæ suæ* non vltimum Samuelis vitæ terminum, sed eum, qui ab hoc die ad primordium, vel confirmationem regni Saülis excurrit, significare. Sed contra primò, quia hoc spatium adeò exiguum est (nempe vnius, vel duorum ad summum annorum) vt Scripturæ commendationi, & ponderosæ affirmationi non respondeat. Contra secundo, quia sic planius, & historicus litteræ sensus absque præcisa necessitate eluditur. Dicit enim Textus Samuelem populo præfuisse omnibus diebus vitæ suæ: tu verò dicis: duos solùm annos exinde præfecturam obiisse. Verum tamen est, cùm se à Saülis conspectu Samuel in perpetuum substraxerit, eius inobedientiæ, & contumaciæ infensus 1. Reg. 15. tunc res publicas ab vno Saüle actas fuisse. Non tamen ex eo Samuel iurisdictionem, & potestatem amisit, vti nec amiserat, cùm filios quoque suos constituit Iudices in Israel 1. Reg. 8.

* * *

VERSVS

VERSVS XVI.

Vulgata. *Vulgata.* Et ibat per singulos annos circumiens Bethel, & Galgala, & Masphath, & iudicabat Israëlem in supradictis locis.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et ibat, & circuibat Bethel, & Hgilghal, & Mispah, & iudicabat Israël in omnibus locis.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Ibat verò singulis annis, & circuibat Bethel Gilgal, & Mizpa; iudicauitque Israelem in cunctis hisce locis.

Ariasm. *Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et ambulauit in tempore anno in anno, & reuersus est ad Bethel, & ad Gilghela, & ad Misspa, & iudicauit Israel omnia loca hæc.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuag. in Complutens. & Regia.* Et ibat per singulos annos, & circuibat Bæthel, & Galgal, & Massepha, & iudicabat Israël in omnibus locis istis.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et circuibat Bæthel, & Galgala, & Massepha, & iudicat Israël in omnibus sanctificatis his.

Lucifer. Flamin. *Lucifer apud Flamin. in Schol. Sixtiana.* Iudicabat Israël in omnibus sanctificationibus his.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Ioseph. 1 *Et ibat per singulos annos.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 3. Samuel autem rebus populi compositis, & iuridicis conuentibus per certas vrbes institutis, ipse singulis annis bis eas obibat, & iura reddebat; multóque tempore hanc præcipuam curam habuit, vt patriis legibus respublica administraretur.

Moral. Lira. 2 *Et ibat per singulos annos.* Lira in Glossa Moral. Per loca ad iudicandum opportuna proprio labore, & expensa, vt habetur infrà cap. 12.

Literal. Moral. Abul. *Prælati suos visitent.* 3 *Et ibat per singulos annos.* Abul. ibi quæst. 33. In quo apparet magna diligentia illius circa regimen populi, & cultum Dei; faciebat enim hoc, ne daretur locus minoribus iudicibus præuaricandi in iudicio, si nullus iudex superior frequenter se intromitteret de causis populi. Etiam faciebat hoc propter cultum Dei, vt videret vtrum in aliqua vrbe essent idololatræ. In hoc autem aliquale exordium habuit in Ecclesia, quòd Prælati semel in anno visitarent prouinciam suam, vt sic scirent de qualitate subditorum, & eorum, quæ fiunt.

Literal. Carth. 4 *Et ibat per singulos annos.* Carthus. ibi. In tribus solemnitatibus hebdomadariis, vtpote Paschæ, Pentecostes, & Scenopegiæ ascendebat ad oppida illa, & iudicabat plebem in eis.

Tropol. Idem. *Prælatus visitet suos.* 5 *Et ibat per singulos annos.* Idem ibid. art. 15. Sic omninò, sic veri Episcopi, Archidiaconi, Abbates, & cæteri visitatores omni tempore opportuno, & in iure determinato debent subditos tuos, cænobia, collegia, Parochias charitatiuè, ac strenuè visitare; vitia extirpare; collapsa, & deformia totis viribus reformare: bonos confirmare in bonis, ac prouocare ad meliora: præcipua quæque loca diligentius custodire.

Tropol. Idem. *Visitandi modus.* 6 *Et ibat per singulos annos.* Idem ibid. art. 14. Propriis expensis visitauit loca præfata ad populum iudicandum, & etudiendum. Quo planè exemplo reprehenduntur, qui in visitationibus grauant visitatos expensis, & sumunt ab eis munuscula, quod in iure frequenter, ac districtè, etiam sub pœna excommunicationis prohibetur.

Histor. Author Catenæ. Comest. Carth. Ioseph. Mendoza. 7 *Et ibat per singulos annos.* Autor Catenæ. Iosephus non semel in anno, sed bis ait vrbes has à Samuele inuisi consueuisse; quod nescio quo referat fundamento, sicut id etiam, quod addunt Comestor, & Carthusianus visitationes istas à Samuele fieri solitas tribus annuis solemnitatibus Paschæ, Pentecostes, & Scenopegiæ. Vnde hæc hauserint, vel collegerint non video: immo dictas solemnitates similibus iudiciis aptæ non erant, in quibus ad Tabernaculum totus pene populus conueniebat, vrbibus vacuis relictis, vt bene notat Mendoza §. 1. Vbi ergo Samuelis iudicio locus: De Maiphath vide cap. 10. vers. 17.

Tropol. Mendoz. *Boni Prælati ofpus.* 8 *Et ibat per singulos annos.* Francisc. Mend. ibi §. 5. Ne subditi adeundo suum iudicem, sumptus facerent, tempus perderent, vires frangerent, milleque detrimenta in Principis Curia paterentur, ipse quiescentibus omnibus solus discurrebat, omnibus ociosantibus, solus laborabat. Non timebat iniurias temporum, non refugiebat viarum asperitates, non recusabat hospitiorum angustias, denique nec parcebat suo labori, nec consulebat suis expensis: nec seruiebat suæ incolumitati; sed omnia sua in suorum vtilitatem conferebat.

Mystic. Gregor. 9 *Circumiens Bethel, & Galgala.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 5. Bethel dicitur *domus Dei*: Galgal *rota*: Maiphath *speculatio* interpretatur. Quid ergo Bethel, nisi viros officio sacri Altaris deputatos significat? Qui dum spiritualibus studiis inhærent, velut domestici Dei omnipotentis familiares sunt. Et quid Galgal, quæ *rota* dicitur, nisi coniugatorum ordinem designat? Velut enim in rota circumeunt, dum volubilibus mundi curis penitùs carere non possunt. Et quid per Maiphath, quæ *speculatio* interpretatur, nisi illi exprimuntur, qui diuinæ contemplationi vacantes, solis supernis gaudiis inardescunt. Quid ergo est, quod Samuel, & Bethel, & Galgal, & Maiphath circuire dicitur, & in eisdem locis Israëlem iudicare, nisi quia electus Prædicator omnium electorum ordinum exempla sequitur, vt subditorum fidelium esse valeat censor doctus? Non enim esse poterit æqui examinis, si de exemplis præcedentium electorum dedignatur assumere quod discernit.

Mystic. Tropol. Idem. 10 *Circumiens Bethel, & Galgala.* Idem ibid. Potest etiam per Bethel, quæ *domus Dei* dicitur vniuersa electorum Ecclesia designari. Per Galgal, quæ interpretatur *rota*, sacra Scriptura. Quidquid vero in subditorum profectu Doctor exhibet, aut de exemplo electorum accipit, aut magisterio sacri eloquij, aut reuelatione internæ, ac secretæ contemplationis.

Mystic. Angelom. *Bethel, Galgala & Maiphath quid?* 11 *Circumiens Bethel, &c.* Angelom. in Stromatib. Non vacat à mysterio, quod Samuel in supradictis locis conueniens iudicabat Israël; in hoc enim typum tenuit Doctorum in sancta Ecclesia: & vt manifestius appareat, manifestemus clariùs. Bethel enim, quæ interpretatur *domus Dei* sanctam significat Ecclesiam, quæ domus Dei dicitur, in qua Dominus sua gratia, videlicet in mentibus electorum habitare dignatus est; iuxta quod ait: *Et inambulabo, & inhabitabo in eis.* Vnde, & Galgal, quæ interpretatur reuelatio, eandem significat Ecclesiam, de qua Dominus dicit: *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Luc. 26. videlicet per gratiam suæ reuelationis; ac præsentiæ Luc. 26.

suæ diuinitatis. Et Masphath, quæ interpretatur *intentio*, benè sequitur, quia videlicet, in supradicta Ecclesia sancta Dei est pura in mentibus electorum intentio, qua semper eiurit, & anhelat ad Deum.

LITERAL. Comest. 12 *Circumiens Bethel, &c.* Comest. in Histor. Scholastic. cap. 8. Tres illæ ciuitates famosæ erant. Bethel propter somnium Iacob, & Galgala propter circumcisionem secundam, & Masphath propter frequentiam Iosue; & ascendebat ad eas Samuel vicatim in tribus solemnitatibus hebdomadariis, & iudicat ibi populum.

MYSTIC. TROPOL. Strab. *Prælatorum est subiectos qualiter?* 13 *Circumiens Bethel, &c.* Strabus Fuldens. in Gloss. Ordin. Galgala interpretatur *volutatio*, vel *reuelatio*. Benè ergo propheta in Bethel, & in Galgala, & in Masphath iudicauit Israël, & reuertens in Ramatha in domum suam, iudicauit ibi Israël, & ædificauit ibi Altare Domino; exemplum tribuens, iudicium esse faciendum in domo Dei, non indiscretè vel maleuola mente; sed secundùm quod Scriptura reuelauerit; & intentione bona, & amore fraterno. & sic esse reuertendum in Ramatha in domum nostram, idest ad interiora pectoris, vt vacemus contemplationi, & altari fidei gratis hostias operis, & veritatis offeramus.

LITERAL. Abul. 14 *Circumiens Bethel, &c.* Abulens. ibi. Erant enim isti tria loca, in quibus ipse principaliter sedebat ad iudicandum. Est autem Bethel ciuitas quædam in sorte Beniamin, vt patet Iosue 28. Galgala autem à principio non erat ciuitas, nec aliquis locus, sed postea factus est ibi aliquis locus habitationis. Masphath autem erat alia ciuitas in terra Galaad.

Iosue 28.

Iudic. 11.

LITERAL. Abul. 15 *Et iudicabat Israëlem.* Idem ibidem. Omnes, qui in circuitu aliquas causas habebant, veniebant ad illa loca; & ne venirent Israëlitæ de vltimis finibus ad Samuelem, si ipse semper esset in vno loco determinato: releuabat eos à magnitudine expensarum, quas facerent, si venirent ad ipsum.

LITERAL. Vermil. 16 *Et iudicabat Israëlem.* Petrus Vermill. in Comment. Quamuis Saül esset Rex, tamen Samuel remansit iudex, erat enim quodammodo Rex Regum; nam & Saülem vnxit Regem, & postea Dauidem. Id autem fuit, ne regnum ad quosuis homines perueniret, atque hoc pacto exclusit liberos suos ab omni spe regni. Sed quo in statu erant res Israëliticæ, si Samuel quoque retinebat magistratum? Dicam: Saül habuit magistratum ordinarium: Samuel verò extraordinarium. Deus enim subinde excitabat iudices tanquam dictatores, qui alios magistratus coercerent. Itaque Samuel Saülem Regem publicè increpat, & illo viuente vnxit Dauidem, & coram Saüle Agagum captiuum iussit occidi.

VERSVS XVII.

Vulgata. *VVlgata.* Reuertebatúrque in Ramatha, ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israëlem. Ædificauit etiam ibi Altare Domino.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et reuertebatur in Ramath, ibi enim erat domus eius, & ibi iudicauit Israël, & ædificauit ibi Altare Domino.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Redibátque in Rama, quoniam ibi erat domus eius, & ibi quoque iudicauit Israel, & ædificauit ibi Altare Domino.

Atiasit. *Chald. ex Reued. Arias. man Regia.* Et cùm reuerteretur in Ramatha, quoniam ibi domus eius, & ibi iudicauit Israël, & ædificauit ibi Altare ante Dominum.

Compl. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* At reuersio eius erat in Arimathaim, quoniam ibi erat domus eius, & iudicabat ibi Israel: & ædificauit ibi Altare Domino.

Sixtia. *Græc. ex Septuag. in Sixtina.* Reuersio autem eius erat in Arimathæm, quoniam ibi erat domus eius, & iudicabat ibi Israël; & ædificauit ibi Altare Domino.

Vatab. *Vatab. in Schol.* Et ædificarat ibi Altare Domino.

PP. ET AVCTORES.

ANAGOG. Gregor. 1 *Reuertebatúrque in Ramatha.* Gregor. lib. 3. Variar. expolit. in 1. lib. Reg. cap. 5. Ramatha interpretatur *visio consummata*, & superiorum ciuium illam beatam, & perfectam sanctitatem significat, ad quam Samuel reuertitur, ne laboris sui onere deprimatur. In Ramatha quippe Samuel reuertitur, cùm mens Prædicatoris per amorem cœlestium releuatur. Nam inter officij sui onera tam immensa corrueret, si ad amorem cœlestium per ipsi suæ desiderium non rediret.

MYSTIC. Beda. 2 *Reuertebatúrque in Ramatha.* Beda lib. 1. expolit. Allegor. c. 12. Reuersus est Dominus in cœlum, corpore semel, ascendendo peracto suæ dispensationis officio. Reuertitur quotidie præsentia diuina qua semper vbiq; totus pertingit à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Ibi etiam intra velum cœli, æterna Sancta Sanctorum, supernorum corda ciuium, vnum Patri ædificat Altare, ex quo suæ charitatis igne flammato, perpetuæ laudationis odoretur incensum dicentium: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.*

ANAGOG.

MYSTIC. Angelom. *Contemplatio cum actione.* 3 *Reuertebatúrque Ramatha.* Augelom. in Stromatib. Hoc indicare videtur, quòd omnis Ecclesiasticus Doctor spiritualis in Ecclesia lucet, semper in altitudine contemplationis (hoc enim significat Rama, quæ interpretatur *excelsa mente*) habitare delectetur, per actiones tamen compassionum ad infirma membra Ecclesiæ condescendere non renuit; & quasi populum Israel iudicat, dum creditam sibi plebem ad tenendam vnitatem fidei, & cæteras virtutes operandas sua exhortatione instituit, & docet.

MYSTIC. Interl. 4 *Ramatha.* Interl. ibi. Excelsum signum, seu mortis visio.

LITERAL. Abul. 5 *Reuertebatúrque Ramatha.* Abul. ibi quæst. 33. Ista vrbs, quæ vocatur hic Ramatha, vocata fuit postea Arimathia, de ea namque fuisse dicitur Ioseph nobilis Decurio, qui sepulchrum dedit corpori Redemptoris nostri in tumulo suo nouo, vt patet Marc. 15.

Marc. 15.

TROPOL. Mendoza. *Prælati munus.* 6 *Reuertebatúrque Ramatha.* Franc. Mend. ibi §. 1. Duo sunt Prælatorum munera longè grauissima: vnum, in propria domo, maiore anni parte residere: alterum, creditam sibi prouinciam semel in anno perlustrare, vt ita omnes, tam qui procul absunt, quàm qui prope sunt, facilem ad illum inueniant accessum. Vtrumque munus Samuel egregie exercuit.

TROPOL. Palafox. *Modestia in prosperis.* 7 *Reuertebatúrque Ramatha.* Ioan. Palafoxius in sacra Histor. Regali. Non optimam, & opulentissimam vrbium in suæ dignitatis solium sanctus Sacerdos, & iudex elegit; sed prisca sibi voluit ante oculos tenuitatis suæ monumenta versari, iis potissimùm in officio virtutibus conseruatis, quibus ad honoris culmen manuductus fuerat. Indignum enim

enim prorsus est viris magnis, cum fortuna mores quoque nisi in melius commutare, vel honoribus concuti, cùm ij quidem pretij sint minoris, quàm eos tantum meruisse.

ANAGOG. Greg. 8 *Ibi autem erat domus eius.* Gregorius suprà. Quia in illius beatæ patriæ gloria tota dilectione requiescunt, ibi eius domus esse perhibetur; eius namque esse domus perhibetur, in qua amando Prædicator conuersatur. Vnde ille egregius Prædicator gloriatur dicens: *Nostra conuersatio in cœlis est.* Philip.3.

Philip.3.

LITERAL. Abul. 9 *Ibi enim erat domus eius.* Abulensis ibidem. quæstione 33. Quia ibi erat hæreditas Patrum suorum, nam ibi habitabat pater suus Helcana. 1.Reg. 1.

1 Reg.1.

MYSTIC. Gregor. 10 *Et ibi iudicabat Israelem.* Gregorius suprà. Israëlem Prædicatores iudicant, quia supernæ patriæ pulchritudini, quam in mente retinent, fideles subditos facere conformes prædicando student.

ALLEG. Gregor. *Altare quid?* 11 *Ædificauit etiam ibi Altare Domino.* Idem ibidem. Quid est Altare Domini, nisi cor iusti? Veritatis autem iudicio dicitur. *Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Matt.6. Qui autem pro amore supernæ patriæ bona agit, dum ardenter ad ea, quæ sursum congregat peruenire desiderat, profectò Altare ædificat super quo quotidiani desiderij hostias incendat.

Matt.6.

TROPOL. Gregor. 12 *Ædificauit etiam ibi Altare Domino.* Idem ibidem. Quod ad lucrum animarum referri conuenienter potest. Doctor namque in Ramatha Altare Domino ædificat, cùm subditorum merita in cœlo locat, & dum quotidiano eius studio electæ animæ ad cœlestia regna conscendunt, velut ad structuram superni Altaris lapides mittuntur. Dicatur ergo de Samuële, dicatur: *Ædificauit ibi altare Domino*; quia nimirùm valdè otiosum est Doctoris studium si per hoc, quod ab illo in terris agitur cœleste ædificium non augetur.

LITERAL. Glossa. 13 *Ædificauit etiam ibi Altare Domino.* Glossa Ordin. ibi. Lex præcepit non ædificari Altare, nisi vbi Dominus elegisset. Sed ne immolarent Diis, construxit Altare, in quo non reprehenditur.

LITERAL. Lira. 14 *Ædificauit etiam ibi Altare Domino.* Lira. ibid. Dicendum, quòd ex dispensatione Domini, poterat alibi immolari, & per consequens Altare construi, & hoc modo Samuël ibi altare construxit. Potest etiam dici secundùm illud, quod dictum

Deuter.12. fuit Deuter.12. & est satis verisimile, quod à tempore, quo Arca fuit capta per Philisthæos, vsque ad tempus in quo fuit posita in templo constructo per Salomonem, Arca non habuit stabilem mansionem. Et ideò sacrificia votiua, ad quæ offerenda homines non tenebantur, sed si fiebant ex deuotione poterant alibi offerri secundum voluntatem, & deuotionem offerentis.

LITERAL. Abul. *An Samuël peccarit?* 15 *Ædificauit etiam ibi Altare Domino.* Abul. ibid. quæst.34. Quæret aliquis, an licitè potuerit construi Altare in vrbe Ramatha? Respondendum est, quod contra legem communem erat, fieri Altare in aliquo loco, extra locum Sanctuarij, vel alibi immolari victimas; potuit tamen facere illud licitè Samuël, quoniam viris Prophetis, qui à Deo mouebantur ad agendum ea; quæ agebant, multa licuerunt, quæ aliis hominibus non licebant.

LITERAL. Caiet. 16 *Ædificauit etiam ibi Altare Domino.* Caiet. ibid. Nec Arca Dei, nec Tabernaculum Dei legitur aliquando fuisse in Rama, & tamen ibi ædificauit Samuël Altare Domino.

17 *Ædificauit etiam ibi Altare Domino.* Author Catenæ. Cùm Deus Deuter.12. prohibuisset extra Tabernaculum sacrificium sibi offerri, quomodo à culpa immunis erit Samuel, qui extra Tabernaculum. quod nunquam in Ramatha fuit, Altare in sacrificia peragenda erexerit? Sed culpæ similis accusari etiam posset Gedeon Iudic.6. Manue ibid.13. Dauid 2.Reg.24.& Helias 3.Reg.18. quos & Altaria extra Tabernaculum erexisse, & sacrificia super ea obtulisse constat. Respondet Lira, ex eo, culpa vacare Samuelem, quòd lex illa non obligabat, nisi dum Arca Dei certo, & immutabili loco consistebat; sed satis ab Abulensi, Mendoza, & aliis impugnatur: tum quia lex absoluta, & sine exceptione aliqua prohibebat: tum quia nunquam in eodem loco certo, & immutabili constitit; cum sæpè mutaret sedem, & ad prælia, vel alia de causa bis, & ter deducta fuerit 1.Reg.4.4. ibidem 14. 2.Machabæor.2.4. Rectiùs ergo respondetur cum eodem Lirano, Abulensi, Mendoza, Saliano, & aliis, Samuelem ex speciali Dei dispensatione, & Sancti Spiritus inspiratione Dauidem, & alios suprascriptos se id egisse, ex quo communem legem non violarunt.

LITERAL. Author Catenæ. Deut.12. *Samuel an peccarit?*

Iudic.6. Ibidem.13. 2.Reg.24. 3. & 18.

Abul. Mend.

1.Reg.4.4. & 14. 2.Mach.2.4. Salian.

METAPHRASIS

CAP. VII.

Ex superiori Interpretum doctrina.

INCOLÆ vrbis Cariathiarim, quæ à Bethsames longè non aberat, acceptam à Bethsamithis Arcam in vrbem suam transtulerunt, & in superiori vrbis parte locarunt in domo, scilicet Leuitæ religiosi, nomine Aminadab; filiúmque eiusdem Eleazarum ad Arcæ custodiam deputarunt, ibique mansit annos viginti; in quibus Samuelis iudicis hortatu, & institutione Israeliticus populus pro anteactæ vitæ delictis ingemuit, abiectísque Idolis vni Domino seruiuit. Ad eum enim Samuel in locum vnum congregatum ad Idolorum repulsam, & cordium præparationem diuinæ gratiæ excipiendæ hortatus fuit, promissa interim de hostibus victoria; quæ illi omnia confractis illico Idolis, efficaciter peregerunt. Tum Samuel eorum deuotione cognita congregari eos in Maspharh vrbem, prope Cariathiarim ad certum diem iubet, tum vt pro ipsis oret, tum etiam vt publicam eorum cum Deo reconciliationem, & fœdera pacisceatur. Illi ergo Judicis dicto parentes, ibi conuenerant, hausámque aquam in terram in signum protestationis, & omnimodam idololatriæ, & vitiorum omnium expulsionis coram effundebant; cibóque per diem totam abstinentes criminum suorum cum confessione à Domino veniam postulabant. Samuel autem acceptâ eorum pœnitentiâ de eorum rebus iudicabat. Philisthini interea cùm eorum indicta comitia percepissent, detectionem suspicati, eos cum exercitu bello adoriuntur; re autem ab Israelitis, & iis, qui in vrbibus remanserant, cognitâ, dum se inermes fontémque considerant, subito tremore corripiuntur, Samuelémque obtestantur, ne in eorum defensionem ab oratione desistat, is verò speciali

Numinis inspiratione agno lactenti in holocaustum adhibito, intensiùs orat, & precum instantia votum tenet; nam dum sacrificium peragit, inermes Philisthini inuadunt; tum verò cœlum intonat, fulmina hostes feriunt, terra tremore concutitur, arma Philisthæis in vsum Hebræorum excutiuntur è manibus, quibus in fugam versos acerrimè cædunt, & ad terminos vsque eorundem insequuntur. In huius victoriæ signum lapidem grandem Samuël erigi iubet inter Masphat, & Sen, dicens: Hic locus est ad quem vsque Dei auxilio poriti sumus. Victi hostes magnam elationis suæ partem deposuere; nec, dum Samuël res publicas administraret, bello Israelitas lacessere ausi sunt diuina eos manu cohibente; quin & vrbes superioribus bellis amissas, videlicet inter Accaronem, & Geth Israëlitæ receperunt, pàxque inter vtrumque populum sequuta est, seruientibus adhuc Hebræis sub tributo. Samuëlis interim præfectura atque optimo consilio respublica agebatur, vsquequo Saülem Regẽ iam electũ, à consortio suo ob ipsius proteruiam expulit. Ramathæ vt plurimũ, vbi domus eius residebat; in de verò præcipuas tres vrbes vnoquoque anno inuisere consueuerat, Bethel, scilicet, Galgala, & Masphath, tum vt ius diceret, tum etiam vt de localibus iudicibus, & de religionis statu cognosceret. Ramathæ autem, seu Arimathiæ speciali à Deo priuilegio Altare, vbi Deum coleret, erexit.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS.

FILIORVM Samuëlis (quos iudices pater creauerat) iniuriis totus populus lacessitus Regem sibi præfigi postulat à Samuële. Is iniqua petitione perculsus populum ex Dei consilio pessima Regum conditione ab iniusta petitione deterret. Persistit cœptis populus, & Dei permissu voti sui compos euadit.

CAPVT OCTAVVM.

1 FACTVM est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israël. 2. Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioël: & nomen secundi Abia, iudicum in Bersabee. 3. Et non ambulauerunt filij illius in viis eius: sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium. 4. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israel, venerunt ad Samuelem in Ramatha. 5. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis regem, vt iudicet nos sicut, & vniuersæ habent nationes. 6. Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum. 7. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. 8. Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Ægypto vsque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. 9. Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, & prædic eis ius regis, qui regnaturus est super eos. 10. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se Regem, 11. Et ait: Hoc erit ius regis qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, 12. Et constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. 13. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas. 14. Agros quoque vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. 15. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis suis. 16. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. 17. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui. 18. Et clamabitis in

die

die illa à facie regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem. 19. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam: rex enim erit super nos, 20. Et erimus nos quoque sicut omnes gentes: & iudicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis. 21. Et audiuit Samuel omnia verba populi, & locutus est ea in auribus Domini. 22 Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel: Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.

VERSVS PRIMVS.

Vulgata. *Vulgata.* Factum est autem, cùm senuisset Samuël, posuit filios suos iudices Israël.

Benedict. Glossa. *Benedict. & Text. Gloss.* Iudices super Israël.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et fuit, cùm senuisset Semuël; posuit filios suos iudices Israël.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Factum est autem, vt Samuël posteaquam iam senuisset, filios suos iudices constitueret super Israëlem.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et fuit, quando senuit Semuël, & perfecit filios suos iudices Israëli.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et factum est, dum senuit Samuël, & constituit filios suos iudices Israël.

Sixtina. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et factum est, vt senuit Samuël, & constituit filios suos iudices ipsi Israëli.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Beda. 1 *Cùm senuisset Samuël.* Beda lib. 2. exposit. Allegor. cap. 1. Nomen senectutis in Scripturis, cùm mystice ponitur, aliquando maturitatem sapientiæ, & consilij grauitatem, aliquando torporem mentis ab inchoatæ virtutis nouo feruore frigentem significat.

Histor. Seder-Olã. 2 *Cùm senuisset Samuel.* Hebræi in Seder-Olam Rabba cap. 13. Vniuersi dies Samuëlis videntis concluduntur annis quinquaginta duobus maximè, quoniam scriptum: *Heli sacerdote sedente super sellam ante postes domus domini, &c.* 1. Reg. 1. 9. illo enim temporis articulo in futurum iudicem destinatus est; posteà enim legitur: *Ipseque iudicauit quadraginta annis*, ita supersunt anni tredecim, à quibus tollendus est annus concepti Samuëlis. Vndecim autem, quibus Samuël iudicis munere functus est, & primus annus Saülis his quadraginta adiuncti, quinquaginta duos perficiunt. Samuël moritur ante Saülis mortem quatuor mensibus.

1. Reg. 1. 9.

Literal. Abul. *Samuelis ætas.* 3 *Cùm senuisset Samuël.* Abul. ibi. quæst. 2. Dicendum est, quòd fuerit septuaginta annorum, vel plurium, & sic quando constituit iudices filios suos esset annorum quinquaginta, vel quasi: ita vt posset habere filios idoneos ad accipiendum in iudices.

Literal. Author Catenæ. *Samuelis ætas.* 4 *Cùm senuisset Samuël.* Autor Catenæ. Hinc constat Samuelem eo iam tempore senem quidem fuisse; & vt quibusdam placet sui officij muneribus ineptum. Falluntur ergo Hebræi supra solos quinquaginta duos annos vitæ illius adscribentes; quod si verum esset, quo tempore filios suos iudices constituit, & senuisse dicitur, solùm ageret annum trigesimum quartum; post hæc namque superuixit iuxta Iosephum, & alios communiter, decem, & octo annos, Saüle regnante; decem autem & octo additi triginta quatuor, constituunt quinquaginta duos. Vnde etiam sequeretur; cùm principatum cepit, solùm egisse annum decimumquartum. Probo sequelam; quia vixit quinquaginta duos, gubernauit autem ante Saülem viginti annos; nam cùm victoria parta est in Masphat, erat iam annus vigesimus præfecturæ Samuelis, post Saülem verò Regem creatum superuixit annos decem & octo, qui constituunt triginta & octo; hic autem numerus si auferatur à numero quinquagesimo secundo, solùm restant anni quatuordecim. Sequelæ autem absurditas per se patet, cùm quatuordecim annorum ætas lusibus potiùs, quam regimini aptior sit. Erat ergo Samuël saltem quinquagenarius, nam præfuerat saltem annos viginti, cùm verò præficeretur populo, ageret saltem annos triginta, qui saltem maturitati regentis necessarius est. Et confirmatur, quia filios iam habebat principatui, & gubernationi maturos. Præcipuum autem Rabbinorum argumentum infirmum est, nempe ab Anna matre Samuëlem Tabernaculo oblatum biennem, aut triennem, *vt maneret ibi iugiter.* 1. Reg. 1. 22. Seu, vt est in Hebræo: *in sæculum*; hoc autem quinquaginta annorum spatio constat. Sed sæculum non semper determinatum tempus significat, sed incertum, & indeterminatum. Vide quæ diximus suprà cap. 1. vers. 22.

Ioseph. 1. Reg. 1. 22.

Histor. August. 5 *Posuit filios suos iudices Israel.* August. in Psalm. 98. tom. 8. Samuël & ipse sanctus senex mortuus est relictis filiis successoribus.

Tropol. Greg. *Sancti interdum falluntur.* 6 *Posuit filios suos iudices.* Gregor. lib. 4. Variar. Expositi. cap. 1. Ecce qui prophetiæ spiritu plenus fuerat, is quos iudices Israeli ponebat, quia post auaritiam postmodum declinare debebant, & munera accipere, & peruertere iudicium, non cognouit. Quid ergo mirum si falli in disponendis ordinibus possunt, qui prophetiæ gratiam non accipiunt: Si ij, qui prophetiæ spiritum habent, eundem spiritum ad disponenda cuncta non habent. Quis autem de tanto viro dubitet, quia si futurum peruersitatem filiorum cognosceret, eos vtique forensibus honoribus non præferret? Qui ergo reprobos scienter prouehunt, hoc profectò exemplo sibi blandiri nequaquam possunt.

Tropol. Idem. *Qui iudices constituendi* 7 *Posuit filios suos iudices Israel.* Idem ibidem. Aptè ij, qui iudices Israeli à Samuele positi sunt, cùm ponerentur, eius filij dicebantur, vt ex eo non solùm per carnem credantur geniti, sed etiam conuersationis eius splendoribus adornati.

Histor. Ioseph. 8 *Posuit filios suos iudices Israel.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 3. Deinde senio grauante, vt consuetis muniis sufficere non posset, filiis suis

suis principatum, & curam reipublicæ tradidit.

HISTOR. Interl. 9 *Posuit filios suos iudices Israel.* Anselm. Laudunens. in Interlin. Quia ætate, & curis grauatus solemnia celebrare non poterat.

LITERAL. Lira. 10 *Posuit filios suos iudices Israël.* Liran. ibi. Descripta superiùs malitia filiorum Heli, hîc consequenter describitur malitia filiorum Samuëlis, quia vtraque fuit occasio, vt terminaretur regimen per iudices, & Reges instituerentur.

LITERAL. Idem. 11 *Posuit filios suos iudices Israel.* Idem ibidem. Quia non poterat ita commodè per loca ad iudicandum discurrere. Credens eos fore suæ iustitiæ imitatores.

LITERAL. Abul. 12 *Posuit filios iudices Israël.* Abul. quæst. 22. Duos enim filios habebat, & ambos iudices constituit, vt meliùs expedire possent iudicia, quamquam ipse solus tempore suo iudex fuerat.

LITERAL. Idem. 13 *Posuit filios suos iudices Israel.* Idem ibidem. quæst. 3. Samuël constituerat filios suos iudices, non quasi totaliter ipse principatu cessisset, sed quia subdelegauerat filios suos.

TROPOL. Carthus. *Præbenda quibus danda.* 14 *Posuit filios suos iudices Israel.* Carthus. ibi. Hoc sanctus Samuël non fecit carnali affectu, sicut nunc multi promouent suos cognatos, ne dicam & filios ad præbendas, & Ecclesiasticas dignitates: sed quoniam iudicauit eos ad iudiciale officium verè dignos.

TROPOL. Idem. *Honores mutant mores.* 15 *Posuit filios suos iudices Israel.* Idem ibidem. Forsan tunc digni erant, quamuis post suam promotionem corrupti sunt corde, quemadmodum Saül. Principatus quidem ostendit virum, & honores mutant in multis mores.

LITERAL. Mend. *Samuel an semper Iudex.* 26 *Posuit filios suos iudices Israel.* Franc. Mendoza ibi. §. 12. Difficultas est, vtrùm Samuël posuerit filios suos supremos iudices, an tantùm delegatos, & subdelegatos sibi? Dico Samuëlem suis filiis potestatem tantum delegatam commisisse. Probatur, quia Samuël iudicauit Israël cunctis diebus vitæ suæ, vt patet ex præcedenti capite vers. 15. saltem vsque ad creationem Saülis: ergo filij solam delegatam potestatem habere potuerunt. 2. Quia filij Samuelis nunquam numerantur inter iudices Israël, sed potiùs Samuël eorum vltimus vbique assignatur.

LITERAL. Idem. *Cur Samuel filios præfecerit.* 17 *Posuit filios suos iudices Israel.* Idem ibidem. §. 17. Si quæras cur Samuël potiùs filios, quàm alios homines reipublicæ præfecerit? Dixerim, vel quia meliores non inuenit, vel quia existimauit eorum autoritatem plus apud Hebræos valituram, saltem propter reuerentiam patris, qui de illa republica optimè merebatur.

VERSVS II.

Vulgata. *Vulgata.* Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel, & nomen secundi Abia, iudicum in Bersabee.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et fuit nomen filij eius primogeniti Ioel, & nomen secundi eius Abiiah, iudices in Beersebah.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Fuitque nomen primogeniti filij sui Ioel, & nomen secundi Abia: hi erant iudices in Beer-seba.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Arias. in Regia.* Et fuit nomen filij eius primogeniti Ioel, & nomen secundi eius Abia iudices in Beera de Sabagh.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et hæc nomina filiorum eius. Primogenitus Ioel, & nomen secundi Abia iudices in Bersabee. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtiana. Et hæc nomina filiorum eius. Primogenitus Ioel, & nomen secundi Abia, iudices in Bersabee. Sixtian.

PP. ET AVCTORES.

1 *Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel, &c.* Gregor. lib. 4. Variar. Expositionum cap. 1. Eorum nomina cautè assignantur, vt ex titulo nominis illa, quæ tunc eis inerat, cognoscatur forma virtutis. MORAL. Gregor.

2 *Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel, &c.* Hieron. vel potiùs Autor Tradit. Hebraic. in Paralip. lib. 1. cap. 6. Sciendum sanè quia crebræ appellationes personarum, & immutationes nominum, & repetitiones ad magnum mysterium pertinent. Filius Samuël, qui in Reg. Iohel nominatur, in Paralip. Vatteni scribitur, quia Abia filius Samuëlis in iudicem constitutus munerum acceptor erat, & quia iste Iohel, qui & Vatteni sciebat hoc, & non corripiebat eum, ideo dicuntur vtrique fecisse. In hoc verò loco demonstrat eum separatum à fratre suo, quia acceptor munerum erat. LITERAL. MORAL. Hieron.

3 *Fuitque nomen filij eius primogeniti, &c.* Beda lib. 2. Expos. Allegor. cap. 1. Illi iuxta nomen suum incipientes quidem, sed non perseuerantes vsque in finem, vt salui fierent, & quondam ad Deum pertinentes, Patrumque populi vocabulo digni existentes, nunc in contrario mutati, suas traditiones, & scelera legi pariter, & gratiæ prætulêre. TROPOL. Beda. *Filij Samuelis leues.*

4 *Fuitque nomen filij eius primogeniti, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 3. Seniori Iohel, iuniori Abia nomen erat, mandauitque vt alter in Bethelis, alter in Bersabe ius diceret, partito populo, & sua cuique iudici parte attributa. HISTOR. Ioseph.

5 *Fuitque nomen filij eius primogeniti, &c.* Interl. ibi. Ioel, incipiens, vel fuit Deus. MYSTIC. Interl.

6 *Fuitque nomen filij eius primogeniti, &c.* Abul. ibi. quæst. 2. Istos duos solùm habuisse legitur, & ambos iudices ordinauit. LITERAL. Abul.

7 *Fuitque nomen filij eius primogeniti, &c.* Mendoza §. 1. Filius primogenitus Samuelis dicitur hic Ioel, sed 1. Paralip. 6. 28. dicitur Valleni. Licet enim Regia, & Complutensis ibi retineant nomen Ioel, tamen in Hebræo, & Latina nouissimè correcta, ponitur Valleni. Vnde patet primogenitum Samuelis fuisse binominem, nec sine mysterio, vt Diuus Hieron. in Quæst. Hebraic. ad eum locum Paralip. testatur. LITERAL. Mendoza. 1. Paralip. c. 28. Hieron.

8 *Et nomen secundi Abia.* Rabban. Maurus. in Gloss. Abia, pater Domini, vel pater fuit. Benè ergo qui in inchoata iustitia non permanserunt, & paternitatem Domini neglexerunt, fuit Deus, vel pater fuit, nominati sunt, vt significentur Paternitate Dei indigni. MORAL. Rabban.

9 *Iudicum in Bersabee.* Isidor. Clarius in Scholiis. Per hoc innuitur quòd non sicut pater eorum, circuierunt per loca, & decernebant iudicia, sed cogebant filios Israël cum magno eorum dispendio, venire ad locum mansionis eorum, hoc est in Bersabee, quæ fuit in vna extremitate terræ Israël, sicut Dan in altera extremitate. LITERAL. Clarius.

10 *Iudicum in Bersabee.* Comestor. in Histor. Schol. cap. 9. Cum senuisset Samuël, posuit filios HISTOR. Comest.

suos

suos Ioël, & Abiam : alterum in Bethel : alterum in Bersabee, vt ibi sedentes iudicarent populum.

Nauclerus. *Eadem verba habet* Nauclerus.

Literal. Abul. 11 *Iudicum in Bersabee.* Abul. ibid. quæst. 2. Id est isti ambo erant iudices in ciuitate in Bersabee. Est autem Bersabee quædam ciuitas in terra Chanaam, in latere meridiano, & est quasi in extremitate terræ illius ; ideò quando Scriptura vult ponere terminos terræ Chanaam, ponit Dan ; & Bersabee suprà cap. 3.

Literal. Idem. 12 *Iudicum in Bersabee.* Idem ibidem. In hoc fecit Samuël filios suos variare à moribus suis, quia ipse discurrebat quolibet anno iudicans Israël in Bethel Galgala & Masphath : ipsi autem stabant solùm in Bersabee.

Literal. Serari. 13 *Iudicum in Bersabee.* Nicolaus Serarius in Comment. Ætate prouectus Samuël, filios duos : vnum tantum in Iudææ parte Australi, & vnum in vrbe Bersabee iudices constituit ; non etiam Bethele vt ait Iosephus, ideóque alteram sibi Israëlitarum partem gubernandam retinuit, vel etiam vt ait Abulensis quæst. 9. eos infra se, iudices esse voluit, & quasi vicarios ; sicque cum iis semper iudicauit.

Iosephus.

Abul.

Author Caten. Comest. Dionys. Naucler. Vulg. Hebræ. Chaldæus. Græcus. Mendoza. 14 *Iudicum in Bersabee.* Author Catenæ. Iosephus, cuius errorem sequuti sunt Comestor, Dionysius, Nauclerus, & alij ; non vtrumque filium in Bersabee ; sed alterum in Bethel (vel vt alia editio habet Bethlehem) alterum in Bersabee constitutos refert. Cùm verò Vulgatus, Hebræus, Chaldæus, & Græcus in Bersabee præfuisse affirment, cui potiùs adhibenda fides ? Vnde miror Mendozam nostrum in excogitandis concordiis in cassum laborare. Inuehitur deinde in desides, & delicioſos iudices, qui vt loci illius amœnitatibus oblectarentur, longum litigantibus iter, molestiam, expensasque imponebant. Non assentior, nam si in eo reprehensione digni erant, reprehendendus potiùs pater esset, qui eos in tam distanti, & voluptuoso loco, vel collocauit, vt ait Abulensis quæst. 2. vel consistere passus fuit, cùm tanquam filios, & subditos eò loci extrahere, & corrigere debuisset.

Abul.

VERSVS III.

Vulgata. *Vulgata.* Et non ambulauerunt filij illius in viis eius : Sed declinauerunt post auaritiam, acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et non ambulauerunt filij eius in viis illius : sed declinauerunt post auaritiam, acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.

Vatab. *Hebraïc. ex Franc. Vatab.* Nec incesserunt in viis eius, sed declinarunt post auaritiam, accipientes munus, & peruertentes iudicium.

Ariasm. *Chaldaicæx Benedicto Ariasm. in Regia.* Et non ambulauerunt filij eius in via illius, & respexerunt post mammon falsitatis, & acceperunt munus, & declinauerunt iudicium.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et non ambulauerunt filij eius in via eius, & declinauerunt post vtilitatem, & acceperunt munera, & peruerterunt iudicia.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et non ambulauerunt filij eius in via eius, & declinauerunt post consummationem, & accipiebant dona, & peruertebant iustificationes.

Flamin. *Flaminij Nobilius in Schol. Sixtian.* Post consummationem. Et valet hoc loco vtilitatem propriam, quæ est pestis Reipublicæ.

Simmach. *Simmachus:* sed declinauerunt sequentes auaritiam.

Aquila. Theodot. *Aquila, & Theodot.* & declinauerunt post auaritiam.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Hieron. 1 *ET non ambulauerunt filij illius in viis eius.* Hieronymus lib. 1. contra Iouinian. tom. 2. Re vera magnos fructus ex liberis Samuël cepit, vt quia ipse placuit Deo tales genuit qui Deo displicerent.

Moral. Idem. 2 *Et non ambulauerunt filij illius in viis eius.* Idem ibidem circa finem. Hæredem desiderabit hominem cohæres Christi, & optabit liberos, nepotúmque serie delectabitur ; quos forsitan sit occupaturus Antichristus, cùm legamus Moysem, & Samuëlem filiis suis alios prætulisse, nec putasse liberos, quos videbant, Domino displicere ?

Tropol. Idem. Ezech. 18. 3 *Et non ambulauerunt filij illius, &c.* Idem. Epist. 48. Sabinian. Fortè blandiris tibi quod à tali Episcopo ordinatus es. Iam superiùs dixi nec patrem pro filio, nec filium pro patre puniri ? *Anima* enim *quæ peccauerit, ipsa morietur.* Ezech. 18. & Samuël habuit filios, qui recessérunt à timore Domini, & abierunt post auaritiam, & iniquitatem : Et Heli sacerdos sanctus fuit, sed habuit filios, qui fornicabantur cum mulieribus in Tabernaculo Dei, & in similitudinem tui impudenter sibi Dei ministerium vindicabant.

Tropol. Hieron. Prou. 20. 4 *Et non ambulauerunt, &c.* Idem Prouerb. 20. Vers. 7. *Iustus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios relinquit.* Prou. 20. Non hoc secundùm litteram, semper stare potest ; nam & Beatus Samuël vir iustus, ac simplex dissimiles sui filios relinquit, & Acaz iniustus, ac reprobus beatum post se filium reliquit Ezechiam.

Tropol. Hieron. Isaiæ. 65. 5 *Et non ambulauerunt, &c.* Idem Isaiæ 65. Vers. 23. Quomodo Samuël vir beatus, & iustus filios pessimos genuit, qui non ambulauerunt per viam patris ; & Dauid, de cuius Christus natus est semine, duos filios genuit Ammon, & Absalon, quorum alter fratris, alter patris extitit parricida ?

Tropol. Chrysost. *Nobilitas Parentum quid ?* Luc. 3. 6 *Et non ambulauerunt, &c.* Chrysost. hom. 9. in Matt. tom. 2. Ioannes ad se venientibus dicebat : *Ne velitis dicere, quia patrem habemus Abraham.* Luc. 3. Et iterùm Paulus : *Non enim omnes, qui ex Israel hi sunt Israelitæ ; neque qui filij carnis, hi filij Dei.* Quid enim filios Samuëlis nobilitas iuuit parentis, cuius non fuerunt virtutis hæredes ?

Literal. Gregor. 7 *Et non ambulauerunt filij, &c.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. 1. De illis, qui post acceptam dignitatem declinasse ad auaritiam dicuntur, apertè ostenditur, quia antequam eiusdem dignitatis culmen attingerent, in eis futuræ prauitatis signa nulla videbantur.

Moral. Ioseph. *Filij mali ex bonis parente.* 8 *Et non ambulauerunt filij, &c.* Iosephus lib. 6 Antiquitat. cap. 3. In his manifestum exemplum exhibitum est, non semper patribus similes nasci filios, sed interdum ex malis bonos, sicut tunc contra ex bono mali prognati sunt. Relictis enim parernis institutis diuersissimam viam ingressi, moribus corrupti, iustitiam deptimebant, & in iudicando non tam veritatis, quam lucri respectum habebant, solutíque in luxum ad delicias, tum Dei voluntatem, tum Patris contemnebant, cui nihil magis erat cordi, quàm vt in populo iustitia vigeret quammaximè.

LITERAL. MORAL. Theodor. *Quare Samuelis filios punierit*

9 *Et non ambulauerunt filij, &c.* Theodor. ibi. quæst. 16. Samuel non fuit pœnas propter scelera filiorum, sicut Heli. Isti in homines iniurioſi, illi in Deum impij fuerunt. Neque enim illi violauerunt matrimonia, nec libidinibus iniuria fecerunt diuinum Tabernaculum: neque ventri suo dabant primitias hostiarum euerso ordine sacrificiorum. Eos autem solùm accusat, quòd corrumperentur muneribus, Neque hoc sciebat Prophetæ; habitabat enim Ramathaim, illi vero Bersabee. *Eadem habet* Procopius.

Procop.

LITERAL. Glossa.

10 *Et non ambulauerunt filij, &c.* Gloss. Ordin. ibi. Quia pro munere opprimebant iustitiam ad epulas, pretiosaque conuiuia declinantes.

HISTOR. Zonaras.

11 *Et non ambulauerunt filij eius in viis eius.* Io. Zonaras. tom. 2. Annal. Morem patris non sequuti ad largitionum corruptelas defluxerunt, & ius atque æquum venale habuerunt.

LITERAL. Abul.

12 *Et non ambulauerunt filij, &c.* Abul. ibi. quæst. 2. Potest dupliciter intelligi littera: vno modo de viis materialibus; scilicet quòd non circuibant filij Samuelis Israël singulis annis iudicantes in tribus locis, sicut pater eorum, in quo nimis gaudebant Israelitæ, cùm ipsi releuarentur à magnitudine expensarum Samuele discurrente per terram. Nunc autem filiis eius existentibus in vno loco, compellebantur venire litigantes ex longinquis partibus, & fatigabantur expensis, vnde ex hoc poterant isti iuuenes non placere populo. Alio modo intelligitur, quòd non ambulauerunt in viis patris, ideſt non secuti sunt mores illius, nam ipse iudicauit Israëlem iustè, & à nullo vnquam accepit munera, nec quicquam per calumniam aut violenter extorsit infrà c. 12.

HISTOR. Sabellic.

13 *Et non ambulauerunt filij, &c.* Marc. Anton. Sabellic. Eneade 1. lib. 7. tom. 1. Filij diuersam à patre viam ingressi non solùm iudicia venditabant, sed suam quoque libidinem ab aliena pudicitia parùm custodiebant. Ea districtus iniuria populus haud iniucues apertè criminari; ne patris aures offenderet viri summa pietate, & innocentia. Cæterùm in eo silentio nemo erat, qui non nouam optaret reguminis formam. Conferentibus igitur inter se consilia Hebræorum Principibus eò est decursum, vt creandi Regis mentio inferretur penes quem esset pacis, & armorum potestas.

TROPOL. Marian.

14 *Et non ambulauerunt filij, &c.* Ioann. Mariana in Schol. Quam facile degenerant filij. Vide filios Heli & Samuelis. Periculosa hæreditas in principatu, vbi virtutes non sunt hæreditariæ. Verum alius commodis id compensatur.

LITERAL. Mendoz. *Samuel immunis culpa.*

15 *Et non ambulauerunt filij, &c.* Francis. Mendoza ibi. §. 1. Vlteriùs mihi videtur hoc loco Samuel tacitè excusari à peccatis filiorum, nequis putaret Samuelis ignauia eius filios deliquisse, quemadmodum ignauia Sacerdotis Heli eius filij deliquerunt. Nam cùm inter vias Samuelis, & filiorum eius quædam fiat hoc loco comparatio, seu potiùs oppositio, & viæ filiorum dicantur ad iniquitatem deflexisse, manifestè colliguntur viæ parentis semper ad pietatem spectasse. Vnde vlteriùs patet non erasse filios propter negligentiam parentis, qui à via sanctitatis nunquam aberrauerat.

MORAL. Tirinus. *Filij degenerant.*

16 *Et non ambulauerunt filij.* Tirin. in Sua Bibl. Timebant, credo, ne in se vnis verum non esset veus prouerbium *Ctereum filij noxa*, quo significatur magnorum parentum filios, valdè ab illorum moribus, vt plurimùm degenerare, seque *indignos* præstare; vt asebat Demosthenes, qui ex illustri stirpe procreentur; quod Ælius Spartianus dicebat in Seuero. *Melius parentibus fuisset de rebus humanis sine posteritate discedere.*

Demost. Spartian.

17 *Et non ambulauerunt filij, &c.* Petrus Vermil. in Comment. Videri possit speciosum Samuelis consilium; at mihi certè non videtur. Sanctus quidem fuit; at fuit homo. Propheta fuit; at labi potuit, & alij sanctissimi viri lapsi sunt Aaron, Dauid, Petrus, & alij. Hoc autem est, quod in eius facto debeat reprehendi: in tanta re non legitur Dominum consuluisse, aut ab eo oraculum accepisse. Credibile autem non est, non audisse illum de nequitia filiorum. Immò audierat ex Senatoribus; nec tamen respondit se velle causam cognoscere, aut illis abdicare magistratum. Et fortè, vt erat homo, ambitione aliqua tangebatur, vt magistratum in sua familia retineret.

LITERAL. Vermil. *Impia Vermily censura.*

18 *Et non ambulauerunt filij, &c.* Author Catenæ. Scripturæ phrasis est, vt dissimilem viuendi normam habuisse credantur. 4. Reg. 16. 3. ibidem 21. 21. ibidem 22. 2. Vnde non est locus interpretationi Abulensis, qui de materialibus filiorum Samuelis viis, hoc est, quòd quieti domi sui erant, nec Israelem circuibant, accipi posse crediderat.

LITERAL. Author Catenæ. 4 Reg 16. 3. Abul.

19 *Et non ambulauerunt filij, &c.* Idem Nullus, vt video, Interpretum, aut Patrum Samueli filiorum malitiam culpæ adscribit. Ratio vnica est, quia eorum crimina prorsùs ignorauit, non audente populo, vt ait Sabellicus, tam deformia crimina piis Patris auribus inferere. Aliqualis huius ignorantiæ ratio erat locorum distantia, quæ licèt exigua esset, vt ait Adricominus, sufficiens tamen videtur, vt aliquandiu iniquorum filiorum licentia patrem latuerit, quod quidem temporis spatium breue admodùm fuit, neque, vt credo, annum integrum compleuit, nam ante hanc filiorum in iudices creationem anni iam viginti excurrerant, vt sæpè probatum est, postea verò vsque ad mortem Samuelis decem, & octo anni communiter numerantur; cùm ergo Samuel tantum trigesimum & octauum annum in præfectura expleuerit, nondum annus relinquitur gubernationi filiorum.

LITERAL. Author Catenæ. Sabellic. *Samuel à filiorum culpis liber.* Adricom.

20 *Sed declinauerunt post auaritiam.* Hieron. In cap. 1. Epist. ad Titum. Samuel quoque qui talis fuit, vt inuocaret Dominum, & Dominus exaudiret eum, & in tempore messis pluuiam hyemis impetraret, habuit filios, qui declinarent post auaritiam, & accipiebant munera, & tam iniqui iudices extiterunt, vt populus nequaquam ferens, Regem sibi in similitudinem cæterarum gentium postularet.

MORAL. Hier. *Filij mali ex bono patre.*

21 *Sed declinauerunt post auaritiam.* Gregor. suprà. Steterunt subditi, sed in culmine prælationis positi Prophetæ filij ceciderunt; vt si nobis sub cura maiorum positis indefinens sanctæ vitæ studium, aut securitas magnæ conuersationis arrideat, præesse tamen aliis non habeamus in appetitu desiderij, sed in magnitudine timoris. Sed carnales quique dum sola visibilia attendunt, spiritualem Sanctorum conuersationem cognoscere non merentur. Pastorum quidem Sanctæ Ecclesiæ culmen aspiciunt, sed cogitare nescium, quàm inuiti illi intus decorem tollerent, quem in splendore culminis foris tenent, quod sublimitatem honoris in oppressionem magni sustinent oneris, quòd magno desiderio fugiunt, quod exteriori ministerio prosequuntur.

TROPOL. Greg. *Prælationis pericula.*

22 *Sed declinauerunt post auaritiam.* Anselm. in cap. 3. Epist. 1. ad Timoth. *Non litigiosum, non cupidum*, quia cito deuiaret à iusto propter cupiditatem munerum,

MORAL. Anselm. *Sacerdos ne auarus.*

munerum, sicut filij Samuëlis; auaritiam enim, vel cupiditatem esse vitandam Sacerdoti, & ipse Samuël exemplo suo docet, nihil se cuiquam rapuisse coram populo probans.

Literal. Caiet.

23 *Sed declinauerunt post auaritiam.* Caiet. ibi. Peccatum filiorum Samuëlis circa iudicium describitur rectissimo ordine triplex: videlicet interna rerum: exterior acceptio munerum; & vtriusque effectus, iniustum iudicium.

Morale. Rangol. *Auaritia iudicum pessima.* Iustinian.

24 *Sed declinauerunt post auaritiam.* Claud. Rangol. in Comment. Nunquam hoc monstrum sæuius grassatur, aut maiores tragœdias excitat, quàm vbi iudicum pectus occupauit. Quod Iustinianum Imperatorem nequaquá latuit: Is enim in Authent. Nouella 8. ad hunc modum præfatus est. *Est quoque hoc sacrorum eloquiorum mirabile & verum, quòd auaritia omnium sit mater malorum: maximè quando non priuatorum, sed iudicum inhaeret animabus. Quis enim sine periculo non furetur? Quis non latrocinabitur sine reatu ad administratorem respiciens? Illum namque videns omnia auro vendentem, & præsumens, quia quidquid egerit illicitum, hoc pecuniis dando redimet: hinc homicidium, & adulterium, & inuasiones, & vulnera, & raptus Virginum, & commerciorum confusio, & contemptus legum & iudicum, omnibus hac venalia proposita esse putantibus, tanquam aliquod vilium mancipiorum. Sed neque sufficimus considerare, & exponere, quanta ex furto prouincialium iudicum fiunt pessima: nullo eos præsumente cum fiducia redarguere, cùm illi repentè se emisse cingula à pronuncient.*

Literal. Author Catenæ. Hieron. Rabbi Dauid. Ambros. Tertullian. Origen. Cantap. Matt. 27. 44. Luc 23. *An vterque frater iniquus.*

25 *Sed declinauerunt post auaritiam.* Author Catenæ. Hebræi apud Authorem Tradit. Hebraïcar. 1. Paralipom. 6. vnum Abiam natu maiorem auaritiæ inseruiisse affirmant. Quibus si opponas textum in plurali numero vtriusque nequitiam reprehendere: respondent, vt versu antecedenti retulimus Ioël ex eo quòd fratrem non correxerit, malitiæ ipsius consortem appellari. Respondere possunt secundo. Frequenter pluralem numerum pro singulari in Scripturis vsurpari, vt ait Rabbi Dauid in cap. 1. Ionæ. Ambrosius, Luc. 23. Tertullianus lib. de Resurrectione Carn. Origen. Tract. 26. in Matt. & pluribus exemplis probat Cantapetrensis lib. 6. Hypotyp. cap. 1. Simillimum est duorum illorum latronum, qui Christo Domino confixi *improperabant ei.* Matt. 27. 44. Lucas verò cap. 23. ab vno tantùm refert conuitiis fuisse petitum. *Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum.*

Tropol. Damian. *Acceptio munerum periculosa.*

26 *Acceperuntque munera.* Petrus Damianus Epist. 23. in lib. 2. Filij Samuëlis nullum aliud crimen habuisse leguntur, nisi quia munera dilexerunt; & quia paternæ munditiæ non sequebantur exemplum; irrecuperabiliter amiserunt plebis Israëliticæ principatum. Et notandum, quia cùm de illis Scriptura dicit: *Declinauerunt post auaritiam; acceperunt munera:* protinùs intulit: *Peruerterunt iudicium.* Vicinum quippe est, atque contiguum, vt post munus acceptum, peruertatur etiam corrupto censore, iudicium.

Literal. Lira.

27 *Acceperúntque munera.* Liran. ibi. Dupliciter peccauerunt, scilicet accipiendo munera pro iudicio, quod non est licitum; licèt pro labore iusto, & bono, iudices possint accipere stipendia ad victum decentem, & honestum. Secundo quia propter munera declinauerunt à iustitia reddendo iudicium peruersum.

Morale. Abul.

28 *Acceperúntque munera.* Abul. ibi. quæst. 2. Ille, à quo iudex munera recipit, audacior sit ad quæcumque litigia, & ad calumniandum, expectans venalem sententiam.

Morale. Author Catenæ. Herod. Gratian. Valentin. Theodos. Nouella. *Cupidorum iudicum pœna.*

29 *Acceperúntque munera.* Author Catenæ. Duodecim Tabularum leges, iudicem munera accipientem capitis damnabant, vtque est apud Herodotum lib. 5. Gratianus, Valentinian. ac Theodosius lege cauerant huiusmodi iudices à dignitate, & à nobilitatis titulis deiici. Eadémque de causa statuitur Nouella 124. cap. 1. vt litigans iureiurando affirmet nihil se iudici donorum impertitum fuisse. Decantatur quoque omnium ôre Cambyses Persarum Rex, qui abstracta ab Otano cupidissimo iudice pelle, tribunalis sellam ex ea amiciri iussit, & occisi iudicis filium patri in munere succedentem, acerrimè monuit vt loci, cui insideret, rationem haberet.

Morale. Lira. *Ex malis boni.*

30 *Et peruerterunt iudicium.* Lira. in Morali. Per filios Samuëlis propter munera iudicium peruertentes ostenditur, quod aliquando de bonis, & sanctis viris nascuntur peruersi, sicut è contrario de peruersis iusti. De Açaz enim, & Manasse, qui fuerunt pessimi, nati fuerunt Ezechias, & Iosias, qui fuerunt optimi.

VERSVS IV.

Vulgata. *VVlgata.* Congregati ergo vniuersi maiores natu Israël, venerunt ad Samuëlem in Ramatha.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Congregati sunt autem omnes seniores Israel, & venerunt ad Samuël in Ramah.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Congregati sunt igitur cuncti seniores Israël, & accesserunt ad Samuëlem in Rhama.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et congregati sunt omnes seniores Israël, & venerunt ad Samuëlem ad Ramatha.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Et congregantur vniuersi Israël, & veniunt ad Samuël in Ramatham.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et congregantur viri Israël, & veniunt in Armathæm ad Samuël.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Congregati sunt omnes seniores Israël, & venerunt ad Samuëlem in Ramam.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Ioseph. 1 *CONgregati ergo vniuersi.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 4. alias 5. Populus autem videns Rempublicam cura, & diligentia Prophetæ optimè constitutam, labefactari per filiorum eius impotentiam, vehementer offensus, ad patrem concursum fecit, qui tunc habitabat in vrbe Ramatha.

Literal. Liran. 2 *Congregati ergo vniuersi.* Liran. ibidem. Hic consequenter describitur populi petitio de Rege habendo, cuius vna causa malitia filiorum Samuëlis, vt hic exprimitur.

Literal. Abul. 3 *Congregati ergo vniuersi.* Abul. ibid. quæst. 3. Isti venerunt ad Samuelem, vt non crederet Samuel, quod mouebantur ex aliqua leuitate iuuenili; sed quia status rei sic exigebat. Isti enim propter senectutem melius iudicant, quia prudentia, quæ est de particularibus, exigit magnam experientiam. Non est autem experientia sine temporis magnitudine. Ideò non est facilè iuuenes esse prudentes iuxta Aristotelem sexto

Ee Ethicor.

Ethicor. Dicitur, quod conuenerunt vniuersi, ad hoc quòd Samuel crederet istam esse intentionem totius populi; etiam vt plus eum honorarent, cùm multi venirent.

MORAL. Mendoza. 4 *Congregati ergo vniuersi.* Franciſc. Mendoza ibi §.1. *Furor ſit ſæpius laſa patientia,* & nimis oppreſſa ſubiectio ſit rebellio, vt ex hoc loco facilè innoteſcit; nam Hebræi qui diuturnas iniurias filiorum Samuelis hactenus pertulerant, tandem ferendo impares iugum excutiunt, & rebellionem meditantur.

LITERAL. Idem. 5 *Congregati ergo vniuersi.* Idem ibidem §.2. Dubitandum non eſt, antequam Samuëlem adirent, inter ſe congregatos deliberaſſe de remedio, quo tantis malis in populo graſſari cæptis obuiam iretur; nullúmque accòmodatius cenſuiſſe, quàm vt mutata politica adminiſtratione aliquis in Regem crearetur. Plures in hanc ſententiam rationes afferebant: vnam; præſentem gubernationem & ex Samuëlis ſenectute parum fructuoſam eſſe, & ex filiorum improbitate valde pernicioſam: Alteram; Regiam maieſtatem aptiorem eſſe, & ad tuendos ciues & ad repellendos hoſtes: Tertiam; non ex eo hoc regimen à populo Iſraëlitico alienum, cum
Deuter.17. Verſ.14. à Deo permiſſum ſit, Deuter. 17. Verſ. 14. Vbi populo Regem conſtituere volenti à Deo dicitur. *& cum conſtitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.*

LITERAL. Author Catenæ. Biclarenſ. Marian. Adrebald. Rangol. Sigon. 6 *Congregati ergo vniuerſi maiores.* Author Catenæ. Scilicet non tantum ſeniores ſed nobiliores, & proceres Iſraël; in qua ſignificatione nomen Senioris vſurpant plures, præcipuè Ioannes Abbas Biclarenſis poſt Gerundenſ. Epiſcop. apud Marianam noſtrum lib. 5. de Rebus Hiſpan. cap. 15. & Adrebaldus Autor Bibliothecæ Floriacenſis apud Rangolium in præſenti; quod nomen apud noſtrates Hiſpanos adhuc durat apud quos Senior redditur *Señor*, hoc eſt Dominus. Seniorum autem cum triplex eſſet ordo, ſi Carolo Sigonio fides lib. 6. de Republ. Hebræor. cap. 4. Qui colligitur ex Numer. 11. 17. & ex 1. Reg. 30. 26. & ex 4. Reg. 23. aliquos ex ſingulis ordinibus deputatos in publicos Oratores credendum eſt, vt publica totius populi vota, & conſilia ad Samuëlem perferrent. Præuiam vero eorum conſultationem elegantiſſimè deſcribit Salianus tom. 3. Annal. Ann. Mundi. 2962. n. 10.

Salian.

LITERAL. Abul. 7 *In Ramatha.* Abul. ibi. quæſt. 3. Erat enim locus habitationis eius in Ramatha, vt patet præcedenti capite. Nam etiam cùm iunior erat, & poterat per totam Iſrael diſcurrere ad iudicandum, ad vltimum redibat in domum ſuam Ramatha, & ibi manebat.

VERSVS V.

Vulgata. *Vulgata.* Dixerúntque ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos ſicut & vniuerſæ habent Nationes.

Bened. *Benedict. in margine.* Nunc igitur conſtitue nobis Regem.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et dixerunt ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in viis tuis: nunc conſtitue nobis Regem ad iudicandum nos, ſicut omnes Gentes.

Hebraïc. ex Franc. Vatab. Dixerúntque ad eum: En tu ſenuiſti, & filij tui non incedunt in viis tuis. Conſtitue igitur nobis Regem, qui nos iudicet iuxta morem omnium Gentium. Vatab.

Chaldaïc. ex Benedicto Ariaſm. in Regia. Et dixerunt ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulauerunt in via tua: nunc præfice nobis Regem ad iudicandum nos, ſicut omnes Gentes. Ariaſm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et dicunt ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in via tua; & nunc conſtitue ſuper nos Regem, vt iudicet nos, ſicut vniuerſæ Gentes. Complut. Regia.

Græc. ex Septuag. in Sixtia. Et dixerunt ei: Ecce tu ſenuiſti; & filij tui non ambulant in via tua; & nunc conſtitue ſuper nos Regem ad iudicandum nos, ſicut & cæteræ Gentes. Sixtia.

Philo, vel potius Autor Antiquitat. Biblicar. Et filij tui non ambulant in viis Domini. Philo.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. MORAL. Mend. 1 *Ecce tu ſenuiſti*: Franciſ. Mendoza. ibi. §. 2. Hæc ratio ad ignominiam, & contemptum Samuëlis ſpectabat: Nam eius ætas non erat adeo decrepita, vt non poſſet & filiis, & Reipublicæ prouidere, vt patet ex rebus, quas poſtea, viuente Saüle, ſtrenuè peregit, niſi improbi homines contineta faſtidirent, & nouis ſemper ſtuderent.

LITERAL. Mendoza. 2 *Et filij tui non ambulant in viis tuis.* Idem ibidem §. 5. Accuſaturi filios non modò non accuſauerunt, ſed etiam laudauerunt patrem, quaſi dicerent: Viæ tuæ redolent ſanctitatem, quam filij tui procul ex animis eiecerunt, dum à viis tuis declinauerunt; acti filios reprehendere non auderent, niſi priùs parentem commendarent, vt ſi filiorum culpis parentis animus ægreſceret, propiis laudibus leniretur.

HISTOR. Cedren. 3 *Et filij tui non ambulant in viis tuis.* Georg. Cedrenus in Annal. Vniuerſus populus ad Samuëlem conſluit; cúmque ſic appellauerunt. Quandoquidé filij tui Ioellus & Abias tuis veſtigiis nõ inſiſtunt, ſed in iudicando corrumpi ſed omis patiũtur; agedũ, Regem nobis conſtitue, qui nobis ſit iudex.

HISTOR. Hieron. 4 *Conſtitue nobis Regem.* Hieron. in c. 2. Epiſt. ad Titum tom. 9. Samuel quoque qui talis fuit, vt inuocaret Dominum, & Dominus exaudiret eum, & in tempore meſſis pluuiam hyemis impetraret, habuit filios, qui declinauerunt poſt auaritiam, & accipiebant munera, & tam iniqui iudices extiterunt, vt populus nequaquam ferens, Regem, ſibi in ſimilitudinem cæterarum gentium poſtularet. Ergo ſi electio Sacerdotum fieret, & Iſaac propter Eſau, & Samuel propter filios ſuos indigni ſacerdotio putarentur. *Eadem habet* Iſidorus *in Quæſtionib.* Iſidor.

HISTOR. Cyrillus. 4 *Conſtitue nobis Regem.* Cyrillus Alexandrin. Hom. 17. de Feſtis Paſchalib. tom. 3. nuper excuſo. Regnauit in Iſraëlitas vniuerſorum Deus per Sanctos Prophetas. Delectus porro ad id primus omnium Beatus Moyſes, tùm alij deinceps. Cùm verò Rempublicam Sanctus Samuel moderaretur, ad inſanam dementiam Iſraëlitæ lapſi regnique formam ſub auſpice Deo, neſcioquomodo faſtidientes his verbis Samuëlem adorti ſunt: *Ecce tu ſenuiſti, &c.*

HISTOR. Clement. Roman. 6 *Conſtitue nobis Regem.* Clemens Roman. lib. 1. Recognit. Vbi Iſraëlitæ tyrannos ſibi magis quæſiuêre quàm Reges, tunc etiam in loco, qui eis orationis cauſa fuerat deſtinatus Templum, pro

ambitio

ambitione Regiam construxère, & sic per ordinem Regibus impiis sibi inuicem succedentibus ad maiores impietates populus declinauit.

HISTOR. Athanas. 7 *Constitue nobis Regem.* Athanasius in Synopsi. Digesta sunt in primo libro ista ; mors Heli Sacerdotis, ac filiorum ipsius. Natiuitas Samuelis & quomodo populus hactenus à Deo gubernatus, qui singulis temporibus liberatorem ipsis excitauerat; Regem sibi secundum morem gentium à Samuele petierit.

LITERAL. Greg. 8 *Constitue nobis Regem.* Gregor. lib.4. Variar. cap. 1. His, qui viuebant sub spirituali regimine Regem petere, quid aliud est, quàm eandem spiritualem prælationem in sæcularem dominationem transferri gestire ?

HISTOR. Seuer. 9 *Constitue nobis Regem.* Seuerus Sulpit. lib.1. Sacræ Histor. tom. 5. Bibliothe. Hostili metu remoto, secundis tranquillisque rebus, corruptis consiliis more vulgi, cui præsentia fastidio, insueta desiderio sunt, Regium nomen (cunctis ferè liberis gentibus semper inuisum) populus desiderabat, planeque non sine exemplo amentiæ præoptabat libertatem seruitio mutare. Igitur frequentes Samuëlem circumsistunt, vt quia iam ipse senuisset, Regem eis constitueret.

LITERAL. Ioseph. 10 *Constitue nobis Regem.* Iosephus lib.6. Antiquitat. cap. 4. aliàs 3. Commemoratis filiorum iniquitatibus, quod quia ipse iam senio debilis, more solito præesse administrationi rerum non posset, obnixè precabatur, vt Regem aliquem declararet, qui toti gentium imperio præesset, & à Palæstinis illatæ toties iniuriæ pœnas debitas exigat.

HISTOR. Rabbi Neherai. Genebrar. Theodor. 11 *Constitue nobis Regem.* Rabbi Neherai apud Genebrardum. Decimo anno principatus Samuëlis Regem Israëlitæ postularunt.

12 *Constitue nobis Regem.* Theodor. ibid. q.17. Regis petitio legi diuinæ repugnat, Deus enim & Domini & Regis loco erat: Propheta autem administer, & veluti Præfectus, aut Dux, & Imperator.

LITERAL. Rupert. 13 *Constitue nobis Regem.* Rupert. lib.6. Comm. in Oseam ad cap. 13. vers. 6. Terram optimam in possessionem acceperunt, cuius fructibus adimpleti, & diuites facti sunt elati in superbiam, Regem sibi petierunt, nolentes audire vocem Domini, & Samuelis.

LITERAL. Rupert. 14 *Constitue nobis Regem.* Idem lib.4. Comment. in Oseam tom. 1. *Ibi nolo lætari Israel.* Notum est, quia lætari & exultare voluit Israël, sicut populi, & hoc peccatum eius manifestum est, vt inferius id Propheta dicit *ex diebus Gabaa*, id est ex diebus Saül, qui fuit de Gabaa; tunc enim Israël hoc ipsum, quod vellet lætari, & exultare, sicut populi manifestauit Samuëli, his verbis : *Ecce tu senuisti*, &c.

LITERAL. Lira. 15 *Constitue nobis Regem.* Lira ibid. Cuius vna causa fuit malitia filiorum Samuelis. Alia fuit, quia audierant Naas Regem filium Ammon disponentem exercitum ad veniendum contra eos, & ideo volebant habere Regem Capitaneum sui exercitus contra eum.

MORAL. Idem. 16 *Constitue nobis Regem.* Idem in Morali. Ex quo patet, quòd propter malitiam regentium commouetur aliquando populus ad petendum, vel faciendum aliquid, quod cedit in malum. Quia enim hæc populi petitio fuerit culpabilis patet ex eo, quod habetur infrà, cap. 12. vers. 17.

MYSTIC. Angelom. *Saluator postposuit Barrabbe.* 17 *Constitue nobis Regem.* Angelom. in Stromath. Quid significabat, quod seniores Israël reprobato Samuele Propheta Regem sibi petierunt, nisi hoc, quod in aduentu Saluatoris impletum esse cognoscimus ; quando Scribæ, & Pharisæi repulso Domino IESV Christo vero Sacerdote, peccati sibi regem elegerunt clamantes *non habemus regem nisi Cæsarem.* Ioan. 19. Vnde Samuël qui interpretatur *nomen eius*, reprobatus à Senioribus Israël, Dominum ac Redemptorem significat : Saül verò (qui dicitur *petitus*, seu *petitio*, eo quòd à populo postulatus legitur, Barrabbas intelligitur, quem dimitti sibi petierunt.

18 *Constitue nobis Regem.* Abulensis ibidem. quæst. 4. Ista causa, scilicet iniquitas filiorum Samuëlis, non fuit, quæ impulit Israëlitas petere Regem; sed ipsi desiderabant nimis habere Regem, & nunc habita occasione, petierunt ; & sic iniquitas ista non fuit causa, sed occasio. Causa autem erat, quia videbatur eis indecorum esse, quod cùm ipsi essent magnus populus, non haberent Regem; putabant enim magnum esse honorem populi. LITERAL. Abul.

19 *Constitue nobis Regem.* Idem ibidem. quæst. 9. Perebant primò, quòd castigaret filios suos, ne iniustè iudicarent, sicut hactenus fecerant ; & cùm ipsi essent incorrigibiles, vel Samuël non curaret eos auertere à malo, possent hoc petere, quòd fieret ei Rex ; ita enim fecit Deus quantum ad Heli Sacerdotem prædecessorem Samuëlis. LITERAL. Idem.

20 *Constitue nobis Regem.* Idem ibidem. quæst. 7. Peccauerunt Israelitæ petendo Regem, & fuit peccatum principaliter, quia restiterunt diuinæ ordinationi, cum Deus vellet, quòd ipse solus esset Rex. LITERAL. Idem.

21 *Constitue nobis Regem.* Anton. 1. part. Histor. tit. 8. cap. 6. Ex hoc populus scandalizatus petiit à Samuele Regem instituì super eos. HISTOR. Antonin.

22 *Constitue nobis Regem.* Genebr. lib. 1. Chronographiæ ann. Mund. 3066. In Samuele desiit illa Reipublicæ forma, in qua non successione, aut creatione legebatur principatus, sed Dei voce, & autoritate, quæ certis argumentis innotescebat. HISTOR. Genebrar.

23 *Constitue nobis Regem.* Carth. ibi. Si nobiliores isti iuxta Euangelicæ sapientiæ documenta, primò admonuissent iudices illos, vel patri eorum denunciassent, vt filios suos corriperet, consultius processissent. Nunc autem statim procellerunt ad depositionem eorum. LITERAL. MORAL. Carthus. *Correctio qualis.*

24 *Constitue nobis Regem.* Ioann. Benedict. Parisiensis in sua Bibl. Cùm præ senio non posset vtrumque munus obire, suos sibi filios in iudices suffecit. Samuel autem triginta annorum dicitur fuisse in morte Heli ; vnde non potuit tunc senex dici, nisi pluribus annis populo præfuerit, forte triginta, & tunc sexagenarius cum populus ab eo Regem petiuit. LITERAL. Ioan. Benedict. *Samuelis ætatis.*

25 *Constitue nobis Regem.* Author Cat. Non petebant, vt credo, vt propria authoritate Samuel illis Regem constitueret, sed consulto Domino. Neque enim Samuelem hac potestate fungi vsquam apparet. Nec etiam populus, quidquid dicat Sigonius lib. 7. de Republ. Hebr. c. 3. Regis creandi authoritatem habebat. Nam speciali Deus in illum populum prouidentia, & benëuolentia id sibi vni asciuerat, vt benè probat Mend. ibi. §. 16. & sequentib. & Suarius tom. de Impugnat. Anglic. lib. 3. c. 3. & lib. 3. de Legib. c. 4. & Pineda. Et si quando populus creauit Regem, non ab ipso, sed ab vno Deo authoritatem Regiam accipiebat. LITERAR. Author Catenæ. Sigon. Suarius. Mendoza. Pineda.

26 *Sicut & vniuersa habent nationes.* Abulensis ibidem quæstione 5. Ista littera potest dupliciter intelligi. Vno modo, quod esset causa mortis Iudæorum ad petendum : scilicet omnes gentes LITERAL. Abul.

habent Regem, & est honor earum in Rege suo, ideo ipsi concupierint Regem. Vel potest accipi, tanquam istud sit exultatiuum petitionis eorum: scilicet non perimus aliquid irrationabile, nec nouum, aut inauditum.

VERSVS VI.

Vulgata. *Vulgata.* Displicuit sermo in oculis Samuëlis, eo quod dixissent: Da nobis Regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuël ad Dominum.

Benedict. Gloss. *Benedict. & Textus Glossæ.* Displicuitque sermo in oculis Samuelis.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et displicuit verbum in oculis Semuël, quando dixerunt: Da nobis Regem, vt iudicet nos. Et orauit Semuel ad Dominum.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Displicuit autem sermo iste Samuëli, quòd dixissent: Da nobis Regem, qui nos iudicet. Et precatus est Samuël Dominum.

Ariasm. *Chaldæica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et malum fuit verbum in oculis Semuelis, quando dixerunt: Præfice nobis Regem ad iudicandum nos. Et orauit Semuel ante Dominum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et fuit prauus sermo in oculis Samuel, vt dixerunt: Da nobis Regem, vt iudicet nos: Et orauit Samuel ad Dominum.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et malum fuit verbum in oculis Samuel, quia dixerunt: Da nobis Regem ad iudicandum nos. Et orauit Samuel ad Dominum.

Procop. *Procop. ibi.* Et verbum erat prauum coram Samuele.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Chrysost. 1 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Chrysost. lib. 3. de Prouident. tom. 5. Porrò filij ipsius cùm iniqui, & mali essent, atque ad culmen iniquitatis peruenissent, & hoc ipso mœrore illum incredibili afficiebant, & sibi promissi honoris hæredes esse non poterant. Successit huic mœrori, imò verò non successit (quo enim pacto cùm prior nondum quieuisset?) sed adiectus est alius, Israëlitarum scilicet iniustissima petitio; qua in re ita concidit, vt ingenti consolatione indigeret.

Literal. August. Carthus. 2 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Augustin. apud Carthus. ibi. art. 16. Cur populus Israel Deo displicuit, Regem petendo, cum hoc fuerit eis permissum? Sed intelligendum est, non hoc fecisse secundùm voluntatem Dei, qui id fieri non præcepit, sed desiderantibus permisit.

Tropol. Gregor. 3 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Gregor. lib. 4. Variat. cap. 1. Quia à viris spiritualibus nihil ante despicitur, quàm despiciendum esse per spiritualem mentis intuitum iudicetur.

Moral. Gregor. *Samuelis charitas.* 4 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Gregor. lib. 10. Moral. cap. 4. Charitas Samuelem, & in principatu humilem præbuit, & integrum in deiectione seruauit; qui cùm persequentem se plebem diligeret, ipse sibi testimonium extitit, quia culmen, ex quo deiectus est, non amauit.

Histor. Ioseph. 5 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 4. Hæc populi voluntas vehementer Samuelem contristauit, qui propter innatam iustitiam non amabat Regiam potestatem, vt nimiam; valdè enim Optimatum gubernatione delectabatur, non aliam ad felicitatem populi conducibiliorem existimans; adeóque res hæc hominem solicitum habuit, vt nec cibum, nec somnum præcura caperet; sed per totam noctem se in lecto versaret, multa interim animo volutans.

Histor. Comest. 6 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Comest. in Histor. Scholast. cap. 9. Quod grauiter tulit Samuel propter insitam sibi iustitiam, & circa odium Regis.

Literal. Isidor. 7 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Isidorus Clarius ibi. Quia ex tumultuario quodam, & inconsiderato animo, & non pro honore Dei, & conseruatione iustitiæ postulauerunt Regem; & idcircò Deum offenderunt; præsertim cùm magis fiduciam suam in homine collocauerint, quàm in Deo, qui toties eos ex magnis eripuit periculis.

Literal. Rupert. *In quo peccauit populus.* Deuter. 17. 8 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Rupertus lib. 1. Comment. in Reg. cap. 18. Iuxta litteram quæritur, in quo populus Regem sibi postulando peccauerit? Dicit enim lex Deuter. 17. *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi; & possederis eam, habitaueríque in ea, & dixeris: Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum Nationes; Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de medio fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Ad hoc facilis patet responsio, quia tempore importuno dixerunt: *Da nobis Regem, vt iudicet nos,* cùm haberent iudicem iustè, & regaliter iudicantem eos, non in ambitionis vanitate, sed in spiritu Dei, & sermonis Domini veritate: de quo sciebant, quod fidelis esset, quemadmodum & superius de illo contestans scriptura dicit 1. Reg. 3. *Et cognouit vniuersus Israel à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.* In eo populus deliquit, quia regnantem super se sermonem Domini, imo ipsum Regem Deum suum proiecit. 1. Reg. 3.

Literal. Theodor. Procop. 9 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Theodor. ibi. quæst. 17. Quoniam peritio erat præter legem diuinam. Dominus Deus, & Domini & Regis impleuit munus: Propheta autem erat administer, & veluti quidam Præfectus, aut Dux, & Imperator. *Eadem habet* Procopius.

Moral. Damian. *Samuelis humilitas.* 10 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Petrus Damian. Epist. 12. in lib. 5. Quid dicam Samuel, qui quamdiu non est ab ipso populo, ex principatus arce deiectus, & excelsus videbatur in publico, & humilis erat in occulto? Qui videlicet suscepti regiminis locum adeò inuitus deseruit, vt maioribus natu Israel sibi Regem petentibus de eo protinus Scriptura dicat: *Displicuit sermo in oculis Samuelis.*

Literal. Lira. 11 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Lira. ibi. Propter tria. Vnum fuit, quia displicuit sibi malitia filiorum suorum, quæ vsque tunc latuerat ipsum. Aliud fuit propter honorem diuinum, qui videbatur contemni, seu diminui, eo quod retinuerat sibi in populo Israel nomen Regum. Tertiò quia populus in hoc volebat assimilari gentilibus dicens: *Constitue nobis Regem, sicut & vniuersa habent nationes.*

Literal. Idem. 12 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Idem in Moral. Quia ista petitio populi fuit culpabilis, patet ex hoc, quod habetur infrà, cap. 12. *Inuocabo Dominum,* &c.

13 *Displicuit*

LITERAL. Abul. *In quo peccauit populus.*

13 *Displicuit sermo in oculis Samuëlis.* Abul.ibi quæst. 10. Non solum licebat Israëlitis recipere Regem à Deo sibi datum; sed etiam petere Regem sibi dari, & tamen ad hoc, quod non peccarent, sicut nunc peccauerunt, oportebat, quod cauerent duo. Primum, quòd contra neminem committerent ingratitudinem; vel quod non præiudicarent alicui. Alterum, quòd non subtraherent Deo in aliquo quantum oportebat: quòd si aliquando petituri essent Regem, non peterent nunc, quia nunc viuebat Samuel, qui multa beneficia præstiterat Israëlitis, & habebat hunc honorem præsidendi. Vnde non poterat peti Rex sine præiudicio eius, & ingratitudine contra ipsum. Quantum ad secundum oportebat, quod Israëlitæ non peterent Regem à Deo pertinaciter, sed quasi sub conditione, scilicet si placeret Deo dare eis hoc genus principatus vel alterum. Et si Deus ostenderet, quod non placeret ei dare, cessare debebant; & in hoc peccauerunt tunc, petierunt enim pertinaciter.

LITERAL. Carthus.

14 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Carthus. ibi. Displicuit sermo non ex ambitione, sed æquitate ad bonum commune, quia sciebat populo potius expedire, quod regeretur per iudices. Displicuit eo quòd dixissent: *Da nobis Regem*, & non potius: Corrige filios tuos, vt iuste se habeant.

LITERAL. Caiet.

15 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Caietan. ibi. Quamuis humana ratione, & passioni displicuerit Samuëli huiusmodi petitio, (quia redundabat in abiectionem, & ipsius, & filiorum) attamen Deum consulere non est oblitus.

MORAL. Oleaster.

16 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Oleaster. Annotat. Moral. ad cap. 27. Numer. vers. 16. Quo in loco taxantur illi, qui filios aut nepotes in officiis sufficere volunt, etiamsi partes necessarias non habeant ad ministeria eorum administranda, quemadmodum legimus de Samuële, qui ægrè tulit populum non permisisse filios suos illi succedere.

LITERAL. Serar.

17 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Nicol. Serar. in Comment. Duplex hic peccati genus fuit. Vnum in principio ante Samuëlis dissuasionem: alterum post. Illud non est simpliciter in eo positum quòd Regem petierint; id enim simpliciter malum non erat, & re ipsa Deus spontè concessurus aliquando erat; sed est in modo petendi, & tempore. Primò enim petierunt Regem, sicut viuuntur habent nationes. Secundò abiiciebatur Samuël, cùm Princeps tunc esset. Tertiò abiiciebatur ipse Dominus: quia Deus hoc tempore summus quasi Rex, & immediatus Dominus solus erat.

HISTOR. Sabellic.

18 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Sabellic. Eneade 1. lib. 7. tom. 1. His auditis miratus dicitur senex, quæ tam subita Regis habendi cupiditas populorum animos irrepsisset; scire se primo aspectu rem spectosam regnum videri, persuasumque fuisse multis, nihil melius in humanis esse viri vnius, qui optimus esset, imperio. Atque ob id ipsum fortasse mortales ab initio Regium nomen, vt optimum vrbibus induxisse. Fœdissimus tamen eius rei euentus, multisque pernicioſis humanas gentes sui erroris admonuit, quod interdum non modò non tutum sit hominibus Regem habere, sed vehementer etiam calamitosum, cum nihil aliud sit velle fortunis & capite periclitari, quam omnium, quæ in vita sunt, vnius arbitrio & potestati permittere.

HISTOR. Vermil. *Samuelis mansuetudo.*

19 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Petrus Vermil. ibi. Mirificè enim amabat illum populum, & in eum maxima beneficia contulerat. Fit autem sæpè, vt qui vehementer amant, non æque redamentur. Videt se contemni, Deum negligi, statum Reipublicæ dissolui, tamen vt erat ingenio miti non animaduertit in illorum quemquam, sed precatur Deum, vt nascenti malo succurrat, sciebat enim Rempublicam illam esse Dei, itaque eius iniussu nihil in ea oportere innouari.

LITERAL. Autor Catenæ.

20 *Displicuit sermo in oculis Samuelis.* Autor Catenæ. Multiplici ex causa displicuit praua, & malitiosa populi petitio; cuius malitia patet versu immediate subsequenti, & cap. 12. 17. & 19. & 20. & Oseæ 9. 9. rationes quibus hæc malitia probatur, videbis Versu hoc, & præcedenti & subsequenti ex PP. & Interpretibus, quæ quidem licet congruentes sint, & eorum autoritate credibiles: illa tamen omnium ex mea, si qua est sententia, congruentissima, & genuina, quam amplectitur communior opinio Theodoreti, Procopij, Ruperti, Seueri, Lirani, Abulensis, Carthusiani, & aliorum, scilicet inde petitionem iniquam fuisse, quia Dei vnici illius gentis Regis, & Domini honori & principatui derrahebat; potissima enim Deus beneuolentia in Hebræum populum sibi imperium asciuerat, illiusque se Regem & Principem agebat: Exod. 19. 5. & 6. *Mea est omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale.* Deuter. 32. 9. *Pars autem Domini populus eius. Iacob. Funiculus hæreditatis eius.* Et versu sequenti. *Non te spreuerunt, sed me, ne regnem super eos.* & alibi sæpè; vnde Iosephus lib. 2. contra Appionem, Hebræorum Rempublicam non tam monarchiam asserit, quam *Θεοκρατίαν* quod vnico Deo Rege, & gubernatore administraretur. *Noster*, inquit, *Legislator in nullam harum administrationem intendens Theocratiam instituit vni in primis Deo imperio, atque potestate assignata.* Dei igitur imperio & regimine expulsis, hominem sibi rectorem prætulêre iniurioſi in Deum, & in Samuelem ingrati. Quæ in contrarium afferuntur à Burgensi facilè solui possunt ex doctrina Thuringij in Glossa, & Carthusiani.

Theodor. Procop. Rupert. Seuerus. Lira. Abul. Carthus. Exod. 19. 5. Deut 32. 9. Ioseph. Burgens. Thuring. Glosſ. Carthus.

21 *Eo, quod dixissent: Da nobis Regem.* Abul. ibi quæst. 6. Non fuit tristatus principaliter, quia mala enunciabantur de filiis suis, & quia merebantur perdere principatum, sed quia petierunt Regem, quod militabat contra Dei honorem. Libenter enim tulisset, quòd filij sui perderent principatum, & transiret dignitas ad extraneos, dum tamen Israëlitæ non permisissent Regem.

LITERAL. Abul. *Samuëlis zelus.*

22 *Et orauit Samuel*, Gregor. suprà. Quia quò abundantiori gratia Spiritus sancti pleni sunt, de virtutis suæ celsitudine non præsumunt, sequitur: *Et orauit Samuel Dominum.* Quid enim orauit, nisi vt sibi dignaretur ostendere, si tumultuantis populi petitioni assensum dare debuisset?

TROPOL. Gregor. *Ne fidas tuæ prudentiæ.*

23 *Et orauit Samuel.* Abul. ibi quæst. 16. Noluit quidquam respondere immediatè, vt proposuerunt Israëlitæ, dicens: quod referret Domino, & postea responderet eis. Ipsi tamen remanserunt in vrbe Ramatha, nam non recessserunt seniores petentes Regem de loco illo, quousque Samuël respondit eis determinatè. Et hic oratio ista Samuëlis solùm fuit per vnum diem, aut duos, nam magno tempore non expectassent Seniores Israel in Ramatha.

LITERAL. Abul.

24 *Et orauit Samuel.* Franc. Mend. ibi. §. 22. à suo populo tam grauiter lacessitus, ac de suo principatu tam turpiter deiectus, nec pusillanimis succubuit, nec iratus exarduit, nec superbus infremuit; sed prudens, & patiens, ac nullum turbationis indicium præ se ferens, Legatos interim dimisit, credo non sine responso, ne contemni se ab illo arbitraren-

LITERAL. Mendoza. *Samuelis prudentia.*

bitrarentur: sed modestis verbis, & ad prudentiæ trutinam libratis. Igitur sancti viri inter aduersariorum ictus, confugiunt adorationis scutum, quo muniantur. Inter persecutorum procellas se se recipiunt ad orationis portum, in quo placidissimè conquiescant.

VERSVS VII.

Vulgata. *Vulgata.* Dixit autem Dominus ad Samuëlem Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.

Benedict. *Benedict. in marg.* Non enim te reprobauerunt, sed me abiecerunt, ne regnem super eos.

Glossa. *Text. Gloss. in margine.* non enim te spreuerunt, sed me.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Dixitque Dominus ad Samuël: Audi vocem populi in omnibus, quæ dicunt ad te; non enim te spreuerunt, sed me spreuerunt, ne regnem super eos.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Dixitque Dominus ad Samuëlem: Audi vocem populi in omnibus, quæ dicunt tibi: non enim te reprobant, sed me reprobarunt, ne regnem super eos.

Ariasm. *Chald. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et dixit Dominus ad Samuëlem: Audi dicto populi in omnibus, quæ dicunt tibi, quia non te elongauerunt, nam in culpa meo spreuerunt, ne sim Rex super eos.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et dixit Dominus ad Samuel: Audi vocem populi secundùm omnia, quæ loquantur ad te, quoniam non te contempserunt, sed me contempserunt, ne regnem super eos.

Sixtina. *Græc. ex Sept. in Sixtina.* Et dixit Dominus ad Samuël: Audi vocem populi iuxta quæcunque loquuntur tibi, quoniam non te spreuerunt, sed me spreuerunt; vt non regnem super eos.

Caiet. *Caietan. ex Hebræo.* Quia non te abominati sunt, quia me abominati sunt à regnare super eos.

Chrys. *Chrys. hom. 1. de Cruce, & Latrone tom. 3.* Non te exprobrauerunt, sed me.

Interl. Regia. *Interl. Regia.* Non te fastidierunt, sed me.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Dixit autem Dominus ad Samuëlem.* Abul. ibi quæst. 17. Quomodò ista locutio facta sit, non apparet; poterat tamen fieri multipliciter. Fuit tamen à principio facta reuelatio Samuëli per noctem, non per somnium, sed per veram vocem ad eum missam, quam ipse audiuit. Vnde ter surrexit de cubili suo putans se vocari ab Heli. Sic etiam dici potest, quòd fuerit hîc.

Literal. Moral. Origen. 2 *Audi vocem populi.* Origen. homil. 4. in Iudic. Non semper Princeps populi, & Ecclesiæ iudex per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt. Si mali sunt actus nostri, & operamur malignum in conspectu Domini, datur nobis Princeps secundùm cor nostrum. Saülem ipse Dominus Regem fieri iusserat, sed quoniam non secundùm voluntatem Dei, sed secundùm peccatoris populi meritum fuerat electus, negat eum sua voluntate, vel consilio constitutum Osee 8. 4. **Osee 8. 4.**

Literal. 3 *Audi vocem populi.* Idem lib. 9. epist. ad Roman. ad illa verba cap. 12. *Quæ sit voluntas Dei bona.* Dei quidem voluntas, semper bona est, sed non semper eius bona voluntate dispensari meremur; neque beneplacita, & perfecta, verbi gratia, vt vngeretur Saül in Regem, fuit quidem voluntas Dei, sed non beneplacita, neque perfecta; irascens enim populo, qui refutauerat Deum habere super se Regem, Regem eis hominem iussit institui. **Moral. Origen. Roman. 12.**

4 *Audi vocem populi.* Augustin. in Psalm. 51. tom. 8. Saül Rex non ad permanendum electus est à Domino, sed secundùm populi cor durum, & malum, datus ad aliorum correctionem, non ad vtilitatem, secundùm illam sententiam sanctarum Scripturarum, quæ ait de Deo: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peruersitatem populi.* Iob 34. 30. **Literal. August.** **Iob 34. 30.**

5 *Audi vocem populi.* Idem ibid. Extorsit populus à Domino habere Regem & datus est Saül, tanquam dari essent illi in manus suas, qui manibus, & verbis accersierunt mortem, & figurata est in ipso Saüle ipsa mors. **Literal. August.**

6 *Audi vocem populi.* S. Sixtus III. Papa. Bonum est, quod à Deo principium sumpserit: non bonum vero cuius exordium non Dei dignatione, sed humana præsumptione censetur, vt Rex Israël, quem non tam Dei voluntate, quàm populi prauitate legimus ordinatum. **Literal. S. Sixtus.**

7 *Audi vocem populi.* Greg. lib. 4. Variar. cap. 1. Quia oranti Prophetæ dicitur: *Constitue super vos Regem*: planè ostenditur, quia ante hoc faciendum esset si sibi reuelari postulauerit. **Literal. Greg.**

8 *Audi vocem populi.* Idem ibidem. Valdè difficilè respondetur, si quæritur, cur omnipotens Deus & abiectum se in Regis petitione conqueratur, & tamen id quod petebatur fieri decernat: Rursúmque si dignitas Regia ordinanda fuerat, cur velut indignata Dei maiestate fuerit permissa? Et cum prouisus Rex eligi decernatur, cur reprobandus eligitur? Quid ad hæc aliud respondere possumus, nisi id, quod Apostolus Paulus inestabilem abyssum iudiciorum Dei perscrutari audentibus respondebat. *Homo*, inquit, *tu, quis es, qui respondeas Deo?* Sed si hoc efficaciter diffinire non possumus, tangere inquirendo possumus. An fortè se abiectum in Regis petitione conqueritur, pro reproba voluntate malè petentis populi peritus Rex conceditur pro vindicta, quod sic rationabiliter dicitur, dum vtrumque posuit, & culpam, & vltionem pariter ostendit. **Literal. Moral. Idem.** ***Deus malè petita cur concedat?***

9 *Audi vocem populi.* Rupert. lib. 2. in Numer. cap. 22. ad cap. 24. ibi. *Tolletur propter Agag Rex eius, & auferetur regnum illius.* Hoc ita impletum est. Saül Rex eius, scilicet Israël fuit contra voluntatem Domini expetitus dicentis ad Samuëlem: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, sed me.* Hinc præcepit Samuël ex ore Domini: *Vade & percute Amalech, &c.* **Literal. Rupert.**

10 *Audi vocem populi.* Pseudophilo in Antiq. Bibl. & dixit ad eum Dominus noctu. Noli contristari, mittam enim Regem illis, qui eos exterminabit, & ipse postea exterminabitur: Qui autem venturus est ad te crastino die hora sexta, ipse est qui regnaturus est super eos. **Histor. Philo.**

11 *Audi vocem populi.* Liran. ibi. Ex hoc patet, quòd aliquando Dominus exaudit aliquid, quod non cedit ad bonum petentis, eo quòd malè petit: & talis exauditio magis est punitio, Osee 13. *Dabo tibi Regem in furore meo.* **Moral. Lira.**

12 *Audi vocem populi.* Caiet. in comm. Mandat Deus **Literal.**

Caiet. Deus Regem fieri petente populo, quia bonum absolutè petebant consonum legi; quamuis non petierint bonum stante dispositione diuina de se ipso Rege Israelis.

LITERAL. Mend. 13 *audi vocem populi.* Francisc. Mendoza ibi. §. 2. Non repugnat petitionem aliquam illicitam, & concessionem licitam; aut vice versa. Nam siquis necessitate coactus petat pecunias sub vsuris, ab vsurario parato ad fœnerandum, licitè petit; ille verò illicitè concedit. Contra verò siquis ab alio depositum petat ad peccandum, hic illicitè exigit, ille verò licitè reddet. Sic igitur potuit Deus licitè concedere Regem, quem Hebræi illicitè postulabant. Quare Deus nunquam consensit in hanc petitionem quatenus mala erat, sed eam tantùm permisit. Consensit nihilominus in rem petitam, seu in constitutionem Regis.

TROPOL. Ignatius. *Prælatis quæ reuerentia.* 14 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Ignat. Epist. ad Magn. Decet vos Episcopo obedire, & in nullo ei contradicere. Terribile est enim tali contradicere; non enim hunc qui cernitur, seducit quis, sed Inuisibilem decipere nititur, qui non potest falli à quoquam. Nam si id fit, non ad hominem, sed ad Deum redit contumacia. Samueli enim dixit Deus: *Non te sprenerunt, sed me.*

TROPOL. Cyprian. Deuter. 17. *Prælatis quæ reuerentia.* 15 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Cyprian. Epist. 3. ad Cornel. in lib. 1. In Deuteronomio Dominus Deus loquitur dicens: Et homo quicumque fecerit in superbia, vt non exaudiat Sacerdotem, aut iudicium, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus, cum audierit, timebit, & non agent impiè etiam nunc. Item ad Samuelem, cum à Iudæis sperneretur Deus dicit: *Non te sprenerunt, sed me.*

TROPOL. Cyprian. *Hebræorum punitio.* 16 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Idem Epist. 11. alias. 65. ad Rogatian. in lib. 3. Cum Samuel sacerdos à Iudæorum populo ob senectutem (sicut tu modo) contemneretur, exclamauit inatus Dominus, & dixit: *Non te sprenerunt, sed me sprenerunt*, Et vt hoc vlciscereturi excitauit Deus eis Saül Regem, qui eos iniuriis grauibus affligeret, & per omnes contumelias, & pœnas superbum populum calcaret, & premeret, vt contemptus Sacerdos de superbo populo vltione diuina vindicaretur.

TROPOL. Cyrillus Alexand. *Prælatis quæ reuerentia.* 17 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Cyrillus Alexandrin. lib. 1. in Ioan. c. 36. alias 30. Apostolorum vexatio in eum ascendit, qui illos in apostolatus apicem euexit. Sic enim etiam ad Samuelem de filiis Israel dictum esse didicimus: *Non te*, inquit, *sed me contempserunt.* Periculosum igitur nimium est conuenientem honorem Sanctis non tribuere, cùm eorum contemptus in illum transeat, à quo missi sunt.

TROPOL. Anasthas. 18 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Anasthas. Nicen. quæst. 75. in Script. Qui oderunt, & qui contemnunt iustum, delinquunt in Deum, & ipsum contemnunt. Dicit enim Deus Samueli: *Non enim te abiecerunt, sed me.*

TROPOL. Chrys. *Samuelis charitas.* 19 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Chrys. Hom. 1. de Cruce, & Latrone. tom. 3. Alter, quid gesserit, percipe, vt abundantius corrigaris exemplo. Samuel Propheta sustinuit iniuriam Iudæorum: remotus ab aliis est, & dum Deus ili solatium voluisset afferre ait: *Non te exprobrauerunt, sed me.* Et ille, qui exordinatus fuerat, qui contemptus ait: *Mihi absit peccare, intermittendi orare pro vobis Dominum.* 1. Reg. 12. Peccatum arbitrabatur minus pro inimicis orare.

1. Reg. 12.

TROPOL. Chrysost. 20 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Idem lib. 3. de Prouid. tom. 5. Qua in re ita concidit, vt ingenti consolatione indigeret. Audi denique quid ille dixerit Deus. *Non te sprenerunt, sed me.* Post hæc tamen ille parcebat illis, & ita miserabatur, vt diceret: *Mihi autem absit, vt peccem, & desistam pro vobis orare.* 1. Reg. 12.

TROPOL. *Samuelis charitas.* Chrisost. *Prælatorum conditio.* 21 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Idem in Epist. 2. ad Timoth. Hom. 2. tom. 4. Si iniuriis afficiantur præpositi nostri hoc in se Deus ipse petpetitur, sicut ad Samuelem dicitur; *non te sprenerunt, sed me.* Itaque illis contumelia lucrum: honor verò onus est. Non ergo hæc illorum gratia, sed vestra causa dico. Qui honorat Sacerdotem, Deum quoque honorat: qui verò sacerdotem spernit ad id sensim prolabitur, vt in Deum ipsum aliquando contumeliosus euadat. *Qui vos*, inquit, *suscipit, me suscipit.* Matt. 10.

Matt. 10.

TROPOL. Aug. *Prælatis quæ reuerentia?* 22 *Non enim te abiecerunt, sed me.* August. vel potiùs Autor Serm. ad Fratres in Eremo. Serm. 5. tom. 10. Non contemnendæ sunt Potestates, siue mundi, siue Ecclesiæ sint. Potestates enim omnes à Deo ordinatæ sunt. Nam Dominus, dum leprosos curasset, eos ad Potestatem misit dicens. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*: & ad Samuelem, cum sperneretur à Iudæis, ait Dominus: *Non te sprenerunt, sed me.*

MYSTIC. Prosper. 23 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Prosper Aquitanic. lib. de Præuisionib. Dei par. 2. cap. 24. Ille contumax Hebræus populus spreto Samuelis ducatu, sibi Regem fieri petiit; iratúsque Dominus ait Samueli: *Non te osti sed me sprenerunt*, vt illud tunc signaretur, quod post dixerunt Pilato spernentes Dominum Iesum Regem *nos non habemus Regem, nisi* solum *Cæsarem*, dedit tamen eis Dominus Regem Saül filium Cis de Tribu Beniamin, qui eos Regia potentia afflixit annis quadraginta. Omnis itaque anima, quæ legis Christi Domini iugum repudiat, sic meretur affligi.

LITERAL. MORAL. Greg. 24. *Non enim te abiecerunt, sed me.* Gregor. supra. Aptè ostenditur quantum sibi sermo displiceat, quem in oculis Samuelis displicuisse perhibetur. Quæ conuenientia iudicij in Sanctis oritur ex virtute charitatis; quia dum ex tota mente Conditorem diligunt: & eius voluntati obedire deuotè conantur, ex præmio supernæ retributionis accipiunt, vt ab eadem Dei omnipotentis voluntate, aliter sentiendo non discrepent, quam in bonis operibus semper tenent; scriptum quippe est: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* 1. Cor. 6.

1. Cor. 6.

TROPOL. Gregor. *Prælatis quæ reuerentia?* 25 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Idem ibidem. Non simpliciter dicit: *Abiecerunt me, ne regnem super eos*, sed, *non te abiecerunt, sed me, ne regnem supereos*, vt profectò ostendat, quia in persona electi Præsulis, ipse suis subiectis præeminet, & cum ad spirituale culmen electorum carnalis Rector assumitur, ipse abiici videtur, cuius præcepta dissipantur. Ergo, quam reuerendi sint optimi Pastores Sanctæ Ecclesiæ liquet.

LITERAL. Beda. 26 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Beda lib. 2. Expositi. Allegor. cap. 1. Non enim tuam doctrinam in homine loquentis, sed meam diuinam per te operantis abiecerunt, ne regnum illis in te tribuam sempiternum.

HISTOR. Ioseph. 27 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. c. 4. Sic affecto Deus se videndum præbuit, consolatus cum ne postulata populi ægre ferat; dicens: Non tam ad ipsum pertinere hanc contumeliam, quàm ad se, quem nolint sibi solum esse

Regem, idque moliri cæpisse iam inde, exquo primum ope tua ex Ægypto sunt educti.

HISTOR. Comest. 28 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Comest. in Histor. Schol. cap. 9. Cumque consuluisset Dominum, ait ei Dominus: *Audi vocem populi; nec te tantum abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.*

LITERAL. S. Thom. 29 *Non enim te abiecerunt, sed me.* S. Thomas. 1.2. quæst. 105. art. 1. ad 2. Iudæi crudeles erant, & ad auaritiam proni: proterquæ vitia maximè homines in tyrannidem decidunt; & ideò Dominus à principio eis Regem non instituit cum plena potestate, sed Iudicem, & gubernatorem in eorum custodiam. Sed postea Regem ad petitionem populi, quasi indignatus concessit, vt patet per hoc, quod dixit ad Samuelem. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.*

LITERAL. Lira. 30 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Liran. ibi. Quia tu solum eras meus Vicarius.

LITERAL. MORAL. Carth. *Pater laditur in filius.* 31 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Carthus. ibi. art. 16. Quamuis Samuël filios suos instituit iudices, dicuntur tamen filij Israël eum abiecisse, quia eum in suis abiecerunt; vel quia adhuc manifestus iudex supremus in populo, ita quod ad eum fiebat in maioribus, & dubiis cautis recursus.

LITERAL. Caiet. 32 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Caietan. ibi. Verba hæc diuina consolatoria sunt Samuelis humano more.

LITERAL. Author Catenæ. Osea. 6. Ioan. 7. 16. Pacian. Bertrand. Gennad. 33 *Non enim te abiecerunt, sed me.* Author Catenæ. Non negat Samuëlis abiectionem, & contemptum, sed suam ipsius abiectionem ita præfert, vt præ illa Samuël contemptus non fuisse videatur; quæ frequens est Scripturæ phrasis Osee. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Ioann. 7. 16. *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me,* & passim alibi. Verum tamen est, iniuriam ad Deum immediatè spectasse; cum enim Deus præcipuus gentis illius Rex, alium petentes, Deum proximè repudiauerunt, & contempserunt. Dici etiam potest, Deum mediatè in Samuële contemptum; nam qui offendit Regis ministrum, ipsum etiam Regem mediatè lædit; in quem sensum omnes pene Interpretes locum exponunt, quos modò retulimus; quos præter adiunge Pacianum, Epist. 3. ad Sempronian. Bertrand. in libello pro Ecclesiast. libert. & Tractatu de Orig. Iurisdic. q. 3. Gennad. Constantinop. Patriarch. in Expolit. Conc. Florent. cap. 5. sect. 13. & alios.

LITERAL. Abul. 34 *Ne regnem super eos.* Abul. ibi. q. 17. Ante hoc autem nemo regnabat super Israëlitas, sed Deus ipse erat Rex immediatus. Nunc verò quia volebant alium eligere Regem, nolebant super se Deum immediatè regnare.

LITERAL. Rupert. Osee. 9. 35 *Ne regem super eos.* Rupert. lib. 4. in Oseam cap. 9. *Profunde peccauerunt, sicut in diebus Gabaa.* Osee. 9. Idest sicut facere cæperunt in diebus Saül, qui sunt de Gabaa, quando Dominus non ignorans quantum in profundum peccati descendere cæpissent, ac peruenturi essent, dixit ad Samuelem: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Denique non statim factum est, vt non regnaret Dominus super eos, præsertim cum postmodùm amoto Saüle, Dauidem illis Regem dederit secundùm cor suum, sed certissimè futurum erat, vt quod facere cæperant dicendo: *Constitue nobis Regem, sicut & vniuersa habent nationes.* Itemque: *nequaquam audiemus te, Rex enim erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes:* hoc ipsum perficerent negando Christum Regem, & dicendo: *non habemus Regem nisi Cæsarem.* Ioan. 19. 15. Ioan. 19. 15.

VERSVS VIII.

VVlgata. Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Ægypto vsque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt Diis alienis, sic faciunt etiam tibi. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Iuxta omnia opera, quæ fecerunt à die, qua ascendere feci eos ex Ægypto, vsque ad diem hanc: dereliquerunt me, & seruierunt Diis alienis, sic ipsi faciunt etiam tibi. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Secundùm omnia opera, quæ fecerunt ab eo die, quo eduxi eos ex Ægypto in hanc vsque diem (cùm scilicet me dereliquerint, & Dijs alienis seruierint) ita tibi quoque faciunt. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Iuxta omnia facta, quæ fecerunt à die, quo ascendere feci eos ex Ægypto, & vsque diem hunc: & reliquerunt cultum meum, & coluerunt errores gentium. Sic illi facientes etiam tibi. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Secundum omnia opera sua, quæ fecerunt mihi à qua die eduxi eos de Ægypto, & vsque in diem hanc. Et dereliquerunt me, & seruierunt Diis alienis. Sic ipsi faciunt & tibi. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Secundum omnia facta, quæ fecerunt mihi ex qua die eduxi eos ex Ægypto, vsque in diem hanc: & dereliquerunt me, & seruiebant Diis alienis. Sic ipsi faciunt & tibi. Sixtin.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Gregor. 1 *Iuxta omnia opera sua.* Gregor. lib. 4. Variar. c. 12. Summum crimen agnoscitur: ad cuius discussionem in Dei memoria præterita cuncta peccata reducuntur. Et abiectum ergo se Dominus conqueritur, & tamen ordinare in quo abiicitur, concedit; quia cum districtæ æquitatis suæ virtutem exequitur, ab eo carnalium desideria impleri per eius misericordiam nequaquam prohibentur. Sed & quæ concedi dignitas pro vindicta potuit, non tranquilla maiestate diuinitatis concedi debuit, sed velut indignata. Indignatam verò maiestatem Dei non in se ipso asserimus quæ passioni non subiacet.

LITERAL. Rupert. 2 *Iuxta omnia opera sua.* Rupert. lib. 2. in Numer. c. 22. *Tolletur propter Agag Rex eius, & auferetur regnum illius* Numer. 24. Videlicet, vt adstrueret, quod præter Deum eius nemo iure sit Rex eius, Nam hoc est, quod subiungit protinùs. *Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo similis est Rinocerotis.* Vt inquam adstrueret, quod præter Deum eius, nemo iure sit Rex eius, hoc in illo dixit spiritus Domini. Iuxta quod ipse Deus, cùm dixisset ad Samuelem: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Addidit continuò *iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto.*

HISTOR. Ioseph. 3 *Iuxta omnia opera sua.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 4. Sic affecto Deus se videndum præbuit consolatus eum, ne postulata populi ægrè ferat, dicens: Non tam ad ipsum pertinere hanc contumeliam, quam ad se, quem nolint sibi solum esse Regem, idque moliri cæpisse iam inde, exquo

prunùm

primùm ope sua ex Ægypto sunt educti. Verum non multo post futurum est, inquit, vt eos consilij huius serò pœniteat, quando nec factum infectum esse poterit, & ipsi suam erga me æquè ac ingratitudinem damnabunt.

Literal. Lira. 4 *Iuxta omnia opera sua.* Liran. ibi. Ostendentes facto, quod non haberent me pro Rege suo. Sic etiam faciunt & tibi, abiiciendo te, ne sis vicarius meus.

Literal. Abul. 5 *Iuxta omnia opera sua.* Abulens. ibi, q. 17. Quasi dicat: Non est admirandum, quòd hoc faciant, cùm non est opus nouum, sed est sicut omnia alia, quæ fecerunt à die, qua eduxit eos de terra Ægypti.

Literal. Abul. 6 *Iuxta omnia opera sua.* Idem ibidem. Accipit hic Scriptura vniuersale vt in plurimum secundùm modum communem Scripturæ; rarissimè enim Israëlitæ Deum colebant, conferendo ad tempora, in quibus non colebant. Ideo illa tempora, quibus colebant, reputantur quasi nihil.

Literal. Caiet. 7 *Iuxta omnia opera sua.* Caiet. in Comment. Priùs consolatus est Samuelem, quod quantum ad titulum Regium non tam contra ipsum Samuelem, sed contra Deum agunt: modò consolatur eundem quoad obiectionem ipsius Samuelis (ad quam suapte natura tenuit petitio Regis) ex simili facto contra ipsum Deum dicendo, quòd quemadmodum reliquerunt colere me Deum, & seruierunt aliis Diis, sic faciunt tibi reliquentes te, & volentes Regem, qui iudicet eos.

Literal. Mendoza. 8 *Iuxta omnia opera sua.* Franc. Mend. ibi. §. 6. Quasi diceret Deus: Ne cogites Samuel te, propter aliquam culpam à te commissam, à tuo populo contemptum. Nam & ego ab illo contemptus sum, cui nulla culpa potest inhærere. Sicut igitur me prorsus innoxium, ita & te culpæ expertem abiecerunt.

Literal. Auth. Cat. Psal. 77. 40. Psal. 94. 10. 9 *Iuxta omnia opera sua.* Autor Cat. Praua eorum opera in communi referuntur, quia ea in particulari recensere prolixum esset. Vnde Dauid Psal. 77. 40. *Quoties exacerbauerunt eum in deserto,* & Psalm. 94. 10. *Quadraginta annis* offensus *fui generationi* illi, *& dixi: Semper hi errant corde.* Vide Numer. 14. 22. Exod. 14. 15. ibidem 15. 24. ibidem 16. 2. & 3. & 20. & 27. & alibi passim. Reducuntur autem in Dei memoriam transacta iam crimina, & semel condonata non vt denuò puniantur; hanc enim Deo conditionem negant Theologi cum S. Thom. 3. part. q. 88. art. 1, sed vt peccantium continuatio, & iterata sæpius malitia ponderetur, qui nunquam à se dissimiles, priora delicta nouis criminibus obruant.

Theolog. S. Thom.

Literal. Abul. 10 *Sic faciunt etiam tibi.* Abulens. ibi, q. 17. In hoc Deus consolatur Samuelem, ne doleat, quod principatus auferatur à domo eius, cùm non est mirum, quòd hoc faciant illi, cùm sic etiam Deo fecerint ab initio relinquentes eum, & colentes Deos alienos.

VERSVS IX.

Vulgata. *Vulgata.* Nunc ergo vocem eorum audi; verumtamen contestare eos, & prædic eis ius Regis, qui regnaturus est super eos.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Et nunc audi vocem eorum: verumtamen vt contestando contestatus fueris contra eos indicabis eis legem Regis, qui regnaturus est super eos.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Audi igitur vocem illorum; verumtamen ante obtestaberis eos, iúsque Regis, qui regnaturus est super illos, indicato illis.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et nunc audi dictis eorum. Verum tu obtestando obtesteris in eos, & indices illis statum Regis, qui regnabit super eos.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et nunc audi vocem eorum. Verumtamen testificans testificaris eis, & nunciabis eis ius Regis, qui regnabit super eos.

Sixtian. *Græca ex Sept. in Sixt.* Et nunc audi vocem eorum tantummodo contestans contestaberis eis; & annunciabis eis iustificationem Regis, qui regnabit super eos.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Et indica eis iudicium Regis qui regnaturus est super eos.

PP. ET AVCTORES.

Literal. S. Sixt. 1 *Nunc ergo vocem eorum audi.* S. Sixtus lib. de Diuitiis. Vt Rex Israel, quem non tam Dei voluntate, quam populi prauitate legimus ordinatum, quamuis postea etiam Dei voluntas accesserit; dum humanæ fragilitatis iniquitatem clementi mauult lenitate corrigere, quàm iusta seueritate punire.

Literal. Moral. Gregor. 2 *Nunc ergo vocem eorum audi.* Gregor. libr. 4. Variarum cap. 1. Quia in typum carnalium Prælatorum assumitur, reprobandus Rex eligitur, non electus; vel fortasse idcirco reprobus Rex eligitur vt electus successor eius Rex Dauid in eo cognosceret quid cauere debuisset. Sic nimirum de illa Angelorum curia legimus, quia de Apostata primo Angelo scribitur: *Ipse est principium viarum Dei:* sed qui ante omnia creatus est, per superbiam cecidit, & in eius ruina sancti Angeli didicerunt qua virtute stare potuissent.

Mystic. Beda. 3 *Nunc ergo vocem eorum audi.* Beda lib. 2. Exposit. Allegor. cap. 1. Et hæc personæ Patris ad Filium loquentis aptissimè congruunt; *Dimitte eos secundùm desideria cordis eorum, & ibunt in voluntatibus suis.* Verumtamen contestare eos per Euangelium, & prædic eis quid temporalis miseriæ coram hominibus, quid æterni tormenti apud inferos passuri sunt, qui neglecto seruitio, vel potiùs libertate spirituali, sibimet regnare maluerunt.

Literal. Gregor. 4 *Verumtamen contestare eos.* Gregor. suprà. Quasi aperta ostensione clementiæ dicat: Sic audi voces eorum, vt tamen ipsis priùs de iure Regis quem petunt, audiant, quod expauescant; & velut tunc malè cæpta deserant, cùm quàm sit res onerosa cognoscetur, quam petebant.

Histor. Ioseph. 5 *Verumtamen contestare eos.* Iosephus lib. 6. Antiquit. cap. 4. Nunc iubeo te eis creare Regem, quem ego designauero, idque priùs quàm facias, præmonebis quantùm malorum sibi vltrò adscisc ant, protestaberisque eos te inuito ad mutationem status in deterius properare.

Literal. Interl. 6 *Verumtamen contestare eos.* Interl. ibi. Idest, testimonium da illis.

Literal. Abul. 7 *Verumtamen contestare eos.* Abulens. ibi. quæst. 17. Quanquam Deus sciret, quòd Israëlitæ semper vellent Regem habere, tamen Deus voluit, vt circa hoc adhiberetur quæcumque diligentia adhiberi

adhiberi posset, vt desisterent ab hac peruersa intentione.

LITERAL. Caietan. 8 *Verumtamen contestare eos.* Caiet. ibi. Verè benignus erga populum Deus, mandando adimpleri petitionem populi, prædeclarando ipsi populo omnis generis oppressionem futuram eis à Rege, ne postea pœnitentes citarent se nescisse huiusmodi oppressiones futuras.

LITERAL. Oleast. Exod.29. Deut.31. 9 *Verumtamen contestare eos.* Hier. Oleaster in Hebraitin. Priorib. Contestando aliquem contestari, est illum coram testibus admonere; Exod.29. dicit Moseh: *Contestando contestatus sum populum.* Et Deuter. 31. *Contestatus sum hodie contra vos cœlum, & terram,* idest, simul mecum testes contra vos vocaui.

LITERAL. Saa. 10 *Verumtamen contestare eos.* Emanuel Saa in Biblia Trium PP. Quasi dicat: Testans prius Deum, & homines.

LITERAL. S.Thom. *Ius Regis quid?* 11 *Et prædic eis ius Regis.* S.Thom.1.2. q.105. art.1.ad 5. Dicendum, quòd illud ius non debebatur Regi ex institutione diuina, sed magis prænunciatur vsurpatio Regum qui sibi ius iniquum constituunt in tyrannydem degenerantes, & subditos deprædantes, & hoc patet per hoc, quod in fine subditur. *Vosque eritis ei serui.* Quod proprie pertinet ad tyrannidem, quia tyranni suis subditis principantur, vt seruis. Vnde hoc dicebat Samuel ad terrendum eos, ne Regem peterent, Potest tamen contingere, quod bonus Rex absque tyrannide filios tollat, & constituat Tribunos, & Centuriones, & multa accipiat à subditis suis propter commune bonum procurandum.

LITERAL. MORAL. S.Thom. 12 *Et prædic eis ius Regis.* Idem lib.3.de Regim. Princip.ad Reg. Cypri c.11. in opusc. Leges traditæ de regali dominio Israelitico populo per Samuelem Prophetã hac consideratione sunt datæ, quòd dictus populus propter suam ingratitudinem, & quòd duræ ceruicis erat, meretbatur tales leges audire. Interdum enim dum populus non cognoscit beneficiũ boni regiminis, expedit exercere tyrannides, quod etiã hæ sunt instrumentũ diuinæ iustitiæ.

LITERAL. Liran. 13 *Et prædic eis ius Regis.* Lira. ibi. in Morali. Hic accipitur ius largè, & impropriè dictum, quod reputatur ius propter malum abusum: nam illa, quæ dicuntur hìc de iure Regis, magis contingunt per exercitium tyrannidis.

LITERAL. Idem. *Ius Regis quid?* 14 *Et prædic eis ius Regis.* Idem in Littera. Aliqua sunt de iure Regis in necessitate positi propter bonum commune regni, & sic omnia, quæ infertus exprimuntur à Samuele, sunt de iure Regis, quia in tali casu omnia sunt Regis, vel Principis; & exponenda, vel expendenda pro bono communi. Sicut & in corpore naturali videmus, quod manus vel etiam alia pars corporis naturali instinctu exponitur pro conseruatione vitæ ipsius corporis. Si autem accipiatur alio modo ius Regis extra necessitatem, sic plura exprimuntur à Samuele, quæ non pertinent ad ius ipsius, vt pote omnia illa, quæ reddunt populum subditum seruilem.

LITERAL. Interl 15 *Et prædic eis ius Regis.* Interl. ibi Exactionem, & dominationem.

LITERAL. Abul. 16 *Et prædic eis ius Regis.* Abul.ibi.q.17. Accipitur hic Rex pro omnibus Regibus futuris, quoniam aliqui eorum grauauerunt nimis populum in tributis, & accipiendo ab illis, sicut apparet de Salomone, qui habendo magnitudinem diuitiarum, grauauit suum populum 3. Reg. 12. 4.

3.Reg.12.4. LITERAL. Abul. *Ius Regis quid?* 17 *Et prædic eis ius Regis.* Idem ibidem, q.20. Dicendum, quòd omnia, quæ habentur hic, fuerunt posita non quidem tanquam iura Regum, sed tanquam mala, quæ poterant facere Reges super subditos propter magnitudinem potestatis. Et ponuntur hic multa grauissima, vt per hæc intelligantur multa alia mala, quæ Reges excogitare poterant, & imponere subditis suis.

LITERAL. Caiet. *Ius Regis quid?* 18 *Et prædic eis ius Regis.* Caiet. ibi. Attentè annota, quod ius siue iudicium Regis diminuendo rationem iuris, & iudicij dicitur. Ita quod limitatur iudicium conditione etiam diminuente: & non est sensus, quod infra scripta sint iuris, sed iuris Regis: hoc est, erunt iuris, quia Rex volet esse ius.

LITERAL. Saa. 19 *Et prædic eis ius Regis.* Saa in Schol. Hinc quidam colligunt licere Regibus, quæ sequuntur. Vel ius hìc, non quod iustum est, sed consuetudinem seu morem significat.

LITERAL. Serar. *Ius Regis quid?* 20 *Et prædic eis ius Regis.* Serar. ibi. Verum illud ius verè concessum sit: eóq; Reges vti possint, quæritur? Verius est ius illud prauum esse & falsum. Hic tamen dupliciter proponitur, vt prædictio, scilicet, & descriptio, non vt eius approbatio sit: prædictio quidem eius, quod venturum erat; & sic iuris nomen pro dispositione, seu serie accipitur. Descriptio verò eius, quod apud Reges ethnicos fieri soleret, & sic ius significat morem, seu consuetudinem, quod Hebraico nomine frequens est, vt infra cap.27.11. Exod.21.9. ibidem 26.30. Numer.9.14. ibidem 29.6.

LITERAL. Author Catenæ. Lira. S.Thom. Abul. *Ius Regis quid?* 21 *Et prædic eis ius Regis.* Autor Catenæ. Cùm nomen *ius* æquiuocum sit, non vulgari quæstioni locum facit: An scilicet hæc quæ describitur Regis licentia, æqua, & bona sit, an solum præsumpta, & tyrannica? Liranus bonam asserit, & Regibus innatam ob bonum publicum in necessitate constitutis: secùs aliàs: & in similem sententiã abiit S. Thomas suprà relatus; in quam nescio cur Abulensis ita implacabiliter desæuiat q.19. & sequentib. vt vel ipse, vel eius Scholiastes ad alteram marginum *falsam multum, & periculosum satis animabus* asserat, pluráque huiusmodi in eam conferat. Liræ enim distinctio vera, & rationabilis est, cùm multa Regibus liceant ob commune bonum necessitate compulsis, quæ absq; necessitate non licent. Verum tamen est, quod Abulensis notat, plura horum, quæ hìc ius Regis dicuntur, nulla necessitatis specie posse cohonestari; cum ad vnius Regis particularem vtilitatem, aut oblectamentum spectent, scilicet, quòd constituet aratores agrorum suorum, & meliores segetum, & filias pantheas, & vnguentarias, &c. Non tamen hæc referuntur tanquam ipsa eadem Rex impositurus subditis foerit, sed vt exemplaria describuntur, vt notat ipse Abul. Ius ergo hoc loco non significat verã Regis, & à Deo concessam potestatẽ, in actiones huiusmodi exercendas; sed tyrannicã, quæ frequens est regnantibus, licentiam. Quod iniquissimus ipse Calumus non inficiatur lib.4. Instit. c.vlt. §.26. ibi: *Certè non id iure fatiuri erant Reges.* Samuel autem Dei iussu, vt eos ab instituto consilio habendi Regis deterreat, non solum ea, quæ licitè Reges exequi assolent, sed & quæ per tyrannidem & violentiam moliuntur, ob oculos exponit. Vnde ius hoc loco non veram potestatem, sed consuetudinem, vt sæpè aliàs, significat, vt multis probat Mendoza num. 11. §. 1. & Lorin. in Psalm.118. vers.131.

Caluin. Mendoza. Lorin.

VERSVS X.

Vulgata. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se Regem. Vulgatæ

VERSIO

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Dixítque Samuël omnia verba Domini ad populum qui petebant ab eo Regem.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et dixit Samuël omnia verba Domini populo, qui Regem ab eo postulauerat.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et dixit Semuël omnia verba Domini ad populum, qui petentes ab eo Regem.

Complut. Regia. *Grec. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et dixit Samuël omnia verba Domini ad vniuersum populum petentes ab eo Regem.

Sixtia. *Grec. ex Sept. in Sixtia.* Et dixit Samuël omne verbum Domini ad populum petentes ab eo Regem.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Greg. 1 *Dixit itaque Samuël omnia verba Domini.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. 1. Videamus ergo stultæ audaciæ hominis, quam dignè respondeat pia dispensatio Conditoris. Iura hominum proponuntur contemnentibus iura Dei; & his, qui mitia & salubria diuinitatis consilia spreuerant, dura & importabilia humanæ seruitutis onera prædicuntur; vt ex his secum rationem facerent, quàm intolerabilia essent imperia hominis eis, qui non tam imperantis, quàm monentis Dei, ne id peterent, consiliis obedire noluissent.

Histor. Ioseph. 2 *Dixit itaque Samuel omnia verba Domini.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 4. His auditis, Samuël manè conuocatis Hebræis, declaraturum se illis Regem promisit, addens velle se priùs indicare quæ erant sub Regibus ferenda, & in quantis incommoditatibus erit viuendum.

Literal. Abul. 3 *Dixit itaque Samuel omnia verba Domini.* Abul. ibi quæst. 18. Ista verba sunt ea, quæ habentur infra de iure Regis, & Deus dixerat illa Samuëli, scilicet nocte præcedenti, cùm apparuit ei.

Literal. Mendoza. Ioseph. Philo. Sabellic. 4 *Dixit itaque Samuël omnia verba Domini.* Franc. Mend. ibi §. 1. Deum quidem audiuit Samuël nocturno tempore: populum autem admonuit matutino, vt Iosephus, Philo Biblicus, & Sabellicus aduertunt. Nam reuelationes sub noctem frequentiùs haberi solent: sub auroram conciones.

Literal. Abul. 5 *Ad populum, qui petierat à se Regem.* Abul. ibi quæst. 18. Iste populus erat multitudo Seniorum, qui conuenerant de toto Israël in Ramatha, ad Samuëlem, vt constitueret eis Regem. Vocantur isti populus, quia multi erant, cùm dicatur suprà: Quòd congregati vniuersi maiores natu Israël. Vel vocantur populus, quia nomine totius populi illi veniebant ad Samuelem.

Literal. Author Catenæ. Seuer. 6 *Ad populum, qui petierat à se Regem.* Author Catenæ. Alicuius difficultatis est, eos, qui antea Seniores appellati sunt, modò populum nominari. Gliscit inde etiam difficultas, quòd Seuerus non solùm *populum vocat*, sed & *plebem*. *At ille*, inquit, lib. 1. sacræ Histor. *placidè salubri oratione ab insana voluntate detorquere plebem, &c.* Chrysostomus etiam lib. de Virginit. cap. 28. tom. 5. *imperitam* vocat *multitudinem*. Seniores verò periti quidem erant, cùm pro sapientibus & prudentibus nomen senioris vsurpetur. Sufficienter respondet Abulensis suprà relatus. Nisi etiam dixeris, cùm diem integrum seniores responsum Samuelis opperiissent, ne fortè inter plebem vulgata, ad eorum conuentum coiisse, insanis seniorum consiliis adhærentes.

Chrysost.

Abul.

VERSVS XI.

VVlgata. Et ait: hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciétque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum. Vulgata.

Benedict. in margine. Ponet in curribus suis, & pro equitibus suis, qui currant ante currum eius. Benedict.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et dixit: hæc erit lex regis, qui regnaturus est super vos: Filios vestros tollet, & ponet sibi in curribus suis, & equitibus suis, & current ante currum eius. Pagn.

Hebraic. ex Francisc. Vatabl. Et dixit: hoc erit ius Regis, qui regnabit super vos: Filios vestros accipiet, & ponet eos sibi in currum suum, vt sint equites eius, & currant ante currum eius. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et dixit: hoc erit statum Regis, qui regnabit super vos: Filios accipiet, & constituet eos sibi in curribus suis, & in equitibus suis, & sequentes ante currus suos. Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia. Et ait: hoc erit ius Regis regnantis super vos: Filios vestros tollet, & ponet eos in curribus suis, & in equitibus suis, & præcursores curruum suorum. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtia. Et dixit: hæc erit iustificatio Regis, qui regnabit super vos: Filios vestros capiet, & ponet eos in curribus suis, & in equitibus suis, & præcursores curruum suorum. Sixtia.

Gregor. lib. 4. Variar. cap. 2. Plerique codices habent: Persecutores quadrigarum suarum. Gregor.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Clem. Alexand. 1 *Hoc erit ius Regis.* Clemens Alexandrin. lib. 3. Pædagogi. Transgressis Iudæis per Samuëlem Prophetam, verbum protestans petenti Regem populo, non humanum pollicetur Dominus, sed quendam se insolentem daturum eis minatur tyrannum, libidini, & voluptati deditum; qui vestras, inquit, filias accipiet in vnguentarias, coquas, & panificas; vt qui belli lege eas inuaserit, non autem sequatur pacificam Reipublicæ administrationem.

Literal. Beda. 2 *Hoc erit ius Regis.* Beda lib. 2. exposit. Allegor. cap. 1. Non qualis esse debeat moderatus, ac iustus Imperator exponit, cuius & in plerisque Scripturæ sanctæ locis, & maximè in Deuteron. perfectio doceturi; sed potiùs Rector improbus à quo austeritate subiectos sit oppressurus, intimat, vt per hoc populum à pertinaci illius petitione reuocet.

Literal. Rupert. *Saul in furore datus.* 3 *Hoc erit ius Regis.* Rupert. lib. 6. comment. in Oseam tom. 1. *Dabo tibi Regem in furore meo.* Factum hoc fuerat in primo Rege Saül, quem petenti populo dederat. Denique in furore suo Regem illum dedit, sicut ipsa eius verba indicant, cùm dicit: *Hoc erit ius Regis, &c.* Ita in furore suo datum abstulit in indignatione sua, dicens ad Samuël: *Pœnitet me, quòd constituerim Saül Regem.*

Histor. Seuerus. 4 *Filios vestros tollet.* Seuerus Sulpit. lib. 1. sacræ Histor. At Samuël placidè salubri oratione ab insana voluntate detorquere plebem, dominationem regiam, & superba imperia exponere, libertatem exrollere:

extollere: seruitutem detestari postremò diuinam eis iram denunciare, siquidem homines mente corrupti, Deum Regem habentes, Regem sibi ex hominibus flagitarent.

Mystic. Gregor. 5 *Filios vestros tollet.* Greg. lib.4. Variar.cap.2. Filij electorum hi sunt, qui eorum virtutes imitantur. Currus etiam carnalium Prælatorum sunt fastus mundanæ elationis. Nam dum cæteris sublimiores esse gloriantur, quasi curribus vecti, per alta gradiuntur. In curribus ergo fidelium filij ponuntur, quando pastores reprobos per appetitum mundanæ gloriæ sequuntur, cùm relictis spiritualibus studiis, carnalis vitæ commoda expetunt.

Histor. Ioseph. 6 *Filios vestros tollet.* Ioseph. lib.6. Antiquitat. cap. 4. Scitote ergo primùm, quòd à vobis abstrahent vestros liberos, & alios aurigas sibi facient: alios equites, & satellites, & cursores, & tribunos, ac censores.

Literal. Abul. 7 *Filios vestros tollet.* Abul. ibi q.17. Tollere significat violentiam; & est sensus, quod inuitis ipsis, Rex acciperet filios eorum ad seruiendum sibi.

Literal. Mendoza. 8 *Filios vestros tollet.* Franc. Mend. ibi §.14. Hæc violentia exercebatur in filios, quos parentes habent vel ipsa vita chariores.

Literal. Author Catenæ. 9 *Filios vestros tollet.* Autor Catenæ. Vel hinc apparet relatas hîc iniurias non à Saüle, nec ab immediatis successoribus ferendas fore; cùm nusquam probetur currus, aut equos Saüli, aut Danidi fuisse in vsu bellico; quorum prior maxima opum penuria, immo & armorum laborauit: posterior verò diuino cordi concors diuinam legem verebatur Deuter.17.16. Deuter.17.16. *Rex non multiplicabit sibi equos.* Relatam ergo iniuriam à Salomone primò acceptam, datur intelligi, qui, vt habetur 3. Reg.4.26. 3.Reg.4.26. *Habebat quadraginta millia præsepia equorum curruum, & duodecim millia equestrium.* Minas ergo Samuëlis non de priori Rege, sed de posterioribus etiam Regibus intellige.

Mystic. Gregor. 10 *Et ponet in curribus suis.* Gregor. suprà. Benè non in curru, sed in curribus ponendi Israëlitarum filij dicuntur, quia ex omni, quod præcedit, in carnalium Prælatorum culmine proficiunt in elatione, & quasi tot sublimibus curribus in alta se eleuant, quot alta conspiciunt, quibus aliis se superiores putant. Bonorum ergo filios Rex in curribus ponit, quando carnalis rector electorum imitatores exemplo suæ prauitatis ad elationis vitia pertrahit, vt cœlestia postponant; terrena appetant.

Literal. Abul. *Currus quales?* 11 *Et ponet in curribus suis.* Abul. ibi quæst.17. Dupliciter intelligitur. Vno modo de curribus, qui sunt plaustra, & pertinent ad agriculturam, & opera rustica, scilicet quòd Rex acciperet de filiis Israëlitarum aliquos ad seruiendum sibi in opere rurali. Alio modo accipitur pro curribus falcatis, qui pertinent ad genus belli. Erant autem isti currus habentes in rotis gladios curuatos in modum falcis, & extensos in transuersum. Cùm autem currus mouerentur impetu magno, quicumque prope currum esset, discerpebatur, & ideò omnes fugiebant à curribus. Portabantur autem isti currus ab equis quatuor; qui etiam armati erant aliquo genere leuis armaturæ, ne læderentur ab hostibus incursantibus; & super currum erat vnus vir armatus, qui pugnabat; alius autem erat super equos, qui vertebat eos quocumque vellet. Fuit autem istud antiquissimum genus armaturæ, erátque pretiosum, quia erat magnorum sumptuum.

Literal. Pina. 12 *Et ponet in curribus suis.* Ioannes de Pina in cap.1. Ecclesiastici, Ethologia 113.num.16. Idcò ni-mirùm Regem deposcebant Hebræi, vt pro eis arma caperet: Subiungit Deus fore vt eum primi belli ducem habeant, etiam ex filiis eorum milites eligat, & cuiusuis generis armorum artifices efficiat; fieri enim non potest, quin subditi superioris ingenij viros non imitentur.

Literal. Mendoza. Alex. Siculus. Plin. Lucan. 13 *Et ponet in curribus suis.* Franc. Mend. ibi. Sensus potest esse. Vtetur filiis vestris, tanquam equis ad trahendos currus, vt de Sesostre Imperatore Ægypti retulerunt Alexander ab Alex. Siculus, Plin. & Lucan.

Mystic. Gregor. 14 *Faciétque sibi equites.* Greg. suprà. Velut enim in equis seruiunt qui, & sublimes sunt dignitate, & potentia truces. Equites etiam sunt, quia dum feroces cordis sui motus contra impotentes dirigunt ad omne, quod per tyrannidem exercere appetunt, veloces sunt. Anhelant quoque impetu; spumant rabie, & quos cursu tyrannidis impetunt, elidunt.

Literal. Abul. 15 *Faciétque sibi equites.* Abul. ibi quæst.18. Scilicet homines armatos pugnantes in equis. Rara enim erat apud antiquos equestris pugna, & tamen Reges, qui fuerunt glorioli habebant equites.

Literal. Author Catenæ. 16 *Faciétque sibi equites.* Autor Catenæ. Filios Israëlitarum equites, à Rege factos non intelligo de aurigis, immediatè enim hoc præcessit: *Et ponet in curribus suis*; sed de iis, qui equos domarent, vel exercerent, ne otio torpescerent, vt equis otiosis euenit. *Præcursores* verò quadrigarum, non etiam de aurigis explico, sed de iis, qui auctoritatis, & maiestatis causa, vel procerum equos, aut quadrigas præcedunt, quos vulgari sermo Hispaniæ *Lacaios* vocat, latinè vero anteambulones dixeris. Aurigas enim reddendos iam priùs dixerat, nec vt repeteretur immediatè, causa erat, vt teutologia cuitetur.

Mystic. Gregor. 17 *Et præcursores quadrigarum suarum.* Greg. suprà. Quæ sunt quadrigæ Regis, nisi peruersæ mentes malorum subditorum, in quorum consiliis Prælatus reprobus requiescit? Quadrigæ enim sunt, quæ reges portant, dum per iniqua consilia prauorum acta rectorum adiuuantur. In eis quippe quasi per sublime Rex ducitur, dum per eos, qui ad temporales honores eis fauent, quicquid carnales præpositi de altitudine sæculi in desiderio volunt, exequuntur.

Literal. Abul. 18 *Et præcursores quadrigarum suarum.* Abul. ibi q.18. Vocantur præcursores aurigæ, scilicet, qui dirigebant currus. Nam in pugna currili erat super currum vnus vir armatus, qui pugnabat contra hostes; alius autem erat super equos dirigens eos.

VERSVS XII.

Vulgata. Et constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum.

Text. Gloss. in marg. Tribunos, & quinquagenarios. Text. Gloss.

VERSIONES.

Hebr. ex Xante Pagn. Et ponet sibi tribunos, & quinquagenarios, & ad arandum arationem suam, & ad metendum messem suam, & ad faciendum vasa bellica sua, & arma curruum suorum. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Ponet quoque eos sibi in Tribunos, & quinquagenarios, & arent agros suos, & metant messem suam, atque qui conficiant arma bellica, & instrumenta currus eius. Vatab.

Chaldaic.

Ariasm. *Chaldaic. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et ad præficiendum sibi magistros millium, & magistros quinquagenorum, agricolas ad arandum arationes suas, & ad metendum messes suas, & opifices ad faciendum vasa belli sui, & vasa curruum suorum.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Et ponet eos sibi ipsi tribunos, & centuriones, & arare agriculturam suam, & metere messem suam, & vindemiare vindemiam suam, & facere instrumenta sua bellica, & instrumenta curruum suorum.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et ad ponendos eos sibi centuriones, & chiliarchos, & ad metendum messem ipsius, & vindemiandâ vindemiam ipsius, & ad facienda vasa bellica ipsius, & vasa curruũ suorum.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Et constituet sibi Principes millenarios, & Principes quinquagenarios, & aratores agrorum suorum, & messores segetum suarum, & fabros armorum, & curruum suorum.

Isidor. Clar. *Isidorus Clarius ibi.* Et constituit sibi *quinquagenarios.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *ET constituet sibi Tribunos.* Greg. lib. 4. Variar. c. 2. Tribuni, & centuriones fiunt, cùm in tantum mali profectum veniunt, vt ad exequenda tyranni imperia impiis satellitibus principantur. Cùm mundanarum virium acies ordinant, quas ad innocentum bella perducant.

Histor. Ioseph. 2 *Et constituet sibi tribunos.* Ioseph. lib. 6. Antiq. cap. 4. Scitote ergo primùm, quòd à vobis abstrahent liberos vestros, & alios aurigas sibi facient: alios equites, & satellites, & cursores; & Tribunos, ac centuriones; & alios item opifices armorum suorum, ac curruum, aliorumque instrumentorum fabros: præterea villicos aruorum suorum, & aratores, & vinearum fossores, & nihil est, quod non cogentur facere more mancipiorum, qui pecunia parantur.

Literal. Abul. 3 *Et constituet sibi tribunos.* Abul. ibid. q. 18. Id est de filiis vestris faciet Tribunos. Isti erant Principes armorum in bello. Nam diuidebatur semper exercitus in duces, vt non essent omnes immediatè subditi vni viro, sed cùm diuisi essent in plures per subordinationem facilius fieret, & melius res bellica ageretur. Isti autẽ Principes tenent multiplicem gradum secundùm pluralitatem, & paucitatem subiectorum sibi. Vocantur autem quidam Tribuni, idest millenarij, quoniam mille viros habebant sub ducatu suo. Alij vocabantur Centuriones, quia quilibet eorum habebat centum viros sub se.

Literal. Abul. 4 *Et constituet sibi tribunos.* Idem ibidem. q. 22. Si necessitas militandi non esset pro præsenti, sed pro futuro, dicendum est, quod iustum est, & rationabile, quòd aliqui sint militantes, & eruditi ad bellum, antequam hostilis necessitas ingruat; alioquin facile est superari quoscumq; pugnantes; nihil enim magis est, quod ad bellũ conferat, quàm armorum exercitium, & assiduitas. Sic enim dicit Vegetius lib. 1. de Re Militari, quod Romani omnes gentes sola armorum exercitatione vicerunt. Nam Græci prudentiâ superiores erant: Africani autem dolositate maiores: Hispani autem viribus, & fortitudine sine dubio superabant. Sed has omnes gentes solâ exercitatione vicerunt. Dicendum, quod oportet, quòd Respublica semper habeat aliquos, qui armorum peritiam, & consuetudinem habeant. Et quantum ad hoc Rex, vel populus potest adscribere militiæ, quos voluerit. Si autem non sit necessitas militantium, sed quòd Rex ad gloriam, & excellentiam suam velit multos adscribere militiæ, erit iniustum accipere aliquem inuitum ad militiã.

Vegetius.

5 *Et constituet sibi Tribunos.* Hug. Charens. in Postilla. Nota: Tribunos, & Centuriones, &c. nomina dignitatum; numerantur autem inter angarias, & exactiones & seruitutes, quod dignitatis prælatio humili seruitio angaria est. Est etiam omnis prælatio terrena seruitus in se. Vnde & Papa vocat se seruum seruorum. Literal. Moral. Hugo. Charen. *prælatio omnis est.*

6 *Et constituet sibi Tribunos.* Franc. Mend. ibi, §. 2. Dubitatio est, in quo huius iniuriæ ratio ponatur? Nam hæc munia tam in bello, quàm in pace gloriosa erant iis, quibus dabãtur. Fortasse quia quantum honorum dabatur ex vna parte, tantum tributorum ex altera exigebatur. Quod planè contigit tempore Salomonis; nam illi ipsi, quos Rex Salomon tam multis præfecturis exornarat. 3. Reg. 9. 22. accesserunt postea ad eius filium Roboamũ, dicentes: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis.* 3. Reg. 12. 4. Nam vt ibi Liran. exponit: Honores dabat, sed pecunias extorquebat. Secundò, quia in suam vtilitatem non in populi commoditatem hos magistratus eligebat, obsequentes sibi potiùs, quàm populo consulentes, vt patet ex pronomine *sibi: Constituit sibi tribunos.* Literal. Mendoza. 3. Reg. 9. 22. 3 Reg 12. 4 Liran.

7 *Et constituet sibi Tribunos.* Auth. Catenæ. Pro Tribunis Anselmus Laudunensis *Iudices* exponit. Inter eas ergo violentas oppressiones, quas à tyrannis Regibus populus perpessurus præscribitur, illa prima est: scilicet iudices aliquos ex eis esse creandos. Cedat ergo vesana hominum illorũ dominandi libido, qui iudiciariæ potestati, fastuique inhiãt, cùm ex diuina Samuelis sententia, non tantum hęc honoris, quantum oneris, & molestiæ contineant; & iudicem fieri, irati, & comminantis Numinis effectus describatur. Nouit hæc tandem in Canticis sponsa, dum queritur: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem vineæ: vineam meam non custodiui.* Cantic. 1. Tropol. Author Catenæ. Laudun. *Iudicis munus graue onus.* Cant. 1.

8 *Et Centuriones.* Greg. suprà. A centenario numero Cẽturio dicitur, & quia cẽtenarius numerus perfectionem significat, in malam partem peruertitur, quando ad summã nequitiæ ab impiis peruenitur. Mystic. Greg.

9 *Et aratores agrorum suorum.* Idem ibid. Carnalis præpositi agri, mentes sunt subditorum. Aratores verò horum agrorum sunt qui arte sæcularis ingenij eis suadent acta prauitatis. Velut enim agrorum soliditatem loquendo aperiunt, qui per reproba consilia simplicium corda corrumpunt. Mystic. Idem.

10 *Et messores segetum.* Greg. suprà. Segetes metunt, quando semina praui consilij decepta corda minorum fructum reddunt malæ operationis; Quæ profectò opera segetum appellatione designantur, quia peruersitas reprobi subditi, dum carnalibus rectoribus gaudenter excipitur, eorum quasi electus est cibus mentis. Mystic. Greg.

11 *Et fabros armorum.* Idem ibid. Quæ sint arma, & currus tyrannorum, nisi illa omnia nocendi instrumenta, quæ ad euertenda corda minorum præparantur? Sed quia curru peruenitur, quo armis tectatur, armorum, & curruum Reges fabri fiunt, quando nequissimâ cordium suorum machinatione inueniunt, & mala, quæ agant, & eadem mala inuenta qualiter inferant. Mystic. Idem.

VERSVS XIII.

Vulgat. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Vulgata.

Benedict. *Benedict.in marg.* Filias quoque vestras tollet in vnguentarias.

Glóss. *Text.Gloss.in marg.* Filias quoque vestras tollet in vnguétarias,& pistrices,vel coquas,& panificas.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr.ex Xante Pagn.* Filias quoque vestras tollet pro vnguentariis,& coquinariis, & panificis.

Vatab. *Hebr.ex Franc.Vatab.* Filias deinde vestras tollet,vt sint vnguentariæ;cupedinariæ, & pistrices.

Ariasm. *Chald.ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et filias vestras accipiet ad ministras ad coquas,& ad pistrices.

Complut. Regia. *Grac.ex Sept.in Compl.& Regia.* Et filias vestras accipiet in vnguentarias,& focarias,& panificas.

Sixtus. *Grac.ex Sept.in Sixtia.* Et filias vestras capiet in vnguentarias, & in coquinarias, & in panificas.

Interl. Regia. *Interl. Regia.* Filiásque vestras accipiet in pigmentarias.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Chrys. 1 *Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias.* Chrys.hom.24.in 2.epist.ad Cor.tom.4.Quia illos auertere volebat, multa difficilia congerens dicebat de futuris Regibus, quòd vxores illorum facturi essent panificas; viros pastores: mulorum magistros,& alia Regum ministeria diligenter persequitur, quoniam videbat illos nulla persuasione auocari, sed incurabili morbo laborare.

Mystic. Gregor. 2 *Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias.* Greg.lib.4. Var. c.2. Filiarum nomine infirmorum mentes intra sanctam Ecclesiam positæ designantur;quæ Regis vnguentariæ fiunt,quia dum carnales præpositos in celsitudine gloriæ transeuntis aspiciunt,eos delinire adulationibus conantur.Horum profectò vnguentorum vsum Psalmista reprobans ait: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Psalm.140. Psalm.140.Filiæ ergo vnguentariæ fiunt,quia dum carnalibus præpositis infirmi displicere metuunt, eorum feritatem, cui timendo subiacent, blandimento demulcent.

Histor. Ioseph. 3 *Filias quoque vestras,& c.* Ioseph.lib.6.Antiq. c.4. Faciet sibi vnguentarias,& culinarias, & panificas, & ad alia ministeria compellent,quæ ancillæ necessariò verberum formidine obeunt.

Literal. Comest. 4 *Filias quoque vestras,& c.* Comest.ibi c.9.Filias vestras faciet vnguentarias, & coquestrias, & panificas.

Moral. Abul. *Regum lxxx.* 5 *Filias quoque vestras,& c.* Abul.ibi q.23.Nam licèt à principio sæculum rude fuerit,& Reges non multum curarent de his delectationibus, sed communem cum aliis vitam ducerent, tamen cùm incœperunt habere magnâ illam potestatem regiam, incœperunt se tradere omni delectamento, & habuerunt curam, vt nihil præteriret eos, quod delectationem aliquam afferre posset.Sic enim fecit Salomon, qui fuit tertius Rex Iudæorum; vt patet Eccles.22. Ecclesiastes cap.22.

Mystic. Gregor. 6 *Et focarias,& panificas.* Gregor.suprà. Quæ etiam focariæ,& panificæ Regis fiunt, quia qui tyrannis adulando seruiunt, dum fauendo placent, velut cibos exhibent. Focariæ etenim sunt, quæ focis coquunt quæ Reges comedunt.

Literal. Abul. *Focaria quæ?* 7 *Et focarias,& panificas.* Abul.ibi.q.23. Vocantur focariæ mulieres parantes cibos, omnes enim cibi igne digeruntur.Ideò paratrices pulpentorum à foco denominantur,& per hoc intelliguntur omnes modi confectionis ad delectationem, quæ est in gustu. Aliquando autem accipiuntur focariæ pro concubinis, sic enim nos accipimus, & dicuntur focariæ à foco, quia ad eundem focum manent; idest in eadem domo cum illo,cuius concubinæ sunt.Hic autem accipitur primo modo pro pulmentariis;quamuis etiam in isto secundo modo accipi posset.

Literal. Author Catenæ. *Focaria quæ?* 8 *Et focarias,& panificas.* Autor Catenæ.Licèt focaria concubinam aliquando significet, vt patet ex iure Ciuili *leg.3. Cod.de Donat. inter virum,& vxorem,* ibi. *Milites tamen meos, à focariis suis hac ratione,fictisque adulationibus spoliari nolo.* Ex versionibus tamen,& ex communi sententia,& ex ipsius contextus vi constat pro culinariis vsurpari, quæ iuxta focum cibos apparant. Vnde in priori vsurpatione extra rem defluit Abulensis,& vsque ad nauseam digreditur ad quæstiones supra ducentas de Natura,& Iure Concubinatus, & Matrimonij. Abul.

VERSVS XIV.

Vulgata. **Vulgata.** Agros quoque vestros,& vineas, & olieta optima tollet, & dabit seruis suis.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr.ex Xante Pagn.* Et agros vestros,& vineas vestras, & olieta optima accipiet, dabitque seruis suis.

Vatab. *Hebraic.ex Franc.Vatab.* Agros quoque vestros, vineta vestra, & olieta vestra optima tollet, & tradet seruis suis.

Ariasm. *Chaldaica ex Bened. Ariasm.in Regia.* Et agros vestros & vineas vestras,& oliuas vestras bonas accipiet, & dabit seruis suis.

Compl. Regia. *Græca ex Septuag.in Complut.& Regia.* Et agros vestros,& vineas vestras,& olieta vestra bona tollet, & dabit seruis suis.

Sixtia. *Græca ex Sept.in Sixtia.* Et agros vestros, & vineas vestras,& olieta vestra bona capiet,& dabit seruis suis.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Agros quoque vestros.* Greg.lib.4.Variar.c.2. Qui sunt agri bonorum,nisi deuotæ mentes subditorum? quæ dum eorum verba libenter audiunt,bonorum operum vberem fructum reddunt. Quæ autem vineæ eorum, nisi mentes eorum ita imitatione proficientium,vt etiam aliis verbum vitæ præbeant;& quos loquendo in amorem conditoris accendunt,velut potando ebrios faciunt? Quæ verò olieta sunt,nisi corda auditorum, qui bonorum exemplo, & exhortatione proficiunt in opus misericordiæ. Sed dum Rex constituitur, agri tolluntur, quia dum carnales perueniunt ad culmen regiminis, nonnulli bonorum auditores exempla suscipiunt prauitatis.

Histor. Ioseph. 2 *Agros quoque vestros.* Ioseph.lib.6.Antiquit. cap.4. Possessiones etiam vestras vobis ablatas Eunuchis suis, & satellitibus donabunt, & pecorum greges vnicuiuis è suis largientur.

Literal. Abul. 3 *Agros quoque vestros.* Abul.ibi q.236. Scilicet per tyrannidem, sicut Acab accepit vineam Naboth,& insuper fecit illum occidi,quia non sponte dederat, vt patet 3.Reg.21. Deus vetuerat aliquid accipere Reges de possessionibus subditorum ad dandum seruis suis, vt patet Ezech.46. 3.Reg.21. Ezech.46.

Literal. Author Catenæ. 4 *Agros quoque vestros tollet.* Autor Catenæ. Omnimodam tyrannorum sæuitiam in inualidos subditos eleganti artificio ob oculos apponit, qui nec realibus parcerent bonis,nec personalibus,non filiis, non filiabus, non item vxoribus, ex mente

Chryso

Chrysost. Chrysostomi, non agris, non prædiis, vt tantorum malorum horrore eorum contumacia leniretur. Cæca tamen Hebræorum mens, vt priori consilio adhæresceret, prædicta omnia deuorauit, & grauiora quæque deglutiret.

Mystic. Greg. 5 *Et vineas, & olueta optima.* Gregor. suprà. Oliueta, & vineæ tolluntur, cùm exemplo mali præpositi misericordiæ opera, & sanctæ prædicationis verba exhibenda, & loquenda, deseruntur.

Mystic. Idem. 6 *Et dabit seruis suis.* Idem ibidem. Benè seruis Regis dari ablati agri, & vineæ, & oliueta memorantur; serui quippe sunt, qui dominorum iuri semper subditi euadere nequeunt iura dominationis. Serui itaque sunt Regis, qui per abundantem iniquitatem sic se tyrannorum voluntatibus obligant, vt ab eis vlteriùs non recedant.

Literal. Moral. Mendoza. 7 *Et dabit seruis suis.* Franc. Mend. ibi §. 1. & 4. Non sine diuino permissu, & instinctu, vt Hebræi qui filios Samuëlis munera accipientes non tolerabant, Reges priuata ciuium bona per vim diripientes tolerare cogerentur. Ex quo non mediocriter crescit iniuria, & ciuium patientia irritatur. Nam si Rex in suos vsus ciuium bona conferat, modestiùs ferent boni ciues: si ad alienos transferant, iniquissimè patientur.

VERSVS XV.

Vulgata. *Vlg.* Sed & segetes vestras, & vinearũ reditus addecimabit, vt det eunuchis, & famulis suis.

Benedict. *Benedict. in margine.* Sed & semina vestra, & vinearum reditus.

Glossa. *Text. Gloss. in margine.* Sed & de seminibus vestris, & vineis vestris capiet decimas, vt det, &c.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et de seminibus vestris, & vineis vestris capiet decimas, & dabit eunuchis suis, atque seruis suis.

Vatab. *Hebr. ex Franc. Vatab.* Semina vestra, & vineas vestras decimabit, dabitq; eunuchis suis, ac seruis suis.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et semina vestra, & vineas vestras accipiet in decima, & dabit Principibus suis, & seruis suis.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia.* Et semina vestra addecimabit, & vineas vestras, & dabit eunuchis suis, & seruis suis.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixt.* Et semina vestra, & vineas vestras decimabit, & dabit eunuchis suis, & seruis suis.

PP. ET AVCTORES.

Gregor. 1 *Sed & segetes vestræ.* Greg. lib. 4. Variar. cap. 2. Quasi dicat: Sub Pastore reprobo electorum bona, etiam integra non sunt; sed quod bonis demitur, eunuchis, & famulis Regis datur. Eunuchi, & famuli carnalium Prælatorum, sunt eius auditores hypocritæ. Eunuchi quidem sunt, quia sæcularem voluptatem se abiecisse ostendunt, sed Regis sunt famuli, quia per omne, quod de virtutibus se habere simulant, in se reproborum præpositorum impositum iugum portant.

Literal. Mend. 2 *Sed & segetes vestræ.* Franc. Mend. ibi §. 1. Dubitabis; si præcedenti numero dicuntur Reges Israel agros, & vineas ablaturi, quo pacto dicuntur hoc loco solùm decimaturi? Respondeo distinguendo vel personas, vel possessiones. Personas quidem, quia ab aliis totos agros, & vineas extorquebant: ab aliis verò solùm agrorum, & vinearum reditus addecimabant: possessiones verò quia optimas quidem in integrum vsurpabant, at verò ex mediocribus decimam tantùm fructuum partem exigebant.

Literal. Interl. 3 *Et vinearum reditus.* Glossa Interl. ibi. Quæ redeunte anno vineæ proferunt.

Literal. Tropol. Abul. *Regibus an liceat tributa imponere?* 4 *Addecimabit.* Abul. ibi q. 237. Quæret aliquis, an talis impositio licita sit? Respondendum est, quòd Regibus, & aliis Dominis nihil licet imponere subditis sine manifesta necessitate. Est enim Rex persona publica principaliùs intendens vtilitatem populi, quàm suam. Debent autem fieri rationabiles impositiones in regno, quæ pertinent ad iura Regis; supra hæc autem non licet Regi imponere quicquam, nec grauare, aut inducere subditos, vt consentiant impositioni, nisi aliqua manifesta necessitas euenerit, vt bellorum, vel similis. Tunc enim debet taxari per subditos, quantum rationabile est superaddi in impositionibus Regis; & illa quidem exiget Rex, quandiu fuerit in necessitate illa constitutus. Cũ verò cessauerit causa, non licèt sibi exigere, nisi fortè subditi nouum consensũ adhiberent.

Literal. Tropol. Mend. Exod. 22. 29. Leuit. 27. 30. 5 *Addecimabit.* Franc. Mend. ibi §. 2. Magnitudo huius iniuriæ in hoc consistit quòd in lege veteri erat præceptum diuinum positiuum soluendi decimas Sacerdotibus, & Leuitis, vt patet Exod. 22. 29. Leu. 27. 30. &c. non autem Regibus. Indignissimè igitur Reges eas sibi vsurpabant.

Literal. Helias Cretens. *Eunuchi qui?* 6 *Vt det eunuchis & famulis suis.* Helias Cretens. in orat. 3. Nazianz. Scriptura spadones, & eunuchos appellare solet, etiam eos, qui eunuchi non sunt, sed eorum locum, ac fidem obtinent. Vnde etiam Chaldæus vno vocabulo & spadonem, & eum, qui heris suis fidem præstat, nuncupat: quandoquidem eunuchorum nationi potissimùm creduntur, tum præstantissimæ quæque Regum opes, tum ipsa etiam Regum salus.

Literal. Abul. *Eunuchi qui?* Matth. 19. 7 *Vt det eunuchis.* Abul. ibi q. 237. Vocantur hîc eunuchi milites speciales Regi assistentes, quos ipse nimis diligit. Quamquam eunuchi aliquando vocantur viri castrati. Sic habetur Matth. 19.

Tropol. Mendoz. Seneca. *Tyrannorum crudelitas.* 8 *Vt det eunuchis.* Franc. Mend. ibi §. 7. Quis tam insolentem tyrannidem sustineret? Inuehitur Seneca Philosophus lib. 1. de Clement. cap. 18. in quendam Pollionem, qui murænas, quibus vescerentur, sanguine humano saginabat. Hanc tyrannidis speciem illi Reges incurrebant, vt seruos, quibus vtebantur, roborarent.

Literal. Carth. *Eunuchi qui?* 9 *Vt det eunuchis.* Carthus. ibi art. 16. Ideſt custodibus lecti sui, aut puellarum.

Literal. Autor Catenæ. *Eunuchi qui?* Maldonat. Perer. Castro. Lorin. Sanct. Rangol. 10 *Vt det eunuchis.* Autor Catenæ. Prolixa est historia de Eunuchis, quem libeat consulat ex nostris Maldonatum Ierem. 28. 7. Pererium Gen. 27. disp. 9. Christophor. Castrum. Ierem. 29. 2. Lorin. Actorum 8. 27. Sanct. in Daniel. Prologon. 2. & nouissimum Claudium Rangol. in præsenti. Compertum tamen videtur sermonem hîc non de castratis, seu exectis homunculis, sed de iis Proceribus, seu Dynastis, qui gratia Regum potiti, proximi eisdem assistunt, reſque siue bellicas, siue Reipublicæ, tanquam ministri Principis administrant; de quibus frequens in Scripturis mentio Gen. 37. 36. Iudic. 12. 10. Esther. 2. 3. Ierem. 38. 7. Daniel. 1. 3. Actor. 8. 27.

VERSVS XVI.

Vulgat. *Vlgat.* Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Seruos quoque vestros, & ancillas vestras, iuuenésque vestros optimos, & asinos vestros tollet, & faciet in opere suo.

Vatab. *Hebraica ex Franc.Vatab.* Seruos vestros,& ancillas vestras,iuuenes quoque vestros elegantes, & asinos vestros accipiet,illisque sua opera conficiet.

Ariasm. *Chald.ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et seruos vestros, & ancillas vestras, & pueros vestros pulchros, & asinos vestros accipiet, vt sint facientes opus eius.

Complut. Regia. *Grac.ex Sept.in Complut.& Regia.* Et seruos vestros, & ancillas vestras, & armenta boum, vestra bona, & asinos vestros accipiet, & addecimabit ad opera sua.

Sixtia. *Grac.ex Sept. in Sixtia.* Et seruos vestros, & seruas vestras,& armenta boum vestra bona,& asinos vestros capiet, & decimabit ad opera sua.

Caiet. *Caietan.ex Hebræo.* Et iuuenes vestros bonos,& asinos vestros tollet.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Seruos etiam vestros,& ancillas.* Greg. lib. 4. Variar. cap. 2. Serui & ancillæ sanctorum, sunt qui eis temporalia necessaria subministrant. Serui etiam, & ancillæ sunt, quia dum eis corporum necessaria tribuunt in eodem opere misericordiæ alij robustiores sunt, & optimi iuuenes; quia & qui multum, & qui parum possunt, dum omne, quod præualent in opere misericordiæ expendunt, velut electi iuuenes diuina seruitia valenter operantur. Asini quoque electorum sunt, quibus ferenda onera obedientiæ imponuntur, vt eorum fragilitatem adiuuent, dum ea cum eis portant, quæ sine eis portare nequaquam possent.

Literal. Tropol. Author Catenæ. *Principum fastus.* Damian. Chrys. Mendoza. 2 *Seruos etiam vestros, & ancillas.* Autor Catenæ. Familiare quidem vitium hoc principibus est, scilicet seruorum copia, & famulantium cateruis stipari; quam quidem vanitatem *delirã ambitionis insaniam* vocat S.Petrus Damian. epist.2. in lib. 2. In quam etiam libidinem inuehitur sæpe Chrysost. hom.40.in epist.1.ad Cor.hom.18. in epist.ad Hebræos, Petrus Damianus suprà, & alij apud Mendozam in præsenti,quibus & ipse solita eruditione, & aurea verborum elegantia subscribit.

Literal. Idem. 3 *Et asinos auferet.* Franc.Mend.ibi §.2. Altera iniuria est, quòd omnia genera animalium ad humanum obsequium comparata, auferent à ciuibus suis,& eorum laboribus in suis operibus vtentur,vt sic deficiant opes ciuiũ,& solorum proficiant opes Regum, ad quas in maius promouendas omnium labor animalium transferatur. Hęc omnia animalia clariùs Septuaginta expressêrunt loco iuuenum optimorum transferentes,*armenta boum,vestra bona.*

Mystic. Greg. 4 *Et ponet in opere suo.* Gregor. suprà. Quid est, quod in opere Regis serui & ancillæ,& iuuenes optimi ponendi prædicuntur; nisi quia præeminentibus carnalibus, & electorum ministri, & deuotè obedientium corda plerumque maculantur? Nam dum reprobam eorum vitam indesinenter aspiciunt, paulatim sic decidunt, vt aliquid de eorum factis imitentur.

Literal. Abul. 5 *Et ponet in opere suo.* Abul. ibi q. 237. Idest faceret,quod opera sua,scilicet tam agrestia, quam domestica fierent per seruos,& ancillas Iudæorum, nullo dato pretio pro hoc.

VERSVS XVII.

Vulgata. *Vulgata.* Greges quoque vestros addecimabit, vósque eritis ei serui.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. De pecoribus vestris decimam capiet; & eritis ei serui. Pagn.

Hebraica ex Franc.Vatab. Quin & gregem vestrum decimabit, eritisque ei serui. Vatab.

Chaldaic.ex Benedict. Ariasm. in Regia. Oues vestras accipiet vnam ex decem, & vos eritis illi in seruos. Ariasm.

Grac. ex Sept. in Complut. & Regia. Et greges vestros addecimabit, & vos eritis ei in seruos. Complut. Regia.

Grac. ex Sept. in Sixtia. Et greges vestros decimabit, & vos eritis ei serui. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Hieron. 1 *Greges quoque vestros addecimabit.* Hier. in Comment.Oseæ cap.8. Ideò eis dura Regis exponit imperia,& filios eorum, ac filias dicit Regibus seruituras, vt ad Dominum Regem clementissimum conuertantur.

Mystic. Gregor. 2 *Greges quoque vestros addecimabit.* Gregor. lib.4.Variar.cap.2.Quasi dicat: Dum pastor vobis carnalis præponitur, non modò vestris, sed etiam vobismetipsis virtutum prædæ inferuntur. Greges enim electorum sunt turbæ virtutum spiritualium: Quia verò & ipse spirituales virtutes exemplo prauorum dissipantur,Rex decimas tollit gregis,quando is, qui carnaliter præeminet in cordibus Sanctorum, aliquas virtutes perimit.

Moral. Chrys. 3 *Vósque eritis ei serui.* Chrys.lib.de Virg.c.29. tom.5.Quemadmodum is quàm potuit subtilissimè apud imperitam multitudinem regni leges exposuit, non vt Regem reciperent, sed ne reciperent; sic Paulus etiam connubij tyrannidem continenter inculcat, atque eo ipso sermone planiùs eos inde reuocare studet.

Mystic. Greg. 4 *Vósque eritis ei serui.* Greg.suprà.Quasi dicat: malorum exemplo paulatim decidetis: sed cadendo agitis,vt ab eorum imitatione nunquam recedatis; scriptum quippe est: *A quo quis vincitur,eius seruus efficitur,* 2. Petri 2. Quia enim per imitationem pastoris reprobi in peccati seruitutem incidũt, etiam ab eius iugo quando volũt solui non possunt. 2.Petri.2.

Literal. Auth.Cat. *Seruitus malorum extremum.* 5 *Vósque eritis ei serui.* Autor Catenæ. Post tot prænuntiata mala,fortunarum direptionem, filiorum filiarúmque spoliationem, tandem tanquam malorum extremum, duram sub tyranno Rege seruitutem comminatur, vt huius saltem præuisione periculi prudentiores effecti resipiscerent, & à petendo Rege cessarent.

VERSVS XVIII.

Vulgata. *Vulgata.* Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa,quia petistis vobis Regem.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic.ex Xante Pagn.* Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet Dominus vos in die illa.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Et clamabitis eo die propter Regem, quem elegistis vobis,& Dominus non exaudiet vos illo die.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et clamabitis in tempore illo ab ante Regem vestrum, quem voluistis vobis; & non accipiet Dominus orationem vestram in tempore illo.

Græca

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Et clamabitis in die illa a facie Regis vestri, quem elegistis vobis; & non exaudiet vos Dominus in diebus illis.

Sixtian. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri quem elegistis vobis; & non exaudiet Dominus vos in diebus illis, quoniam vos elegistis vobismetipsis Regem.

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Greg. 1 *Et clamabitis in die illa.* Gregor. lib. 4. Variat. expos. in 1. Reg. c. 2. Quasi dicat: In notitiam prauæ imitationis eius paulatim defluetis, sed prauitatis eius exempla, quibus vos sponte subiecistis, relinquere sponte minimè potestis. *Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati.* Ioan. 8. Quibus ergo peccata dominantur, per se ab eorum iugo liberari nequeunt. Nam sæpe ad Dominum cum precibus veniunt, liberari petunt, sed exaudiri non possunt. Diuino siquidem iudicio cum eis agitur; vt qui noluerunt mala vitare, cum possent; non possint, cùm vitare volunt; & qui sponte incurrunt mala prænota, fugere non possint experta.

Ioan. 8.

Histor. Ioseph. 2 *Et clamabitis in die illa.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 4. Cùmq; hæc omnia patiemini, veniet vobis in mentē huius meæ prædictionis, & pœnitentiā tacti supplicijs, Dei miserationem implorabitis, vt vos à Regibus liberet. Verū ille non admittet eas preces, sed repulsos sinet dare pœnas incōsultæ temeritatis.

Literal. Abul. 3 *Et clamabitis in die illa.* Abul. ibi. q. 237. Idest, quanquā clametis ad Deum, vt auferat vobis regiā seruitutē, non exaudiet auferendo illam. Cùm enim Israelitæ; viderent se nimis oppressos à Rege, clamabant, quòd Deus auferret eis Regem, & traderet aliud genus principatus; sed Deus non exaudiebat, & ipsi non poterant deponere Regem, quoniam nimis erant confortati Reges super illos.

Literal. Mendoza. 4 *Et clamabitis in die illa.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Sicut arbores mystico illo apologo sibi Rhamnum in Regem elegerunt, à quo tamen miserabiliter conflagrarunt, dicente: *Egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret cedros Libani.* Iudic. 9.

Iud 9.

Literal. Author Catenæ. 1. Reg. 10. 27 5 *Et clamabitis in die illa.* Autor Catenæ. Dies hæc clamoris, & vlulatus, non vnica, sed multiplex reperitur. Sæpe enim Regum iniurijs oppressi clamauerunt, Regemq; expellere conati, frustra sunt. Vt patet in primo Rege de Saüle, quem plerique despexerunt. 1. Reg. 10. 27. & sæpe alias.

Literal. Vatab. 6 *A facie Regis vestri.* Vatab. in Schol. Hebraismus: idest propter iniurias, quibus afficiet vos Rex vester.

Literal. Marian. 7 *A facie Regis vestri.* Mariana in Schol. Chaldaice *Ab ante Regem vestrum*; idest clamo eo, neque enim gemitus liber erit.

Literal. Menoch. 8 *A facie Regis vestri.* Menoch. ibi. Idest propter Regem vestrum, & tyrannidem, qua vos opprimet, clamabitis.

Mystic. Beda. Ps. 17. 9 *Et non exaudiet Dominus.* Beda lib. 2. expos. Allegor. c. 1. Patet hæc prophetia, & vsq; hodie apud Iudæos non cessat impleri, quia sicut in 17. Ps. scriptum est: *Clamabunt, & non est, qui saluet, ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Ad quos dicit Dominus: *Non exaudiam preces vestras, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

Literal. Gregor. 10 *Quia petistis vobis Regem.* Greg. suprà. Quasi apertè dicat, quia illū vobis dari postulastis, in quo hæc omnia futura, me prædicēte, cognouistis. Hæc vt superiùs dixi in typo Prælatorū carnaliū de futura Regis conuersatione prædicuntur, vt ab eius petitione quiescerēt, in quo tanta mala cognouissent.

VERSVS XIX.

Vulgata. Vulgata. Noluit autem populus audire vocem Samuelis: sed dixerunt: nequaquam: Rex enim erit super nos.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xantis Pagn.* Et renuit populus audire vocem Samuel: sed dixerunt: Nequaquam: sed Rex erit super nos.

Vatabl. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Populus verò noluit audire vocem Samuelis: sed dixerunt: minimè: Sed Regem habebimus nos.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et renuerunt populus audire dicto Samuelis, & dixerunt: Non: sed Rex erit super nos.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et non voluit populus audire vocem Samuel, & dixerunt eimequaquam: sed Rex erit super nos.

Sixtia. *Græc. ex Septuag. in Sixt.* Et renuit populus audire vocem Samuel: sed dixerunt: Nequaquam: sed Rex erit super nos.

PP. ET AVCTORES.

Morat. Gregor. 1 *Noluit autem populus audire.* Greg. lib. 4. Variar. c. 2. Quibus profectò verbis mores subditorum carnalium apertè describuntur, quia dum exteriora appetunt, interiora damna etiam exposita non attendunt.

Tropol. Idem. *Inobedientia mala?* 2 *Noluit autem populus audire.* Idem ibidem. c. 1. Iam quidem apertè cognoscimus horum Israelitarum audaciam, quam diuinæ indignationis iudicia secuta sunt, & tamen contra voluntatē Dei: contra Prælatorū sanctæ Ecclesiæ consilium agenda proponere non timemus. In malo quoq; proposito reprehensi resistimus, & salubria maiorum consilia insuperabili malo peruicaciæ vincere conamur. Videmus quāti mali incrementū sit pereuntes aspicere, & sequi ad perditionem eorum vestigia, non timere pœnales laqueos mortis incurrentes cernere, & de eisdē laqueis irretiri nequaquam metuere. Et illi quidem contra Domini voluntatem Regem petierunt, sed à regia dignitate postea actum est, vt populus, qui Deum abiecerat, idola coleret, simulachra adoraret. Quàm reuerenda ergo sint Maiorum consilia cernimus, si hoc solicitè consideremus, quia qui ea despicere ausi sunt, hoc se non prouiderunt agere, vnde tam profundo erroris pelago demergi potuissent.

Histor. Ioseph. 3 *Noluit autem populus audire.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 4. His premonitionibus multitudo erat surda, nec à proposito dimoueri poterat, contemptis omnibus, quæ Samuel in rem eorum afferebat, sed vrgebat obstinatè, vt missa futuri cura Regem crearet: quandoquidem, nisi Regis ductu, vindicare se de inimicis gentibus non valerent, nec esse absurdum, si cùm finitimi omnes regnentur, & ipsi eandem Reipublicæ formam accipiant.

Literal. Abul. 4 *Noluit autem populus audire.* Abul. ibi, q. 237. Neq; audientes talia, sunt conuersi, nec eisdem sermonibus eos Propheta, perterruit, sed magis vehementer instabant, & Regem sibi ordinari nimis postulabant: nec cogitandū de venturo esse censebāt, sed fore necessarium secum pro afflictione inimicorum habere pugnaturum Regem; quando nulla vicinarum Prouinciarum in tali conuersatione, & fine Rege consisteret. Dicitur autem quòd noluerunt audire verba Samuel, idest non obedierunt.

LITERAL. Mendoz. 5 *Noluit autem populus audire.* Franciſc. Mendoza ibi. §. 1. Nemo Samuelem dicentem interpellauit, ſed omnes quouſque peroraret, corporeis ſaltem auribus attentiſſimè auſcultarunt, vt ex eo facilè colligitur, quod ſtatim ad illius dicta, vtpote audita, & intellecta reſponderunt. Sermo igitur eſt de interna auditione; hoc eſt: Noluit eius dictis, aut credere, aut acquieſcere. Vbi incredibilis Iudæorum vel contumacia, vel perfidia demonſtratur.

MORAL. Palaf. 6 *Noluit autem populus audire.* Ioan. Palafox. lib. 1. Sacræ Hiſtor. Regalis. Samuel igitur melior extitit Prælatus, quàm Hebræi fuerunt ſubditi: Ille enim populum audiuit: hi verò iudicem, & rectorem non audiunt. Audiuit ille populum iniqua poſtulantem, hi verò ipſum non audiunt optima prouidentem. Hæc vulgi natura; hoc populi ingenium eſt.

LITERAL. Gregor. 7 *Sed dixerunt: Nequaquam.* Gregor. libr. 4. Variarum cap. 1. Magnæ quidem temeritatis extitit contra Dei voluntatem Regem petere: magnæ duritiæ conſiliis Prophetæ vinci non poſſe: magnæ temeritatis fuit ei rationes proponere, quem ſciebant, cuncta, quæ acturus erat, reuelante Domino, priùs ſcire: magnæ duritiæ illi non acquieſcere, quem nouerant ea tantùm, quæ Domino reuelante didicerat, imperare. Nam quid eſt, quod reſpondentes dicunt? *Nequaquam: ſed Rex erit ſuper nos.* Sed qui *nequaquam* dicunt, profectò id negant, quod audiunt. Apertè ergo in hoc verbo oſtenditur, quia ad hoc Propheta graue ius Regis expoſuit, vt nequaquam peteretur.

LITERAL. Interl. 8 *Sed dixerunt: Nequaquam.* Interl. ibi. Nequaquam, ſcilicet audiemus te.

LITERAL. Lira. 9 *Sed dixerunt: Nequaquam.* Lira. ibi. Scilicet dimittet nos Deus exaudire, ſi Regem habemus.

LITERAL. Abul. 10 *Sed dixerunt: Nequaquam.* Abul. ibi q. 237. Ideſt, nullo modo fiet iſtud, quod dicis, ſcilicet, quod propter iura Regis, nos dicamus (*alias deſinamus*) eligere Regem. Sed Rex erit ſuper nos, quomodocumque hoc accidat. De hoc autem, quod dixerunt, *Nequaquam*, quaſi animo valdè obſtinato redarguit eos Samuel infrà cap. 10.

LITERAL. Author Catenæ. 11 *Sed dixerunt: Nequaquam.* Autor Catenæ. Duplicem ſenſum poſſunt hæc reddere: primum, *Nequaquam*: ideſt non ita eueniet, vt ominoſus diuinator vaticinaris: Rex enim, non tyrannus exiſtet, qui nobis imperabit; quod ſi tyrannus extiterit, nuſquam clementiſſimus Deus clamores noſtros abiiciet, ſed miſericorditer exaudiet. Secundum, *Nequaquam*: hoc eſt: ne nos effectis periculis perterreas; quicquid enim mali euenerit, ne à cæptis decidamus conſiliis, facilè amplectemur. Ecce quanta eſt propriæ libidinis obcæcata temeritas.

MORAL. 12 *Rex enim erit ſuper nos.* Baſilius ad cap. 1. Iſaiæ verſ. 26. ibi: *Et reſtituam iudices tuos, vt fuerunt prius.* Cur tranſmiſſis Regibus, commeminit iudicum, etiamſi inter Reges nonnulli principatum populi obtinuerunt cum laude? An quia Reipublicæ adminiſtratio per iudices liberior fuit, quod populus ſolum Deum agnoſcebat Regem? Tandem Regum inſtitutio propriâ illorum temeritate, & conſilij prudentis inopiâ ſucceſſit. Equidem cùm tot beneficiis cumularentur, oportebat eos reuocari ad priſtinam illam, & beatam viuendi conſtitutionem.

LITERAL. Baſil.

HISTOR. Philo. 13 *Rex enim erit ſuper nos.* Pſeudophilo in Antiquit. Biblic. Et reſponderunt populi: Nos ſeruituti ſumus, & Rex noſter nobiſcum, quia nos indigni ſumus iudicari à Propheta. Nunc ſtatue ſuper nos Regem, qui nos iudicet, & omnes plorauerunt populi, & Rex planctu magno, & dixerunt: Viuat Propheta Samuel; & eo conſtituente Regem, attulerunt ſacrificia Domino.

VERSVS XX.

VVlgata. Et erimus nos quoque, ſicut omnes gentes: & iudicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Et erimus etiam nos, ſicut omnes gentes: iudicabitque nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Et erimus nos quoque, vt reliquæ omnes gentes, vt ius dicat nobis Rex noſter, & exeat ante nos, & bella noſtra gerat. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariaſm. in Regia. Et erimus etiam nos, vt omnes gentes: & vindicabit nos Rex noſter, & egredietur in capite noſtro, & iuibit bella noſtra. Ariaſm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et erimus & nos, ſicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixt. Et erimus etiam nos, ſicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & bellabit bellum noſtrum. Sixtin.

PP. ET AVCTORES.

1 *ET erimus nos quoque, ſicut omnes gentes.* Athanaſ. in Synopſi. Populus hactenus à Deo gubernatus, qui ſingulis temporibus liberatorem ipſis excitauerat, Regem ſibi ſecundum morem gentium à Samuele petierit. LITERAL. Athanaſ.

2 *Et erimus nos quoque ſicut omnes gentes.* Ioſephus libr. 6. Antiquitat. cap. 4. Sed vrgebat Ioſephobſtinatè multitudo, vt miſſa futuri cura Regem crearet; quandoquidem ſine Regis ductu vindicare ſe de inimicis gentibus non valerent: nec eſſe abſurdum, ſi cùm finitimi homines regnentur, & ipſi eandem Reipublicæ formam accipiant. HISTOR. Ioſeph.

3 *Et erimus nos quoque, ſicut omnes gentes.* Abul. ibi. q. 237. Putabant, quòd dedecus eſſet ipſis priuari regio honore: ſed non erat, quia honorabilius erat, eſſe ſine Rege, ſi commodè eſſe poſſet, quia liberiores eſſent, quàm habentes Regem. LITERAL. Abul.

4 *Et erimus nos quoque, ſicut omnes gentes.* Idem ibidem. Arguebant ex ſtatu omnium gentium: ſcilicet omnes gentes habent Reges, & non eueniunt eis mala ex hoc; ergo habeamus, ſicut omnes habent. Quaſi dicerent. Si malus principatus eſſet, non accepiſſent eum omnes gentes. LITERAL. Idem.

5 *Et erimus nos quoque, ſicut omnes gentes.* Franc. Mend. ibi. §. 2. Ac ſi dicerent: Si non omnes gentes tyrannis ſubiiciuntur, ſed nonnullæ ab æquiſſimis Regibus gubernantur, cur nobis ſpes non adſit fore, vt & nos, ſicut & aliæ gentes, mitiſſimos & iuſtiſſimos Reges ſortiamur. LITERAL. Mendoza.

6 *Et erimus nos quoque, ſicut omnes gentes.* Autor Catenæ. Per extrema quæque oberrat excæcata ſuperborum inſania. Phariſæus enim, qui MORAL. Author Catenæ.

aris

Luc.18. *Superbia per extrema oberrat.*

aris appositus, iustitiam suam iactat, cæteris hominum absimilem se esse gloriatur. *Non sum*, inquit, *sicut cæteri hominum.* Hæc ille: peruicax verò populus extremo errore percitus cæteris gentibus inhiat assimilari. *Et erimus nos quoque, sicut omnes gentes.* Et qui ex singulari Dei beneficentia à profanis aliarum gentium retibus exempti fuerant, *commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum*, vt lamentatur Dauid Psalm.105.

Psalm.105.

TROPOL. Author Caten. *Regis officiū.*

7 *Et iudicabit nos Rex noster.* Author Catenæ. Audiant hæc Reges, & Regium munus ediscant. Non enim ludis intendere, non spectaculis, non conuiuiis, luxibus, & venationi vacare, sed iudiciis insistere, rebus publicis, & priuatis suorum ciuium studere, sui muneris esse deprehendent. Nec ista sufficient. *Et egredietur*, inquiunt, *ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Tum scilicet ad ciuilia munia subeunda, relictâ interdum Curiæ dulcedine, progredietur: nec bellicis rebus insuetus aut ignauus, vnguentis madidus, deliciisque effeminatus bellaturos immittet milites, sed præcedet, sed inuitabit à fronte. Hoc planè Regium est munus: Hæc Principis officia.

MYSTIC. TROPOL. Gregor. *Malorum subditorum natura.*

8 *Et egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra.* Gregor. lib.4. Variar. cap.2. Dum dicunt: *Rex erit super nos, &c.* quid aliud, quàm reproborum subditorum mores insinuant? qui humiles, & spirituales Prædicatores despiciunt, vt temporaliter à carnalibus adiuuentur. Quod certè nullatenùs agerent, nisi priùs lumen cordis amisissent. Nam si spiritualium virorum humilitatem foris despiciunt, sed qua sublimitate potestatis intus emicant, cernere non merentur. In illis quoque externam potestatis tyrannidem vident, sed qua infirmitate intus deprimantur, non vident. Isti, quia Deo adhærent, cùm volunt, etiam in exterioribus potentes sunt. Illi quia à Domino recedunt, spem, quam promittunt de potentia sæculari, exhibere non possunt fortitudine operationis.

LITERAL. Abul.

9 *Et pugnabit bella nostra pro nobis.* Abul. q.237. Rex erat Dominus regni; ideò pertinebat ad eum omne bonum, vel malum regni. Ideò si hostes insurgerent, ipse haberet curam expellendi eos, tanquam solicitus pro re sua.

VERSVS XXI.

Vulgata.

VVlgata. Et audiuit Samuël omnia verba populi, & locutus est ea in auribus Domini.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagn. Audiuitque Semuël omnia verba populi; & locutus est ea in auribus Domini.

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Audiuit itaque Samuel cunctos sermones populi; retulitque eos ad aures Domini.

Ariasm.

Chaldaic. ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et audiuit Semuël omnia verba populi; & ordinauit ea ante Dominum.

Complut. Regia.

Græca ex Septuagintain Complut. & Regia. Et audiuit Samuël omnia verba populi; & locutus est ea in auribus Domini.

Sixtia.

Græc. ex Septuag. in Sixtia. Et audiuit Samuël omnia verba populi; & locutus est eos in aures Domini.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Greg.

1 *ET audiuit Samuel omnia verba populi.* Gregor. lib.4. Variar. cap.2. Hoc profectò Samuël audiuit quod populus locutus est: sed ipsum populus non audiuit. Populo enim reprobo loqui, & non audire, fuit, verba contra Dei voluntatem promere, sed pœnam prauæ locutionis minimè præuidere. Samuël autem populi verba audiuit, quia spirituales viri, dum supernæ locutionis voces audiunt, futurum in eis diuinæ vltionis meritum recognoscunt.

MORAL. Idem. *Sancti quàm Deo familiares.*

2 *Et locutus est ea in auribus Domini.* Idem ibidem. In eorum auribus loquimur, apud quos magnæ familiaritatis gratiam habemus. Sancti autem viri, quia omnipotenti Deo in magni amoris vinculo coniuncti sunt, ei in auribus loquuntur, quia diuinæ propitiationis auditum tanto fiducialius exposcunt, quanto apud eius misericordiam impetrandi locum sublimius acceperunt. Peccata verò populi loquuntur pro humilitate confessionis; sed in auribus loquuntur Domini, quia cum magno affectu precis ianuam pulsant diuinæ propitiationis.

MORAL. Idem. *Aliena peccata occultanda. Oratio secreta.*

3 *In auribus Domini.* Idem ibidem. Fortasse in auribus Domini loqui dicitur, quia dum sancti Viri pro peccatoribus obiectant, preces, quas pro eis Deo offerunt, hominibus non reuelant. Dum in auribus Domini Samuël loqui perhibetur, modum profectò insinuat, quo quis aditum mereatur diuinæ dignationis. Nam peruenire ad Deum oratio nequaquam potest, quæ ex intentione promittur, vt ab hominibus agnoscatur. Vnde & qui in auribus Dominus locutus asseritur, responsa eius etiam percepisse perhibetur.

LITERAL. Abul.

4 *Et locutus est ea in auribus Domini.* Abul. ibi. quæst.238. Samuël orauit, vt appareret ei Deus, & responderet ad ea, quæ inquirebat: & tunc Deus apparuit, & Samuël locutus est ea, quæ populus dixerat, & Deus respondit quod habetur hic. Sic etiam patet de Ieremia, cum occiso Godolia, quæsierunt ab eo Principes Israel, vt oraret ad Dominum, & responderet. Ierem.42. Sic etiam fiebat ad Danielem, vt patet Dan.9.

Ierem.42. Dan.9.

LITERAL. Caiet.

5 *Et locutus est ea in auribus Domini.* Caietan. ibi. Pertinacis populi sententiam circa habendum Regem, refert Samuël ad Deum iterùm consulendo ipsum; in hoc ostendens se nolle recedere à diuina voluntate.

Mendoza.

6 *Et locutus est ea in auribus Domini.* Francis. Mendoza ibi. §.2. Chaldæus vertit: *Et ordinauit ea ante Dominum*: quasi populus furore percitus in verba tumultuaria, & incondita eruperit, quæ proinde Samuël tranquillatus in bonum aliquem ordinem redegerit, priusquam ad diuinas aures deportaret.

MORAL. Author Catenæ. *Oratio quàm frequens. Aliena infamia non detegenda.*

7 *Et locutus est ea in auribus Domini.* Author Catenæ. Nihil prudentissimus Samuël de re tam graui, nisi consulto sæpiùs Numine, deliberare audet; quam eius consultationem secundam nescio cur Iosephus, & Sabellicus omiserint. In aures verò Domini populi verba retulisse fertur, vt ad moralem disciplinam nobis innuat, quo studio proximi culpæ ab hominum oculis, auribúsque celari debeant, qui non solùm vni Deo populi deliria defert, sed eidem in aures; ne attentissimus quisque dicta percipiat. Quod fortè Gregorius suprà relatus insinuat.

Gregor.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. Dionys. Mend.

8 *Et locutus est ea in auribus Domini.* Author Catenæ. Visibili specie Deum Samueli apparuisse credit Abulensis quæst. 238. qui suprà hoc eodem capite quæst. 17. nudam vocem nullo apparente factam eidem crediderat, cùm de re hac etiam ageret. Probabilius mihi est Angeli alicuius ministerio collocutionem hanc factam fuisse, vt in similibus apparitionibus communiter docent Interpretes ex Dionysio Areopagita, vt suprà annotauimus, & notauit Mendoza in expositione vers. 7. huius cap. §. 1.

VERSVS XXII.

Vulg.

Vulgata. Dixit autem Dominus ad Samuëlem: Audi vocem eorum, & constitue super eos Regem: Et ait Samuel ad viros Israel: Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraïca ex Xante Pagn. Dixitque Dominus ad Semuel. Audi vocem eorum, & regnare facies eis Regem. Dixitque Semuel ad viros Israel: Ite vnusquisque in ciuitatem suam.

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Et ait Dominus ad Samuelem: Audi vocem ipsorum, & præfice eis Regem. Et dixit Samuel ad Israelitas: Ite quisque ad ciuitatem suam.

Ariasm.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et dixit Dominus ad Semuel: Audi dictis eorum, & regnare fac super eos Regem. Et dixit Semuel ad viros Israel: Ite vir ad vrbem suam.

Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et dixit Dominus ad Samuel: Audi vocem eorum, & fac regnare Regem. Et dixit Samuel ad viros Israel: Recurrite vnusquisque in ciuitatem suam.

Sixtiam.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et dixit Dominus ad Samuel: Audi vocem eorum, & regnare fac eis Regem. Et dixit Samuel ad viros Israel: Recurrat vnusquisque in ciuitatem suam.

Caietan.

Caietanus ex Hebræo. Et ait Semuel ad homines Israel: Ite, *&c.*

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Greg.

1 *Audi vocem eorum.* Gregorius lib. 4. Variar. cap. 2. Quid est, quod Dominus ait: *Aud. voces eorum*, cùm superiùs dictum: *Audiuit Samuel omnia verba populi?* Sed verba populi audierat, vt sciret quæ dicebantur, non vt quæ petebantur, concederet.

MORAL. Idem. *Mala interdum audiuntur in malum suum.*

Audi vocem eorum. Idem ibidem. Ecce, vt palam cernitur Propheta orans non auditur: populus Deum abiiciens, Regemque petens, auditus est. Quid hoc esse dixerimus, nisi quia miro, & tremendo diuinæ incomprehensibilitatis iudicio, sancti Viri pro reprobis orantes exaudiri nequeunt; in adimplendis verò suis prauitatibus audiri ipsi reprobi delinquentes possunt: vt illis libera iniquitas æternæ vindictæ meritum augeat, & istis ex affectu compassionis merces perpetuæ retributionis accrescat.

LITERAL. Mendoz. Exod. 32. 2. Reg. 24. Isaias 63.

3 *Audi vocem eorum.* Franc. Mend. ibid. §. 2 Quæret aliquis, cur Samuel Deum precatus non fuerit, ne tantum malum in populo permitteret, vt Moyses Exod. 32. Dauid. 2. Reg. 24. Isaias 63. & alij passim Prophetæ præstiterunt? Respondeo, vel quia diuinam voluntatem absolutam esse cognouit, cui resistere nefas est. Vel quia timuit, ne vlla ambitionis suspicio daretur, si ipse pro regio statu auertendo, & iudiciario conseruando precaretur. Vel tandem quia iudicauit hoc supplicium esse aptissimum ad populum coercendum, eúmque ad meliorem frugem reuocandum.

LITERAL. MORAL. Aut. Caten. *Cur Samuel non orauit pro populo.*

4 *Audi vocem eorum.* Author Catenæ. Rogas, cur mitissimus Samuel Deum precibus non solicitauerit, ne populo infensus nocentissimum creandi Regis consilium admitteret? Placent rationes à Mendoza redditæ, quibus cum laude prætermissis; Respondeo indignos prorsùs ea commiseratione viros illos fuisse, qui non solùm seniores, nobiliores, & literatiores erant, sed adeò etiam pertinaciter errabant, vt Samuelem ipsum enixè eos à prauo consilio auertentem, & amicissimè admonentem propositi sui tenaces facilè contempserint; peccata enim, quæ per infirmitatem, aut ignorantiam committuntur, facilem habent veniam: quæ verò à consilio, & obstinatione procedunt, miserationis, & pietatis fontes exsiccant.

TROPOL. Greg. *Orationis vir.*

5 *Et constitue super eos Regem.* Gregor. suprà. Qua in re pensandum, quia Samuël verba populi, quibus Regem petierat, in auribus Domini locutus est; & Dominus se abiectum asserit in eo, quòd populus Regem petiit. Dum igitur oranti respondet, & Regem facere orantem iubet, quid aliud insinuat, nisi quia deuota electi viri oratio nunquam est infructuosa. Nam si populi correptionem non obtinuit, eruditionis suæ bonum obtinuit, cùm abiectum populum pro mala petitione cognosceret; sed & nihilominùs sciret, quid facere pro abiectis ipse debuisset.

MYSTIC. MORAL. Idem.

6 *Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.* Idem ibidem. Cùm spiritualia discere volumus, necesse est, vt ab intentione nostra carnalia remoueamus, quia mens interna non penetrat, quam exteriorum actuum puluis cæcat. Dum igitur Propheta Domini omnem populum abire ad propria loca præcipit, à se vtique tumultum carnalium repellit, vt eo spiritualia, quæ disponenda sunt, clariùs videat.

LITERAL. Comest.

7 *Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.* Comest. in Histor. Scholast. cap. 9. Ite ad propria: opportunè vos vocabo, cùm cognouero à Domino, quem daturus sim vobis Regem.

LITERAL. Lira. Deut. 17.

8 *Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.* Lira. ib. Hoc dixit Samuel, vt super electionem Regis, inquireret Domini voluntatem, à qua dependet Regis institutio secundùm quòd habetur Deuter. 17. vbi de institutione Regis dicitur: *Eum constitues Regem, quem dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.*

LITERAL. Abul.

9 *Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.* Abul. ibid. quæst. 238. Id est non maneatis hic ampliùs expectantes Regem, quia ego constituam vobis Regem; sed non possum immediatè constituere, quousque Deus mihi reuelet quem constituam.

LITERAL. Idem.

10 *Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.* Idem in cap. 9. quæst. 1. Quoniam non erat eligendus in ipso loco, in quo tunc erat Samuël, scilicet in Ramatha, sed in Masphath. vt patet infrà, cap. 10. Ob hoc remisit Samuël singulos Israelitarum in vrbes suas.

LITERAL. Caiet.

11 *Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.* Caietanus ibidem. Minus scribitur, & plus significatur. Videlicet quòd congregabit populum in Masphath pro electione Regis. Misit enim eos lætos (vtpote

vt

vt exauditos) sed ad propria sine Rege, quia non pro tunc commodum erat instituere Regem.

HISTOR. Sabellic. 12 *Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.* Sabellic. Eneade. 1. lib. 7. in fine. Hæc ex oraculo in publicum relata, cùm haud aliter multitudinis studio inflammarent ad Regem petendum, quàm si prospera omnia nuntiarentur; constituto ad id, quod petebatur, die, Saülum Cissi filium Regem inunxit.

LITERAL. Vermil. 13 *Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.* Petrus Vermil. ibi. Videtur ista fuisse solemnis quædam formula, qua comitia dimittebantur. Verùm cùm Samuël audiat regnum allaturum esse magnum malum Reipublicæ, cur non adhibet preces? Cur non non auertit illam indignationem Dei, ita enim Moyses sæpe fecit? Fortasse vidit voluntatem Dei firmam, & obstirmatam, & mutari non posse. Id quoties sancti ex occulto congressu cum Deo vident, non debent contrà niti. Præterea etiam fortasse verebatur, ne aliis in suspicionem veniret ambitionis. Posset enim videri velle sibi retinere magistratum.

METAPHRASIS

CAP. VIII.

Ex superiori Interpretum doctrina.

SAMVEL cum publicis curis, & supra quinquaginta annorum æuo grauaretur, filiis suis ei quidem muneri iam idoneis Reipublicæ administrationem, ac iuris dispositionem subdelegauit. Horum seniori Ioël, & Vassani: iuniori verò Abia nomen erat, qui iuris dicendi locum vrbem Bersabee in Canaan ad Australem oram constituerunt. A paternis verò institutis in tantum aberrarunt, vt in luxum, & delicias effusi, corruptique muneribus vni lucro intenderent, iustitiam verò, & inualidum quemque conculcarent. Pupugit hæc populum iniquorum iuuenum licentia, initóque inter se consilio maiores natu, locóque illustriores ad patrem Ramathæ immorantem conuentum faciunt, & publica totius populi vota perferunt. Erant autem, vt quandoquidem senio grauaretur, nec Reipublicæ administrationi intendere liceret, eius verò filij à patre dissimiles pessimè res publicas agitarent, obnixè precabantur, Regem populo constituat, qui toti gentium imperio præsit, & ab impunitis hostibus debitas pœnas exigat. Hæc illi. Inordinata verò hominum petitio vehementer Samuëlem anxit, vt qui Deum vnicum sibi Regem repudiarent, & hominem sibi præfici postularent. Nec extemplò tamen responsum præbuit, sed re priùs ad Deum delata, qui spretum se testatus, concedi nihilominùs iniquam populi petitionem iubet. Non est, inquit, facinus hoc ipsis insolitum, nec à se ipsi vnquam deficiunt; ex quo enim ex Ægyptiorum tyrannide eos olim eripui, his similia cõmittere non cessant; vtque, me contempto, idola coluerunt, sic & te quoque modo spernunt, vt ad vtrumque nostrum spectet contumelia. Ergo age: Impiis eorum votis consensum præbe: priùs verò & Regum iura, & tyrannorum licentiam præmone. His auditis, ad suos Samuël reuersus imminentium malorum prænuntiata magnitudine à proposito deterrere satagens: Nescitis, inquit, quantum malorum in Regis creatione vobismetipsis vltrò asciscatis, quæ ego, Deo mihi imperante, vos doceo. Inprimis enim filios vestros, vobis vita ipsa chariores, vi extractos, curruum suorum tam in vsus rusticos, quàm bellicos ministros faciet, aurigásque constituet, & quadrigarum suarum præcursores: Centuriones etiam, Satellites, & Tribunos, armorum etiam opifices, aliorúmque instrumentorum fabros, agrorum quoque & vinearum suarum cultores illis more mancipiorum aburens. Nec filiabus item parsum volet, quas vnguentorum confectrices, & apparandorum ciborum ministras, quasi ancillas efficiet, & ad humilia quæque ministeria compellet. Quod si filiorum meorum auaritiam durè perfertis, vestrorum Regum immodicam reddet effrænata cupiditas, qui optima quæque agrorum, vinearum, & oliuetorum vestrorum vi capiet, non solùm sibi, sed vt in suos immoderatè diffundat; ex iis verò, quibus peperciisse videatur annos redditus extrahet, suísque familiaribus diuidet, elusis interim Templi ministris quin & seruis, & ancillis, & equis vestris, nullo dato stipendio, in suam rem, vel domesticam, vel rusticam vtetur, decimas item ex armentis, & gregibus eximet, vtque verbo vno complectar, ipsi vos mancipiorum more tractabunt, optimúmque libertatis bonum euanescet. Tum demum malorum magnitudine somno vestro expergefacti clamabitis sed in cassum; nec enim Deus, qui ita misericorditer prænmonitos vos voluit doloris vestri rationem vllam habebit. Hæc Samuël, at populus in vtramque aurem monitis surdus, à proposito deterreri non potuit; instat potiùs missa futurorum cura, Regem sibi præfici, qui pacis tempore ius dicat: belli verò strenuè militiam colat, acies ducat, hostémque depellat: nec morem cunctis gentibus communem insolentem, aut iniquum dici debere. Audiit hæc Samuël, & Numine ex integro consulto promittit Regem, in suáque abire iubet, dum is, qui renuntiandus sit Rex, à Domino declaretur.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS.

DIMISSO in ſua populo Regem expectante, eius, qui creandus erat (Saülis ſcilicet) perſona deſcribitur. Is in paternis aſinis conquirendis, dum vagatur, famuli ſui conſilio ad Samuëlem venit, à quo ex prahabita Dei reuelatione aduentum eius expectante, benignè tractatur, conuiuio excipitur, & de futuro regno edocendus paulisper immorari iubetur.

CAPVT NONVM.

1. ERAT vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filij Seror, filij Bechorath, filij Aphia, filij viri Iemini, fortis robore. 2. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus & bonus: & non erat vir de filiis Iſraël melior illo. ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum. 3. Perierant autem aſinæ Cis patris Saul: & dixit Cis ad Saul filium ſuum: Tolle tecum vnum de pueris, & conſurgens vade, & quære aſinas. Qui cum tranſiſſent per montem Ephraïm, 4. Et per terram Saliſa, & non inueniſſent, tranſierunt etiam per terram Salim, & non erant: ſed & per terram Iemini: & minime repererunt. 5. Cum autem veniſſent in terram Suph, dixit Saül ad puerum qui erat cum eo: Veni & reuertamur, ne fortè dimiſerit pater meus aſinas, & ſolicitus ſit pro nobis. 6. Qui ait ei: Ecce vir Dei eſt in ciuitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, ſine ambiguitate venit. nunc ergo eamus illuc, ſi fortè indicet nobis de via noſtra, propter quam venimus. 7. Dixitque Saül ad puerum ſuum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in ſitarciis noſtris: & ſportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quidquam aliud. 8. Rurſum puer reſpondit Saüli, & ait: Ecce inuenta eſt in manu mea quarta pars ſtateris argenti, demus homini Dei, vt indicet nobis viam noſtram. (Olim in Iſraël ſic loquebatur vnuſquiſque vadens conſulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.) 10. Et dixit Saül ad puerum ſuum: Optimus ſermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei. 11. Cumque aſcenderent cliuum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hîc eſt Videns? 12. Quæ reſpondentes, dixerunt illis: Hîc eſt: ecce ante te, feſtina nunc: hodie enim venit in ciuitatem, quia ſacrificium eſt hodie populi in excelſo. 13. Ingredientes vrbem, ſtatim inuenietis eum antequam aſcendat excelſum ad veſcendum. Neque enim comeſurus eſt populus donec ille veniat: quia ipſe benedicit hoſtiæ, & deinceps comedunt qui vocati ſunt. Nunc ergo conſcendite, quia hodie reperietis eum. 14. Et aſcenderunt in ciuitatem. Cumque illi ambularent in medio vrbis, apparuit Samuël egrediens obuiam eis, vt aſcenderet in excelſum. 15. Dominus autem reuelauerat auriculam Samuëlis ante vnam diem quam veniret Saül, dicens: 16. Hac ipſa hora, quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & vnges eum ducem ſuper populum meum Iſrael: & ſaluabit populum meum de manu Philiſthinorum: quia reſpexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me. 17. Cumque aſpexiſſet Samuël Saülem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iſte dominabitur populo meo. 18. Acceſſit autem Saül ad Samuëlem in medio portæ, & ait: Indica, oro mihi, vbi eſt domus Videntis. 19. Et reſpondit Samuël Saüli dicens: Ego ſum Videns. aſcende ante me in excelſum, vt comedatis mecum hodie, & dimittam te mane: & omnia

quæ

quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. 20. Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inuentæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israël? nonne tibi & omni domui patris tui? 21. Respondens autem Saul, ait: Numquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum? 22. Assumens itaque Samuël Saülem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum qui fuerant inuitati, erant enim quasi triginta viri. 23. Dixitque Samuël coco: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi vt reponeres seorsum apud te. 24. Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saül. Dixitque Samuël: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria seruatum est tibi, quando populum vocaui. Et comedit Saül cum Samuële in die illa. 25. Et descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est cum Saüle in solario: strauitque Saül in solario, & dormiuit. 26. Cumque mane surrexissent, & iam eluceseeret, vocauit Samuël Saülem in solario, dicens: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saül: Egressique sunt ambo, ipse videlicet, & Samuël: 27. Cumque descenderent in extrema parte ciuitatis, Samuël dixit ad Saül: Dic puero vt antecedat nos, & transeat: tu autem substiste paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.

VERSVS PRIMVS.

Vulgata. *Vulgata.* Et erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filij Seror, filij Bechorath, filij Aphia, filij viri Iemini, fortis robore.

Benedict. *Benedictina.* Filij Zeror, filij Bechorath, filij Sareth, filij Aphia.

Author Catenæ. Robert. *Author Catenæ.* Alia exemplaria pro *Seror*, scribunt *Seor*. Ita Rabbanus, Vatablus, Hugo Victorinus, & Charensis, & Biblia Roberti Stephani.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et fuit vir de Benjamin, & nomen eius Chis, filius Abiel, filij Seror, filij Bechorath, filij Aphiach, filij viri Iemini, fortis robore.

Vatabl. *Hebraica ex Francisco Vatablo.* Vir quidem erat de Benjamin, cuius nomen Kis, filius Abiel, filij Zeror, filij Bechorath, filij Aphiah, filij viri Iemini, heros fortis.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasmontano in Regia.* Et fuit vir de Tribu domus Benjamin, & nomen eius Kis, filius Abiel, filij Zeror, filij Bechorath, filij Aphiahh, filij viri ex Tribu domus Benjamin, vir virtutis.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et erat vir de filiis Benjamin, & nomen ei Cis, filius Abiel, filij Sarar, filij Bechorath, filij Aphu, filij viri Iemini, vir potens robore.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et vir de filiis Benjamin, & nomen ei Cis, filius Abiel, filij Iared, filij Bachir, filij Aphu, filij viri Ieminæi, vir potens.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Gregor. *Cur Saulis maiores reseruatur.* 1 *Erat vir de Benjamin nomine Cis.* Gregor. lib. 4. Variar. Expolit. in 1. Reg. capite 3. Cùm ordinandi Regis persona exponitur, cur Patrum eius nomina describuntur; Nisi vt Regnum ei durabile non sentiatur? Nam de regno quod futurum præuiderat, Moyses ait: *Non deficiet sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Genes. 49. Genes. 49. Quia ergo Tribus Iuda ad Regni diuturnitatem præuisa extiterat, Cis generatio memoratur, vt Regia dignitas, quę condebatur in filio, apertè sciretur esse dispensatoria, non mansura.

Histor. Iosephus. 2 *Et erat vir de Benjamin nomine Cis.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. Erat quidam ex Tribu Benjamitide vir, vir benè natus, & lautis moribus, nomine Cis.

Histor. Comest. 3 *Et erat vir de Benjamin nomine Cis.* Petrus Comestor in Histor. Scholast. cap. 10. Erat vir de Benjamin nomine Cis de stirpe Iemini.

Mystic. Rabban. 4 *Et erat vir de Benjamin nomine Cis.* Raban. in Glossa. *Benjamin* filius dexteræ, *Cis* durus, vel vomitus viri, vel vomens vir. *Abiel*, pater meus Deus. *Seror*, paruulus, vel turbulentus. *Bechorath*, primogenitus tuus. *Sareth*, descensio. *Aphia* liberalitas Domini.

Literal. Mendoza. 5 *Et erat vir de Benjamin nomine Cis.* Franc. Mend. tom. 3. Comment. in Reges. cap. 9. vers. 1. §13. In Tribu Benjamitica exprimitur Saülis nobilitas, saltem ratione Tribûs; quia Tribus Beniamitica vna erat ex primariis, vt patet, tum quia Benjamin erat ex matre libera Rachel, & Iacobo vnicè dilecta. Tum quia parenti suo Iacobo erat inprimis charus, nec cæteris fratribus inuisus. Tum quia Moyses statim post Ruben, Iudam, & Leui, qui propriis inter cæteros fratres prærogatiuis eminebant, Benjaminum omnium fratrum natu minimum honorifica quadam benedictione impertiuit. Deuter. 33. 12. vt eius Tribum nobilissimis quibusque aggregaret. Tum quia Ierusalem, & Templum cecidit in sortem Benjamin. Iosuë 18. 20. vt Pineda de Rebus Salomonis lib. 3. capite 5. latiùs prosequitur. Deut. 33. 12. Iosue 18. 20. Pineda.

Literal. Abul. 6 *Filius Abiel.* Abulensis ibidem quæstione 3. Quæret aliquis, quare progenies Saül numeratur hic per plures proauos, & tamen non enarrantur omnes, vsque ad caput ipsius Tribûs, scilicet vsque ad Benjamin? Interdum accidit in Scriptura, quod enarretur generatio alicuius, & multis interiectis veniatur ad principium ipsius lineæ. Sic patet in genealogia Saluatoris, secundùm quod scribit eam Matthæus. Nam subticentur ibi tres Reges Iuda, qui continui fuerunt. Subticentur etiam, vt aliqui volunt, aliquæ generationes inter Salmonem, & Booz. Matt. 1.

Literal. Auth. Cat. 7 *Filius Abiel.* Author Cate. Nota plura horum progenitorum nomina aliter, atque aliter apud Latinos

Latinos inscribi, provt ex Litterarum Hebraicarum difficili versione exprimi potest, vt notat Mendoza, & priùs notarat Abulensis. Nota 2. 1. Paralip. 8. 33. Cis, qui modò filius Abiel dicitur, vocari filium Ner. *Non quòdeum genuerit*, (ait Hieronymus in Quæstionib. Hebraic. in Paralip.) *sed quòd eum educauerit, genuisse eum dicitur.* Hieronymo, seu potiùs operis illius, quisquis ille fuerit, Autori subscribunt Liranus, & Charensis. Nihilominùs leuia hæc sunt; cùm enim de vera, & naturali genealogia historicè ibi agatur, ad indicandam primam eius originem, parùm ad rem pertinet metaphorica, & translatitia per institutionem, & pædagogiam filiatio. Quin ex narrationis ordine dicto loco Ner iunior, quàm Cis, fuisse deprehenditur, nec à minori debuit senior institui. Germana ergo ratio videtur, quam tradit Rabbi Kimhi, quam probant etiam Carthus. Caietan. Salian. & Mendoza: Abielem scilicet fuisse binominem; quod quidem apud Hebræos, immò etiam apud Latinos, & Hispanos infrequens non est, & de Ioël Sacerdotis Heli filio suprà diximus cap. 8. Vers. 2. *Vassani* alias appellato; & in nouo Testamento Matthæus, Leui quoque dicebatur.

Mendoza. Abul. 1. Paralip. 8. Hieron. Lira. Hugo. Rabbi Kimhi. Carth. Caiet. Salian. Mendoza.

8 *Filij Iemini.* Interlin. ibi. Binominus fuit: Erat autem pertinens ad Tribum Beniamin.

Literal. Interl.

9 *Filij viri Iemini.* Abul. ibi. quæst. 4. Dicendum; quòd Iemini erat quidam vir valdè famosus de tribu Beniamin, à quo fuit denominata quædam pars terræ Beniamin, & vsque ad istud narratur linea Saülis, quia iste erat vir famosus, per quem cognosci poterat genus Saülis, sicut denominato ipso Beniamin, qui erat caput Tribûs.

Literal. Abul.

10 *Filij viri Iemini.* Carthus. ibi art. 17. Aiunt quidam, quòd Iemini fuit vir quidam vilissimus in Tribu Beniamin, qui posteris suis sæpe legitur improperatus. Nam & Saül infrà, se humiliando, & quasi indignum ad regnandum probando: *Numquid non*, inquit, *filius Iemini ego sum?*

Literal. Carthus.

11 *Filij viri Iemini.* Caietan. ibi. Alias diximus: *Iemini* poni pro *Beniamin*, explicatur namque, quod paternum genus duxit ex Beniamin.

Caiet.

12 *Filij viri Iemini.* Author Catenæ. Iemini à Beniamin non distingui credunt Caietanus, Saa, Salianus, Mariana, & alij. Sed potiùs Abulensi eos distinguenti subscribo. Primò, quia Iemini filium habuit Abiam, vti hic refertur, non tamen reperitur Beniamin filium eius nominis habuisse; distinguitur ergo à Beniamin Iemini. Secundò, quia Iemini sexto loco refertur auus Saülis; Beniamin, autem, si Chronologiam consulas, multò remotior, vt computat Abulensis, cùm à Beniamin ad Saülem plures quam septingenti anni excurrerint. Notat quoque Abulensis Scripturam proauos alicuius referre solitam, non vsque ad primum familiæ caput, sed vsque ad virum aliquem egregium, à quo familia illustrata fuerit, vt videris quantùm proximorum honori prouidendum sit. Addit etiam, quæst. 3. Sacerdotum genealogiam vsque ad caput ipsum enarrari (secùs in aliis) vt sacerdotalis iuris ratio in ipsis deprehendatur, ne videantur intrusi; vbi etiam videas quantùm Sacerdotum suorum bonam opinionem Deus zelet, quantóque ab hominibus honore habendos esse appareat, qui sic à Domino commendantur.

Literal. Author Caten. *Iemini quis.* Caiet. Saa. Salian. Marian. Abul.

Moral. *Proximi bonori consule.*

Sacerdotes quantum honorandi.

13 *Fortis robore.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. 3. Qui carnalem Regem generat Cis, idest, durus nostro eloquio dicitur, & is fortis robore prædicatur. Nunc quoque plerique carnales intra sanctam Ecclesiam sunt, qui magna agere videntur, carnales verò sunt, quia Sancti Spiritus gratiam non habent. Fortes ergo sunt robore, quia omne, quod magnum videntur agere, corporale est. Nam & Cis pater Saül ideò fortis robore dicitur, vt vires corporis magnas habuisse sentiatur.

Mystic. Gregor.

14 *Fortis robore.* Lira ibi in Morali. Hoc dicitur ad denotandum fortitudinem Saülis, quia fortes homines solent fortes generare.

Literal. Lira.

15 *Fortis robore.* Abul. ibi. quæst. 4. Fortis potest esse in recto, vel in genitiuo. Si sit in recto refertur ad patrem Saülis nomine Cis, quia dicitur suprà: *Erat vir de Beniamin.* Si autem sit in genitiuo refertur ad Iemini, scilicet, quòd ille fuit vir fortis robore, & quanquam ex littera nostra non appareat, ad quem debeat referri; tamen factis apparet ex littera Hebraica, quod refertur ad Iemini. Et ponitur ista additio ad notificandum eum, quia cum esset excellens, & robustus, hoc ipso distinguebatur ab aliis, quia per hoc erat vir famosus.

Literal. Abul.

16 *Fortis robore.* Carthus. ibi art. 17. Idest ipse Cis fuit robustus, & forsitan non solum corpore, sed etiam corde, vtpote virtuosus.

Literal. Carth.

17 *Fortis robore.* Caietan. ibi Ad ipsum Cis refertur hoc.

Literal. Caiet.

18 *Fortis robore.* Vatabl. in Schol. Idest bellicosus, & disciplina militari clarus.

Literal. Vatab.

VERSVS II.

VVlgata. Et erat ei filius vocabulo Saül electus & bonus, & non erat vir de filiis Israël melior illo. Ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.

Vulgata.

Benedict. In filiis Israël elegantior illo. Ab humero ad sursum.

Bened.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et erat ei filius, & nomen eius Saül, electus, & bonus; & non erat vir de filiis Israel pulchrior illo. Ab humero, & sursum altior erat omni populo.

Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Qui filium habebat nomine Saül; iuuenis erat & pulcher; nec erat inter filios Israël illo pulchrios, nam ab humero suo, & suprà, procerior erat omni populo.

Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et illi fuit filius, & nomen eius Saül, iuuenis, pulcher, & non erat vir de filiis Beniamin, qui pulcher ab eo: Ab humeris suis, & supra, magnus ab omni populo.

Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et huic filius, & nomen ipsi Saül ingens vir bonus, & non erat in filiis Israël bonus magis, quàm ille: humero & sursum excelsus super omnem terram.

Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et huic filius, & nomen eius Saul, procerus, vir bonus, & non erat in filiis Israël bonus super eum. Ab humero & supra, excelsus super omnem terram.

Sixtia.

Theodor. ibi q. 18. Nullus erat bonus in filiis Israël supra ipsum. Supra humeros & vltra, erat procerus super omnem terram.

Theodor.

Ambros. in Epist. ad Roman. c. 9. Erat vir bonus, & non erat illo melior in filiis Israel.

Ambros.

Procopius in Comment. Vir magnus, & bonus.

Procop.

Isidor Clar. ibi. Non erat vir de filiis Israel *pulchrior* illo.

Isidor. Clarius.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Cyrillus. 1 ET *erat ei filius vocabulo Saul.* Cyrillus. Alexandrin.tom.1.in Collectan. Saul etiam interpretatur *datus fœnori*, aut *fœnus*.

LITERAL. Hieron. 2 *Et erat ei filius vocabulo Saul.* Hier. in Epist. ad Philem. initio. Quod Saul Saulus à nobis dicitur, non mirum est? Hebræa nomina ad similitudinem Græcorum & Romanorum casuum declinari, vt sicut pro Ioseph, Iosephus; ita pro Saul quoque Saulus in nostra lingua & sermone dicatur.

MYSTIC. Idem. *Saul quid?* 3 *Et erat ei filius vocabulo Saul.* Idem ibidem. tom.9.Reuera mirum, vt post Saul, qui interpretatur *repetitus*, eo quòd ad vexandam Ecclesiam fuisset à Diabolo postulatus, de persecutore Paulus fieret vas electionis.

LITERAL. August. 4 *Et erat ei filius vocabulo Saul.* August. in Psalm.72.tom.8.Ipse primò Saulus, postea Paulus; primò superbus, postea humilis. Saul enim, vnde dictum est nomen Sauli nostis, quia Rex superbus & infrenis fuit.

MYSTIC. Beda. 5 *Et erat ei filius vocabulo Saul.* Beda lib.2. Exposit.Allegor.cap.2.Nomen Saul quod dicitur *expetitus*, siue *petitio*, Christo aptissimè congruit, qui magno Sanctorum desiderio semper imploratur, & adesse rogatur.

MYSTIC. Rabban. 6 *Et erat ei filius vocabulo Saul.* Rabban. ibi. Saul, qui offenso Deo factus est Rex super Israël, Iudæos significat. Sicut enim ipse durus, & superbus, & rigidus factus est, vt eos seruili onere magis premeret, quàm liberaret; sic populus Iudæorum quamuis vnctus in Sacerdotibus, & Regibus, tamen ancillæ filius erat, quæ in seruitutem generabat, nec perfectam libertatem per vnctionem consequi poterat.

HISTOR. Ioseph. 7 *Et erat ei filius vocabulo Saul.* Ioseph. lib.6. Antiquitat.cap.5. Huic erat filius nomine Saulus egregia tum statura, cùm specie, quibus respondebat & animus.

MYSTIC. Lauretus. *Saul quid?* 8 *Et erat ei filius vocabulo Saul.* Hieron. Lauret. in Sylua. Saul, idest *postulatus*, siue *commodatus*, aut *fouea*, siue *sepulchrum*, vel *infernus*. Interpretatur autem *petitio* designans Prædicatorem veritatis, tantæ debere esse charitatis, vt propter instans desiderium non petitor, sed petitio esse censeatur, vt omnem motum cordis in affectum elicat supplicationis.

MORAL. Mend. *Proximi dedecus tacendum.* 9 *Et erat ei filius vocabulo Saul.* Francisc. Mendoza ibi.§.1. De Saulis patria nihil dicitur hoc loco, sed prorsus qualis fuerit, tacetur. Rationem aliqui inculcant, quia Gabaa patria Saulis erat infamis ob nefariam libidinem, qua ciues illius exardescebant, & ob adulterium, & homicidium, quod in ea vxor Leuitæ miserabiliter incurrit. Iudic.19. 22. infamem autem patriam tam nobilis alumni nominari non debuisse. Germana ratio sit non oportere, vt statim omnes natales conditiones eius, de quo agendum est, subiiciantur.

MYSTIC. Author Catenæ. *Saul quid?* Hieron. Origen. August. Beda. Ansel. 10 *Et erat ei filius vocabulo Saul:* Author Catenæ. Nomen Saul idem esse quod Saulus exprimunt Hieron. Origen. August. Beda, & Anselmus, cuius multiplex circumfertur etymologia, tum ex Hebræo, tum Græco, & Latino: nempe modicus, siue humilis: tranquilus, segregatus, eximius, salum, inquietus, mollis, infernus, vulpes, postulatus, postulans, aburens, appetitio, repetitus, & alia id genus.

THEOLOG. Tertul. 11 *Electus, & bonus.* Tertul. lib.2. contra Marcion. cap.23. Adlegitur Saul, sed nondum despector Prophetæ Samuëlis. Reiicitur Salomon, sed iam à mulieribus alienis possessus, & idolis Moabitarum, & Sidoniorum mancipatus. Quid faceret creator ne à Marcionitis reprehenderetur? Bene adhuc agentes prædamnaret iam propter futura delicta? Sed Dei boni non erat nondum merentes prædamnare.

LITERAL. Cyprian. 12 *Electus, & bonus.* Cyprian. Epist.5. ad Rogatian. in lib.1. Salomon, & Saul, & cæteri multi quamdiu in viis Domini ambulauerunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt; recedente ab eis Dominica disciplina; recessit & gratia.

LITERAL. Nazianz. 13 *Electus, & bonus.* Gregor. Nazianze. Orat. 7. Quid de Saüle existimamus? Nam & vnctus, & spiritus factus est particeps. At tunc spiritualis erat, non enim de eò secùs dixerim.

HISTOR. Seuer. 14 *Electus, & bonus.* Seuer. Sulpit. lib.1. Sacræ Histor. Saul Cis patre ortus, modestus animi, forma excellenti erat, vt meritò dignitas corporis dignitati regiæ conueniret.

LITERAL. Hieron. 15 *Electus, & bonus.* Hieron. in cap.8. Oseæ tom. 9. Saul non ex voluntate Dei, sed ex populi errore factus est; & quia radicem pietatis non habuit, statim vt regnare cæpit, impietate succensus est.

LITERAL. MORAL. Idem. 16 *Electus, & bonus.* Idem in cap.20. Ezech. tom.6. Eliguntur præsentia; nec statim qui eligitur, tentari non potest, nec perire, quia & Saul electus in Regem, & Iudas in Apostolum, suo postea vitio corruerunt.

LITERAL. Cyrill. 17 *Electus, & bonus.* Cyrillus Alexandrin. in cap.21.Ioan. Saul cùm paruulus esset in oculis suis dux super Israël constitutus est. Cùm vero in superbiam elatus, à Deo abiectus, & rebrobatus.

LITERAL. Idem. 18 *Electus, & bonus.* Idem lib.9. in Ioan.c.10. Saulem vnxit Deus in Regem, fuit enim primò non improbus. Cùmque postea solitam sibi probitatem non seruaret, non iniuriâ vexabatur.

MORAL. Ambros. 19 *Electus, & bonus.* Ambros. in Psal.47. Ecce cadentibus huiusmodi viris, qualis fuit proditor Iudas, vel Saul à Domino Deo suo aceitus ad regnum, etiam fortes viri trepidabant.

LITERAL? August. 20 *Electus, & bonus.* August. lib. Quæst.in Vet. Testam.quæst.4. Saul indignus effectus se ipsum regno priuauit.

THEOLOG. Idem. 21 *Electus, & bonus.* Idem. lib.2. ad Simplician. quæst.1. tom.4. Nec illud mouere iam nos debet, quod postea scriptum est, eundem Saulem spiritu Dei super se facto prophetasse, quoniam post bonum spiritum malus, & rursum post malum bonus; hoc enim fit non mutabilitate Spiritus Sancti, qui est incommutabilis cum Patre, & Filio; sed mutabilitate animi humani Deo cuncta distribuente, siue malis pro merito damnationis, vel emendationis; siue bonis pro largitate gratiæ suæ.

LITERAL? MORAL. Gregor. 22 *Electus, & bonus.* Gregor. lib.4. Variar. cap.3. Electus dicitur non secundùm gratiam, sed secundùm iudicium. Bonus etiam dicitur, vt diuinæ æquitatis dispensatio commendetur. Nam & mala, quæ pro peccatis nostris sæpè patimur, quia per diuinam iustitiam nobis irrogantur, bona sunt. Bonum profecto est, quidquid est iustum; per iustitiam quippe Dei, Pastores reprobi ad regimen Sanctæ Ecclesiæ ascendere permittuntur. Sed qui mali sunt per iniquitatem, boni sunt diuina dispositione, & occulta tunc ordinatione Dei electi sunt, qui vltimo erunt vniuersali iudicio reprobandi.

LITERAL. Gregor. 23 *Electus, & bonus.* Idem ibidem: Possunt & hæc omnia verba laudis intelligi, quibus dum ordinan-

ordinandi Regis persona prædicatur, Regem petentium intentio confundatur. Nam dicunt: *Rex erit super nos, & iudicabit nos.* supra cap.8. Dicitur electus, & bonus, & quia non sit de filiis Israel melior illo: vt bona omnia in petiti Regis persona excellant. Sed dum ad ea non sufficit quæ populus proposuerat, præsumptio humana confundatur, & victa tabescat; & quidem Rex, qui populum præiturus eligitur, eorum bella pugnaturus cum à diuino auxilio deseritur, bello depressus obiit, & populo, quem ad eadem bella præiuit, tunc non salutis causa, sed mortis fuit.

LITERAL. Idem. 24 *Electus, & bonus.* Idem ibidem. Potest etiam electus, & bonus intelligi, dum asseritur; non qualis in futuro præuideatur. Dicitur ergo electus, & bonus, vt talis à Domino sentiatur electus, qui per inobedientiam postea fuit reprobatus. Quare & ratio exigit, vt quæ de electo, & bono vsque ad reprobationis tempora dicuntur, & in bona parte sentiamus.

LITERAL. MYSTIC. Idem. 25 *Electus, & bonus.* Idem ibidem cap.4. Electus etiam Iudas ad ministerium fuit, sed quia bonus non fuit, ius amisit successionis. Qui ergo in Saül adhuc electo & bono significantur, nisi Sanctorum Patrum electi imitatores, qui per doctrinam aliis vtiles sunt, & per conuersationem sibi.

LITERAL. Theodor. 26 *Electus, & bonus.* Theodor. ibid. quæst. 18. Non dedit ei testimonium virtutis animæ, sed formam, & magnitudinem. Sic enim dicit: *Nullus erat bonus in filiis Israel supra ipsum. Supra humeros & vltra erat procerus super omnem terram.*

LITERAL. Idem. *Saul aliquãdo bonus.* 27 *Electus, & bonus.* Idem in Psalm. 118. ad illa verba: *Non me derelinquas vsquequaque.* Saül penitus hac gratia orbatus, & spiritus gratiam amisit, & prauo spiritui obnoxius fuit.

LITERAL. Procop. *Bonus, quid?* 28 *Electus, & bonus.* Procopius ibidem. Non animi virtutem, sed formam, & magnitudinem ei tribuit; narrat enim, pulchro, & præstanti corpore fuisse.

TROPOL. Bernard *Nulla est securitas.* 29 *Electus, & bonus.* Bernardus in Declamat. super: *Ecce nos reliquimus omnia.* Etsi irreprehensibilis videatur ingressus, & intentio casta, nihilne vltra timendum est? Timendum quidem, & maximè. Neque enim quicumque spiritu cæperint, etiam spiritu consummantur, sed carne nonnulli. Denique & Saül Princeps constitutus à Domino, & Iudas non ab alio electus in Apostolum memoratur. *Nonne ego,* inquit, *vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est?* Ioan.6.

TROPOL. Idem. *Nulla securitas.* 30 *Electus, & bonus.* Idem Epist. ad Brunon. Archiep. Colon. Si cunctos, qui vocantur ad ministerium, & ad regnum constat eligi, profecto securus est Colonientis Archiepiscopus. Quod si etiam & Saülem in regno, & Iudam in Sacerdotio legitur elegisse non alius, quàm ipse Deus, & non potest solui Scriptura, quæ hoc asserit; timeat necesse est & Colonienſis Archiepiscopus.

TROPOL. Stephan. Cantuar. *Prælatus, qualis?* 31 *Electus, & bonus.* Stephanus Cantuariens. apud Tilman. in Allegor. Talis debet esse, qui ad curam eligitur animarum. Saül interpretatur *petitio.* Sic prælatus debet postulari, non se ingerere, vt sit vocatus, tanquam Aaron.

LITERAL Faustus. *Saulis inconstantia.* 32 *Electus, & bonus.* Faustus Regiens. lib.1. de Libero arbitrio cap.11. Saül gratiam Dei à Samuële vnctus accepit, & munificentiam specialem, Regalemque potentiam sub conditione hac, ne à Dei præceptis declinaret, obtinuit; & qui lucos & fana cum pythonibus suis, magistro Sacerdote subuerterat, defuncto eodem, cum magistro fidem perdidit, & ad pythonissæ postmodùm responsa fallentia conuolauit, qui se ad Deum pertinere potuisse idolorum subuersione monstrauerat.

MORAL. Lira. 33 *Electus, & bonus.* Liran. ibidem in Morali. Per Saülem significatur quilibet homo aptus prælationi, siue regno. Nam qui præest aliis in potestate, debet etiam moribus præesse, & exercitatus in humilitate quod in Saüle significatur per hoc, quod ibat asinas quærere.

LITERAL. Abul. *Saul, qualis?* 34 *Electus, & bonus.* Abulensis ibid. quæst. 4. Hic non accipitur electus, & bonus pro bonitate corporis, sed morum. Sic patet immediatè cùm dicitur, quòd non erat vir de filiis Israël melior illo. Hoc autem propriè est esse electum, quia nullus ei æqualis est. Non solùm erat bonus, sed etiam electus inter bonos, scilicet melior omnibus.

LITERAL. Carthus. Psalm. 104. 35 *Electus, & bonus.* Carthusianus ibid. art. 17. Electus in Scripturis frequenter aliter quàm pro prædestinato accipitur, vt in Psalm. 104. *Non communicabo cum electis eorum.*

LITERAL. Caiet. 36 *Electus, & bonus.* Caietanus ibidem. Non est hîc sermo de electione ad cœlestem patriam, sed de electione ad humanas actiones: Erat enim non vir gregarius, sed inter electos, vtpotè prudens, & strenuus.

LITERAL. Bellarm. 37 *Electus, & bonus.* Bellarm. lib.3. de Iustificatione, cap.14. Saül initio bonus, & iustus fuit, & tamen non solùm peccauit, sed etiam reprobus, & damnatus creditur.

Author Catenæ. 38 *Electus, & bonus.* Author Catenæ. Non modicæ contentionis negotium est, an hæc, & sequens Saulis commendatio, mentis ne, an corporis pulchritudinem prædicet? Et quidem Hebraicus, & Chadaicus sermo corporis potiùs proceritatem, & speciem indicant; nec refragatur Græcus, immò nec Vulgatus, cùm etiam exemplaria Ioannis Benedicti, oris & membrorum elegantiam commendent; ibi: *Non erat vir in filiis Israël elegantior illo.* Fauet quoque subsequens immediate clausula, quæ vt sine vlla coniunctione adiacet, antecedentis probatio potiùs videtur, quàm noua commendatio; quod bene notauit Caietanus: *Non erat vir de filiis Israel melior illo*: quod vt probet, subiungit: *Ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.* Ideo in eam sententiam plures Interpretum abierunt, Theodor. Procop. Caiet. & Georgius Venetus. Verum enim verò non solùm corporis proceritatem & vultus elegantiam, sed mentis etiam excellentiam prædicari suadet frequens omnium penè Patrum expositio, qui ex Saülis ruina, & amissa gratia latiùs ad moralem disciplinam, ac iustum timorem incutiendum diuagantur. Quorum sententiæ lubentiùs subscribo, cùm potissimè Saülis humilitas, & modestia sæpiùs capite hoc, & sequentibus inculcetur, quibus bonitatis commendatio satis congruit.

Benedict. Caiet. Theodor. Procop. Venetus.

LITERAL. Tertull. *Saulis prærogatiua.* 39 *Et non erat vir de filiis Israel melior illo.* Tertullianus libro secundo contra Marcionem, cap. 24. Deus non deliquerat, cum Saülem assumit in regnum, & spiritu Sancto auget; optimum enim adhuc, *qualis*, inquit, *non erat in filiis Israël*, dignissimè adlegerat.

MORAL. Idem. *Humana fragilitas.* 40 *Et non erat vir de filiis Israel melior illo.* Idem lib. de Præscriptionib. aduersus Hæreticos. Saül bonus præ cæteris liberè postea euertitur. Dauid vir bonus secundùm cor Domini postea cecidit, & stupri reus est. Salomon omni gratia, & sapientia donatus à Domino ad idololatriã à mulieribus inducitur. Soli enim Dei filio seruabatur sine delicto permanere. Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si

viduæ,

vidua, si virgo, si Doctor, si etiam martyr lapsus à regula fuerit.

LITERAL. Ambros. 41 *Et non erat vir de filiis Israël melior illo.* Ambros. in Epist. ad Roman. cap. 9. Saul, & Iudas Ischariotes ante fuerunt boni, dicente Scriptura de Saule: *Erat vir bonus, & non erat illo melior in filiis Israël.* Et de Ischariothe dicit Petrus Apostolus: *Qui sortitus est sortem ministerij huius in signis & prodigijs faciendis.* Actor. 1. 17.

Actor. 1. 17.

MORAL. Laur. Iust. *Saulis inconstantia.* 42 *Et non erat vir de filiis Israël melior illo.* Laurent. Iustinian. lib. de Humilitate cap. 8. Erat vtique Saul priusquàm præficeretur in Regem electus & bonus; ita vt in filiis Israël non esset illo vir melior: postea verò quàm regni suscepit moderamina, cæpit paulatim insolescere, & cervicem cordis erigere. Quamobrem diuini præcepti præuaricator effectus à Propheta Samuële audiuit: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis caput in Tribubus Israel factus es?*

LITERAL. Lira. 43 *Et non erat vir de filiis Israël melior illo.* Liran. ibi Ex quo notatur, quòd non solùm erat bonus, sed etiam excellentis bonitatis. Consequenter describitur eius aptitudo ex parte corporis, cùm dicitur: *Ab humero & sursum, &c.* in quo notatur fortitudo corporis; quæ multum est necessaria in Regibus, & pulchritudo personæ, quod multum est decens in eis, secundùm illud: *Species prima digna est imperio.*

MORAL. Abul. *Saul humilis.* 44 *Et non erat vir, &c.* Abul. ibi quæst. 4. Erat ista magna perfectio, scilicet, quòd esset verè humilis, ideò cùm ipse esset perfectè humilis dicebatur de eo, quòd non esset melior vir in Israël.

LITERAL. Abul. *Saul an melior Samuële?* 45 *Et non erat vir, &c.* Idem ibidem. quæst. 5. Quæret aliquis an Samuel esset melior illo? Satis videtur dicendum, quòd Samuël erat melior, quàm Saul. Nam propter Samuëlem Deus fecit mirabilia in Israël, vt patet suprà *cap.* 7. Item quando regnauit Saul, Samuël dirigebat eum in omnibus vsquequo peccauit. Potissimè, quia Deus à pueritia reuelauerat se Samueli, & elegerat eum specialiter; nam ipse miraculosè natus est ex matre sterili, suprà *cap.* 1. sanctior ergo erat, quàm Saül. Cùm autem dicitur hîc, quòd non erat in filiis Israël melior illo, potest responderi, quòd istæ propositiones vniuersales in Scriptura non semper accipiuntur vniuersaliter, sed pro multis. Aliter potest intelligi, quod non erat aliquis vir melior Saule, scilicet de illis, qui erant apti ad regnum.

LITERAL. Idem. *An Saul Dauide melior?* 46 *Et non erat vir, &c.* Idem ibidem. quæst. 6. Quæretur vlterius, an Dauid fuerit melior Saule? Non erat tunc melior Dauid Saüle, quia probitas viri potissimùm consistit in regulatione, & moderatione operum per prudentiam, sed in decimo anno constituris hoc non euenit, quia licèt interdum aliquod bonum agant, magis agunt ex inclinatione, vel leuitate quadam passionali, quàm ex prudentia. Ideo opera illorum non habent perfectam rationem boni. Dauid igitur in decimo anno constitutus non poterat dici melior Saule.

LITERAL. Carthus. *Saul, qualis?* 47 *Et non erat vir.* Carthus. ibi. art. 17. Ideò conuenientior eo ad officium Regis, quoniam fuit magnus, robustus, pulcher, & virtuosus, vt quidam exponunt. Verumtamen per hæc verba videtur specialiter insinuari præcipua excellentia ipsius Saül in omni virtute, seu magna valde virtuositas eius, propter quam nemo in populo Israël fuit dignior eo ad regnum. Qui enim melior, qui perfectior, qui sapientior in omni populo, eligendus est ad præsidendum secundùm Origenem. Et quamuis in foro contentioso sufficiat eligere bonum & sufficientem, tamen in foro conscientiæ necesse est eligere meliorem, seu eum, quem conscientia iudicat optimum, atque dignissimum ad Primatum.

Origen.

48 *Et non erat vir, &c.* Caietan. ibi. Si sic vt sonat littera, intelligitur, vel hyperbolica est locutio, vel quoad actiones ciuiles relatiuè ad communem populum intelligitur.

LITERAL. Caietan.

49 *Et non erat vir, &c.* Idem ibidem. Crediderim sensum litteralem esse: Et non erat pulchrior illo in Israël; in cuius signum absque coniunctione aliqua subiungitur: *Ab humero & sursum, &c.* hoc enim ad manifestandam illius pulchritudinem spectat. Exigitur enim ad pulchritudinem hominis magnitudo corporis, nam parui bene proportionati, specioſi, non pulchri sunt.

LITERAL. Idem.

50 *Et non erat vir, &c.* Francisc. Mendoza ibi. §. 15. Si comparatio iuxta Paraphrastem ad Tribum Beniamiticam limitetur, esse poterit locutio propria, ita vt nullus in ea Tribu Saule sanctior Deóque acceptior fuisse affirmetur.

LITERAL. Mendoza.

MORAL. Palafox. 51 *Et non erat vir, &c.* Ioann. palafox. lib. 2. Sacræ Histor. Regal. Proh Domine! vel iratus, si Regis tibi electio committitur, optimum præstare Principem non recusas. Ediscite Reges, Principes, Magistratus adhuc iratos bene agere.

MORAL. Chrysost. 52 *Ab humero & sursum eminebat.* Chrysost. lib. 2. de Sacerdotio. Prodeant in medium, qui longè omnibus præstant, quique animi virtute tanta reliquos excedunt, quanta corporis magnitudine Saul Hebræorum gentem vniuersam excelluit, seu potiùs multo etiam magis; nec enim in nobis humerorum excellentiæ ac proceritatis mensura quærenda, sed quanta interse differentia hominum rationis vsus habentes, & bruta ratione carentia dissident, tantum sanè discrimen inter eum, qui pascit, atque eos, qui pascuntur, esse velim, vt ne maius etiam exigam.

MYSTIC. Drogo. Hostiens. 53 *Ab humero, & sursum eminebat.* Drogo Hostiensis. Serm. 1. de Sacram. Domin. Passion. Quos Saul, nisi superbos Ecclesiæ Prælatos significat, qui ab humero & sursum eminere sibi videntur super omnem populum.

MORAL. Gregor. 54 *Ab humero, & sursum eminebat.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. 3. Ab humero & sursum eminere super omnem populum memoratur, quia qui carnalium mores viuendo sequitur, valde nititur, vt ea agat, quæ agere aliter non valet. Carnalis enim rector ab humero, & sursum vniuerso populo eminet, cùm in exterioribus fortis est sine comparatione.

MYSTIC. Idem. *Prælatus, qualis?* 55 *Ab humero, & sursum eminebat.* Idem, ibidem, cap. 4. Rex præcellit collo, & præcellit & capite. Quid enim in collo, nisi locutio? Quid in capite nisi mentis contemplatio designantur? Capite ergo & collo subditorum omnium capita excellit, si contemplationis altitudine mirabilis est, & sublimitate doctrinæ.

MYSTIC. Isidor. 56 *Ab humero, & sursum eminebat.* Isidor. Hispal. in in Exposit. Mystica cap. 3. Ab humero, & sursum Saul supereminebat omnibus, quia caput nostrum sursum est supra nos, quod est Christus.

MYSTIC. Richard. *Maria in Saule adumbrata.* 57 *Ab humero, & sursum eminebat.* Richard. de S. Laurent. lib. 4. de Laudib. Beatæ Mariæ Virg. Alta fuit Maria, quia instar Saul ab humero & sursum Sanctis supereminens vniuersis, ab humero in quo bona operatio, quia de propria substantia omnia opera actiuè exhibuit filio Dei.

MORAL. Laur. Iust. *Saul humilis.*

58 *Ab humero, & sursum eminebat.* Laurent. Iustiniam. Serm. de Eucharist. Israeli est Prælatus Saül, non quia staturæ inuentus est proceræ, sed quoniam inuentus est humilis. *Cùm esses*, inquit ad eum Propheta, *parvulus in oculis tuis, caput in Tribubus Israel factus es.*

LITERAL. Abul. *Saul fortis.*

59 *Ab humero, & sursum eminebat.* Abul. ibi. quæst. 5. Secundùm quòd erat Saül statura excellens, ita erat vir robustus. Sic patet infrà *cap.* 17. vbi Dauid dixit, quod portare arma pertinebat ad Saül, qui erat vir fortis, ipse autem non poterat armatus incedere. Sic etiam infrà *lib.* 2. *cap.* 1. Cum plangeret Dauid Saülem, & Ionatham ait: *Clypeus Saul quasi non esset unctus oleo à sanguine interfectorum ab adipe fortium. Saul & Jonathas Aquilis velociores, Leonibus fortiores.*

MYSTIC. Lauret.

60 *Ab humero, & sursum eminebat.* Hieron. Lauret. in Sylua. Saül altior cæteris ab humero, & sursum, Christi fuit typus, qui est caput nostrum.

LITERAL. Mendoza. *Proceritas pulchra.*

61 *Ab humero, & sursum eminebat.* Menoch. in sua Biblia. Facit proceritas corporis ad pulchritudinem, & maiestatem: nam parui concinni & eleganculi esse possunt: pulchri non possunt.

LITERAL. Author Catenæ. *Proceritas & species laudabiles.* Strabo. Onesicrit. Aristot. Pompon. Athenæus. Sueton. Sidon. Ennodius. 1. Reg. 16. 12. Hieron. Eucher. Psal. 44. 3. Seneca. Plinius. Basilius. Ambros. Plato. Curtius

62 *Ab humero, & sursum eminebat.* Author Catenæ. Quanti apud veteres steterit in Principibus, ac Regibus staturæ proceritas, orisque species, ac venustas, non solùm hinc colligi potest, sed ex frequenti eorum apud scriptores commendatione. Et quidem *apud Indos Regem pulcherrimum eligi* Autor est Strabo. lib. 15. ex Onesicrito. Eundem quoque morem Æthyopis solemnem refert Aristoteles 4. Politicor. cap. 4. *secundum magnitudinem, vel secundum pulchritudinem Magistratu, honoréque publici distribuerentur.* De quibus etiam Strabo lib. 17. *Regem*, inquit, *constituunt eum, qui vel forma, vel alendorum pecorum virtute, vel robore, vel opibus excellat.* Quod affirmant quoque Pomponius Mela lib. 3. cap. 4. & Athenæus lib. 13. cap. 7. Domicianus apud Sueton. cap. 18. proceræ staturæ pulchri, ac modesti vultus commendatur. Claudius quoque & Octauius. Apud sanctum verò Sidonium Apollinar. Theodorici Regis laudatur species. *Cuius personam*, inquit, *Deus arbiter & ratio naturæ consummatæ felicitatis dote sociatâ cumulauerunt.* Consule de eiusdem Regis eleganti forma, elegantem quoque panegyricum Ennodij Ticinens. Apud sacros quoque Scriptores, & Interpretes, plurimi Principes ex forma & venustate collaudantur. Dauid *rufus, & pulcher aspectu, decoráque facie describitur*, infrà 16. 12. Pulcher quoque Absalon, pulcher Adonias. Pulcherrimus tandem & *speciosus forma præ filiis hominum* Salomon iuxta Hieronymum, Eucherium, & alios. Psalm. 44. 3. Secundùm alios verò Christus Dominus, *In quem desiderant Angeli prospicere.* Saul ergo electus, & bonus, seu speciosus vt alij intelligunt ab humero & sursum reliquos excedens in Principem eligitur, quasi apum more & exemplo, quæ *forma insignem dissimilem cæteris tum magnitudine, tum nitore*, vt ait Seneca de Clementia cap. 14. *Regem ac dominatorem agnoscunt.* Quod affirmat quoque Plinius lib. 11. Natural. Histor. cap. 16. His verbis. *Semper ille forma egregia duplo, quam cæteri maior: penna breviores, crura recta, ingressu celsior, in fronte macula quædam diademate candicans, multum etiam nitore à vulgo differens.* Vide quoque Basilium in Exam. Hom. 8. & Ambros. lib. 5. cap. 21. qui rem à Platone lib. de Regno mutuarunt. Curtius denique lib. 6. *Plurimis gentibus* scribit *in corporis maiestate venerationem esse magnorumque operum non alios capaces existimari, quam quos eximia specie donare natura dignata est.* Ad pulchritudinem autem, corporis proceritatem potissimùm spectare probant communiter Philosophi ex Arist. 4. Ethicor. c. 13. & 4. Rhetor. c. 5. Hinc cõmendatur sponsę pulchritudo. Cantic. 4. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum*: & iterum; *statura tua assimilata est palmæ.* Ob quam fortè proceritatem primi illi homines, quibus filiarum hominum pulchritudo placuit, non minus quàm *filij Dei appellantur* iuxta quosdam Interpretes. *Cum vidissent filij Dei filias hominum.* Gen. 6. Oleaster ibi. *Ideſt: hominum procera statura.* Pusillæ verò staturæ homines, vt suprà annotarunt Caietanus, & Menochius, *concinni & eleganculi esse possunt, pulchri non possunt.* Sed de pulchritudinis dignitate fusiùs alibi dicemus, fortè ad caput 25. Vers. 3. & interim cap. 10. vers. 23. num. 16.

Aristot. Cant. 4. 4. Gen. 6. Oleaster. Caietan. Menoch.

VERSVS III.

Vulgata. Perierant autem asinæ Cis patris Saül: & dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum vnum de pueris, & consurgens vade, & quære asinas. Qui cùm transissent per montem Ephraim.

Vulgata.

Benedict. in margine. Tolle tecum *quæso* vnum de pueris.

Benedict.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Perierant autem asinæ Chis patris Saül, dixitque Chis ad Saül filium suum: Tolle tecum, quæso, vnum de pueris, & surge, vade, quære asinas. Et transiuit per montem Ephraim.

Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Perierant autem asinæ Kis patris Saül: dixitque Kis ad Saul filium suum: Assume, quæso, tecum aliquem è pueris, & consurgens, vade, ac quære asinas. Transiuit ergo montem Ephraim.

Vatab.

Chaldaic. ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et perierunt asinæ Kis patris ipsius Saulis. Et dixit Kis ad Saul filium suum: tolle tecum vnum ex pueris, & surge, vade, quære asinas. Et transiuit per montem Ephraim.

Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et perierant asinæ Cis patris Saul; & dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum vnum puerorum, & consurgite, & vadite, & quærite asinas, Et transierunt per montem Ephraim.

Complut. Regia.

Græc. ex Septuag. in Sixtia. Et perierunt asinæ Cis patris Saul, & dixit Cis ad Saul filium suum. Sume tecum vnum puerorum, & surgite, & ite, & quærite asinas. Et transierunt per montem Ephræm.

Sixtia.

Author Catenæ. Nota in Hebræo, Chaldaico, & Græco aliter hos versus dispungi. Nam tertius claudítur illis verbis: *Quære asinas*: quartus autem incipit: *Qui cùm transissent.*

Author Catenæ.

PP. ET AVCTORES.

1 *Perierant autem asinæ Cis.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. 4. ante medium. Asinæ Cis sunt animæ peccatrices, quia etiam in fide Redemptoris regeneratæ

MYSTIC. Gregor. *Peccatores, sunt asinæ.*

regeneratæ sunt, duri esse dicuntur. Perditæ autem asinæ, quia per immunditiam ab eius seruitio separatæ. Hinc est enim quòd ad passionem tendens absolutæ asinæ & pullo insedit, vt patenter ostenderet quia ad hoc pati venerat, vt peccatoribus subueniret. Pereuntes namque asinæ se quærere fatebatur, cùm dicebat. *Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat*, Luc.19.

Matt.21.

Luc.19.

HISTOR. Ioseph.

2 *Perierant autem asinæ Cis.* Iosephus lib.6. Antiquitat. cap.5. Cis cùm eximias asinas, quibus præ cæteris iumentis delectabatur, à reliquo grege aberrantes amisisset; filium cum vno famulo ad eas quærendas misit.

LITERAL. Sanctius.

3 *Perierant autem asinæ Cis.* Gaspar. Sanct. in Comment. num.4. Cùm tunc equorum rarus esset, ac mulorum vsus, quia quadrigæ ac currus perquàm rari ad ætatem vsque Salomonis, illorum vsum etiam honestum sustinebant asini, qui non solum ferebant onera, ac trahebant aratrum, sed etiam magnorum Principum corpora cum dignitate portabant. Quare sæpè audiuimus iudices Israël, & illorum filios sedisse super asinos; qui non minus antè alebantur delicatè, ac molliter, quàm nunc ad Principum gloriam, atque delicias nutriuntur equi. Iudic.5. 10. ibidem cap.10. & 12.

Iud.5.10.

LITERAL. Hieron. *Puer quis fuerit?*

4 *Tolle tecum vnum de pueris.* Hieron. in Trad. Hebraic. super Paralip. Docch ferunt Hebræi puerum Saülis fuisse, qui cum eo perrexerat ad requirendas asinas patris sui.

MYSTIC. Gregor. Luc.1.

5 *Tolle tecum vnum de pueris.* Greg. suprà. Vnum de pueris tulit, de quo prædictum est: *Ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Heliæ.* Luc.1. Vnum puerum secum tulerat, qui ait: *Non habemus spiritum huius mundi, sed spiritum, qui ex Deo est.* 1. Corinth.2.

1.Cor.2.

LITERAL. Carthus.

6 *Tolle tecum vnum de pueris.* Carth. ibi. art.17. Propter viæ solatium, vel propter negotij expeditionem, aut propter ipsius Saül honorabilitatem, voluit pater suus, vt non iret solus, sed cum ministro.

MORAL. Mendoza. *Prudentia Saulis.*

7 *Tolle tecum vnum de pueris.* Franc. Mend. ibi. §.10. Expende prudentiam Saülis, nam accepta optione à parente, vnum è prudentioribus famulis elegit, vt patet ex consilio adeundi Samuëlem, quod ab eo accepit paulò inferiùs *Vers.6.* cùm tamen Principes iuuenes soleant bonos Consiliarios detestari.

MORAL. Author Catenæ.

8 *Tolle tecum vnum de pueris.* Author Catenæ. Hebræus addit. *Quæso, Tolle tecum quæso*; vbi Cis prudentia, & suauitas commendatione digna sunt. Suauitas quidem, nam cùm filio absolutè imperare posset, maluit tamen rogare. Prudentia vero, quia cùm homines benignitate potius, & precibus flectantur, quàm supercilioso imperio, in eo qui dominio fruitur, rogare, efficacissimè imperare est, vt ex pluribus notauit Lipsius in Politic. de quo vide Senecam lib.1. de Clement. cap.17.

Lipsius. Seneca.

MYSTIC. Greg.

9 *Vade, & quære asinas.* Greg. suprà. Dicit ergo Cis filio suo, vt asinas quærat quando electorum cordibus spirituali inspiratione Redemptor imperat, vt in prædicationis ministerium pergant.

MYSTIC. Angelom.

10 *Vade, & quære asinas.* Angel. in Stromatib. Sicut Saül cùm asinas patris sui quæ deerant, quæreret, in regno assumptus est, simili quoque modo Dominus, & Saluator noster postquam à patre suo missus ad oues, quæ perierant domus Israel, venire dignatus est super cunctum populum suum, ab eo in Regem tantum constitutus est. Sic ipse ait: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum eius.* Hoc enim præfigurabatur per asinas

propter simpliciratem, quod & per oues propter innocentiam.

HISTOR. Zonar.

11 *Quare asinas.* Ioan. Zonaras tom.1. Annal. Accidit autem vt Beniamita quidam nomine Cis, Saülem filium, hominem statura & forma excellenti cum seruo ad asinarum, quas amiserat, inquisitionem mitteret.

LITERAL. Abul. *Saulis ætas.*

12 *Vade, & quære asinas.* Abulens. ibid. quæst.6. Aliqui existimant ex hoc, quòd Saül erat nimis iuuenis nondùm habens vxorem, sed manens in domo paterna sub patria potestate, quia pater iussit ei inquirere asinas. Sed falsum est, erat enim Saül iam vir plurium quàm triginta annorum, & fortè quadraginta; quod apparet, quod quando ipse assumptus est in Regem, habebat filium nomine Ionatham virum fortem, & bellicosum, nam immediatè vt factus est Rex accepit tria millia virorum, & duo millia erant cum eo in Bethel, & mille cum Ionatha filio suo in Gabaa. infrà, *cap.*13; Etiam paulò post hoc in primo bello, quod legitur habuisse cum Philisthinis, Ionathas, & armiger eius soli iuerunt, & percusserunt stationem Philisthinorum infrà, *cap.*14. Habebat ergo Saül iam filium magnæ ætatis, quando est factus Rex, quia tamen erat valde humilis, obediebat, sicut paruulus ad omnia quæ iubebat pater suus.

MYSTIC. Hugo. Vict. *Iudæorum felicitas.*

13 *Vade; & quære asinas.* Hugo Victor. lib.5. Allegor. cap.11. Quod Saül asinas patris sui quærit, significat, quod Iudæi stultitiam carnalis sensus sequentes per errores deuios luxum mundi quærunt; asinus enim brutum & luxuriosum animal est; qui ad Prophetam venientes, id est ad Moysem, audierunt inuentas esse asinas; id est bona terræ se comesturos esse didicerunt; à quo eis & vnctionis oleum, & regni gubernaculum promittitur. In quibus ad tempus fratres suos de manu hostium suorum eripuerit.

LITERAL. Cornel.

14 *Vade, & quære asinas.* Cornel. in Comment. Asini in Syria sunt præstantiores Europæis, vnde filij Principum vehebantur asinis, Iudic. 10. 4. Asinus ergo apud Hebræos erat iumentum Regale, Hebræi enim vix equis vtebantur, idque ex Dei monitu Deuter. 17. 16. Hoc ergo Saüli fuit quasi omen regni, vt quærens asinas, reperiret regnum, iisque Rex insideret. Hinc & Christus dum quasi Messias Rex Israëlis inaugurandus cum ramis palmarum perrexit Ierosolymam, vehebatur asinâ. *Matt.*21.

LITERAL. Aut. Caten. *Pastoritium munus nobile.*

15 *Vade, & quære asinas.* Author Catenæ. Hoc genus ministerij licèt humile videatur, non tamen Saüli viro nobili, & primario indecens, cum pastoricium munus priscis illis sæculis nec ignobile, nec illustribus viris alienum fuerit, vt videre est in Moyse, Abrahamo, Isaac, Iacob, Dauide, Elisæo, & aliis, imò regio ineundo muneri satis idoneum. Nam vt ait Philo Hebræus lib. de Vita Moysis. *Pastoralis ars ad regnum est præludium.* Addit insuper asseueranter solùm posse esse Regem vndequaque perfectum, qui benè calleat artem pastoritiam. Verùm hæc, nugæ sunt; cùm hominum regimen à pecudum gubernatione longissimè distet, vtque ait Seneca lib. de Clem. cap.17. nuper relatus. *Nullum sit animal maiori arte tractandum.* Vide Clementem Alexand.1. Stromat. de Moysis Pastoratu diserte agentem, Ambrosium Epist.4. in lib.1. Cyprian. Serm. de Natiuit. Basilium de sancto Mamante, & Ioan. Marquez aureo illo libro de Christiano Gubernat. lib.1. cap.9.

Philo. Hebræus. Seneca. Clemen. Alexand. Ambros. Cypriam. Basil. Marquez.

16 *Quicunq; transissent per montem Ephraim.* Greg. suprà. Quia per quinque corporis sensus ad

MYSTIC. Greg.

peccatorum tenebras decidunt peccatores, quinque regionibus non inuiendæ perquiruntur. Videlicet per montem Ephraim, &c. Vnusquisque enim vbi per peccatum proiicitur, ibi occultatur, & quasi perditus, vbi sit, nescitur, quando iustitiæ lucem, in qua eum Deus posuit, derelinquit.

Tropol. Lira. *Prælatus prius obediat.* 4. Reg. 2.

17 *Qui cum transissent per montem Ephraim.* Liran. ibidem. Qui præest aliis in potestate, debet etiam moribus præesse, & exercitatus in humilitate, quod in Saüle significatur, per hoc quod iuit asinas quærere. Vnde de Helia dicitur. 4. Reg. 2. *Pater mi currus Israel, & auriga eius.* Currus enim, quid ducitur, hic ponitur primo; & auriga, qui ducit, secundo; ad ostendendum, quod ille benè ducit regendo, qui primo fuit ductilis in obediendo.

Literal. Abul. Iosuè 17. & 20.

18 *Qui cum transissent per montem Ephraim.* Abulensis ibid. quæst. 6. Est mons Ephraim ipsa terra Ephraim, quæ est montuosa, & communiter vocatur tors illa, mons Ephraim, vt patet Iosuè 17. & 20. Principaliter autem vocatur mons Ephraim, quædam pars nimis montuosa in sorte Ephraim, per quam transierunt Saül, & puer eius.

VERSVS IV.

Vulgata.

Vulgata. Et per terram Salisa, & non inuenissent; transierunt etiam per terram Salim, & non erant; sed & per terram Iemini, & minimè repererunt.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagn. Et transiuit per terram Salisah, & non inuenerunt; & transierunt per terram Sahalim, & non erant, & transiuit per terram Iemini & non inuenerunt.

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Deinde transiuit per terram Salissa, & non inuenerunt: transierunt igitur per terram Sehaalim, & non erant, & transierunt per terram Iemini, nec inuenerunt.

Ariasm.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et transiuit in terra Australi, & non repererunt, & transierunt in terra deserti, & non erant; & transierunt in terram Tribus Benjamin, & non repererunt.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et transierunt per terram Salissa, & non inuenerunt, & transierunt per terram Saalim, & non erat, & transierunt per terram Ieminæi, & minimè receperunt.

Sixtia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et transierunt per terram Selcha, & non inuenerunt; & transierunt per terram Segalim, & non erant, & transierunt per terram Iemini, & non inuenerunt.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Hieron.

1 *Et per terram Salisa.* Hierony. lib. de Locis Hebraic. tom. 3. Salisa, quam Saül transiit: Scalim villa, quam pertransiit Saül in finibus Eleutheropoleos contra Occidentem septem ab ea millibus distans.

Literal. Abul.

2 *Et per terram Salisa.* Abul. ibid. quæst. 6. Ista est quædam pars terræ in sorte Ephraim, quam perambulauerunt, postquam transierunt per montem Ephraim. Nam non accipitur hic mons Ephraim pro tota terra Ephraim, sed pro quadam parte.

Literal. Interl.

3 *Per terram Salim.* Interl. ibid. Salim ciuitas Melchisedec. Iemini, id est, Beniamin.

Literal. Abul.

4 *Per terram Salim.* Abulens. ibid. quæst. 6. Licet iam satis declinarent à terra sua, tamen quia exiuerant ad quærendum, nolebant redire vacui, ideò venerunt in terram Salim. Ista secundum aliquos est quædam ciuitas in terra Ephraim apud vrbem Sichem, & pertinet ad prouinciam Sichem in qua habitauit Iacob, quando venit de Mesopotamia. *Genes.* 33. Aliqui autem & fortè melius volunt, quòd Salim sit quidam locus apud Iordanem, nam dicitur de Beato Ioanne, quòd baptizabat omnes ad se venientes in Iordane, *Ioannis* 1. & tamen Ioannes erat baptizans in Salim, *Ioan.* 3. Erat autem Ioannes baptizans in Ennon iuxta Salim. Genes. 33. Ioan. 1. & 3.

Literal. Abul.

5 *Sed & per terram Iemini.* Idem ibidem. Est quædam pars terræ Beniamin; iuerunt enim Saül & puer eius de terra sua, quæ erat in sorte Beniamin ad terram Ephraim, quia terra Ephraim, & Beniamin sunt coniunctæ: Cùm ambulauissent per terram Ephraim rursus ingrediebantur in terram Beniamin, & iterum redibant ad terram Ephraim; sic enim factum est hic. Hoc autem fiebat propter propinquitatem istarum terrarum, & in ambulando hic modicum morati sunt, scilicet tribus diebus. Sic enim dixit ei Samuël, vt patet infrà, scilicet *& de asinis, quas perdidisti nudius tertius, ne solicitus sis.*

Literal. Moral. Author Catenæ.

6 *Sed & per terram Iemini.* Author Catenæ. Coniunctio *sed &* emphasi non caret, sicut nec sequens negatio: *Et minimè repererunt*; vbi iuxta litteram summa Saülis solicitudo in inquirendis asinis, & industria declaratur. Iuxta moralem verò disciplinam aliquorum cognatorum in suos propinquos, & consanguineos frigiditas, & emortua charitas innuitur. Iemini enim cuius vel hæc fuerat regio vel eius nomine distinguebatur, proauus Samuëlis fuerat, suprà *Vers.* 1. ergo, qui in aliorum regionibus non amissum pignus nec mali sui leuamen inuenerat, in auo etiam sui prouincia minimè reperit. Huic non absimiles fuerunt Christi Domini consanguinei, de quibus *Ioann.* Ioan. 7. 5. *cap.* 7. 5. *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Vbi rationem præbet Augustinus congruentissimam. *Isti fratres, id est consanguinei Christi Christum consanguineum habere potuerunt: sed credere in eum assiduitate fastidierunt.* August.

Moral. Gregor.

7 *Et minimè repererunt.* Gregor. lib. 4. Variar. capite 4. Differtur conuersio, vt conuersi diligantur, & eos Prædicator tanto ampliùs amet, quanto clariùs videt, quia eos lucrari citò non prævalet. Sed dum sancti viri de prædicatione sua alios conuertere non possunt, de se vehementer timere incipiunt, ne inde omnipotenti Deo displiceant, vnde se ei vehementer placere cogitabant; & plerumque agitur, vt sic nouorum Prædicatorum corda terreantur, vt iam proponant eiusdem prædicationis officium deserere, & Deo per silentium vacare; quare & subditur: *Cùm autem venissent in terram Suph*, &c.

VERSVS V.

Vulgata.

Vulgata. Cùm autem venissent in terram Suph, dixit Saül ad puerum, qui erat cum eo: veni, & reuertamur, ne fortè dimiserit pater meus asinas, & solicitus sit pro nobis.

Benedict.

Benedict. in margine. Ne fortè oblitus sit pater meus asinarum pro nobis.

Author Catenæ. Greg. Glossa.

Author Catenæ. Aliqua exemplaria addunt: *In terram Suph, & non inuenissent, dixit Saül ad puerum suum*, & sic legit Gregorius ibi. Textus autem Glossæ legit: *Et timent pro nobis.*

VERSIO

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic.ex Xante Pagn.* Ipsi venerunt in terram Suph,& Saül dixit puero suo;qui erat secum : Veni,& reuertamur,ne fortè cessauerit pater meus ab asinis, & timeat à nobis.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Cùm ergo venissent in terram Suph, dixit Saül puero suo,quem secum habebat: Veni reuertamur,ne fortè pater meus relicta cura asinarum, de nobis sit solicitus.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Ipsi venerunt ad terram, in qua Prophetæ & Saül dixit puero suo, qui secum: Veni,& redibimus.Fortè cessauerit pater meus à cura asinarum,& solicitus erit nostri.

Complut. *Græca ex Septuaginta in Complutens. & Regia.* Ipsis autem venientibus in terram Siph, & dixit Saül puero suo,qui cum eo: Veni, & reuertamur, ne dimittens pater meus quæ circa asinas curas,curet de nobis.

Sixtia. *Græca ex Sept.in Sixtia.* Ipsis autem venientibus in Seph, & Saül dixit puero suo,qui secum: Veni, & reuertamus, ne omittens pater meus asinas, solicitus sit quæ de nobis.

Caiet. *Caietan.ibi.* Ipsi venerunt in terram Zuph.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Carth. 1 *Cùm autem venissent in terram Suph.* Carth. ibi art. 17. Per hunc *Suph* quidam intelligunt atauum Samuëlis, de quo Suph in exordio huius libri habetur. Sed cùm Suph ille fuerit Leuites iuxta præhabita,non videtur terram habuisse hæreditate possessionis,nisi fortè dicatur terra Suph ratione originis, vel quia ad alenda pecora sua habuit eam.

Literal. Mendoza. 2 *Cum autem venissent in terram Suph.* Franc. Mend.ibi §.1.Non quidam quod illam terram possideret Suph,erat enim Leuita expers possessionis, sed quòd illam habitaret, & propter suam auctoritatem suo nomine insigniret, appellando illam terram *Suph*,aut *Sephim* quod idem est ; sicut *Ramatha*, & *Ramathaim*.

Mystic. Greg. 3 *Veni, & reuertamur.* Greg. lib.4. Variat.c.4. Ad patrem reuerti deliberat, qui postposita intentione prædicationis Deo vacare appetit in secreto silentij. Reuerti quidem dicitur, qui missus ante perhibetur.Quasi enim coram patre sunt filij,quando electi viri immorantur in secreta contemplatione Redemptoris. Reuertuntur itaque quando à publico sanctæ contemplationis ad rimanda gaudia æternæ claritatis.

Moral. Idem. 4 *Veni,& reuertamur.* Idem ibidem.Quia sancti Viri nihil agunt inconsulti, Saül de reuersione ad patrem, puerum consuluit. Tunc namque puerum consulimus,quando intenta mente prouidemus,vt quod tentamus disponere à spirituali sensu non debeat differri.Ad patrem quippe reuerti disposuerat, qui dicebat : *Dixi custodiam vias meas,vt non delinquam in lingua mea.* Psalm.89.

Mystic. Beda. 5 *Veni,& reuertamur.* Beda lib.2.exposit.Allegor. cap. 2. A quinto loco cessatæ quæstionis Saül quasi redire disponit.Et Dominus enormitate præuaricationis humanæ videbatur quasi à curanda impiorum salute voluisse reuerti, dum in quinta sæculi ætate subtractis Prophetarum oraculis, subtracta frequentia collocutionis Angelicæ, sola prauorum hominum scelerata acta crebrescerent.

Literal. 6 *Veni,& reuertamur.* Franc.Mend.ibi §.2.Illud *veni* non est iubentis accedere; puer enim præsens aderat : sed est exhortantis, sicut Iacob ad Iosephum:*Veni*,inquit,*& mittam te ad eos.* Gen.37.13. & Dominus ad Moysem : *Veni*, inquit, *& mittam te ad Pharaonem.* Mendoza. Gen.37. Exod. 3.

7 *Ne fortè dimiserit pater meus asinas, &c.* Caietan. ibi. Est sensus, ne maior solicitudo de nobis excludat à patre meo solicitudinem de asinis. Rationabiliter enim verebatur ingerere patri maiorem solicitudinem ex nimia mora. Literal. Caietan.

8 *Solicitus sit pro nobis.* Carthus.ibi art.17.Sciebat Saül se esse valde dilectum, immo charissimum patri suo, tamen ex humilitate commemorat sibi suum ministrũ dicendo:*Et solicitus sit pro nobis.* Moral. Carthus. *Saulis humanitas.*

9 *Solicitus sit pro nobis.* Abul.ibi quæst. 6. Sciebat Saül se à patre tenerrimè diligi, ideò cùm fuisset absens per aliquot dies, putaret pater,quòd aliquid siniſtrum ei accidisset, esset que pro eo nimis solicitus, quousque reuerteretur. Voluit ergo cessare ab inquisitione asinarum, ne per longam absentiam affligeret aduersa suspicantem. Literal. Abul.

10 *Solicitus sit pro nobis.* Ioseph.lib.6.Antiquit. c.5. Qui cum perlustratâ suâ Tribu, eas non inuenisset,ad alias venit;& cùm nusquam comparerent decreuit redire, ne patri solicitudinis causa fieret. Histor. Ioseph.

11 *Solicitus sit pro nobis.* Autor Catenæ. Non dubium est pro filio tres dies iam absente patrem anxium fore; non tamen Saül pro se tantùm solicitum fortè esse patrem veretur,sed etiam & pro puero. *Pro nobis*,inquit.Licet enim filius omni æstimatione & amore dignus existat, seruus etiam prudens,& fidelis amorem quoque promeretur. Vnde Eccli.33. 31. *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem eum tracta.* Qui verò in seruos inhumani sunt, in viro Amelechita resipiscant, qui ob desertum infirmum puerum pœnas eo interprete cum toto suorum exercitu Dauidi dedit, infrà *cap.30.* Tropol. Autor Catenæ. *Serui humanè tractentur.* Eccl.33.31.

VERSVS VI.

Vulgat. VVlgat.Qui ait:EcceVir Dei est in ciuitate hac, Vir nobilis. Omne quod,loquitur sine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc si fortè indicet nobis de via nostra propter quam venimus. Vulgata.

Benedict. & Text. Gloss. in margine. Vir honorabilis. Omne quod loquitur veniendo venit. Si fortè indicet nobis viam nostram. Benedict. Gloss.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic.ex Xante Pagn.* Dixitque ei : Ecce nunc vir Dei est in ciuitate ista ; & Vir honorabilis:omne quod loquitur, veniendo veniet. Nunc eamus illuc si fortè indicet nobis viam nostram per quam ambulemus.

Vatab. *Hebraica ex Franc.Vatab.* Qui dixit ei:En nunc vir Dei est in ista ciuitate, & vir est honorabilis; quidquid loquitur certissimè euenit : eamus ergo illuc, si fortè indicet nobis viam nostram, quam eamus.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm.in Regia.* Et dixit illi : Ecce nunc Propheta Domini in vrbe hac, & vir honorabilis, & vaticinabitur veritatem, omne quod vaticinabitur firmando firmabitur. Num ibimus eò, fortasse indicabit nobis viam nostram, quam venimus super eam.

Complut. Regia. *Græca ex Sept.in Complut. & Regia.* Et dixit ei puer:Ecce homo Dei in ciuitate hac, & homo glorioſus.Omne quod loquatur veniens aderit.Et nunc

eam illuc ad eum, vt indicet nobis viam noſtram, per quam vadamus.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et dixit ei puer: Ecce nunc homo Dei in ciuitate hac & homo honoratus. Omne quodcumque locutus fuerit eueniens aderit. Et nunc eamus vt annunciet nobis viam noſtram, ſuper quam ibimus ſuper eam.

Caiet. *Caietan. ibi.* Et dixit ei: Ecce obſecro vir Dei eſt in ciuitate iſta, vir honoratus.

Iſidor. *Iſidor. Clar. ibi*, vir *honorabilis.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Ecce vir Dei eſt.* Greg. lib. 4. Variar. cap. 4. Virum Dei Samuëlem dicit, in quo Prædicatores ſanctæ Eccleſiæ deſignari iam diximus. Qui vir quidem dicitur pro reuerentia Sanctæ conuerſationis, & omne quod loquitur abſque ambiguitate venire perhibetur, quia quidquid minatur de æternis ſuppliciis, quidquid de æterna lætitia promittit iuſtis, ita, vt denuntiat, impij abibunt ad pœnam, & electi ad gloriam.

Histor. Ioſeph. 2 *Ecce vir Dei eſt.* Ioſeph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. Dum non longè à Ramatha oppido iter faciunt, famulo admonente habitare ibi Prophetam veridicum, eúmque omninò conſulendum eſſe, ſic enim ſcituros quod actum eſſet de aſinis; reſpondet nihil ſe habere quod mercedem diuinationis daret, iam enim viaticum eſſe conſumptum.

Literal. Abul. 3 *Ecce vir Dei eſt.* Abul. ibi quæſt. 6. Vocatur vir Dei, quia Deus loquebatur ad ipſum, vel quia ipſe aliquid ex parte Dei denunciabat.

Literal. Mendoza. *Vir Dei quid?* Gen. 32. Paralip. 12. Ezech 1. 4 *Ecce vir Dei eſt.* Franc. Mend. ibi §. 3. In Scripturis dicitur eſſe Dei quidquid habet in ſuo genere excellentem aliquam commendationem. Sic dicuntur *Caſtra Dei.* Gen. 32. *Exercitus Dei*, 1. Paralip. 12. *Viſiones Dei*, Ezechiel. 1. &c. Nam cum Hebræi ſuperlatiuis carerent, illorum defectuum adiecto Dei nomine ſupplebant, ſed præcipuè in ordine morali dicebantur *Viri Dei*, ſeu *homines Dei*, qui propter eximiam aliquam excellentiam ad Deum proximè accedere videbantur, vel quia quod eſt Dei proprium diuinabant; vel quia vitæ ſanctitate ipſam diuinitatem exprimebant.

Allegor. Moral. Gregor. 5 *In ciuitate hac.* Greg. ſuprà. In ciuitate eſt paſtor, quia cum cuſtodit alios in ſe munitus eſt. Vnde & per Prophetam in omnium virorum Dei laudibus ſub vnius deſcriptione dicitur. *In excelſis habitat: munimenta ſaxorum ſublimitas eius.*

Literal. Abul. 6 *In ciuitate hac.* Abul. ibi quæſt. 6. Dixit *in ciuitate hac*, quia Saül, & puer eius erant tunc apud vrbem videntes vrbem prope ſe, quod patet, quia ipſi erant in terra Suph, quæ erat quædam parua terra, & in hac erat vrbs Ramatha, in qua habitabat Samuël.

Moral. Greg. *Vera nobilitas?* 7 *Vir nobilis.* Greg. ſuprà. Nobilis etiam dicitur, quia ſuperna conuerſatione conſpicuus eſt, & de mundanæ vitæ ruſticitate nihil habet. Inde enim nobilis cernitur, vnde ciuis; ſæcularium quippe hominum, quia nulla eſt morum compoſitio, quaſi in exterioribus locis nutriti; ruſtici ſunt.

Literal. Abul. 8 *Vir nobilis.* Abul. ibi quæſt. 6. Ideſt famoſus. Sicut ignobiles vocantur ignoti, vel abiecti. Erat autem Samuël Vir valde famoſus propter prophetiam, qui multa mirabilia ex parte Dei prænunciabat, & omnia eueniebant. Vel vocatur Vir nobilis, id eſt bonus, & honoratus; nam in toto Iſraël non erat aliquis tam honorabilis.

Literal. 9 *Vir nobilis.* Carthuſ. ibi art. 17. Quia erat iudex populi, & Propheta, & omnium nobilitate virtutum ornatus. Carthuſ.

10 *Omne quod loquitur ſine ambiguitate venit.* Comeſt. in Hiſtor. Schol. c. 10. Eſt vir Dei in ciuitate hac, qui abſque ambiguitate loquitur. Literal. Comeſt.

11 *Nunc ergo eamus illuc.* Orig. lib. 1. contra Celſum poſt medium. Si Hebræi nullum ſolatium habuiſſent è futurorum præſcientia, certè impulſi humana quadam futura cognoſcendi libidine, contemſiſſent res ſuas, vt nihil diuinum in ſe habentes, nec alium poſt Moyſem Prophetam recepiſſent, nec ſermones eorum mandaſſent litteris, tranſfugiſſentque ad oracula gentium, aut ipſi conati fuiſſent apud ſe ſimile aliquid inſtituere. Quamobrem nihil abſurdi eſt, etiam de fortunis quibuſdam Prophetas eius gentis reſpondere, quo ſatisfacerent talium rerum cognoſcendarum cupidis, ſicut Samuëlem de aſinis perditis, & de morbo Regis pueri illum de quo *in* 3. *lib. Reg.* ſcriptum eſt. Literal. Origen. *Cur Prophetæ conſulebantur.*

12 *Nunc ergo eamus illuc.* Hier. in c. 20. Ezech. initio. Hanc fuiſſe conſuetudinem populi Iſraël, vt quidquid ſcire cupiebant à Domino quærerent per Prophetas, multa exempla teſtantur. Saül quærens aſinas pergit ad Samuëlem, accepitque conſilium à puero, vt offerat Prophetæ quartam partem ſicli. Ægrotante filio Ieroboam mittitur in Silo ad Achiam Prophetam vxor eius deferens munuſcula, vt de filij infirmitate cognoſceret 3. *Reg.* 14. Literal. Hieron. *Mos conſulendi Prophetas.* 3. Reg. 14.

13 *Nunc ergo eamus illuc.* Greg. ſuprà. Ad hoc Saül à puero ducitur, vt inſtruatur, quia qui in arce prælationis ponendi ſunt, ſpirituali ſenſui perfectorum Prædicatorum magiſterio ſubiici monentur. Moral. Gregor.

14 *Nunc ergo eamus illuc.* Abul. ibi quæſt. 6. Iſta locutio de eundo in vrbem, in qua erat Samuël, fuit à Deo inſpirata puero; ſcilicet quia ipſe mouit puerum ad hoc, quod loquereretur iſta; nam volebat Deus, quòd Samuël cognoſceret Saülem, & hoc modo eum cognoſcendum tradebat. Literal. Abul.

15 *Nunc ergo eamus illuc.* Autor Catenæ. Cum ſub eorum conſpectum veniret vrbs Ramatha, quam Samuël incolebat, eò adeundi, vt Prophetam conſulerent, mentem ſubiit pueri; quæ quidem Prophetarum conſultatio frequens apud Hebræos in rebus dubiis fuerat, vt ex Origene, & Hieronymo ſuprà relatis probatur. Vnde neceſſe non eſt, vt cum Abulenſi credamus, puerum ſpeciali à Deo illuſtratione inſpiratum; cùm præcipuè rectum Prophetæ conſulendi conſilium turpi ſimoniæ vitio fœdauerit, quartam ſtateris partem in diuinationis pretium conſignans. Literal. Author Catenæ. Origen. Hieron. Abul.

16 *Si fortè indicet nobis de via noſtra.* Gregor. ſuprà. Quia nimirum ſpiritualis ſenſus non alta nobis ſapere ſuggerit, non audacter de omnipotenti Deo præſumere, ſed eius dona cum ſumma ſancti timoris reuerentia poſtulare. Meritò ergo puer dicitur, qui humilia ſemper docere prædicatur. Moral. Greg.

17 *Si fortè indicet nobis de via noſtra.* Abul. ibi quæſt. 7. Dubitabant, an fortè vellet hoc dicere, nam exiſtimare poterant, quòd ille vir dedignaretur eis loqui, eo quod ipſi erant viri abiecti, & non habentes quid offerrent Viro. Literal. Abul.

VERSVS VII.

Vulgata. Dixítque & Saül ad puerum ſuum: Ecce ibimus: Quid feremus ad virum Dei? Vulgata.

Panis

Panis defecit in Sitarciis nostris,& sportulam non habemus,vt demus homini Dei,nec quidquã aliud.

Benedictina in margine. Quid feremus viro
Benedict. Dei? Panis defecit in sitarciis nostris;nec est munus, quod demus homini Dei? Quid est enim apud nos?

Textus Gloss. in margine. Panis defecit in vasis
Gloss. nostris, & munus non habemus, vt demus homini Dei.

VERSIONES.

Hebraïc. ex Xante Pagn. Dixitque Saul puero
Pagn. suo. Ecce ibimus, & quid afferemus viro? Panis enim abiit de vasis nostris,& munus non est,vt asferamus viro Dei. Et quid est nobiscum?

Hebraïc. ex Franc. Vatab. Respondit Saul puero
Vatab. suo. Ibimus ergo: quid verò feremus Viro? Panis enim nullus est amplius in vasis nostris, nec munus est, quod feramus viro Dei. Quid enim habeamus?

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et
Ariasm. dixit Saul puero suo: Et ecce ibimus, si accipiens mammon quid inferemus Prophetæ? Etiam nos viatica defecerunt de vasis nostris, & quicquam quod placens, non est ad inferendum Prophetæ Domini. Quid nobis faciendum?

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et
Complut. dixit Saul puero qui cum eo: Et ecce ibimus, &
Regia. quid feremus homini Dei, quia panes defecerunt de vasis nostris,& plus non est nobiscum, vt feramus homini Dei. An hoc quod superest nobis?

Græca ex Septuag. in Sixt. Et dixit Saul puero
Sixtian. suo,qui secum,Ecce ibimus,& quid feremus homini Dei,quoniam panes defecerunt de vasis nostris, & plus non est nobiscum ad asferendum homini Dei; quod est nobis?

Theodor. q.17. Ecce vadam, & quid faciemus
Theod. homini Dei? Quoniam panes nobis defecerunt.

Lira,& Abulens.q.7. in Hebræo est: Et xenium
Lira. non habemus.
Abul.

Isidor.Clarius ibi. Quid feremus ad virum? Pa-
Isidor. nis defecit in *vasis* nostris;& *munus* non habemus,

PP. ET AVCTORES.

1 *Ecce ibimus quid feremus ad virum Dei?* Hier.
Literal. vel potius Autor Trad. Hebraicar. in lib.
Hieron. Reg.tom.5.Non enim putabat Saul sibi asinas à Samuele aliter indicari nisi pretio diuinationis; ideo ait quid feremus ad virum Dei? *Eadem verba habet Rupertus cap.19.*

Rupert. 2 *Ecce ibimus quid feremus?* Idem in c.3.Michæ,
Literal. & habetur 1.q.1.c. *Iudices. Iudices eius in muneribus iudicabant, sacerdotes eius in mercede respondebant, & Prophetæ eius in pecuniis diuinabant.*
Hier. Nemo ambigat Ierusalem propter scelera, quæ in
Samuel incorruptus. hoc capitulo leguntur, fuisse subuersam. Nec
1.q.1.c.Iudices. quemquam moueat illud quod in primo libro Regum legimus Saulem volentem ire ad Samuelem dixisse puero uo ad eum se ire non posse, quia pretium, quod afferret pro vaticinio non haberet, & puerum respondisse: *Ecce inuenta est in manu mea quarta pars sicli pecunia.Hoc dabo viro Dei; & annunciabit nobis viam nostram.* Non enim scriptum est,quod Samuel acceperit,aut quod illi obtulerint,quin potius pascuntur à Prophetis. Sed fac eum accepisse. Stipes magis æstimandæ sunt Tabernaculi, quàm munera Prophetæ. Siclus enim viginti obolos habet, & quarta pars sicli, quinque sunt oboli. Et nostri ergo Sacerdotes,si volunt vendere Prophetiam, & columbas in cathedris suis proponere quas Dominus flagello subuertit, quinque tantùm obolorum sint mercede contenti,qui vtinam non pretia villarum, sed quinque obolos acciperent.

3 *Ecce ibimus, quid feremus.* Gregorius lib.4.
Moral. Variar.cap.4. Habent proprium mentes humilium,
Gregor. vt spiritualia dona habeant, sed in his,quæ habent,
Sanctorum humilitas. se non attendant. Quia à Spiritu sancto virtutum dona percipiunt, ideo sanctus Spiritus, qui dona tribuit ea eis, ab æstimatione tollit, vt in virtute conuersationis hæc habeant: In tumore elationis non habeant. Benè ergo de Saüle dicitur: *Ab humero, &c.*

4 *Ecce ibimus,quid feremus.* Theodor. ibi.q.18.
Literal. Theodor. Hoc est iudicium suspicionis Saulis, non quòd Propheta munera acceperit; coniicit enim ad eum aliquid asferendum, tanquam ad Principem, & Prophetam. Sed nihil attulit, sed & eius plurimam expertus est benignitatem.Quod autem Propheta non corrumperetur muneribus, probant eius verba,quæ fecit ad populum. *Si alicuius, inquit,vitulum accepi, &c.* Eadem verba habet Procopius ibi.

Procop.

5 *Ecce ibimus, quid feremus.* Ioseph.lib.6.Anti-
Histor. Ioseph. quitat.cap.5.Respondit Saul nihil se habere, quod mercedem diuinationis daret, iam enim viaticum esse consumptum.

6 *Ecce ibimus,quid feremus.* Beda lib.2. Exposit.
Literal. Beda. Allegor. cap.2. Saul quidem, & puer eius errabant in hoc, quod hominem Dei munera prophetiæ quærere putabant, ideóque frustra turbati sunt.

7 *Ecce ibimus, quid feremus.* Liran. ibi.Fortè
Literal. Lira. erubescebat apparere in conspectu absque aliquo xenio.

8 *Ecce ibimus,quid feremus.* Caietan. ibi. Non
Literal. Caiet. ad pretium sed ad honorem hoc refertur,nam non
Samuel incorruptus. vendebat Samuël prophetiam, nec viri boni, in quorum numero erat Saul, offerebant Prophetæ munuscula in pretium; sed quemadmodum offerunt Deo causâ venerationis.

9 *Ecce ibimus, quid feremus.* Franciscus Men-
Moral. Mendoza. doza ibi §.1.Audito famuli consilio paulisper substitit, nec superbus repulit:neque temerarius arripuit,sed maturus examinauit, obiiciendo quæ illi repugnare videbantur, illisque à famulo dilutis tandem acquiescendo.

10 *Ecce ibimus, quid feremus.* Menoch. in sua
Literal. Menoch. Biblia.Non tanquam diuinationis pretium, sed vt munusculum in signum obseruantiæ.

11 *Panis defecit in sitarciis nostris.* Gregor. su-
Moral. Gregor. pra. Dicat puer: *eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra:* Saul autem vacuum se inspiciat,quia Spiritus Sanctus, dum sensus honestè viuentium instituit, audaces modò,modò timidos reddit: audaces quidem, vt præsumant: timidos, ne superbiant. Impellit, vt necessaria postulent; retrahit, ne nimis præsumendo vitium incurrant temeritatis.
Iustus & audax & timidus.

12 *Panis defecit in sitarciis nostris.* Abul. ibi.
Literal. Abul. quæst.7. Dicitur sitarcium de cista, quæ est quoddam vas de vimine complexum ad reponendum panem, & ab aliquibus calathus vocatur. Erat autem istud instrumentum in quo portabant panem Saul,& puer eius.

13 *Panis defecit in sitarciis nostris.* Nicol. Se-
Literal. Serar. rar. in Comment. In Septuaginta hic, Αρτοι leginus, sicuti & primo Machab. 6. 53. vbi Latinus Interpres ait: *Esca non erant in ciuitate.*
Sitarcia quid? 1.Mach.6.

Diuus

Hieron. Rodig. Budæus. Diuus Hieronymus in fine Comment. ad Titum. *Non eos faciat sitarciis indigere, sed habere ea, quæ ad viaticum necessaria sunt.* Rodiginius lib. 9. ait cap. 17. *Sitarcia exponitur annona, &c.* Sportæ verò sunt munuscula etiam cibaria, vel eorum loco numaria, vt in Pandectis probat Budæus.

MORAL. Mendoza. 14 *Panis defecit in sitarciis nostris.* Franciſc. Mendoza ibi. §. 3. Hoc loco expendi potest frugalitas illius temporis. Nam Saul quamuis lautæ familiæ alumnus esset, tamen modicum tantùm viaticum, & tertio die statim defuturum sibi comparauit.

LITERAL. Author Catenæ. Hier. Auguſt. Mendoz. Abul. 15 *Panis defecit in sitarciis nostris.* Autor Caten. Sitarcium, seu Sitarcia pro viatico seu annona, à Hieronymo, & Augustino interdum vsurpatur, Græcè σιτάρχια hic pro pera vel sacculo accipi videtur, & fortè à cista Latinè dictum, vt ait Abulensis, in quo Mendoza religiosus nimis per litteram *C.* non verò per *S.* scribendum contendit, si vera Abulensis esset deriuatio, verùm hæc litterarum conuersio temporis decursu, & scribentium incuria facilè serpit. Quamuis autem correctum exemplar per *S.* Sitarcium inscribat, plura alia scripserant per *C.*

LITERAL. Liran. 16 *Et sportulam non habemus.* Lira. ibi. Sportula est vasculum in quo ponitur fructus vel aliquid eiusmodi ad xeniendum, & sic accipitur continens pro contento.

LITERAL. Abul. *Sportula quid?* 17 *Et sportulam non habemus.* Abul. ibi. quæst. 7. Sportulæ secundùm iura antiqua dicebantur esse illa munera, quæ dabantur iudici à litigatoribus, vt iudicaret. Sic colligitur Extrau. de Vita, & honest. Clericor. c. *Cum ab omni.* Tractum fuit autem istud nomen sportularum à quodam vase de herbis contexto, vel de viminibus in quo fructus feruntur, vel aliquid. Et quia in talibus munera antiquitus ferri solebant, inoleuit, vt ipsa quoque munera, etiamsi pecuniæ sint, sportulæ appellentur. Dicebat autem hic Saul quod non habebant sportulam, ideſt pecunias.

Extrau.

LITERAL. Carthuſ. 18 *Et sportulam non habemus.* Carthus. ibi. ar. 17. Ideſt munusculum in sportella seu argentum in pera parua.

LITERAL. Mendoza. *Sportula quid?* 19 *Et sportulam non habemus.* Franc. Mend. ibi. §. 4. Sportula latinè, ideſt pera ex sparto confecta, tum ad alios vsus, tum ad portiones clientibus distribuendas inseruiebat. Nam olim Magistratus, & Principes viri alebant suos clientes ad mensas rectas, vt vocabant, quibus recto ordine accumbentes splendide conuiuabantur. Postea iisdem sportulas distribuebant. Nerone illam priorem mensarum lautitiam ad hanc sportularum parcitatem redigente, vt Tranquil. in eius Vita. c. 16. refertur, & Iuuenal. Satyr. 1. Inde factum, vt sportula non solùm pro ipso receptaculo ex sparto vnde nomen inuenit, sed etiam pro muneribus ibi contentis sumeretur.

Sueton. Iuuenal.

LITERAL. Abul. 20 *Vt demus homini Dei.* Abulenſ. ibi. quæst. 7. Existimabat Saul, quod etiamsi haberent duos panes, vel aliquid paruum, quod offerrent Samueli, sufficiebat. Nam siue hoc daretur in mercedem diuinationis propheticæ, siue daretur tanquam xenium, sicut solet portari viris magnis ab eis, qui apparent coram ipsis, putabant quodcumque satis esse. Apud antiquos enim valdè parua xenia dabantur etiam magnis viris.

LITERAL. Cajet. 21 *Vt demus homini Dei.* Caietan. ibi. Nomen est *Elohim*, & ratio offerendi tangitur dicendo *Elohim*, vice enim Dei offerebant Prophetæ.

VERSVS VIII.

Vulgata. Rursum puer respondit Sauli, & ait: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti; demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram. Vulgat.

Textus Gloſſ. in margine Quarta par sicli argenti. Gloſſa.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et rursus puer respondit ad Saul, & dixit. Ecce inuenitur in manu mea quarta pars sicli argentei, & dabo viro Dei, & indicabit nobis viam nostram. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Rursum ergo respondit puer Sauli his verbis: En inuenta est in manu mea quarta pars sicli argenti, quam dabo viro Dei, vt indicet nobis viam nostram. Vatabl.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et adiecit puer ad respondendum Sauli, & dixit: Ecce inuenta est in manu mea zuza argenti, & dabo Prophetæ Domini & indicabit nobis viam nostram. Ariasm.

Græc. ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et apposuit puer respondere Saul, & dixit: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars sicli argenti, & dabis homini Dei, & indicabit nobis viam nostram. Complut. Regia.

Græc. ex Septuag. in Sixt. Et adiecit puer respondere Sauli, & dixit: Ecce inuenta est in manu mea quarta pars sicli argenti, & dabis homini Dei, & annunciabit nobis viam nostram. Sixtia.

Hieron. in cap. 3. Michæa. Quarta pars sicli pecuniæ hanc dabo viro Dei. Et annunciabit nobis viam nostram. Hieron.

Iſidor. Clar. ibi. Quarta pars *sicli* argenti. Iſidor. Clar.

PP. ET AVCTORES.

1 *Ecce inuenta est in manu mea.* Abul. ibi, q. 7. Puer immediatè vt Saul locutus est potuit manum ad bursam, an aliquid inueniret, & inuenit quartam partem stateris, quæ erat moneta argentea. LITERAL. Abul.

2 *Ecce inuenta est in manu mea.* Ioſephus lib. 6. Antiquit. c. 5. Dicente famulo supereſſe quadrantem sicli, cúmque dari posse (nesciebant enim Prophetas mercedem non accipere) itum est ad illum. HISTOR. Ioſeph.

3 *Quarta pars stateris argenti.* Hieron. in c. 3. Michææ. Et habetur 1. quæst. 1. c. *Iudices.* Siclus viginti obolos habet, & quarta pars sicli quinque sunt oboli. LITERAL. Hieron.

4 *Quarta pars stateris argenti*, Greg. lib. 4. Variar. c. 4. Quæ est ista pars stateris argenti? Sed quia argenti nomine diuina eloquia designantur, argentum in manu pueri est sermo diuinus in virtute sciendi. Sermonem quidem aliud est posse discere: aliud est posse sentire. Nam diuina eloquia etiam reprobi eloquuntur; sentire autem nisi electi non possunt. MYSTIC. Greg.

5 *Quarta pars stateris argenti.* Lir. ibi. Stater & siclus idem sunt. Siclus autem viginti obolos habet, vt habetur Exod. 20. & sic quarta pars stateris valebat quinque obolos, vel secundum alios sex obolos, quia secundùm eos siclus Sanctuarij habebat viginti obolos tantùm; siclus autem communis viginti quatuor. LITERAL. Liran. *Stater & siclus quid?*

6 *Quarta pars stateris argenti.* Abul. ibi quæst. 7. Erat LITERAL. Abul.

Abul. Erat ista moneta parui valoris, fortè enim non valebat decem albas: quod patet, quia in terra Hebræorum vnus aries valebat rationabiliter duos siclos; scilicet qui non esset de melioribus, sed de
Leuit.5. mediocribus. Sic patet *Leuitic.*5. vbi dicitur, quod pro peccato daretur aries, qui emi potest duobus siclis; sed vna quarta sicli est octaua pars duorum siclorum; ergo non valerent duo sicli quadraginta marapetinos, cùm daretur vnus aries mediocris pro duobus siclis, & hoc erat in terra illa, quæ fertilis erat in gregibus.

LITERAL. Mendoza. *Stateris valor.* Ioseph. Philo. Hisychius. 7 *Quarta pars stateris argenti.* Franc. Mend. ibi §.10. Siclus & stater à verbo Græco *ἱστάνω*, hoc est ponderare, idem est. Siclus autem continet quatuor drachmas Atticas, vt Iosephus lib.3. Antiquit. cap.9. Philo lib.1. de specialib. legib. Hesychius in Diction. & Hier. affirmant, ergo totidem drachmas contineat & stater, necesse est; vt præter citatos Budæus. Autores, Budæus lib.5. de Asse, concludit; vnde tetradrachmum, hoc est munus quatuor drachmarum. Vnde hoc loco quarta pars stateris est vna drachma, quæ æqualis vni denario, vt Villalpand. tom.3. lib.2. de Ponderib. & mensur. disp.2. cap.9. & passim in eo opere confirmat.

MORAL. Greg. 8 *Demus homini Dei.* Greg. suprà. Nam si Propheta venalem sermonem haberet, homo Dei non esset; & ipsius Prophetiæ spiritum habere nequaquam posset. Hoc ergo cùm dicitur, non exponuntur mores hominis Dei, sed deuotio audientis, quia in magna eum Saül habebat veneratione, in cuius conspectu apparere vacuus erubescebat.

LITERAL. Procop. Mich.3. 9 *Demus homini Dei.* Procop. Gacæus in Comment. Si moris fuisset Prophetas aliquid accipere, non dictum esset per Michæam Propheram, *& Propheta eius propter mercedem prophetabant.* Sic etiam intelliges quæ *lib.* 3. *Reg.* Hieroboam ad vxorem suam dicit cùm puer eius malehaberet, & mitteret eam ad Ahiam Silonitem, vt de pueri valetudine sciscitaretur, ibi Ieroboam videtur dicere, vt munera ipsi Prophetæ adferat. Verùm Prophetam accepisse ex Scriptura nó videtur posse colligi. Hæc igitur falsò, vtpote homines praui de Prophetis possunt suspicari, qui vel non acceperunt, vel à iustis acceperunt. Ita enim munus accipere non simpliciter vituperari potest, nam Apostoli etiam ministrantes contra officium fecissent, quemadmodum Paulus etiam dicit semel & iterum: *Quod opus erat mihi misistis.*

LITERAL. Hildebert. *Sancti non accipiunt munera pro spiritualibus.* 1.Cor. 9. 10 *Demus homini Dei.* Hildebert. Cœnoman. Episcop. Turon. epist.47. post med. Audiuimus non defuisse, qui vos vrgerent ad spatiosas & spectantes ad mortem vias; qui dicerent rem vestram sumptuosis non sufficere expensis, habendum præ manu, quod de manu pauper accipiat: his, *qui altari deseruiant*, licere *de altari viuere.* Saülem desiderium animi sui vaticinio quæsiturum pondus argenti ad Prophetam Samuelem tulisse. Verba hæc sibili sunt antiqui serpentis. Hæc dicentes ignorant *melius modicum iusto super diuitias peccatorum multas.* Psalm. 36. 16. Et quidem asinas quæsiturus quartam partem sicli ad Samuelem gerit: & vxor Ieroboam cum passis vuis & panibus ad Ahiam virum Dei ingreditur. Hi profectò, sicut scribit Hieron. Hieron. quia didicerant nonnullos mercede vaticinari, credebant & istos in mercede vaticinari. Cæterùm neuter eorum legitur delata suscepisse munera, cùm potiùs Samuel satis hospitaliter Saülem pauisse; Ahias verò præfatam mulierem verbis durioribus increpasse memoretur.

MORALI. 11 *Demus homini Dei.* Carthus. ibi art.18. Christus est in ciuitate, idest in militanti, ac triumphante Ecclesia, & qui ad ipsum vult pergere, debet aliquid deferre; cùm scriptum sit: *Non apparebis in conspectu Dei tui vacuus.* Debet ergo ei offerre orationem, laudem, aut gratiarum actionem, vel debitam seruitutem. Carth. *Dona Deo offerenda.* Exod.23.

12 *Demus homini Dei.* Autor Catenæ. Græcus habet: *Dabis homini Dei.* Fidelis quippe famulus proprij etiam muneris non se, sed herum autorem esse mauult, cui potiùs liberalitas, & officium adscribatur. Quem egregiè æmulatus Ioab Dauidici exercitus Imperator ad expugnatæ iam vrbis captionem Dominum suum euocat. *Ne*, inquit, *cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* Duci quoque fideli talionem rependit optimus Princeps, dum occisi à fratre filij strenuè confictam tragœdiam audit, à fœmina Thecuite, qua maxime ad misericordiam commotus est, continuò interrogat. *Nunquid manus Ioab tecum est in omnibus istis?* 2.Reg.14.19. vt aptissimi figmenti, 2.Reg.14.19 seu apologi, ac diserti consilij non quidem referenti fœminæ, sed autori vtique suo gloriam tribueret. Hoc idem Tacitus in suo Agricola commendat ingenium, & sinceram in ducem suum fidem. *Nec Agricola vnquam*, inquit, *in suam famam gestis exultauit: ad autorem, & ducem vt minister fortunam referebat. Ita virtute in exequendo, verecundia in prædicando extra inuidiam, nec extra gloriam erat.* Oppositum adulterij appellat Ambros. epist. vltima in lib.10. dicens: *Dignum est, vt imago Dei Deo splendeat, & inde pulchra, inde sit compta, dicens:* Signatum est super nos lumen vultus tui Domini: *alioquin adultera est.* TROPOL. Author Catenæ. *Gloria Domino adscribenda. Serui fidelis exemplum.* Tacitus. Ambros.

VERSVS IX.

Vulgata. (Olim in Israël sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum. Venite & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.) Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Olim in Israël sic dicebat vir, quando ibat ad inquirendum Deum: venite, & eamus vsque ad Videntem. Quia Propheta hodie vocabatur olim Videns. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Sic dicebat quisque in Israële, qui inquisiturus Deum proficiscebatur: Venite ibimus ad Videntem; qui enim hodie Propheta dicitur, antea dictus est Videns. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. In antiquis in Israël sic dixit vir, cum ambularet ad quærendum doctrinam ab ante Dominum: Venite, & perducemur vsque ad Videntem; quia Propheta hodie vocatus fuit ab antiquis Videns. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et ante in Israël hæc loquebatur vnusquisque vir, cùm iret ad interrogandum Deum. Venite, & eamus ad Videntem, quia Prophetam vocabat populus olim Videntem. Compl. Regia.

Græc. ex Septuag. in Sixtia. Et antea in Israël hæc dicebat vnusquisque in eundo ad interrogandum Deum: Veni, & eamus ad Videntem; quoniam Prophetam vocabat populus antea *Videns.* Sixtia.

Symmachus. Nam eum, qui isto tempore Propheta, vocabant antiquitus Videntem. *Basil. in c.1. Esaiæ.* Vocabatur ante Cernens, vel Præuidens. Symmach. Basil.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor.

1 *Olim in Israel.* Gregor. lib.4.Variar.cap.4. Israel dicitur videns Deum, siue in quo est Deus, quod certè nomen Sanctæ Ecclesiæ conuenienter aptatur, cuius populus dicitur; nam in Euangelio dicitur: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Quæ nimirùm quia in præsenti tempore Pastores habuit, spirituali conuersatione floridos, magna scientiâ eruditos, qui magno despectu terrena vilipenderent, cælestia cogitarent, ad lumen, quod in eis videbat populus, seinuicem exhortari poterant, dicentes: *Eamus ad Videntem.*

Literal. Carthus.

2 *Olim in Israel.* Carthus.ibi. art.17. Non sunt verba pueri Saül, sed authoris libri illius, secundum Hebræos.

Literal. Author Catenæ. *Quis huius sententiæ author?* Beda. Carthus. Irenæus. Tertul. Aug. Clemens. Mendoz. Lira. Abul. Caiet. Sanctius.

3 *Olim in Israel.* Author Catenæ. Verba parenthesi inclusa, nec Saülis esse, nec eiusdem pueri constat, & confirmat communis authoritas. Cæterum cuiusnam fuerint, dissidium est non vulgare. Beda hic & lib.2. in Esdrum cap.9. Carthus. & alij Esdræ ea adscribunt, qui, vt docent Irenæus, Tertullianus, August. Clemens Alexandrin. & plures alij apud Mendozam in præsenti §. 1. totam Scripturam Hierosolimitico excidio abolitam diuino afflatus Spiritu restituit. Quod alij liberrimè inficiantur. Hebræi verò apud Liran. Abul. Caietan. Sanct. & alij ea potiùs Samueli, vel libri primi Regum Authori, quisquis ille fuerit, (de quo in Prologo diximus) malunt tribuere; quibus ego non subscribo, quia vt benè arguunt Abulensis, & Mendoza tempore ipso Samuëlis, & post eius etiam dies modus hic loquendi apud Hebræos frequens erat, vt Prophetæ Videntes appellarentur, & prophetiæ dicerentur Visiones, vt patet 2.Paralip.9.22. vbi Samuël ipse Videns dicitur: item Dauid 2. Reg.24.11. Addo 2.Paralip.9.29. & sexcenti alij. Samuel ergo vsitatum sui temporis dicendi modum auitum, & pritcum non diceret. Potiùs ergo versiculi huius authorem crederem Esdram, si verum est, quod vulgò dicitur, fuisse Scripturæ restitutorem, de quo ego maximè dubito, vel fuisse aliquem alium, qui regalem Historiam post multos annos scripsit.

2.Paralip.9. 1.Reg.24. 2.Paral 9.

Mystic. Moral Gregor.

4 *Vadens consulere Deum.* Gregor. suprà. Dominum nunc consulere, quando ad eruditos Prædicatores pergimus, vt saluti nostræ consilium inueniamus. Sed quia modò tam perfectorum virorum raritas est, dum antiquorum temporum florem religionis attendimus, defectum eius in præsenti tempore deflcamus. De miseria præsentis temporis, & calamitate compuncti florem elapsi temporis cum pulchritudine sanctitatis emarcuisse suspiremus. Dum ergo Pastores Ecclesiarum cernimus terrenis inhærere, labentia quærere, nulla spiritualis vitæ insignia præferre; dum nulla nobis Prælatorum nostrorum lux infunditur ad laborem compunctionis, illa, quæ præierunt, memorantes dicamus. *Olim*, &c.

Moral. Idem.

5 *Eamus ad Videntem.* Idem ibidem. Si ergo eundum est ad Videntes pariter est diuertendum à cæcis, quia reproborum Prælatorum exempla non debemus imitari, sed fugere.

Literal. Ambros. *Visio interna vera.*

6 *Eamus ad Videntem.* Ambros. in Psal.40. in Psal.118.Octonario 12. Sicut sunt, qui oculos habent, & non vident; ita sunt qui oculis non videntibus plus videre creduntur. Vnde etiam Prophetæ dicebantur Videntes, etiam qui oculis non viderẽt.

7 *Eamus ad Videntem.* Theod.ibi. q.19. Vt qui præuideret futura: non est enim hoc lumen oculorum corporis, sed spiritualis contemplationis. Literal. Theodor.

8 *Eamus ad Videntem.* Glos.Ord.ibi. Videns dicitur Propheta, quia per spiritum prænoscit futura. Literal. Glos.

9 *Vocabatur olim Videns.* Hier. Epist.ad Paulinam, seu Prol. ad libros Didimi. Didimus meus oculum habens spontæ de Cantico Canticorum, & illa lumina, quæ in candentes segetes sublimari Iesvs præcepit, procul altiùs intuetur, & antiquum nobis morem reddidit, vt Videns vocetur Propheta. Literal. Hieron. *Visio interna vera.*

10 *Vocabatur olim Videns.* Idem in c.1. Isaiæ Vocabantur Prophetæ Videntes, quia dicere poterant illud Psal.24. *Oculi mei semper ad Dominum*, &c. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.* Psal.122. Vnde Apostolis à Saluatore præcipitur: *Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia iam albæ sunt ad metendum* Ioan.24. Istos cordis oculos Sponsa habebat in Cant.Cant. cui sponsus dicit: *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, vno ex oculis tuis.* Et in Euangelio legimus. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Matt.6. In veteri quoque dicitur Testamento, quòd *populus videbat vocem Domini.* Exod.20. Ex quo Montani deliramenta conticeant, qui in ecstasi, & cordis amentia Prophetas putat ventura dixisse. Literal. Idem. Psalm.24. Psal.122. *Visio interna vera.* Ioan.24. Cantic. Matt.6. Exod.20. Montan.

11 *Vocabatur olim Videns.* Idem Epist.ad Paulin. Prophetæ appellabantur Videntes, quia videbant eum, quem cæteri non videbant. Abraham vidit diem eius, & lætatus est. Ioan.8. Aperiebant cœli Ezechieli, qui populo peccatori clausi erant. *Reuela*, inquit Dauid, *oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Psalm.118. Literal. Hieron. *Prophetæ dicti Videntes?* Ioan.8. Psal.118.

12 *Vocabatur olim Videns.* Theophilactus in cap. 1. Matt. Eo quòd Prophetæ mente videbant ea, quæ videbant, Spiritu sancto apparitiones faciente; & ideò visiones vocabantur. Literal. Theoph.

13 *Vocabatur olim Videns.* Diodorus Tarsensis ibid. Ex his ostenditur quæ Prophetarum vnusquisque suo cuiusque tempore gesta scripserant, hæc qui postea collegerunt addidisse illud; à veteribus Prophetam vocatum esse Videntem. Literal. Diodor.

14 *Vocabatur olim Videns.* Greg.lib.4.Variar.c.4. Videns est, qui interna etiam respicit, quæ mens carnalium non attendit. Vnde & de sanctis animalibus dicitur: *In circuitu, & intus plena erant oculis.* Ezech.1. Quia in exterioribus circumspecti, & intrinsecus prouidi sunt. Quo contra carnalium Doctorum præsumptionem in Euangelio arguens Dominus ait: *Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foueam cadunt.* Matt.15. Videns etiam dicitur, cui remota, & absentia præsentia sunt; Quod Sanctis Prædicatoribus benè conuenit, qui per cognitionem tantò sunt præsentes spiritualibus, quanto in exterioribus intentionem figere dedignantur. Mystic. Gregor. Ezech.1. Matt.15.

15 *Vocabatur olim Videns.* Beda lib.2. Expositi. Allegor.cap.2. Idem secretorum scrutator, & enarrator, & Propheta rectè dicitur, quia profatur, id est præloquitur futura; & Videns non immeritò vocatur, quia mundatis cordis oculis, quæ minus perfecti nequeunt, arcana rimatur. Vnde & eorum scripta non minùs visiones, quàm prophetiæ vocantur. *Visio*, inquit, *Isaiæ filij Amos.* Isaiæ 1. *Liber visionis Nahum Elcæsei* Nahum 1. *Verbum quod vidit Isaias filius Amos.* Isaiæ 2. Quare nimirùm redarguendi sunt, qui Prophetas Dei, iuxta Cataphrygas in Extasi locutos autumant, & tot sapientiæ verba promentes, quæ dicerent ipsi nescirent. Literal. Beda. Isaiæ 1. Nahum.1. Isaiæ 2.

16 Voca

Paschas. 16 *Vocabatur olim Videns.* Paschas. in Threnos, littera *Caph.* Videntes Prophetæ sunt vocati, eo quòd illa quæ manent in spiritu perspicacius conspicerent.

Literal. Author Catenæ. Basil. Hieron. Procop. Theoph. August. Hieron. Ambros. Beda. Damasc. Philo. S.Thom. Cantap. Mendoza. *Propheta cur Videntes?*

17 *Vocabatur olim Videns.* Autor Catenæ. Prophetas olim Videntes appellatos fuisse nullus Interpretum non aduertit. Basilius in c.1. Isaiæ. ibidem Hier. & Procop. Theophilactus suprà relatus, & in Nahum. Aug. epist.12. ad Paulinam cap.20. Hier. epist.103. ad Paulinum 5. Ambrosius suprà relatus Beda, Damasc. Orat.2. de Natiuitate Beatæ Mariæ. Philo Hebræus lib. *Quis rerum diuinarum sit hæres*, S.Thom.2.2.q.171. art.1. & plures alij apud Cantapetrens.lib.4.Hypotyp.c.1. & Mendoza hic §.4. Ad cuius primariam rationem præter suprà relatas notandum est, Prophetarum duplex potissimum esse munus: alterum abstrusissimarum rerum, & euentuum certa cognitio, quæ humano ingenio, vel industria inuestigari nequeunt: alterum est earundem rerum elocutio, & annunciatio. A priori munere Videns Propheta dicitur, quia certo, & infallibili effectu euentura absolutè, vel conditionatè intuetur. A posteriori verò ipsi, & ipsorum ministri, & Interpretes Hypophitæ nuncupantur, vt notat Orig. lib.1. contra Celsum.

VERSVS X.

Vulgata. VVlgata. Et dixit Saül ad puerum suum: optimus sermo tuus: veni, eamus. Et ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Dixitque Saül puero suo. Bonum est verbum tuum: Veni, eamus, & ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Dixit ergo Saül ad puerum suum: Rectè loqueris. Age, ibimus. Profecti sunt itaque in ciuitatem, in qua erat vir Dei.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit Saül puero suo: Rectum verbum tuum. Veni, eamus. Et iuerunt ad vrbem, vbi Propheta Domini.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et dixit Saül ad puerum suum. Bonus sermo tuus. Veni, & eamus. Et ierunt in ciuitatem, vbi erat homo Dei ibi.

Sixtian. *Græc. ex Septuag. in Sixt.* Et dixit Saül ad puerum suum. Bonum est verbum. Veni, & eamus. Et iuerunt in ciuitatem, vbi erat ibi homo Dei.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Optimus sermo tuus.* Greg.lib.4. Variar. Cap. Optimus sermo est, quo melior audiri nequaquam potest. Quoties nobis ergo salutis nostræ consilia spiritualiter suggeruntur, intus nobis sermo fit, quo meliór inueniri non possit.

Moral. Carthus. *Saulis humanitas?*

2 *Optimus sermo tuus.* Carth. ibi, art. 17. Ex quibus consideratur bonitas, docilitas, humilitas, & affabilitas eius. Dicunt autem Hebræi puerum istum fuisse Doeg Idumæum, qui postea fuit potentissimus Pastorum Saül, ita quòd Saül postea taliter eum promouit, quia hac via secum perrexit, quàdo in Regem est vnctus, & duxit eum ad Samuelem.

Literal. Mendoza. 3 *Optimus sermo tuus.* Franc. Mend. ibi, §.1. Difficultas est, an Saül quoad vtramque partem huiusmodi consilium approbet, & exequatur. Totum consilium à Saüle approbatum non obscurè mihi videtur colligi posse ex ipsa littera. Nam Saül toto consilio audito dixit ad puerum: *Optimus sermo tuus*, ergo totum approbauit.

Literal. Author Catenæ. Hieron. Damasc. Carthus. Mend. Suarez. 4 *Optimus sermo tuus.* Autor Catenæ. Approbat Saul non solum conuentum ad Samuelem, sed & muneris, licet exigui, collationem. Non ita tamen vt a Propheta diuinationem mercari intenderet (vt & munusculi exiguitas suader, & Samuelis sanctitas, & Saulis adhuc optimi religio, & euentus ipse, cùm nusquam constet Saülem quidquam de facto obtulisse) sed ne coram Principe vacuus appareret; quam sententiam tenent Hieron. Damasc. Carthus. Mend. & alij suprà relati, Franc. etiam Suarius lib.4. de Simonia c.5.n.12. Patres verò, vel Historiographi, qui contrarium innuere videntur, facilè explicari in hunc sensum possunt.

Moral. Vermil. *Præceptor quilibet?*

5 *Optimus sermo tuus.* Petrus Vermil. ibi. Saül consilium serui non repudiauit, sciebat enim etiam olitorem interdū opportuna loqui. Ita nos quoque oportet non quis dicat, sed quid dicatur attendere; sæpe enim homines obscuri, & indocti tamen verè, & recte monent. Consilium res diuina est, & Deus potest per hominem etiam fatuum, & rusticum vera dicere. In Concilio Niceno homo indoctus, & ineruditus plus profuit apud obstinatum Arianum, quam omnes Episcopi.

Moral. Mendoza, Tertul. *Consilij non consiliarius?*

6 *Veni, eamus.* Franc. Mend. ibi, §.5. Ducatus à quocumque præbeatur, sequendus est; iuxta illud Tertul. lib. de Corona Militis c.4. *Nec auctorem respicias, sed auctoritatem.* Quare laudabilis extitit Saül, dum consilio famuli sui ducentis ad Samuelem obtemperauit.

Mystic. Gregor. 7 *Et ierunt in ciuitatem.* Greg. suprà. Qui virum Dei quærunt, in ciuitatem veniunt, quia plerumq; fit, vt vita, atque doctrina Prælati in subditorum conuersatione requiratur.

Mystic. Beda. 8 *Et ierunt in ciuitatem.* Beda lib.2. Expos. Allegor. cap.2. Venit Dominus per Incarnationem in mundum, vbi erat tum temporis maximus Prophetarum Baptista Ioannes.

Mystic. Rabban. 9 *Et ierunt in ciuitatem.* Rabban. ibi. Quia Saül asinas patris sui quærens venit ad Prophetam, à quo vnctus est, significat, quòd Iudæi stultitiam carnalis sensus sequentes, per errores deuios luxum mundi perquirunt. Asinus enim brutum, & luxuriosum animal est.

VERSVS XI.

Vulgata. VVlg. Cúmque ascenderent cliuum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hic est Videns?

Benedict. *Benedictina in margine.* Cúmque ascenderent per gradus ad ciuitatem.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Ipsis ascendentibus cliuum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num est hic Videns?

Vatab. *Hebraica ex Francisc. Vatab.* Commodum ascenderent cliuum vrbis, cùm inuenirent puellas egredientes ad hauriendum aquam, quibus dixerunt: Est ne hoc in loco Videns?

Ariasm. *Chaldaic. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Illi ascendentes in ascensu vrbis, & illi inuenerunt puellas exeuntes ad implendum aquas; & dixerunt eis: Num est hic Videns?

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Cùm ipsi etiam ascenderent in ascensum ciuitatis, & ipsi inueniunt puellas egredientes ad hauriendum aquam, & dicunt eis: Num est hic Videns?

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Ipsis ascendentibus ascensionem ciuitatis, & ipsi inueniunt puellas exeuntes ad hauriendam aquam, & dicunt eis: Si est hic Videns?

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Cvmque ascenderent cliuum ciuitatis.* Greg. lib. 4. Variar. cap. 4. Cliuum infimus, & defossus locus est, in qua nimirùm parte ciuitatis illi signantur, qui adhuc in altiorem conuersationem minimè profecêre. Cliuum ergo ascendimus, cùm planitiem infirmorum auditorum ad exemplum nobis proponere vitamus. Et tunc quidem puellas egredientes ad hauriendam aquam inuenimus, quia pulchritudinem Sanctarum Mentium in perfectiori conuersatione respicimus.

Literal. Gloss. 2 *Cúmque ascenderent cliuum ciuitatis.* Glossa Ordin. ibi. Cliuus ascensus montis flexuosus.

Literal. Abul. 3 *Cúmque ascenderent.* Abul. ibi q. 9. Cliuum vocatur collis, vel mons, erat enim ciuitas illa in excelso constituta.

Literal. Mendoza. Philo. Abul. 4 *Cúmque ascenderent cliuum ciuitatis.* Franc. Mend. ibi. Quia *postquam consulueris maturè, facto opus est*; Saül, & eius famulus consilium prudenter initum maturè exequuntur. Ascendunt igitur cliuum ciuitatis, quem Philo in Antiquitatibus vocat Armathem, & Abulensis Ramatha, quæ diuersa non est, & patria fuit Samuëlis in colle sita, vnde nomen inuenit.

Literal. Author Catenæ. *Cliuus quid?* 5 *Cúmque ascenderent cliuum ciuitatis.* Autor Catenæ. In monticuli vertice vrbs Ramatha sita erat, vt nomen etiam indicat; nam Ramatha excelsum sonat, vt constat ex dictis cap. 1. vers. 1. huius libri; vt ergo vrbem Saül, & puer eius ingrederentur collem, seu cliuum priùs ascenderent, necesse erat. Vnde non satis calleo, quid sibi voluerit sanctus Gregorius, qui cliuum non excelsum, aut elatum, sed infimum potiùs, ac depressum locum commentatus est. *Cliuum*, inquit *infimus, & defossus locus est.* Licet enim cliuus græcè χάλαρον locum significet molliter arduum, qui & ascensui, & descensui pateat; ex verbo tamen, quod additur, ascendendi: *Cúmque ascenderent cliuum ciuitatis*, limitatur ad solam ascensionem. Non ergo descendunt cliuum, nec in locum infimum, & defossum peruenêre, sed potiùs ascenderunt cliuum, hoc est, locum arduum, seu collem scanderunt, vt interpretantur Gloss. Abul. Mend.

Gregor.

Glossa. Abul. Mendoz. Allegor. Gregor. 6 *Inuenerunt puellas.* Greg. suprà. Puellæ quidem sunt mentes electorum integræ per innocentiam: decoræ per virtutum claritatem. Et quia in secretiori vita pulchritudinem suam conseruant, videri nequeunt; nisi cùm ad hauriendam aquam egrediuntur. Puellæ aquam hauriunt, quando electæ animæ ex profundo dolore præsentis exilij fluenta lachrymarum fundunt. Haurire quidem aquam dicuntur, quia dum se proiectas in hac valle lachrymarum lugentes memorant, quasi ad profundum funem cogitationis mittunt, à quo cum labore aquas lachrymarum trahunt. Ab istis ergo quærendum est, vbi est Videns, quia locus perfectorum tunc benè cognoscitur, cùm ab eis nobis ostenditur, qui per profectum vitæ eorum conuersationi vicini sunt.

7 *Inuenerunt puellas egredientes.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. Inuentis circa portam Virginibus aquatum euntibus, interrogant, vbinam sit Prophetæ domicilium? Hebrv. Ioseph.

8 *Inuenerunt puellas egredientes.* Abul. ibi q. 9. Puellæ descendebat de vrbe, quia vrbs erat super montem, & fluuius ad quem puellæ ibant ad hauriendam aquam ad pedem cliui per prata labebatur. Literal. Abul.

9 *Inuenerunt puellas egredientes.* Claud. Rangol. ibi. Possunt vtroque modo intelligi siue famulæ, siue etiam liberæ, & ingenuæ; nam & mediocrium ciuium filiæ obsequio suo familiam iuuare solent puellari ætate, & ad comportandam aquam idoneæ, & olim, maximè apud Patriarchas nobilissimæ, aut texebant, aut pascebant, non vt nunc, pleræque otio, atque inertiæ deditæ, luxui, garrulitati, choreisque vacant. Literal. Moral. Rangol. *Puellarum officia.*

10 *Num hic est Videns?* Abul. ibi quæst. 9. Propter hoc fuerunt interposita illa verba, quæ suprà habentur de Videnre vers. 9. quia isti dixerunt hic: *Num hic est Videns?* Et ne aliquis putaret, quod pro alio, quàm pro Propheta inquirebant, dictum est, quòd Prophetæ vocabantur olim Videntes. Literal. Abul.

VERSVS XII.

Vulgata. VVlgata. Quæ respondentes, dixerunt illis: Hic est: ecce ante te, festina nunc: Hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Et responderunt eis, & dixerunt: Est: ecce ante te, festina nunc. Hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium hodie est populo in Bamah.

Vatab. *Hebr. ex Franc. Vatab.* Quæ respondentes eis dixerunt: Est: en ante te est, festina ergo; quoniam hodie venit in ciuitatem, siquidem sacrificium est hodie populo in excelso.

Ariasm. *Chald. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et responderunt illis, & dixerunt: Est hic, ecce ante te, festina nunc; quoniam hodie intrauit ad vrbem, quia posuerunt oblationem sanctitatum hodie populo in domo consilius.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et responderunt eis puellæ, & dixerunt: Est. Ecce ante faciem vestram. Festinate, quia nunc venit in ciuitatem per diem, quia sacrificium hodie populo in excelso.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et responderunt puellæ eis, & dicunt eis: Est. Ecce ad faciem vestram: nunc per diem venit in ciuitatem, quoniam sacrificium hodie populo in Bama.

Caiet. *Caietan. ex Hebræo.* Quia sacrificium dici populo in Bama.

Hier. *Autor Trad. Hebraic.* Hodie enim veniet.

Abul. *Abul. ibi quæst. 9.* Ecce ante vos est, festinate.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Hic est, ecce ante te.* Gregor. lib. 4. Variar. c. 4. Habent Prædicatores loca diuersa: alium quippe locum habent pro se: alium pro subditis; quia nimirùm in seipsis in altissima contemplatione

ne

ne morantur; pro subditis ad doctrinæ montem descendunt. Per contemplationem velut in cœlo sunt, & quia alta sunt, quæ docent, & descendunt, cùm docent, & sublimia docentes in alta se retinent. Perfectiores igitur auditores vicini suo rectori sunt, non cùm in summa contemplatione est, sed in inferiori mente doctrinæ. Quare & puellæ respondentes dicunt: *Hic est.* Quasi dicant, ideò locum eius indicare possumus, quia illuc venit, vbi eum videre solebamus. Nam si in suæ sublimitatis arce resideret, eum ibi nemo ostenderet.

LITERAL. Abul. 2 *Hic est, ecce ante te.* Abul. ibi quæst. 9. Quoniam Samuël erat in principio vrbis, & ascensurus erat in excelsum; si autem festinarent, possent eum inuenire, priusquam ascenderet, & sic factum est, vt patet infrà.

LITERAL. Idem. 3 *Hic est, ecce ante te.* Idem ibidem. Idest non multùm distat à vobis. Scilicet quia isti erant prope ciuitatem, & Samuël ascensurus erat de aliquo habitaculo, quod erat ad portam vrbis.

LITERAL. MORAL. Carth. 4 *Hic est, ecce ante te.* Carthus. ibi art. 17. Puellæ istæ primò singulariter locutæ sunt ad Saül, iam verò pluraliter loquuntur ei, & eius ministro; loquebantur enim singulariter Saüli, vt Principi; & forte ipse interrogauit puellas. Deinde cernentes quàm familiariter, ac socialiter habuit se ad suum ministrum, locutæ sunt pluraliter simul ambobus, fuerúntque puellæ istæ satis diffusæ in verbis, more fœmineo multa plura dicentes, quàm erant interrogatæ, & velut instruentes viros ignotos, etenim tanquam contubernales tanti Prophetæ pandebant, aut etiam iactitabant se scire ritus, & consuetudines Vatis sancti.

Feminarum loquacitas, & vanitas.

MORAL. Idem. 5 *Hic est, ecce ante te.* Idem ibid. art. 18. Nam non longè Christus est ab vnoquoque nostrum; immò præoccupat eos, qui se concupiscunt, & in viis ostendit se eis hilariter, siquidem facienti quod in se est, Deus gratiosè mox adest; dat enim omnibus affluenter, qui in veritate ad eum accedunt, & deprecantur.

LITERAL. Caiet. 6 *Hic est, ecce ante te.* Caietan. ibi. Hoc est obuius erit tibi, quia sacrificium est hodie in excelso. Iuxta Hebræum habetur: *Quia sacrificium diei populo in Bama.* Et hæc quoque dictio quandoque nomen appellatiuum, sonans excelsum: quandoque nomen proprium loci est. Crediderim ego hîc esse nomen appellatiuum, & in excelso sacrificium offerri à Viris sanctis hic patet. Et appellatur sacrificium diei, quia non durabat, nisi vno die; ad differentiam sacrificiorum, quibus vacabant diebus multis continuando diem diei.

TROPOL. Gregor. *Prædicator latet prius.* 7 *Festina nunc.* Greg. suprà. Quid est, quod dicunt puellæ: *Festina*, nisi quia ratò videbatur in ciuitate, videlicet tardè veniens, citò recedens. Quo nimirùm magisterio sanctæ Ecclesiæ Doctor instruitur, vt videlicet ratò sit in publico, frequens in secreto, vt quò tardiùs aspicitur, deuotiùs veneretur. Tunc quidem quasi cœlestis excipitur, quia quò ampliùs in secreto contemplationis latuit, verbi Dei thesauros ad eos qui se expectant, ditiores trahit.

MORAL. Idem. 8 *Festina nunc.* Idem ibidem. Quasi dicant: Si id pro quo in ciuitatem venit, expleuerit, videre in secreto suo repositum non potestis; quod profectò verbum iam litteram, non ad verbum, sed exemplum religiosorum est. Nam sanctus vir tantæ erat districtionis, vt statutas dies, & horas haberet, in quibus eum, qui cuperet, videre potuisset. Dicunt ergo: *Festina*, ac si dicant: Si statutum tempus transierit in horis suæ quietis, verbis, aut actionibus non intendit. Qui ergo remotæ vitæ ordinem suscipimus, hoc obseruare attentiùs debemus. Statuendæ sunt nobis horæ ministerij, vt breuiter persistamus in opere: Festinanter redire valeamus ad contemplationis arcem.

9 *Festina nunc.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. Virgines, indicatis ædibus, iubent properare, priusquàm eat ad cœnam; præbere enim eum epulum, & nihil esse in mora; nisi vt ille primus accumbat. HISTOR. Ioseph.

10 *Festina nunc.* Carthus. ibi art. 17. Nemo quippe, vt ait Ambrosius, cum desidia dignè quærit Christum, & incomparabile illud, infinitumque bonum; cum pigritia quærere, est parui pendere illud. Idcircò ait per Isaiam 21. *Si quæritis, quærite: Conuertimini, & venite.* TROPOL. Carth. *Christus ferè quærendus,* Ambros. Isai. 21.

11 *Hodie enim venit in ciuitatem.* Greg. suprà. In ciuitate est Doctor, quando per ministerium prædicationis moratur in eruditione populi subiecti. In ciuitate est Doctor, quando reliquit propria, vt communia disponat. Quia enim boni Prædicatoris plebes, per eorum exhortationes munitæ, ac fortes sunt, quando in eorum ministerio moratur, in ciuitate esse cognoscitur. MYSTIC. Greg.

12 *Hodie enim venit in ciuitatem.* Abul. ibi q. 9. Idest venit, vt colloqueretur cum illis, qui erant in ciuitate, & faceret sacrificium cum eis. Ex hoc autem aliqui putant, quòd ista non esset ciuitas Ramatha, in qua morabatur Samuël. Sed non sequitur ex hoc, quia poterat esse, quòd per aliquot dies stetisset extra vrbem, & tunc venisset. LITERAL. Abul.

13 *Hodie enim venit in ciuitatem.* Vatabl. in Schol. Idest, egreditur de domo, vt eat ad cœnam, ad conuiuium publicum in vrbem. LITERAL. Vatab.

14 *Hodie enim venit in ciuitatem.* Franc. Mend. ibi §. 2. Si in ea vrbe Samuel morabatur, quo pacto dicitur eo die venisse in ciuitatem? Respondeo, aut Samuel habitasse in suburbio, ex quo tunc vrbem intrauit; aut illud: *Venit in ciuitatem*, idem esse, ac exit è domo sua in ciuitatem; prodit in publicum; manifestus apparuit, quasi per alios dies relicta populi cura, intra priuatos parietes se abdiderit. LITERAL. Mend.

15 *Hodie enim venit in ciuitatem.* Autor Catenæ. Dubium non est, hanc vrbem esse Ramatham, quidquid aliqui dicant, vt loci huius difficultatem effugiant. Quomodo ergo venit Samuël in Ramatham, *vbi erat domus eius*, suprà cap. 7. 17. Placet solutio Vatabli, & Mendozæ, vt ciuitas non pro vrbe, sed pro vrbis incolis suo rigore vsurpetur; qui die illo in excelsum vrbis locum sacrificij causa conueniebant; & confirmatur Hieronymi lectione in Quæst. Hebraic. supra, qui nec de præterito, nec de præsenti, sed de futuro aduentum Samuelis enuntiat. *Hodie enim veniet in ciuitatem*, hoc est in populi conuentum in excelso faciendum. LITERAL. Auth. Cat. 1. Reg. 7. 17. Vatab. Mend. Hieron.

16 *Hodie enim venit in ciuitatem.* Autor Catenæ. Mysticè hæc Gregorius de Prædicatore exponit; qui dum plana, & intelligibilia auditoribus eloquitur, in ciuitate est: dum verò alta nimis, & intellectu difficilia, in excelsum ascendit. *Quando igitur plana, & intelligibilia præcipit, in ciuitate est: quando sublimia, & quæ vix intelliguntur, in excelsum*, lib. 4. Variar. cap. 4. Prædicator ergo qui suis proficere, & maximè simplicibus studet, in ciuitatem veniat, descendat ad turbas, diuinum, & maximum imitatus prædicatorem, qui *descendens de monte steterit in loco campestri.* Luc. 6. vt notauit Ambrosius ibidem lib. 1. TROPOL. Autor Cat. Gregor. *Prædicator plana loquatur.* Luc. 6. Ambros.

lib. 1: *Aduerte*, inquit, *omnia diligenter, quomodo, & cum Apostolis ascendat; & descendat ad turbas; quomodo enim turba nisi in humili Christum videret? Non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia.* Quocirca reprehendendi acriter sunt, qui vel ardua, & abstrusa populo prædicant, quæ etsi auribus corporis excipiantur, mentis tamen auribus minimè hauriuntur, vel qui vt nouitate vocum, & verborum elegantia inanem populi plausum aucupentur, à rudioribus intelligi nequeunt; vitium hoc misera nostra tempestate liberrimè inoleuit. Huius vero farinæ prædicatores tibicinibus, ac cornicibus libet comparare; quos Dominus repulit. Matth. 9. mortuam puellam ad vitam reuocaturus. Recedite, inquit, inepti oratores, qui sola vocum dulcedine, & cantus melodia mortuas animas minimè suscitatis, sed ad somnium potiùs mortis allicitis. Expressit rem optimè in hunc sensum Eusebius Emisenus serm. Domin. 23. post Pentec. *Tibia duce sonum sine intelligentia reddit.* Hi quidem non viam mandatorum Domini illustrant, vt inoffenso pede percurratur, sed oculos potiùs fidelium verborum splendoribus obuerberant, more volucres noctu laternis aucupantium, cùm verbum Domini lucerna pedibus, non oculis autem sit. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Psalm. 118. 105. ita nimirum, vt pedes rectè in viam dirigantur, nec oculi nimio splendore turbentur. Modo verò, quod miserrimum est, dum nouissimum hoc sæculum vitiis, innumerisque iniquitatibus feruet, dum peruasit in immensum pestilens morum corruptio, pessimi quidem hi Medici verborum flores & clausurarum consonantias extremis morbis, & veternosis vlceribus apponunt, & stili sui curiosa nouitate plausum potiùs, interdum etiam risum, & cachinnos excitant, quàm medelam. De quibus columbino gemitu conqueritur Spiritus sanctus. Ecclesiast. 10. *In risum faciunt panem, ac vinum, vt epulentur viuentes.* Quas ad rem præsentem querelas sic optimè interpretatur Aluinus Presbyter in Comment. dicens: *Dum Episcopi, & Presbyteri non laborant in Ecclesia, constituti in sermone, & doctrina, vel etiam ea docent, quæ sint populo delectabilia audire, vt gratiam habeant audientium, magis quàm illorum profectum, sic in risu vitæ æternæ panem, & vinum sapientiæ populo ministrant, non ad salutem, sed ad perniciem.* Hæc ille disertissimè, quæ vtinam audiant nostri temporis Prædicatores, ne in risum doctrinæ panis conuertatur.

Matth. 9. Eusebius Emisen. Psal. 118. 105. Eccles. 10. Aluinus.

17 *Quia sacrificium est hodie.* Radulphus lib. 13. in Leuit. cap. 1. Prohibentur alibi sacrificare. Leuit. 17. nisi ad ostium Tabernaculi, vt sacri loci reuerentia, & aliorum societate, qui in solemnibus victimis pietatem conseruabant, Deo potiùs quàm Idolis sacrificare consuescerent. Quia tamen iuxta Psalmistæ vocem. *Domini est terra, & plenitudo eius*; in omni loco potest illi offerri oblatio munda. Vnde etiam ante gratiæ reuelationem, dum adhuc illæ veteres vigebant vmbræ, Helias Propheta in monte Carmeli holocaustum legitur obtulisse: sed & Samuël ante Templi constructionem, nunc in excelso quodam, quando vnxit Saül: nunc autem in Bethlehem, cùm ad vngendum Dauid profectus esset, Deo præcipiente inuenitur sacrificasse.

Literal. Radulph.

18 *Quia sacrificium est hodie.* Hier. seu potiùs Autor Trad. Hebraic. tom. 3. Sacrificium in hoc loco prandium intelligitur, quod præparauerat Samuël populo in Kalendis. *Eadem verba habent* Comedor, & Rupertus.

Literal. Hieron.

19 *Quia sacrificium est hodie.* Gregor. suprà. Sacrificium quidem populi est deuotio electæ plebis. Quæ nimirùm deuotio, quia verbo prædicationis in electorum cordibus excitatur, quasi à Samuële perficitur.

Mystic. Greg.

20 *Quia sacrificium est hodie.* Liran. ibi. Aliqui dicunt, quòd erat tantùm prandium paratum pro aduentu Saülis, quem præsciuerat Samuël, vt patebit in sequentibus. Alij autem dicunt, quòd non solùm fuit prandium, sed etiam hostia pacifica de qua vna pars Domino offerebatur, reliquæ comedebantur ab offerentibus. Licitum erat tum temporis offerre Domino sacrificium alibi, quàm vbi erat Arca, & Tabernaculum.

Literal. Lira.

21 *Quia sacrificium est hodie.* Abul. ibi quæst. 9. Dicit Rabbi Salomon, quòd istæ puellæ multiplicabant verba coram Saüle, vt eum morari facerent, & sic satiarentur pulchritudine illius: Delectabantur enim nimis videndo eum, erat enim pulcher corpore, & statura procerus.

Literal. Moral. Abul. Rabbi Salomon. *Feminarum ingenium.*

22 *Quia sacrificium est hodie populi in excelso.* Idem ibid. Dicitur sacrificium populi, quia multi offerebant animalia, quæ illa die immolabantur. Dicitur autem in excelso, idest in parte celsiori illius ciuitatis; ibi enim constitutum erat Altare.

Literal. Abul.

23 *Quia sacrificium est hodie populi in excelso.* Carthus. ibi art. 17. Hoc est; ipse ex parte populi offert hodie hostiam pacificam in loco sublimi.

Literal. Carth.

24 *Quia sacrificium est hodie populi in excelso.* Vatab. in Schol. Vox Hebræa *Bama*, locus erat prope Altare situs in parte editiori vrbis, aut ædificij eminentis, vbi de hostia immolata epulaturi accumbebant.

Literal. Vatab.

25 *Quia sacrificium est hodie populi in excelso.* Autor Catenæ. Hebræi apud Hieron. in Quæst. Hebraic. A quo alij acceperunt, prandium credunt, quod hìc sacrificium dicitur, quod satis est verisimile, tum quia nec in excelso victimas offerri licebat; tum quia Samuël non erat Sacerdos, nec aderat aliquis alius, non enim de aliquo tum temporis fit mentio; tandem quia quæ hic vocatur hostia, sæpe pro ferculo profano ponitur. Gen. 43. 16. *Occide victimas, & instrue conuiuium.* Fungerus quoque in Erymolog. Triling. Et Schindlerus in Pentagloto sacrificium pro conuiuio vsurpant. Nisi dixeris Samuëli per singularem dispensationem, & immolare licuisse, & extra Tabernaculum Sacrificare, vt plures meritò affirmant, & Heliæ exemplo confirmant, qui non Sacerdos, nec in Tabernaculo, sed in Carmeli iugo immolauit. 3. Reg. 18. 31. & Samuël ipse suprà cap. 7. 9.

Literal. Autor Catenæ. Hebræi. Hier. Gen. 43. 16. 3. Reg. 18. 31. 1. Reg. 7. 9.

26 *In excelso.* Gregor. suprà. Cùm in ciuitatem venit Samuël, in excelsum ascendit, quia electus Prædicator in eruditione subditorum modò plana verba: modò alta pronunciat. Quando igitur plana, & intelligibilia præcipit, in ciuitate est: quando sublimia, & quæ vix intelliguntur, in excelsum. In ciuitate est, quando simplicibus proponit exempla; in excelso autem, quando perfectis verborum spiritualium alta pronuntiat. Quasi enim in ciuitate erat, qui dicebat; *Nihil iudicaui me scire inter vos, nisi Christum, & hunc crucifixum*, 1. Cor. 2. Item in ciuitate erat, quando infirmis remedia demonstrabat, dicens. *Propter fornicationem vir suam vxorem habeat, & vxor suum virum habeat.* 7. Cor. 2. Sed in excelsum ascendit, quia subdit. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Vellem omnes homines esse sicut me ipsum.*

Mystic. Tropol. Gregor. 1. Cor. 2. 7. Cor. 2.

27 *In*

Mystic. Gregor. 27 *In excelso.* Idem ibidem. In excelso est sacrificium populi, quando corda fidelium auditorum alta verba sanctæ prædicationis deuotè audire concupiscunt.

Literal. Abul. 28 *In excelso.* Abulens. ibi. quæst. 9. Hebræi dicunt, quod hîc intelligitur, quod sacrificium erat populo in Altari, eo quòd dicitur hîc: Nomen conueniens altari, & celsitudini. Sed melius est quòd accipiatur pro excelso, quàm pro Altari.

VERSVS XIII.

Vulgat. *Vulgata.* Ingredientes vrbem, & statim inuenietis eum, antequam ascendat excelsum ad vescendum. Neque enim comesurus est populus, donec ille veniat: quia ipse benedixit hostiæ, & deinceps comedunt qui vocati sunt: nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum.

Benedict. *Bened.* Neque enim comesturus est populus, donec ille veniat.

Gloss. *Textus Gloss. in margine.* Ingredientes vrbem, sic statim inuenietis eum. Quia ipse benedicet sacrificio.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Cùm ingressi fueritis vrbem, sic inuenietis eum antequam ascendat in Bamah ad vescendum. Non enim comedet populus, donec veniat. Ipse enim benedicet sacrificio, & postea comedent, qui inuitati sunt. Et nunc ascendite, quia eum hac hora inuenietis.

Vatab. *Hebraïc. ex Franc. Vatab.* Cúmque veneritis in ciuitatem illicò inuenietis eum, antequam ascendat ad excelsum, vbi comedet. Neque enim comedit populus, donec ipse veniat; ipse enim consecrat sacrificium, & post hoc comedunt inuitati: nunc igitur ascendite, quoniam hodie inuenietis eum.

Atiasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et intrando vos ad vrbem, sic inuenietis eum, antequam ascendat ad domum conuiuij ad comedendum, quia non comedet populus, donec veniat ille, namque ille benedicens super cibum, postea comedentes vocati; & nunc ascendite, quoniam illum in die hac inuenietis illum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Vt ingressi fueritis in ciuitatem, sic inuenietis eum in ciuitate, antequam ascendat ipse in excelsum ad vescendum; quia non comedet populus donec veniat ipse: quoniam ipse benedicet hostiæ, & post hæc comedunt peregrini. Et nunc ascendite, quia per diem inuenietis eum in ciuitate.

Sixtian. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Cùm ingressi fueritis in ciuitatem, sic inuenietis eum in ciuitate, priusquam ipse ascendat in Bama ad manducandum; quoniam non manducabit populus, quoad vsque ipse ingrediatur; quoniam hic benedicit sacrificium, & post hæc comedunt hospites. Et nunc ascendite, quia per diem inuenietis eum.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Et nunc ascendite, quia eum sicut hodie, reperietis eum.

Saa. *Saa in Schol.* Pro *hodie*, alij vertunt, *hac hora.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Beda. 1 *NEque enim comesurus est populus, donec ille veniat.* Beda lib. 2. expos. Allegor. c. 2. Neq; enim vulgus imperitum, inquiunt, dulcedinem poterit vitæ cælestis, à qua diu iam exulabat, sperando degustare, donec ille veniat, qui pœnitẽtiam agentibus, regnum cœlorum appropinquare testetur.

Literal. Abul. 2 *Neque enim comesurus est populus, donec ille veniat.* Abulens. ibid. q. 9. Aliquis putabit ex hoc quòd Samuel tunc nouiter veniat ad vrbem, & populus fecerat Sacrificium magnum, non erat tamen comesturus, quousque veniret Samuel; nam sciebant eum venturum; ideò præstolabantur ad prandium. Sed dicendum est, quòd non, sed ipse Samuel steterat ad Sacrificium, & ipse principaliter fecerat illud, completo tamen eo, antequam esset hora prandij, descendit Samuel ad partem inferiorem vrbis, & postea factâ horâ prandij, regressurus erat in excelsum ad comedendum cum inuitatis. Apparet hoc, quia infrà dixit Samuel ad cocum: *Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, vt reponeres apud te.* Et dixit Samuel ad Saülem: *Ecce quod remansit, pone apud te, &c.* ergo Samuel fuerat in vrbe, antequam fierent sacrificia illa; cùm ipse fecerit reseruari à principio partes quasdam apud cocum.

Literal. Idem. 3 *Neque enim comesurus est populus, donec ille veniat.* Idem ibidem. Ratio potissima est, quia Samuel inuitauerat istos viros, qui comesturi erant in excelso, nullo modo ergo ipsi sederent ad prandium ante Samuelis aduentum. Hoc enim erat contra bonos mores.

Literal. Tropol. Rabbi Dauid. 4 *Quia ipse benedicit hostiæ.* Dauid Kimhi. Moris erat inter Hebræos, vt paterfamilias inituru magnum, & solemne conuiuium præmitteret verba, & accepto in manus pane precaretur Regem mundi, vt illud vellet esse salutare, & postea accepto poculo idem diceret.

Literal. Caiet. 5 *Quia ipse benedicit hostiæ.* Caietan. ibi. Res sacrificata, quæ comedenda erat, appellatur Sacrificium benedicendum, antequam comedant inuitati.

Literal. Vatab. *Hebræorum pia consuetudo.* Luc. 24. 6 *Quia ipse benedicit hostiæ.* Vatabl. in Schol. Agebant gratias Hebræi Deo ante prandium. Propterea moris erat apud eos, vt qui gratias ageret, præsentium ciborum causa illos frangeret, & distribueret. Ad hunc locum pertinere videtur locus Lucæ cap. 24. vbi de Christo profecto in Emaunta legitur, dum recumberet cum eis: *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.*

Tropol. Mendoz. *Mensæ benedictio, & gratiarum actio.* Eccli. 31. 12. 7 *Quia ipse benedicit hostiæ.* Franciscus Mendoza ibi §. 9. Qua in re apparet & modestia populi, & religio Samuelis. Modestia quidem populi, quia nolebat manducare, quin Samuel præiret, iuxta illud præceptum Salomonis: *Supra mensam magnam sedisti; non aperias super illam faucem tuam prior. Ne extendas manum tuam prior. Cessa prior causa disciplina.* Eccli. 31. 12. Religio verò Samuelis, quia benedictionem ante epulas præmittebat, in qua innuitur consuetudo Hebræorum. Neque solùm suas epulas à precibus inchoabat, sed etiam precibus claudebat iuxta illud: *Cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino.* Deut. 8. 10.

Deut. 8. 10 Literal. Sanctius. Rituale Hebræ. *Benedictio Hebræorum.* 8 *Quia ipse benedicit hostiæ.* Gaspar Sanctius ibi, numer. 21. Nunc Hebræi, vt ex eorum Rituali libro constat, seorsum cibum, & potum benedicunt: Imò & quoties nouum aliquid in mensa adducitur, siue illud poculentum, siue esculentum sit, aut etiam quod odorandi sensus oblectet, benedictio, & gratiarum actio, iterùm, & sæpius iteratur. Dicunt autem tunc, vt est in Rituali ipsorum:

Benedictus sis Domine Deus noster Creator, qui benus es, & benefacis omnibus, qui creasti hoc sapidum vinum, has aromata, hos fructus, &c.

LITERAL. Rangol. 9 *Quia ipse benedicit hostiæ.* Rangol. ibi. Quod Samuel, non Sacerdos aliquis benedicturus hostiæ fertur; hoc vt arbitror eò referendum est, quòd nec immolatorum quidem partes, sine benedictione sumere consueuerant; nisi quis malit non fuisse legitimum sacrificium, Sacerdos namque, non Samuel benedixisset.

LITERAL. Author Catenæ. Fagius. Deut. 18. Rangol. Serar. Mendoza. Sanct. 10 *Quia ipse benedicit hostiæ.* Autor Catenæ. Fuisse apud Hebræos piam quandam consuetudinem, vt & cibos benedicerent, & pro ipsis ante prandium gratias agerent, probat multorum auctoritas. De quo Paulus Fagius, licet Hæreticus in Onkel. Deuter. 18. Rangol. in præsenti. Serarius Mend. Sanct. & alij apud Scobar. De Euchar. lib. 1. sect. 8. n. 9. & 10.

MYSTIC. Gregor. 11 *Et deinceps comedent qui vocati sunt.* Greg. libr. 4. Variarum cap. 4. Quid aliud, nisi quia deuotionis affectus mentis est cibus; tunc namque comedemus, cùm hostia benedicitur, quia cùm ad Prædicatorum vocem deuotio nostra in amorem Conditoris extollitur, anima, quæ ad dulcedinem Conditoris peruenit, habet iam cibum suum. Tunc ergo comedent, qui ante benedictionem hostiæ comedere noluerunt.

MYSTIC. Idem. 12 *Nunc ergo conscendite, &c.* Idem ibidem. Dum electi bona Prædicatorum laudant, auditorum corda magnâ luce irradiant; cœlestis namque illa conuersatio boni Doctoris, quam prædicant, dies est. Dicant ergo: *Hodie reperietis eum*; eo namque die Prædicator inuenitur, quando non est minor vita, quàm fama: quando electorum voce laudatur. Sed qui laudes audiunt, omne quod audiunt in eius laudabili conuersatione inueniunt, atque cognoscunt.

HISTOR. Ioseph. 13 *Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum.* Ioseph. lib. 6. Antiq. cap. 5. Virgines indicatis ædibus iubent properare priùs, quàm eat ad cœnam, præbere enim eum epulum, & nihil esse in mora, nisi vt ille primus accumbat. Samuel autem hac ipsa de causa conuiuas vocauerat. Nam pridie cùm per totam diem precatus esset Dominum, vt certiorem se redderet, quem craturus esset Regem, in crastinum se id facturum pollicitus est. Circa eandem enim horam missurum se Beniamitam quendam iuuenem. Quamobrem sedebat in solario, expectans præfinitum tempus, quo peracto ad cœnam se conferebat.

LITERAL. Abul. 14 *Nunc ergo conscendite, &c.* Abulens. ibi. quæst. 9. In Hebræo dicitur: *Sicut hodie reperietis eum.* Hebræi dicunt, quod est sensus. Sicut hodie reperietis eum, idest sicut est verum quòd est ista dies hodierna, ita est verum quòd inuenietis eum.

LITERAL. Caiet. 15 *Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum.* Caiet. ibi. In Hebræo habetur: *Quia hodie sicut eum reperietis eum*, hoc est. Quia occurret vobis, sicut occurrit vobis hic dies. Certitudinem occursus manifestare intendunt puellæ ex similitudine occursus hodierni diei.

TROPOL. Author Catenæ. Carth. *Fœminarum loquacitas.* 16 *Nunc ergo conscendite, &c.* Autor Catenæ. Hucusque fœminæ sermonem traxerunt, vnde Carthusianus suprà relatus earum loquacitatem annotauit: nam cum verbo vnico: *hic est*: aut paucis saltem interrogantibus respondere potuissent, fœmineo more, ac garrulitate, plura quàm oporteret, responderunt. *Fuerunt*, inquit, *puella ista satis diffusa in verbis, more fœmineo multa plura dicentes, quàm erant interrogatæ.* Quod fœminarum ingenium, seu potiùs passionem multis illustrat exemplis Mendoza noster tom. 3. Annotat. Morali. 4. & circa eam lepidè diffunditur. Nec minùs tamen illustre exemplum de hac re nobis præbuit Leuites ille, qui concubinam suam, qua viri Belial abusi fuerant, humi iacentem cùm ante fores cerneret, & ad viri imperium, & hortationem minimè respondentem, continuò mortuam existimauit. *Qua nihil respondente, intelligens quod erat mortua; tulit eam, & imposuit asino.* Iudic. 19. 28. Quæ enim fœmina suæ loquacitatis oblita, nec loquitur, nec respondet, mortua potiùs, & sepulchro portanda, quàm viua reputatur. Hunc tamen garrulitatis morbum non subeunt sanctæ Fœminæ silentio potiùs, & secreto deditæ, vt videas in Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome, quibus postquam sepulchrum Christi inane reperierant, Dominicæ resurrectionis prædicationem Angelus commisit: *Ite*, inquit, *dicite discipulis eius, & Petro.* Marc. 26. 7. Addit tamen Euangelista: *Nemini quidquam dixerunt.* Cuius ratio ibi ipsarum timori adscribitur. Cæterùm ad moralem institutionem aliter Chrysologus interpretatur, serm. 82. & prudentiæ, & religioni attribuit. *Quia mulieribus*, inquit, *audire non loqui datum est, discere datum est, non docere: dicente Apostolo: Mulieres in Ecclesia taceant.* 1. Corint. 14. Instas tamen, cur potiùs Angelo imperanti audientes non fuerunt? Sed responderi in idem propositum potest, silentij apud fœminas tam arctam esse necessitatis legem, vt nec suadentibus Angelis ab ea liceat recedere, aut discrepare, iuxta quod Paulus ad Galat. 1. 8. ipsos instituit, vt circa res ad fidem pertinentes neque Angelis contrarium edocentibus credant. *Sed licèt nos*, inquit, *aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Lex ergo silentij ita apud fœminas sacra esse debet, vt eam temerare nec Angelis suadentibus audeant. Licet reuera, & potuissent, & debuissent. Mend. Iud. 19. 28. Chry. 26. 7. Marc. Sol. 1. Cor. 14. 34 Galat. 1. 8.

VERSVS XIV.

VVlgata. Et ascenderunt in ciuitatem. Cùmque illi ambularent in medio vrbis, apparuit Samuël egrediens obuiam eis, vt ascenderet in excelsum. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Et ascenderunt in ciuitatem. Ipsis ingredientibus per medium ciuitatis: Ecce Semuël egrediebatur in occursum eorum, vt ascenderet in Bamah. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Ascenderunt ergo ad ciuitatem, venerúntque in medium vrbis, & ecce Samuël exiit eis obuiam ascensurus in excelsum. Vatab.

Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia. Et ascenderunt ad vrbem: illi intrantes intra vrbem: Et ecce Semuel exiens ad occursum eorum ad ascendendum ad domum confessus. Ariasm.

Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et ascenderunt in ciuitatem, illis autem ingredientibus in mediam ciuitatem: Et ecce Samuel egressus est in occursum eorum, vt ascenderet in excelsum. Complut. Regia.

Græca

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et ascenderunt in ciuitatem. Ipsis ingredientibus in medium ciuitatis: Et ecce Samuël exit in occursum eorum ad ascendendum in Bama.

Caiet. *Caietan. ex Hebræo.* Et ascenderunt in ciuitatem. Cùmque peruenissent in medium ciuitatis, &c.

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Gregor. 1 *Et ascenderunt in ciuitatem.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. 4. Ordinatus ascensus noster ostenditur per hoc, quòd Saul in ciuitate ascendere perhibetur. Nam nobis Pastorum nostrorum loca, in quibus orare, aut secreti esse consueuerunt, veneranda, non adeunda sunt. Quod non solùm exemplo, sed etiam diuina cohortatione cognoscere possumus. In Cantico quidem Canticorum Sponsus denuntiat, dicens: *Obsecro vos filiæ Ierusalem, ne euigilare faciatis dilectam, quousque ipsa velit.* Mentes enim perfectorum Sponsæ sunt, quia secreto diuini amoris se, velut in thalamo collocant; ibi per visionem inueniunt, cui ineffabili amore iunguntur. Qui ergo hanc suscitat, Sponso tollit, quia nimirùm requies electæ animæ non solùm sua, sed etiam delectatio Sponsi est.

Cantic. 2.

MYSTIC. Greg. 2 *Et ascenderunt in ciuitatem.* Idem ibidem. Quo in loco notandum, quia de Samuële non dicitur: *Hodie ascendit in ciuitatem*, sed, *hodie venit in ciuitatem.* De Saüle autem, & puero non venerunt: sed ascenderunt: dicitur. Ille enim velut per planum venit: iste velut in alta conscendit. Quid aliud per hoc nobis ostenditur, nisi quia plana, quę loquuntur Prędicatores, nobis plana non sunt? In ciuitate ergo non venimus, sed ascendimus, quãdo aut plana prædicationis difficiliter accipimus, aut parua, quæ præcipimur, cum labore portamus.

LITERAL. Abul. 3 *Cúmque illis ambularent in medio vrbis.* Abul. ibi. quæst. 9. Idest intra vrbem, non enim accipitur hic medium pro æqua distantia, vel quasi, sed per interpositionem, scilicet quòd omne illud, quod est inter terminos, dicatur esse in medio, siue æquè distet, siue non; & sic est modus loquendi in Scriptura, quia dicitur esse aliquis in medio populi, vel in medio terræ, quando est intra populum, vel intra terram. Isaiæ. 6. 5. Ierem. 50. 8.

MYSTIC. Greg. 4 *Apparuit Samuel egrediens obuiam eis.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. 4. Qui, vt appareret, egressus est, erat vbi, antequam appareret, latuisset. Egrediuntur ergo Sacerdotes, quando à secreto meditationis ad prædicandum veniunt. In ciuitate apparent, quando planiora, idest ad agendum, vel ad intelligendum dicunt. In excelsum ascendunt, quando Sapientibus aut fortia præcipiunt operis, aut reuelant alta mysterij.

LITERAL. Idem. 5 *Apparuit Samuel egrediens obuiam eis.* Idem ibidem. Obuiam venire, est per eandem viam venienti occurrere. Cùm ergo à Sanctis Prædicatoribus salutis viam discere volumus, nobis quidem obuiam veniunt, quando cum verbo salutis, quod quærimus, occurrunt; quasi enim eadem vià veniunt, cùm id nos docere festinant, quód nos proposuimus discere.

MYSTIC. Idem. 6 *Apparuit Samuel egrediens obuiam eis.* Idem ibidem. Exiit ei obuiam, vt in excelsum ducat, quia is, qui ad sanctæ Ecclesiæ regimen quæritur, & diuino munere demonstrandus est, & ad sublimem conuersationem vocandus.

HISTOR. Ioseph. 7 *Apparuit Samuel egrediens obuiam eis.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. Samuel sedebat in solario, expectans præfinitum tempus, quo peracto, ad cœnam se conferebat.

8 *Apparuit Samuel egrediens obuiam eis.* Liran. ibi. Quia de aduentu Saülis, reuelationem habuerat quantum ad diem, & horam determinatam. LITERAL. Lira.

9 *Egrediens obuiam eis.* Abul. ibi. quæst. 9. Potest hoc intelligi dupliciter. Vno modo, quòd egrediebatur obuiam illis, scilicet quia Samuël Spiritu Prophetico cognouerat tempus aduentus eorum, & exiuit obuiam eis. Huic consonat littera sequens: scilicet: *Dominus autem reuelauerat auriculam Samuelis, &c.* Aliter potest intelligi, quòd Samuël egressus est obuiam Saüli, & puero, non quidem sciens, quòd ipsi tunc venirent, nec egrediens ad recipiendum eos. Et iste est verior sensus; quod patet, quia dicitur hîc: *Egrediens obuiam illis, vt ascenderet in excelsum*; quasi dicat: quanquam inierit obuiam eis, non ibat ad recipiendum eos, sed vt ascenderet in excelsum ad conuiuium. LITERAL. Abul.

10 *Egrediens obuiam eis.* Dionys. Carthus. ibi. art. 17. Non casualiter, sed ex proposito. LITERAL. Carthus.

11 *Egrediens obuiam eis.* Vatab. in Schol. Idest occurrit illis Samuël egressus, vt ascenderet in excelsum. *Exiit* refertur ad *ascensurus.* LITERAL. Vatab.

12 *Egrediens obuiam eis.* Francisc. Mendoza ibi §. 2. Cernere, est hoc loco promptum animum Samuëlis ad obediendum Deo, & ad regimen deponendum; nec enim Saülem domi expectauit, sed foris inquisiuit, quasi non minori studio repudiandæ dignitatis, quàm plerique alij ambiendæ, teneretur. MORAL. Mendoza. *Samuelis humilitas.*

13 *Egrediens obuiam eis.* Author Catenæ. Quæritur, an Samuël exierit obuiam Saüli formaliter, hoc est eo animo, & proposito, vt ei venienti obuius fieret, an solùm materialiter, ità vt dum exierit ascensurus in excelsum, Saülem casu offenderit? Hoc vltimum tenent Abulensis, Vatab. & Salianus, quibus potiùs subscribo, quàm Carthusiano, & Mendozæ. Ratio ea est, quam Textus expressit. *Apparuit*, inquit, *Samuel egrediens obuiam eis, vt ascenderet in excelsum.* Ergo vt ascenderet in excelsum egressus fuerat, & Saülem ipso itinere reperit. 2. Quia vt benè arguit Abulensis: Si Samuël eo animo, vt Saüli occurreret, exiisset, non opus esset noua Dei reuelatione, vt eum agnosceret, quam continet Versus 17. ibi. *Cúmque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi.* Locus verò Iosephi, quo in suam confirmationem vtraque vtitur sententia, ita obscurus est, vt vel neutri faueat, vel vtrique: Fateor tamen sententiam Carthusiani, & Mendozæ satis esse probabilem, quam etiam insinuat Gregorius. LITERAL. Author Caten. *An Samuel à consilio abhorruerit Saulis?* Abul. Vatab. Salian. Carthus. Mendoza. Ioseph. Gregor.

14 *Vt ascenderet in excelsum.* Sehinclerus. in Pantagloto. Et aræ, & his adiuncta sacella in locis editioribus vetita quidem in lege, sed concessa toto isto tempore, quod inter Tabernaculum, si hoc non destructum, & Templum Salomonis extructum intercessit, vt quicumque vellet, ædificaret, & sacrificia pacificorum offerret, atque ex his epulas cum suis instrueret. Ita legitur Samuël ædificasse Altare in Ramatha, vbi domicilium habebat. 1. Samuël. 7. Vers. vltimo; postquam à Philisthæis capta fuit Arca. LITERAL. Sehincl. Hæretic. *Samuel vt Altare extruxit.*

VERSVS XV.

Vulg. Dominus autem reuelauerat auriculam Samuëlis ante vnam diem quàm veniret Saül, dicens. Vulgata.

Benedict. *Benedict.* Dominus autem reuelauerat auriculæ (*vel*) in auriculam Samuëlis.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Dominus autem reuelauerat aurem Semuël die vna, antequam veniret Saül, dicendo.

Vatabl. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Porrò pridie quàm veniret Saül, indicauerat Dominus Samuëli ad hunc modum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasmontano in Regia.* Et ab ante Dominum dictum fuit ad Semuël die vno, antequam veniret Saül, dicendo:

Complut. Regia. *Grac. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et Dominus reuelauerat auriculam Samuëlis diem vnam, antequam veniret ad eum Saül, dicens.

Sixtia. *Grac. ex Sept. in Sixtia.* Et Dominus reuelauerat aurem Samuël, die vna antequam veniret ad eum Saul, dicens.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Dominus autem reuelauerat auriculam.* Greg. lib. 4. Variat. cap. 4. Auricula Samuëlis, quia diminutiuè dicitur, quid designat, nisi humilem intelligentiam Doctoris spiritalis? Auricula ergo reuelatur à Domino, quando humilis intelligentia Prædicatoris à Spiritu sancto instruitur, vt quæ facturus est, audiat, & audita disponat.

Literal: Lira. 2 *Dominus autem reuelauerat auriculam.* Lira. ibid. Loquitur Scriptura modo humano, quando aliquis reuelat secreta amico suo.

Literal. Carth. 3 *Dominus autem reuelauerat auriculam.* Carth. ibi. art. 17. Id est secretè manifestauerat Samuëli, sicut qui aliquid intimat alteri in aure.

Tropol. Author Catenæ. *Vox Dei quã attentè audienda.* Lira. Vatab. Carth. Mend. 4 *Dominus autem reuelauerat auriculam.* Author Catenæ. Hoc est secretè eum admonuerat, vt notarunt Lira. Vatablus, & Carthus. Scripturæ phrasis est, quâ non secreta solùm, sed publica etiam admonitio interdum significatur, vt probat in præsenti Mendoza. Hic verò de secreta, & tacita allocutione intellige. Ad morum autem disciplinam aduerte, quàm attentè diuina vox hauriendа sit, quæ tacitè, & secretè ad aures spirituales ducitur; est enim *sibilus aura tenuis.* 3. Reg. 19. 12. de qua etiam Eliphaz Iobi necessarius. *Porro ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè susceptit auris mea venas susurri eius.* Iob 4. 12. Arrectis ergo auribus, attentisque mentibus excipienda est, iuxta Dauidis institutionem: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Psalm. 44. 11. & strepentibus sæculi rumoribus auris animi deneganda, vel etiam obturanda est, & fallacibus Sirenarum cantilenis, quæ, ne diuinæ vocis sibilus percipiatur, impediunt; dum enim dulci quodam dolo mulcent aures, & animum recreant, stant nautæ, obrigent remiges, nec Triarchi sibilus excipitur, vnde benè Hieronymus concludit: *Nos ergo ad patriam festinantes mortiferos sirenarum cantus surdâ debemus aure pertransire.* Cui etiam consonat Ambrosius lib. 4. in Luc. tom. 3. in Proœmio. *Non claudenda igitur aures, sed reseranda sunt, vt Christi vox possit audiri, quam quisquis perceperit, naufragium non timebit, non corporalibus, vt Vlisses, ad arborem vinculis alligandus, sed animus ad Crucis lignum spiritualibus nexibus vinciendus, ne lasciuiarum illecebris, cursúsque naturæ deterqueat, in periculum voluptatis.* Et Bernardus monet nos similiter serm. de Septem Spiritibus circa finem, dicens: *Obsecro vos dilectissimi, qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei: audientes inuicem quid loquatur in vobis Dominus Deus, quoniam loquetur pacem. Felix, & beata anima, quæ venas susurri diuini percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuëlis:* Loquere Domine, quia audit seruus tuus. 1. Reg. 3. Et iterum Epist. 107. ad Thom. *Caterùm tu, ô charissime, huic voci Dei tui dulciori super mel, & fauum, si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, vt expedito, & vacante interno sensu, dicas & tu cum Samuële:* Loquere Domine quia audit seruus tuus. *Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico. Secretum consilium, secretum quærit auditum.* Hæc Bernardus. Saulo minas adhuc in Discipulos Domini spiranti cùm Christus arcana illa verba facere decreuisset. *Saule, Saule quid me persequeris?* Actor. 9. Priùs quidem: *Circumfulsit eum lux de cœlo,* nec eius pœnitentiam, aut conuersionem cœleste Numen expectauit. Quid in causa? Audi Chrysost. hom. de Laudibus Pauli. *Vt cum silentio vocem audiret.* Lux videlicet hominem ab aliorum consortio veluti muro, vel militari obsidione diuisit, quo ab omnibus visibilibus alienatus diuinæ potiùs inspirationi excipiendæ totus incumberet. Ioannes item Christo charissimus optimum deuotissimæ huius attentionis exemplar extitit; nam diuinas Apocalypsis reuelationes percepturus, & in Insula aquis vndequaque circumseptus, & ab hominibus diuisus, & sæcularibus curis abdicatus dicit; *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione: Fui in Spiritu in dominica die, & audiui post me vocem magnam.* Apocalipsis 1. 9. & 10. *Post me,* inquit. Quocirca interrogat Rupertus in præsenti, quidnam post eum fuisse credendum sit, cùm ipse in spiritu non in corpore extitisse perhibeatur? *Quid erat post Ioannem, cùm esset in spiritu?* Respondet autem ad præsens institutum. *Nimirum totus mundus, quidquid corporeis oculis cernitur, imò & totus præsentis Ecclesiæ status, retrò hæc erant, quia videlicet ipse in anteriora extendebatur.* Optimè ergo ad diuina percipienda dispositus, omnium visibilium obliuione, audiuit quidem vocem magnam Dei, videlicet magna sibi reuelantis.

Iob 4. 12. Psal. 44. 11. Hieron. Ambros. Bernard. 1 Reg. 3. Bernard. Actor. 9. Chrysost. Apoc. 9. Rupert.

Mystic. Greg. 5 *Ante vnam diem.* Gregor. suprà. Subtiliter est intuendum, quòd dicitur *ante vnam diem*; dies enim est vita iusti: Paulo attestante, qui ait: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ephes. 5. Quando autem Iusti vita ostenditur, dies latens reuelatur.

Ephes. 5.

Literal. Abul. 6 *Ante vnam diem.* Abulensis ibid. quæstione 9. Hic debet computari dies à momento in momentum, quia dicitur immediatè: *Hac ipsa hora, qua nunc est, cras mittam ad te virum.*

VERSVS XVI.

Vulg. VVlgata. Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & vnges eum ducem super populum meum Israël: & seruabit populum meum de manu Philisthinorum: quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me.

Benedict. *Bened. in marg.* Hoc tempore, quod nunc est.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïca ex Xante Pagn.* Hoc tempore, cras mittam ad te virum de terra Benjamin, & vnges eum

eum in ducem super populum meum Israël, & saluum faciet populum meum de manu Philistim: respexi enim populum meum, quia venit clamor eius ad me.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Cras iuxta istud tempus mittam ad te virum de terra Beniamin, quem vnges in principem super populum meum Israël, vt liberet populum meum de manu Palæsthinorum, quoniam respexi populum meum, quandoquidem clamor eorum venit ad me.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedicto Ariasm. in Regia.* In tempore hoc cras mittam ad te virum de terra Tribus Beniamin,& vnges eum, vt sit Rex super populum meum Israël, & liberabit populum meum de manu Philisthæorum, quia reuelata est ante me afflictio populi mei, quia intrauit clamor eorum ante me.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Sicut tempus hoc cras mittam ad te virum in terra Beniamin, & vnges eum in Principem super populum meum Israël, & saluabit populum meum de manu Philisthinorum,quia respexit super humilitatem populi mei, quoniam venit clamor eorum ad me.

Sixtia. *Græc. ex Septuag. in Sixtia.* Sicut tempus cras mittam ad te virum de terra Beniamin, & vnges eum in Principem super populum meum Israël,& saluabit populum meum de manu alienigenarum: quoniam respexi super humiliationem populi mei,quia venit clamor eorum ad me.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Caiet. 1 HAc ipsa hora,qua nunc est.Caietan.ibi.Iuxta Hebræum habetur:*Sicut tempus cras.* Et *cras* genitiui casus est: nullâque fit mentio horæ, sed duntaxat temporis diei crastini. Et est sensus: Quando erit tempus diei crastini mittam tibi virũ.

Literal. Author Catenæ. 2 *Hac ipsa hora, qua nunc est.* Author Catenæ. Cùm Vulgatus horam determinet, audiendus Caietanus non est, qui non de hora determinata, sed de die crastino determinato exponit, in quo Hebraicam veritatem sequi credit.Cæterùm cùm Hebræus æquinocus sit, & Interpres noster, qui Hebræum satis caluit, & Ecclesiæ totius autoritate confirmatur,de hora determinata exponat, audacter,ne dicam temerè, de tempore crastino à quouis alio interpretabitur. Sed quænam hæc hora? An matutina,vel potiùs vespertina? De meridiana exponit Pseudophilo in Antiquitatib. Biblic. cui adhæret Mendoza §.4.Non tamen allentior, prandia enim apud antiquos, immò apud Hebræos horis potius vespertinis celebrantur:Vnde cœnæ plerumque nuncupantur.3.Esdræ.3.1. *Rex Darius fecit cœnam magnam.* Iudic.6. 19. & ibidem 12.10. *Fecit cœnam magnam.* Matt.23.6. *Amant primos accubitus in cœnis.*Marc.6.21.Luc.14.16. Ioan.12. 1.& alibi passim. Similiter quoque Iosephus lib.6. Antiquit.cap.5.Samuëlis prandium cœnam vocat. Et confirmatur ex Vers. 25. vbi immediatè post conuiuium de dormitione, seu accubatione fit relatio. *Straueruntque Saul in solario:& dormiuit.* Idem etiam Iosephus loco citato: Post peracti conuiuij narrationem, subiicit immediatè: *Cùmque iam hora dormiendi adesset, alij quidem surgentes,domum quisque suam,reuertebantur.Saulus verò apud Prophetam cum famulo pernoctauit.* Contrarium probat Mendoza ex loco Gen.43. 16. vbi Ioseph dispensatori suo:*Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue conuiuium,quoniam mecum sunt comesturi meridie.* Qui tamen non conuincit, immo additio, & determinatio horæ meridianæ probat, nisi ipsa determinatio fieret non meridie, sed vespere conuiuium celebrandum iuxta vulgarem morem.Nec vrget alia Mendozæ probatio, scilicet horam meridianam esse orationis horam, & per consequens Sacrificium, & prandium eadem hora meridiei fuisse peracta.Quod certum non est, cùm variis in locis Sacrificia celebrarentur.Tum etiam quod Abulensis.quæst.9.ait: Samuelem ante Saülis aduentum iam victimas obtulisse, & loco sublimi in vrbem excessisse, iterùm hora prandij in excelsum ascensurum. Nec me tamen latet docuisse aliquos, in quibus est Rodiginius tom.3.lib.27. cap.24. & Hieronymus Mercurialis lib.2. Variar. Lection.c.2. Quauis hora prandia apud antiquos peragerentur,vocari quoque cœnam. Rodig. Mercur.

3 *Virum ad te de terra Beniamin.* Gregor. lib.4. Variar. cap.4. Saül vir de terra Beniamin venire describitur. Vir quidem dicitur pro operis fortitudine: De terra Beniamin pro recta fidei confessione. Beniamin quidem dicitur filius dexteræ. Quis ergo hic filius dexteræ dicitur, quàm ille de quo scriptum est. *Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris.* Marc. vltimo. Terra ergo Beniamin sancta Ecclesia est. Quia ergo Hæretici ab hac terra expulsi sunt,de terra Beniamin venit Rex,quando non aliqua hæresi pollutus, sed fide catholicus sanctæ Ecclesiæ primatum suscipit. Qui viri præconio fruitur,si fide firmus est: operatione fortis. Mystic. Gregor. Marc. vltimo.

4 *Et vnges eum ducem super populum meum.* Glossa.Ordin.ibi. Saül vnctus Christum significat, qui & ipse Christus appellatus est. *Vnde: Quare non timuisti mittere manum in Christum Domini.* 2.Reg.1. Mystic. Glossa. 2.Reg.1.

5 *Et vnges eum ducem.* Abul.ibi.quæst.10. Sola vnctio Dauid facta per Samuëlem fuit necessaria; duæ autem reliquæ fuerunt ex superabundantia ad solemnitatem. Ita igitur Saül potuit ter vngi in Regem: primò à Samuële occultè in Ramatha.2. coram toto populo in Maspath.3. in renouatione regni in Galgala.De his sequenti capite,& infra 11. Ita credendum est, quod saltem bis vnctus fuerit, scilicet in Ramatha,& in Maspath. Literal. Abul.

6 *Et vnges eum ducem.* Lactantius Firmian. lib.4. cap.7. Erat Iudæis ante præceptum, vt sacrum conficerent vnguentum, quo perungi possent ij,qui vocabantur ad Sacerdotium, vel ad Regnum; & sicut nunc Romanis indumentum purpuræ insigne est regiæ dignitatis adsumptæ: sic illis vnctio sacri vnguenti,nomen, ac potestatem regiam conferebat. Literal. Lactan. *Quo vnguento Reges vngebantur.*

7 *Et vnges eum ducem.* Author Catenæ.Sacerdotes & Reges vngi solitos ex multis Scripturæ locis constat, quos vide apud Mendozam §.5.Maior autem est contentio, an eodem sancto oleo, vel vnguento? Quod potiùs affirmo, quidquid dicat Genebrardus ex Cabalistarum traditionibus ad Psalm.88.quorum præcipuum fundamentum infirmum est, scilicet locus Exodi.30.32.*Caro hominis non vngetur ex eo.*Non enim solùm Sacerdotes,sed & Reges,Dij interdum, & Christi Domini appellantur.Mecum sentiunt Isidor.lib.2. de Officiis Eccl.cap.de Chrismate.Abul hoc capite.quæst.10.Lira. incap.30.Exod.Carthus.art.31. & alij plures:de quo latiùs iterùm cap.10.Vers.1. Literal. Author Catenæ. *Reges quo oleo vngebantur.* Mendoza. Genebr. Cabalist. Exod.30.32. Isidor. Abul. Lira. Carthus.

8 *Et saluabit populum meum.* Gregor. suprà. Velut vncti saluare alios possunt, quia spirituales gratias abundantiùs perceperũt, nam qui populum saluant, Mystic. Greg.

Philo. Mendoza.

Ioseph.

saluant, super populum vncti sunt, quia qui à Domino ad regendos alios ordinantur spiritualia charismatum dona, quibus eis prodesse possint, accipiunt. Et eis, quos ordine præcedunt, meritis etiam superiores sunt.

MYSTIC. Glos. 9 *Et saluabit populum meum.* Glos. Interl. ibid. Christus saluat populum suum de potestate Dæmonum.

LITERAL. Abul. 10 *Et saluabit populum meum.* Abul. ibid. q. 11. Quæret aliquis quomodo dixit Deus, quòd Saül liberaturus esset Israël de manu Philistinorum; quia toto tempore suo non fuit liberatus, sed erat bellum graue, vt patet infrà 14. Dicendum, quòd liberare aliquem de manu alterius, est eripi à grauamine, quod ille infert; & sicut grauamina multa esse possunt, ita potest aliquis multipliciter erui à toto grauamine, vel à parte grauaminis, & vtroque modo dicetur, quòd eripitur quis de manu alterius; sed Saül eripuit Israëlitas aliqualiter à grauamine, quod infligebatur eis per Philisthinos.

LITERAL. Carthus. 11 *Et saluabit populum meum.* Carth. ib. art. 17. Non semper, nec totaliter saluauit; imò tandem occisus fuit ab illis. Vnde cùm Dominus ait: *Saluabit*, potest intelligi, quòd penitùs superasset Philisthinos, nisi peccando meruisset succumbere.

LITERAL. Abul. 12 *De manu Philisthinorum.* Abul. ib. quæst. 10. Non expressit Scriptura de aliquibus hostibus, nisi de Philisthinis, eo quòd Ammonitæ pauco tempore persecuti sunt Israelitas, immediatè enim post institutionem Saülis in Regem, facto vnico bello cessauerunt; Philisthini tamen non cessauerunt; sed dicitur infrà 14. quòd *erat bellum potens aduersus Philisthinos.*

MORAL. Carthus. *Deus plus dat, quàm promittit.* 13 *De manu Philisthinorum.* Carth. ibid. art. 17. Deus sæpè plus tribuit, quàm promittit, sicut ad liberalissimum Dominum pertinet. Vnde & postea saluauit populum suum per Saül, non solùm de manu Philisthinorum, sed & aliorum multorum, & specialiter paulò post de manu Naas Regis filiorum Ammon.

LITERAL. idem. 14 *De manu Philisthinorum.* Idem ibid. Oritur quæstio: cùm infrà Samuël dicit filiis Israël: *Videntes quod Naas venisset aduersus vos, dixistis: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis.* Itaque aduentus Regis illius fuit filiis Israël occasio Regis petendi. Cur Dominus non dixit: *Saluabit populum meum de manu Ammonitarum?* Ad quod dici potest, quòd Ammonitæ non erant tam duri, ac potentes, vt Philisthæi; ideò data promissione de Philisthinorum refrænatione, satis dabatur intelligi delectio Ammonitarum.

LITERAL. Gregor. 15 *Quia respexi populum meum.* Greg. suprà. Superiùs quasi ab irato Rex ordinari permittitur; nunc quasi à pio, & benigno ordinatur.

MYSTIC. Interl. 16 *Quia respexi populum meum.* Glos. Interl. ib. In aduentu Christi.

MORAL. Carthus. *Deus bona pro malis reddit.* 17 *Quia respexi populum meum.* Carth. ib. art. 17. Oculo pietatis ad succurrendum, quod mirum videtur; cùm Dominus quasi indignatus dederit Regem. Vnde videtur quòd Rege dato, & se quasi repulso à regia præsidentia, magis debuerit eos relinquere, quàm ante; quod quamuis iustum fuisset, tamen piissimus Dominus reddidit bona pro malis; ad quod etiam quorundam bonorum deotæ preces cooperabantur.

LITERAL. Gregor. 18 *Venit enim clamor eorum ad me.* Greg. suprà. Huius benignitatis verba quis non videat, quantum à sententia illa dissentiant quæ eidem à Samuële illata fuit? *Quia*, inquit, *proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, ne sis Rex.* infrà cap. 15. Quod profectò celeriter soluimus, si ipsam verborum vim subtiliter intueamur. Nam omnia hæc diuinæ benignitatis verba populi meritis adscribuntur. *Saluabit populum meum*, &, *clamor eorum venit ad me.* Pro illis ergo Rex ordinari decernitur, quorum clamor exauditur. Nam etsi pro futura nequitia repellendus à regno erat Saül, tamen habebat in se, donec regnaret, vnde populo sibi subdito prodesse potuisset. Futurus certè erat bello strenuus, mente clarus; habiturus erat vnde sibi caderet, & vnde aliis staret. 1. Reg. 15.

LITERAL. MORAL. Greg. 19 *Venit enim clamor eorum ad me.* Idem ibid. Valdè contrarium videtur, vt eius populi clamor exaudiri credatur, qui eum abiecisse reprehenditur. Ad quod respondendum est: quia erant in illo populo, & reprobi, & electi. Ibi ergo abiecisse Dominum reprobi arguuntur: hic electorum desideria ad omnipotentis Dei aures perueniunt. Qua ex re quid colligendum est, nisi quia sæpè electis bonum est, quòd mali rectores ordinantur? Non ergo mirum est, si Deus quasi de abiectione sua irascitur, & Regem ordinat, quia ipsa dignitas futuri Regis, & mala erat, & bona. Mala denique, quia superba: bona verò, quia in defensione subditorum strenua. Quod totum & in sancta Ecclesia nunc fieri cernimus, quia plerumque ille eius primatum suscipit, qui verbo vtilis est aliis: mente tumidus sibi.

LITERAL. Rabbi Dauid. 20 *Venit enim clamor eorum ad me.* Rabbi Dauid. Cùm iam Samuël consenuisset, & populum non posset continere in officio, & filij eius se turpiter, & flagitiosè gererent, omnia pessum iuerunt, & cæperunt redire ad idololatriam. Itaque permisit eos venire in potestatem hostium. Naas etiam Rex Ammonitarum parabat in eos expeditionem. Itaque deserti à Deo, & redacti in angustias, cæperunt clamare ad Deum.

VERSVS XVII.

VVlgata. Cúmque aspexisset Samuël Saülem, Dominus dixit ei: Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo. Vulgata.

Bened. in marg. Iste continebit populum meum; *vel*, præerit populo meo. Benedict.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Semuël respexit Saül, & Dominus allocutus est eum: Ecce vir, quem dixi tibi, Iste dominabitur populo meo. Pagn.

Hebraica ex Francisco Vatablo. Cúmque Samuël vidisset Saülem, suggessit ei Dominus: En hic est vir, de quo tibi dixeram, is continebit populum meum. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et Semuel vidit Saül, & ab ante Dominum dictum est ei: Ecce vir, quem dixi tibi, ille transire faciet Dominium à populo meo. Ariasm.

Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia. Et Samuel aspexit Saülem, & Dominus respondit ei. Ecce homo, quem tibi dixi. Iste dominabitur super populum meum. Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Sixtiana. Et Samuel vidit Saül, & Dominus respondit ei; Ecce homo, quem tibi dixi: Hic principabitur in populo meo. Sixtia.

Liran. ibi. In Hebræo habetur. Iste retinebit populum meum. Lira.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor.

1 *Cumque aspexisset Samuël Saülem.* Gregor.lib.4. Variar. cap.4. Hoc in sequenti die actum est, quod præcedenti Dominus repromisit,dicens:*Cras hac eadem hora mittam ad te virum.* Aspicitur ergo in secundo die, qui primo promittitur; quia Prædicatores sanctæ Ecclesiæ virtutes electorum in secreta eorum vita perquirunt. Hi enim, qui promouendi sunt, dum bona proferunt, aliquid magnum ex se repromittunt. Primò igitur die Rex promittitur, quia magna electorum opera Prædicatores aspiciunt,& quasi Domino loquente intùs agnoscunt; quos ordinare sanctæ Ecclesiæ rectores volunt. Aspicit ergo Samuël in sequenti die quando Prædicator eum, qui promouendus est,in magna luce conuersationis videt; & tunc quidem quasi indicante Domino ordinandum Regem agnoscit, quia eum, qui in alta arce sanctitatis præeminet, præferre aliis dignum videt.

Histor. Ioseph.

2 *Cúmque aspexisset Samuël Saülem.* Ioseph. lib.6.Antiquit.cap.5. Cumque Saülum offendisset, Deus inspirauit ei hunc esse futurum Principem.

Literal. Abul.

3 *Dominus dixit ei.* Abul.ibi. quæst.12. Quæret aliquis, quomodò Deus locutus fuit hîc Samuëli? Modus, quo fuit ista locutio largè dicta, quod Deus immutauerit intellectum Prophetæ ad cognoscendum,quòd ille, qui veniebat, erat Saül, qui erat in Regem constituendus, & ad hoc non oportebat fieri aliquam locutionem, nec apparitionem figuræ,sed solùm intellectus mutaretur, & de hoc nihil intelligeret Saül,aut puer eius, & isto modo, vt communiter loquebatur Deus ad Prophetas,cùm erant in vigilia; sicut patet de Eliseo 4.Reg.3.

4.Reg.3.

Literal. Carthus.

4 *Dominus dixit ei.* Carthusibi; art.17. Per reuelationem, seu allocutionem internam, factam per Angelum, quia per Angelum factæ sunt reuelationes propheticæ, vt diuinus Dionysius docet.

Dionys. Areop.

Mystic. Beda.

5 *Ecce vir, quem dixeram tibi.* Beda lib.2. Exposit.Allegor.cap.2. Cùm videret Ioannes IESVM venientem ad se admonitus à Spiritu Sancto, intellexit ipsum esse Agnum Dei, ipsum; qui tollit peccata mundi.

Literal. Abul.

6 *Ecce vir,quem dixeram tibi.* Abul.ibi. quæst.11. Quia licet præcedenti die dixisset Dominus Samuëli: *Hac ipsa hora, qua nunc est, Cras mittam ad te virum*; tamen Samuël non aduertebat, an ille esset,qui occurrebat ei, quia poterant ei post paululùm in ipsa hora occurrere alij viri, & nesciret Samuël, quem Dominus mittebat ádeum, & quod maius est,Saül,& puer suus simul veniebant,& ambo erant viri; nesciret ergo Samuël, quis esset, quem illorum Deus mittebat.

Moral. Lira.

7 *Iste dominabitur populo meo.* Liran.ibi.In Hebræo habetur: *Ille retinebit populum meum*, quia ad Reges pertinet retinere populum, ne in bellis præcipitanter se ingerant;& etiam tempore pacis, ne iniustè contra proximos agant.

Literal. Moral. Author. Catenæ.

8 *Iste dominabitur populo meo.* Author Catenæ: Licet ad litteram de populi regimine, & moderatione hæc dominatio interpretanda sit; mysticè tamen in malam quoque partem potest accipi, & de superba Saülis dominatione intelligi, quam Dominus obiter Samuëli prænuntiat. Eius tamen pessimum exemplum amplecti minimè debent Principes, & Ecclesiastici Prælati, nec subiecto sibi gregi tyrannicè dominari: Intelligant potiùs necesse est non se Dominos, sed dispensatores, & Dei ministros esse oportere, iuxta Petri constitutionem: *Pascite,qui in vobis est,gregem Dei, prodentes non coactè, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo,& cùm apparuerit Princeps pastorum,percipietis immarcessibilem gloriæ coronã* 1.Petri.5.2.3.& 4. 1.Petri 5. 2.3.& 4.

VERSVS XVIII.

Vulgata. Accessit autem Saül ad Samuëlem in medio portæ,& ait: Indica, oro, mihi, vbi est domus Videntis. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Accessit autem Saül ad Semuël in medio portæ,& dixit:Indica, quæso, mihi,vbi qualis est domus Videntis. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Accedens ergo Saül ad Samuëlem in media porta dixit: Indica quæso mihi,vbi sit domus Videntis. Vatab.

Chaldaïca ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et occurit Semuëli Saül intra portam,& dixit, Indica nunc mihi, quænam domus Videntis. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et accessit Saül ad Samuëlem in medio ciuitatis, & dixit:Indica iam mihi,quæ domus Videntis. Complut. Regia.

Græc.ex Sept. in Sixtia. Et accessit Saul ad Samuel in medium ciuitatis,& dixit:Annuntia nunc, qualis est domus Videntis. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Moral. Greg.

1 *In medio portæ.* Gregor. lib.4. Variar. cap.4. Si in ciuitate tunc est Prædicator, cùm plana,& communia loquitur,quæ intelliguntur;porta ciuitatis huius quæ est; nisi humilitas? Nam diuini Verbi cognitio superbis absconditur:humilibus reuelatur: Vnde & in Euangelio Patri loquitur dicens: *Confiteor tibi pater Rex cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus,& reuelasti ea paruulis.* Matt. 11. Electi ergo quia ad spiritualem scientiam, per humilitatem veniunt ad audiendos Prædicatores,quasi per portam vadunt. Electus etiam Prædicator, quia spiritualia humiliter dit; Samuël Saüli in eadem porta occurrit. Quasi enim ambo in porta sunt, quando ea, quæ electus Prædicator loquitur; ab electo alio humiliter audiuntur. Matt.11.

Literal. Abul.

2 *In medio portæ* Abul.ibi. quæst.12. Scilicet, illius domus; de qua egrediebatur Samuël, vt ascenderet in excelsum. Aliqui intelligunt in medio portæ,scilicet in porta vrbis, sed non stat, quia dicitur suprà: *Cúmque illi ambularent in medio vrbis;apparuit illis Samuel*; ergo non erat in porta vrbis. Item quia dicitur suprà,quòd apparuit *egrediens obuiam illis*; si ergo egrediebatur, & erat in porta vrbis, ergo egrediebatur de vrbe. Sed falsum est,quia dicitur, quòd ipse volebat ascendere in excelsum, ad manducandum ibi, & excelsum erat intra vrbem; ergo non erat in porta vrbis, sed in porta domus suæ, & egrediebatur, vt iret in excelsum.

Literal. Caietan.

3 *In medio portæ.* Caietan.ibi. Paulò ante narrauit, quòd Saül & famulus eius erant in medio ciuitatis, Samuële occurrente obuiam: modo verò dicitur;

dicitur, quòd appropinquantt Saül ad Samuëlem in medio portæ proculdubio ciuitatis. Aduersari siquidem sibi inuicem hæc videntur. Solutio est, quòd Interpretes causant tantam ambiguitatem, quia Hebraica dictio quæ interpretatur *In medio*, interpretanda erat *in intra*: narratur siquidem priùs quòd iam intrauerant ciuitatem, quando Samuël domo exiit, & obuius fuit eis narratur modò vsque ad quam partem ciuitatis ingressi appropinquauerint Samuëli, videlicet ad medium portæ, hoc est, plateæ, quæ erat iuncta portæ ciuitatis.

LITERAL. Author Catenæ. *Quæ porta?* Gregor. Caiet. Dionys. Vatab. Saa. Mendoza.

4 *In medio portæ.* Author Catenæ. Quænam hæc porta? Vrbisne, an potiùs domûs Samuelis? De vrbis porta exponunt Gregor. Caietan. Diony. Vatabl. Saa, & Mendoza. De porta verò domus Samuëlis, Abulensis quæst. 12. cui potiùs subscribendum censeo propter ab ipso allatas rationes, quas suprà vide. Argumenta verò quæ ab aliis in oppositum conficiuntur, parùm vrgent. Primum est ex vers. 14. huius capitis videlicet: *Cùmque illi ambularent in medio vrbis apparuit Samuël egrediens obuiam eis, vt ascenderet in excelsum*, ergo inquiunt, occurtus Saülis, & Samuëlis non fuit in vestibulo domus, sed in medio vrbis. Nihil concludunt, cùm Samuëlis domus (quod verius est) in medio vrbis sita esset, vtpote hominis publici, & Reipublicæ moderatoris. Confirmatio quoque Mendozæ inualida est, scilicet quia Saüli inquirenti vbi esset domus Videntis; potiùs responderet Samuël: Hæc est domus Videntis, quàm *ego sum Videns*. Fateor ita optimè respondere potuisse, sed congruentiùs respondit: *Ego sum Videns*, scilicet ad mentem interrogantis potiùs, quàm ad verborum sonum; nam Saül non de domo Samuëlis propter illam, sed propter eius habitatorem interrogabat. Nam si quis domus Dominum interroget, an illa Petri sit domus, prudenter responderetur: Ego ipse Petrus sum, quidnam mecum habes? Sed Caietanus ferendus non est, qui vt suæ sententiæ ex sui Rabbini disciplina inhæreat, solita confidentia Interpretem nostrum reprehendit, & corrigit, atque potiùs debuisse vertere *Intra portam*, quam *In medio portæ*. Tolerandus, inquam, non est, nam cùm tanta fuerit etiam ante Tridentinam Synodum apud omnes Ortodoxos Vulgatæ editionis authoritas, vt cuiuis magnorum etiam Doctorum fuerit vbique præferenda, non est cur Caiet. audeat ipsam corrigere, præsertim cùm exemplaria omnia Latina, imò & Hebraïca, & Patrum lectiones constanter teneant *in medio portæ*, non verò *intra portam*, abeat ergo, salua tanti Doctoris pace, Rabbini correctio, cui tantam fidem præbuit Caietanus.

Mend. Caietan.

THEOPH. Aut. Caten. Gregor. *Humilitas ianua sapientiæ.*

5 *In medio portæ.* Author Catenæ. Porta, qua Samuël inuenitur, secundùm Gregorium, humilitas est, qua electus diuini verbi intelligendi studiosus ad diuinam sapientiam ediscendam animum suum rectè disponit. *Porta*, inquit, *ciuitatis huius, qua est, nisi humilitas? Nam diuini verbi cognitio superbis absconditur, humilibus reuelatur.* Quam humilitatis ianuam ad veram sapientiam nobis insinuat Propheta, dicens: *Ascendit super Cherubim, & volauit.* Psalm. 17. 11. vt ad eam adspirantibus nota fiat illius incomprehensibilis altitudo, nec hominum solùm mentes, sed Cherubinorum etiam, qui id nominis ab omnimoda scientia sortiuntur, facilè transuolans. Sic animaduertit Augustinus ibi. *Exaltatus est super plenitudinem scientiæ, vt nemo ad eum peruenerit, nisi per charitatem.*

Psal. 17. 11. Aug.

6 *Indica, oro, mihi, vbi est domus Videntis.* Gregorius suprà. Hoc namque proprium magnorum virorum est, vt à minimis difficilè cognoscantur. Carne quidem despecti sunt, sed mente sublimes. Foris contemptibiles apparere appetunt; sed agere venerabilia non desistunt. Quia ergo valdè proficere per eorum exempla appetunt, eos non solùm in exterioribus, sed in intimis admirantur.

MYSTIC. Gregor.

7 *Indica, oro, mihi, vbi est domus Videntis.* Idem ibidem. Secundum Historiam Saül Samuëlem videbat, & non cognoscebat, vt quod in figura contingebat eis, nobis spiritualia designaret. Nam cùm paruuli sumus, quasi videntes perfectos viros, dum eorum virtutes à referentibus audimus, sed quos videmus, non cognoscimus, quia per experientiam scire non possumus, quia hoc, quod auditu percipimus, in cordis oculis tenemus. Quando igitur ab eis, conuersationis eius secreta ad imitandum requirimus, eos nimirùm quasi de propria domo interrogamus: Domus namque eorum conuersatio est. Hanc domum scire volebat Discipulus Ioannes, quando Dominum interrogauit dicens: *Magister vbi habitas?* Ioan. 2. Qui nimirùm quia ad familiaritatem illius, quasi domesticus perducendus erat; audiuit; *veni, & vide.*

MYSTIC. Idem. Ioan. 2.

8 *Indica, oro, mihi, vbi est domus Videntis.* Iosephus lib. 6. Antiquitat. cap. 5. Saulus verò accedens, eum salutatum priùs rogat, vbi Propheta habitet; hospitem enim se hæc ignorare.

HISTOR. Ioseph.

9 *Indica, oro, mihi, vbi est domus Videntis.* Carthusianus ibi. art. 17. Ecce quàm humile verbum. Istud autem videtur contigisse in porta, per quam Samuël exiit vrbem versùs, in excelsum, in quo fuerat oblaturus.

LITERAL. Carthus.

10 *Indica, oro, mihi, vbi est domus Videntis.* Franc. Mend. ibi. §. 2. Colligitur ex hoc loco facilitas, & humanitas Samuëlis. Nam cæteri Principes ex ipso externo apparatu suam statim produnt dignitatem; at verò Samuël iudiciariam quidem potestatem habebat, sed non ostendebat; imò inter vulgares homines tanquam par illis versabatur, vnde à Saule tanquam ignotus interpellatur.

MORAL. Mendoza. *Summa humanitas.*

11 *Indica, oro, mihi.* Author Catenæ. Laudat Dionysius Saulis in verbis humilitatem, qui nonnisi precibus, & oratione de domo interrogat. *Indica, oro, mihi. Ecce*, inquit Dionysius, *quàm humile verbum.* Qui cùm planus, & certus verborum Dionysij sensus sit, nescio cur Mendoza noster detorqueat ad alienum, & violentum, vt Samuëlis frugalitatem extollat. *Quasi diceret*, inquit Mendoza, *Ecce quàm humili pompa, & modico apparatu ille totius Israelis Princeps, & iudex incedebat, vt non agnosceretur à Saule, sed potiùs interrogaretur tanquam vir aliquis de plebe.* In qua paraphrasi Dionysij mentem non habet, vt de se patet, nam ille Saulis potiùs humilitatem, & comitatem, quàm Samuëlis modestiam commendat.

LITERAL. Author Catenæ. Dionys. Mendoz.

VERSVS XIX.

VVlgata. Et respondit Samuel Sauli, dicens: Ego sum Videns, ascende ante me in excelsum, vt comedatis mecum hodiè, & dimittam te mane: & omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.

Vulgata.

Benedict. in margine. Ascende ante me in excelsum, *comedes enim* mecum hodie. *Sic etiam alia exemplaria.*

Bened.

VERSIO

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïca ex Xante Pagn.* Et respondit Semuël ad Saul: Ego sum Videns: ascende ante me in Bamah, & comedetis mecum hodie, & dimittam te mane; & omne quod est in corde tuo, annunciabo tibi.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatablo.* Samuël respondit Sauli, & dixit: Ego sum Videns: ascende mecum in excelsum, & epulamini hodie mecum, cras dimittam te, & quidquid est in corde tuo, indicabo tibi.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasmontano in Regia.* Et respondit Semuel Sauli, & dixit: Ego Videns: Ascende ante me ad domum confessus, & comedetis mecum in die hac, & dimittam te mane, & omnia, quæ in corde tuo indicabo tibi.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et respondit Samuël Sauli, & dixit: Ego sum: ascende ante me in excelsum, & comede mecum hodie; & mittam te mane; & omnia, quæ in corde tuo, indicabo tibi.

Sixtin. *Græca ex Sept. in Sixtiana.* Et respondit Samuël Sauli, & dixit: Ego sum ipse: Ascende ante me in Bama, & manduca mecum hodie, & dimittam te mane, & omnia, quæ in corde tuo, annunciabo tibi.

Gregor. *Gregor. lib. 4. Variar. cap. 4.* Et omnia, quæ sunt in *animo* tuo, indicabo tibi.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Gregor. *Samuëlis humilitas, & liberalitas.*

1 *Ego sum Videns.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. 4. Quasi dicat: Tu in æstimatione tua magnum habes, quem quæris; sed paruus est ille, quem vides. Hoc namque in verbo Videns non prædicatur, sed ego. Quasi dicat: Videns ille est ego non quod æstimas, sed quod cernis. Sed qui humiliare se nouit, nouit dare dona non humilis, sed sublimis. Quare & in excelsum ante se ascendere eum, vt secum comedat, præcipit.

Histor. Ioseph.

2 *Ego sum Videns.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. Cúmque ille respondisset se eum esse, & ad cœnam duceret, dicens non asinas tantùm, quas quærebat, saluas, sed omnium omnia bona in potestatem eius fore.

Literal. Carthus.

3 *Ego sum Videns.* Carthus. ibid. art. 17. Non iactanter hoc dixit, sed veritatis amore, & quoniam publicum fuit, atque ex Dei præcepto tenebatur, ei dicere, & facere quæ sequuntur. Sacratissimus verò Ioannes Baptista interrogatus: *Propheta es tu?* Alio intuitu dixit: *non.*

Literal. Mendoza.

4 *Ego sum Videns.* Franciscus Mendoza ibi. §. 4. Quæres, vtrùm Saül audito Videntis nomine, ac cognito ipso Vidente obtulerit ei pecuniam, quam asserebat? Negandum est, quia Saul eximiam Samuelis sanctitatem, & integritatem ex ipso oris habitu aucupatus, & admiratus ausus non fuit incorruptum iudicem oblatis muneribus tentare.

Tropol. *Iudices ne munera accipiant?*

Vtinam ad hanc oris toruitatem, ac seueritatem seipsos componerent omnes Iudices, quando plenas litigantium manus, non autem quando vacuas, intuentur. Sic enim miserrimos homines ab offerendo potiùs deterrerent, quàm ad offerendum prouocarent,

Moral. Idem. *Samuëlis humilitas.*

5 *Ego sum Videns.* Idem ibidem §. 3. Quærenti domum Videntis, non domum ostendit Samuel, sed se ipsum Videntem: forsitan vt Saülis humilitatem propria humilitate exæquaret. Nam Saül domum Videntis inquirebat, vt ad eam humilior, ac supplicior perueniret, & Prophetam in ea commorantem, cum maiori animi demissione precaretur. At verò Samuël tanto se honore, veluti dedignatus, non patitur Saulem in domum suam ire, sed vltrò se illi obiicit consulendum.

Mystic. Greg.

6 *Ascende ante me in excelsum.* Gregor. suprà. In excelsum ascendit, qui ad scienda altiora mentem erigit. In excelsum quidem ascendere, est cor ad intelligenda altiora præparare. Vnde Petrus in montem assumitur, vt gloriam transformati Redemptoris videre mereatur; in illo enim ascensu, mentis sublimis præparatio exprimitur; quia alta videre non poterit, qui per intentionem, animum in sublimibus non ponit.

Tropol. Idem. *Prælatorum debitum.*

7 *Ascende ante me in excelsum.* Idem 2. parte Pastoral. Curæ. Samuël Saul ad excelsum tulit, & in oppidum deposuit, quia sumnii Viri, cùm sanctæ Ecclesiæ culmen ordinant; illos, quos in eodem culmine ponunt, docent sublimiter viuere: plana prædicare: sibi esse rigidos, sed subditis temperatos: sic attendere propriæ saluti, vt cum infirmis possint infirmari.

Literal. Carthus.

8 *Ascende ante me in excelsum.* Carth. suprà. Quare non dixit: Sequere me, vel Perge mecum in excelsum, sed *ascende ante me?* An ad præfigurandum, quod Saul erat sibi, & aliis præficiendus in Regem? Samuël quoque erat senex, nec potuit pariter illud montuosum celeriter ascendere.

Mystic. Gregor.

9 *Vt comedatis mecum hodie.* Gregorius lib. 4. Variar. cap. 4. Quando prædicatores sancti cœlestia loquuntur, electorum suorum auditorum corda reficiunt, testante enim Veritate (quia cibus animæ est verbum Dei) *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Panis namque alimentum corporis est; verbum, mentis. Qui verò corpus sine mente reficiunt, mente mortui sunt, carne viui.

Mystic. Moral. Gregor.

10 *Vt comedatis mecum hodie.* Gregor. ibidem. Quia ipsi Prædicatores valdè amant cœlestia, quæ loquuntur, quasi simul comedimus, cùm deuotè illi loquendo proferunt, quod nos deuotè audiendo in ventre animæ locamus, simul enim comedimus, quia verbum Dei pariter audimus. Prædicatoribus namque veritas dicit: *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Matt. 10. Quod & Paulus probat, cùm Matt. 10. suos auditores interrogat, dicens: *An experimentum quæritis eius, qui in me inhabitat, Christus?* 2. Corinth. 13. Quia ergo in sanctis Prædicatoribus Christus, & eius Spiritus loquitur; ipsi Prædicatores tanto clariùs loquentem audiunt, quanto ei viciniores sunt, cuius sedes esse meruerunt. Tanto ergo pleniùs de verbi alimento poterunt refici, quanto iam intra se habent cellam refectionis. Quo contra Doctores reprobi, quia quæ dicunt, non amant, cum alios verbo pascunt, ieiunant. Nam cùm animæ refectionem verbum Dei esse, Dominus dixerit, verbum verò Dei in mente plena sit eruditio, plena deuotio, verbo Dei non pascuntur, qui deuotè quod loquuntur, non audiunt. 2. Cor. 13.

Literal. Greg.

11 *Hodie.* Idem ibidem. Quia tam splendida mentis eruditio in magna luce spiritualis vitæ est, non dicitur, vt comedatis mecum hac nocte, sed *hodie.* Quem etiam *mane* dimittit. Mane dicit initium diei sequentis; sequens verò dies est serena lux sanctæ conuersationis. Dicit ergo: *Dimittam te mane.* Mane quidem ab excelso dimittitur, qui cùm ad altioris scientiæ lumen proficit, in magna luce boni operis se proponit immorari,

vel manè dimittitur, qui verbum magnæ scientiæ, quod Prædicatoris ore didicit, prædicare aliis intendit.

LITERAL. Hieron. *Nihil Saul obtulit.* 1 q. 1. cap. *Iudices.*

12 *Vt comedatis mecum hodie.* Hier. in cap. 3. Michææ tom. 6. & habetur 1. quæst. 1. cap. *Iudices.* Nec quenquam moueat illud, quod in primo libro Regum legimus: Saul volentem ire ad Samuelem, dixisse puero suo: ad eum se ire non posse, quia pretium, quod offerret, pro vaticinio non haberet, & puerum respondisse: *Ecce inuenta est in manu mea quarta pars sicli pecuniæ, & dabo viro Dei, & annunciabit nobis viam nostram.* Non enim scriptum est, quod Samuël acceperit, aut quod illi obtulerint: quin potiùs à Propheta pascuntur, & inuitantur ad prandium.

LITERAL. Theodor. *Nihil Saul obtulit.*

13 *Vt comedatis mecum hodie.* Theod. ibi. q. 18. Coniecit Saul ad eum aliquid afferēdum tanquam ad Principem, & Prophetam: sed nihil obtulit: sed contrà eius plurimam expertus est benignitatem.

LITERAL. Procop. *Nihil Saul obtulit.*

14 *Vt comedatis mecum hodie.* Procop. ibi. Suspicatus Saul tanquam Prophetæ, & Principi aliquid afferendum esse. Cæterùm nihil obtulit: contrà verò humanitatis Prophetæ fructum percepit.

LITERAL. Abul.

15 *Vt comedatis mecum hodie.* Abul. ibi. quæst. 12. Erat istud conuiuium de partibus hostiarum pacificarum; ideò comedebantur carnes in loco sacro, scilicet apud Altare, vel in aliqua domo propinqua, quæ esset facta ad hoc, quòd offerentes possent comedere ibi partes hostiarum sacrarum.

LITERAL. Idem.

16 *Vt comedatis mecum hodie.* Idem ibidem. Ex hoc apparet, quòd Samuel faciebat istud conuiuium; alioquin non dixisset, *Vt comedatis mecum*, quia solus ille, qui alios inuitat, taliter loquitur. Samuel autem si esset sicut vnus de inuitatis, non inuitasset Saulem ad comedendum, quia qui inuitatus est, non inuitat alios.

MORAL. Carth.

17 *Vt comedatis mecum hodie.* Carth. ibi. art. 18. Rudes animas cùm subditus virtuosus inuenire nequiuerit, debet ad Christum confugere, vt eius directione iuuetur; sicque Christus talem pro aliorum salute solicitum inuitat ad vescendum secum.

MYSTIC. Greg.

18 *Et dimittam te mane.* Gregor. suprà. Mane dicit initium diei sequentis, sequens verò dies est serena lux sanctæ conuersationis. Dicit ergo: *Dimittam te mane.* Mane quidem ab excelso dimittitur, qui enim ad altioris scientiæ lumen proficit, in magna luce boni operis se proponit immorari. Vel manè dimittitur, qui verbum magnæ scientiæ, quod Prædicatoris ore didicit, prædicare aliis intendit.

LITERAL. Abul.

19 *Et dimittam te mane.* Abul. ibid. quæst. 12. Hoc dixit Samuel ad obuiandum responsioni, quam daturus esset Saul. Nolebat enim Saul iam affligere patrem suum, intelligebat enim, quòd pater dimitteret asinas, & solicitus esset pro eo; ideò festinanter reuerti volebat.

LITERAL. Hieron. *Hebraicum Commentum.* Rupert. Rabban.

20 *Et omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi.* Hieronymus vel potius Author Tradit. Hebraic. in lib. Reg. Erat in corde Saul, sicut Hebræi tradunt, quòd Rex futurus esset, quia viderat per visum se in vertice arboris palmæ collocari, quæ visio signum regale fuit. *Eadem verba habet* Rupertus, & Rabban.

TROPOL. Gregor. *Expedit interdum se laudare.*

21 *Et omnia, quæ sunt in corde tuo.* Greg. suprà. Sæpè Viri sancti virtutes, quas habent, & abscondunt, & proferunt. Sed abscondunt, vt dixi, ne in magnis virtutibus magni videantur: proferunt eas, vt electi imitentur. Verbo itaque sapientiæ, aut prophetiæ spiritu se pollere asserunt, non vt venerentur, sed vt audiantur. Quare & Psalmista verbi gratiam se habere insinuans ait: *Super omnes docentes me intellexi.* Psalm. 118. Certus ergo de peritia spiritus confidenter nos inuitat, dicens: *Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos.* ibidem 33. Psal. ut.

LITERAL. Lira.

22 *Et omnia, quæ sunt in corde tuo.* Liran. ibid. Aliqui exponunt de asinis, quas quærebat, sed litera sequens non consonat, vbi dicitur: *Et de asinis, quas, &c.* Ex quo videtur, quòd alia in corde Saülis versabantur.

LITERAL. Abul.

23 *Et omnia, quæ sunt in corde tuo.* Abul. ib. q. 12. Hoc dicebat Samuël ad lætificandum Saülem, scilicet: Non solùm indicabo tibi de asinabus, quas quæris, sed etiam si aliquid aliud in corde habes, ego declarabo. Ista littera significat hic aliquid aliud speciale, quàm declarationem ad interrogationem pro asinabus.

LITERAL. Caiet.

24 *Et omnia, quæ sunt in corde tuo.* Caietan. ibi. Quando adimpleuerit hoc Samuël, non est scriptum; potest tamen intelligi hoc adimpleisse, quando locutus est eis super tectum.

LITERAL. Author Catenæ. Rabbini Rupert. Comest. Lira. Rabban. Hugo. Carth Abul. Deut. 18. Leuit. 19.

25 *Et omnia, quæ sunt in corde tuo.* Author Catenæ. Commentum somnij Saülis, scilicet in vertice palmæ collocatum, quod signum regale sit, Rabbinorum cerebro fabricatum, omni fundamento caret; mirórque à Ruperto, Comest. Litano, Rabbano, Hugone, & Carthusiano sine impugnatione referri; imò ab aliquibus admitti. Cæterùm ab Abulensi iure pessundatur, & congruentissimis rationibus improbatur. q. 12. 16. Quid enim vana somnia diuina lege reprobata. Deut. 18. & Leuit. 19. ad religiosissimum Samuëlem? Secundò, quid ad regni præsagium in palma collocari? Ad litteræ ergo expositionem, Samuël priùs in genere Saüli promittit quidquid animum eius secretè pungat, se illi expositurum; staim verò ad rem eam, quæ eius potius animum solicitabat, in specie descendit, nempe locum, vbi paternæ asinæ aberrarent, vel potius inuentas iam esse.

VERSVS XX.

Vulgata. Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inuentæ sunt. Et cuius erunt optima quæque Israël? nonne tibi, & omni domui patris tui? Vulgata.

Benedict. in margine. Et ad quem stat desiderium totius Israël? Bened.

Textus Glossa in margine. Et cuius erunt desiderabilia quæque Israel? Gloss.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagnino. Et pro asinabus, quæ perierunt tibi, hodie tres dies sunt, ne ponas cor tuum, quia inuentæ sunt. Et cui omne desiderabile Israel: Nonne tibi, & omni domui patris tui? Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatablo. De asinabus verò perditis tibi die abhinc tertio, ne sis anxius in corde tuo, nam sunt inuentæ. Ad quod verò attinet quidquid expetibile est in Israele: An non tibi, & toti domui patris tui. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et super negotium asinarum, quæ perierunt tibi, & tu venisti ad quærendum eas, hodie sunt tres dies, non ponas cor tuum super eas, quia inuentæ sunt. Et cuius omne desiderium Israel: Nonne tuum, & omnis domus patris tui? Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et de asinis perditis tibi nudius-tertius, ne ponas cor tuum in eis, quoniam inuentæ sunt; Et cui pulchra Israel? Nonne tibi, & omni domui patris tui? Complut. Regia.

Græca

Sixtia. *Græc.ex Sept. in Sixtia.* Et de asinabus tuis,quæ perierunt hodie tres dies, ne ponas cor tuum eis, quoniam inuentæ sunt.Et cui speciosa Israël?Nonne tibi,& domui patris tui?

Isidor. Clar. *Isidor. Clarius ibi.* Et *cui* erunt optima quæque Israël?

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 ET *de asinis,quas nudiustertius perdidisti, ne solicitus sis.*Greg.lib.4.Var.c.4.Asinas perdidit,qui peccatores, quibus verbum vitæ præbuit, ad pœnitentiam nequaquam traxit. Inueniret quidem, si ij,qui se in nocte prauitatis absconderant, ad lucem iustitiæ redirent, in qua viri inueniri potuissent.

Literal. Idem. *Propheta nihil omnia norunt.* 2 *Et de asinis, quas &c.* Idem Hom.1. in Ezechiel.Quidam Prophetæ tanguntur è proximo, & non è longinquo; sicut Samuel perisse asinas nouerat, eásque inuentas esse nunciabat. Saül Regem futurum prædicit:Dauid quoque, quia in eius regno succederet, nuntiat; sed quia pater Regis æternus futurus sit, non prædicit.

Literal. Abul. 3 *Et de asinis, quas nudiustertius.* Abul. ibi. q.12. Aliquando accipitur,nudiustertius,pro tempore determinato,& significat tres dies præteritos: aliquando autem significat tempus indeterminatum,& potest poni pro magno, vel paruo tempore. Primo modo dicimus Nudiustertius, Nudiusquartus, Nudiusquintus, & sic de aliis numeris. Alio modo accipitur, prout significat tempus indeterminatum. Sic patet Exod. 21. *Si autem sciebat, quòd bos cornupeta esset ab heri & nudiustertius.*Ibi autem non accipitur nudiustertius pro tribus diebus,sed pro multis.Hic autem melius est,vt accipiatur pro tribus diebus determinatis.

Literal. Mend. 4 *Ne solicitus sis,quia inuenta sunt.* Francisc. Mendoza ibi §.2. Antequam Samuel de asinis rogaretur, respondit, vel vt Saülem ab hac solicitudine eriperet, & ad alia maioris momenti negotia præpararet,vt docet Abulensis: vel etiam vt se verum Prophetam ostenderet, qui non solùm ad interrogata responderet,sed etiam interroganda præcognosceret,& cordis secreta exploraret.

Mystic. Greg. 5 *Quia inuenta sunt.* Gregor. suprà. Cur dicit: *Inuenta sunt*, nisi quia sæpe in eis summi viri salutis modum facilè inuenisti confiderant, de quorum vita ineruditi desperant? Nam & periti Medici corporum illos sæpe curare præsumunt, de quorum salute imperiti præsumere non possunt. Sic nimirùm & ab eruditis Doctoribus sæpe ad pœnitentiæ satisfactionem trahuntur, qui trahi ab ineruditis rudibus nequiuerunt.

Histor. Zonaras. 6 *Quia inuenta sunt.* Io. Zonaras tom.1. Annal.De asinabus igitur interrogatus;incolumes esse respondit. Et Saülem hospitio exceptum mane prosequitur.

Moral. Gregor. Nazianz. 7 *Et cuius erunt optima quæque Israël?* Gregor. Nazianz. Orat.20. in Laud. Basilij. Athenæ mihi hominem (*Basilium*) non illum quidem ante ignotum,sed tamen plenius noscendum præbuerunt; ac doctrinam exquirens, beatitudinem reperi; mihique dispari modo idem, quod Sauli accidit, qui patris asinas quærens, regnum inuenit, plúsque in ea re, quam obiter agebat, quàm in ea, quæ præcipue ipsi curæ erat, lucrifecit.

Moral. Nazianz. *Humilitas gradus ad honores.* 8 *Et cuius erunt optima quæque Israël?* Idem Orat.25. Samuelis Ramatha patria, magna illius Viri patria, Prophetæ dedecori minimè fuit: neque à se ipsa potiùs, quàm ab eo honorem consecuta est; nec ei impedimento fuit quominùs Deo, prius etiam quam in lucem prodiret,donaretur; & oracula ederet, & futura prospiceret, ac præter ea Reges, & Sacerdotes vngeret, atque ex claris ciuitatis ortos regeret, ac gubernaret. Tum autem illud de Saüle audiebam, quòd patris asinas quærens, regnum inuenisset; atque ipse quoque Dauid ex ouium gregibus ad pascendum Israëlem assumitur.

Mystic. Anagog. Greg. 9 *Et cuius erunt optima quæque Israël?* Gregor. suprà. Israël qui dicitur Videns Deum, quem rectiùs hoc loco significat, quàm æternorum ciuium illam beatam societatem, qui ex labore vitæ huius ad æternam omnipotentis Dei visionem peruenerunt? Quæ ergo sunt Israëlis optima, nisi æternæ retributionis dona? Dicat ergo Samuël: *Cui erunt quæque optima Israël? Nonne tibi, & omni domui patris tui?* Quasi dicat: Et si magnus est labor prædicationis, tanto deuotiùs fieri debet, quanto maiora lucra mercedis habet.Socilitè ergo mente Doctor sanctæ Ecclesiæ pensare debet, quia Israël non bona tantùm, sed etiam optima eius sunt,vt maiora, & excelsiora agat semper, qui tam summa, & optima expectat.

Literal. Clar. 10 *Et cuius erunt optima quæque Israël?* Isidor. Clar. ibi.iuxta Hebræum. Quasi dicat: Totus Israël desiderat habere Regem, & tu es ille, in quem omnium vota nutu diuino conspirant.

Mystic. Hugo Vict. *Saul Christi typus.* 11 *Et cuius erunt optima quæque Israël?* Hugo Victorin.lib.5.Allegor.cap.12. tom.1. Secundum aliam figuram Saül significat Christum. Saul asinas patris quærens, in Regem assumptus est; & Saluator à Patre missus ad oues, quæ perierant domus Israël, super cunctum populum in Regem constitutus est. Hoc enim significant asinæ, quod oues. Saül à Samuele est vnctus; & vnigenitus à Patre spirituali vnctione delibutus. *Ab humero & sursum supereminebat*, quia caput nostrum super nos est Christus.

Literal. Lira. 12 *Et cuius erunt optima quæque Israël?* Liran. ibi.Idest dignitas regia, quæ potest accipere optima populi sibi subditi,maximè in necessitate.

Literal. Caiet. 13 *Et cuius erunt optima quæque Israël?* Caietan. ibi. Non potest se continere Samuel à prænuntiando Saüli futurum regnum Israël.

Moral. Mend. Septuag. *Regni vanitas.* 14 *Et cuius erunt optima quæque Israël?* Franc. Mendoza ibi. §.3.Septuaginta transtulerunt: *Et cuius erunt pulchra, seu speciosa Israelis?* fortasse aptiùs ad naturam regnorum, quæ cùm intùs nihil, nisi meram vanitatem contineant, foris tamen fucatam quandam speciositatem ostentant.

Literal. Author. Catenæ. *Interrogationis vis.* 3 Reg.15. Luc.24.32. Chrysost. Cantap. 15 *Et cuius erunt optima quæque Israël?* Author Catenæ. Interrogatio non innuit dubitationem, nec ignorantiam Samuelis, sed certitudinem, cum emphasi, vt docent Rethores, & stilus Scripturæ frequenter, vt in 3. Reg. 15. passim videas: *Nonne hæc scripta sunt in libro dierum Regum Iuda?* Luc. 24. 32. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* Vnde Chrysost. Hom.21. in. Prior Epist. ad Cor. *Interrogatio*, inquit, *nunquam, nisi in rebus certissimis fieri in Scriptura solet.* De quo vide Cantaper. lib.5. Hypotyp. cap.6.

Literal. Lira. 16 *Et omni domui patris tui.* Liran. ibi. Quia filius suus Isboseth successit sibi in regno septem annis;& Abner princeps militiæ, & alij potentes de domo Saülis his temporibus potiti sunt bonis regni,& posteri eorum habuissent, si Saul in bonitate sua stetisset.

LITERAL. Abul. 17 *Et omni domui patris tui.* Abul. ibi. q. 13. Quia domus patris Saülis erat Saül, & fratres eius, & loquendo largè, omnes qui pertinebant ad eandem cognationem, erant minores. Et est sensus, quod omnes cognati Saülis fuerunt facti in magna potestate. Nam Cùm Saül factus fuisset Rex, eleuauit omnes cognatos suos ad magnos honores.

VERSVS XXI.

Valgata. *Vulgata.* Respondens autem Saül, ait: Numquid non filius Iemini ego sum, de minima Tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de Tribu Beniamin? Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?

Benedict. *Benedict. in margine.* Et familia mea minor est inter omnes familias de Tribu Beniamin?

Gloss. *Text. Gloss. in margine.* Et cognatio mea minor est, &c.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et respondit Saül, & dixit: Nonne filius Iemini sum, de minoribus Tribubus Israel, & familia mea minor omnibus familiis Tribus Beniamin? Et vt quid locutus es mihi secundùm verbum hoc.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Respondit autem Saül, & dixit: An non filius Iemini ego sum, de minima Tribu Israël? Sed & familia mea minor est omnibus familiis Tribus Beniamin? Cur igitur talia mecum loqueris?

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et respondit Saül, & dixit: An non filius Tribus Beniamin ego ex paruis Tribuum Israël, & prosapia mea infima pro omni prosapia Tribuum Beniamin? Et quare locutus es mihi iuxta verbum hoc?

Complut. Regia. *Syrac. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et respondit Saül, & dixit: Nonne filius viri Iemini ego sum, minimi sceptri ex Tribubus Israël, & cognatio mea paucissima inter omnes cognationes Beniamin? Et quare locutus es ad me secundùm sermonem hunc?

Sixtia. *Græc. ex Septuag. in Sixtia.* Et respondit Saul, & dixit; Nonne viri filius Iemini ego sum pusilli sceptri Tribus Israel, & Tribus minimæ ex toto sceptro Beniamin? & vt quid locutus es ad me iuxta verbum hoc?

Gregor. *Gregor. lib. 4. Var. c. 4.* Numquid non filius Gemini ego sum. Scribit per *G.* & non per *I.*

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul *Saul humilis.* 1 *Respondens autem Saul ait.* Abul. ibi. q. 13. Locutus fuit Samuel ad Saulem magna, quæ satis videbantur pertinere ad principatum regalem, cùm dixisset de optimo, quod erat in Israël. Saul autem qui erat valdè humilis credidit ista non pertinere ad se; ideò respondit Samuëli tanquam illuderet ei.

TROPOL. Cyrill. *Humilitatis fœmitas.* 2 *Numquid non filius Iemini ego sum?* Cyrillus Alexand. lib. in Ioan. cap. 21. Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Saul cùm paruulus esset in oculis suis, dux super Israël constitutus est. Cùm verò in superbiam elatus est, à Deo abiectus, & reprobatus. Cum Dauid vilis in oculis suis saltaret coram Arca ludens cithara mirum in modum Deo placuit: Cùm verò tumore animi inflatus populum iussit numerari, vindicem Dei manum sensit.

3 *Numquid non filius Iemini ego sum?* Chrysost. lib. 4. de Sacerdotio, circa initium, tom. 5. Saul ne auditis quidem Prophetæ verbis ad regni administrationem suscipiendam accurrendum sibi putauit, quinimò tergiuersatus, deprecatúsque est, cùm diceret: *Quisnam ego sum? Quanam stem patris mei domus?* TROPOL. Chrys. *Saulis modestia.*

4 *Numquid non filius Iemini ego sum?* Gregor. lib. 4. Variar. cap. 4. Quasi dicat: Quare mihi tam magna adscribis, cùm sim nihil? Iemini quippe filius est, qui negligentes imitatur in cura sui, & in exemplo proximi. Ieminus quippe est, quia dum curam sui negligit, exempla boni operis aliis non impendit. Qui ergo tales imitatur, filius Iemini dicitur, qui de minima Tribu Israel esse dicitur, quia vltimus ordo sanctæ Ecclesiæ conuersorum peccatorum est. Meritò igitur qui peccatorem se esse fatetur, de minima Tribu Israël esse dicitur. Cuius etiam cognatio nouissima inter alias esse perhibetur, quia iuxta Veritatis vocem, qui minimum mandatum soluit, minimus est in regno cœlorum. Luc. 4. MYSTIC. Greg. Luc. 4.

5 *Numquid non filius Iemini ego sum?* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. Supra spem, inquit, meam sunt ista Domine. Neque enim ea est mea Tribus, quæ Reges proferat; & familia mea humilior est aliis familiis: Tu verò ludis me, & maiora quàm pro mea conditione loqueris. HISTOR. Ioseph.

6 *Numquid non filius Iemini ego sum?* Beda lib. 2. Exposit. Allegor. cap. 2. Dominùs contempta superborum prosapia pauperes parentes, & humiles spiritu, de quibus nasceretur, elegit. MYSTIC. Beda.

7 *Numquid non filius Iemini ego sum?* Liran. ibi. Ideſt de Tribu Beniamin, quæ tunc erat minima inter alias Tribus Israël, qui pro peccato vxoris Leuitæ fuerat quasi ad nihilum redacta. LITERAL. Lira.

8 *Numquid non filius Iemini ego sum?* Abul. ibi. quæst. 13. Non est sensus, quòd Saul sit filius Iemini, scilicet immediatè ab eo genitus, quia erat filius Cis, & Cis erat de stirpe Iemini textus ab illo. Aliqui intelligunt, quod dixit Saul se esse filium Iemini, ideſt filium Beniamin; sed suprà declaratum est, quod Iemini, & Beniamin non sunt idem. Nominauit autem Iemini, quia iste fuit excellens vir in Tribu illa. LITERAL. Abul.

9 *Numquid non filius Iemini ego sum?* Carthus. ibi. Tales locutiones ex humilitate, & vrbanitate prolatæ faciliter verificantur, quia quod altero maius est vno respectu; alia consideratione potest minùs consistere. LITERAL. Carth.

10 *Numquid non filius Iemini ego sum?* Caietan. ibi. Admirationis, & humilitatis verba sunt argumentantia à Tribu, & à familia. Recole tamen quòd carent Hebræi superlatiuis, quibus vtitur Interpres; Hebraicè enim positiua nomina paruitatis scribuntur. LITERAL. Caietan.

11 *Numquid non filius Iemini ego sum?* Gaspar Sanctius. ibi num. 26. Obseruandum est in nomine compositio vnam interdum partem compositionis omitti, & frequenter priorem. Qui Iudith. 4. 5. & 11. vocatur *Eliachin*, idem sublata priori parte, cap. 5. 9. vocatur *Ioachim*. Est autem Ioachim idem, qui Iachin. Ierusalem, *Salem* vocatur; & Hierosolima, *Solima* &c. Ex his constat Iemini, sublata priori parte idem esse quod Beniemini, seu Beniaminita. Item filius Iemini, vbi ex dictione composita prior tantum Latinè conuersa est. LITERAL. Sanctius.

12 *Num*

LITERAL. Author Catenæ. Lira. Sanctius. Rangol.

12 *Numquid non filius Iemini ego sum?* Author Catenæ. Qui Iemini, & Benjamin pro eodem sumunt, vt Sanctius, Lira, Rangolius & alij: aiunt nomen *Benjamin* componi ex *Ben*, id est filius, & *Iemini* quod est dextera. Vnde Benjamin. *Filius dextere* interpretatur.

LITERAL. Abul.

13 *De minima Tribu Israël.* Abul.ibid.quæst.15. Quæret aliquis cùm excusaret se hîc Saul, dicens non conuenire sibi regnum, quia erat de minima Tribu, quare non ponebat aliam excusationem, quæ videbatur rationabilior, scilicet quòd non esset de Tribu Iuda? Respondeti potest quòd credidit Saul principatum regale posse mutari de vna Tribu in aliam, & credidit quòd Deus ei vellet dare, sicut Propheta dicebat; loquebatur tamen verba ista ex humilitate, quia erat valdè humilis, & reputabat se indignum ad tantum principatum. Sic patet infrà, cap.5. Scilicet: *Nonne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput in Tribubus Israel factus es?*

LITERAL. Carth.

14 *De minima Tribu Israel.* Carthus.ibi.art.17. Ideò ait de minima Tribu, quoniam Benjamin fuit iunior inter filios Iacob: iuniores autem solent vocari minores.

MORAL. Mendoza. *Regum castitas.*

15 *De minima Tribu Israel.* Franc.Mend.ib.§.13. Indignum, & absurdum credidit Saul eligi Regem de sua Tribu, tum quia erat minima, pauciſſima, & infirma: Tum etiam quia erat inhonesto adulterio deformata, ac proinde regio diademate indigna. Nam Regum tam mores, quàm Maiores spirare debent castitatem.

LITERAL. Lira.

16 *Et cognatio mea nouissima.* Liran. ibid. Ista dicit Saul ex humilitate, & quadam humana curialitate, quia patet Saul inter illos de Tribu Beniamin erat famosus.

LITERAL. Abul.

17 *Et cognatio mea nouissima.* Abul.ib.quæst.13. Ille, qui debebat esse Rex, erat dominaturus toti populo, & debebat esse potens, ne alij vellent vsurpare principatum eius, vel non redderet debitum famulatum; & quia ille, qui est in magno potentatu, si non habet consanguineos, etiamsi habeat pecuniam, citò perit; eo quòd in grauibus periculis alienantur ab eo, qui olim propter pecuniam famulabantur illi, consanguinei autem ex quadam naturæ vnione, & retinaculo, se sic non deserunt; ideò ad hoc quòd aliquis habeat stabilem principatum, consanguineis eget; & quia Tribus Saul erat minima in toto Israel, habebat paucos adiutores ad custodiam huius magni principatus.

LITERAL. Lira.

18 *Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?* Liran.ib. Ex quo patet verum, quòd prædictum est, scilicet quòd cogitauerat se ad dignitatem regiam sublimandum; quia verbum Samuëlis, quod erat obscurum, statim intellexit de dignitate regni; quamuis aliter posset intelligi; Nec oportet Saulem de mendacio ex humilitate dicto excusari, quia multò peiora fecit.

LITERAL. Abul.

19 *Quare ergo locutus es mihi sermonem istum?* Abul.ibi.quæst.16. Quæret aliquis an Saul intellexerit per verba ista Samuëlis se constituendum Regem? Respondendum est, quòd ex verbis Samuëlis Saul, & quilibet alius intelligere potuisset se constituendum in Principem, & habiturum magnos honores in populo. Tamen non concluditur quòd futurus esset Rex: Saul tamen intellexit ex verbis istis se constituendum Regem; quoniam ante hoc totus Israël petierat Regem à Samuele, præcedenti capite, & ipse iussit ibi quòd recederent singuli in vrbes suas, ipse enim daret eis Regem; & quia nunc dicebat, quòd optima Israelis prouentura erant ad eum, non poterat intelligere Saul nisi de principatu regnatiuo. Nam non poterat intelligere quòd efficeretur summus Sacerdos, quòd habebat magnos reditus, & honores; quia hoc non pertinebat nisi ad aliquem de Tribu Leui, & de stirpe Aaron. Etiam non poterat intelligere se constituendum iudicem, sicut priùs fuerat Samuel, & alij præcedentes, quia iste principatus iam cessabat.

MORAL. Author Catenæ. *Fausta facilè creduntur.* Mend.

20 *Quare ergo locutus mihi sermonem istum?* Author Catenæ. Citò quidem Saül calluit de regia dignitate sermonem fieri per ea Samuelis ænigmata, cuius duplicem rationem reddit Mendoza §.8. *Sine quod aliquam de suo regno notitiam habuerit, vt ex Hebræo retulimus, sine quod homines ad sua commoda percipienda acutissimi existant, cùm tamen ad sua detrimenta agnoscenda cæci videantur.* Ex quibus placet potiùs secunda ratio, quam notat Abul.q.32. in 2.Paralip. dicens: *Homines sunt naturaliter prompti ad credendum ea, qua sunt in fauorem eorum.* Et Seneca in Hercule Furente; *quod nimis miseri volunt, hoc facilè credunt.* Sicut accidit etiam è contra, & notauit alter Seneca, nempe Marcus lib.5. Contr.Declamat.1.ibi: *Nemo quidquam facilè credit, quo credito dolendum sit.* Eua auditis etiam de morte incurrenda minis, à Deo ipso fulminatis: *In quacumque die comederis, morte morieris*, non satis fidem præstitisse vita est, dum serpenti respondet: *Ne forte moriamur*, in tantum comminatum malum abhorrebat. Dauid postquam à Saule bis telo impetitus fuerat, noua adhuc regij odij experimenta quærebat. 1.Reg.20. vt benè notauit Caietanus, & rationem reddit his verbis. *Solutio est, quòd quemadmodum quòd vellent miseri, facilè credunt, ita magnates miseriam sibi imminentem, eo quòd multùm abhorreant, quamuis credant, certiorem fieri properant.* Prædicit Christus Discipulis passionem: *Tradetur*, inquit, *gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum.* Luc.18.32. Quid clarius? quid manifestius? Addit tamen Textus: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istum absconditum ab eis.* Vtique quia Præceptoris necem non amabant. Obscuriùs quidem, & sub exaltationis metaphora Scribis, & Pharisæis Dominus annuntiat dicens: *Oportet exaltari filium hominis, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ioan.12.32. Vix tamen hostes audiunt, cùm intimè penetrant dicentes: *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis.* ibidem.34. Ecce quam facilè id, quod cupiebant, ac iam meditabantur, intellexerint, quod benè notarunt Augustinus, Beda, Rupertus, & alij apud Ioann. Maldonatum ibidem. Vnus pro cunctis sufficiat Augustinus. *Hoc cum dixisse intelligebant, quod facere cogitabant. Non ergo eis verborum istorum obscuritatem aperuit infusa sapientia, sed simulata conscientia.* Hæc ille, & Nazianzenus Orat. 4. in Iulia. *Facilè impostura facit, quidquid delectat.*

MORAL. Author Catenæ. Lira. Sanctius. Rangol. Abul. Seneca Tragic. Marcus Seneca. 1.Reg.20. Luc.18.32. Ioan.12.32. Ibidem 34. Augustin. Beda. Rupert. Maldon. Nazianz.

VERSVS XXII.

Vulgata. Assumens itaque Samuel Saulem, & puerum eius; introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant inuitati: erant enim quasi triginta viri. Vulg.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Assumpsit autem Samuël ipsum Saül,& puerum eius,& introduxit eos in cœnaculum, & dedit eis locum in capite inuitatorum,qui erant fermè triginta viri.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Apprehendens itaque Samuël Saülem, & puerum eius, introduxit eos in cameram, dedítque eis locum præcipuum inter eos, qui inuitati erant, quorum fermè erant triginta viri.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm.in Regia.* Et accepit Semuël Saülem & puerum eius, & introduxit eos ad consessum, & dedit illis locum in capite inuitatorum, & illi quasi triginta viri.

Compl. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et assumpsit Samuël Saul,& puerum eius,& introduxit eos indiuersorium, & ordinauit eis locum in primis vocatorum quasi triginta virorum.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et sumpsit Samuël Saulem, & puerum eius, & introduxit eos in diuersorium, & posuit eis ibi locum in primis vocatorum,circiter septuaginta virorum.

PP ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Assumens itaque Samuel Saulem.* Gregor. lib.4.Variar. cap.4. Samuël Saul assumit, quando prædicator sanctæ Ecclesiæ electo auditori suæ alta prædicationis aperit;assumitur quippe subditus quando per verbum Doctoris, in cognitionem cœlestium eleuatur.

Mystic. Rabban. 2 *Assumens itaque Samuel Saulem.* Rabban.ibi. Quòd Samuël Saulem in excelsum duxit, refectionem tribuit, significat Prophetas populum Hebræum doctrinâ suâ ad altiora prouocantes, vt scientiâ spirituali refectus in culmine virtutum consistat,nec relabatur ad vitia.

Histor. Ioseph. 3 *Assumens itaque Samuel Saulem.* Ioseph.lib.5. Antiquitat.cap.5. Propheta autem deductum eum ad conuiuium,accumbere fecit, & famulum supra alios vocatos:erant hi septuaginta numero.

Histor. Comest. 4 *Assumens itaque Samuel Saulem.* Comestor. in Histor.Schol.cap.10. Ascenderunt in excelsum; ante Templum enim licebat sacrificare in excelso.

Literal. Liran. 5 *Assumens itaque Samuel Saulem.* Liran. ibi. Ostenditur qualiter Saul à Samuële fuit honorificè susceptus,tanquam Rex de proximo futurus.

Literal. Mendoza. 6 *Assumens itaque Samuel Saulem.* Francisc. Mendoza ibi.§.1. Saul quo magis se regno indignum prædicabat,eo dignior apparebat. Vnde à Samuële arctiùs tenebatur, quod fortasse significat verbum illud, *Assumens*, quasi per violentiam eum teneret,ne elaberetur.

Tropol. Author Catenæ. *Humilitas ianua Honoris.* 7 *Assumens itaque Samuel Saulem.* Author Catenæ. Regij splendoris honorem Saul humilis refugit, sed tunc eius redditur quàm maximè dignus; quod etiam innuere videtur particula,quæ additur *itaque*, quæ illatiua est; namque ab humilitate, frugalitate,& modestia ad,honorem, & dignitatem bona est consequentia. Quam quidem ad præsens infert Gregor.lib.4.Variar.cap.4. *Sed quia,* inquit, *quanto plus se humiliant iuxta Veritatis vocem,amplius exaltantur*, sequitur: *Assumens itaque Samuel Saulem,introduxit,&c.* Nusquam enim ad gloriam certiùs, vel citiùs quàm ipsius gloriæ despectione peruenitur.Quocirca Ennodius Ticin. in 4.Synodo coram Simmaco Papa, quæ habetur tom.2.Concilior.editionis Venetæ diserte ratiocinatur his verbis. *Sic enim milites Christi sudore suo honorum sibi incrementa parturiunt, dum concessa fastigia celsiori humilitate castigant; inde laudum cumulos mercaturi, vnde indempta culmina sublimi parcitate moderantur.* Et iterùm scribens Auieno; *Præcelis honorum tuorum apices: hæc sola recipiuntur augmenta, quæ de humilitate nascuntur.* Sanctus quoque Sidonius Apollinaris accedat Epist.3.in lib.1. *Raro genere exempli alterutrum tuam humilitate sublimas.*

Greg. Ennodius. Conc.4. Roman. Ennodius. Sidonius. Apollin.

Mystic. Gregor. 8 *Et puerum eius.* Gregor. suprà. Non solùm ipsum Saul, sed etiam eius assumpsit puerum,quasi enim sine puero in imis remansserat,qui dicebat: *Cor meum dereliquit me*: Psalm.37. Cor quippe nostrum nos derelinquit, quando sic à concupiscentiis carnalibus vincimur, vt intentionem cordis in terrenis, & carnalibus, atque corporeis, & non in cœlestibus, & spiritualibus ponimus.Hunc puerum prædictum inuenerat,qui dicebat: *Inuenit seruus tuus cor suum*; cor quippe nostrum inuenimus, quando per intentionem cordis spiritualia quærimus.

Mystic. Gregor. 9 *Introduxit eos in triclinium.* Gregor. ibidem. In triclinium introducuntur, quia eis charitatis latitudo monstratur; velut enim in triclinio ponitur qui per id, quod altum dicit, moratur in latitudine charitatis.

Literal. Lira. *Triclinium quid?* 10 *Introduxit eos in triclinium.* Lira. ibi. Triclinium, propriè loquendo, est camera, in qua sunt tres ordines lectorum: hic autem accipitur pro loco, in quo sunt tres ordines sedium ad comedendum, scilicet maiorum, mediorum, & minorum, quia antiquitùs homines sedendo in lectis comedebant. Vnde & in sacra Scriptura comedentes, frequenter dicuntur recumbere, vel accumbere.

Literal. Abul. *Triclinium quid?* 11 *Introduxit eos in triclinium.* Abul.ibi.quæst. 16.Quia in excelso erat Altare, in quo fiebant immolationes, & quia populus aliquoties offerebat hostias pacificas, de quibus maxima pars proueniebat ipsis offerentibus,oportebat vt haberent circa Altare locum, in quo epularentur,cùm de offerentibus dicatur, quòd deberent epulari coram Domino, Deuter.12. & 16.Ad hoc ergo fuerat in excelso quædam domus magna, dispositа ad conuiuia:& ista erat triclinium, idest habens tres ordines mensarum, & dicitur à *tris*, quod est tres, & *cline*,quod est accubitus, vel acclinatio, quasi triplex accubitus.

Morat. Mendoza. Septuag. *Regni Saulis, breuitas.* 12 *Introduxit eos in triclinium.* Francisc. Mendoza ibi.§.4. Septuaginta vertunt *in diuersorium*, vbi obiter nota Saulem non sine mysterio in diuersorio Regem declarari, in quo non domicilium,sed hospitium habetur, vt eius regnum non diù permansurum, sed breui transiturum, significetur.

Literal. Author Catenæ. *Triclinium quid?* 13 *Introduxit eos in triclinium.* Author Catenæ. Licet certa sit triclinij etymologia ab Abulensi assignata; vulgarius tamen hic accipitur pro quauis camera ad conuiuium idonea. Nec enim certum est Samuëlis tempore Hebræos lectulis, seu thoris discumbentes epulari; immò contrarium colligere licet ex pluribus Scripturæ locis.Gen.43. 33.Iosephi fratres ad epulum inuitati *Sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua*; vt notauit expressè Philo Iudæus lib. de Ioseph. *Iussi sunt*, inquit, *sedere iuxta ætatis ordinem; nondum enim discumbendi mos receptus erat.* Exod.32. 6. *Sedit populus manducare.* Prouerb.23.1. *Quando sederis, vt comedas cum Principe.* Ecclesiastici.31.12. *Supra mensam magnam sedisti*: Postea tamen

Gen.43.33. *Hebræi olim sedentes edebant.* Philo. Exod.32.6. Prou.23.1. Eccl.31.12.

tamen accumbendi consuetudo ex Persis, aliisque gentibus accessit.

Mystic. Gregor. 14 *Et dedit eis locum in capite.* Greg. suprà. Benè Saül cum puero suo locum in capite eorum, qui inuitati fuerant, sortiuntur, quia in eis eligendorum pastorum typus ostenditur. In capite quidem rector statuitur, quando per vim magni amoris supernæ vitæ singulare propositum accipit: cùm fidem catholicam cum cæteris communiter tenet, sed præ cæteris virtutem sublimem.

Literal. Moral. Abul. *Serui propter herum honorandi.* 15 *Et dedit eis locum in capite.* Abul. ibi q. 16. In hoc patet, quod Samuel inuitabat omnes istos, cùm dicatur, quòd *dedit eis locum in capite.* In hoc valde honorauit Samuel Saülem, quia non solùm posuit in capite mensæ, sed etiam puerum suum, quia propter Saulem etiam puer suus erat honorandus; maximè quia fortè Samuel præuiderat istum puerum esse ad magnum honorem eleuandum, quia Saül in Regem constituendus esset immediatè, & iste puer erat nimis familiaris Sauli, verisimile est, quòd Saül eum in aliquo honore præficeret. Eum igitur voluit honorare Samuel.

Literal. Caiet. 16 *Et dedit eis locum in capite.* Caiet. ibi. Hospitibus siquidem honorem exhibuit.

Literal. Salian. 17 *Et dedit eis locum in capite.* Salian. tom. 3. annal. ann. Mundi. 2962. num. 58. Fortasse Saüli à dextris Samuel, & à sinistris famulus eius accubuit, quo referas licet illud: *Et comedit Samuel cum Saule die illa*; alioquin cum aliis quoque triginta comedit.

Literal. Author Catenæ. Irenæus. Iacob. Bil. Ducæus. *Quis locus honoratior.* Tullius. Posid. Stoicus. Athenæ. Luc. 14. 10. 18 *Et dedit eis locum in capite.* Autor Catenæ. Difficilia sunt circa hunc locum verba Irenæi lib. 1. aduersùs Hæreses c. 15. ibi. *Per Samuelem declinantem Saul.* Quæ Iacobus Bilius declarat legens: *Per Samuelem, qui Saulem inter eos, quos ad epulas inuitauerat, primo loco collocauit;* Fronto verò Ducæus rectius legit: *Per Samuelem reclinantem Saul.* Quia scilicet eum fecit, lectulo suo, vnde ederet, reclinare. An verò assignatus Saüli locus præ cæteris honoratior fuerit, posset dubitari; apud Romanos enim, vt constat ex Tullio epist. 26. in lib. 11. medius locus honorificentissimus fuit. Idem etiam apud Celtas obseruari Autor est Possidonius Stoicus apud Athenæum libr. 4. apud Hebræos tamen locus primus maiori æstimatione habebatur, vt colligitur ex Euangelio: *Cùm inuitatus fueris ad nuptias recumbe in nouissimo loco.* Luc. 14. 10.

Literal. Abul. Ioseph. 19 *Erant enim quasi triginta viri.* Abul. ibi, q. 16. Ioseph. dicit lib. 6. c. 4. quòd erant quasi septuaginta viri. Sed cùm Scriptura dicat triginta, oportet intelligi non fuisse plures; nisi fortè diceretur, quòd isti triginta essent segregari: erant enim alij quadraginta seorsum discumbentes; & quia illi principaliter non pertinebant ad conuiuia, non curauit Scriptura de illis.

VERSVS XXIII.

Vulgat. VVlgata. Dixitque Samuel coco: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, vt reponeres seorsum apud te.

Benedict. *Benedict. in marg.* Quam dedi tibi, & de qua dixi tibi, repone eam apud te.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Dixitque Samuel coquo: Da partem, quam dedi tibi, quam dixi tibi; pone eam tecum.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Dixit autem Samuel ad cocum: Da partem, quam dedi tibi, de qua dixeram, vt eam apud te reponeres. Vatabl.

Chaldaica ex Bened. Ariasm. in Regia. Et dixit Semuel ad cocum: Da partem, quam dedi tibi, quam dixi tibi pone eam tecum. Ariasm.

Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et dixit Samuel coco: Da mihi partem, quam dixi tibi, vt poneres eam apud te. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixt. Et dixit Samuel coco: Da mihi partem, quam dedi tibi, quam dixi tibi, vt poneres eam apud te. Sixtia.

Interl. Regia. Dixitque Samuel coco: Da distributionem, quam dedi tibi. Inter. Reg.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. *Armus quid?* 2 *Da partem, quam dedi tibi.* Gregorius libr. 4. Variarum cap. 4. Quid in armo pectoris, nisi fortitudo signatur actionis; quæ à Samuele coco tribuitur, quando à summis Prædicatoribus, minoribus demonstratur; coci enim Sacerdotes sunt, quia dum electis fidelibus in feruore spiritus loquuntur, cibos mentis velut per ignem cocunt; sed pars quæ datur, posita seorsum dicitur, quia fortitudo boni operis in prædicatore debet esse singularis.

Histor. Ioseph. 2 *Da partem, quam dedi tibi.* Iosephus lib. 6. Antiquit. c. 5. alias 4. iussit ministris, vt Saulo portionem regiam apponerent.

Literal. Lira. 3 *Da partem, quam dedi tibi.* Liranus ibi. Quia ferculum nobilius, vel gratiosius fecerat poni ad partem, vt coram Saüle venturo poneretur, quia volebat eum præ cæteris honorare, tanquam Regem de proximo futurum, & iam à Deo electum.

Literal. Author Catenæ. Gloss. Charen. Liran. Abul. Mendoza. Rabbi Salomon. 4 *Da partem, quam dedi tibi.* Autor Catenæ. Quæritur, quando hanc Samuel coco partem dederit? Certum est non dedisse, dum conuiuium ipsum celebraretur, vt voluerunt Glossa, & alij quibus inclinatur Charensis, asserentes quo tempore Saul accesserit, vel conuiuium peractum iam esse, vel inceptum, quos Liranus, Abulensis, & Mendoza manifestè conuincunt, tum ex verbis puellarum: *Antequam ascendat excelsum ad vescendum*; tum aliis argumentis. Placet potiùs Abulensis sententia, quæst. 9. Samuelem quidem priùs excelsum ascendisse, & pacificas hostias immolasse; tum coco hostiarum partes pro conuiuis distribuisse, vt docet etiam Rabbi Salomon; tum denique in domum suam descendisse, reuersurum postea in excelsum cum Saule, quem iam præstolabatur; inuentum autem ad conuiuium secum duxisse, & à coco distributionem Sauli assignatam exegisse. Cùm verò Samuel Sauli dicit: *Ecce quod remansit.* vers. 24. non aliud indicat quàm eidem fuisse destinatum ante conuiuij celebrationem.

Literal. Abul. 5 *Vt reponeres seorsum apud te.* Abulens. ibi. quæst. 16. Ideò de illa parte præceperat specialiter, quòd custodiretur, ne iummisceretur inter cæteras. Disposuerat enim Samuel quantum dandum esset aliis inuitatis; & quoniam ista pars erat solemnior, iussit eam specialiter custodiri pro Saule. In hoc autem apparet, quod istud conuiuium factum fuerat propter Saulis aduentum.

VERSVS XXIV.

Vulgat. **Vulgata.** Leuauit autem cocus armum, & posuit ante Saül. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede: Quia de industria seruatum est tibi, quando populum vocaui. Et comedit Saul cum Samuele in die illa.

Benedict. *Benedict. in marg.* Leuauit autem cocus armum, & quod erat super ipsum. Comede, quia ad hoc tempus seruatum est tibi.

Glossa. *Textus Gloss. in marg.* Leuauit autem cocus coxam, & quod erat super illum. Comede, quia in istud tempus seruatum est tibi.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Et leuauit cocus armum, & quod erat super eum, & posuit ante Saül, & dixit: Ecce quod remansit, pone ante te, comede: quia pro hoc tempore seruatum est tibi, dicendo, populum inuitaui. Comeditque Saul cum Semuel in die illa.

Vatab. *Hebraïc. ex Franc. Vatab.* Sustollens itaque cocus armum, & quod supra ipsum erat, apposuit Saüli, & ait (*Samuel*:) ecce quod reliquum est, pone ante te, & comede; nam ad tempus constitutum seruatum est tibi, cùm dicerem inuitaui populum. Epulatus est igitur eo die cum Samuele.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Extulit cocus armum, & femur eius, & posuit ante Saul, & dixit: Ecce quod relictum est, pone ante te, comede, quia ad tempus seruatum tibi dicendo: Populum inuitaui ad conuiuium. Et comedit Saul cum Semuel in die illo.

Complut. Regia. *Graca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et leuauit cocus armum, & quod in eo, & apposuit eum coram Saul; & dixit Samuel Saul: Ecce quod remansit, appone ipsum ante te, & comede, quoniam in testimonium positum est tibi à populo; carpe. Et comedit Saul cum Samuele in die illa.

Sixtian. *Grac. ex Sept. in Sixtia.* Et coxerat cocus armum, & apposuit illud coram Saul, & dixit Samuel, Sauli: Ecce quod remansit: appone illud coram te, & manduca: quoniam in testimonium est positum tibi præter alios. Carpe. Et comedit Saul cum Samuel in die illa.

Aquil. Theodor. *Aquila, & Theod. q.* 19. Et leuauit cocus Koleam, pernam, seu tibiam.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Leuauitque cocus armum, & super eum, *vel vt alij putant* & caudam.

Isidor. Clar. *Isidor. Clarius ibi.* Leuauit autem cocus armum, *& quod erat super ipsum.*

Idem. *Idem ibidem.* Quia *ad hoc tempus seruatum est tibi.*

PP. ET AVCTORES.

Literal. Theodor. 1 *Leuauit autem cocus armum.* Theod. ibi. q. 19. Koleam, seu pernam tibiam. Eam autem ei apposuit, tanquam regnaturo, & pro populo periculum adituro; hoc enim subiecit: *Ecce in testimonium positum est tibi à populo.*

Literal. Idem. Aquila. 2 *Leuauit autem cocus armum.* Idem ibid. q. 21. Koleam, seu pernam editio Aquilæ scribit, enemen, seu tibiam; ea est autem crus, Kolea enim est, quod est post femur. Apposuit autem Samuel pernam, seu armum ante Saulem dicens: *In testimonium positum est tibi*, hoc est in signum honoris, vt qui iis aliis præpositus, & indicium regni. Nam sicut hæc, cùm sint breuiora aliis membris animalis, portant totam molem compacti corporis, & firmiter fulciunt; ita etiam regium robur etsi ad vnum virum contrahitur, sustinet totum corpus, & non sinit cadere.

Literal. Abul. 3 *Leuauit autem cocus armum.* Abul. ibi q. 16. Leuare, est de olla educere. Sic accipitur suprà c. 2. *Et omne, quod leuabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi.*

Literal. Procop. Symmacus. Theodot. Aquila. 4 *Et posuit ante Saül.* Procop. ibi. Hanc partem Saüli apposuit, quandoquidem regnaturus, & maiora pericula, quàm ipse populus subiturus erat, & propterea testimonium hanc partem appellat. Symmachus verò pro *testimonio, residuum* exposuit; & pro illo, *quod in testimonium, appositum est tibi; quod de industria tibi reseruatum est.* Illud verò *à populo* Theodotius exposuit *dictum est populum nominauit*: Aquila verò, *quod dicat populum vocari.*

Moral. Gullielm. *Regis officium?* 5 *Et posuit ante Saül.* Ioannes Gullielmus lib. 2. Antiquitat. Conuiual. cap. 33. Quòd armus in sacrificiis pars esset Sacerdotum propria, Samuël hoc symbolo id admonere voluit, vt Rex factus cum Sacerdotibus coniunctè viueret; ita enim beatum, & florens futurum ipsius regnum. Secundò, quòd cùm armus maximè valeat ad onera ferenda, Saül cogitaret se non ad iocum, ad lusum, ad voluptates, sed ad maxima onera ferenda, atque sustinenda vocari.

Literal. Moral. Mendoza. *Armus Saulis quid?* 6 *Et posuit ante Saül.* Francisc. Mend. ibi §. 11. Saüli armus sine pectusculo apponitur, vt significetur, illum quidem habituum fortitudinem ad superandos hostes, caritatem tamen sapientia ad moderandos proprios affectus: aut etiam habiturum fortitudinem in hostes, non tamen charitatem in ciues. Nec sine mysterio armus sinister Saüli appositus est, vt diximus, cùm Sacerdoti non nisi dexter offerri consueuerit; vt sinistra, & infœlix Saulis fortitudo ostenderetur, qua alios quidem vincere potuit, seipsum vincere non potuit.

Moral. Gregor. *Bonorū operum necessitas?* 7 *Ecce quod remansit, pone ante te.* Greg. lib. 4. Variar. cap. 4. Remansit quidem, quia non omnia nostra Christus expleuit. Per Crucem quidem suam omnes redemit; sed remansit, vt qui redimi, & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò residuum vidit, qui dicebat: *si compatimur, & conregnabimus.* Quasi dicat: Quod expleuit Christus non valet, nisi ei, qui id, quod remansit, adimplet. Hinc B. Apost. Petrus dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* Hinc Paulus ait: *Adimpleo ea, que desunt passioni Christi, in corpore meo.* 1. Petr. 2.

Literal. Gregor. Moral. Prou. 23. 8 *Ecce quod remansit, pone ante te, & comede.* Idem ibidem. Notandum, quia armum ante Saül cocus posuit, & tamen Samuël Saül præcipit, vt ante se eum ponere debeat. Quid est hoc? Sed ponere ante discumbentes dapifer in mensa ferculum solet, quod dum is, qui discumbit, trahit ad se, illud ponit ante se viciniùs, quod paulò longiùs erat ante se. Cocus ergo ponit armum ante Saül: Samuël Saül præcipit, vt ponat ante se, quia hoc, quod nouo Prædicatori iniungitur, de fortitudine boni operis, velut ad se propiùs debet trahere per studium considerationis. Quod etiam, postquam ad se traxerit, comedit, quia diu consideratum agere disponit. Armum quippe manducare, est quod exteriùs de forti actione præcipitur, per propositum in mente recondere. Quasi enim armum ante se ponere, & manducare electo cuique suadebat, qui dicebat: *Si sederis ad mensam potentis, sapienter*

pienter attende quæ apponuntur tibi, quia similia oportet te præparare.

LITERAL. Abul. *Armus qui Sanctis datus?*

9 *Ecce quod remanserat, &c.* Abul. ibi quæst. 18. Non est sensus quòd ille mansisset postquam alij comederunt, sed dicitur, quòd remansit, idest quòd separatum est, vel repositum, quoniam cùm Samuël dedisset coco carnes pro conuiuis, illam partem separauit pro Saüle.

LITERAL. Auth. Cat. Aquila. Caiet.

10 *Pone ante te, & comede.* Autor Catenæ. Si loco armi pernam, aut tibiam legamus cum Aquila, seu caudam cum Caietano, nulla est difficultas. Cæterùm cùm Vulgata *armum* transferat, & pene omnium veterum Interpretum accedat autoritas, difficultas est ex lege Leuit. 7. 32. armum vni Sacerdoti designante, & ab eo extraneos auertente; qui ergo vel Samuël eo potuit defraudari, vel Saül eo velci, cùm profanus esset? Placent Abulensis rationes; quas præter, respondeo primò Samuëlem, licèt ex Dei dispensatione pacificas hostias obtulerit, verè Sacerdotem non fuisse; & per consequens non ad eum armum dextrum necessariò pertinuisse. Respondeo secundò potuisse quidem armum etiam dexterum Saüli apponere comedendum ex speciali Dei inspiratione, nec mirum id videndum fore, cùm & offerre extra Tabernaculum, & immolare non Sacerdoti ex eadem Dei dispensatione, iuxta nobiliorum Interpretum sententiam eidem licuerit. Cùm autem Textus armum indeterminatè dicat, potiùs dextrum intelligi oportet, vt supponat pro famosiori.

Leuit. 7. 32.

Abul.

MYSTIC. Greg.

11 *Quia de industria seruatum est tibi.* Gregor. suprà. Quasi dicat: Pone ante te, quod antequam apponeretur, ergo posui ante me. Considera quod ego consideraui; de industria quippe pars armi seruatur, quia fortissima Prædicatoris actio illi benè committitur, qui à summis viris magna consideratione dignus tanto ministerio iudicatur.

LITERAL. Glossa Ordin.

12 *Quia de industria seruatum est tibi.* Gloss. Ordin. ibi. Idest de prouidentia: datur intelligi, quòd iam comederant, licèt non plenè, quia reuelante Domino, quòd veniret Saül, conuiuium dilatum est.

LITERAL. Lira.

13 *Quia de industria seruatum est tibi.* Liran. ibi. Idest vltra numerum populi à me inuitati.

LITERAL. Abul.

14 *Quia de industria seruatum est tibi.* Abul. ibi quæst. 17. Quæret aliquis, quomodo potuit seruari armus pro Saüle, quia istæ carnes, quæ dabantur inuitatis, erant partes sacrificiorum pacificorum, de quibus semper armus, & pectusculum veniebat in ius Sacerdotum immolantium. Saül autem non erat Sacerdos; ideò non poterat accipere istam partem. Dicendum, quòd potuerunt alia animalia occidi præter illa, quæ immolata sunt in sacrificium, & de illis acciperetur armus. Vel aliter potest dici, quòd dato quòd omnia animalia, quorum carnes comedebantur ab inuitatis, fuissent immolata in hostias pacificas, poterat manere armus pro Saüle; de quolibet animali immolato in hostiam pacificam, proueniebat Sacerdoti solum pectusculum, & armus dexter. Leuitic. 7. ego armus sinister cedebat in ius populorum; & iste poterat apponi Saül.

Leuit. 7.

LITERAL. Abul.

15 *Quia de industria seruatum est tibi.* Idem ibid. In quo volebat significare Samuël, quòd aduentus Saülis non fuit sibi inopinatus, sed ante hoc cognouerat illud.

MYSTIC. Gregor.

16 *Et comedit Saul cum Samuele.* Greg. suprà. Samuël in die illa, vt iam dixi, cum promouendo Doctore comedere, est hoc, quod sibi præcipitur, se ad faciendum præparare.

VERSVS XXV.

Vulgata. Et descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est cum Saüle in solario: Straüitque Saül in solario, & dormiuit. — Vulgata.

Text. Gloss. in marg. Et locutus est cum Saüle in solario cumque mane, &c. Et *in marg.* Cum Saüle super tectum. — Glossa.

VERSIONES.

Hebr. ex Xantes Pagn. Descenderúntque de Bamah in ciuitatem, & locutus est cum Saül super tectum. — Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Et cùm descenderent de excelso in ciuitatem, locutus est cum Saüle super tectum. — Vatab.

Chaldaic. ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et descenderunt de domo consessus ad vrbem, & locutus est cum Saüle super tectum. — Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et descendit ex excelso in ciuitatem, & strauerunt Saüli in solario, & dormiuit. — Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et descendit de Bama in cuitatem, & strauerunt Saül super solarium, & dormiuit. — Sixtia.

Lucas Brugens. ibi. Et locutus est cum Saüle in solario, cúmque mane surrexissent. Ita legendum est; nam quod intericitur: *Straüitque Saul in solario, & dormiuit*, non solùm non habent Hebræi Codices, sed nec Latini D. Donatiani vnus. Sancti Germani duo. Hentenei duo, Hunnæi quatuor, Plantini vnus, Regius ex Complutensi Textus adiunctus Glossæ Ordinariæ, Bellarionici Codicis margo prætermittendum monet. Denique corrector in antiquis Bibliis non haberi testatur, & Venerabilis Beda hunc locum edisserens non legit. — Lucas Brugens. Donat. S. Germart. Henten. Hunnæ. Plantin. Complut. Bessario. Beda.

Caietan. ibi. Clausula hæc: *Straüitque Saül in solario, & dormiuit*, superflua est, eo quòd in Hebræo non habetur. — Caiet.

Autor Catenæ. Straüitque Saül in solario, & dormiuit. Sic habent Bibliæ nuperrimè correctæ: sic etiam Benedictina; Stephani Roberti, & Plantini: Abest tamen à suprà relatis, ab Isidoro Clario, & ab aliis pluribus; Græca verò exemplaria aliquot carent illa clausula: *Et locutus est cum Saule in solario*, sed eius loco legunt, *& strauit*, seu *strauerunt Saül in solario*. Sed quidquid alij dicant, & pro viribus reclament Brugensis, & Caietanus, Vulgatæ nuper correptæ potiùs adstandum est. — Author Catenæ. Benedict. Robert. Stephan. Plantin. Isidor. Clarius. Brugens. Caietan.

PP. ET AVCTORES.

MORAL. Greg. *Prælati officium.*

1 *Et descenderunt de excelso in oppidum.* Greg. lib. 4. Variar. cap. 4. Quicumque ad celsitudinem curæ pastoralis assumitur, in eadem ordinis sui sublimitate habere debet, & propriæ vitæ altitudinem, & alienæ infirmitatis compassionem. Ascendat ergo Saül cum Samuële, descendat in oppidum. Sciat rector quæ agat alta: sciat, quæ disponat communia: dicat cum Paulo: *Nostra conuersatio in cœlis est*: dicat nobiscum: *In fœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Roman. 7. *Video aliam legem contradicentem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati.* — Philipp. 3. Rom. 7.

LITERAL. Abul.

2 *Et descenderunt de excelso in oppidum.* Abul. ibi quæst. 18. Excelsum vocatur hic quidam locus arduus

arduus in ciuitate, in quo non erant domus, sed Altare Dei, & illa domus, quæ vocatur Triclinium.

Tropol. Author Catenæ. *Doctor qualiter compatiatur.*

3 *Et descenderunt de excelso in oppidum.* Autor Catenæ. De excello contemplationis vertice, & perfectæ conuersationis culmine Doctor descendat ad animarum procurandam salutem, necesse est, ita etiam vt iliis compatiatur, qui ignorant, & errant, vt omnibus omnia factus, omnes Christo lucrifaciat; ita tamen infirmis fiat communis, vt eorum ramen scandalis non trahatur, Paulum potiùs æmuletur, qui aiebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2. Cor 11. 29 *Quis scandalizatur, & ego non vror?* Cum infirmis infirmari se affirmat, cum scandalum tamen passis non scandalizari, sed vri, zeli scilicet ardoribus agi. Rem totam satis expressit Gregorius ad Gregor. præsentem locum sic fatus: *Samuel Saul ad excelsum tulit, & in oppidum deposuit, quia summi viri cùm sanctæ Ecclesiæ culmen ordinant, illos, quos in eodem culmine ponunt, docent sublimiter vivere: plana prædicare: sibi esse rigidos, sed subditis temperatos. Sic attendere propria salute, vt cum infirmis possint infirmari; infirmari dixerim per affectum mentis, non per languorem interna agritudinis. Nam si per mentis languorem Doctor iacet, curare ægros, & iacentes erigere non potest.*

Mystic. Beda. 4 *Et locutus est cum Saule.* Beda lib. 2. expos. Allegor. cap. 2. Locutus est Ioannes cum Domino in lumine cognitæ diuinitatis illius: solarium quippe (quod nomen trahit, ex eo quòd præ altitudine sui, priùs ædificiis inferioribus orti Solis iubar excipiat) illorum nimirùm corda significat, quibus à terrenis desideriis diuino timore suspensis, familiarius oritur Sol iustitiæ.

Literal. Moral. Lira. 5 *Et locutus est cum Saüle in solario.* Liran. ibi. Id est in secreto loco. De quo autem ibi locutus fuerit, non exprimitur, sed Hebræi dicunt, quòd fuit de timore Dei, & lege seruanda.

Literal. Abul. 6 *Et locutus est cum Saule in solario.* Abul. ibid. quæst. 18. Id est in parte domus discooperta, scilicet super tectum; dicitur enim solarium à Sole. Illæ autem domus, quæ Solem ex omni parte suscipiunt, solaria vocantur. Sic autem est, quoniam domus non sunt tectæ, & intrat Sol. Hoc autem fiebat in terra Iudæorum, quia tecta domorum erant plana, & de terra, vel lateribus, ita vt possent super ea ambulare viri. Ascendebant autem Iudæi ad illa loca, & ibi habebant sua solaria.

Literal. Idem. 7 *Et locutus est cum Saüle in solario.* Idem ibid. Verisimile est, quòd cùm iam Samuël sciret Saülem futurum Regem, & hoc ei denuntiasset, quod diceret ei aliqua pertinentia ad institutionem Regis, scilicet, qualiter iste se deberet habere ad subditos, & qualiter ad Deum.

Literal. Moral. Carth. 8 *Et locutus est cum Saüle in solario.* Carth. ibid. art. 7. Locutus est Samuël de pertinentibus ad salutem cum Saül, admonendo eum ad meliora.

Literal. Caiet. 9 *Et locutus est cum Saule in solario.* Caiet. ibi. Quid locutus fuerit, non est scriptum, sed creditur quòd tunc indicauit Saüli quidquid erat in corde eius, vt promiserat.

Tropol. Author Catenæ. 10 *Et locutus est cum Saule in solario.* Author Catenæ. Solarium est supremum domus tectum, quod quidem apud Palæstinos, & planum erat, & cœlo patens (Hispani *terrado* vocant) vbi & deambulandi, & confabulandi, (certis enim vndequaque cancellis circumdabatur ex lege Deut. 22. 8. Deuteronomij 22. 8. ne ruinæ pateret aditus) seu etiam ad populum concionandi; vt docent Remigius, & Remig. Glossa Ordin. ad cap. 4. Matt. accommodus erat Glosſ. Ordin. locus, vt apertè colligitur Iosuë 2. 6. Iudicum 16. Iudi. 16. 27. 2. Reg. 11. 2. & 16. 22. & 4. Reg. 23. 12. Isaiæ 15. 3. Matt. 10. 27. Marci. 13. 15. Luc. 12. 3. De quo Maldonatus Matt. 4. 5. & Barradas plura. Maldonat. Barrad. Hieronymus etiam Epist. 135. ad Iuniam, & Fretelam. Ibi ergo Samuël Saülem a dloquitur, & optimis documentis instituit. Apta quoque fuit ad doctrinæ excellentiam loci celsitudo, vtpote cœlo proximioris. Nam simili arte sanctum Spiritum Apostoli excepturi non inferioribus domus, sed in suprema ædium parte constiterant, vt notauit Nazianzenus. *Propter eorum, qui accepturi sunt ascensionem.* Hieron. Nazianz.

11 *Stravitque Saul in solario.* Gregorius suprà. Dormire (*nouus Prædicator*) debet, vt sæcularia nulla cogitet, quia spiritualia disponere oppressus sæcularibus nunquam potest. Sed & dormire non poterit, qui sibi non stemit, quia nimirùm si bonorum exempla, siue dicta non cogitat, impossibile est, vt ab exterioribus requiescat. Vel vt mollia quidem nobis subiicimus, quando Doctorum doctrinam, aut vitam cogitamus: in iisdem quoque stramentis dormimus, quia quiescere tunc benè consideratione possumus, quando in rebus spiritualibus occupamur. Mor. a. Gregor. *Dormire quid?*

12 *Stravitque Saul in solario.* Iosephus libro 6. Antiquitat. cap. 5. Cùmque iam hora dormiendi adesset, alij quidem surgentes, domum quisque suam reuertebatur. Saulus verò apud Prophetam cum famulo pernoctauit. Histor. Ioseph.

13 *Stravitque Saul in solario.* Abul. ibi. quæst. 18. Literal. Saul est in datiuo, & est sensus, quod Samuël strauit, id est parauit lectum Sauli in solario, scilicet in parte superiori domus discooperta, & hoc fortè, quia tempus erat vernale, vel æstiuale, & erat gratum ibi dormire, potissimùm quia terra illa calidior est magis quàm ista, cùm sit partim in tertio, & partim in quarto climate. Abul.

14 *Stravitque Saul in solario.* Vatabl. in Schol. Literal. Vt scilicet familiariter illi loqueretur. Solebant autem deambulare præcipuè post cœnam in tecto, nam erant plana tecta: non similia nostris. Vatab.

VERSVS XXVI.

Vulgata. Cúmque manè surrexissent, & iam eluceseeret, vocauit Samuël Saülem in solario, dicens: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saül, egressique sunt ambo, ipse videlicet, & Samuël. Vulgata.

Textus Glossa. Cùmque manè surrexissent, & iam dies luceseeret, vocauit Samuël Saül in solario, *seu* super tectum. Gloss.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et surrexit manè: & fuit cùm ascenderet aurora, vocauit Semuel Saül ad tectum, dicendo: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saül, & egressi sunt ambo ipse, & Semuël foras. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Manè cùm surrexissent, aurora exoriente, vocauit Samuël Saulem super tectum, & dixit: Surge vt dimittam te: & Saul surrexit, egressique sunt ambo ipse, & Samuël foras. Vatab.

Chald. ex Bened. Ariasm. in Regia. Et anticipauerunt, & fuit cùm ascenderet manè, & vocauit Semuël Saülem ad tectum, dicendo: Surge & dimittam te. Et surrexit Saül, & exierunt ambo illi, ipse, & Semuël foras. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et factum est, vt ascendit crepusculum, & locutus est Samuël Complut. Regia.

Saül

Saül in solario dicens: Surge dimittam te. & surrexit Saül, & egressus est ipse, & Samuël vsque extra.

Sixtia. *Grac. ex Sept. in Sixtia.* Et factum est, vt ascendit diluculum, & vocauit Samuël Saulem in solario dicens: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saül, & exiit ipse, & Samuel vsque foras.

Greg. *Greg. lib. 4. Variar. cap. 4.* Plerique Codices habent: *Cùmque manè surrexissent, antequam diluceſceret.*

Author Catenæ. Beda. *Autor Catenæ.* Plura Exemplaria habent de plurali. *Surrexissent*, sed correctissima de singulari, nempe de Samuele. Beda verò: *Cum enim manè.*

PP. ET AVCTORES.

Literal. Gregor. 1 *Cvmque manè surrexissent.* Greg. libr. 4. Variarum cap. 4. Quo in loco est notandum, quia ambo priùs surrexerunt, deinde Samuel Saul vocauit, dicens: Surge & dimittam te. Sed ad historiam si ambo surrexerunt, à somno Saül, quia consurgere præcipitur, ad opus præparari admonetur.

Literal. Abul. 2 *Cùmque manè surrexisset*, Abul. ibi. quæst. 18. Ideſt Samuel, & qui erant in domo sua, Saul enim nondum surrexerat.

Mystic. Gregor. 3 *Et iam eluceſceret.* Greg. suprà. Manè quidem lucescit, quando quietæ menti veritatis splendor se aperit; humana etenim mens per ignorantiam tenebrosa, & per illustrationem veritatis lucida fit. Ignorans ergo in nocte est: cùm illustratur in die. Manè autem surgit, qui dormit nocte, quando ad agenda se erigit ea, quæ per considerationem ordinauit.

Mystic. Idem. 4 *Et iam eluceſceret.* Idem ibidem. Plerique codices habent: *Cùmque manè surrexissent, antequam diluceſceret.* Quod nimirùm intelligi conuenienter potest: mane siquidem, antequam diluceſcat, quando quodammodo aspirare dies incipit, & tamen plena lux diei non est. Prædicatores autem sanctæ Ecclesiæ, dum eorum bonam conuersationem considerant, quos ordinare disponunt, quasi mane est, sed quia eorum futura scire non possunt, mane est, sed antequam diluceſcat. Quod benè in eius ordinatione dicitur, qui omnipotenti Deo postea displicuisse memoratur.

Histor. Ioseph. 5 *Vocauit Samuel Saulem.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 5. aliàs 4. Et cùm primum dies illuxit, Samuel excitatum eum in viam deduxit.

Literal. Caiet. 6 *Vocauitque Samuel Saulem in solario.* Caiet. ibi. Locus, ad quem vocabatur Saül describitur, significatur enim, quòd ascenderet ad ipsum Samuelem ad tectum.

Literal. Author Catenæ. Gregor. Abul. Mendoza. Fortun. Beierl. 7 *Surge dimittam te.* Autor Catenæ. Si vterque, Samuel videlicet, & Saül iam surrexerant, vt innuunt plura Exemplaria, cur denuò vt surgat, monetur à Samuele? Gregorius ad mysticos sensus dilabitur. Abulensis verò non de Saule, sed de Samuele, & eius domesticis expouit. Mendoza verbum *surgere* pro verbo exhortationis sumit, ac si diceret, Eia age. Sed facilùs respondeti potest, iuxta exemplaria correctissima, quæ de singulari, nempe de vno Samuele loquuntur, scilicet: *Cùmq; manè surrexisset.* Sic habent Fortunatiana, & Laurentij Beierlink.

Literal. Abul. 8 *Et surrexit Saul.* Abulens. ibi. quæst. 18. Scilicet obediens immediate Samuelì; etiam quia ipse desiderabat citò redire in terram suam, quia putabat patrem suum grauari ex absentia eius, vt patet suprà.

9 *Egressique sunt ambo.* Greg. suprà. Pastor egreditur, quando à secreto meditationis, venit in publicum operis. Quando enim disponit, quæ vult agere, intus est; quando autem ea agit foris, quæ cogitauit; quasi exit. Mystic. Greg.

VERSVS XXVII.

Vulgata. Vvlgata. Cùmque descenderent in extrema parte ciuitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero, vt antecedat nos, & transeat: tu autem substiste paulisper, vt indicem tibi verbum Domini.

Benedict. *Benedict. in marg.* Dic puero, vt antecedat nos; & *anteceſſit*: tu autem subsiste *ad tempus.*

Glossa. *Textus Gloss.* Vt indicem tibi verbum *Dei.*

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Ipsis descendentibus in extremum vrbis, Semuel dixit ad Saül: Dic puero, vt transcendat ante nos, & transiuit: Tu autem sta hac hora, & audire faciam te verbum Dei.

Vatab. *Hebraica ex Franciſc. Vatab.* Et descendentibus ipsis parte aliqua ciuitatis, dixit Samuel ad Saül: Loquere ad puerum, vt antecedat nos; & præterijt, & tu consiste ad tempus, vt indicem tibi verbum Dei.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Illi descendentes in finibus vrbis, & Semuel dixit ad Saul: Dic puero, & transibit ante nos, & transiit, & tu sta hîc, & audire faciam te verbum Domini.

Complut. Regia. *Grac. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Ipsis descendentibus in extremam partem ciuitatis, & Samuel dixit Sauli: Dic puero, & transeat ante nos: tu autem subsiste hîc hodie, & audi verbum Dei.

Sixtian. *Grac. ex Septuag. in Sixt.* Ipsis descendentibus ad partem ciuitatis, & Samuel dixit Sauli: Dic puero, vt transeat ante nos, & tu sta vt hodie, & audi verbum Dei.

Isidor. Clarius. *Isidor. Clar. ibi.* Vt antecedat nos, & *transiuit.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Cvmque descenderent in extrema parte ciuitatis.* Gregor. libr. 4. Variarum cap. 4. Extrema pars ciuitatis est, vltima pars populi subiecti. Qui ergo vltimum locum tenent in sancta Ecclesia, velut in extrema parte ciuitatis sunt. Ipsius autem Ecclesiæ in vltima parte conuersi peccatores esse videntur; nam iusti quique in superiori, vel prima sunt parte. Aut fortasse primum locum Virginitas tenet; secundum Continentia; tertium coniugalis vita; vltimum conuersio peccatorum. In extrema igitur ciuitatis parte Rex vngitur; quia sanctæ Ecclesiæ Rector ordinatur pro peccatoribus, non pro iustis; hinc enim per semetipsum Veritas dicit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Matth. 9. Hinc iterum dicit dicit: *Non opus habent sani medico, sed malè habentes.*

Literal. Gl. Ordin. 2 *Cùmque descenderent in extrema parte ciuitatis.* Glosa Ordin. ibi. Descenderunt de excelso, vt in aliquo secretiori loco loqueretur de regno, & vngeret eum.

Ioseph. 3 *Cùmque descenderent, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiq. cap.

que aliorum oppressione meum populum vindicet (dum à meis præceptis sterterit) populum quippe meum benignus inspexi, eorúmque clamorem exaudiui. Igitur dum Saulem Samuël contemplatur, monetur per internam Dei illustrationem illum agnoscat, qui Israëlitico populo præficiendus sit. Tum ab ipso rogatus de domicilio Videntis, se ipsum esse Samuël respondit, séque præcedere in excelsum locum, quo ibat, iubet. Præcede, inquit, me; paucis te morabor, placet enim, vt mecum hodie comedas. Cras te dimittam, quæque in secreto pectore versas, prorsus aperiam; nec de amissis nudiustertius asinis inquietus esto; comparuerunt enim cui verò bonorum omnium Israëlis, nisi tibi, familiæque tuæ possessio donabitur? Nulli profectò. Cui contrà Saulus: supra spem, inquit, meam sunt ista; neque enim ea est mea Tribus Beniamin, & minima, & paucissima, quæ Reges proferat; nec familia mea tanti splendoris est, vt quæ ad summum Iemini nobilitate decoretur, vt aliis gentis nostræ familiis æquari possit; illudis ergo mihi, & ea, quæ credi nefas est, mihi promittis. Samuël verò vtrumque secum portatos in conuiualem aulam induxit, primósque eis accubitus inter conuiuas quasi triginta præfinuit. Tunc coco imperat, vt dexterum oblatæ victimæ armum Sauli apponat iuxta præsignatum à se ordinem, quando peregerat sacrificium. Samuëlis itaque iussu armus Sauli apponitur, cui ille: Honorabilem, inquit, hanc partem comede non casu, sed ex consilio tibi præ cæteris destinatam. Obtemperauit Saulus, & cum Samuële, aliisque epulatus descendit in vrbem cum eodem, & in domate, seu solario domus eius collocuti de rebus ad futurum regnum, & ad animæ salutem pertinentibus, lectum ibi Sauli sternitur, & dormiuit; quem tamen multo mane, nimirum cùm primùm illucescceret excitatum, Samuël secum extra vrbem ducit, in eiúsque suburbio monet, vt famulo præcedere iusso paulisper sistat, esse enim diuina quædã, quæ illi sine arbitris indicari oporteat.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS.

SAVL secretò à Samuële in Regem vngitur, & certa futuri regni capit signa; ita omnia eueniunt, domúmque reuersus, aliqua ex iis, quæ sibi acciderant patruo refert. Pòst publicè in Maspbath præmissis sortibus Rex à Samuële præficitur, recénsque creato alij plaudunt, aliij temnunt, ipse verò dissimulat.

CAPVT DECIMVM.

1 VLIT autem Samuël lenticulam olei, & effudit super caput eius, & deosculatus est eum, & ait: Ecce, vnxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in principem. 2. Cum abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Benjamin, in meridie, dicéntque tibi: Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas: & intermissis pater tuus asinis, solicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo? 3. Cumque abieris inde, & vltra transieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. 4. Cumque te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum. 5. Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philisthinorum: & cum ingressus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsósque prophetantes. 6. Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium. 7. Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est. 8. Et descendes ante me in Galgala, (ego quippe descendam ad te) vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias. 9. Itaque cum auertisset humerum

humerum ſuum vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia ſigna hæc in die illa. 10. Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus prophetarum obuius ei: & inſiluit ſuper eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum: 11. Videntes autem omnes qui nouerant eum heri & nudiuſtertius, quod eſſet cum prophetis, & prophetaret, dixerunt ad inuicem: Quænam res accidit filio Cis? Num & Saül inter prophetas? Reſpondítque alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum? propterea verſum eſt in prouerbium: Num & Saül inter prophetas? 13. Ceſſauit autem prophetare, & venit ad excelſum. 14. Dixitque patruus Saül ad eum, & ad puerum eius: Quò abiiſtis? Qui reſponderunt: Quærere aſinas: quas cum non reperiſſemus, venimus ad Samuëlem. 15. Et dixit ei patruus ſuus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuël. 16. Et ait Saül ad patruum ſuum: Indicauit nobis quia inuentæ eſſent aſinæ. De ſermone autem regni non indicauit ei quem locutus fuerat ei Samuël. 17. Et conuocauit Samuël populum ad Dominum in Maſpha: 18. Et ait ad filios Iſraël: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël. Ego eduxi Iſraël de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regum qui affligebant vos. 19. Vos autem hodie proieciſtis Deum veſtrum, qui ſolus ſaluauit vos de vniuerſis malis & tribulationibus veſtris: & dixiſtis: Nequaquam: ſed regem conſtitue ſuper nos. Nunc ergo ſtate coram Domino per tribus veſtras, & per familias. 20. Et applicuit Samuël omnes tribus Iſraël, & cecidit ſors tribus Benjamin. 21. Et applicuit tribum Benjamin & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vſque ad Saül filium Cis. Quæſierunt ergo eum, & non eſt inuentus. 22. Et conſuluerunt poſt hæc Dominum, vtrumnam venturus eſſet illuc. Reſponditque Dominus: Ecce abſconditus eſt domi. 23. Cucurrerunt itaque & tulerunt eum inde: ſtetitque in medio populi, & altior fuit vniuerſo populo ab humero & ſurſum. 24. Et ait Samuël ad omnem populum: Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo. Et clamauit omnis populus, & ait: Viuat Rex. 25. Locutus eſt autem Samuël ad populum legem regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino: & dimiſit Samuël omnem populum, ſingulos in domum ſuam. 26. Sed & Saül abiit in domum ſuam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda. 27. Filij vero Belial dixerunt: Num ſaluare nos poterit iſte? Et deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille vero diſſimulabat ſe audire.

VERSVS PRIMVS.

Vulgata. *Vulgata.* Tulit autem Samuël lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & deoſculatus eſt eum, & ait: Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius ſunt. Et hoc tibi ſignum, quia vnxit te Deus in Principem.

Gloſſa. *Text. Gloſſ. in marg.* Tulit autem Samuël *vas olearium.* Deinde ait: & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius ſunt. Et hoc tibi ſignum, quia vnxit te Dominus in Principem. Iſta nec vetera quidem exemplaria habent.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Tulit autem Semuël lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & oſculatus eſt eum, ac dixit: Nónne quia vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in ducem?

Vatab. *Hebr. ex Franc. Vatab.* Accipiens verò Samuël vaſculum olearium fudit ſuper caput eius, & oſculatus eſt eum; dixítque: an non Dominus vnxit te ducem ſuper hæreditatem ſuam?

Ariaſm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariaſm. in Regia.* Et accepit Semuël vas vnctionis, & fudit ſuper caput illius, & oſculatus eſt eum, & dixit: Numquid vnxit te Dominus ſuper poſſeſſionem ſuam, ad exiſtendum Regem?

Complut. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et tulit Samuël lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius, & deoſculatus eſt eum, & dixit ei: Nónne vnxit te Dominus in Principem ſuper hæreditatem ſuam, vt abieris hodie à me? Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et ſumpſit Samuël lenticulam olei, & infudit ſuper caput eius, & oſculatus eſt eum, & dixit ei: Nónne vnxit te Dominus in Principem ſuper populum ſuum, ſuper Iſraël, & tu principaberis in populo Domini, & tu ſaluabis eum de manu inimicorum eius, & hoc tibi ſignum, quia vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem. Sixtia.

Lira ibi. Tota iſta littera incluſiuè: *Ecce vnxit te Dominus, &c.* non eſt in Hebræo, nec eſt de Textu, ſed ab aliquo antiquo Doctore fuit appoſita per modum Gloſſæ, & poſtea inſerta Textui per ignorantiam ſcriptorum, ſicut eſt in pluribus aliis locis. Lira.

Caietan. ibi. Et liberabis populum ſuum, &c. vniuerſa hæc ſuperflua ſunt, vtpote quæ in Hebræo non habentur, ſed immediatè ſequitur: In ire tuo hodie, &c. Caietan.

Idem ibidem ex Hebræo. Et colauit ſuper caput eius. Idem.

PP. ET AVCTORES.

1 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Cyprian. ſerm. de Vnct. Chriſmat. Moyſes hoc oleo Tabernaculum, & ſacra vaſa perunxit, & ſuper caput Aaron tanta abundantia fudit, vt vſque ad barbam Cyprian. Oleum quæ? Literal.

barbam eius descenderet, & super oram vestimenti maneret. Samuël quoque in Reges initiandos sine oleo non accedit, & vsque ad defectum, & reprobationem carnalium cæremoniarum in populo illo huiusmodi perseuerauit traditio: sed vasis Iudaicis deficientibus defuit gratia, & stetit oleum.

MYSTIC. Augusti. *Saul Christi vmbra.*

2 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Augustin. lib.17.de ciuitate Dei cap.6.tom. 5. Regnum quoque isto modo etiam Saülis ipsius, qui certè reprobatus, atque reiectus est, futuri regni erat vmbra in æternitate mansuri. Oleum quippe illud, quo vnctus est, & ab eo Chrisinate Christus est dictus, mystice accipiendum, & magnum Sacramentum intelligendum est, quod in eo tantùm veneratus est ipse Dauid, vt percusso corde pauitauerit, quando in tenebroso occultus antro, quo etiam Saül vrgente intrauerat necessitate naturæ, exiguam particulam vestis eius retrorsum latenter abscidit 1.Reg.24.

1.Reg.24.

MYSTIC. Gregor.

3 *Tulit autem Samuel lenticulam olei.* Gregor. lib.4. Variar. cap.5. Lenticula quidem paruum est vas. Quid ergo est, quod lenticula olei Saül vngitur, nisi quia in fine reprobatur? Nam quia obedire Deo postea noluit, à Samuël audiuit: *Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, ne sis Rex.* 1.Reg.15. Velut enim lenticula olei parùm habuit, qui spiritualem gratiam proiiciendus accepit. Quod in rectoribus quoque sanctæ Ecclesiæ conuenienter accipitur, plerumque enim culmen prælationis accipiunt, qui in charitate Dei, & proximi perfecti non sunt; quemdam namque affectum charitatis habent; sed plenitudinem non habent. Illa ergo rudis, & imperfecta mentis affectio, quid est, nisi lenticula olei? Nam dum vngit caput, & non replet, tota quidem effunditur, sed parùm exhiber. E contra autem cùm electus Rex vngi præcipitur, eidem Prophetæ Dominus ait: *Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te ad Isai Bethlemitem; prouidi enim in filiis eius mihi Regem.* 1.Reg.16.

1.Reg.15.

1.Reg.16.

HISTOR. Ioseph.

4 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Ioseph. lib.6.Antiquitat. cap.5. aliàs 4. Tum Saülus famulum ablegat, & Propheta deprompta lecytho caput iuuenis oleo perfundit, simúlque Regem salutat, Deum ei honorem hunc ratum facere dicens, pro tutela Hebræorum, quorum iniurias bello Palæstinis illato vlcisci debeat.

MYSTIC. Rupert.

5 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Rupert. lib.2. in Ioann. cap.1. Cùm Prophetam Samuelem misit, vt in Regem vngeret electum suum Dauid, non lenticulam, sicut ad vngendum Saül, sed cornu ei tollere iussit; verisimiliter significans doni sui magnitudinem simul, & fortitudinem, ideſt throni eius firmitatem, & prophetalis gratiæ celsitudinem.

MYSTIC. Gloss.

6 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Glossa Ordin. ibi. Lenticula vas fictile quadrangulum in latere habens foramen, per quod fragilitas regni designatur.

LITERAL. Lira.

7 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Liran. ibi. Ideſt vasculum factum de auro, vel argento ad reponendum oleum vnctionis, vnde vngebantur Reges, & Pontifices, & dicitur à liniendo.

MYSTIC. Bonauen. *Lenticula, Christi corpus.*

8 *Tulit autem Samuel lenticulam olei.* Bonau. tom. 3. serm.1. Domin.4. adu. Lenticula, vt dicit Glossa, est fictile vas quadrangulum, habens foramen in latere. Vas fictile Christi corpus est, quod est quadrangulum per quadrifariam distentionem in crucem. Bernardus: Stat IESVS in medio, quadrifidi sui parte distensus, vt omnibus ex omni parte ad se venientibus amplissimum suæ misericordiæ sinum ostendat. Foramen in latere, vulnus est lateris. Ex hoc foramine oleum gratiæ manauit, per quod populus Dei ad regnum gloriæ cœlestis inungitur. Vnde etiam qui ad hoc latus pendebat, audiuit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Luc.23.

Bernard.

Luc.23.

LITERAL. Carthus.

9 *Tulit autem Samuel lenticulam olei.* Carthus. ibi art. 19. Ait Isidorus: Lenticula est vas olearium ex argento, aut ære factum à liniendo vocatum, quia exinde Reges, & Sacerdotes liniebantur.

Lenticula quid?

LITERAL. Vatabl.

10 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Vatabl. in Schol. Phialam paruam olei, vel vnguenti, hoc est phialam plenam balsamo. Hebræi aiunt Saülem non fuisse vnctum oleo vnctionis, quo illi soli vncti sunt, qui fuêre è domo Dauid.

Lenticula quid?

LITERAL. Saa.

11 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Emanuel Saa in Schol. Ideſt vasculum, seu phialam olei, ideſt vnguenti aromathici, scilicet balsami.

Oleum quale?

LITERAL. Serar. Abul. Plin.

12 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Serar. ibi. Continebatur istud oleum vasculo, quod lenticulam hîc, & lib.4. cap. 9. vertit Interpres, non à liniendo, vt vult Abulensis, sed à lenticulari figura, de qua lib.37. cap. 12. Plinius; & patet ex nomine Græco hic quod Hebræo simillimum. Vocatur interdum cornu, vt infrà cap.16. Lecythus lib.3. cap. 17. Fundebatur vnguentum istud super Regis caput, sicuti & Pontificis; cùm eo minores Sacerdotes tantùm aspergerentur. Exod. 29.

Oleum quale?

Exod.29.

LITERAL. Salian.

13 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Salian. tom.3. Annal. anno Mundi 1962. Cùm clam hæc vnctio facienda esset, non potuit ex Tabernaculo peti oleum, nisi plurimis conscîis, & pluribus etiam suspicantibus. Idémque de priuata vnctione Dauidis dicendum est, in qua certissimum à Saüle mortis discrimen adibat Samuël, tanquam suscitator tyrannidis, omnésque Sacerdotes, quasi eiusdem tyrannidis administri, si id oleum, vel ille petiisset, vel ab istis accepisset.

Saul quo oleo vnctus?

LITERAL. Author Catenæ. Abul.

14 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Autor Catenæ. Oleum duplex potuit esse, vel commune, & vsuale, quale erat, quod in candelabro insumebatur. Exod.27.20. vel sacrum, quod potiùs vnguentum appellandum, vtpote confectũ ex cinamomo, myrrha, calamo, casia, & oleo ibid. 30.23. Duplex ergo insurgit quæstio: Prior, quo ex his oleis vnctus fuerit Saül. Posterior, quo ex his etiam reliqui Israëlis Reges? Circa vtrumque nutat Abulensis; nam ad c.9.v.16.q.10.de omnibus Regibus absolutè asserit sacro oleo deliniri consueuisse; initio enim quæstionis sic ait. *Respondendum est, quòd vnctio in Regibus fiebat in Israël de oleo sacro.* Et §. *Sciendum est; Cuius ratio*, inquit, *quia vnctio Regum, quæ fiebat in capite ex oleo sacro, &c.* Ad præsens etiam q.1. cùm hanc sententiam retulisset, ita concludit: *Ista est communis positio, quam ego quoque cum cæteris profero.* Nihilominùs ab ea tandem discedit, & tam Saülem, quam plures alios subsecutos Reges oleo communi vnctos fuisse affirmat, nempe Dauidem, Azaëlem Syriæ Regem, & Ieu. Rabbini verò aliquot apud Varablum, & Genebrard. in Psalm. 88. quos illi quoque sequuntur, de Saüle, & aliis asserunt vsuali oleo perunctos: Dauidem verò eiúsque filium, & nepotes sacro vnguento delinitos in gratiam, & reuerentiam Christi veri, & æterni Regis ab ipsis nascituri. Caietanus, Oleaster, Lippoman. Lorinus in Psalm. 88. quos citat, & sequitur Becanus noster lib. de Analog. veter. ac noui Testament. cap. 16. affirmant

Oleo Reges vngebantur.

Exod.27.20.

Hebræi. Vatab. Genebr. Caietan. Oleaster. Lippom. Lorin.

affirmant nullum ex Regibus vnctum, aut vngi potuisse oleo pontificali sacro, sed communi, & simplici; quod sex argumentis ipse Becanus pro viribus probare contendit, de quibus infrà. Communis denique sententia, vt fatetur Abulensis quæst. 1. omnium tam Hebræorum, quàm Catholicorum Doctorum, docet omnes illos Reges eodem sacro oleo, seu vnguento, quo consueuerant Pontifices, vnctos fuisse. Sic expressè Tertull. contra Iudæos cap. 13. Lactant. lib. 4. cap. 7. Hier. in cap. 45. Isaiæ, Chrysost. in Psal. 50. Beda, Iosephus, Aug. lib. 2. contra Litteras Petiliani Donatistæ c. 47. Sulpit. lib. 1. sacræ Histor. Cyprian. de operib. Cardinal. Christi. Isidor. lib. 2. de officiis Ecclesiastic. cap. de Chrismate. Lira, Carthus. Vatabl. Saa, Sanctius, Mendoza, Tirinus, Rangolius, Ioann. Pineda lib. 2. de Reb. Salom. cap. 6. n. 3. pluréſque alij. Dico primò: distinctionem Vatabli, & Hebræorum carere solido fundamento. Dico secundò probabilius esse Saülem oleo sacro perfusum fuisse, tum Patrum auctoritate: tum facili responsione ad argumentum aduersariorum; facilè enim Samuël, quidquid reclamet Salianus, è Tabernaculo, vbicumque illud esset extrahere, & conducere secretò potuit, cum multò ante de Regis creatione præmonitus à Domino fuisset. Dico tertiò alios etiam Reges, vt plurimùm eodem sacro oleo delinitos de facto fuisse, vt patet de Dauide Psalm. 88. 21. & de Salom. 3. Reg. 1. 39. aliquem autem oleo tantùm profano, vt colligitur ibidem cap. 19. 15. de Azaële, & de Ieu, vt notarunt Serarius, & Salian. & probat Abulensis quæst. 1. cùm Helias à Tabernáculo maximè distaret, nec ipse vnguentum sacrum conficere, nec apud se retinere liceret, cùm locus oleo deputatus, vnum esset Tabernaculum. Arguit tamen Beccanus noster suprà relatus multipliciter, & nullũ ex Regibus oleo sacro perunctum fuisse contendit. Primò, quia lege Dei cautum erat, ne vllus præter Aaronem, & filios eius oleo sacro inungeretur Exod. 30. 30. Sed satis respondetur ex Abulensi quæst. 1. ea lege solum sacri olei vsum ad delectationem interdici, quod innuitur ibi, cùm dicitur: *Caro hominis non vngetur ex eo.* Arguit secundò ex Phrasi Scripturæ, quæ cùm olei Pontificalis meminit, oleum simpliciter nunquam appellat, sed addito distinctiuo ab vsuali, nempe *Oleum vnctionis*, Exod. 29. 7. *Oleum sanctum* ibidem 30. 25. *Oleum sanctæ vnctionis*. Leuit. 21. 12. qui stylus deseritur, cùm de oleo vsuali fit mentio, at oleum, quo vngebantur Reges, nunquam his distinctionis notis enuntiatur, vt patet 1. Reg. 10. 1. & cap. 16. 13. & 4. Reg. 9. 1. ergo commune, & simplex erat. Pulchrum quidem argumentum, non tamen conuincit, quia coniecturâ tantùm prudenti nititur, & quia oleum, quo vnctus fuit Dauid, vocatur *sanctum*. Psalm. 88. *Oleo sancto vnxi eum*, & constat è Tabernaculo acceptum 1. Reg. 59. Vnde sacrum fuisse probatur, nam si commune requireretur, non in templo, sed in domibus, vel plateis inquirendum foret; & tamen hoc, quod sacrum oleum constat fuisse, non vocatur sacrum, neque Vnctionis, ergo harum vocum defectus non probat oleum esse commune. Dices cum Becano, duplex sacri olei genus in Tabernaculo aduersari: alterum vnctionis, & pontificale: alterum commune in lucernarum expensas, quod quia erat figura illius olei, quo postea sanctificatus est Christus, ratione mysterij, vocabatur Sanctum. Sed hoc, me iudice, gratis dictum videtur, & absque sufficienti fundamento rationis, aut auctoritatis, cùm oleum, quo lucernæ instaurabantur, nihil à communi, & vsuali differret, & cùm sancti olei fit sermo, illud omnes vulgò intelligunt, quod ad Pontificis vnctionem deseruiebat. Arguit 3. ex cap. 21. Leuit. 10. vbi hæc continetur lex, vt Pontifex externo ritu non lugeat mortuos, nec egressus è Sanctuario prosequatur funera, etiam parentum suorum; Ratio autem legis ea ibidem redditur, nempe, quia *oleum sacræ vnctionis fusum est super caput eius.* Tum sic: Reges poterant lugere mortuos, & funus etiam prosequi, vt patet de Dauide 2. Reg. 1. 12. & 2. Reg. 18. 33. & cap. 3. 31. Ergo sacræ vnctionis oleum super eorum capita fusum non fuerat. Respondeo negatâ consequentiâ, quia licèt sacra vnctione delinitos fuisse, sufficiens ratio foret, vt eandem & Pontificibus, & Regibus (ne mortuos lugerent, aut prosequerentur funera) Deus legem imponeret; maluit tamen solis eam Summis Sacerdotibus inferre; quod si neutris intulisset, nec Pontifices ex sola vnctionis necessitate à fletibus temperare; aut à funerum prosecutione abstinere obligarentur. Tres alias Becani confirmationes, quibus ipse minùs fidit, breuitatis causa omitto. Munus vngendi Reges propriè ad Summum Sacerdotem pertinebat; sed cùm de futuro Rege non constaret, ad Prophetas; & sic intelligendus Anacletus Papa infrà referendus. Nec tamen à Sacerdotibus minoribus fieri repugnabat, ait Serarius. Modus autem erat per olei effusionem super capillos, & si Hebræis fides, in eo Regum vnctio à Pontificis vnctione differebat, quod Regibus per modum coronæ, Sacerdotibus verò Summis in modum crucis effusio supra eorum caput fieret; minores autem Sacerdotes non deliniebantur, sed solùm sacro oleo aspergebantur. Exod. 29. Si plura de hac re velis, vide Azor. tom. 2. lib. 10. Instit. Moral. cap. 5. & lib. 11. cap. 5. & quæ dicemus infrà ad cap. 16. vers. 1.

Becan. Abul. Tertull. Hier. Lactant. Chryſ. Beda. Ioſeph. Auguſt. Sulpit. Cyprian. Iſidor. Liran. Carthuſ. Vatabl. Saa. Sanct. Mendoza. Tirin. Pineda. Pſal. 88. 21. 3. Reg. 1. 39. Abul. Serar. Salian. Exod. 30. 30. Exod. 29. 7. Leuit. 21. 12. 1. Reg. 10 1. Anacletus. Serar. Hebræi apud Liran. Exod. Azor.

15 *Tulit autem Samuël lenticulam olei.* Tirinus in sua Biblia. Inter cornu Samuëlis 1. Reg. 16. quo vnctus est Dauid, & lenticulam, qua hîc Saül, nullum fuit discrimen; neque plus olei in vngendo Dauide, quàm in Saüle absumptum; neque ex alio, aut maiore vase Dauid vnctus, quàm Saul. LITERAL. Tirin.

16 *Et effudit super caput eius.* Ecclesiasticus 46. 16. Samuël Prophera Domini renouauit imperium, & vnxit Principes in gente sua. HISTOR. Eccl. 46. 16.

17 *Et effudit super caput eius.* Nazianz. orat. de Laudib. Basilij. Saul patris asinas quærens, regnum inuenit, plúsque lucrifecit in ea re, quæ ipsi secundariæ curæ erat, quàm in ea, quam potissimùm agebat. MORAL. Nazianz. *Obedientiæ præmium.*

18 *Et effudit super caput eius.* Lactant. Firmian. lib. 4. cap. 10. Primum quidem Iudæi non dominio Regum subiecti fuerunt, sed populo, ac legi ciuiles iudices præsidebant, non in annum constituti, sicut Romani consules, sed perpetua iurisdictione subnixi. Tum sublato iudicum nomine potestas regalis inducta est. Verùm sub iudicibus, prauis religionibus susceptis, sæpe subacti ab hostibus, sæpéque sunt liberati. Sub Regibus autem finitimorum bellis ob delicta vexati, postremò capti, abductique Babilonem pœnas impieratis suæ graui seruitio reppenderunt. HISTOR. Lactant. *Iudæorum status.*

19 *Et effudit super caput eius.* Text. lib. 3. contra Marcionem cap. 5. HISTOR. Tertul.

Mirificum

Mirificus Samuel, cui reges vngere primum
Preceptum dare chrisma, vires ostendere Christos:
Talibus in vita spatio laudabilis egit,
Vt quoq; post requiem Prophetica iura teneret.

LITERAL. Hieron. 20 *Et effudit super caput eius.* Hier. in c. 45. Esaiæ tom. 5: Quomodo apud nos diadema, & purpura solis Imperatoribus datur, sic apud Hebræos regnaturi perfundebantur vnguento; vnde & Saul Christus Domini dicitur; & in Psalmis legimus: *Nolite tangere Christos meos.* Psal. 104.

LITERAL. Anaclet. 75. dist. c. 1. *Prophetæ etiam Reges vngebant.* 21 *Et effudit super caput eius.* Anacletus Papa. epist. ad Episc. Italiæ. & habetur 75. dist. c. 1. Ordinationes Episcoporum auctoritate apostolica ab omnibus, qui in eadem prouincia fuerint, Episcopis, sunt celebrandæ; qui simul conuenientes scrutinium cum precibus celebrent, manus cum sanctis Euangeliis imponentes dominica die hora tertia orantes, sacráque vnctione, Prophetarum exemplo, Regum capita perungentium, eos more Apostolorum, & Moysi, vngentes; quia omnis sanctificatio constat esse in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto est Chrismati permixta; & hoc ritu solemnem celebrent ordinationem.

LITERAL. Aug. 1. q. 1. c. Sequam. 22 *Et effudit super caput eius.* Augustus ad Demetrium, & habetur 1. q. 1. c. *Sacramenta.* Neque Saül deprauauerat vnctionem, quam acceperat; cui vnctioni Dauid pius sæpius exhibuit tantum honorem.

MORAL. Idem. 1. q. 1. cap. Dominum. Ps. 22. 2 *Saul tantum corpore vnctus?* 23 *Et effudit super caput eius.* Idem lib. 2. contra litteras Petiliani. c. 47. & habetur 1. q. 1. c. *Dominus.* *Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.* Ps. 22. 2. Non dicunt ista, nisi qui oleo sancto etiam in Spiritu beatificantur; sicut Dauid; non qui in solo corpore consecrantur, sicut Saül; & tamen cùm ambo vnum sumpsissent, non eis impar Sacramentum, sed impar meritum fecit. Quæro, si non habebat Saül Sacramenti sanctitatem, quid in eo Dauid venerabatur? Si autem habebat innocentiam, quare innocentè persequebatur? Nam cum propter sacrosanctam vnctionem, & honorauit viuum, & vindicauit occisum; & quia vel panniculum eius veste præcidit, percusso corde trepidauit. Ecce Saül non habebat innocentiam, & tamen habebat sanctitatem, non vitæ, sed vnctionis.

Vnctio Reges reddit venerabiles?

MYSTIC. TROPOL. Gregor. *Vnctio quid significet?* 24 *Et effudit super caput eius.* Gregor. lib. 4. Variarum cap. 5. Vngatur caput Regis, quia spirituali gratia mens est implenda Doctoris. Habeat inunctio sua oleum, habeat misericordiam abundanter, quæ sibi virtutibus aliis præferatur. Habeat oleum, vt dum ardorem sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer aliis per verbum possit, Habeat nihilominus oleum medicinæ, vt sapienter disponat qualiter peccatorum fœtores tergat, & ægras mentes saluti restituat.

LITERAL. Bernard. *Saul inuito Samuele electus?* 25 *Et effudit super caput eius.* Bernard. Epist. 83. Sicut impiorum est principiis honorum propositis assiduè reluctari; sic contra pietatem non est propter multitudinem aduersantium iusta, & sancta desideria pancorum plerumque non perfici. Sic Aaron, scelerati tumultuantis populi contra voluntatem suam clamoribus cessit. Exod. 32. 2. Sic Samuel eidem populo inordinatè Regem petenti inuitus Saulem inunxit.

MYSTIC. Berchor. 26 *Et effudit super caput eius.* Petrus Berchor. libr. 9. Moral. cap. 7. Saul est prædicator, quem pater suus Christus misit asinas quærere, id est animas peccatrices conuertere, & saluare, quod profectò cùm diligenter exequitur, inungi prius per gratiam in animo, & ad Regem prælationis in mundo, & ad regimen paradisi in futuro promoueri meretur.

LITERAL. Abul. 27 *Et effudit super caput eius.* Abulens. ibi. quæst. 1. Non est intelligendum, quod multum oleum fudisset, sed modicum super crines propter formam. Nam multum, vel paucum oleum fundi, nihil conferebat ad titulum regni, & si multum funderetur, esset immunditia quædam.

LITERAL. Idem. *Reges à quo vngebantur?* 28 *Et effudit super caput eius.* Idem ibidem. quæst. 2. Apparet, quod soli Summi Sacerdotes vngebant Reges regulariter; & quando non erat cognitum, quis futurus esset Rex, vngebatur per Prophetas.

LITERAL. Idem. *In Rege vngendo quæ cæremoniæ?* 29 *Et effudit super caput eius.* Idem ibid. q. 3. In Rege non erant determinatæ cæremoniæ per legem: fiebãt tamen hæc; quòd quando aliquis in Regem instituẽdus esset, collocabatur super sedẽ Regis, & ponebatur diadema in capite eius; deinde Sacerdos Magnus fundebat oleum super caput illius; & ponebatur in manibus Regis liber legis Moysi, scilicet Deuteronomium, & promittebat Rex obseruare legem illam 2. Paralip. 23: 4. Reg. 11. deinde clamabat totus populus, Viuat Rex, & imprecabantur alia bona Regi. Deinde ad solemnitatem huius vnctionis fiebant Sacrificia magna Deo.

LITERAL. Carth. 30 *Et effudit super caput eius.* Carth. ibi art. 19. In signum interioris vnctionis, qua cor eius regia potestate perfundebatur.

LITERAL. Caiet. *Saul guttatim vnctus?* 31 *Et effudit super caput eius.* Caiet. ibi. Iuxta Hebræum habetur; *Et collauit super caput eius,* quod minus est, quàm effundere.

LITERAL. Serar. Abul. 32 *Et effudit super caput eius.* Serar. in Comm. Cur sic vngerentur Reges, causa duplex fuit. Prima, vt quemadmodum Pontificis inter sacros ministros summa erat excellentia, & dignitas, sic & summa Regis inter politicos Principes significaretur; vt ait Abul. q. 1. Secunda, vt significaretur ipsis à Deo gratiam, & robur dari ad religionis, & Ecclesiæ, populi, & hæreditatis Dei defensionem, vt explicat Augustinus Triumphus de Potestate Ecclesiæ. Triumph. q. 38. art. 2.

HISTOR. Serar. c. Venerabilis, c. cum Vemisset, Triumph. Aimoin. Forcat. Onufr. 33 *Et effudit super caput eius.* Idem ibidem. Hic etiam vnctionis ritus in Christianis Imperatoribus, & Regibus iam olim vsitari cæpit, vt patet ex capit. *Venerabilem*, Extrau. de Elect. c. *Cum venisset*, Extrau. de Sacra Vnct. & ex August. Triumpho de Potest. Eccles. q. 38. Aimoino lib. 1. cap. 15. libr. 5. cap. 49. Hincmaro Forcatulo lib. 6. de Imperat. Gallor. Onufrio de Comitiis Imperat. Veter. & Insignibus

LITERAL. Theod. Ioan. 19. *Osculum Samuelis ad quid?* 34 *Et deosculatus est eum.* Theod. ibi. q. 20. Gratiam, quæ sibi inerat, ei impertiit. Nam Dominus quoq; cùm insufflasset in Apostolos, dixit: *Accipite Spiritum sanctum.* Ioan. 19. etenim *ex plenitudine eius omnes accepimus.* Sic Propheta deosculatus est Regem cui impositæ erant manus.

LITERAL. Procop. 35 *Et deosculatus est eum.* Procop. ibi. Vt gratiam, quæ in ipso habitabat, ei communicaret.

Osculum Samuelis ad quid? MORAL. Ansbert. 36 *Et deosculatus est eum.* Ambros. Ansbertus in Apocalyps. c. 1. Charitas Samuelem, & in principatu humilem præbuit, & integrum in delectione conseruauit, qui cùm persequentem se plebem diligeret, ipse testimonium extitit, quia culmen ex quo dejectus est, non amauit.

LITERAL. Lira. MORAL. Carth. *Samuelis virtus?* 37 *Et deosculatus est eum.* Liran. ibi. In signum amicitiæ, & confœderationis.

38 *Et deosculatus est eum.* Carth. ibi. art. 19. In signum quod non inuidit, imò & fauit promotionis eius, cùm tamen per eam ipse Samuel, & filij eius

eius deiicerentur à principatu, in quo patet virtuositas Samuelis.

LITTERAL. Author Catenæ. Osculi vsus. Origen. Dionys. Areop. Nazianz. Chrysost. Bron. Soto Major. THEOPOL. Gregor. Prælatum quem esse deceat?

49 *Et deosculatus est eum.* Author Catenæ. Osculatus est nouum à se inunctum Regem mitissimus Samuël, quod tam apud Hebræos, quàm apud plurimas alias gentes signum fuit beneuolentiæ, & amoris, vt patet ex Origen. Hom. 1. in Cantic. Dionysio Areopag. lib. de Eccles. Hierar. cap. 5. Nazianz. Orat. 3. de Pace. Chrisost. lib. 1. de Compunct. Cordis. Baronio tom. 1. Annal. pag. 390. Ludouico Soto-Maiori in cap. 1. Canticor. & aliis.

40 *Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam.* Gregor. suprà. Osculato Principi dicitur: *Vnxit te Deus, &c.* Quasi reus reum admonerat, dicens: Qui te ad hoc positum nosti, vt peccati inimicitias debeas soluere, quod in aliis destruis, in te non debes retinere. Nonnulli etenim & vnguntur, & osculum non accipiunt: liberare populum Domini satagunt, sed se inimicorum iugo subiicere non pauescunt. Nam qui aliis bona prædicat, quæ non agit, quasi osculum dat, quod non accipit: amicos etenim Dei alios facere quærit, & ipse inimicus esse non deserit. Inimicias peccati in se ædificat, quas in aliis destruere per verbum tentat. Hinc ipsa Veritas prius osculatur quos ordinat, deinde ad liberandum alios mittit. *Vos*, ait, *amici mei estis*: deinde addit dicens: *Posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Ioan. 15. Hinc item resurgens à mortuis dicit: *Pax vobis.* Deinde subdit: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, Et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20.

Ioan. 15. Ibid. 20.

LITTERAL. Lira.

41 *Ecce vnxit te dominus super hæreditatem suam.* Liran. ibi. Quia in hoc non sum, nisi minister eius.

Abul.

42 *Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam.* Abul. ibi. quæst. 3. Ideò super totum Israël; tota enim terra, & quidquid in ea est, ipsius Dei est; ipsius tamen Israëliticus acceptus fuit à Deo speciali modo, scilicet, vt coleret Deum magis quàm aliæ gentes, & vt Deus benefaceret illi super omnes alios populos. Sic patet Exod. 19.

Exod. 19.

THEOPOL. Author Catenæ. Prædicator vnus animas quærat.

43 *Super hæreditatem suam.* Author Catenæ. Non ait: Super hæreditatem tuam, sed potiùs: *Super hæreditatem suam*, vt in prædicatione Euangelij non sua quærat Apostolicus Prædicator, sed quæ IESV CHRISTI; compertúmque sibi habeat nec temporalia bona, nec populi plausum, sed proximorum animas, quæ ad Dei hæreditatem tantùm pertinent, ipsíúsque gloriam sibi inquirendam, & ambiendam fore. Rem optimè expressit hic Gregor. lib. 4. Variar. cap. 5. *Hæreditas*, inquit, *Domini, multitudo fidelium est; omnis ergo secularis intentio remouetur, cùm Rex super hæreditate Domini vnctus asseritur. Vnctionis ergo fructus est cultus diuinæ hæreditatis. Ille ergo officium vnctionis exequitur, qui sola quærit lucra animarum. Super hæreditatem quippe Domini in Principem se vnctum meminit, qui hoc solùm de terrena dignitate quærit, quod per suum ministerium Christus quæsiuit. Hoc igitur verbo negligentium Rectorum intentio reprobatur. Audiunt namque, quia super hæreditate Domini vncti sunt, quia de terra Domini non nisi electos quærit, norunt quod non terra latitudinem, non auri copiam, non diuitiarum affluentiam, sed fideles suos hæreditatem suam dicit, & tamen terrenum quærere, & quod peius, congregare non desinunt.* Hucusque Gregorius, quod confirmauit Dominus, Samuëlem iubens ad vngendum Dauidem properare. *Impple*, inquit, *cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Iesse Bethlehemitem, prouidi enim in filiis eius mihi Regem.* infrà cap. 16. 1. vbi particulam *mihi* differte obseruauit Mariana nostet dicens: *In obsequium meum, qui obediat secùs quàm Saul.* Quasi diceret, qui non sibi, sed mihi regnet, & populo meo prosit. Huc etiam refero eiusdem Dei consultationem apud Isai. 6. 8. *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Ecce dubitat qui *scrutatur corda, & renes Deus.* Psalm. 7. 10. An qui mittatur difficilis inuentu est? Minimè quidem; qui verò ita iret, vt non sibi, sed vni Deo iret, non facilè, humanitùs loquendo, apparebat; perrari enim sunt, qui in præfectura, etiam spirituali, aut in prædicatione, ita diuitiam tantùm hæreditatem quærant, vt lucro, commodo, aut inani gloriolæ non studeant. Quorum in numero contineri se Isaias veritus; ad primum quidem respondet; ad secundum verò modestè tacere mauult, quàm de se arduum præsumere, vt notauit Hieron. in Epist. ad Damasum PP. tom. 3. ibi: *Notandum autem, quomodo ad id, quod Dominus dixerat; quem mittam, & quis ibit nobis: Propheta ex parte respondent*: Ecce ego, mitte me: *Sed de sequenti, intelligens nullum hominem dignum esse, qui Deo pergeret, & omne iter suum eius faceret esse, qui mitteret.* Hæc ille ad præsēs institutū idonea.

Isai. 6. 8. Psal. 7. 10. Hieron.

LITTERAL. Mendoza.

44 *Et liberabit populum suum de manibus inimicorum eius.* Francisc. Mendoza ibi. §. 17. Hæc verba absunt à Regia, & Complutensi, sed habentur in Sixtiana. Vnde non concesserim Caietano esse superflua, neque Litræ, ac Dionysio per inscitiam Scriptorum Textui inserta esse: sed potiùs à Septuaginta secundùm incorruptos eorum Codices esse adhibita, indéque à Latino Interprete translata. Non est sensus, quòd Saül penitùs expugnaturus sit omnes inimicos, cùm multi superfuerint à Dauide expugnandi, sed quòd multas de illis victorias reportaturus sit, iuxta illud: *Pugnabat per circuitum aduersùs omnes inimicos eius contra Moab, & filios Ammon, &c. & quocumque se verterat, superabat.* 1. Reg. 14. 47.

MYSTIC. MORAL. Greg. Demones iustos obsident. Psal. 10.

45 *Qui in circuitu eius sunt.* Gregor. suprà. Grandis labor Prædicatori præcipitur per hoc, quod inimici in circuitu esse referuntur. Satis enim graue prælium esset, si vna parte malignorum spirituum lætitiam toleraret. Hinc per Prophetam denuntians, dicit: *In circuitu impij ambulant.* Psalm. 10. Hinc Beatus Petrus exhortans, ait: *Aduersarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* 1. Petri. 5. Inimici igitur nostri in circuitu nostro sunt, quia immundi spiritus cogitationi nostræ, verbo, & operationi semper insidiantur.

1. Pet. 5.

MORAL. Greg. Prælatorum timor.

46 *Et hoc tibi signum, quia vnxit te Dominus.* Idem ibidem. Cùm sancti viri ad primatum sanctæ Ecclesiæ sustolluntur, vehementer expauescunt, ne onus tanti ordinis sibi iudicio hominum sit impositum, non ordinatione Conditoris. Ad robur ergo humilium dantur signa, quibus se à Deo, non ab hominibus, electos sciant. Quare & Samuël subiungens ait: *Et hoc tibi signum, &c.*

VERSVS II.

Vulgata.

VVlgata. Cùm abieris hodie à me inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel in finibus Beniamin, in Meridie, dicéntque tibi: Inuentæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas. Et intermissis pater tuus asinis solicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?

Benedict.

Benedict. *Benedict. in margine.* In finibus Beniamin in Zelzah. Quid faciam pro filio meo.

Gloss. *Text. Gloss. in margine.* In finibus Beniamin in Selsah, & intermissis pater tuus asinis timet pro vobis.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Cùm ambulaueris hodie à me, inuenies duos homines iuxta sepulchrum Rachel in termino Beniamin in Selsach; dicéntque tibi: Inuentæ sunt asinæ, quas ieras ad quærendum, & ecce dimisit pater tuus negotium asinarum, & timuit vobis dicendo: Quid faciam pro filio meo?

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Hodie simul, atque à me discesseris, reperies duos viros ad sepulchrum Rachel in limite Beniamin in Zelzal, qui dicent ad te: Asinæ sunt inuentæ, quas tu quæsitum ieras: patérque tuus abiecta asinarum ratione, solicitus est pro vobis, vt dicat: Quid faciam de filio meo?

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Cùm tu abieris hodie à me, & inuenies duos viros apud sepulchrum Rahhel in termino Biniamin in Szilseach, & dicunt tibi: Repertæ sunt asinæ, quas iuisti ad quærendum; & ecce deposuit pater tuus curam asinarum, & solicitus est vestri, dicendo: Quid faciam fillo meo?

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel, in finibus Beniamin in meridie, saltantes grande, & dicent tibi: Inuentæ sunt asinæ, quas ieratis perquirere: & ecce pater tuus dimisit curam asinarum, & solicitus est pro vobis, dicens: Quid faciam filio meo?

Sixtin. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Postquam abieris hodie à me, & inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel, in monte Beniamin, salientes granditer, & dicent tibi: Inuentæ sunt asinæ, quas ibatis quærere; & ecce pater tuus dimisit verbum asinarum, & profundebatur super vos dicens: Quid faciam pro filio meo?

Carthus. *Carthus. ibi art. 19.* Hebræus habet *ad claras fauces.*

Caiet. *Caietan. ibi ex Hebræo*: In ire tuo hodie à me, cùm reperies duos homines iuxta sepulchrum Rachel in termino Biniamin in Zelzach: dicéntque tibi: Inuentæ asinæ, quas ieras quæsitum: & ecce dimisit pater tuus negotium asinarum, & timet vobis, dicendo: Quid faciam filio meo? Legendum est: *Quid faciam filio meo* in casu dativo.

Brugens. *Lucas Brugens. ibi.* Salientes claras vmbras.

Author Caten. Brugens. Hunnæ. Codex. Brugen. Cod Soc. Cod. Leob. Cod. Atre Beda. Caietan. Lira. Epanort. *Author Catenæ.* Nonnulla exemplaria, quorum meminit Margo Plantiniana, & sequuntur Gregorius, Abul. Bonau. & plures alij; post illa verba *in finibus Beniamin*, *in Meridie*: addunt immediatè: *Salientes magnas fauces.* Cæterùm correctissima tam manuscripta, quàm typis excusa omittunt, vt notauit Lucas Brugensis, nempe Hunnæi tria: Cathedralis Ecclesiæ Brugensis vnum: Societatis IESV vnum: Cœnobij Leobiensis vnum: Atrebatensis Collegij alterum. Sic etiam legit Beda, & legendum docent Caietanus, Lira, Epanortothes, & alij. Consule Brugensem, qui erudite rem discutit in suis Annotationibus.

Isidor. Clar. *Isidor. Clarius ibi.* In finibus Beniamin in *Zelzah.*

Idem ibidem. Quit faciam *pro* filio meo?

PP. ET AVCTORES.

1 *CVm abieris hodie à me, &c.* Greg. lib. 4. Variar. c. 5. Quasi dicat: Si illos duos viros inueneris, & hoc tibi dixerint, scito quia te Deus Principem; non ego constitui. Quid ergò duo viri isti nobis; nisi perfectos quoque sanctæ Ecclesiæ Prædicatores designant. Duo quidem sunt, quia perfecti in vtroque præcepto charitatis; viri, quia in sancta conuersatione robusti; quia iuxta sepulchrum Rachel inueniri perhibentur; quia per contemplatiuæ vitæ studium, diuisi sunt ab intentione sæculi; & dum animarum lucra quærunt, non sunt sepulti. Per Rachel quippe contemplatiuæ vitæ speciositatem Venerabilium Patrum indubitata sententia est. LITERAL. MYSTIC. Greg.

2 *Cùm abieris hodie à me.* Theod. ibi. quæst. 12. Quamobrem multa ei dedit signa? Vidit eum dubitantem, & suam confitentem paupertatem: an non, inquit, filius Iemini ego sum, &c. Propterea confirmat promissionem regni, prædictionibus de omnibus. LITERAL. Theodor.

3 *Cùm abieris hodie à me.* Procop. ibi. Multa Saüli dat signa, postquam eum vidit dubitare, & domesticam difficultatem fateri; hâncque ob causam prædictionibus regni promissionem cõfirmat. LITERAL. Procop.

4 *Cùm abieris hodie à me.* Abul. ibi. quæst. 4. Quæret aliquis ad quid proficiebant ista signa, quæ dantur hîc? Respondendum est, quòd antequam publicaretur vnctio Saülis, ipse facturus erat quædam, quæ iusserat ei Samuël, etsi non esset certificatus de ista vnctione, nihil faceret. De hoc patet infrà in littera, scilicet: Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua; & istud pertinebat ad aliquam dispositionem ad statum regalem. LITERAL. Abul.

5 *Cùm abieris hodie à me.* Francisc. Mendoza ibi. §. 1. Cùm Hebræi parùm fidei habuerint, frequentibus signis indigebant, vt crederent quæ à Deo dicebantur. Vnde Diuus Paulus: *Iudæi*, inquit, *signa petunt; & Græci sapientiam quærunt.* 1. Cor. 1. 22. Et Christus Dominus: *Generatio*, inquit, *mala, & adultera signum quærit.* Matt. 16. 4. Et iterùm: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Ioan. 4. 48. Quod fortasse ex antiquis Patriarchis didicerunt. LITERAL. Mend. *Iudæi inter dull.* 1. Cor. 1. 22. Matt. 16. 4. Ioan. 4. 48.

6 *Inuenies duos viros.* Gaspar. Sanct. ibi. num. 21. Expediebat maximè vt Saül sibi persuaderet vnctionem illam non esse ab homine, sed diuinam, ibi quoque autoritatem interfuisse; atque ideò signa illi dat certa, quæ nemo nisi illustratus à Domino nosse potuisset. LITERAL. Sanct.

7 *Inuenies duos viros.* Francisc. Mendoza ibi. §. 2. Non crediderim hanc Saülis dubitationem fuisse vitiosam; nam Prophetæ non semper prophetícè loquebantur, vt patet in Natham, cùm ex proprio sensu indixit Dauidi Templum fabricandum. 2. Reg. 7. 3. Saül autem non habebat hoc loco sufficiens motiuum ad cognoscendum, vtrùm Samuël diuino, an humano instinctu loqueretur; immò suam secum reputans indignitatem, humano loqui existimabat. Quòd in illo fuit non exiguum humilitatis exemplum. LITERAL. Mend. 2. Reg. 7. 3.

8 *Iuxta sepulchrum Rachel.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. Inde venies ad Rachelis monumentum, vbi occurret tibi, qui nuntiet inuentas esse asinas. HISTOR. Ioseph.

9 *Iuxta sepulchrum Rachel.* Lira. ibi. Hoc dictum videtur implicare repugnantiam, quia LITERAL. Lira.

Rachel sepulta est iuxta Bethlehem. Genes. 35. quæ est in sorte Iudæ, hic autem dicitur in finibus Benjamin. Propter quod Rabbi Salomon sic exponit : Inuenies duos viros iuxta sepulchrum Rachel, id est, qui nunc sunt iuxta sepulchrum Rachel ; sed quando inuenies eos, erunt in finibus Benjamin. Aliter potest dici, quòd sortes Benjamin, & Iudæ erant coniunctæ, & ideò iidem fines vtriusque, ibi iungebantur.

LITERAL. Abul. 10 *Iuxta sepulchrum Rachel.* Abulens. ibid. q. 4. Est istud sepulchrum quædam magna pyramis constructa in altum, & sub ea sunt duodecim lapides, in signum duodecim filiorum Iacob, quæ vsque in hodiernum diem videtur à transeuntibus de Ierusalem in Bethlehem. Distat autem sepulchrum illud milliario vno à Bethlehem, & tribus milliaribus à Ierusalem, vocatúrque locus ille Cabrata.

LITERAL. Sanctius. 11 *Iuxta sepulchrum Rachel.* Sanctius ibidem num. 21. Duriusculum videtur hoc, quia Rachel sepulchrum non habuit in finibus Benjamin, sed in Ephrata, quæ est Bethlehem, & magis pertinet ad Tribum Iuda, vt habes Genes. 38. 20. Sed hoc explicationem habet non difficilem ; neque enim mortua dicitur Rachël in Ephrata, & erectus in ea monumenti titulus ; sed in via quæ ducit Ephratam, quæ est Bethlehem ; quare sepulchrum illius excitari longiusculè potuit ab Ephrata.

Gen 38. 20.

TROPOL. Aut. Caten. Rabbi Salom. Varab. Salian. Mend. 12 *Iuxta sepulchrum Rachel.* Author Catenæ. Cur nam inter fausta futuri regni prænuntia sepulchri Rachelis Samuel meminit, cùm potissimùm iuxta expositionem Rabbi Salomonis, Varabli, & Saliani, quando Saül illuc accederet, iam viri illi excessissent inde? Responderi potest iuxta moralem institutionem, ideo hoc illi in signum exhiberi, vt obiter, ne regio fastu intumesceret, futuræ suæ mortis, & regni vanitatis memor fieret, quod quidem annotauit noster Mendoza in præsenti, & Annot. 14. sect. 2. tom. 2. *Quasi diceret*, inquit ; *Coronam tibi obtuli, sed tu ad sepulturam perge. Regnum fastidis, si sepulchrum mediteris, cui te fastus regius non eripiet, sed includet.* Hinc apud veteres Græcos mos ille laudatissimus increbuit, cuius meminit Isidorus apud Paradin. lib. de Symb. Vt recenter creatus Imperator admoneretur, lapidem, vnde sepulchrum erigi vellet, eligeret, vt hoc distico contineretur.

Rex mortem ob oculos habeat.

Isidor. Paradin.

Elige ab his saxis, ex quo angustissimè Cæsar
Ipse tibi tumulum me fabricare velis.

Quæ etiam de causa Reges olim, dum crearentur, vngebantur, vtpote moribundi adumbrato extremæ vnctionis Sacramento. Vnguentum verò, quo non solum Reges, sed etiam Sacerdotes deliniebantur, vt probauimus, cinamomum continebat Exod. 3. 23. Quod quidem, vt ait Glossæ Interlin. Autor, *cineri coloris erat*, vt coloris indicio, edoceretur Rex, ipsa inter regni sui primordia, faustósque inter plausus, *nos cinerem esse. Significat humilitatem*, ait Glossa, *quo nos cinerem esse, & in cinerem reuersuros intelligamus.* Cui quidem studio inseruit Moyses, dum Israëliticus factus Imperator in terram Promissionis proficiscens, Iosephi secum ossa transportauit, vt testantur communiter Hebræi, eóque prior Noë inclusæ illius Reipublicæ gubernator, etiam Adami ossa secum intulit in Arcam, vt Author est Moyses Barzepha lib. 1. de Paradiso cap. 14. Vterque nimirùm viuidum suæ mortis memoriale ob oculos sibi versari cupientes, quo ita viuentes se gererent, vt morientes etiam viuerent. Quocirca pulchrum quidem est Epitaphium, quod in monumento veteri Gaetæ legitur, vt affirmat Anton. de Guenara in suis Epistol.

Exod. 3. 23. Interl.

Barzepha.

Guenara.

Sylvius Paladius
Vt moriens viueret
Vixit, vt moriturus.

MYSTIC. Gregor. 13 *In finibus Benjamin.* Gregor. suprà. Quia in ipsa altitudine supernæ contemplationis non præsumptionem suam, sed rationem sanctæ Ecclesiæ tenere prædicatores student, sepulchrum Rachel in finibus Benjamin esse describitur. Vt (iam dixi) in Benjamin, qui filius dexteræ dicitur, Redemptor humani generis designatur. Fines ergo Benjamin regulæ sanctarum Scripturarum sunt ; de quibus profectò finibus scriptum est : *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui.* Prou. 22.

14 *In finibus Beniamin.* Abulensis ibi. quæst. 4. Abul. Hoc procedit ex habitudine locorum ; est enim vtrumque verum, scilicet quòd illi viri erant simul in finibus Benjamin, & apud sepulchrum Rachel ; nam sors Iudæ est maximè Meridiana in tota terra Chanaam, quod patet Iosuë 15. nam illa loca quæ ponuntur ibi, tanquam termini Meridiani ipsius sortis ponuntur. Numer. 34. Tanquam termini Meridiani totius terræ Chanaam ; sors autem Beniamin est coniuncta sorti Iudæ, scilicet quod latus Meridianum sortis Benjamin, & latus septentrionale sortis Iudæ, sunt idem latus. Quod patet, quia illa loca, quæ ponuntur Iosuë 15. in latere septentrionali sortis Iudæ, ponuntur in latere meridiano sortis Benjamin ibid. 18. Iosue 15. Num. 34. Iosue 15. Ibid. 18.

MYSTIC. Bonau. 15 *In meridie.* Bonauent. in Lamentat. Ieremiæ sub initium. In meridie, id est in spirituali prosperitate magnas foueas saliunt, qui lætitiam magnam, quam habent in corde, exteriùs ostendunt, quia inuentæ sunt asinæ, id est animæ Christi sanguine redemptæ.

LITERAL. Abul. 16 *In meridie.* Abul. ibi. quæst. 4. Id est ad partem meridianam finium Benjamin, scilicet, quòd sepulchrum Rachel est meridianum respectu finium Benjamin, eo quòd terra Iudæ est magis meridiana, quàm terra Benjamin.

MYSTIC. Gregor. 17 *Salientes magnas foueas.* (Iuxta aliqua exemplaria.) Gregor. suprà. Qui profectò viri in meridie magnas foueas saliunt, qui per feruorem perfectæ charitatis, in qua assumpti sunt, cuncta, quæ videntur sæculi alta despiciunt. Quidquid enim in hoc sæculo altum cernitur, non est vera altitudo, sed fouea, quæ omnes quos in sua ambitione recipit, ad inferiora deponit. In meridie ergo magnas foueas saliunt, quia sæculum non possunt contemnere, nisi qui plenam lucem, & ardorem supernæ charitatis habent.

LITERAL. Abul. 18 *Salientes magnas foueas.* Abul. ibid. quæst. 4. In Hebræo habetur *Becilza*, quod à quibusdam putatur esse nomen proprium, & tamen est commune, quia *Be* in Hebræo est præpositio, sicut apud nos est *in* : *Cilza* significat saltare, & sic interpretatur *Becilza* in saltando. Hieronymus autem, quia vidit hoc imperfectum, dixit : *Magnas foueas*, & fortè quia apud illum locum erant magnæ foueæ, & videns sententiam esse incompletam, compleuit illam. Hoc autem apparet, quia infrà vbi dicitur : *Insiliet in te spiritus*, ponitur tale nomen, sicut iste *Cilza*. Similiter etiam infrà vbi dicitur : *Et insiluit in eum spiritus Domini*, ponitur idem vocabulum, ergo ita significabit hîc *Becilza* saltare, vel in saltando.

Hieron.

TROPOL. Berchor. 19 *Salientes magnas foueas.* (Iuxta aliqua exemplaria.) Petrus Berchor. lib. 9. Mend. cap. 7. Dic moraliter, quod Saül, qui interpretatur *abuens*, id est

ideſt quilibet peccator;& Dei miſericordiæ abuſor Rex, ideſt ſui ipſius diſcretus rector, ſi efficiatur, vel quòd ad cœleſte regimen promoueatur, vel ad hoc,quòd ad temporalis curæ, vel prælaturæ regimen eligatur, plura neceſſariò requiruntur. Debet enim ante omnia de oleo diuinæ gratiæ interiùs vnctionem recipere. Debet 2.duos viros ſalientes foueas, ideſt duplicem charitatem,Dei ſcilicet, & proximi,quæ ſola foueam inferni tranſilit, & euaſit, obuiam inuenire.

Literal. Carthuſ. 20 *Salientes magnas foueas* (iuxta aliqua exemplaria)Carthuſ. ibi. art.19. Ideſt, præ gaudio magno tranſilientes foſſata,vel cauſâ exercitij id agentes ſecundùm quendam. Hebræus habet: *Ad claras foueas*, quod ſecundum eos poteſt eſſe proprium nomen,quemadmodùm Clara-Vallis.Verumtamen magis periti aſſerunt, iſtud videlicet: *Salientes magnas foueas* in Hebræo non haberi.

Literal. Sanctius. 21 *Salientes magnas foueas* (iuxta aliqua exemplaria) Gaſpar. Sanctius ibi.num.22. Septuaginta hîc addunt: *Salientes granditer*, ideſt gradientes velociter:vnde id ſumpſerint,non video. Sed dum plura,& minuta magis ſigna proponuntur, maior dictis conciliatur fides.

Tropol. Gregor. *Prædicator ſibi conſulat.* 22 *Solicitus eſt pro vobis.* Gregor. ſuprà. Pater ergo noſter dimiſſis aſinis, ſolicitus eſt pro nobis, quia Redemptor noſter ſic vult nos quærere ſalutem alienam, vt non negligamus noſtram. Vult, vt vocentur peccatores ad pœnitentiam: ſed non vult, vt pereant hi,qui ipſos peccatores vocant.

Tropol. Carthuſ. *Prælatus conſulat ſibi.* 23 *Solicitus eſt pro vobis.* Carthuſ. ibi.art.20. Quamuis enim officium prælationis ſit ſanctum, nihilominùs eſt valdè periculoſum; fit aliquando, vt qui alios cupit conuertere, peruertatur ab aliis, & paulatim refrigeſcat à charitatis ſuæ feruore,ita vt illud Apocalypſeos ei dicatur à Domino: *Habeo aduerſum te pauca, quia charitatem tuam primam reliquiſti.*

Tropol. Gregor. 24 *Quid faciam de filio meo?* Gregor.ſuprà. Hoc profectò pater dicit,qui tenerè filium diligit. Hoc igitur non dicitur de præſente filio,ſed abſente. Sed quia perditas aſinas patris quærit, ei valdè dilectus eſt; quia qui peccatorum aſinas conuertere prædicando nititur, Redemptori noſtro iam in magna charitate copulatur; qui certè per aliorum ſolicitudinem, ab eo quaſi longè abeſt: per quietem contemplationis,& affectum orationis,propè. Quia ergo nos vicinos eſſe, & per contemplationem,& orationem appetit, quaſi diligens pater dicit: *Quid faciam de filio meo?*

Literal. Carthuſ. 25 *Quid faciam de filio meo.* Carthuſ.ibi.art.19. Quo conſtat,quàm validè eum dilexit, non ſolùm vt filium, ſed & quia tam elegans fuit in naturalibus,& ſupernaturalibus donis.

VERSVS III.

Vulg. *Vulgata.* Cúmque abieris inde, & vltra tranſieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te tibi tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel,vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini.

Benedict. *Benedict.in margine.* Et veneris ad *planitiem* Thabor.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et præteribis inde & vltra, & venies vſque ad Elon Thabor, & reperient te ibi tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel: vnus portans tres hœdos, alius portans tres tortas panis, & alius portans vtrem vini.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Illinc progreſſus portò venies ad quercetum Thabor, vbi incident in te tres viri aſcendentes ad Deum Beth-el: vnus portans tres hœdos:alter ferens tres globos panis: tertius geſtans lagenam vini.

Ariaſm. *Chaldaica ex Benedict. Ariaſm. in Regia.* Et ibis inde porrò, & venies vſque ad planitiem Thabor, & inuenient te ibi tres viri,qui aſcendentes ad adorandum ante Dominum in Bethel:vnus portans tres hœdos:& vnus ferens tres tortas panis,& vnus ferens lagenam vini.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et abibis inde & vlteriùs, & inuenies vſque ad quercum Thabor, & inuenies ibi tres viros aſcendentes ad Deum in Bethel: vnum tollentem tres hœdos: & vnum tollentem tria vaſa panum; & vnum tollentem vtrem vini.

Sixtina *Græc. ex Septuag. in Sixtia.* Et abibis inde, & vlteriùs, venies vſque ad quercum Thabor, & inuenies ibi tres viros aſcendentes ad Deum in Bethel: vnum portantem tres hœdos: & vnum portantem tria vaſa panum: & vnum portantem vtrem vini.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Et veneris ad quercum Thabor.* Gregor. lib.4. Variar.cap.5.Quercus vmbroſa eſt arbor, & fortis;in qua profectò arbore ſecretior conuerſatio Sanctorum exprimitur. Huius namque conuerſationis viri, dum ad exteriora opera actiuæ vitæ non exeunt, quaſi in vmbra ſunt, quia incendia tentationem ſentire non poſſent.

Mystic. Berch. 2 *Et veneris ad quercum Thabor inuenient te tres viri.* Petrus Berchor. lib.9. Moral. cap.7. Ad quercum Thabor, ideſt iuxta memoriam Crucis, tres viros,ideſt tres pœnitentiæ partes,ſcilicet contritionem,confeſſionem, & ſatisfactionem ſimiliter reperire. Contritio enim portat vinum, quod inebriat per compunctionem. Vnde Iſaiæ.16. *Super hoc plorabo in fletu Iazer vineam Sabama:inebriabo te lachryma mea.* Confeſſio portat tres hœdos, per quos fœtoris peccati triplex confeſſio denotatur, ſcilicet cùm confitetur homo peccatum cordis,peccatum oris, peccatumoperis. Satisfactio verò portat tres panes, ideſt tria opera ſatisfactoria, ſcilicet eleemoſynam, orationem, & ieiunium, de quo dicitur: *Amice accommoda mihi tres panes.* Luc.11.

Iſai.16.

Luc.11.

Literal. Comeſt. 3 *Et veneris ad quercum Thabor.* Comeſtor. in Hiſtor.Schol.cap.10. Eſt Thabor nomen hominis: non montis.

Literal. Abul. 4 *Et veneris ad quercum Thabor.* Abul. ibi.q.4. Iſta quercus erat in via; erat enim iſta arbor famoſa,quia magna erat, & vnica in monte illo, ſicut dicitur de ilice Mambre. Gen.18. Vocatur autem quercus Thabor, quia forte erat in monte Thabor. Eſt autem Thabor quidam mons excelſus in terra Iſraël,in quo Chriſtus transfiguratus eſt coram tribus Diſcipulis de quo Matt.17. Erat autem tranſitus Saüli pro terra illa, per locum illum.

Gen.18.

Matt.17.

Literal. Caiet. 5 *Et veneris ad quercum Thabor.* Caietan.ibi iuxta Hebræum habetur *Elon Thabor.* Aliàs diximus arborem ſignificari, quam Interpres ſæpe quercum appellat.

Literal. Mendoza. 6 *Et veneris ad quercum Thabor.* Franciſ.Mend. ibid.

ibid. §. 1. Secundum oraculum est, Saüli ex sepulchro Rachelis, seu ex finibus Benjamin recessuro obuios fore tres viros ad quercum Thabor. Vatablus transfert ad *quercetum Thabor*, quasi non vna tantùm quercu, sed pluribus locus ille vmbraretur. Nihilominùs cæteri codices, & Interpretes de vna tantum arbore loquuntur.

Mystic. Greg. 7 *Inuenient te tres viri.* Greg. suprà. Tres viri, qui vnctum Regem ad quercum Thabor inueniunt, illos designant, qui in contemplatiuæ vitæ studio perfecti sunt. Qui benè non inueniri à Rege, sed Regem illic inuenire perhibentur; non enim inueniuntur, quia abscónditi sunt: ipsi verò nos inueniunt, quia lucem suæ secretæ conuersationis nobis aperiunt, cum dignantur. Non inueniuntur, quia vitam suam ab omni hominum testimonio auferunt, sed nos inueniunt, quia per affectum charitatis nobis ad imitandum, aliquid suæ lucis ostendunt.

Mystic. Idem. *Iustus epi fœnix.* 8 *Inuenient te tres viri.* Idem ibidem. Cùm benè proficere in sancta conuersatione volumus, necessarium nobis est, vt electorum plurimorum nobis exempla colligamus: nam & apes componere mella nequeunt, si ea in floribus variis nequaquam legunt. Benè ergo Saül à viris aliis ad alios peruenit, quia exempla Sanctorum quò copiosiùs cernimus, meliùs edocemur. Flores quippe æternorum fructuum sunt opera Sanctorum, quæ dum superni amoris rore perfunduntur, ex eis carpimus, vnde ad nostram doctrinam, & aliorum vtilitatem repleamur.

Histor. Ioseph. 9 *Inuenient te tres viri.* Ioseph. lib. 4. Antiq. c. 5. In hoc itinere offendes tres homines religionis ergo tendentes ad Bethela, quorum primum videbis terre tres panes: secundum hœdum: hos tertius sequetur vtrem vini baiulans.

Mystic. Lombar. 10 *Inuenient te tres viri.* Petrus Lombardus in Allegor. Bibliæ. Tres viri tria sunt hominum genera incipientium, proficientium, perfectorum, siue quos Propheta vidit Noë, Daniël, & Iob Tres hœdi, tria sunt sacrificia contritionis, iustificationis, deuotionis.

Literal. Hieron. 11 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Hieron. vel Author Tradit. Hebraïcar. Hi viri causâ orationis ibant in Bethel, vbi Iacob lapidem erexerat. *Eadem verba habet* Rupertus.

Rupert.

Literal. Euseb. *Bethel quid?* 12 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Eusebius Pamfilus lib. de Locis Hebraic. tom. 3. operum Hieronymi. Bethel vicus in duodecimo ab Helia lapide ad dexteram euntibus Neapolim, quæ primum *Luza*, id est Amygdalum vocabatur, & cecidit in sorte Tribus Benjamin, iuxta Betam, & Gai, quam expugnauit Iesus Rege illius interfecto.

Mystic. Gregor. 13 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Greg. lib. 4. Variar. cap. 5. Viri qui ad Deum ascendunt, in Bethel ascendere dicuntur, quia cùm multùm in ista vita proficimus, videre ipsam lucem Conditoris per speculum possumus, in seipsum autem minimè valemus.

Literal. Lira. 14 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Liran. ibid. Causa orationis, & sacrificij, quia tum temporis erat licitum immolare Domino in excelsis.

Tropol. Idem. 15 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Idem in Morali. Quod pertinet ad prælationis officium, & per hoc significatum fuit Saüli, quòd debebat legem accipere à Sacerdotibus, & in ea meditari, vt habetur Deuter. 17.

Literal. Abul. 16 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Abul. ib. q. 4. Id est apud montem Thabor obuiabis tribus viris euntibus in Bethel. Est enim magis meridianus locus Bethel, quàm mons Thabor, quia mons Thabor est in sorte Isachar: Bethel autem est in sorte Benjamin, vt patet Iosuë 18. Iosue 18.

Literal. Abul. 17 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Idem ibid. Hic dicitur, quòd illi, qui ascendebant in Bethel, ascendebant coram Domino, & tamen nemo dicit, quòd Arca, vel Sanctuarium fuerit aliquando in Bethel: Dicitur tamen in omni loco esse aliquis coram Deo, in quo Deus specialiter est; & quia in omnibus his locis fiebant Sacrificia, & impendebatur Deo cultus, dicebatur ibi esse Deus, & quando erant ibi homines, dicebantur esse coram Domino. Apud istum autem locum Bethel à principio, cùm introisset Abraham in terra Chanaam, construxit Altare, & immolabat ibi. Genes. 12.

Literal. Caiet. 18 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Caiet. ibi. Iuxta Hebræum habetur: Ad Elohim Beth-el. Non est enim sermo de loco appellato *Beth-el*, sed de domo Dei, quæ tunc erat in Silo; ascendebant enim isti cum oblationibus ad Deum in domo Dei.

Literal. Vatab. 19 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Vatablo in Schol. Id est, vt orent Deum in Bethel, vbi erat adhuc Altare Iacob, & quia Tabernaculum erat desolatum, licebat illic sacrificare, neque solùm illic, sed & priuatim.

Literal. Mendoza. 20 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Franciscus Mendoza ibid. §. 4. Notandum est Bethel aut esse posse nomen appellatiuum, significans quamcunque domũ Dei, siue quemcumq; locum, in quo diuinus cultus habeatur: quo pacto Silo, Masphath, Nobe, & similia loca diuino cultui consecrata Bethelia nomine poterant nuncupari: aut esse nomen proprium alicuius loci, vel vrbis. Duplicem autem fuisse vrbem nomine Bethel veteres Rabbini apud Massium Iosuë 16. num. 2. tradiderunt: vnam in Tribu Benjamin, vt manifestum est ex capite 18. Iosuë num. 22. alteram in Tribu Ephraim, vt patet ex cap. 18. Iosuë num. 13.

Rabbini. Massius.

Literal. Menoch. 21 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Menoch. in sua Biblia. Sacrificabatur eo tempore in excelsis, & Bethel iam inde à tempore Iacob locus religionis censebatur, vt nomen ipsum ostendit, quod domum Dei significat.

Literal. Author Catenæ. Hebræi. *Bethel quid?* 22 *Ascendentes ad Deum in Bethel.* Author Catenæ. Duplicem fuisse Bethel: aliam in Tribu Ephraim: aliam in sorte Benjamin docent Rabbini. Ego verò cum Caietano de neutra harum sermonem hîc esse potiùs crediderim, sed ita vt Bethel non sit nomen proprium alicuius loci, sed commune, per quod domus Dei intelligatur iuxta nominis etymon; ad modum Gabaa, quo Arca inducta describitur suprà cap. 7. 1. non pro vrbe, aut loco propriè per id nomen significato, sed pro loco quouis excelso interpretatur. Quis autem hic fuerit locus, qui *domus Dei* dicitur, incertum est, cùm hoc eodem tempore variis in locis sacrificatum videamus. Nam Samuël priùs immolauit in Masphath: suprà cap. 7. 9. & posteriùs in loco excelso suæ vrbis Ramathæ. cap. 9. 12. vt ibi notauit Lira, Helias etiam in Carmelo. 3. Reg. 18. 36. Probabilius mihi est, quod docet Caietanus, hunc locum, qui *Dei domus* dicitur, fuisse vrbem Silo; vbi olim Arcæ, & Tabernaculi sedes fuerat, vbi etiam Tabernaculum, & Propitiatorium remansisse improbabile non est, quidquid reclamet Mendoza; quod si ibi non remanserunt, sed cum ipsa Arca asportata sunt, locus tamen exinde sacratus erat, & domus Dei posset iure dici.

3. Reg. 18. 36. Caiet. Mendoz.

Mystic. Greg. 23 *Vnus portans tres hœdos.* Greg. suprà. Tres hœdos portat, qui ore, corde, & opere se deliquisse pœnitendo

pœnitendo considerat, quia enim per hœdos peccatores significantur ij, qui in extremo examine ad sinistram æterni Iudicis statuendi sunt, & horum nomine exprimuntur. Tres ergo hœdos ad Dominum portat, qui peccata operis, verbi, & cogitationis pœnitendo considerare non desinit.

LITERAL. Abul. 24 *Vnus portans tres hœdos.* Abul.ibi q.4. Isti tres viri ibant ad offerendum, & ista pertinebant ad oblationem. Poterat etiam dici quòd portabant isti viri panes, & vinum pro itinere, & non pro Sacrificiis. Patet, quia cùm ipsi portarent tres panes, duos illorum dederunt Sauli, vt patet infrà.

MYSTIC. Gregor. 25 *Et alius portans lagenam vini.* Gregor. suprà. Lagenam vini portat, qui mentem repleuit calore Spiritus Sancti, quo & anteriora fortiter currendo appetat, & ea, quæ retrò sunt, velut in magna ebrietatis obliuione derelinquat.

VERSVS IV.

Vulgat. *VVlgata.* Cúmque te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.

Benedict. *Bened. in marg.* Et interrogabunt te illi de pace.

Glossa. *Text. Gloss. in margine.* Cúmque te salutauerint in pace.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Et salutabunt te cum pace, & dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Qui, te salutato in pace, dabunt tibi duos panes, quos accipies de manu eorum.

Ariasm. *Chaldaic. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et rogabunt tibi pacem, & dabunt tibi duas tortas panis, & accipies de manu eorum.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Et interrogabunt te ea, quæ in pace, & dabunt tibi duas primitias panum, & accipies de manu eorum.

Sixtian. *Græca ex Sept. in Sixt.* Et interrogabunt te quæ ad pacem, & dabunt tibi duas primitias panum, & sumes de manu eorum.

Theodo. *Theod. ibi, q.22.* Te rogabunt quæ ad pacem, & dabunt tibi primitias panum, & accipies ex manu eorum.

Mendoza. *Franc. Mend. ibi. Ex Hebræo:* Optabunt, seu rogabunt tibi in pace.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. 1 *CVmque te salutauerint.* Greg. lib. 4. Variar. c. 5. Salutant nos Viri sancti, quando nobis bona æternæ salutis annuntiant; qui verò nos per corpus salutant, caput inclinant, vt reuerentiam salutatis exhibeant: viris autem spiritualibus caput inclinare, est à summa contemplatione mentem deponere; nam si caput non inclinant, salutare non possunt, quia nos salutari eruditione non instruunt, si mentem à summa contemplatione cœlestium non deponunt.

HISTOR. Ioseph. 2 *Cumque te salutauerint.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 5. Hi, tibi comiter salutato, dabunt panes duos, & accipies.

MYSTIC. Gregor. 3 *Dabunt tibi duos panes.* Gregor. supra. Duo panes Prædicatori ordinando dantur, quando flere docetur peccata, non solùm sua, sed aliena. Habet ergo panem vnum tantùm, quando pro peccatis suis affligitur: habet alium, quando subditorum peccata plangere conatur.

LITERAL. Theodor. 4 *Dabunt tibi duos panes.* Theod. ibi. q.22. Ex iis, quæ ad Deum afferuntur, ad eum affe runt primitias.

LITERAL. Berchor. 5 *Dabunt tibi duos panes.* Petrus Berchor. lib. 9. Moral. c. 7. Isti igitur tres viri, scilicet contritio, confessio, & satisfactio, quos pœnitens inuenit, duos panes solent sibi concedere, inquantum scilicet deuotionem, & compunctionem sibi solent conferre. *Fuerunt mihi lachryma mea panes die, ac nocte.* Psalm. 41. Ps. 41.

LITERAL. Abul. 6 *Dabunt tibi duos panes.* Abul. ibi. q.4. Fortè isti viri cognoscebant Saulem; ideò dederunt ei duos panes, videntes quòd iter ageret, & egebat eis. Saul autem non erat perituras panes, sed viri gratis obtulerunt ei.

MORAL. Mendoza. 7 *Dabunt tibi duos panes.* Franciscus Mendoz. ibi §. 9. Cur Saüli in Regem electo panes duo tribuuntur in signum: Respondeo, quia nullus est frequentior & certior regni comes, quàm necessitas, & indigentia.

LITERAL. Mendoza. 8 *Dabunt tibi duos panes.* Idem ibidem. Cur Samuel Saüli indigenti de panibus non prouiderit, sed absque vllo viatico dimiserit? Respondeo ne Regis gratiam collatis muneribus ambire videretur. Neque propterea fuit Samuel inhumanus, quia præuidebat non defuturos illos viros, à quibus Saul necessaria acciperet alimenta.

TROPOL. Author Catenæ. Græc. Theodor. *Regi indigenti succurrat Sacerdos?* 9 *Dabunt tibi duos panes.* Autor Catenæ. Panes hos, vti etiam hœdos, & vinum in Sacrificium, & libamen à viris istis afferri affirmat communis expositio; & confirmari potest ex Græco, & Theodor. qui transferunt *primitias panum.* Quæ quidem primitiæ vni Deo offerebantur. Qui ergo duos ex tribus panibus Sacrificio destinatis Saüli deferunt? Respondeo id ita factum fuisse, vt in eo adumbraretur Regi quidem in angustia, & indigentia redacto, si ea etiam quæ sacra sunt, Ecclesiastici interdum deferat, non à religione aberrare. Sic nimirum pius Abimelech Sacerdos Dauidi indigenti, officioso quidē, vt se ipse fingebat, Regis ministro, panem iam sanctificatum, & Deo sacrum porrigere veritus non est, diuini non immemor consilij: *Misericordiam volui, & non sacrificium,* Oseæ 6. 7. *Vidit eius magnam velocitatem,* ait Abul. q.8. *ex mandato Regis, ideò non misit ad aliam domum pro pane, sed credidit obseruationem præcepti legalis ad hoc quod posset dare Dauid de cibis sanctificatis.* Notandum tamen est, licet pium Sacerdotibus sit, indigentibus Principibus opem ex sacris interdum elargiri, minimè tamen ipsis Regibus ea ab Ecclesia exigere fas esse, nec sacra profanis immiscere: Cauēant potiùs oportet miseri Heliodori supplicium 2. Mach. 3. 24. Præterquamquod innumeris experimentis compertum est, florentissimas quasque Respublicas, quæ religione contempta sacris thesauris ditari voluerunt, in tantum consilio suo elusas fuisse, vt in maiores angustias, & calamitates deuenerint; vti enim Aquilarum plumæ aliarum auium, quibus immiscentur, plumas exedunt, ita Ecclesiasticæ opes profanis adiunctæ, ipsas corrodunt, & ad nihilum redigunt. Cuius quidem recentissima exempla apponere difficile non esset. Saül ergo pius adhuc Princeps, nec panes Sacrificio deputatos exigit, sed nec acciperet quidem ab iis, qui vltrò offerebant, nisi Samuelis instaret præceptum, vt notarunt Abulensis, & Mendoza, & confirmari potest ex Gregorio, qui ait: *Præcipiat ergo Propheta, dicens: Accipies de manu eorum.* 1. Reg. 21. 5 Oseæ 6. 7. Abul. 2. Mach. 3. 24. Abul. Mend. Greg.

10 *Dabunt*

Ionathas statione Philistinorum, quæ erat in Gabaa; ergo iste collis Dei erat in Gabaa.

LITERAL. Ioann. Benedict. 5 *Post hæc venies in collem Dei.* Ioan.Bened. in sua Bibl.ad marg.Collis Domini locus erat in terra Benjamin,vbi Prophetę habitare solebãt inter Elon Thabor,& domum Saülis non longè à Bethel.

LITERAL. Vatabl. 6 *Post hæc venies in collem Dei.* Vatab.in Schol. Id est vrbis Chariathiarim,vbi est nunc Arca Dei.

LITERAL. Author Catenæ. *Collis Dei quis?* Hebræi. Isidor. Clar. Rabbi Salom. Serar. Vatab. 1.Paral.13. Serar. Abul. Ioseph. Torniel. Salian. Sanctius. Mendoza. 7 *Post hæc venies in collem Dei.* Author Catenæ. Quisnam locus iste fuerit, qui collis Dei dicebatur, non satis constat. Hebræi apud Isidor. Clarium,& præcipuè Rabi Salomon, quem sequitur Serarius, & consentit Vatab. aiunt fuisse Chariathiarim, vbi constat Arcam ex Bethsamitis asportatam,locatam fuisse.suprà, c.7.& conseruatam.1.Paral.13. Pro ea etiam sententia refert Serarius Abul.sed immeritò, cùm expresè contrarium doceat suprà,scilicet,esse collem vrbis Gabaa,cui fauere videtur Ioseph.dum oppidum,quo hęc acciderunt,vocat *Gabatha*. Abul. conniuent Torniel. Salian. Sanct. Mend. & plures alij. Cæterùm Chald.ità priorem sententiam confirmat,vt ab ea discedendum non sit;transfert enim: *Ad collem,vbi Arca Domini.* Cuius quidem authoritati,accedente etiam aliorum,quos retuli, potiùs standum est. Rationes verò quibus Abul. mentem suam probat, licèt congruentes sint, non tamen conuincunt. Prima, quia hoc vltimum signum accidit in fine itineris Saülis,ergo in vrbe Gabaa eiusdem patria, vbi complebatur iter. Respondeo,non quia vltimũ, debuisse in fine itineris accidere, sed potuisse antea euenire. Secunda, quia accidit, vbi Saül maximè cognoscebatur, vt constat ex eorum admiratione, qui dicebant: *Quænam res accidit filio Cis?* Ergo in patria. Negari potest consequentia,vel etiam antecedens, cùm vir non ignobilis extra patriam etiam cognosci posset.Tertia,quia immediatè postquam signum hoc accidit,vt Saul prophetaret, adiungitur patruũ sui occursus, & interrogatio vbi fuisset, Respondeo non certam esse regulam, cùm sæpè Scriptura euentibus narrationem non coniungat, sed referat sæpè, ordine rerum non seruato. Immò post eius prophetationem scribitur ascensus eius in excelsum, excelsum autem interpretatur *Gabaa*,Saulis patria,& inhabitatio. *Cessauit*, inquit,*prophetare,& venit ad excelsum, dixitque patruus ad eum.* Vers.13.Ergo post vltimum signum venit in excelsum, seu Gabaa domum suam. Quarta,quia is collis dicitur locus stationis Philisthinorum; erat autem in Gabaa Benjamin,vt constat c.13. vers.3. Ergo collis de quo est contentio, erat in Gabaa Benjamin, Saulis patria.Respondeo stationem Philisthinorũ fuisse in Gabaa Benjamin, non tollere,quin etiam fuisse potuerit & alibi;constat enim non vnico in loco, sed in pluribus Philisthinorum stationes,seu præsidia fuisse,qui vel tributa ab Israëlitis colligerent,vel eorum subiectionem retinerent, ergo etiam in Cariathiarim potuit fuisse Philisthinorum statio,vbi præcipuus ex Arcæ religione Hebræorum concursus fieret. Tandem mentem meam confirmo ex ipso *collis Dei* nomine, qui non ex conuentu Prophetarum,vt vult Mendoza,sed ex Arcæ præsentia appellationem obtinebat.

1.Reg.10.11.

Mendoza.

MYSTIC. Greg. 8 *Vbi est statio Philistinorum.* Greg.suprà. Quoties Iudęi ad collem Domini ascendere præsumunt; à Philisthæis ibi stantibus capiuantur; dum enim Scripturę sensum se sublimiter intelligere æstimant, eis in ascensu suo Dæmones obuiant, & decipientes, necant.

LITERAL. Comest. 9 *Vbi est statio Philistinorum.* Comest.in Histor. Schol.cap.10. Post hoc venies ad locum,qui dicitur statio Philisthinorum,eo quod quondam ibi Philisthæi castrametati sunt.

LITERAL. Abul. *Statio Philistinorum quæ?* 10 *Vbi est statio Philistinorum.* Abul.ibi.q.4. Erat statio Philisthinorum in Gabaa, scilicet quòd manebant ibi multi Philisthini habitabant in loco ipso. Hoc autem erat,quia adhuc Philisthini habebant onera tributorum super Israëlitas,& collocauerant ibi multos de terra sua ad colligendum tributa. Etiam manebant ibi ad tenendum terram in pace,scilicet ne insurgerent Israëlitæ contra Philisthinos. Etiam manebant ibi, vt scirent quid fiebat in toto Israël,& facerent obseruari leges, quas imposuerant.

LITERAL. Caietan. 11 *Vbi est statio Philistinorum.* Caiet.ibid.Nihil aliud significari videtur,quàm præsidium,quòd ibi habebant Pelisthini; in hodiernum siquidem vsque diem retinent Principes aliquas arces munitas, quamuis restituant ciuitates; & sic intelligimus Pelisthinos,& restituisse ciuitates tempore Samuëlis,& tamen tenuisse præsidia in aliquibus arcibus.

MYSTIC. Greg. *Prædicatores sunt Prophetæ.* 12 *Obuium habebis gregem Prophetarum.* Greg. suprà.Qui sunt hi Prophetæ,nisi magni præsidiatores sanctæ Ecclesię? Prophetæ namque ministerium, occulta reuelare,& futura prædicere,Doctores autem sanctæ Ecclesiæ Dei occultos Scripturarum sensus ad communem scientiam trahunt; secreta; quæ nesciuntur, aperiunt; & dum æterna gaudia prædicant, futura reuelant. Prophetæ ergo nobis obuiam veniunt, quia Doctores sanctæ Ecclesiæ Scripturæ veritatem nobis ostendunt.

LITERAL. Theodor. 13 *Obuium habebis gregem Prophetarum.* Theod. ibi.q.12. Chorum Prophetarum,& cœtum eorum, qui cum eis chorum ducunt, qui tibiis vsi sunt, & lyra,& nabiliis,& tympanis.

HISTOR. Ioseph. 14 *Obuium habebis gregem Prophetarum.* Ioseph. lib.6. Antiquit. c.5. Vnde progressus ad oppidum Gabatha in cœtum Prophetarum incides.

LITERAL. Comest. *Samuel conuentus Religiosorum instituit?* 15 *Obuium habebis gregem Prophetarum.* Comest. ibid. c.10. Nota quòd Samuel primò instituit conuentus religiosorum iugiter psallentium Domino. Et dicebatur conuentus eorum cuneus, quasi conneus;& dicebantur prophetare,id est iugiter Deum laudare.Fortè aliqui quandoq; prophetabant ex eis.

LITERAL. Abul. 16 *Obuium habebis gregem Prophetarum.* Abul. ibid. q.4. Erant in multis locis istæ congregationes Prophetarum: sic enim patet de vrbe Ramatha; ibi enim erat cuneus Prophetarum vaticinantium, & Samuel super eos; infrà, cap.19.

LITERAL. Idem. *Prophetæ qui,& quales?* 17 *Obuium habebis gregem Prophetarum.* Idem ib.q.5.Aliqui vocantur Prophetę,qui non enunciãt aliqua de futuris,nec reuelant abscondita,nec Deus tangit mentem eorum ad cognoscendum hæc; tamen sunt viri valdè sapientes in Scriptura,& magni iudicij, & per hoc sciunt formare magnas laudes de Deo, faciendo pulchra cantica, & Psalmos. An verò de istis aliqui essent verè Prophetæ non est difficultas, satis enim verisimile est, quod essent, & quandocumque reperiuntur similes modi loquendi in Scriptura,vel dicitur, quia multi sunt Prophetæ simul,aut quòd erunt prophetantes, intelligendum est de istis Prophetis, & non de verè Prophetis.

LITERAL. Serar. *Propheta qui?* 18 *Obuium habebis gregem Prophetarum.* Nicol. Serar. in Comment. Nota primùm Prophetarum, quibus occultissimarum rerum euidens, aut saltem certa cognitio est,& enunciatio,nomen aliquando latius paulò in Scriptura panditur;& significat primò eos,qui sacras litteras scribunt. 2.Pet.1.Secundò qui interpretantur maximè tamen propheţias de futuris,aut internũcij sũt,vt Moyses,& Exod.7. Vide Rom.12. Interprete S.Thoma ib.1.Thes.5.1.Cor.14.

Ephes.4.Prou.29.Tertiò studiosè tractant,& meditantur,quos idcircò appellat Chald.Scribas.Postremo(quod ex rerum diuinarum cognitione,enunciatione,scriptione,interpretatione,ac studio maximè spectari,hetique de[illegible]) Deum laudant,vel voce,vt 1.Paralip.25. 1.Cor.14.vel facto vt Ecclesiast.49.

1 Paral.25. MYSTIC. Gregor.

19 *Descendentium de excelso.* Greg.suprà.De excelso Prædicatores veniunt, quia quod minoribus prædicant,in cœlesti contemplatione didicerunt.

LITERAL. Vatab.

20 *Descendentium de excelso.* Vatabl.in Schol. Id est de loco communi publici.

MYSTIC. Greg.

21 *Et ante eos psalterium.* Greg.suprà.Cùm descendunt Prædicatores psalteriũ ante se, tympanũ, tibiam,& citharã deferunt.Psalteriũ quippe habent, quia regnum cœlorum annunciant:tympanum habent,quia prædicant mortificationem carnis:tibiam habent,quia flere subditos iubent pro acquisitione æternæ lætitiæ: citharam quoque habent, quia gaudere pios pro certitudine æternorum bonorum edocent.

TROPOL. Idem. *Prædicator præcedat, quæ dicat.*

22 *Et ante eos psalterium.* Idem ib.Notandum, quia psalteriam,tympanum,tibiam, & citharã ante se habere Prophetæ perhibentur, vt electorum Prædicatorum forma videatur. Reprobi namque post se,quæ prædicant,habent,quia dicunt,& non faciũt. Negligunt bona agere, quæ cognoscunt. Vnde & adhuc Regi Saüli iam Domini mandata contemnenti dicitur: *Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus,ne sis Rex.* 1.Reg.15.

1.Reg.15.

MYSTIC. Greg. *Caiphas qualis Propheta?*

23 *Et ante eos psalterium.* Idem ibi. Quæ laudis instrumenta ante se habent,quia ea, quæ dicunt,intelligunt.E contra verò Caiphas prophetare dicitur, & ea, quæ dixit, ignorare;cùm tibiam dominicæ mortis, quam tetigit,non vt electus Propheta haberet ante se, sed post se.

MYSTIC. Beda.

24 *Et ante eos psalterium.* Beda lib.2. Exposit. Allegor.c.2. Pulchrè grex Prophetarum de excelso descendens, & Prophetans non post se genera musicorum, sed ante se habuisse describitur; ille enim Doctor verè in excelso diuinæ contemplationis fuisse denominatur, qui ad loquendum humilibus, infirmisque condescendens,cuncta quæ dicturus est prædicando consona voci manu præmonstrat, operando; quomodo de Domino scriptum est: Quia *cæpit* IESVS *facere,& docere.*

LITERAL. Lira. *Musica effectus?* 4.Reg 3.

25 *Et ante eos psalterium.* Lira. ib.Quia aliquæ melodiæ excitant ad deuotionem,vt patet per experientiam, & etiam ad prophetiam. Vnde dicitur 4. Reg.3.quòd Elisæus cùm quæreretur ab eo prophetia, dixit: *Adducite mihi psaltem.* Et subditur: *Cùmque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini.*

LITERAL. Abul. *Psalterium quid? Tympanum quid? Tibia quid? Cithara quia?* Iosepli.

26 *Et ante eos psalterium,&c.* Abul.ib.q.5.Psalterium habet chordas decem, & sic vocatur decachordum.Psal.16. Tympanum est quoddam instrumentum de ligno factum,opertum pellibus animalium rasis, & dicitur tympanum à tinniendo, quia tinnitus reddit, percutitur autem manu, & secundùm variam percussionem variè sonat. Tibia instrumentum æneum factum ad modum tubarum, habet enim lõgos,& strictos sonorum meatus;ideò fortiter clangit; pertinet autem ad bellicas voces; vtebantur tamen Iudæi illo ad laudes Dei. Cithara instrumentum habens decem chordas, sicut psalterium, quanquam alio modo sonans, plectróque percutitur,vt ait Iosephus.

LITERAL. Carthus. 4.Reg.3.

27 *Et ante eos psalterium,&c.* Carth.ibi.art.19. Ad prouocandum spiritualem feruorem, & alacritatem,aut etiam propheticam reuelationem; prout infrà lib.4.Reg.3. legitur Elisæus dixisse.

28 *Et ante eos psalterium,&c.* Caiet.ib.De nominibus instrumentorum non oportet solicitari, quia ignota sunt nobis,quę illo tempore vsui erant. LITERAL. Caietan.

29 *Et ante eos psalterium,&c.* Author Catenæ. Quibus modò nostri temporis instrumentis illa, quorum modò fit mentio, respondeant, incertum est,vt benè notat Caiet. ea describere nititur Abul. vereor tamen an illa non fuerint, quæ ipse existimauit.Plura quoque de illis Rangolius in præsenti, quem consule. LITERAL. Author Catenæ. Abul. Caiet. Rangol.

30 *Ipsosque prophetantes.* Author Cat. Verbum *prophetare* varias in Scripturis sortitur acceptiones, de quibus latè Abul.Mend.Sanct.& alij in præsenti. Delrr.quoque lib.4.Magiæ c.1.q.1. Certum tamen est ad præsens non vsurpari pro futurorum enunciatione,nec pro secretorum apertione;quorsum enim Prophetarum grex de colle descendens aut futura, aut recondita tumultuariè concineret? Deum ergo vocibus,canticis,& musicis instrumentis collaudabant,vt innuit Paraphrastes, & exponunt communiter Interpretes. Vide 1.Paralip.15. 22. & 27. & ibidem cap.25. 1. Author Catenæ. Delrius. Paraphr. 1.Paral.15. 22. &c.

VERSVS VI.

Vulgata. Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cũ eis,& mutaberis in virũ alium. Vulgata.

Bened.in marg. Et *inuadet* in te Spiritus Domini. Benedict.

Textus Glos.in margine. Et *requiescet* in te Spiritus Domini. Glossa.

VERSIONES.

Hebraicæ ex Xante,Pagn. Et requiescet super te Spiritus Domini,& prophetabis cum eis,& efficieris vir alter. Pagn.

Hebraica ex Franc.Vatablo. Et Spiritus Domini promptè te inuadet, vt prophetes & tu cum eis: mutaberisque in virum alterum. Vatab.

Chaldaice.ex Bened.Ariasm.in Regia. Et manebit super te Spiritus prophetiæ ab-ante Dominum, & laudabis cum illis,& mutaberis in virum alium. Ariasm.

Græca ex Sept.in Complut.& Regia. Et insiliet in te Spiritus Domini,& prophetabis cum eis,& mutaberis in virum alium. Complut. Regia:

Græc.ex Sept. in Sixtia. Et insiliet super te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & vertêris in virum alium. Sixtia.

Origen. hom.15.in Numer. Et *decidet* Spiritus Domini super te. Origen.

Caiet.ex Heb. Et *proficiet* super te Spiritus Iehouah. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

1 *ET insiliet in te Spiritus Domini.* Cyrillus Alexand.lib.10.in Ioan.c.39. Oportebat Spiritum venire, vt illum habentes tam aduersùs Diabolum, quàm aduersùs persecutiones hominum,fortes efficeremur.Quod autem præsentia Spiritus ad nouam vitam omnibus,in quibus habitat, transformatur, non est difficile à Scripturis ostendere; dicit enim Samuël ad Saülem: *Et insiliet in te Spiritus Domini,& conuerteris in alium virum.* Et paulus: *Nos verò,* inquit, *omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* LITERAL. MYSTIC. Cyrillus Alexand. 2.Cor.3.18.

2 *Et insiliet in te Spiritus Domini.* August. vel potiùs Autor lib.de Mirabilib.Script.lib.2. cap.10. Vbicumque sine additamento Spiritus Dei,vel Spiritus Christi, vel Spiritus IESV in Scripturis sanctis inuenitur, Spiritus sanctus esse, à nullo sano sensu dubitatur. LITERAL. August.

3 Et

LITERAL. Tertul. *Spiritus qui?*

3 *Et insiliet in te Spiritus Domini.* Tertull.lib.2. contra Marcion.c.24.Saülem assumit in regnum,& sancto Spiritu auget.

MYSTIC. Greg.

4 *Et insiliet in te Spiritus Domini.* Greg.lib.4. Variar.cap.5.Insilire Spiritus Domini dicitur, quia electorum corda donis eius subitò replentur, qui statim prophetare incipiunt,quia qui diuino Spiritu pleni sunt, Dei magnalia tacere non possunt. Vel prophetaturus asseritur, cui Samuël diuini verbi gratiam pollicetur.Quod tale est,ac si dicat:Qui modo in illa abundantia in te superuenientis Spiritus loqui non potes,quando illa se tibi plenitudo infuderit,loquendi copia abundabis. Hunc quippe insilientem Spiritum Discipulis promittens Dominus ait:*Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,& quæ ventura sunt, annunciabit vobis.*

Ioan.16.

LITERAL. Abul. *Spiritus an manserit in Saule.*

5 *Et insiliet in te Spiritus Domini.* Abul.ibi.q.9. Si fuisset Spiritus iste datus Saüli ad hoc,quod semper maneret, non diceretur, quòd insiluit in eum, quia insilire significat quendam subitum motum, & transitum;si autem mansisset,diceretur,quòd requiescet; sic enim patet de Septuaginta viris, quo duxit Moys. ad ostium Tabernaculi,vt essent indices;*Et venit super eos Spiritus Domini,& prophetauerunt*:& non dicitur ibi, quòd insiluit super eos, sed requieuit.Numer.11.

Numer.11.

LITERAL. Caiet.

6 *Et insiliet in te Spiritus Domini.* Caietan.ibi. Iuxta Hebræum habetur:*Et proficiet super te Spiritus Iehouah.*Ad instar proficientis describitur diuinus Spiritus in homine, secundùm nouum donum operans, eo quòd tanquam priùs existens in homine,progreditur de bono in melius.

LITERAL. Mend.

7 *Et insiliet in te Spiritus Domini.*Franc.Mend. ibi.§.13.Dico vtrumque posse hoc loco significari, aut ipsum diuinum Spiritum operantem in Saüle dona sua:aut aliquod donum ab ipso diuino Spiritu profectum.Et fortasse hoc posterius esse formalius significatum, quia per id tempus erat notius; nam tertiam Trinitatis personam non omnes cognoscebant.Quódnam autem fuerit hoc donum,patet ex sequenti difficultate.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. Mendoz. Salian.

8 *Et insiliet in te Spiritus Domini.* Autor Catenæ.Ex phrasi insiliendi colligit Abul.q.9.& 14.cui etiam subscribunt Mendoza, & Salianus Spiritum prophetandi, seu metricè collaudandi Deum Saüli transitoriè,& per modum actus, non verò permanenter,per modum habitus infusum.Quorum quidem consequens certum est:Ratio vero infirma. Certum consequens est,quia ratò Saül posthac prophetauit,tunc verò de integro actu in Spiritu affirmatur.cap.18.10.& cap.19.23. & 24. Ratio infirma:quia licèt insilire significet subitum, celerémque motum agentis, & passi;non tamen necessariò significat celerem actus transitum;quæ enim subitò,& rapidè fiunt, longo etiam tempore interdum permanent.2.Quia aliqua exemplaria Vulgatæ(vti videtur in Textu Glossæ ad alteram marginum adiuncto)habent:*Et requiescet in te Spiritus Domini.* Quæ quidem lectio Hebræo, & Chaldæo consona est.Pagninus enim ita legit: *Et requiescet super te Spiritus Domini*(licèt à Saliano reprehendatur,& inconstantiæ arguatur)Paraphrastes verò:*Et manebit super te Spiritus prophetiæ.*Caietanus etiam: *Et proficiet super te Spiritus Iehouah.* Vnde colligitur ita Spiritum prophetiæ Saüli transitorie infusum,vt aliquo saltem interuallo in eo permanserit,scilicet, vsquedum pergeret in excelsum,vti dicitur vers.13. *Cessauit autem prophetare, & venit ad excelsum.* Circa materiã huius versus vide dicenda infrà vers.9.

Gloss.

Pagn. Salian. Chald. Caiet.

9 *Et prophetabis cum eis.* Hier. vel potiùs Autor Tradit.Hebraicar.Prophetasse eum ibi Iudæi dicunt de futuro sæculo, de Gog & Magog,& de præmiis iustorum,& de pœna impiorum. *Eadem verba nihilò immutata habent* Rabban.Rupert.& Angel.

LITERAL. Hieron. Rabban. Rupert. Angelom.

10 *Et prophetabis cum eis.*Augustin. lib.3.de Bapt. c.16.tom.7. Operatio Spiritus in malis hominibus etiam fieri solet sicut Saül habuit prophetiam.

LITERAL. August.

11 *Et prophetabis cum eis.*Ioseph.lib.6. Antiquit. c.5.Et correptus diuino Spiritu vnà cum illis prophetabis.

HISTOR. Ioseph.

12 *Et prophetabis cum eis.* Angel.in Stromatib. c.10. Prophetasse eum ibi Iudæi dicunt de futuro sæculo,& de Gog,& de Magog, & de præmiis iustorum, & de pœna impiorum; nam quia Spiritu Domini impulsus prophetauit,de aduentu Christi, & salute hominum prophetasse non dubium est.

LITERAL. Angelom. *Saul de quo prophetauit.*

13 *Et prophetabis cum eis.* Liran.ibi: Deum laudando, vel de occultis prophetando.

LITERAL. Lira.

14 *Et prophetabis cum eis.* Abul. ibi. q.6. Idest: pronunciabis laudes Dei, scilicet tunc scies facere cantica,& psalmos,sicut alij Prophetæ, quanquam nunc nescias.

LITERAL. Abul.

15 *Et prophetabis cum eis.*Idem ibid.q.7.Quæret aliquis,si quando accederet ad locum illum Saül,si nollet prophetare cũ aliis Prophetis,an cogeretur? Respondendum est,quòd cum Samuël pronuntiasset multa signa Saüli,& illa euenissent sibi,antequã accederet ad locum Prophetarum, non poterat dubitare quin ista à Deo fierent,adueniente etiam sibi Spiritu ad prophetandum, cùm eum ante non habuisset, manifestum erat quòd Deus faciebat, & dabatur illi Spiritus ad hoc, quod prophetaret: si ergo nollet prophetare, repugnaret voluntati Dei, & sic peccaret, & tamen præter hoc cogeretur inuitus prophetare.

LITERAL. Idem.

16 *Et prophetabis cum eis.*Caiet.ibi. Discerne effectus Spiritus diuini; facit enim exteriùs prophetare cum aliis(hoc est,cantare diuinas laudes,quas priùs nesciebat)& intus mutat hominem in virum alterum.

LITERAL. Caietan.

17 *Et mutaberis in virum alium.*Tertull.lib.de Resurrect.c.55.Quòd si & transfigurationem, & conuersionem in transitum substantiæ cuiusque defendis, ergo & Saül in alium virum conuersus de corpore suo excessit;& ipse Satanas cũ in Angelũ lucis transfiguratur,qualitatẽ suam amittit?Non opinor.

LITERAL. Tertul.

18 *Et mutaberis in virum alium.*Idem lib.de Anima c.11.Malus etiam Spiritus accidens res est,Denique Saülem tam Dei Spiritus postea vertit in alium virum,ideſt in Prophetam; cùm dictum est: *Quid hoc filio Cis? An & Saul in Prophetis?* Quam & malus spiritus postea euertit in alium virum, in Apostatam scilicet.

LITERAL. Idem.

19 *Et mutaberis in virum alium.*Cyrillus lib.12. in Ioan. c.46. Non poterant ea facere quæ Deo placeant, nec peccatorum effugient laqueos, nisi superiorem inducti virtutem,ad diuinum animi robur firmentur. Vnde ad quendam priscorum dicebatur: *Quia Spiritus in te Domini insiliet, & conuertêris in alium virum.*Mutari autem vires in sustinentibus Deum Propheta quoque Esaias affirmat, & Paulus se suprà cæteros laborasse in apostolatu scribens,statim subiecit: *Non autem ego,sed gratia Dei,quæ mecum est* 1.Cor.15.

THEOLOG. Cyrillus. *Gratia dat virtutem.* Isai.40. 1.Cor.15.

20 *Et mutaberis in virum alium.*Greg.Nazianz. Orat.7.Quid de Saule existimamus?Nam& vnctus est,& Spiritum percepit,ac tum spiritualis erat(non enim de eo secùs dixerim) atque etiam prophetauit; idque adeò præter hominum opinionem,vter

LITERAL. MORAL. Nazianz.

illo miraculo prouerbium hoc fluxerit, quod nunc quoque referri, atque audiri solet: *Num & Saul inter Prophetas?* Quoniam autem se totum Spiritui vtendum non præbuit, nec purè, ac integrè, vt oraculum ferebat, in alium virum mutatus est, sed pristini improbitatis fomitis, prauique seminis nonnihil superat, atque in eo cum spiritu caro confligebat, quid omnes illius calamitates tragica oratione persequi necesse est? Nostis aduersarium illum spiritum, & psaltem, cuius cantu fugabatur.

MYSTIC. Gregor. 21 *Et mutaberis in virum alium.* Gregor. suprà. Amor electæ mentis, quid est aliud, quàm immutatio vetustatis? Natura enim nostra per lapsum primi hominis sic damnata est, vt quotidie labendo deficiat, & cadendo veteraſcat: sed quod in nobismetipsis deficimus, cùm in nos ille Spiritus insilit, renouamur; quia statim quod non eramus efficimur. Tepidus erat quis, sed repentè visitatus à Spiritu, feruens efficitur. Incipit ardere per deuotionem, fortiter exerceri in bono opere. In virum ergo alium mutatus est, quia esse cæpit, quod ante insilientem Spiritum in se esse non potuit.

MYSTIC. Idem. 22 *Et mutaberis in virum alium.* Idem ibidem. Quia Prædicatores sanctæ Ecclesiæ cùm gratiam diuinæ prædicationis accipiunt, non accipiunt solam scientiam verbi, sed virtutem amoris; vt per verbum aliis prodesse valeant; & per verbi amorem ipsi meliores fiant; quando etenim loquuntur, mutantur in virum alium; quia cùm per eos Spiritus loquitur, ipsi mira charitate, eidem Spiritui coniunguntur, & ab eius voluntate iam nec verbo, nec operatione deficiunt.

LITERAL. Theodor. 23 *Et mutaberis in virum alium.* Theod. ib. q. 23. Quoniam erat rusticus solùm sciens terram colere, cum ei manus imposuisset, dedit ei spiritū regium.

LITERAL. Procop. 24 *Et mutaberis in virum alium.* Procop. ibid. Quia agrestis erat, & tantùm terram colere nouerat, delecto in Regem regium animum indidit.

LITERAL. Lira. 25 *Et mutaberis in virum alium.* Liran. ib. Propter dictum prophetizandi modum tibi aliàs insolitum.

LITERAL. Abul. 26 *Et mutaberis in virum alium.* Abul. ibid. q. 10. Saul habuit duas mutationes, & solùm de vna earum locutus est hic Samuel. Prima fuit immediatè, vt recessit ab eo, scilicet, quòd immutauit ei Deus cor alterum, scilicet quia antè hoc non perfectè credebat Saul eis, quæ dicta fuerant de regno, & nondum gerebat animum regalem. Postea autem fuit mutatus in virum alterum, scilicet quando obuiauit Prophetis, & ista erat præter primam, quia quamquam Deus mutauisset ante cor eius, tamen nondum habebat animum scientem prophetare.

TROPOL. Author Catenæ. Abul, *Deus plus dat, quàm promittit.* 27 *Et mutaberis in virum alium.* Author Caten. Abul. q. 9. & 13. duplicem Sauli mutationem contigisse contendit, priorem scilicet, cùm recessit à Samuele, de qua Vers. 9. posteriorem verò, cùm Prophetarum gregi obiuius fuisse perhibetur Vers. 10. Caiet. verò vnicam fuisse insinuat, cum à Samuele proficisceretur. Vnde diuinam largitatem in beneficiendo impartientem moræ commendat. *Vide*, inquit, *benignitatem Dei. Non expectauit tempus præditū à Samuele, sed statim, vt à Samuele abiit Saul, immutauit ei cor.* Quam Dei benignitatem pluribus

Mendoza. illustrat Mend. noster ib. v. 9. multisque aliis confirmari posset. Petentibus à se promisit Christus bona quęque largiturum. *Petite*, inquit, *& dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.*

Matt 7.7. Luc. 11.9. Matt. 7.7. Luc. 11.9. Petrus ergo, & Ioan. ad horam orationis nonam Templum orationis causâ ingressuri, claudum ante fores iacentem vident, stipemq; emendicantem integra sanitate donant. *Apprehensâ manu eius dexterâ, alleuauit eum, & protinùs consolidatæ sunt bases eius, & plantæ.* Actor. 3. 7. Congruentius quidem videbatur miraculo patrando, subsequens tempus, nempe Templum iam ingressis, & precibus à Deo hominis salutem impetrantibus, ipse tamen non expectauit tempus, sed præuenit Apostolorum preces, vt notauit Chrysostomus Serm. 1. in c. 3. Sapient. tom. 1. *O gloriosum*, ait, *meritum Apostolorum, qui antè in Templo operantur, quam ipsi Dominum deprecentur: ante virtus ostenditur, quàm oratio ad Dominum præmittatur; effectus preces præueniunt: virtutem desideria antecedunt.* Nec minus obtigit reuertenti prodigo, nam *Cùm longè adhuc esset; accurrens pater cecidit super collum eius.* Luc. 15. 20. Vbi Chrysologus Serm. 3. *Tardam misericordiam pater nescit.* Hier. quoque Epist. 146. ad Damasc. *Antequam dignis operibus, & vera pœnitentia ad patrem rediret antiquum Deus ad eius præcurrit aduentum, & reditum filij sui iunioris anticipat.*

Act. 3. 7. Chrysost. *Deus preces præuenit.* Luc. 15. 20. Chrysol. Hieron.

VERSVS VII.

VULGATA. Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraïca ex Xante Pagn. Et erit, cùm venerint signa ista tibi, fac tibi quod inuenerit manus tua, quia Deus tecum est. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatablo. Quum itaque tibi hæc signa euenerint, fac tibi quæcumque in manum tuam inciderint, quoniam Deus est tecum. Vatabl.

Chaldaica ex Benedicto Ariasmontano in Regia. Et erit, quando venerint signa hæc tibi parato tibi vasa regni, quia dictum Domini in auxilio tuo. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et erit, quando venerint signa hæc in te, fac omnia quæcumque inuenerit manus tua, quia Deus tecum. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtiana. Et erit, quando venient signa hæc super te, fac omnia quæcumque inuenerit manus tua, quoniam Deus tecum. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Hieron. 1 *Quando ergo euenerint signa hæc.* Hier. vel potius Author Tradit. Hebraic. com. 3. Ac si diceret: His signis noscere poteris, quia Deus te Regem facere voluit. Et idcircò ad omnia, quæ tibi agenda sunt, regaliter age, quia Deus tecum est. *Eadem verba habet* Rupertus. Rupert. Angelom.

HISTOR. Ioseph. 2 *Quando ergo euenerint signa hæc.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. His signis vltis, certò scito Deum esse tecum, & saluta patrem tuum, & cognatos.

LITERAL. Moral. Greg. 3 *Fac quæcumque inuenerit manus tua.* Greg. lib. 4. Variar. c. 5. Quasi dicat: Cùm te diuinâ gratiâ plenum videris, doce alios quidquid facis, quia ex præsidente tibi eadem diuinâ gratia, habes & optimè viuere, & vtiliter prædicare.

LITERAL. Liran. 4 *Fac quæcumque inuenerit manus tua.* Liranus. Id est dispone te, quantum potueris ad decenter, & potenter regnandum.

LITERAL. Abul. 5 *Fac quæcumque inuenerit manus tua.* Abul. ibi. quæst. 10. Aliqui intelligunt, quod loquebatur Samuël de apparatu armorum, vel aliquorum, quæ pertinerent ad solemnitatem regalem, scilicet de vestibus, & similibus, quoniam decebat, quod in die quo duceretur coram toto populo, vt sumeretur in Regem, appareret cæteris excellentior, & non esset in habitu rusticano, sicut prius. Magis tamen intelligitur

gitur hoc de his, quæ facturus erat Saül, postquam acciperetur in Regem. Hortabatur enim Samuël Saülem, postquam esset Rex, vt pugnaret contra hostes ad liberandos Israëlitas de manu Philisthiim.

Literal. Clar. 6 *Fac quæcumque inuenerit manus tua,* Isidor. Clar. in Scholiis. Quidam hoc dictum putant de apparatu armorum, quæ pro regno necessaria sunt. Alij intelligunt de rebus omnibus, initio regni necessariis.

Literal. Carthus. 7 *Fac quæcumque inuenerit manus tua.* Carthus. ibi. art. 17. Fac quidquid rationabiliter agendum tibi occurrerit.

Literal. Vatab. 8 *Fac quæcumque inuenerit manus tua.* Vatab. in Schol. Idest ne timeas bellum suscipere contra hostes.

Literal. Caiet. 9 *Fac quæcumque inuenerit manus tua.* Caiet. ibi Iuxta Hebræum habetur: *Fac tibi.* Significanter dicit: *Fac tibi*, & non dicit absolutè: *Fac*, quia adhuc non erat promulgatus Rex, sed in his, quæ ad eum spectabant, liberam manifestat facultatem, in quocumque occurrente negotio, quia Deus est gubernator eius.

Literal. Saa. 10 *Fac quæcumque inuenerit manus tua.* Emanuël Saa in Schol. Idest iudicaueris facienda, aut res postulabit.

Literal. Mend. 11 *Fac quæcumque inuenerit manus tua.* Francis. Mendoza ibi. §. 3. Admonet Samuël Saülem, vt faciat quæcumque manus eius inuenerit, hoc est, vt rem militarem, quantacumque contentione potuerit, aggrediatur; non quidem statim post impletionem signorum, quia tunc adhuc priuatus homo videbatur, sed post solemnem eius promulgationem in Regem.

Literal. Sanctius. 12 *Fac quæcumque inuenerit manus tua.* Gaspar. Sanctius ibi. num. 36. Admonetur Saül, vt agat quodcumque occurrit, seu venerit ad manum; ac si dicat: Age quodcumque volueris; neque enim tibi vsquam aberit Deus, quem auspicem habebis, & patronum.

Literal. Author Catenæ. Caiet. 13 *Fac quæcumque inuenerit manus tua.* Author Catenæ. Notat Caietanus in Hebræo addi pronomen *Tibi*, scilicet: *Fac tibi*: ex quo mouetur, vt credat negotia, quæ hîc insinuantur priuata, non publica esse, & ad vnum Saülem spectantia. Sed immerito; quia illa pronominis additio mysterium non habet, cùm in Hebræo vacet, & sæpè ex modo tantùm loquendi apud Hebræos adiiciatur, vt notat Vatablus, & multis confirmat Mendoza in præsenti, & Cantapetrensis. lib. 6. Hypotyp. c. 2. Sensus ergo est: Cùm iam Rex promulgatus fueris, vti ex prædictis signis certò futurum, credere iam debes, ne vlli vnquam occasioni peperceris, vel in rebus ciuilibus disponendis, vel in bellicis agitandis omni prorsus igauia, timoréque expulso, cùm certus sis de diuino auxilio.

Vatab. Mend. Cantap.

Literal. Moral. Lira. 14 *Quia Dominus tecum est.* Liran. in Moral. Ad te dirigendum in his, quæ spectant ad Regis officium, nisi ponas obicem per tuum defectum. Et hoc habetur argumentum, quòd quando aliquis promouetur secundùm Deum, dat ei gratiam exequendi debitè officium, nisi ponat impedimentum.

VERSVS VIII.

Vulgata. VVlgata. Et descendes ante me in Galgala (ego quippe descendam ad te,) vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias.

Benedict. in margine. Vt offeram holocausta, & immolem victimas pacificas. Benedict.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Et descendes ante me in Ghilghal, & ecce ego descendam ad te ad offerendum holocausta, & ad sacrificandum sacrificia pacificorum: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Descendes quoque ante me in Gilgal, & ecce ego descendam ad te, vt sacrificem holocausta, & immolem sacrificia gratulatoria. Septem diebus expectabis, donec ego venerim ad te, ostenderímque tibi quid facias. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et descendens ante me ad Gilgæla, & ecce ego descendens ad te, ad tollendum holocausta, & ad offerendum oblationem sanctitatum. Septem diebus differes, vsquedum veniam ad te, & indicabo tibi quid facies. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et descendes ante me in Galgala, & ecce ego descendo ad te, vt offeras holocaustum, & immoles pacificas victimas; septem diebus cessabis, donec veniam ego ad te, & ostendam tibi quid facies. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtiana. Et descendes ante Galgal, & ecce descendo ad te ad offerendum holocaustum, & sacrificia pacifica: septem diebus differes, donec ego veniam ad te, & ostendam tibi quæ facies. Sixtin.

Caiet. ex Hebræo. Et ecce ego descendens ad te ad faciendum ascendere holocaustum, ad sacrificandum Sacrificia pacificorum: septem diebus expectabis vsque venire meum ad te, & faciam scire te, quæ facies. Caietan.

Isidor. Clar. ibi Vt *offeram holocausta, & immolem* victimas. Isidor.

PP. ET AVCTORES.

1 ET *descendes ante me in Galgala.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. 5. Galgala interpretatur *rota.* Quid verò rota in isto loco significat, nisi vitam obedientium? Rota quidem voluendo graditur, & modò alta petit, modò inferiora: sic nimirùm vita obedientium, quia inferiùs agit quod sursùm pertrahit, & sursùm videt quod inferiùs exhibet, quasi ad alta subleuatur, & ad ima deponitur; nam quod obedientes inferiùs agunt, sursùm rollentur, quia quando Prælatorum iussis obediunt, terrena sunt quæ operantur, sed de terrenis quæ faciunt, superna præmia præstolantur. Tropol. Gregor. *Obediens rota similis.*

2 *Et descendes ante me in Galgala.* Magister Histor. ibi. c. 10. Quod ibi conueniemus, cùm opus fuerit. *Ego quippe descendam ad te, vt offeras oblationem septem diebus*; in consecratione enim Sacerdotis, & Regis tot diebus fiebat oblatio secundùm quosdam; & addit: *Expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quæ facias.* Literali Comest.

3 *Et descendes ante me in Galgala.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. c. 5. Venies autem Galgala me accercente, vt pro his Deo pacificas hostias immolemus. Histor. Ioseph.

4 *Et descendes ante me in Galgala.* Liran. ibi. *Et descendes.* Hic debet fieri punctus, vt dicunt aliqui, vt habetur in libro de Hebraic. Quæstionib. ita quod ly *Septem diebus* non notat tempus, quo Samuël à Saüle deberet expectari, sed tempus in quo pro Saüle de nouo inuncto in Regem deberens oblationes, & sacrificia fieri, sicut in consecratione Summi Pontificis fiebant septem diebus, vt habetur. Exod. 29. & Leuit. 8. sed in Bibliis Hebraicis, Literal. Lira. Exod. 29. Leuit. 8.

quas vidi, non fuit talis punctus, sed ly *septem diebus* coniungitur cum littera sequenti sic: *Septem diebus expectabis, &c.*

LITERAL. Abul. 5 *Et descendes ante me in Galgala.* Abul. ibi. quæst. 11. Idest postquam feceris id, quod inuenerit manus tua, idest quantum potueris contra Philisthinos, si aliquod periculum inde secutum fuerit, non te exponas illi periculo sine consilio meo: sed descende ante me in Galgala, idest: descende immediatè in Galgalam, & mitte ad me nuntium; tunc autem ego veniam. Hoc autem accidit in pugna contra Philisthinos, quia postquam fecit id, quod potuit percutiendo stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa: clamauit buccina, & descendit in Galgalam, & totus populus post eum. Iussit autem Samuël, quòd descenderet in Galgalam, quia ille erat vnus de locis, in quibus solebat Samuël iudicare Israel; vt patet supra cap. 7. Et ibi immolabat hostias: tunc autem cum aliquod periculum accidisset, immolandæ erant hostiæ, vt patet hic.

LITERAL. Caiet. 6 *Et descendes ante me in Galgala.* Caiet. ibi. Hæc verba præsupponunt multa in Scriptura tacita: videlicet, quòd congregato populo, promulgabitur Rex; nam hoc mandatum descendendi in Galgala ad tempus post promulgationem Regis inferri protestatur Scriptura inferiùs in c. 13.

LITERAL. Vatab. 7 *Et descendes ante me in Galgala.* Vatabl. in Schol. Verba Samuëlis remittentis Saülem, qui illum prosecutus fuerat aliquo vsque, quasi dicat: Recipies te in Galgala, &c. Hæc videntur dicta per anticipationem, nam dixerat hæc in Galgal Samuel; nec tamen expectauit, sed sacrificauit solus sine Samuële.

LITERAL. Mend. 8 *Et descendes ante me in Galgala.* Francis. Mendoza ibi. §. 1. Difficultas est, vtrùm Samuël his verbis imperet, aut prophetet? Respondeo imperare; quia si hæc propheticè dicerentur eo modo, quo prædicta sunt, proculdubio euenirent; neque enim prophetia eludi, aut frustrari potest; & tamen non euenerunt; nam Saül, antequam veniret Samuël, immolauit, vt ex cap. 13. num. 8. & 9. patet ergo quòd non prophetando, sed imperando Samuël loquebatur.

LITERAL. Salian. 9 *Et descendes ante me in Galgala.* Salian. tom. 3. Annal. Ann. Mundi. 2962. numer. 107. Quoniam in agendis negotiis magni momenti, ac periculi plenis, non semper habiturus erat Samuëlem ad manum, vt per eum consuleret Deum, monet vt tunc temporis proficiscatur in Galgala, nuntio interim ad Samuëlem misso, sponderque Samuël fore, vt intra septem dies illic se sistat, ad Dei Sacrificia, illius nomine offerenda, & Dei exquirendam voluntatem.

LITERAL. Author Caten. 10 *Et descendes ante me in Galgala.* Author Catenæ. Dubitabis de quonam descensu in Galgalam Samuël loquatur, an de multiplici, & indeterminato, quotiescumque instaret periculum, aut difficultas vrgeret, vt & Deus ibi consuleretur, & Sacrificiis propiciaretur; an verò de descensu aliquo certo, & determinato, quod ipse Saül satis intellexerit: Posterius hoc affirmant Liran. Mendoza, Caietan. Sanct. & alij: quod quidem ex modo ipso dicendi colligendum censent. Cæterùm probabilius existimo illud prius, scilicet de indeterminato, & absoluto Saülis descensu sermonem fieri: quam sententiam ante alios docuit Andreas quidam, quem referunt Lira, Abul. & Carthusian. forte is, qui dicitur cognomento, aut patria *Gallus* à Sixto Senensi, & a nostro Posseuino in suis Bibliothecis, quem quidem constat in lib. Reg. Commentarios scripsisse. Andreæ subscribunt Charens. Abul. Salian. & alij, neque respuit omninò eam sententiam Caietanus, quæ ex eo mihi probatur, quia si de descensu aliquo determinato esset sermo, maximè de eo fuisset, qui refertur cap. 13. Vers. 8. cùm Saül vrgente Philisthinorum exercitu venit Galgalam, nuntio Samuëli priùs remisso, in quo quidem & consentiunt aduersarij, & videtur colligi ex verbis ipsius Textus, videlicet *Expectauit septem diebus iuxta placitum Samuelis.* Cùm verò hoc post biennium acciderit, vt ex eodem constat, non facile adducor, vt credam Samuëlem dimissâ instantium rerum cura, de iis, quæ post duos annos euentura erant tam sollicitè prouidere. Dixerim potiùs aduentum in Galgalam Saüli à Samuële indici quotiescumque immineret periculum, aut difficultas instaret, maximè autem in regni eius adhuc recentis primordiis, dum Reipublicæ administrandæ rudis erat, & inexpertus.

Charens. Abul. Salian. Caietan.

LITERAL. Abul. 11 *Ego quippe descendam ad te.* Abul. ibi. q. 12. Hoc erat, quia Galgala erat in quadam valle profunda circa vrbem Iericho versùs Iordanem, nam in loco ipso steterunt Israëlitæ prima die, qua transierunt Iordanem.

LITERAL. Idem. 12 *Vt offeras oblationem.* Idem Ibidem. Non est sensus, quòd Saül deberet per se offerre sacrificium, quoniam ipse non erat Sacerdos, & peccaret, si vellet immolare, vel facere cæremonias Sacrificiorum, sicut fuit in Rege Ozia, qui voluit offerre incensum, sicut Sacerdos, & percussit eum Deus leprâ. 4. Reg. 15. sed intelligitur, quòd Saül daret animalia immolandâ, & alius pro eo immolaret faciendo cæremonias.

LITERAL. Hieron. 13 *Septem diebus expectabis.* Hieron. vel potiùs Autor Quæst. Hebraic. tom. 3. Videtur quibusdâ inculpabiliter Saül obtulisse holocaustum, cùm Samuël expectatus ab eo, iuxta placitum septem dierum, non venerit. Quod si quis hunc locum benè distinxerit, inueniet eum non immeritò culparum fuisse, & inobedientiæ redargutum. Locus autem hic apud Hebræos ita distinguitur. *Et descendes ante me in Galgala: ego quippe descendam ad te.* Et postea infertur: *Ad offerendas oblationes, & immolandas victimas pacificas, septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quæ facias.* Non enim Samuël sinum præstolare aduentum Saüli septem dierum præcepit, sed ad offerendas oblationes, & immolandas victimas pacificas se ab eo eisdem septem diebus voluit expectari. Quod ille nequaquam fecit, & ideò meritò culpatur, & stultitiæ elogio denotatur. *Eadem verba habet* Ruper. lib. 1. c. 9.

Rupert.

TROPOL. Gregor. *Prælatus priùs obediat.* 14 *Septem diebus expectabis.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. 5. Qui ante Prophetam in Galgala descendere, & expectare iubetur, ei nimirùm pro cognoscenda humilitate, obedientiæ onus iniungitur. Rectus quoque ordo electæ conuersationis est, vt obedientiam non iniungat aliis, quàm ipse aliis impendere non curauit. Expectare ergo præcipitur, vt, an sit verè humilis, agnoscatur.

TROPOL. Idem. *Perfecta obedientia.* 15 *Septem diebus expectabis.* Idem ibi. Quia Maiorũ imperia perfecta humilitate obseruanda sunt, benè Saül dicitur: *Septem diebus expectabis.* Septenarius quippe numerus propter dona septiformis Spiritus perfectus est. *Septem diebus* Doctores Ecclesiæ expectamus, quando per virtutem septiformis Spiritus tantam intimæ deuotionis claritatem suscipimus, vt eorum præcepta nullatenus negligamus.

Lira. Mendoza. Caietan. Sanct. Andreas. Lira. Abul. Carthus. Sixt. Sen. Posseuin.

16 *Septem*

MYSTIC. Damian. *Inobediens non habet requiem.*

16 *Septem diebus expectabis.* Petrus Damian. Epist. 93. Quid per septenarium numerum, nisi requies designatur? Istum numerum Saül inobediens ignorauit, cùm per eum se Samuël præstolandum esse præcepit; sed quia spiritualem requiem vir reprobus spreuit, exagitandum eum spiritus malus arripuit.

LITERAL. Lira. Andreas.

17 *Septem diebus expectabis.* Liran.ib. Andreas aliter exponit. Ad cuius intellectum præponit vnum: scilicet, quòd in magnis negotiis propter quæ in primis debebat Deus placari sacrificiis, Deus nolebat, quòd Saül aliquid faceret absque præsentia Samuëlis, qui pro eo offerret, & ipsum dirigeret, & sic exponit litteram istam. *Descendes ante me in Galgala*, id est: Si contigerit tibi casus, in quo debeat placari Deus per Sacrificia, descendes ante me in Galgala, vbi est locus orationis, & sacrificij, & subintelligitur: Et significabis mihi descensum tuum ibi; *Ego quippe descendam ad te, vt offeras, &c.* id est per me septem diebus, subintelligitur, postquam recepero nuntium: *Donec veniam ad te* ad offerendum pro te Sacrificium, & ad te dirigendum. Sed ista opinio non videtur benè concordare Textui, quia ex modo loquendi, & tempore, videtur, quòd Samuël loqueretur Sauli non generaliter, nec indeterminatè pro quocumque casu arduo indeterminato futuro, sed pro casu determinato, & imminenti, scilicet vt post publicationem ipsius in Regem descenderet in Galgala, vt ibi Samuël pro eo offerret sacrificium, & doceret eum de modo gubernandi regnũ suum, quia hoc maximè indigebat in principio regni sui.

LITERAL. Abul.

18 *Septem diebus expectabis.* Abul.ibi.quæst.12. Hoc dictum est, quia fortè cùm descenderet Saül in Galgalam, si non inueniret immediatè Samuëlem, fortè vellet descendere in bellum, vel facere aliquid aliud tanquam expectans, quòd non venturus esset; ideò dicitur, quòd licet non veniret immediatè, quòd expectaretur per septem dies. Hoc dicitur, quia forte Samuel esset distans à loco illo, & non posset citò venire: vel quia Deus implicuisset eum aliis negotiis.

LITERAL. Caiet.

19 *Septem diebus expectabis.* Caietanus ibid. Ex scriptis cap. 25. manifestum est sic esse legendum; ita quòd septem dies referuntur ad expectationem; clarè siquidem ibidem dicitur expectasse septem dies, secundùm tempus quod dixerat Samuël.

LITERAL. Estius.

20 *Septem diebus expectabis.* Guillelm. Estius in Bibl. Magna Parisien. cap. 13. vers. 13. Quod quidam dicunt, Samuëlem ipsum voluisse offerre Sacrificium per se, idque ei licuisse, etsi non Sacerdoti diuina dispensatione, frustrà dicitur; nam non erat opus dispensatione, vt non Sacerdos offerret, quandoquidem satis multi erant Sacerdotes, per quos offerri poterat.

LITERAL. Vermil.

21 *Septem diebus expectabis.* Petrus Vermil. ibi. Cur oportuit illum tanto ante de istis septem diebus præmonere? Rabbini id factum putant; vt ad promissionem de regno adiungeretur præceptum; ac si diceretur: Erit firma ista promissio, si à præcepto meo non discesseris.

LITERAL. Abul.

22 *Donec veniam ad te.* Abul.ib. quæst. 12. Non est sensus, quòd deberet semper expectare Saül, quousque veniret Samuël; nam si post dies illos septem non veniret, non erat vlterius expectandus.

LITERAL. Vatab.

23 *Et ostendam tibi quid facias.* Vatab. in Schol. Id est dicam tibi, an regnum tuum firmum sit futurum.

MORAL. Rangol.

24 *Et ostendam tibi, quid facias.* Claud. Rang. ibidem. A plerisque nunc malè audiunt Religiosi, maximè qui sunt ex Societate IESV, quod Regibus, & Principibus quid agere debeant, præscribere conentur: idque adeò fit quorundam scelere, atque fallacia, quorum interest, quàmpessimos esse Principes, qui cum dolis, ac periuriis innocentiam oppugnent, tam occultè cuniculos agunt, vt non pauci etiam à fraude alieni, pietati, atque religioni succenseant. *Principes instruere eorum est.*

VERSVS IX.

Vulgata. VVlg.at. Itaque cùm auertisset humerum suum, vt abiret à Samuële, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et fuit cùm vertisset humerum suum, vt abiret à Semuël, vertit ei Deus cor alterum; & venerunt omnia signa hæc in die illa.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatablo.* Factum est itaque quum ille vertisset humerum suum, abiissetque à Samuële, vt Deus cor eius aliter immutaret, veniréntque omnia signa illa in die illo.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et fuit quando respexit ad abeundum à Semuel, & mutauit Dominus illi cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa.

Complut. Regia. *Grac. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et factum est, vt auertisset humeros suos, vt abiret à Samuële, & immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa.

Sixtin. *Grac. ex Sept. in Sixtia.* Et factum est, vt conuertit se humero suo ad abeundum à Samuël, mutauit ei Deus cor aliud; & venerunt omnia signa in die illa.

August. *August. lib. 2. ad Simplician. quæst. 1. tom. 4.* Et factum est, cùm conuerteret humerum suum, vt iret à Samuel, conuertit Deus in Saül cor aliud, & venerunt omnia signa illâ die.

PP. ET AVCTORES.

HISTOR. Ioseph.

1 *Itaque cùm auertisset humerum suum.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 5. His prædictis dimisit iuuenem, & quidquid prædictum est, occurrit ei in hoc itinere.

MORAL. Nazianz. *Saulis inconstantia.*

2 *Immutauit ei Deus cor aliud.* Nazianzenus in Apolog. ad Patrem suum. Quid de Saule existimamus? Nam & vnctus & spiritus factus est particeps; ac tum spiritualis erat, (non enim de eo secùs dixerim) atque etiam prophetauit, idque adeò præter hominum opinionem, vt ex illo miraculo prouerbium hoc fluxerit, quod nunc quoque commemorari, atque audiri solet: *Num & Saül inter Prophetas?* Quoniam autem se totum Spiritui vtendum non præbuit, nec purè, ac integrè; vt oraculum ferebat, in alium virum mutatus est, sed pristini malitiæ fomitis; perniciosique seminis nonnihil supererat, atque in eo cum Spiritu caro confligebat, quid omnes illius calamitates tragica oratione prosequi necesse est?

MYSTIC. Greg.

3 *Immutauit Deus cor aliud.* Greg. lib. 4. Variar. cap. 5. Quia Sanctorum collocutione proficimus, ab se illatum est; *Itaque cùm auertisset, &c.* Cor enim aliud immutatur, quando ad appetenda melora dirigitur. Cor etiam immutatur, quando ad malum deseritur. Sed si pro profectu eius

dicitur, cor immutatum habebat, quia qui asinas quæsierat, iam de regni dispositione cogitabat. Si verò malum cor tunc recepisse cognoscitur, coram Prophera humilis fuit, sed vt cæpit discedere, pariter cæpit & superbire.

MYSTIC. Idem. 4 *Immutauit Deus cor aliud.* Idem ibidem. In eo quod immutatum cor Saul habere dicitur, nouis Prædicatoribus sanctæ Ecclesiæ similatur; qui cùm ordinem prædicationis accipiunt, per diuinam gratiam meliores fiunt. Samuel quippe Saul in Principem vnxit, Deus autem ei cor aliud immutauit, quia sacrorum ordinum Sacramenta ab Ecclesiæ Doctoribus foris accipimus; sed Sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interiùs roboramur.

LITERAL. Theodor. 5 *Immutauit Deus cor aliud.* Theod. ibi, q. 23. Quoniam erat rusticus solùm sciens terram colere, cùm ei manus imposuisset, dedit ei spiritum regium.

LITERAL. Abul. *Saul bis immutatus.* 6 *Immutauit Deus cor aliud.* Abul. ibi q. 13. Bis mutauit Deus cor Saülis; primò, quando recessit à Samuele, vt dicitur hic: secundò, quando accessit ad Prophetas, vt patet infrà. Distinguntur autem istæ duæ mutationes, quia prima pertinuit ad fortitudinem, scilicet quòd Deus mutauit cor eius, quod ante erat parum, & seruile, in cor regale. Secunda pertinet ad intellectum, quia prius nesciebat prophetare, & tunc sciuit.

LITERAL. Carth. 7 *Immutauit Deus cor aliud.* Carthusian. ibi. Dedit Sauli cor virtuosius, & specialiter magnanimius.

LITERAL Charen. 8 *Immutauit Deus cor aliud.* Hugo Charens. in Postilla. Altius, & audacius habuit.

LITERAL. Caiet. 9 *Immutauit ei Deus cor aliud.* Caiet. ibi. Vide benignitatem Dei: non expectauit tempus prædictum à Samuele, sed statim vt à Samuele abiit Saül, immutauit ei cor.

LITERAL. Vatab. 10 *Immutauit ei Deus cor aliud.* Vatab. in Sch. Immisit illi mentem aliam, & cor regium, siue regios spiritus.

LITERAL. Mendoza. 11 *Immutauit ei Deus cor aliud.* Franc. Mend. ibi. §. 3. Dubitabis, vtrùm hic Saul fiat melior moraliter an ciuiliter, hoc est vtrùm fiat sanctior secundùm suos mores priuatos; an aptior ad regendos suos ciues? Crediderim vtroque modo.

LITERAL. Sanctius. 12 *Immutauit ei Deus cor aliud.* Gaspar Sanct. ibi n. 40. Vbi euocauit Deus Saulem ad regni gubernacula, mutauit illi quos ante habuerat abiectos fortasse, & ignobiles spiritus, quales esse plerumque solent in illis, qui ruri degunt, vitámque agunt incultam, & agrestem, & inspirauit regios, ita vt maiora conciperet, quàm antea solitus; priores abiiceret cogitationes, neque periculis oblatis desponderet animum, aut mentem haberet, sicut antea fortasse pinguem, & obscuram.

TROPOL. Author Catenæ. Greg. *Deus dat munus, & sufficientiã?* 13 *Immutauit ei Deus cor aliud.* Autor Catenæ. Cùm Saül rudis adhuc, & gubernandi imperitus ad regale munus assumitur, ex præuio diuinæ prouidentiæ consilio regias dotes, regalémque mentem sortitus est: Deus etenim & munus confert, & muneri rectè obeundo necessaria præsidia, vt notauit Gregorius suprà relatus in Euangelicis Prædicatoribus. Vnde ij, qui electis ministris aptitudinem conferre non possunt, eos eligant necesse est, quos necessariis dotibus ornatos videant. Quod quidem vt Principes, & Prælatos edoceat idem Dominus, licèt quos elegerit ministros, rerum omnium necessariarum penu facile possit instruere, illos plerumque potiùs assumit, quos à se iam olim egregiè aptatos videt; quibus tandem ipse extremam idoneitatẽ confert, sic cum Iudith olim gessit, quæ elegantia formæ delusum tyrannum iugulatura, speciosa quidem à Deo eligitur: *Erat autem elegantis aspectu nimis.* Iudith. 8. 7. deinde supernaturali decore ab ipso instruitur: *Cui etiam Dominus contulit splendorem.* Ibidem 10. 4. Aquæ etiam elementũ præ cæteris assumpsit Christus, in quo Baptismi Sacramentum instituat; cuius quidem ratio, seu congruentia alia ab aliis assignatur. Mihi verò illa intus canit, quam edocet Magister Sentent. in 4. dist. 3. apud Incognit. v. 326. scilicet, *propter conformitatem: quia sicut aqua abluit sordes corporis, ita baptismus sordes mentis.* Nam cùm aqua ex natura sua ad abluendum apta præ cæteris elementis foret, ea potiùs eligitur, vt supernaturali addita virtute, mentem abluat. Hinc etiam rationem elicies, cur Gabriel potiùs ad opus Incarnationis annunciandum seligatur. Luc. 1. 26. Non Michaël, aut Raphaël, aut quispiam alius. Causa nimirum esse potest, quia cùm opus Incarnationis opus fortitudinis, & diuinæ potentiæ fuerit iuxta Mariæ canticum: *Fecit potentiam in brachio suo* ibidem. vers. 51. illi potissimum eius negotiatio conueniebat, qui *Dei fortitudo* interpretatur. Vnde Bernard. hom. 1. super *Missus est. Gabriel*, inquit, *fortitudo Dei appellatus est: conuenienter itaque Gabriel adhoc opus eligitur.* Circa materiam huius versus vide dicta suprà vers. 6.

Iudith. 8. 7. Lombar. Incogn. Luc. 1. 26. Bernar.

14 *Et venerunt omnia signa.* Gregorius supra. Doctrina etenim electi Prædicatoris quid est aliud, quàm dies eruditi discipuli? Nam qui in die ambulat, videt & plana, quæ ambulet, & præcipitia, quæ declinet. Sic nimirum dum sanctorum Prædicatorum doctrinis illuminamus, quod agendum, & quod vitandum est, pariter aspicimus.

MYSTIC. Gregor.

15 *Et venerunt omnia signa hac.* Rabban. in Gloss. Significat, quòd Iudæis omnia, quæ Moyses, & Prophetæ prædixerant, euenerunt. Ipsi verò libros legis, & Prophetarum tenentes, diuinare videntur, cùm futura mysteria de Christo, & Ecclesia in eis scripta pronuntiare noscuntur.

MYSTIC. Rabban.

16 *Et venerunt omnia signa hac.* Abul. ibidem. Non multum distabat ciuitas Gabaa, de qua erat Saül oriundus à ciuitate Ramatha, de qua recessit; ideò potuerunt omnia hæc euenire.

LITERAL? Abul.

VERSVS X.

VVlgata. Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus Prophetarum obuius ei, & insiluit super eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum. Vulgata.

Benedict. in marg. Et irruit super eum Spiritus Domini. Benedict.

Textus Gloss. in margin. Et requieuit super eum Spiritus Domini. Gloss.

VERSIONES.

Hebraïc. ex Xante Pagn. Veneruntque illuc ad collem, & ecce cuneus Prophetarum in occursum eius, & requieuit super eum Spiritus Dei, & prophetauit in medio eorum. Pagn.

Hebraïc. ex Franc. Vatab. Et cùm venisset illuc nempe ad collem, ecce chorus Prophetarum venit ei obuiam, prompteque eum inuasit Spiritus Dei, vt prophetaret inter eos. Vatab.

Chald.

Ariasm. *Chald.ex Bened.Ariasm.in Regia.* Et venerunt cò ad Gibghatha, & ecce cœtus Scribarum ante eum, & mansit super illum Spiritus prophetiæ ab ante Dominum, & laudauit inter illos.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag.in Complut.& Regia.* Et venit inde ad collem, & ecce chorus Phophetarum obuius ei, & insiluit super eum Spiritus Dei, & prophetauit in medio eorum.

Sixtian. *Græca ex Sept.in Sixtia.* Et pergit inde in collem, & ecce chorus propheturum ex aduerso ipsius: & insiluit in eum Spiritus Dei, & prophetauit in medio eorum, & fuerunt omnes, qui nouerunt eum heri, & nudiustertius, & viderunt, & ecce ipse in medio Prophetarum.

Caiet. *Caietan.ex Hebræo.* Et profecit super eum spiritus Helohim.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul. 1 *Venérúntque ad prædictum collem.* Abul. ibi quæst. 13. Erat iste collis intra vrbem Gabaa, in qua habitabat Saül, vt suprà q. 5. declaratum est. Et non est sensus, quòd Saül, & puer eius venerunt in collem, antequam fierent ea, quæ immediatè habentur; nam priùs inuenerunt Prophetas, quàm venirent ad collem, vt patet suprà.

LITERAL. Caiet. 2 *Venérúntque ad prædictum collem.* Caietan. ibi. Nescimus quare fuerit appellatus collis Helohim. Præmittitur autem aduerbium locale, ad manifestandum, quòd venerunt ad illum locum, quem designauerat Samuël.

LITERAL. Abul. *Cuneus quid?* 3 *Et ecce cuneus Prophetarum.* Abul. ibi q. 13. Cuneus vocatur multitudò quædam ordinata ad bellum, & sic dicitur Numer. cap. 1. & 2. Hic autem accipitur pro multitudine solùm congregata, quia Prophetæ illi erant multi, & accipiuntur Prophetæ non propriè, sed largè pro viris sapientibus laudes, & cantica Dei.

LITERAL. Idem. 4 *Et ecce cuneus Prophetarum.* Idem ibid. q. 14. Quæretur: quare solùm descripsit hîc Samuël istud signum; cùm suprà tria signa data fuerint? Respondendum, quòd hîc data sunt tria signa, quorum duo prima pertinebant ad solam certificationem Saülis, scilicet, quòd Deus vnxisset eum; vnde omnia venerunt ei occultè, scilicet nullo videnti, nisi puero eius: Tertium autem signum pertinebat tam ad certificationem suam, quàm aliorum. Cùm enim prædixisset ei Samuël, quòd immutandus erat, & prophetaret, & postea hoc eueniret, satis sibi constare debebat, quòd à Deo hoc fiebat. Erat quoque istud signum certificatiuum Israëlitarum, scilicet quia ipsi cognoscebant, quòd Saül nesciebat prophetare; nunc autem subitò viderunt eum prophetare, ergo firmissimè constabat, quòd à Deo motus fuisset.

LITERAL. Aug. Eucher. 5 *Et insiluit super eum spiritus Domini.* August. lib. 2. ad simplic. quæst. 1. tom. 4. Iussisti, vt exponerem, quomodo dictum sit: *Et insiluit spiritus Domini in Saul*, cùm alibi dicat: *Et insiluit spiritus Domini malus in Saül*? Et hoc quidem non puto habere aliquid quæstionis; *Spiritus* enim, *vbi vult, spirat*, & spiritum prophetiæ nullarum animarum potest maculare contactus; attingit enim vbique propter suam munditiam; afficit enim omnes non eodé modo, sed alios per informationem Spiritus eorumdem hominum, vbi rerum demonstrantur imagines: alios per fructum mentis ad intelligentiam: alios vtraque inspiratione: alios etiam nescientes. *Eadem verba habet* Eucher *in comment.*

6 *Et insiluit super eum spiritus Domini.* Idem ibidem. Hoc verbo quod positum est: *Insiluit, &c.* tanquam ex abdito diuinitatis secreto repentinus significatur afflatus. *Eadem verba habet* Eucherius. LITERAL. August. Eucher.

7 *Et insiluit super eum spiritus Domini.* Radulphus Flauiacens. lib. 6. in Leuit. c. 2. Quanta vnctionis virtus sit, exempla nos docent; de Dauid enim, postquam à Samuële vnctus est, testatur Scriptura, quòd *directus sit spiritus Domini in Dauide à die illa, & in reliquum.* Saül quoque licèt à Domino postea reprobatus sit, ea tamen die, qua à Samuële olei lenticula perfusus est, mutatus est in virum alterum, & veniens ad cuneum Prophetarum insiliente in se Spiritu Dei, cœpit prophetare in medio eorum. MORAL. Radulph. *Vnctionis vis.*

8 *Et insiluit super eum Spiritus Domini.* Franc. Mend. ibi §. 2. Aduerte in Hebræo vocari vers. 6. *Spiritum Iehoua*, hic autem *Spiritum Helohim*, cùm tamen vtrobique de eodem Spiritu sermo sit: sed nihil refert, nam Deus in sacris Literis illis duobus nominibus sine discrimine significatur. Quod si mysterium inquiras, obseru: nomine *Iehoua* significari Deum, vt beneuolum Patrem: nomine autem *Helohim* significari vt seuerum iudicem. Non immeritò autem super Saülem paulò post Regem futurum descendisse dicitur Spiritus Dei, & beneuoli, & seueri, vt & ipse postea in suo regno administrando, misericordiam pariter, ac iustitiam obseruare meminisset. LITERAL. Mendoza. MORAL. *Iustitia cum misericordia.*

9 *Et prophetauit in medio eorum.* Tertull. lib. de Anima. Malus Spiritus accidens res est. Denique Saül tam Dei Spiritus postea vertit in alium virum, idest in Prophetam, cùm dictum est: *Quid hoc filio Cis? An & Saül in Prophetis?* Quam & malus spiritus post euertit in alium virum, in Apostatam scilicet. LITERAL. Tertul.

10 *Et prophetauit in medio eorum.* Hieron. vel potiùs Autor Quæst. Hebraicar. Prophetasse eum ibi Iudæi dicunt de futuro sæculo de Gog, & Magog, & de præmiis iustorum, & pœna impiorum. LITERAL. Hieron.

11 *Et prophetauit in medio eorum.* Aug. suprà. Tantùm distat inter prophetiam Prophetarum, sicut Isaias, sicut Ieremias, & cæteri huiusmodi fuerunt, atq; istam transitoriã, quæ in Saül apparuit, quantũ distat inter loquelam humanam, quam loquuntur homines, & cum eadem loquela humana propter necessarium prodigium asina loquuta est, in qua sedebat Balaam Propheta; accepit enim hoc ad tempus illud iumentum, vt Deus, quod statuerat, demonstraret, non vt habitu perpetuo inter homines bestia loqueretur. *Eadem verba habet* Eucherius. LITERAL. August. *Prophetia Saulis qualis?* Eucher.

12 *Et prophetauit in medio eorum.* Clem. Roman. lib. 8. constit. Apostolicar. cap. 10. Prophetauit Saül, cùm esset impius, & pœnas fuit, cùm se ipsum interfecit. LITERAL. Clement. Rom.

13 *Et prophetauit in medio eorum.* Angelom. in Stromatib. Quia Spiritu Domini impulsus prophetauit, de aduentu Christi, & salute hominum prophetasse non dubium est. LITERAL. Angelom.

14 *Et prophetauit in medio eorum.* Petrus Berchor. lib. 9. Moral. cap. 7. Saül priùs intelligitur prophetasse, quàm ad regimen electus fuisset; ad denotandum quòd ad regimen prælaturæ non debet eligi, nisi qui Propheta, idest vir scientificus, & in futuris meditandis prudens, & circumspectus. MORAL. Berchor. *Prælatus diligendus, qualis?*

15 *Et prophetauit in medio eorum.* Anasthas. Nicen. Quæst. 18. in Scriptur. Ex Constitutionibus Apostolic. lib. 8. cap. 10. Neque quicunque prophetat, est pius, nec quicumque eiicit Dæmones, est sanctus; MORAL. Anast. Nic. *Prophetæ non omnes pij.*

ſanctus; nam & Balaam vates prophetauit, cùm eſſet impius, & Saul, & Caiphas: multa autem dicit etiam Diabolus, & eius Dæmones, & non ſunt propterea participes, vel ſcintillæ pietatis. Perſpicuum eſt ergo, quòd impij etiamſi prophetant, per prophetiam ſuam non reuelant pietatem.

Literal. Theodor. 16 *Et prophetauit in medio eorum.* Theod. ibi. q.24. Non habuit perpetuum donum prophetiæ; ad declarandum autem,& oſtendendum ſpirituale donum, prophetauit illo tempore. Ita etiam Septuaginta Seniores, quos elegit magnus Moyſes, ſtatim quidem electi digni ſunt habiti prophetica operatione: poſtea autem minimè quidem prophetabant, ſed à dono diuino redditi ſapientes, componebant populi controuerſias.

Literal. Abul. 17 *Et prophetauit in medio eorum.* Abulenſ. ibi. quæſt. 13. Saül non prophetauit hîc aliquid, ſed ſolùm incæpit canere magnas laudes inter Prophetas.

Literal. Author Catenæ. 18 *Et prophetauit in medio eorum.* Autor Catenæ. Quid prophetauerit Saül non dicitur; licèt Hebræi, vt ſolent, ſomnia fingant. Certius eſt, quod hic vocatur prophetia, potius fuiſſe canticum,& diuinarum laudum decantationem, vt dictum iam eſt.

Moral. Caſſia. 19 *Et prophetauit in medio eorum.* Simon de Caſſia.lib.8.c.20. Multi fecerunt miracula,& damnati ſunt. Prophetauit Saul,& reprobatus eſt: Fecit miracula Iudas,& damnatus eſt.

VERSVS XI.

Vulgata. *Vulgata.* Videntes autem omnes, qui nouerant eum heri, & nudiuſtertius, quòd eſſet cum Prophetis, & prophetaret, dixerunt adinuicem: Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter Prophetas?

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et fuit omnis, qui nouerat eum ab heri, & nudiuſtertius viderunt, & ecce cum Prophetis prophetabat; dixitque populus vnuſquiſque ad proximum ſuum: Quid hoc fuit filio Chis? Num etiam Saul inter Prophetas,

Vatab. *Hebraic.ex Franc.Vatab.* Factumque eſt, vt omnes qui eum ab heri,& nudiuſtertius nouiſſent, aſpicerent eum,& ecce prophetabat cum Prophetis, Dixit ergo populus nempe quiſque ad proximum ſuum: Quid eſt hoc, quod factum filio Kis? Num & Saul inter Prophetas?

Ariaſm. *Chaldaica ex Bened. Ariaſm. in Regia.* Et fuit omnis, qui nouit illum ab heri, & ab ante illud, & viderunt,& ecce inter Scribas laudans;& dixit populus vir ad ſocium ſuum: Quid hoc fuit filio Kis? An etiam Saul in Scribis?

Complut. Regia. *Græca ex Septuagint, in Complut. & Regia.* Et factum eſt, vt viderunt eum omnes, videntes eum heri, & nudiuſtertius,& ecce,& ipſe erat in medio Prophetarum prophetans; & dixerunt populus, vnuſquiſque ad proximum ſuum; Quid hoc, quod factum eſt filio Cis? Num & Saül inter Prophetas?

Sixtia. *Græc.ex Sept.in Sixtia.* Et dixit populus, vnuſquiſque ad proximum ſuum: Quid eſt hoc, quod euenit filio Cis? Numquid & Saül in Prophetis?

Bibl.Reg. *Biblia Regia.* Et ecce ipſe erat in medio Prophetarum prophetans.

Tertull.lib.de Anima. Quid hoc filio Cis? An & Saul in Prophetis? Tertull.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Qui nouerant eum heri, & nudiuſtertiu.* Abul.ibi,q.14. Hic ponitur iſtud pro tempore indeterminato; ideſt omnes, qui cognouerant eum ab aliquanto tempore ab ante hoc.

Literal. Idem. 2 *Quod eſſet cum Prophetis, & prophetaret.* Idem ibidem. Non erat admirabile, quòd eſſet Saül cum Prophetis, ſed quòd prophetaret cum eis.

Tropol. Author Catenæ. Locus, aut ſocietas parùm præſtant. Abul. 3 *Quòd eſſet cum Prophetis, & prophetaret cum eis.* Author Catenæ. Dubitabis an noti Saülis ipſum admirarentur inter Prophetas verſantem, an inter eos prophetantem? Sed Vulgata vtrumque ita expreſſit, vt non pateat dubitationi locus. Notauit verò prudenter Abulenſis non quidem admiratione dignum fuiſſe Saülis commercium cum Prophetis, ſed communia cum illis exercitia. *Non erat*, inquit, *admirabile quòd eſſet Saul cum Prophetis, ſed quòd prophetaret cum eis.* Neque enim loci ſanctitas aut ſociorum probitas hominem mirabilem reddunt, ſed æqua conuerſatio, & morum ſimilitudo. Hinc decantatũ illud Hieron. ad Paulinũ de Inſtit. Monaſtic. *Non Hieroſolimis fuiſſe, ſed Hieroſolymis benè vixiſſe, laudandũ eſt.* Concinit quoq; Aug. ſerm. 27. ad Fratres in eremo, vel quiſquis operis illius Autor eſt, *Ecce in ſolitudine ſumus: Ecce in eremo ſumus: locus tamen non facit Sanctos, ſed operatio bona locum ſanctificabit, & nos.* Sed elegantiſſimè Bernard. ſerm. de Ligno Fœno, & Stipula. *Nuſquam* ait, *eſt ſecuritas, Fratres, neque in cœlo, neque in paradiſo: multò minus in mundo. In cœlo enim cecidit Angelus ſub præſentia diuinitatis: Adam in paradiſo de loco voluptatis: Iudas in mundo de ſchola Saluatoris. Hac idcircò dixerim, ne quis ſibi de loco iſto blandiatur, quia dicitur, locus iſte ſanctus eſt, quia non locus homines, ſed homines locum ſanctificant.* Hieron. Auguſt. Bernard.

Literal. Greg. 4 *Quænam res accidit filio Cis?* Gregor. libr. 4. Variarum cap.5. Hominem hominis filium nouerant, Prophetis ſociatum videbant; carnalem nouerant, ſpiritualem videbant; ſimplicem nouerant, Prophetam videbant. Dicunt ergo: *Quænam res accidit filio Cis?* Qui noſſe quod fuerat, poterant, quod erat, qualiter eſſe poſſet; ignorabant. Hic denique profectus ſpiritualis Prædicatoris eſt, vt qui in communi vita aliquando notus eſt, in ſuperiori ordine habeat, quod ignoretur.

Mystic. Beda. 5 *Quænam res accidit filio Cis.* Beda lib.2.expoſ. Allegor.c.2. Docente IESV in patria ſua, multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: *Vnde huic hæc omnia? Et quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne iſte eſt faber, filius MARIÆ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis.* Matth.13.

Literal. Moral. Berch. Detractores deridentes iuſtos. 6 *Quænam res accidit filio Cis?* Petrus Berch. lib.9. Moral.cap.7. Videntes Saul ſubito mutatum in Prophetam, inuidendo, & deridendo dicebant: *Num & Saul inter Prophetas?* Sic verò ſtatum quando aliquis diuina gratia imbuitur, vel ad aliquem bonum ſtatum, Deo mediante, erigitur; nunquam deſinunt mundi detractores, imò iuſtum deridere conantur.

Literal. Liran. 7 *Quænam res accidit filio Cis?* Liran. ibi. Hoc dicebant admirando, quia Saul erat magnus,& robuſtus,& diſpoſitus ad bellandum, & non ad laudandum

dandum Deum cum Religiosis, vel ad prophetandum cum Prophetis.

LITERAL. Abul. 8 *Quenam res accidit filio Cis?* Abul. ibi q. 14. Nominabant eum filium Cis, ad denotandum miraculum, quasi dicant: Quasi pater suus erat vir indoctus.

LITERAL. Caietan. 9 *Quenam res accidit filio Cis?* Caietan. ibi ad argumentum admirationis scribitur, huiusmodi colloquium; quidam enim admirabantur considerantes ipsum Saülem: quidam autem spectantes ad patrem; quoniam nec ex parte ipsius, nec ex parte patrum videbant rationem prophetandi in Saüle.

LITERAL. Mendoza. 10 *Quenam res accidit filio Cis?* Franc. Mend. ibi §. 3. Sacra diuinæ legis eruditio ad solos Leuitas pertinebat; cùm igitur Saül non fuerit de Tribu Leuitica, non immeritò omnes, qui nouerant eum, mirabantur, quòd Leuiticis muneribus fungeretur. *Quæ res accidit filio Cis*; Si Saülis pater Cis Leuita non fuit, neque proinde Leuitica munia vnquam exercuit, Saul, qui pariter Leuita esse non potest, quomodo exercet?

LITERAL. Sanctius. 11 *Quenam res accidit filio Cis?* Gaspar Sanct: ibi num. 42. Ex hoc ego coniecto patrem Saulis Cis hominem esse rusticum, incultum, & longè alienum ab omni ingenua, atque vrbana disciplina; quare cùm contribules, & ciues canentem audirent Saulem, mysteria videlicet arcana ex Scriptura desumpta, & diuinas laudes in illo Prophetarum cœtu celebrantem, non sine causa admirabantur filium eius, qui nunquam cecinisset, neque ad illud psallendi ministerium filios instruxisset, iam cum Prophetis aliis cantasse numerosè, & Scripturæ Sacramenta quàmpaucissimis nota iam proferre, & insonare sapienter.

TROPOL. Nazianz. *Plures mali Prælati.* 11 *Num & Saul inter prophetas?* Nazianz. orat. in Laud. Basil. ante medium. Non virtute magis, quàm malitia, & fraude Sacerdotij dignitas paratur, nec meliores, ac digniores, sed potentiores thronis insident. Samuël inter Prophetas; ille, inquam, futura prospiciens; sed & Saul vilis, & abiectus. Roboam Salomonis filius inter Reges; sed & Hieroboam seruus, & rebellis. Cúmque nec Medici, nec Pictoris nomen quis obtineat, nisi priùs morborum naturas expenderit, aut multos colores miscuerit, variásque formas penicillo expresserit; Antistes contrà facilè inuenitur, non elaborarus, sed recens, quantum ad dignitatem simul sarus, ac prouectus, quemadmodùm Gigantes Poëtæ finxerunt. Vno die sanctos fingimus, eósque sapientes, & eruditos esse iubemus, qui nihil didicerunt, nec ad Sacerdotium quidquam ante contulerunt, præterquam velle.

LITERAL. August. 12 *Num & Saül inter Prophetas?* August. lib. 2. ad Simplic. tom. 4. Hoc igitur mirari desinamus, cum in hominibus apparet diuinitùs aliquid, quorum vel meritum, vel habitum excedit, cùm forte vult Deus cuiusdam significationis gratiâ tale aliquid demonstrare. *Eadem verba habet* Eucherius *in Comment.* Eucher.

VERSVS XII.

Vulgata. *Vulgata.* Respondítque alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum? Propterea versum est in prouerbium: Num & Saul inter Prophetas?

Author Catenæ. Benedict. *Autor Catena.* Benedictina legit: *Et quis pater eius?* Et in margine: *Respondítque hinc quidam, & ait: Quis pater eorum?*

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et respondit vir inde, & dixit: Et quis pater eorum? Propterea versum est in parabolam: Num & Saul inter Prophetas? Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Et quidam illinc respondens, dixit: Et quis est pater eorum? Propterea cessit in prouerbium: Num & Saul est inter Prophetas? Vatab.

Chaldaic. ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et respondit vir inde, & dixit: Et quis pater illorum? Ideò fuit in parabolam: Num etiam Saul in Scribis? Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et respondit quidam ex eis, & dixit: Et quis pater eius? Propter hoc factum est in prouerbium: Num & Saul inter Prophetas? Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtia. Et respondit quispiam eorum, & dixit: Et quis pater eius? Et propter hoc factum est in parabolam: Nùmquid & Saul in Prophetis? Sixtia.

Septuag. in Aldina, & Basileensi. Et quis pater eius? Nonne Cis? Septuag.

Simmachus apud Procop. Num etiam adhuc deinceps & Saul. Symmacus.

Chaldæus apud Vatabl. in Schol. Et quis magister eius? Chald.

Ambros. lib. 1. officior. cap. 43. Etiam Saul inter Prophetas? Ambros.

Alij apud Charens. Et Cis pater eius? Sic etiam legit Comestor. Charen. Comest.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Hieron. 1 *ET quis pater eorum?* Hier. vel potiùs Autor Quæstion. Hebraicar. Ac si diceret: Et quis maior illo in dignitate, & sapientia? Optimè enim potest inter Prophetas versari, & pater eorum, id est Magister vocari, qui tam doctus, & sapiens est: Pater Magister vocatur, sicut Elisæus Heliam patrem, id est Magistrum vocat 4. Reg. 2. *Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius. Eadem verba habet* Angelomus. Angelom.

LITERAL. Greg. 2 *Et quis pater eorum?* Greg. lib. 4. Variar. cap. 5. Quid est quod hucusque de solo Saül dicebatur: *Quenam res accidit filio Cis?* & nunc quasi de multis respondetur: *Et quis est pater eorum.* Sed si ad historiam intelligatur, stare nullo modo potest. Restat ergo vt sensus, qui litteræ demitur in spirituali significatione requiratur. Cùm ergo dicitur: *Quis pater eorum*, non solùm Saül prophetans attenditur, sed omnis ille cuneus Prophetarum; qui nimirum Prophetæ omnes, quia valdè spirituales erant, non ex carnali progenie, sed ex cœlesti origine censebantur. Pater quidem Prophetarum ille est, qui per Malachiam exquirit, dicens: *Si Dominus sum, vbi est timor meus? Et si pater sum, vbi est amor meus?*

MYSTIC. Idem. 3 *Et quis pater eorum?* Idem ibidem. Mirandi essent sancti Prædicatores, si mira quæ agunt, sua virtute perficerent. Nunc mirum non est, quod cernitur, quia per eos ille hoc agit, cui aliquid difficile non videtur. Dicat ergo alter ad alterum: *Et quis pater eorum?* quasi dicat: quid mirum est, si mirabiliter doceant, cùm non ipsi sint, qui loquuntur, sed Spiritus patris eorum, qui loquitur in eis?

LITERAL. MORAL. Idem. 4 *Et quis pater eorum?* Idem ibidem. Non dicitur: *Quis pater eius*, ne quod pluribus conuenit filiis, vnico conferatur; solus enim ille, qui natura filius est, dicere audet: *Pater meus vsque modo*

Ioan.5. *modo operatur.* Ioann.5. Quoties ergo vnus Prædicator mirabili vitâ, aut prædicatione clarus aspicitur, in superna generatione non solus, sed cum aliis innumeris videatur; quia omnipotens Deus, qui mirabilis in vno ostenditur, mirabiliorem valdè hominum admirationem facit, cùm innumerabiles attenduntur, qui id, quod in vno mirantur, habuerunt.

MORAL. Gregor. *Detractores Prædicatorũ.* 5 *Et quis pater eorum?* Idem ibidem. Quod ad detractionem carnalium referri conuenienter potest. Nam cùm spiritualium virorum famam minuere tentant, eorum carnalia explorant quæ ad derogationem proferant. Et plerumque in sancta Ecclesia miram sanctitatis formam habent, qui sæcularem altitudinem nullam habent. Cùm ergo carnales quique, aut carnis originem, aut pauperatem in eis reprehendunt, qui diuina generatione iam magni, & diuites sunt quasi substannando de Prophetarum patre scisitantur.

LITERAL. Clarius. 6 *Et quis pater eorum.* Isidor. Clar. in Scholiis. Cogitur hic pater pro magistro, & præceptore.

LITERAL. Comest. 7 *Et quis pater eorum?* Comest. in histor. Schol. c.10. Quasi dicant: Solus Deus est pater Prophetarum, & Spiritus, vbi vult, spirat, non tantum in filios Prophetarum.

LITERAL. Lira. Rabbi Salomon. 8 *Et quis pater eorum?* Liran. ibi. *Et quis pater eius.* Quasi dicat: Cis pater eius non est Propheta, nec ad hoc dispositus: quasi dicat: nec iste deberet esse. In Hebræo habetur: *Et quis pater eorum*, & sic refertur ad sensum oppositum, vt dicit Rabbi Salomon sic exponendo: *Quis pater eorum*, scilicet Prophetarum? Quasi dicat: Prophetia non habetur per successionem paternam, sed Deus eam dat sua gratia, cuicumque voluerit, & ideò non est mirandum, si iste habet donum prophetiæ, dato quòd pater eius Propheta non fuerit, vel alius de genere suo.

LITERAL. Abul. 9 *Et quis pater eorum?* Abul. ibi, q.15. Sacerdotes, & Leuitæ quoque vacabant sapientiæ, & ipsi soli erant, qui separabantur in Sanctuario ad prophetandum coram Domino in vasis musicis, vt patet. 1. Paral. 16. & 25. Et quia aliæ Tribus non vacabant huic sapientiæ, & illi Prophetæ, qui descendebant de excelso, erant de genere Leuitarum, mirati sunt omnes, qui viderunt, quòd Saul haberet scientiam prophetandi; & non fuissent mirati de vera prophetia; & hoc quia non pertinebat Saul ad genus Leuitarum, de quibus erant isti Prophetæ.

LITERAL. Mendoz. 10 *Et quis pater eorum?* Franc. Mend. ibi. §.2. Quasi diceret: Quemadmodum illi primi Prophetæ, quin haberent patres Prophetas prophetarunt, ita & Saul à patre non Propheta genitus, solo Deo inspirante, & afflante potest prophetare.

LITERAL. Idem. 11 *Et quis pater eorum.* Idem ibidem. §.5. Est frequens hebraismus quo plurale ponitur pro singulari. *Æquitatem vidit vultus eius.* Ps.107. Hebraicè *Æquitatem vidit vultus eorum.* Sic igitur hoc loco: *Et quis pater eorũ*, ideſt, *Et quis pater eius.*

LITERAL. Titin. 12 *Et quis pater eorum?* Titin. in sua Biblia. Scilicet Saulis, & famuli eius, & forte etiam aliorum quorundam; qui se illi ex via socios iunxerant, & simul cum ipso prophetabant, vt pluribus accidisse etiam impiis legimus infrà, c.19. Stupent ergo & attoniti quærunt, vnde illis hæc ars, & scientia; quasi dicant, non habent eam à parentibus ignaris Musicæ, rusticis, incultis, & longè alienis ab omni ingenua, ac vrbana disciplina. Vnde res admiratione est plena, & prodigio similis, nec nisi de cœlo profecta, quòd filij illorum iam ad psalterium, & sonos musicos rusticam manum suam, & agrestem vocem tam concinnè, tam suauiter attemperent.

LITERAL. Gordon. 13 *Et quis pater eorum.* Iacobus Gordonus in Comm. Ac si dicerent: An non hi qui prophetant, sunt etiam humili loco, æque ac Saul?

LITERAL. Vatab. 14 *Et quis pater eorum?* Vatabl. in Schol. Aliorum Prophetarum scilicet? Quis docuit eos prophetiam? Quis fuit magister eorum? Non putatis eum propterea esse prophetam, quòd pater eius non sit Propheta? An patres aliorum fuerunt Prophetæ, vt sit necesse istius patrem esse Prophetam, vt sit Propheta?

LITERAL. Author Catenæ. Mendoza. Cantap. 15 *Et quis pater eorum.* Autor Catenæ. Placet præ omnibus expositio Mendozæ hebraismum hoc esse, quo vnus numerus pro alio non infrequenter vsurpatur, nimirum *eorum* pro *eius*, vt suprà probauimus ex Cantapetrensi, & exemplis illustrauimus: quod præstat etiam Mendoza in præsenti. Sensus ergo est: Et quis pater eius? Hoc est, munus hoc prophetandi, à patre quidem non accepit, cùm Cis Leuitâ non sit, sed Beniamita. Plures alias expositiones vide apud Hugo. Charens. in Post. quas, quia aliæ relatæ iam suprà sunt, aliæ verò minus videntur congruæ, libenter omitto, cùm præcipuè ipse legat: *Et quis pater eius* in singulari: Vulgata verò correcta: *Et quis pater eorum?* Alij verò mendosè. *Et Cis pater eius?* Charens.

LITERAL. Aug. 16 *Propterea versum est in prouerbium.* August. lib.2. ad Simplic. tom.4. Ideò sicut consequens indicat lectio, factum est in parabolam: *Et Saul inter Prophetas?* Hoc igitur mirari desinamus, cùm in hominibus apparet diuinius aliquid, quorum vel meritum, vel habitum excedit, cùm fortè vult Deus cuiusdam significationis gratia tale aliquid demonstrare.

TROPOL. Nazianz. *Sacerdotum indignorum multitudo?* 17 *Num & Saul inter Prophetas?* Nazianz. orat.1. Aliorum me puduit, qui cùm plebeis hominibus nihilo meliores sint, atque vtinam non etiam multò peiores, illotis, vt dici solet, manibus, profanisque animis in sanctissima mysteria se se inferunt, ac prius quam digni sint, qui ad res sacras accedant, sacrarium ipsum ambiunt, & circum sacrosanctam mensam se se inuicé premunt, ac protrudunt, tanquam non virtutis exẽplum, sed victus parandi occasionem, & subsidium, hunc ordinem esse iudicantes, ac non munus referendis rationibus obnoxium, sed imperium abomni censura immune. Qui etiam eos, quibus præsunt, numero iam ferè superent; ob pietatem vtique miseri, ob splendorem infœlices. Itaque malo hoc vnà cum tempore progresso, ac vires capiente, ne habituri quidem mihi videntur, quibus præsint, omnibus videlicet docentibus, & vaticinantibus, adeo vt iuxta veterem Historiam, & paræmiam Saül quoque inter Prophetas sit.

MORAL. Idem. 18 *Num & Saül inter Prophetas?* Idem Carm.11. tom. 2.

Ipse Saül etiam præstat (res mira) prophetam.

LITERAL. Idem. 19 *Num & Saul inter Prophetas.* Idem orat.7. Saul & vnctus est, & spiritum percepit, ac tum spiritualis erat, (non enim de eo secus dixerim) atque adeò prophetauit, idque adeò præter hominum opinionem, vt ex illo miraculo prouerbium hoc fluxerit quod nunc quoque referri, atque audiri solet: *Num & Saul inter Prophetas?*

LITERAL. Ambros. 19 *Num & Saul inter Prophetas?* Ambros. lib.1. Exposit. c.43. Saul vallarus choro Prophetarum, etiam ipse prophetauit, & de solo quasi indigno memoratum est: *Etiam Saul in prophetas?*

MORAL. Greg. 19 *Num & Saul inter Prophetas?* Greg. suprà. Quod

Qualis conuersio Pauli. Quod certè prouerbium etiam electis adscribi potest. Non enim minor admiratio habita est de Beato Paulo Apostolo, quando auditum est ab Ecclesia; quia ille euangelizaret, qui Ecclesiam minando, & cædendo expugnare solebat, nunc prædicando defenderet. Tunc quidem ij, qui audiebant, dicere poterant: Num Saulus inter Apostolos? Numquid ille IESVM prædicat, qui IESVM persequi solebat? Conuersio Beati Pauli Apostoli facta est prouerbium peccatoris. Audiat ergo vnusquisque peccator Beati Pauli conuersionem, & non desperet de criminum multitudine.

MORAL. Cretens. 20 *Num & Saül inter Prophetas?* Helias Cretens. orat. 1. Nazianz. Prouerbialis locutio est, de his, qui indignissime se honore, ac dignitate cum iis æquant, à quorum virtute quamlongissimè absunt.

LITERAL. Vatab. 21 *Num & Saül inter Prophetas?* Vatabl. in Schol. Prouerbium in eos, qui cùm priùs essent obscuri, fiunt clari, & nobiles. Quasi dicat potest Dominus docere, quos vult, & donare Spiritu prophetico.

LITERAL. Delrius. 22 *Num & Saül inter Prophetas.* Delrius tom. 1. Adagior. Adag. 178. Prouerbij vsus esse poterit ex admiratione, si homo idiota, & indoctus subitò compareat laureatus, siue Doctoris infula ornatus, vel ignobilis purpuratus, aut belli inexpertus, Imperator; & talia quotidie.

LITERAL. Serar. 23 *Num & Saul inter Prophetas.* Serar. ibi. Quasi dicerent: Num anser inter olores? Graculus inter Musas?

VERSVS XIII.

Vulgata. *Vulgata.* Cessauit autem prophetare, & venit ad excelsum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebræica ex Xante Pagn.* Et cessauit prophetare, & venit in Bamah.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatablo.* Cessauit autem prophetare, & venit ad excelsum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasmontano in Regia.* Et cessauit à laudando, & intrauit ad domum conuiuij.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et compleuit prophetare, & venit in excelsum.

Sixtian. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et consummauit prophetare, & venit in collem.

Theodor. *Theod. ibi quæst. 24.* Desiit prophetare.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. ANAGOG. Gregor. 1 *Cessauit autem prophetare.* Greg. lib. 4. Var. cap. vlt. Ad excelsum post prophetiæ ministerium venit, qui ad cœlestia gaudia, quæ prædicat, mentem erigit, & ad ea amando se subleuat, quæ loquendo monstrat. Doctores quidem cum minoribus plana prædicant, cum eis, quos docent, quasi in plano sunt. Et quia post verba prædicationis ad promerenda ea, quæ prædicant, se bonis operibus præparant, ad excelsum venire perhibentur. Qui certè sublimes verbo, & opere sunt; cogitatione elationis non sunt.

LITERAL. Theodo. 2 *Cessauit autem prophetare.* Theod. ibi q. 24. Quid est: *Desiit prophetare?* Non habuit perpetuum donum prophetiæ. Ad declarandum autem, & ostendendum spirituale donum, prophetauit illo tempore. Ita etiam Septuaginta Seniores, quos elegit Magnus Moyses, statim quidem electi digni sunt habiti prophetica operatione: postea autem minimè quidem prophetabant, sed à dono diuino redditi sapientes, componebant populi controuersias. *Eadem verba habet* Procopius. Exod. 24. Procop.

3 *Cessauit autem prophetare.* Vatabl. in Schol. Idest dicere laudes Deo, & canere cantica in laudem Dei. LITERAL. Vatab.

4 *Cessauit autem prophetare.* Caietan. ibi. Verè ad mensuram dat Deus spiritum. LITERAL. Caietan.

5 *Cessauit autem prophetare.* Autor Catenæ. Si ad rigorem litteræ spectes, solùm affirmatur his verbis cessatio Saülis ab actu prophetandi, non verò ab habitu, quidquid dicat Mendoza. Nam cùm immediatè præcesserit narratio prophetationis Saülis cum Prophetis, modò eius cessatio ponitur. Quamuis enim certum sit, quòd aliquando cessaturus fuisset, hic terminus actionis, aut tempus, quo cessauit, scribitur, cùm iam discederet à Prophetis, excelsum subiturus. Nihilominus ex aliis principiis probabilius est etiam ab habitu cessasse, vt diximus suprà vers. 6. & docet communis sententia Theologorum. Sanct. Thom. 2. 2. q. 171. Suarez de Gratia, prologom. 3. cap. 5. num. 23. & alij asserentes Spiritum prophetiæ non infundi à Deo Prophetis per modum habitus, permanentis, sed per modum actionis, seu qualitatis transeuntis; alias omnia semper scirent, quod falsum est. Præterea actus prophetandi non hic sumitur pro rerum futurarum prædictione, aut occultarum reuelatione, sed pro poësi, & musica, quâ diuinas laudes concinendi repentè instructus est, vt docent communiter Interpretes. LITERAL. Author Catenæ. Mendoza. S. Thom. Suarez.

6 *Et venit ad excelsum.* Abul. ibi q. 15. Saül inuenit Prophetas ad portam vrbis, & ibi prophetauit cum eis; postea autem cessante propheria, ascendit in excelsum, de quo descendebant Prophetæ. Ascendit autem illuc, quia forte habitatio patris sui in vrbe illa, erat in excelso, vel fortè quia locus aliquis erat specialis in excelso, in quo Deus colebatur, & orabant illi, qui erant in vrbe. Ideò voluit, antequam iret in domum suam, ascendere ad gratulandum Domino in excelsum. LITERAL. Abul.

7 *Et venit ad excelsum.* Vatabl. in Schol. Idest in domum conuiuij. LITERAL. Vatab.

8 *Et venit ad excelsum.* Caietan. ibi. Iuxta Hebræum habetur: *Et venit in Baman.* Nomen proprium loci significari puto. LITERAL. Caietan.

9 *Et venit ad excelsum.* Autor Catenæ. Quod excelsum dicitur, locus orationis erat, vt explicant Interpretes, vnde probatur Saulis virtus, ac bonitas, qui repente Propheta effectus, & de futuro Regno signorum impletione secutus, excelsum, orationis, & gratiarum actionis causâ, continuò subiit. Quæ quidem mystice de Prædicatoribus exponit Gregor. dicens: *Hoc distare inter carnales, & spirituales Prædicatores solet, quia carnales post alta verba prædicationis ad ima descendunt prauis operibus: spirituales verò post sublimia, quæ loquuntur, in altiora valde cœlestis patriæ desideria se sustollunt.* LITERAL. MORAL. Author Catenæ: *Gratitudo commendatur.* Greg.

VERSVS XIV.

Vulgata. *Vulgata.* Dixitque patruus Saul ad eum, & ad puerum eius: Quò abiistis? Qui responderunt: Quærere asinas: quas cùm non reperissemus, venimus ad Samuelem.

VERSIONES.

Pagn. *Hebræica ex Xante Pagn.* Dixit autem patruus Saul ad eum, & ad puerum eius: Quò abiistis?

Et dixit: ad quærendum asinas; & vidimus quòd non essent, & venimus ad Semuël.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et patruus Saulis dixit ad eum, & ad puerum eius. Quò abieratis? Respondit: Quæsitum asinas: cúmque vidissemus, quòd non (essent) venimus ad Samuëlem.

Ariasm. *Chald. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et dixit patruus ipsius Saul illi, & puero eius. Quò iuistis? Et dixit: ad quærendum asinas; & vidimus, quòd non reperissemus eas, & venimus ad Semuël.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et dixit ei patruus suus, & puero eius: Quò abiistis? Et dixit: Quærere asinas: & vidimus, quòd non erant, & ingressi sumus ad Samuëlem.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et dixit propinquus eius ad eum, & ad puerum eius: Quò iuistis? Et dixerunt: ad quærendas asinas; & vidimus, quia non sunt, & intrauimus ad Samuël.

Procop. *Procop. ibi.* Dixitque domesticus, siue propinquus eius.

Mendoza. *Mendoza ex Græco.* Dixitque amicus, seu domesticus eius.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Ioseph. 1 *Dixitque patruus Saül ad eum.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 5. aliàs 4. Postquam autem domum rediit, percontante cognato suo Abenero, quem præ cæteris diligebat, quo successisset peregrinatio; nihil illum celauit, nec hoc quidem, quod apud Prophetam fuisset, & ex eo cognouisset inuentas esse asinas. De regno tamen tacuit.

Comest. 2 *Dixitque patruus Saul ad eum.* Comest. in Histor. Schol. cap. 10. Intrauit ad Ner patruum suum, qui cùm quæsiuisset ab eo de verbis Samuëlis, de verbo regni tacuit, & cætera indicauit. *Eadem verba habet* Naucler. *volum. 1. Gener. 32.*

Naucler.

Literal. Abul. 3 *Dixitque patruus Saül ad eum.* Abul. ibi q. 15. Ista ciuitas, in qua prophetauit Saül, erat locus habitationis suæ, ideò cùm cessauit prophetare, accesserunt ad eum cognati sui, & patruus eius, qui erat quasi principalis, quæsiuit ab eo de itinere suo; nam cùm vidissent cognati eius mutationem, satis crediderunt, quòd aliquid mirabile accidisset Saüli: Ideò quæsierunt, quomodo erat. Est autem patruus Saülis Ner, vt patet infrà cap. 14. Nam pater Saülis erat Cis, & auus eius Abiel, vt patet præcedenti capite, ergo Ner erat frater Cis, & patruus Saülis.

Literal. Vatab. 4 *Dixitque patruus Saul ad eum.* Vatabl. in Schol. Quidam aiunt patruum Saülis fuisse in loco illo Cariath-icarim. Alij aiunt, Scripturam reticere multa, quomodo illinc abierit.

Literal. Saa. 5 *Dixitque patruus Saul ad eum.* Saa in Schol. Scilicet, postquam domum rediit. Vel fortè erat in Chariathiarim.

Literal. Mendoza. 6 *Dixitque patruus Saül ad eum.* Franc. Mend. 6. 2. Cur pater ipse non interrogat? Forte quia non aderat, aut quia iam sciebat, aut quia etiam non interrogans sperabat se quidquid filio contigisset, ex illo auditurum; boni enim, & ingenui filij est, quidquid tibi acciderit, cum parente etiam non interrogante, communicare, vt ab eo in omnibus dirigatur.

Literal. Autor Catenæ. 7 *Dixitque patruus Saül ad eum.* Autor Catenæ. Ex immediata narratione sermonis patrui, postquam dicitur Saül ad excelsum peruenisse, potest colligi vel patrui domum in excelso esse, vel ibi à Saüle casu repertum; quamplura enim à Scriptura prætermittuntur, vt notat Vatablus, & multis confirmat Cantapet. lib. 5. Hypotyp. cap. 1. Nonverò interrogat de nouo prophetationis euentu, quia cùm immediatè præcessisset, patruus qui vel in excelso collis erat, vel in Gabaa Saülis patria, rem fortassis ignorabat, quod mihi potiùs probatur, quam ratio triplex à Mendoza nostro excogitata; noti enim qui propheranten illum mirati fuerant, ipsi propheranti tunc aderant, nec patruo tam breui nuntiasse poterant.

Cantap. Mend.

8 *Quo abiistis.* Franc. Mend. §. 2. Cur non interrogat: Quomodo prophetasti? Præsertim cùm hoc esset, cuius ille rationem præcipuè indagabat, sed *quo abiistis*? Fortasse, vt hac verborum circuitione suam mentem dissimularet, & faciliùs Saülem ad dicendum id, quod erat, induceret. Aut etiam quia ex termino profectionis facilè posset colligere principium illius prophetiæ. Aut tandem vt omnem arrogantiæ occasionem Sauli amputaret.

Literal. Idem.

9 *Quærere asinas, quas, &c.* Autor Catenæ. Patruus forte de profectione ad quærendas asinas ignorabat, didicit verò à Saule; qui accessum ad Samuëlem significare non est veritus, cùm firmissimè tamen proposuisset de vnctione, & promisso regno prorsùs conticere.

Literal. Author Catenæ.

VERSVS XV.

Vulgata. *Vulgata.* Et dixit ei patruus suus: Indica mihi, quid dixerit tibi Samuël.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Et dixit patruus Saul: Indica, quæso mihi, quid dixit vobis Semuël.

Vatab. *Hebr. ex Franc. Vatab.* Et ait patruus Saulis: Indica, quæso, mihi, quid dixerit vobis Samuël.

Ariasm. *Chald. ic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit patruus ipsius Saul: Indica nunc mihi, quid dixerit vobis Semuël.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et dixit patruus Saulis: Indica iam mihi, quid dixerit tibi Samuël.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Et dixit propinquus ad Saul: Annuntia nunc mihi, quid dixerit tibi Samuël.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Et dixit ei patruus suus.* Greg. lib. 4. Variar. c. vlt. Quia aliis dictis se esse electi viri meritis minores credunt, ille cui sermonem non indicat, eius patruus esse dicitur, patruus quidem dicitur frater patris. Redemptor autem generis humani, quotquot fidei suæ, & doctrinæ Sacramentis instituit ad immarcescibilem æternæ hæreditatis gloriam, tot filios facit; qui enim instituuntur in Ecclesia, quasi paruuli adhuc filij sunt. Sed qui magnis meritis ei iam in virum perfectũ occurrit, frater est Redemptoris. Tales nimirùm Beatus Paulus collaudãs, ait: *Hæredes Dei, cohæredes Christi.* Rom. 8. Quia ergo perfecti Prædicatores electos alios perfectos tenent, & se imperfectos, patruus Saul dicitur, qui de regni sermone eum interrogasse perhibetur.

Rom. 8.

Literal. Abul. 2 *Indica mihi quid dixerit tibi Samuel.* Abul. ibi q. 15. Ex hoc accepit magnum fundamentum inquirendi patruus Saulis. Nam cùm iuisset ad Prophetam, credidit, quòd ab eo potuisset illi aliquid euenire, propter quod mutaretur; ideo voluit scire ordinem rei.

Literal. 3 *Indica mihi quid dixerit tibi Samuël.* Franc. Mend.

Mendoza. Mend.ibi.§.vnic. In Hebræo est pronomen plurale לָכֶם *Lachem*, ideſt *vobis*. Vel quia plurale tumitur pro ſingulari, vt ſæpè aliàs: vel quia patruus Saulis modeſtiæ cauſa interrogabat primum verba Samuelis ad vtrumque ſimul dicta, tanquam magis vulgata, & paulatim interrogaret quæ ſoli Saüli dicta fuerant, tanquã magis ſecreta: ſeu potiùs vt hac ſua in quærẽdo parcitate Saulem illiceret, & prouocaret ad omnia euulganda; ſit enim ſæpe, vt quò minus ab aliquo interroges, eò plus ab eo extorqueas.

Literal. Author Catenæ. Abul. Mendoza. 4 *Indica mihi quid dixerit tibi Samuel.* Autor Catenæ. Cùm patruus nomẽ Samuelis audiſſet, qui totius populi Regis, & Pontificis vices gerebat, curioſitate motus, quid cum tanto viro conſobrino acciderit, interrogat; non verò, vt volunt Abul. & Mend. quod immutationis, & propheratiõnis cauſas indagare tentaret; nam vt verſu præcedenti dixi, probabilius mihi eſt Ner adhuc de Saulis immutatione nihil cognouiſſe, cùm à loco prophetatiõnis ipſe diſtaret, & illa immediatè præceſſiſſet; ita vt tam parui temporis ſpatio ad eum non poſſet peruenire. In Hebræo eſt, *Indica, quaſo, mihi*, qui dicendi modus, vel hebraiſmus eſt, vt & ſupra cap. 9. v. 3. vel patrui moleſtiam indicat. Græcus verò addit: *Indica iam mihi*; quaſi curioſitatis impatientia laboraret.

VERSVS XVI.

Vulgata. V*Vulg.* Et ait Saul ad patruum ſuum: Indicauit nobis, quia inuentæ eſſent aſinæ: De ſermone autem regni non indicauit ei, quem locutus fuerat ei Samuel.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Dixitque Saül ad patruum: Indicando indicauit nobis, quòd inuentæ eſſent aſinæ. Verbum autem regni non indicauit ei, vt dixerat Semuel.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Reſpondebit Saul patruo ſuo: Conſtanter affirmabat nobis aſinas eſſe inuentas. Cæterùm de negotio regni, de quo locutus fuerat Samuel, nihil indicauit ei.

Ariaſm. *Chaldaic. ex Beried. Ariaſm. in Regia.* Et dixit Saül patruo ſuo: Indicando indicauit nobis, quòd repertæ ſunt aſinæ. Et ſuper negotium regni non indicauit ei, quod dixiſſet Semuel.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Et ait Saül ad cognatum ſuum: Indicans indicauit mihi, quia inuentæ eſſent aſinæ. At ſermonem regni non indicauit ei, quem dixit Samuel.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixt.* Et dixit Saül ad propinquum ſuum: Annuntians annuntiauit mihi, quia inuentæ ſunt aſinæ. Verbum autem regni non annunciauit ei.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Mendoza. 1 *INdicauit nobis, quia inuentæ eſſent aſinæ.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Fortaſſe hac reſponſione quæſitis abũdè ſatisfecit, ſi Hebræo Textui inſiſtatur, (*quid dixerit vobis Samuel*) nam patruus interrogauerat quæ vtrique dicta fuerant: ille autem hæc omnia manifeſtat, qualia erant, quæ ad ſolam aſinarum inuentionem pertinebant. Nam ſermo regni inter Samuelem, & Saülem ſeorſum habitus fuerat, famulo remoto, vt patet ex capite præcedenti.

Mystic. Moral. Greg. 2 *De ſermone autem regni non indicauit ei.* Greg. lib. 4. Variar. c. vlt. Verbũ regni Rex nõ indicat, quia Paſtor Eccleſiæ magno diuinitatis ſplendore loquitur, ſed elatione non loquitur. Verbum enim ſemper loquitur, cui verbum eſt, alioquin verbum non eſt. Verbum ergo regni habet, qui ea conuerſatione fulget, quæ exempla cœleſtis itineris aliis, quaſi loquendo, præbet. Verbum ergo non indicat, qui magnitudinem ſanctitatis per vanam gloriam non reuelat; habet quidem quod indicet, ſed quòd per ſeipſum oſtenditur, indicare non vult. Nam qui magna dignitate, magnáque ſanctitate radiat, multa viuendo oſtendit, quæ loquendo non dicit. Hoc profectò verbum regni habere Dominus prædicatorem voluit, quando in veſte Pontificis tintinnabula poni mandauit. Veſtis quidem Pontificis eſt oſtenſio bonæ conuerſationis; quæ quaſi tintinnabulis multis inſeritur, quando opera bona multiplicat, quæ ad bonorum exemplum clamant. Sed indicare Rex regni verbum non audet, quia præceptum eſt Sacerdotibus, vt coram Domino veſtis decorem portent. Exod. 28. *Sanctitatem factis, non verbis oſtendas.*

Hiſtor. Tropol. Ioſeph. 3 *De ſermone autẽ regni non indicauit ei.* Ioſeph. lib. 6. Antiq. c. 5. aliàs 4. De regno tantùm tacuit, ne ea res vel credita inuidiam, vel non credita vanitatis opinionem ei contraheret. Quamuis enim & amicus eſſet, & cognatus, tutius tamen, ac conſultius arbitratus eſt ſilentium, reputans, credo, humanæ naturæ infirmitatem, quod nemo conſtans in amore: ſed etiamſi manifeſto diuino ſuffragio fœlicitas contingat, tamen alios ſibi præferri iniquè, & inuidè ferunt.

Literal. Moral. Lira. 4 *De ſermone autem regni non indicauit ei.* Liran. ibi. Vt euitaret iactantiam, & humilitatem ſeruaret, & etiam fidelitatem ſecreti; Samuel enim vnxerat eum ſecretè, propter quod puerum Saül fecit præire, ne audiret verbum eius, & ideò voluit tenere ſecretum, & debuit, quouſque Samuel negotium publicaret. *Saulis modeſtia?*

Literal. Interl. 5 *De ſermone autem regni non indicauit ei.* Gloſ. Interl. ibi. Ne videretur gloriari, vel ne inuidiam generaret ſibi.

Literal. Abul. 6 *De ſermone autem regni non indicauit ei.* Abul. ibi. q. 15. Et ubuit ergo de ſe hoc dicere, ne videretur ſe iactare, ſi hoc crederet eſſe futurum.

Literal. Moral. Carth. 7 *De ſermone autem regni non indicauit ei.* Carth. ibi. art. 19. Quia res ſatis incredibilis videbatur; & Samuel voluit id latêre vſque ad tempus præfixum. Item ne videretur inaniter gloriari. Ex quibus innoteſcit humilitas, atque prudentia Saül, qui ſecretum iſtud tam congruè ſiluit, nec proximis ſuis innotuit, quod & illos valdè potuit exhilarare, & de ſe admirationem inducere. *Saulis prudentia.*

Tropol. Palaf. 8 *De ſermone autem regni non indicauit ei.* Ioan. Palafox. libr. 2. Hiſtor. Sacr. Regal. Iam quidem Saül regno dignus fieri cœpit, magnam ſiquidem exercet virtutem prioribus imperij auſpiciis. Secretum, & honos conſiliorum eſt & executionis ſecuritas; miniſtrorum quaque probatio, regiminis pretium, rectitudinis pignus, congregationum decus. Conciliorum ſilentium principem armat, hoſtes inermes reddit; prudentia enim remedia diſponit: ſecretum ſecuritatem confirmat. *Secreti laus!*

Tropol. Author Catenæ. Muſſanus. 9 *De ſermone autem regni non indicauit ei.* Autor Catenæ. Commendant communiter Interpretes Saülis prudentiam, & animi fortitudinem, qui à patruo de rebus cum Samuele geſtis interrogatus, futuri regni negotium, quia arcanum erat, conſtanter abiecõdit; quod non vulgare virtutis argumentũ eſt. *Habet* enim *hoc primum magna fortuna*, ait Plinius Iunior ſuo Traiano in Paneg. *quod nihil tectũ, nihil occultum eſſe patiatur.* Muſſæus verò Poëta. *In ſilentio autem.* *Arcanorũ reticentia cõmendatur?*

Opus quod perficit aliquis, in triuiis audit.

Chilo. Laert. Aristot. Isocrat. S. Maxi. Leuit. 1. 191. S Clem. Calcan.

Quocirca Chilon philosophus rogatus quid esset difficile: *Arcanum*, inquit, *reticere. Tanta est lingua*; ait Laërtius, *omnium maximè volubilis incontinentia, cùm alioqui nihil videatur facilius quàm silere.* Similiter Aristotel. apud Anton. in Melissa part. 1. serm. 73. interrogatus à quodam, quis arcanum sermonem continere posset? Respondit: *Qui carbonem quoque ignitum linguâ retinere potest.* Quæ sententia Isocrati etiam adscribitur à S. Maximo serm. 20. Inter immunda animalia à Deo repudiata, Leuitic. 11. 29. Mustela continetur. *Hac quoque inter polluta reputabuntur de his quæ mouentur in terra, mustela*, &c. vt adnotarunt S. Clemens Papa lib. de Natura rerum, & Calcaneus in Hieroglyphic. cuius potissima ratio assignatur, quòd aure quidem concipit, ore autem parit; in eorum sybolum, qui auribus arcana percipiunt, ore diuulgant. Ex quo eximiæ quidem laudis dignissimus extitit Venetorum Senatus, apud quem cùm Francisc. Carmagnola classis Imperator, proditionis reus accusatus fuisset, diémque, & noctem de illius sanguine à Senatoribus plusquam ducentis disceptatum fuisset, is quidem qui vbi tunc aberat, aut quis alius, nihil prorsus suspicatus, post octo tandem integros menses, Venetias vocatus capite plexus est; in tantùm rei agendæ consilium tot inter viros, tantóque temporis spatio abditissimo silentio delituit, vt Autor est

Illescas.

non sine admiratione, & commendatione Illescas lib. 6. Histor. Pontific. in vita Eugenij IV. Pontificis maximi. Huius quidem laudis Saulis continentia expers non fuit, qui cùm

Carth.

suos fœlicis nuntio, vt ait Dionysius, *posset exhilarare, & de se admirationem inducere*; secretum tamen fideliter occulere maluit, cui perbellè conuenit Theodorici

Theod. Cassiod.

Gothorum Regis encomium, qui charum sibi ministrum commendans, aiebat olim apud Cassiod. lib. 5. Variar. epist. 3. *Secreta nostra, quasi obliuisceretur, occultauit: iussa, quasi scriberet, per ordinem retinuit.* Moyses quoque amplissima à Deo potestate acceptâ, & Hebraici populi Redemptor, Princépsque creatus, cùm ad peragendum iniunctum officium iam proficisceretur, Socero suo Ietro, quem patris loco habuerat ad annos quadraginta, nec verbum de tanto arcano credidit indicandum, sed ait: *Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam si adhuc viuant.*

Exod. 4. 18. Rupert.

Exod. 4. 18. Cuius quidem fidele secretum non prætermisit Rupert. lib. 1. in Exod. c. 19. scribens: *Non dixit ei Moyses: Vadam, vt fratres meos educam de Ægypto, iuxta Dei mei imperium, qui mihi apparuit: sed secretum tenuit; non enim suam, sed Dei gloriam quærebat*; quæ Saüli non incongruè aptari possent. Quanti verò nocumenti arcanorum violatio exiterit, videre est in eo, quod Elisæo olim euenit. Nam cùm puerum Giezi ad mortuum suscitandum immisisset, & ne negotij secretum panderet, dedisset in mandatis, ne quemquam occurrentem salutaret, nec ab eo salutatus responderet,

4. Reg. 4. 29. Hebræi. Lira. Abul.

4. Regum 4. 29. præstitâ tandem instructione Magistri mortuus minimè surrexit. Causam verò fuisse docent Hebræi apud Liram, & Abulensem ibi. q. 50. pueri incontinentiam, qui secretum violasse fertur, *quia ipse*, ait Hebræi, *denunciabat per viam omnibus, quòd ibat ad suscitandum vnum mortuum. Omninò propter demerita eius non suscitatus est.* Hæc illi. In tantum arcani violatio miraculo patrando impedimento fuit. Igitur

Tob. 12. 7.

Sacramentũ Regis abscondere bonum est. Tob. 12. 7.

11 *Quem locutus fuerat ei Samuel.* Abul. ibi. q. 15. Non solum subticuit id, quod locutus fuerat, sed etiam id, quod fecerat, scilicet vngendo eum; magis namque ipsum factum subticendum erat. LITERAL. Abul.

12 *Quem locutus fuerat ei Samuel.* Francisc. Mend. ibi, §. 6. Oportebat, vt Saul ad regnum eligendus, fieret obseruantissimus arcanorum custos. Nam hæc secretorum obseruantia est inprimis necessaria ad Rempublicam benè gubernandam. LITERAL. MORAL. Mendoza.

VERSVS XVII.

VVlgata. Et conuocauit Samuel populum ad Dominum in Masphath Vulgat.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Conuocauit autem Samuel populum ad Dominum in Mispah. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Et conuocauit Samuel populum ad Dominum in Mizpa. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et congregauit Semuel populum ad ante Dominum ad Miszpeia. Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et congregauit Samuel vniuersum populum ad Dominum in Masepha. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et condixit Samuel vniuerso populo ad Dominum in Massephat. Sixtian.

PP. ET AVCTORES.

1 *ET conuocauit Samuel populum, &c.* Gregorius libr. 4. Variarum cap. vltim. Masphah *speculatio* interpretatur. In ordinatione autem Regis populus in Masphah vocatur, quia qui ad ordinandum sanctæ Ecclesiæ Pastorem conueniunt, eius spiritualia, non carnalia attendere docentur. Speculari quidem, est, per formam sacræ Scripturæ ordinandum Prædicatorem cognoscere. Nam electorum speculum sacra Scriptura est. Quasi enim per speculum noscitur Pastor, quando moribus talis ostenditur, qualis in sacro eloquio prædicatur. Benè igitur Samuel populum in Masphaph conuocat, vt electio boni Antistitis non sit humano iudicio, sed diuino, cùm non talis eligitur, qualis hominum arbitrio decerni potest, sed qualis in sacro eloquio declaratur. TROPOL. Gregor. *Præsulũ electio, qualis?*

2 *Et conuocauit Samuel populum, &c.* Liran. ibi. Licèt Samuel de mandato Domini eum vnxisset, & statim hoc publicare posset; tamen ad compescendum murmur, & indignationem aliorum, qui erant de nobilioribus Tribubus, quæ fuit à Domino, vt per signum euidens omnibus electio Saulis appareret, & propter hoc vocauit populum. LITERAL. Lira.

3 *Et conuocauit Samuel populum.* Abul. ibi q. 16. Deus voluit in omnibus tollere Israelitis occasionem murmurandi. Si enim Saul, qui fuit in secreto vnctus, denuntiaretur postea fuisse vnctus, & quòd Samuel diceret eum fuisse electum à Deo, aliæ Tribus dubitarent de hoc nimis, & origo magni dubij erat, quia quælibet Tribus anhelabat ad regnum: quòd ergo Saul in secreto fuisset factus Rex, videbatur esse aliquid suspectum, cùm ipsi non fuissent vocati, quorum intererat, LITERAL. Abul.

nec

nec innotuisset eis modus: potissimè suspicari poterant, quia verisimilius erat, quòd principatus iste pertineret ad Tribus excellentiores, quàm ad illam Tribum minimam; & adhuc maximè, quia Iacob prophetauerat de Tribu Iuda, quòd illa regnatura esset, & nunquam regnum ab ea amouendum esset; omninò dicere poterant Viri de Tribu Iuda, quòd non credebant Samuëli hoc esse à Deo, cùm haberent prophetiam in contrarium, sed magis per fauorem humanum esse.

LITERAL. Abul. *Quid prior vnctio profuerit.*

4 *Et conuocauit Samuël populum.* Idem ibidem quæst. 17. Quæret aliquis ex hoc, cùm vnctio, quam fecit Samuël, Sauli nihil profectura esset, ad quid Deus volebat, quòd vngeret eum? Respondendum est, quòd illa, quæ facta sunt in vnctione Saulis ante istam electionem, profuerunt tam pro Saule, quàm pro Samuële, & pro populo. Item profuit hoc, quia quàto Deus plura signa monstrabat super Saulem, magis certificabantur, quòd elegisset eum. Si tamen non præcessisset vnctio facta per Samuëlem, ipse tanquam incautus descendisset in Maspha, & facta electione inueniretur ibi, nec ostenderetur super eum nisi miraculum vnum. Nunc autem, quia post vnctionem certificatus fuit Saul de his, quæ fieri debebant super ipsum, non venit in Maspha, sed abscondit se, & cùm facta esset electio cecidisset que sors, non est inuentus. Consuluerunt autem Israëlitæ Dominum postea an venturus esset Saül, & declarauit, quòd esset absconditus domi inter vasa; & cùm iuissent illuc Israëlitæ, sic inuenerunt, & per hoc magis certificati sunt. Ista conuocatio paucis diebus fuit post vnctionem Saülis, nam cùm à Deo electus esset, nihil supererat, nisi vt populus hoc cognosceret.

LITERAL. Idem.

5 *Ad Dominum in Maspha.* Idem ibidem. Idest vocauit eos, vt essent coram Domino. Ex hoc aliqui putant, quòd Arca, & Sanctuarium esset in Maspha potissimè cùm dicatur infrà, quòd consuluerunt ibi Dominum. Sed istud nihil est, quoniam etiam dicitur immediatè, quòd fecerunt Israëlitæ Saülem Regem coram Domino in Galgala; sequenti capite: Et suprà in littera dicitur: quòd ascendebant tres viri ad Dominum in Bethel, & etiam dicitur: De colle Domini in Gabaa; sed manifestum est, quòd non erat in illis locis Arca, nec Sanctuarium, ergo non dicebantur esse coram Domino, tanquam ibi esset Sanctuarium, sed quia omnis locus, in quo Domino aliquis specialis cultus impendebatur, vel ad quem aliqui conuenjebant, vt impenderent Deo cultum, dicitur esse coram Domino.

LITERAL. Hier. *Maspha quæ?*

6 *In Maspha.* Hier. ex Eusebio lib. de Loc. Hebraic. Maspha in Tribu Gad separata Leuitis. Est autem & alia nunc Maspha in finibus Eleutheropoleos contra Septentrionem pergentibus Acliam, pertinens ad Tribum Iuda.

LITERAL. Abul.

7 *In Maspha.* Abul. ibi q. 18. Fuit iste locus electus à Samuële, vt conuenirent ibi Israëlitæ, non quidem tanquam in nullo alio conuenire possent, sed quia iste visus est sibi conueniens; erat enim vnus de tribus locis, in quibus consueuerat Samuël iudicare Israëlitas, vt patet suprà cap. 7.

LITERAL. Carthus.

8 *In Maspha.* Carthus. ibi art. 19. Quia in vrbem illam iam transtulerat Samuël Arcam Dei.

LITERAL. Caietan.

9 *In Maspha.* Caietan. ibi. Dicitur congregasse in Maspha ad Dominum, quia sub titulo diuino fiebat congregatio, quemadmodum etiam Iudic. 20. congregatus quoque scribitur populus ad Dominum in Maspha, quod ideò annotauerim, ne hinc sumatur argumentum, quòd Arca Dei fuit in Maspha. Nam tempore Iudicum, quo congregati sunt ad Dominum in Maspha, perspicuum est, non fuisse ibidem Arcam Dei. Verùm congregatio ista Samuëlis ea ratione dicitur ad Dominum, quia ad audiendum, & exequendum verbum Dei fiebat.

LITERAL. Saa.

10 *In Maspha.* Emanuel Saa in Schol. Maspha erat in Tribu Benjamin, prope Gabaon.

LITERAL. MORAL. Mendoza.

11 *In Maspha.* Franc. Mend. ibi §. 3. Litteralis causa esse potest, vel quia vicinior, vel quia capacior, vel quia rerum gestarum gloria celebrior, vt cap. 7. num. 15. & 16. iam ostendi. Mystica sit, quia Maspha idem est, quòd speculatio: ad dirigendum autem Regem, diuinam voluntatem speculari oportebat. Vnde patet quanta in Prælatorum electoribus diligentia requiratur, vt aptissimus quisque in præfectura cooptetur.

Author Catenæ. Carthus. Abul. Salian. Mendoz.

12 *In Maspha.* Autor Catenæ. Ad dominum eos in Maspha congregasse dicitur, hoc est ad rem pertinentem ad Dei obsequium comitia populo indixisse, vnde non rectè colligunt Carthus. & alij ex hoc loco Arcam, seu Tabernaculum, in Masphath fuisse deportatam, quod quidem falsum esse probauimus suprà cap. 7. vers. 1. & in præsenti probant Abulens. Salian. & Mendoza. Quod si instes Deum etiam consultum de Saülis aduentu vers. 22. hoc verò solùm fieri per Arcam, ergo ibi aderat. Neganda est minor, cùm constet sæpè aliis in locis, vbi Arca non erat, etiam Deum consultum fuisse. Nam Abiathar eum consuluit in Ceila 1. Reg. 23. 9. & iterùm in Siceleg. ibidem cap. 30. 7. cùm tamen ab vtroque loco Arca abesset, & Tabernaculum. De Masphath vide dicta suprà cap. 7. vers. 16.

1. Reg. 23. 9. ibid. 30. 7.

VERSVS XVIII.

Vulgata. *Vulgata.* Et ait ad filios Israël: hæc dicit Dominus Deus: ergò eduxi Israël de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium Regum, qui affligebant vos.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Dixitque ad filios Israël: Sic dixit Dominus Deus Israël: Ego ascendere feci Israël ex Ægypto, & liberaui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regnorum, ac eorum qui opprimebant vos.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Dixitque ad filios Israël. Sic dicit Dominus Deus Israëlis: Ego eduxi Israëlem de Ægypto, & liberaui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regnorum, qui vexarunt vos.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm in Regia.* Et dixit filiis Israël: Ego ascendere feci Israël ex Misram, & liberaui vos de manu Mizraæorum, & de manu omnium regnorum, quæ afflixerunt vos.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et dixit ad filios Israël. Hæc ait Dominus Israël dicens: Ego eduxi Israël de Ægypto, & erui vos de manu Pharaonis Regis Ægypti, & de manu omnium regnorum affligentium vos.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtia.* Et dixit ad filios Israël: Hæc dixit Dominus Deus Israël dicens: Ego eduxi filios Israël ex Ægypto, & erui vos de manu Pharaonis Regis Ægypti, & ex omnibus regnis tribulantibus vos.

Caiet. *Caietan. ex Hebræo.* Dixitque ad filios Israël: Sic dixit Iehouah Elohe Israël.

PP. ET AVCTORES.

HISTOR. Ioseph.

1 *ET ait ad filios Israël.* Ioseph. lib.6. Antiquit. cap.5.aliàs 4. Porrò Samuël populum in oppidum Maspha tum conuocat, & cùm frequentes adesse videret, in hanc sententiam alloquitur: Hæc iussit me Dominus suo nomine ad vos perferre. Ego vos in libertatem vendicaui, primùm Ægyptiorum ieruos, deinde à vicinis Regibus toties victos, ac subiugatos.

LITERAL. Abul.

2 *Et ait ad filios Israël.* Abul. ibi. quæst. 18. Hic Samuël declarauit Israëlitis, quòd malè agerent petendo Regem: à principio enim hoc eis dixerat suprà cap.8. nunc quoque cùm esset de proximo Regem eis daturus, admonuit, vt ab hac iniquitate desisterent, sed etiam non desiterunt.

LITERAL. TROPOL. Greg.

3 *Ego eduxi Israël de Ægypto.* Gregor. lib.4. Variar. cap. vlt. Ipsa cognitio peccati est præparatio diuini muneris, quia sæpè cùm nos diuino munere indignos credimus, id per humilitatem promeremur. Vnde & Samuël eos, qui ad excipiendum Regem conuenerant, priùs ad peccatorum suorum considerationem conuertere satagit.

LITERAL. Abul. *Seruitus grauissimum malum.*

4 *Ego eduxi Israël de Ægypto.* Abul. ibi. q.18. Incipit Deus ab hoc beneficio, quia istud fuit maximum; nam nullum maius bonum est, quàm libertas, neque aliquod maius malum, quàm seruitus.

LITERAL. MORAL. Mendoza.

5 *Ego eduxi Israël de Ægypto.* Francisc. Mendoza ibi. §.1. & 2. In Hebræo est: *Hac dicit Iehouah Elohe, &c.* quorum prius nomen est benignitatis; posterius seueritatis, vt illa à Domino in Hebræos processisse: hæc autem sine dubio processura significetur; atque adeò in vno Domino amor pariter, atque rigor ostendatur. Aduerte quamuis beneficia non sint gratis hominibus exprobranda: ingratis tamen nonnunquam exprobrari oportere.

LITERAL. Idem.

6 *Et de manu omnium Regum, qui affligebant vos.* Idem. ibid. §.5. Supponitur Hebræos priùs fuisse crudeliter afflictos, & postea misericorditer liberatos.

TROPOL. Author. Catenæ. *Beneficia non exprobranda.*

7 *Et de manu omnium Regum, qui affligebant vos.* Author Catenæ. Beneficia sua Deus illis in memoriam reuocat, qui ea non modò obliuioni dederant, sed iniuriis compensabant. Vnde ea solùm Deus commemorat necessitate coactus; neque enim ex illis est, qui nulla vrgente ratione officia sua iactant ridiculi facinorum suorum tibicines, atque eis, qui receperùt, exprobrãt. *Dat enim omnibus affluenter, & non improperat.* Iacobi 1.2. & beneficentiæ suæ sæpius fluenta dissimulat. *Descendet sicut pluuia in vellus*, ait Psaltes; *& sicut stillicidia stillantia super terram.* Psal.64. Vbi cùm iuxta communem expositionem de maximo Dei beneficio sermo sit, scilicet de Verbi Incarnatione quanto silentio, nullóque facto rumore id sit peractum, exprimitur, lenis enim pluuiæ stillæ molliter in vellera descendunt; quod notauit Incognitus ibidem. Vers. 1569. *Idest suauiter, & imperceptibiliter descendet in Virginẽ, quia in humilitate sũma & lenitate venit. Et hoc est: Descendet in vterũ Virginis, sicut pluuia in vellus; Christus, qui magna potestate venire potuisset, si voluisset, leniter sine aliquo strepitu in vterũ Virginis descendit, sicut pluuia in vellus.* Hæc ille. De quo etiam Incarnationis mysterio Abrahę olim locutus, litterulę tantũ additione promissionẽ totam ac tantã confirmauit. *Nec vltra*, inquit, *vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te.* Gen.17.5. Quam quidem Dei in extollendis beneficiis parcitatem miratus Chrysostomus dixit. *Addidit A & multarum gentium patrem reddidit. Ecce vnius elementi additio multam prosapiam indicauit.*

Iacobi 1.2.

Psal.64.

Incog.

Gen.17.5. Chrysost.

VERSVS XIX.

VVlgata. Vos autem hodie proiecistis Deum vestrum, qui solus saluauit vos de vniuersis malis, & tribulationibus vestris: Et dixistis: Nequaquam: Sed Regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per Tribus vestras, & per familias. Vulg.

Benedict. Proiecistis *Dominum* Deum vestrum. Et in margine. Per Tribus vestras, *& iuxta millia vestra.* Benedict.

Text. Gloss. in margine. Qui seruat vos de vniuersis malis. Gloss.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Vos autem hodie abiecistis Deum vestrum, qui seruat vos ab omnibus malis vestris, & angustiis vestris: Dixistisque ei: Sed Regem pones super nos. Et nunc state coram Domino per Tribus vestras, & per millia vestra. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Vos autem reprobastis hodie Deum vestrum, qui vos seruauit ex cunctis afflictionibus vestris, & pressuris vestris, & dixistis ei: Præfice nobis Regem. Nunc ergo state coram Domino secundùm Tribus vestras, & secundùm chiliades vestras. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et vos hodie spreuistis doctrinam Dei vestri, qui ille seruans vos ex omnibus malis vestris, & afflictionibus vestris; & dixistis ante eum: Non sumus seruati, sed Regem præficies super nos. Et nunc state ante Dominum per Tribus vestras, & per millia vestra. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et vos hodie contempsistis Deum vestrum, qui ipse est vester Saluator de vniuersis malis vestris, & tribulationibus vestris: Et dixistis: Nequaquam: Sed Regem constitues super nos. Et nunc state coram Domino per Tribus vestras, & per tribunatus vestros. Complut. Regia.

Græc. ex Septuag. in Sixtia. Et vos hodie spreuistis Deum, qui ipse est Saluator vester ex omnibus malis vestris, & tribulationibus vestris, & dixistis: nequaquam: Sed quia Regem constitues super nos. Et nunc state coram Domino secundùm sceptra vestra, & secundùm Tribus vestras. Sixtia.

Chaldæus apud Vatab. in Schol. Non poterimus resistere inimicis nostris, nisi Regem constituas. Chald.

Caiet. ex Hebræo. Vos autem hodie abominati estis Elohe vestrum. Et dixistis ei, quòd Regem pones super nos. Caiet.

Vatab. in Schol. Repudiastis Deum vestrum, qui seruat, *vel eripere* solet. Et dixistis: Non, sed præfice &c. Vatab.

Isidor. Clar. ibi. Per Tribus vestras, & per *millia vestra.* Isidor. Clar.

PP. ET AVCTORES.

1 *VOs autem hodie proiecistis Deum.* Gregor. lib.4. Variar. c. vlt. Attentè quidem ostendit eis MORAL. Greg.

Ingratitudo quantum peccatum.

eis & bona, quæ eis impendit Dominus, & mala, quæ Domino fecerunt ipsi; vt tanto grauiùs se deliquisse cognoscerent, quanto illum peccando offendere ausi sunt; à quo tanta bona perceperant.

HISTOR. Ioseph.

2 *Vos autem hodie proiecistis Deum.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 5. Pro quibus beneficiis hanc mihi gratiam reponitis, quòd abrogato mihi, quantum in vobis est, imperio, quasi nesciatis vtilissimum esse homini à Deo regi, vnum è vestro numero digniorem existimaris, qui vobis præsit: qui subditis tanquam pecudibus, pro sua libidine vtens, quidlibet in quemuis licere sibi volet: non enim fieri potest, vt homo erga hominem sic affectus sit, quemadmodum ego erga à me ipso conditum. Eia, quando plus apud vos potest temerarius animi impetus, quàm vel religio, vel beneficiorum memoria, digeratur multitudo per Tribus, & familias, & fiat sortitio.

MORAL. Mend.

3 *Vos autem hodie proiecistis Deum.* Franciscus Mendoza ibi. §. 1. Neque solùm Deum contempserunt, sed etiam in eo contemptu perseuerauerunt. Hanc enim perseuerantiam in malo, & impœnitentiam significauit Samuël, dicens: *Hodie proiecistis*, non quòd eo die primùm proiecerint, sed quòd ad eum vsque diem in suo peccato perseuerauerint.

TROPOL. Author Caten. Abul. *Deus hominem vult sibi debitorem vult.*

4 *Qui solus saluauit vos de vniuersis malis.* Author Catenæ. Ex singularitate liberatoris arguitur liberati populi ingratitudo; qui vni Deo obstrictus, regium munus alteri deferebat, vt benè annotauit Abul. quæst. 18. *Nam si Deus*, inquit, *fecisset aliqua beneficia populo Israël, & aliquis alius contulisset aliquod magnum, & desererent Deum, vt sequerentur alium benefactorem, licèt esset malum, non tamen esset tam imputabile: tunc verò nullus alius contulerat bonum Israelitis, nisi Deus, & eum abiecerant, ergo erat ingratitudo.* Hac eadem ratione noluit Deus humanũ genus nec ab Angelo, nec homine redimi, sed id vni sibi ascisere decreuit, ne

Exod. 31.

vlli vnquã quàm ipsi Deo redemptorum amor deberetur. Legem etiã per Moysem Israëlitico populo promulgandam non Moysis calamo, nec Angeli alicuius ministerio, sed ipsius Dei digito exaratam voluit, quo legis acceptæ beneficium nec Moysi, nec cuiquam alij adscriberetur, quantique apud ipsum Deum eorum esset paterna solicitudo, testaretur. Sic rem interpretatur Oleaster Annot.

Oleaster.

31. in Exod. *Nos admonet*, inquit, *quanti nos fecerit Deus noster, vt Scripturam, quam ad nos dabat, suo digito, non alicuius Angeli, vel hominis scribi voluerit.* Ad modum quo Regi, aut Principi scribens non amanuensi vtitur, sed propria manu literas exarat, amoris, aut reuerentiæ gratiã. Tunc ergo Hebræorum ingratitudo taxatur, qui vnicè de se benemeritum Dominum homini potiùs, à quo nihil acceperant, mutare nitebantur. Quibus quidem non absimilis Petrus extitit aliquando, qui inutitatæ Dominicæ gloriæ tanquam noui vini feruore correptus,

Marc 9. 6.

nesciebat quid diceret. Marc. 9. 6. *Dixit autem ad IESVM: Domine bonum est nos hic esse. Si vis faciamus hic tria Tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Elia vnum.* Matt. 17. 4 Gloriæ quidem, quam gustauerat Petrus, vnus Christus autor erat, ille verò non vni Christo, sed consortibus eius æqualia Tabernacula prouidebat. Dominúmque componebat cum seruis. Eum sic excitat Eutimius. *Quid ais ô Petre? Paulo ante naturalem hunc Dei filium confessus es: nunc autem cum seruis Dominum connumeras, etiam ab ipsis seruandum speras,* Christus verò vt vnicum sibi ostendat deberi Tabernaculum, Moysem, & Eliam disparere iubet. *Neminem viderunt nisi solùm IESVM.* ibid. Vers. 8. *Sufficit enim videre IESVM*, ait Eusebius Emissen. tom. 2. Bibl. Homil. in Dominicam 2. Quadrag. *Sufficit videre illam lucem, quam qui sequitur non ambulat in tenebris.*

Matt. 17. 4.

Euseb. Emissen. Bibl. Hom.

5 *Et dixisti: Nequaquam.* Abul. ibid. quæst. 13. Id est nequaquam sic fiet, scilicet vt Deus solus sit Dominus noster, sed Regem constitue nobis, vt habeamus sicut cæteræ nationes. Ista dixerunt Israëlitæ prima vice, qua conuenerunt ad Samuëlem in Ramatha, petentes Regem: suprà c. 8. Nunc autem Samuël repetit verba eorum.

LITERAL. Abul.

6 *Et dixisti: Nequaquam.* Caiet. ibi. Hinc habes, quòd Samuël nunciauerat populo petenti Regem prima vice non solùm protestationem iuris Regij, sed etiam verba Dei dicta ad ipsum Samuëlem: videlicet quòd Israëlitæ abominati sunt ipsum Deum Regem, & cætera.

LITERAL. Caiet.

7 *Nunc ergo state coram Domino.* Gregor. suprà. Domino quidem stare præcipimur, quando Maiorum præcepto corda nostra præparamus. Vel coram Domino stant electi, quando à summis vitis in spiritualibus virtutibus considerantur, vt qui melior in eis aspicitur, per pastoralem curam cæteris præferatur.

MYSTIC. Gregor.

8 *Nunc ergo state coram Domino.* Abul. ibi. q. 18. Aliqui existimant ob hoc quòd Sanctuarium, vel Arca fuerit in Masphath, quia dicitur, quòd starent Israëlitæ *coram Domino.* Sed ad hoc iam responsum est. In multis aliis locis dicitur quòd erant coram Domino, & non erat ibi Arca, nec Sanctuarium. Tamen verum est, quòd istæ sortes consueuerant poni coram Arca, vel in Sanctuario; sic enim factum est, quando Iosue inquisiuit: Quis peccauit in anathemate Hierico, nam omnes Tribus conuenerant coram Arca.

LITERAL. Abul.

9 *Nunc ergo state coram Domino.* Vatab. in Schol. Quoniam scilicet noluistis acquiescere monitis meis. *Coram Domino.* Hoc dicit quod hæc fierent coram Altari, aut quòd adduxerant Arcam, aut quòd Sacerdos aderat.

LITERAL. Vatab.

10 *Nunc state coram Domino.* Caietan. ibi. Religiosus vsus sortium significatur perstare coram summo Deo, vt non ex casu, sed ex diuina prouidentia expectarent effectum sortis, eleuatis mentibus in Deum, & deuotè commendando causam Deo.

LITERAL. Caietan. *Sortes Religiosa.*

11 *Nunc ergo state coram Domino.* Emanuël Saa. in Schol. Fortè erat ibi Arca, vel id dicitur, quia vbique Deus.

LITERAL. Saa.

12 *Per Tribus vestras, & per familias.* Author Catenæ. Chaldæus, & Hebræus etiam Vatabli habent: *Per millia vestra*, siue, *per Chiliadas vestras*, vbi præcipuas, & omnium amplissimas familias ab antiquis atauis deriuatas explicat Caietanus, cui in eo non assentiar, cùm non solùm amplissimæ, & numerosissimæ familiæ, sed minutæ etiam, & minimæ ad sortes aduocatæ à Samuële fuerint. Erant autem familiæ Beniamin septem ante Tribus euersionem, vt patet Numer. 26. 38. Quibus addè familiam Metri, de qua infrà. Milliaria etiam, seu Chiliades pro quacumque familia Hebraicè vsurpatur, vt videre est Iudic. 6. 15. Ibi Gedeon: *Familia mea infima est in Manasse.* Hebraicè: *Millenarium meum*, seu *Chilias mea.* Idemque est Michææ cap. 5. vers. 2.

LITERAL. Aut. Caten. *Milliaria quid?* Caietan. Num. 26. 38. Iud. 6. 15. Mich. 5. 2.

VERSVS XX.

Vulgata. *Vulgata.* Et applicuit Samuël omnes tribus Iſraël, & cecidit ſors tribus Benjamin.

Benedict. *Benedict.* Et cecidit ſors ſuper tribum Benjamin. *Et in margine*: Et deprehenſa eſt Benjamin.

Gloſſa. *Textus Gloſſæ.* Et cecidit ſors ſuper tribum Benjamin, *Et in margine*: Et capta eſt familia Benjamin.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et applicuit Semuël omnes tribus Iſraël, & capta eſt tribus Benjamin.

Vatab. *Hebraica ex Franciſco Vatablo.* Et cùm Samuël applicaſſet cunctas tribus Iſraël, deprehenſa eſt tribus Benjamin.

Ariaſm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariaſm. in Regia.* Et applicuit Semuël omnes tribus Iſraël, & comprehenſa eſt tribus Benjamin.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et applicuit Samuël omnes tribus Iſraël, & ſors cecidit tribui Benjamin.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et applicuit Samuël omnia ſceptra Iſraël, & ſorte capitur ſceptrum Benjamin.

Procop. *Procop. ibid.* Et ſorte educitur tribus Benjamin.

Vatab. *Vatabl. in Schol.* Capta eſt, *vel* ſorte electa eſt tribus Benjamin.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Greg. 1 *Et applicuit Samuël omnes tribus Iſaël.* Greg. lib. 4. Variar. cap. vltim. Stare omnes per tribus, & familias facit, vt omnes conſideret, & conſideratis omnibus vtiliorem eligeret. Sed quia ipſe iam Domino reuelante Regem cognouerat, eúmque ipſo præcipiente in Principem vnxerat, quid eſt, quòd adhuc eligendum per tribus, & familias quærit? Sed inuentus Rex à ſolo Propheta erat, Inuentus ergo quæritur, vt non inuentus à populo

Moral. inueniatur. Sorte etiam quæritur, vt eum, quem Propheta eligeret, diſpenſatione diuina prouiſum populus non poſſet dubitare. Quid ergo in hoc facto ſignificatur, niſi quia ſanctæ Eccleſiæ Principes multa conſideratione eligendi ſunt.

Literal. Theodor. 2 *Et applicuit Samuel omnes tribus Iſraël.* Theodoretus ibidem q. 25. Ne diuinis quidem credebant Prophetis, qui improbam agebant vitam; ne ergo coniicerent homines, eſſe humanæ gratiæ electionem, iuſſit mitti ſortes.

Literal. Procop. 3 *Et applicuit Samuel omnes tribus Iſraël.* Procopius ibidem. Prauis ſtudiis tam addicti erant, vt etiam Prophetis Dei fidem non adhiberent. Ne igitur ſuffragium humani ſtudij, & fauoris eſſe ſuſpicarentur, ſorti iudicium permiſit Propheta, vt quod Deo viſum eſſet, declararet.

Literal. Abul. 4 *Et applicuit Samuel omnes tribus Iſrael.* Abulenſis ibid. quæſt. 19. Applicabat eas ponendo ſortes pro illis, vel interrogando pro ſingulis.

Literal. Caietan. 5 *Et applicuit Samuel omnes tribus Iſrael.* Caietanus ibid. Modus huius ſortis non eſt ſcriptus, & propterea nobis ignotus.

Literal. Mendoz. 6 *Et applicuit Samuel omnes tribus Iſrael.* Franc. Mend. ibid. §. 1. Quia Iſraëlitæ iuſſi ſtare coram Domino, per tribus, & familias ſuas fortaſſe cunctabantur, nec ſe poterant tam breuiter expedire, acceſſit Samuël, rém, quâ diligentiâ opus erat, obiturus.

7 *Et applicuit Samuel omnes tribus Iſrael.* Author Catenæ. Quomodo Samuel tribus applicuerit, non conſtat. Veriſimile videtur ſchedulas aliquas eorum nominibus ſcripſiſſe, quas in vrnam, vel in ſinum mitteret, vt per ſortes futuri Regis, tribus, familia, & perſona panderetur. Literal. Author Catenæ.

8 *Et cecidit ſors tribus Beniamin.* Abulenſis ibi. quæſt. 21. Id eſt poſitæ ſunt ſchedulæ pro ſingulis Tribubus, & cùm mitteretur manus in inuolucrum, exiuit ſors Benjamin. Literal. Abul.

9 *Et cecidit ſors tribus Benjamin.* Caiet. ib. Iuxta Hebræum habetur: *Et capta fuit tribus Binjamin*, tali enim loquendi modo vtitur Hebraica littera, nec meminit ſortis, ſed ſimiliter ſubiungit: Quòd fuit capta familia, & quòd fuit captus Saül. Et certum eſt, quòd non ſignificatur capta corporaliter perſona Saülis, cùm eſſet abſens, & multò minùs, nec ſit capta tribus, aut familia, ſed modus ignotus eſt nobis, quia ignota eſt nobis qualitas ſortium. Literal. Caiet.

10 *Et cecidit ſors tribus Benjamin.* Sanct. ibid. num. 42. Quod fuerit hoc genus ſortium incertum eſt, quia Scriptura ſacra nec hoc loco, neque in vllo alio, quod viderim, cùm de Sanctorum agit ſortionibus, certam aliquam tradit illarum formam. De diuinatione aut ſortibus, quibus vſi ſunt Gentiles, alia eſt ratio. Literal. Sanct.

VERSVS XXI.

Vulgata. *Vulgata.* Et applicuit tribum Benjamin, & cognationes eius, & cecidit cognatio Metri, & peruenit vſque ad Saül filium Cis. Quæſierunt ergo eum, & non eſt inuentus.

Benedict. *Benedict.* Et cecidit ſuper cognationem Metri; *Et in margine.* Et deprehenſa eſt familia Metri, & tandem deprehenſus eſt Saül filius Cis.

Gloſſ. *Text. Gloſſæ.* Et cecidit ſors ſuper cognationem Metri. *Et in margine.* Et capta eſt tribus, & captus eſt filius Cis.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et applicuit tribum Binjamin per familias ſuas, & capta eſt familia Mathri, & captus eſt Saül filius Chis. Quæſierúntque eum, & non eſt inuentus.

Vatab. *Hebraica ex Franciſco Vatablo.* Et cùm rursùm applicaſſet tribum Benjamin iuxta familias ſuas, deprehenſa eſt familia Matri, deprehenſúſque Saul filius Kis. Cúmque illum quæſiſſent, non eſt inuentus.

Ariaſm. *Chaldaica ex Benedict. Ariſmontan. in Regia.* Et applicuit tribum domus Binjamin per proſapias ſuas, & comprehenſa eſt proſapia Mathri, & comprehenſus eſt Saül filius Kis. Et quærierunt illum, & non eſt repertus.

Compl. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et applicuit tribum Benjamin per familiam, & ſors cecidit familiæ Amattari in viros, & ſors cecidit Saül filio Cis. Et quærebant eum, & non inueniebatur.

Sixtia. *Græca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et applicat ſceptrum Benjamin in tribus, & ſorte capitur tribus Mattari in viros, & ſorte capitur Saül filius Cis. Et quærebant eum, & non inueniebatur.

Hugo. Charenſ. Ioſeph. Archiep. Cantuar. *Hugo Charenſis in Poſtilla.* Ioſephus dicit: *Mathri*, & ſic habent emendati Codices, vt dicit Archiepiſcopus Cantuar.

PP.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor.

1 *ET applicuit tribum Beniamin.* Gregor.lib.4. Variar. cap. vlt. Benè sors super tribum Beniamin cecidisse dicitur. Samuël autem ipsam tribum, & eius cognationes applicuisse, & ad Cis filium peruenisse; quia electi, & summi viri sanctæ Ecclesiæ considerare virtutes singulorum non desinunt, donec ad eum veniant, qui ministerij pastoralis sorte dignus inueniatur. Sed qui digni sunt onus tanti ordinis suscipere vehementer expauescunt. Vnde & sequitur: *Quæsierunt ergo eum, & non inuenerunt.*

Literal. Lira.

2 *Et cecidit cognatio Metri.* Liran. ibi. Dicunt aliqui, quòd est nomen proprium vnius hominis à quo denominata fuit illa cognatio. Sed quia in libro Paralip. siue alibi non inuenitur tale nomen vnius hominis in Tribu Beniamin, vnde cognatio nominetur, ideò dicunt aliqui, & probabiliter, quòd non est nomen proprium, sed commune, significans in generali hominem quemcumque rectè iacientem ad signum sagittam, telum, vel lapidem. Debellatis autem filiis Beniamin, vt habetur Iudic. 21. aliqui, vel saltem aliquis de illis euaserunt, vel euasit, & ab illa arte, in qua erant excellentes, denominata est cognatio, sicut frequenter contingit in humanis; & de illis descendit Saül.

Iud. 21.

Literal. Author Catenæ. *Metri quis fuerit?* Num. 26. 38. 1. Paral. 8. 1. Liran.

3 *Et cecidit cognatio Metri.* Rogas quisnam hic Metri, cuius familia describitur, cuius nulla vlibi fit mentio, nec Numer. 26. 38. vbi septem tribus Beniamiticæ familiæ, seu cognationes nominantur, nec etiam 1. Paralip. 8. Respondet Lira ex Hebræis, vt solet, *Metri* non esse nomen viri proprium, sed commune, & appellatiuum, quod Hebraicè idem sonat, ac peritus artis sagittandi, nam *Matarah* scopum significat quò certò sagitta dirigitur, vt colligitur 1. Reg. 20. 20. & Iob. 16. 13. In Tribu verò Beniamin erant huius peritiæ non pauci, nam de habitatoribus Gabaa Saülis patria prædicatur: *Sic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque possent percutere.* Iudic. 20. 16. Simul etiam de fratribus, seu cognatis Saülis dicitur: *Erant fortissimi, & egregy pugnatores tendentes arcum, & vtràque manu fundis saxa iacientes, & dirigentes sagittas de fratribus Saul, & Beniamin.* Hinc ergo aliquis ex ea tribu in arte iaculandi adeò famosus extitit, vt per antonomasiam gnarus sagittandi diceretur. Non omninò displicet commentum hoc Abulensi quæst. 21. Mendozæ §. 2. & aliis qui id referunt. Mihi verò nusquam placet; Primò quia in Hebræo non est *Hamatri*, si fides Pagnigno, Vatablo, & Caietano, sed *Mathri*, vt est etiam in Chaldæo, vel *Matri* absque aspiratione, vt scribunt Vatablus & Caietanus; litteræ autem vnius additione, vel mutatione, ingens incurritur interdum æquiuocatio, præcipuè in Lingua sancta, vbi plures eiusdem penè assonantiæ radices. Displicet 2. quia dissonat à plano, & historico Litteræ sono, & sensu, quæ nomina propria Saülis, Cis, & aliorum simul inscribit, non verò appellatiua, & communia. Argumentum verò quo confirmatur Liræ, & aliorum coniectura, non vrget; videlicet loci Numerorum & Paralipomenon allegati, in quibus nihil de hac familia, aut Viro refertur. Est enim argumentum negatiuum, quod parum ferè semper probat, cùm potissimùm familiarum computatio, quæ fit dicto Numer. loco Tribus Beniamiticæ subuersionem præcesserit; ab illo enim excidio, ex eiúsque reliquiis potuit quidem vir egregius insurgere à quo familia denominaretur, vt suprà nuper apparet in eadem cognatione Saülis, quæ à Iemini viro clarissimo dicebatur hoc eodem libro cap. 9. vers. 1. & 21. & in familia Samuëlis cuius proaui vsque ad Suph Virum insignem numerantur cap. 1. vers. 1. Est ergo Matri, aut Methri nomen viri proprium, à quo tanquam à præclaro viro aliqua illius Tribus familia signaretur, in quam sententiam potiùs inclinat Abulensis quæst. 21.

Mend. Abul. Pagn. Vatab. Caiet.

1. Reg. 20. 20. Iob. 16. 13. Iudi. 20. 16.

1. Reg. 21. Abul.

4 *Cecidit cognatio Metri.* Ioan. Zonaras tom. 1. Annal. Cecidit aut sors in Beniamiticam: deinde in gentem Battarim, quæ cùm viritim sortiretur, Saüli sors obuenit.

Histor. Zonar.

5 *Et peruenit vsque ad Saul.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. aliàs 4. Familiarum nominibus in vrnam coniectis, Metri familiæ sors obuenit: postremò cùm viritim sortitio fieret, Saülo Cis filio regnum sortito obtigit. Iuuenis verò qui hoc præsciebat, abdiderat se, videri volens inuitus ad regnum accedere: tantâ fuit præditus modestiâ, simul & temperantiâ, vt cùm plerique vel modica fœlicitate potiti, vix sui præ lætitia sint compotes, & omnium se ob oculos ingerant, hic tot populorum Rex declaratus, ac Dominus, non modò non ostentaret se, verumetiam è subditorum conspectu subduceret, vt non absque negotio posset inueniri.

Histor. Ioseph. *Saulis modestia.*

5 *Et peruenit vsque ad Saul* Theodor. ibi. q. 25. Cùm sors cecidisset in Tribum Beniamiticam, & rursus esset diuisa in partes, & domos, & viros; sors cecidit super Saülem. Cùm autem tentasset latêre, videbat enim potestatem suam excedere dignitatem, à Deo indicatus est Prophetæ, & toto populo accepit electionem.

Histor. Theodor.

6 *Et peruenit vsque ad Saul.* Comestor. in Histor. Schol. cap. 10. Et descendit vsque ad Saül filium Cis, & creditur Samuël temperasse sortes iuxta cor suum. Sciens autem Saül quòd quæreretur, latuit, quasi nolens suscipere principatum.

Histor. Comest.

7 *Et peruenit vsque ad Saul.* Francisc. Mendoza ibi §. 5. Ne optimo viro Samuëli vlla infamia adscriberetur prauæ alicuius affectionis in aliquem ex illo populo: aut etiam ne Saül falsò putaretur in regium honorem per fraudem irrepsisse, vel per violentiam inuolasse; non inuetitò voluit Deus, vt tota illa contentio sortibus definiretur.

Literal. Mend.

8 *Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus.* Procop. ibi. Saül iam sorte delectus considerans hanc potestatem sua dignitate, & meritis longè excellentiorem esse, occultè latere tentabat, sed à Deo Samuëli ostensus, toti populo præfectus est.

Literal. Procop.

9 *Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus.* Liran. ibi: abscondit enim se ex humilitate, vt ostenderet se dignitatem regiam non ambire.

Literal. Lira. *Saulis modestia.*

10 *Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus.* Francisc. Mendoza ibi. §. 8. Vbi primùm sors prodidit Saülem, omnes ad illum conuolarunt. Vnde promptitudo totius populi ad credendum diuino oraculo, seu sortibus diuinitùs temperatis, manifestatur. Non enim cunctantur, non admirantur, non conqueruntur hominem rusticum, ignotum, & inexpertum ad regiam dignitatem cooptatum: sed prompti ad recipiendum, amplectendúmque occurrunt.

Literal. Mendoza.

11 *Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus.* Author Catenæ. Dubitari potest an Saül à principio delituerit, an potiùs postquam Tribui suæ, & familiæ sortem obtigisse vidisset? Et quidem à principio

Literal. Author Catenæ. Ioseph. *Saul an à principio latuerit.*

principio latuisse indicat Iosephus suprà relatus ibi. *Iuuenis verò qui hæc præscirebat, abdiderat se.* Hoc est à principio delituerat. Sed verosimilius est cum reliquis fratribus, & patre ad sortium locum concurrisse, ne de se suspicionem, aut imperij Samuëlis contemptum præ se ferret; constat enim non in Gabaa, sed in Maspath in diuersorio absconsum

Septuag. Vatab. fuisse, cùm dicitur infrà. *Ecce absconditus est domi*, seu, vt habent Septuaginta: *Absconditus est in vasis*, seu *inter arma*, vt Vatablus habet. Cùm verò rem iam omninò concludi videret, seque in schedis, seu thesseris inter fratres, & cognatos in vrnam iuscriptum mitti, diutiùs non expectauit, sed sensim irrepsit, vt domi lateret.

VERSVS XXII.

Vulgata. *Vulgata.* Et consuluerunt post hæc Dominum, vtrumnam venturus esset illuc. Respondítque Dominus: ecce absconditus est domi.

Benedict. *Benedict. in marg.* Vtrumnam venturus esset vir. Ecce absconditus est inter vasa.

Glossa. *Textus Glossæ in margine.* Vtrumnam venturus esset adhuc vir, vel aliquis. Ecce abscondit se inter vasa.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Et consuluerunt Dominum, an venturus esset adhuc illuc vir. Dixitque Dominus: Ecce abscondit se inter vasa.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Interrogauerunt igitur rursùm Dominum, an adhuc vir (ille) venturus esset illuc, & respondit Dominus: Ecce inter arma latitat.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et petierunt adhuc in dicto Domini: Num adest adhuc hic vir? Et dixit Dominus: Ecce absconditus in vasis.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et interrogauit adhuc Samuël in Domino, si venit adhuc huc vir? Et dixit Dominus: Ecce ipse absconditus est in vasis.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixtiana.* Et interrogauit Samuel adhuc in Domino, si venit vir huc. Et dixit Dominus: Ecce ipse absconditus est in vasis.

Philo. Hebræi. *Philo Hebræus lib. de Migrat. Abrahami.* Ecce inter vasa se occultat.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Et interrogauerunt adhuc in Iehouah, si venit adhuc huc vir. Dixitque Dominus: Ecce ipse & absconditus in vasis.

PP. ET AVCTORES.

Hist. Ioseph. 1 *Et consuluerunt post hæc Dominum.* Iosephus lib. 6. Antiquitat. cap. 5. aliàs 4. Cùm nusquam comparente Saulo omnes essent soliciti hæsitantes, quidnam fieri oporteat, Propheta precibus Deum appellat, vt latebras indicet, delitescúmque iuuenem exhibere dignetur.

Literal. Abul. 2 *Et consuluerunt post hæc Dominum.* Abul. ibi. quæst. 22. Si populus discederet de Maspath, antequàm ipse inueniretur, oportebat iterùm totum populum congregari ad constituendum Regem, quod erat laboriosum; ideò voluerunt eum esse præsentem, antequam recederent.

Literal. Idem. 3 *Et consuluerunt post hæc Dominum.* Idem ibi. quæst. 23. Per propheticam inquisitionem; nam Summus Sacerdos nunquam poterat inquirere aliquid à Domino sine vestibus pontificalibus, ibi tamen quanquam esset Summus Sacerdos, fortè non haberet vestes sacerdotales; quoniam non præuidisset, an deberet consulere Dominum; item quia cùm esset ibi Samuel, non est verisimile, quòd aliquis alius consuleret Deum, quia ipse erat Propheta, qui sæpè Dominum consulebat, & erat princeps populi antequam eligeretur Rex.

Literal. Caiet. 4 *Et consuluerunt post hæc Dominum.* Caiet. ibi. Iuxta Hebræum habetur: *Et interrogauerunt adhuc in Iehouah.* Nota prudens Lector aduerbium *adhuc*, quoniam relatiuè ad inquisitionem per sortes dicitur: *Et interrogauerunt adhuc in Iehouah*, vt intelligamus, quòd illa per sortes inquisitio futuri Regis fuerit celebrata in Iehouah.

Literal. Serar. 5 *Et consuluerunt post hæc Dominum.* Serar. ibid. Per Vrim & Thumim a Samuële inuentus est.

Moral. Mend. *Diuinâ subsidium humanæ præcedat industria.* 6 *Et consuluerunt post hæc Dominum.* Francisci Mend. ibi. §. 3. Aduerte Samuëlis prudentiam; prius enim humanam adhibuit industriam ad quærendum Saülem; nam superior Textus *Quæsierunt*, inquit, *eum, & non est inuentus.* Et vbi humanus labor defecit, atque irritus euasit, tunc ad preces, & supernaturale remedium confugit, Deum consulendo.

Literal. Idem. 7 *Et consuluerunt post hæc Dominum.* Idem ibi. §. 2. Superest, vt hæc consultatio tertio modo facta fuerit per prophetam; non alium quidem quàm Samuëlem, vtpote in eo populo celeberrimum; nam ad huiusmodi consultationem neque Arca, neque vestes sacræ requirebantur, sed tantùm orario Prophetæ, quam diuina responsio sequebatur; vt patet Ierem. 42. 1. & passim alibi.

Literal. Abul. *Incognita plus desiderantur.* 8 *Vtrumnam venturus esset illuc.* Abul. ibi. q. 24. Quæret aliquis quo modo Israelitæ tantum desiderauerunt nunc, quòd appareret Saül; itavt pro eo consulerent Dominum, scituri vbi esset; postquam verò apparuit, neglexerunt eum, vt patet infrà. Respondeti potest, quòd hoc fuit, quod accidit communiter hominibus, scilicet vt rem incognitam nimis desiderent; cùm verò illam cognouerint, despiciant, & minùs appretientur, vt ait Aristoteles 9. Ethicorum.

Literal. Caiet. 9 *Vtrumnam venturus esset illuc.* Caiet. ibidem. Iuxta Hebræum habetur: *Si venit adhuc huc vir.* Non interrogant futurum, sed præteritum extensum vsque ad præsens, an hactenùs huc venit Saül, & est præteriti temporis *venit*.

Literal. Abul. 10 *Respondítque Dominus.* Abulensis ibid. q. 24. Deus hic respondit Samueli eo modo, quod declaratum est suprà cap. 9. cum dicitur quod Deus locutus est Samueli, quando aspexit Saulem, scilicet quod locutus fuit immutando intellectum eius solum.

Literal. Mystic. Philo. Iudæus. 11 *Ecce absconditus est domi.* Philo Iudæus lib. de Migrat. Abrah. longè post medium. Non dat Saüli *Samuel*, præcepta regnandi, quandiu inter vasa delitescit, sed inde protracto; scisciranti enim an vllus vir eò venisset; respondit oraculum: *Ecce inter vasa se occultat.* Hoc audito, quid debuit facere homo ingenio docili, nisi eum illinc protrahere? *Accurrens*, inquit, *promit eum illinc*, quia latens inter animæ vasa, corpus, sensúsque non erat dignus, qui audiret præcepta, legésque regias. Dum regnum dico, sapientiam intelligo, & sapientem Regem.

Tropol. Ephræm. *Deus absconditos honorat.* 12 *Ecce absconditus est domi.* Ephræm Syrus de Timore Dei ad imitat. Prouerb. circa finem. Ne fratres persequaris causâ ambitionis, nam nisi ex Deo sit consilium istud, non subsistet. At si ex Deo

Deo est, etiamsi in vasis occultatus fueris, sicut Saül, inde te assumet Dominus, & ducem, atque præfectum te constituet in populo suo.

TROPOL. Nazian. *Ambitiosi quales.*

13 *Ecce absconditus est domi.* Nazianz. Orat. 1. Qui nihil refugiunt, ac recusant, nec vt Saül ille sub paternis vasis paululùm saltem se occultant, cùm ad præfecturam vocantur: verùm tanquam ad leuem quandam rem & perfacilem prompto animo se offerunt.

TROPOL. Chrysost. *Saulis excusatio.*

14 *Ecce absconditus est domi.* Chrysost. lib. 4. de Sacerd. initio tom. 5. Atqui licebat illi (*Sauli*) aduersùs Samuëlem increpantem, insimulantémque verbis his vti: num ad regnum ipse administrandum accurri? Num ad huius potestatis regimen profilui, atque aduolaui? Equidem in animo habui priuatam vitam viuere, quietam illam quidem, ac molestiis vacantem: tu verò ad hoc me dignitatis, autoritatísque pertraxisti. In illa ergo vitæ humilitate, atque obscuritate versatus, facilè offensiones huiusmodi deuitassem.

MYSTIC. TROPOL. Greg. *Prælatura onus.*

15 *Ecce absconditus est domi.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. vlt. Abscondunt se, ne inueniantur, quia subire dignitatem refugiunt, cuius oneri se esse impares arbitrantur. Habet quippe spiritualis prælatio exteriorem gloriam dignitatis: habet & interioris magnitudinem oneris; nam rector & honoratur à subditis, & portat eos, à quibus honoratur. Cùm honoris ergo principio causa nascitur oneris, quia vnde honor à rectore excipitur, inde illud suscipit, quo grauetur: quanquam ipse honor dignitatis per seipsum magnum sit onus mentis, quia contemni debet, & placet. Contemni quidem debet, ne mentem per superbiam eleuet, & suspici debet, vt cœlestia, quæ Doctor loquitur, subiecti venerentur.

TROPOL. Idem. *Dignitas Ecclesiæ quâ petenda.*

16 *Ecce absconditus est domi.* Idē. ibid. Quia nunc in sancta Ecclesia qui se subtrahant tantis honoribus, pauci sunt; qui se ingerant, multi; notare, qui se ingerunt, debent, quia is, qui à Propheta domi absconditus dicitur, non ad spiritualem Ecclesiæ dignitatem, sed ad sæcularem regni gloriam quærebatur; non enim in Pontificem hunc quærebant, sed Regem facere volebant. Videat ergo Sacerdos quia mente fugiendum sit culmen sanctæ Ecclesiæ, si culmen sæculi conscendere tam cautè Reges fugêre.

LITERAL. Lira.

17 *Ecce absconditus est domi.* Liran. ibi. Non in domo sua in Gabaan, quia non potuisset ita citò inde haberi; sed in domo in qua hospitatus erat. Vnde in Hebræo habetur: *Absconditus est inter vasa*, & vocantur vasa arma, vel quæcumque alia, quæ secum detulerant illi, qui erant congregati in Masphath, & illa reposuerant pro custodia in domibus, in quibus erant hospitati.

TROPOL. Liran. *Ambitio mala.*

18 *Ecce absconditus est domi.* Idem ibidem. Hoc factum est ex instinctu diuino, ad ostendendum quòd nullus ingerere se debet ad huiusmodi dignitates.

LITERAL. Carthus.

19 *Ecce absconditus est domi.* Carthus. ibi. art. 19. Dicunt aliqui, quòd Saül sciens se quæri, mansit in domo sua in Gabaa. Alij probabiliùs asserunt, quòd venit cum illis vsque in Masphath, iuxta Samuëlis edictum, & ne de singularitate, vel inobedientia notaretur. Sed in hospitio suo in Masphath se occultauit ex humilitate, & pudore, reputans se indignum regali fastigio, & honore.

TROPOL. Idem. *Prælatio non ambienda.*

20 *Ecce absconditus est domi.* Idem ibidem art. 20. Instruimur ex isto capitulo ad imitandam primam illam Saülis humilitatem, prudentiam, atque modestiam; qui sciens se electum, & vnctum Regem, abscondit se, reputans se indignum. Væ igitur eis, qui cùm adhuc passionibus suis sordescant, & vanitate repleantur, ingerunt se ad præsidendum, & ad prælationem cæcâ, & indurata mente adspirant.

LITERAL. Caiet.

21 *Ecce absconditus est domi.* Caietan. ibi. Iuxta Hebræum habetur: *Ecce ipse & absconditus in Vasis.* Præsens erat, & propterea respondit Deus: *Ecce ipse*, & quia se absconderat inter multitudinem vasorum, vel in domo vasorum, ideo dicitur: *Et absconditus in vasis.* Nec est tutum definire genus Vasorum, quoniam apud Hebræos Vasis nomen communissimum est, & propterea non irrationabiliter creditur, quòd appellatione vasorum significentur hîc res populi, qui venerat, repositæ alicubi; inter illas siquidem quasi sarcinas populi occultauerat se Saül.

LITERALI Charen.

22 *Ecce absconditus est domi.* Hugo Charens. in Post. Saül sciens quòd quæreretur, latuit, quasi nolens suscipere principatum.

TROPOL. Sanctius. *Saulis prudentia.*

23 *Ecce absconditus est domi.* Sanct. ibi num. 54. Plurimi intererat, si populus nosset, nunquam ipsum de loco illo, ac nomine regio cogitasse, neque habuisse animum, quem vnquam inflammasset, aut tetigisset ambitio; hæc enim odiosum faciunt Principem, & quemcumque alium magistratum. Mirè etenim Principem commendat modestia, quæ docet gratiorem esse priuatam vitam, quam quæ in excelso loco sita est, & omnium oculis, atque opinioni seruit. Vbi in eo apparet etiam prudentia, quam omnes amant, atque suspiciunt, quod ostendit non tam ambitiosè quæsitam, quàm vltrò oblatam præfecturam.

TROPOL. Author. Catenæ. Vatab. *Saulis virtus bellica.*

24 *Ecce absconditus est domi.* Autor Catenæ. Iuxta Hebræum, vt legit Vatablus, hic habetur: *Ecce inter arma latitat.* Cùm enim nomen *Vasa* hebraicè, quàm latinè commune sit cuicumque instrumento tam bellico, quàm nautico, rustico, aut domestico, non incongruè pro bellico vsurpatur in præsenti. In quo iam Deus Israëlitis, iuxta eorum votum, & petitionem, Regem præfinit; dixerant enim suprà Regem postulantes: *Egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis*, cap. 8. vers. 20. Saül ergo iamiam in Regem eligendus, tanquam belli studiosus inter arma latitat, ex quo faustum populus captaret auspicium. Arma quoque tractat in regni sui primordio, contra Naas Ammonitarum Regem: infrà cap. 11. & gloriosam ex eo reportat victoriam. Audiant ergo hæc Reges, & Principes, qui omnimodo deliciarum libidini dediti, otiique torpore tabefacti, inter culcitras latitant, & quod turpius est, inter pellices delitescunt, nec eorum aures annorum fragor tangit, aut bellicus tumultus verberat, sed muticæ accentus blanditur, assentatorúmque mulcet susurrus, inepti bello, & paci pernicioli.

1 Reg. 8. 20.

ibid. 11.

Regum desidia reprehenditur.

LITERAL. Author Caten. Salian.

25 *Ecce absconditus est domi.* Author Catenæ. Saülis latitationem non in Masphath, sed in Gabaa Saulis vrbe accidisse credit Abulen. quæst. 24. quod quidem potiùs supponit, quàm probat. Mihi verò, & Saliano non probatur. Primò, quia celeritas, quæ delatus fuisse describitur, quin concio interdum dissolueretur, Versu sequenti indicat, minimam fuisse distantiam. Erat autem non exigua à Masphath, quæ est in tribu Gad, in terra Galaad, vt colligit ipse Abulensis ex cap. 11. Iudic. à Gabaa, quæ erat in Tribu Beniamin. Quod quidem maximè confirmatur, si verum sit eundem Samuëlem ex latebra Saulem extracturum cucurrisse, vt indicant Septuaginta, scilicet: *Et*

cucurrit

cucurrit, & accepit eum inde; tantam enim distantiam Samuël iam debilis, & senex non curreret, sed nec ambularet. Secundò; quia verbum: *Ecce absconditus est*, aliqualem præsentiam, seu modicam distantiam præ se fert, seu vt est in Hebræo: *Ecce ipse*. Vndè rectè arguit Caietanus suprà: *Præsens erat, & propterea respondit Deus: Ecce ipse*. Tertio quia alias Samuëlis indictioni, & iussis inobediens fuisset. Nobiscum etiam sentiunt Lira, Carthus. & Mendoza. Circa materiam huius Versus vide dicta suprà. vers. 21.

Caiet.

VERSVS XXIII.

Vulgata. *Vulgata.* Cucurrerunt itaque, & tulerunt eum inde: stetitque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et cucurrerunt, tulerúntque eum inde, & stetit in medio populi, & altior fuit omni populo ab humero suo, & suprà.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatablo.* Currentes igitur, tulerunt eum inde, & constitutus in medio populi, super omnem populum ab humero, & suprà eminebat.

Ariasm. *Chaldaic. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et cucurrerunt, & acceperunt eum inde, & constitutus est inter populum, & procerus præ omni populo ab humeris suis, & suprà.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et cucurrit, & accepit eum inde, & stetit Saül in medio populi, & exaltatus est super omnem populum ab humero, & sursùm.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtia.* Et cucurrit, & sumit eum inde: & constituit in medio populi; & exaltatus est super omnem populum ab humero, & suprà.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Greg. *Honor fugientes sequitur.* 1 *Cvcurrerunt itaque, & tulerunt eum.* Gregor. lib. 4. Variar. cap. vltim. Quia sancti viri quo instantiùs suscipere ordinem prælationis refugiunt; à deuotis plebibus deuotius requiruntur, sequitur: *Cucurrerunt, & tulerunt eum inde.*

Literal. Abul. 2 *Cucurrerunt itaque, & tulerunt eum.* Abul. ib. quæst. 24. Erant Israëlitæ in Masphath, & domus Saülis erat in Gabaa, vt patet infrà: Misit tamen populus illuc citò, vt duceretur Saül in præsentia omnium: Interim autem expectauit populus in Masphath, quoniam, si recederent inde, oportebat eos denuò congregari. Ideò maluerunt tunc expectare, vsquequo duceretur, & citò nuntij euntes duxerunt eum.

Mystic. Moral. Greg. 3 *Stetitque in medio populi.* Gregorius suprà. In medio populi stat Prælatus, quando ab vniuersis subditis eius fortitudo conspicitur; stare namque virtutis est. Qui ergo bona operatur instanter, stat, & quia eadem bona opera exemplum minoribus præstant, in medio populi stare, non in solitudine cernitur. Quod etiam pro rectitudine intentionis dictum esse conuenienter accipitur; qui enim stat rectitudine corporis, caput in sublimi tollit: qui verò bona publicè agit, non stat fortitudine operis, si rectitudinem non habet intentionis.

4 *Stetitque in medio populi.* Iosephus libro 6. Antiquit. cap. 5. aliàs 4. Propheta precibus Deum appellat, vt latebras indicet, desideratúmque inuenem exhibere dignetur. Quod vbi impetratum est, mittit, qui eum abducant: & postquam venit in medio populi, iuuenem statuit vniuersis conspicuum, vt qui humeris tenus supra omnes excelleret, & ipsa statura Maiestatem Regiam præ se ferret. Histor. Ioseph.

5 *Stetitque in medio populi.* Abulensis ibi. q. 24. Vt omnes eum viderent, & propter honorem, & vt componeretur ibi cum eo lex regni. Literal. Abul.

6 *Stetitque in medio populi.* Franc. Mend. ib. §. 6. Vt suam erga omnes integritatem, & æqualitatem exhiberet, & omnibus æqualiter adesse, à nemine longius abesse videretur. Vnde Reges medium inter eos locum occupabant. Literal. Moral. Mendoza. *Saul cur in medio.*

7 *Stetitque in medio populi.* Author Catenæ. Non quidem Saül medium sibi locum, vt honorificentissimum adsciuit, sed vel Samuël (vt ait Sixtiana) vel populus illum in eum locum illustrem constituêre, honoris gratiâ, vt Abulensis ait: Vnde Hebræus, & Chaldæus legunt, *Et constitutus in medio populi*, quamuis enim prænouerit Saül creatum se fuisse Regem, adhuc tamen in oculis suis paruus modestiæ, & frugalitati studebat; ab illis quidem multum absimilis, qui in extremo iudicio continuo ad sinistram collocandi, & in tartara detrudendi, medium sibi locum inter Iustos & Sanctos vendicare non erubescent, de quibus Dominus; *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum.* Matth. 13. 49. Qui quidem à Diabolo ipsorum patre id tumoris & arrogantiæ acceptum referant. Nam cùm in publicum olim Deus deuenisset, ipsíque supernorum spirituum exercitus assisteret, accurrit etiam & Sathan nec infimum sibi locum in tam illustri teathro adscribendum putauit. *Factum est autem, cum quadam die venissent filij Dei, & starent coram Domino, venisset quoque Sathan inter eos, & staret in conspectu eius.* Iob. 2. 1. Septuaginta in Sixtiana clariùs expressêrunt. *Et Diabolus venit in medio eorum, vt assisteret coram Domino*, vt etiam annotauit Iulianus in Catena Græca. Pessimum quoque zizanium apparuit in medio tritici. Quos contra maximus humilitatis Magister Christus Dominus in cruce moriturus medium sibi locum inter duos nequam, seu latrones adoptauit. *Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc, & hinc, medium autem IESVM.* Ioann. 19. 18. quo illorum elationem confunderet qui *amant primos recubitus in cœnis, & primas Cathedras in Synagogis.* Matt. 13. 6. Neque est, vt video cur prædictum finem in dubium vertat Ioannes Cluniacensis Serm. 9. de Sanct. tomo secundo, dicens: *Fortè medium locum elegit, vt inde Domini admireris humanitatem, & mansuetudinem.* Patet deinde Saülis etiam modestia, qui non quidem sedit, sed stetit in medio populi; qui situs ministrantis est, non iubentis, aut gubernantis, & his, qui adstant, reuerentiam præ se fert. Vnde Esaias sedentem Dominum vidit; Seraphinos autem eidem ministrantes non sedentes, sed stantes. *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum, & elevatum. Seraphin stabant super illum.* Isai. 6. 1. Daniel denique: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Daniëlis cap. 7. vers. 10. Ex quo illius impudentia deprehenditur, qui tot stantibus Deúmque huli summissione colentibus vnus sedere præsumpsit: Histor. Ioseph. Matt. 13. 49. Ioan. 2. 1. Sixtia. Iulian. Cat. Græc. Ioan. 19. 18. Matt. 13. 6. Cluniac. Isai. 6. 1. Dan. 7. 10.

Sedebo,

Sedebo, inquit, *in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis*, quam in eum imprudétiæ & impudentiæ simul censuram impingit festiuissimè Bernard. serm. de Sancto Benedict. Abbate, *O impudens!* inquit, *ô imprudens! Millia millium ministrant ei & decies centena millia assistunt, & tu sedebis? Omnes administratorij sunt spiritus missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, & tu sedebis?* Quæ pene eadem repetit. Sermon. 2. in Octau. Paschæ, & concludit: *Siccine vbi stant omnes, vniuersi ministrant, tu pacis inimice sedebis?* Cuius quidem improbo repulso consilio, Saul non solum coram Deo, sed nec coram eius populo, licèt ad imperandum electus, sedet, sed potius *stetit in medio populi.* Hanc quoque modestiam professi sunt tres illi felices pueri Ananias, Azarias, & Misael, qui omnes pene creaturas ad diuinas laudes aduocantes, omnium se extremos, ac nouissimos collocarunt dicentes: *Benedicite Anania, Azaria, Misael, Domino.* Daniel. 3. 88. vbi Theodoret. Orat. 3. *Quia se vltimos eorum omnium, qua creata sunt, existimabant.*

Bernar.

Dan. 3. 88.

Theodor.

MYSTIC. Gregor.

8 *Et altior fuit vniuerso populo.* Gregorius suprà. In medio populi sublimis aspicitur qui in virtutis culmine positus, à subditis non nescitur. Rectus quidam ordo electi Prædicatoris est, vt ante sublimitatem Ecclesiastici culminis, culmen conscendat virtutis.

LITERAL. Theodor.

9 *Et altior fuit vniuerso populo.* Theodor. q. 27. Quoniam ad bella fortiter gerenda petierunt vt Rex sibi eligeretur, non autem propter pietatem, vt in rebus diuinis ab eo erudirentur; ideo elegit omnium maximum; quoniam non animæ virtutem, sed corporis mirabantur magnitudinem.

LITERAL. Isidor. Clar.

10 *Et altior fuit vniuerso populo.* Isidor. Clarius ex Hebræis. Voluit Deus elegantem personam constituere in Regem, quæ præferret Maiestatem quandiu non ob aliam rationem, quàm vt à subditis magis timeretur, ac coleretur.

MYSTIC. Richard. *Maria in Saule adumbrata.*

11 *Et altior fuit vniuerso populo.* Richard. de S. Laurent. lib. 4. de Laudib. Beatæ Mariæ. Alta fuit MARIA, quia instar Saul ab humero & sursum sanctis supereminens vniuersis, ab humero in quo bona operatio, quia de propria substantia omnia opera actiuè exhibuit filio Dei.

MORAL. Lira.

12 *Et altior fuit vniuerso populo.* Lira. in Morali. Per quod significatur supereminentia virtutis, quæ debet esse in promoto.

LITERAL. Abul.

13 *Et altior fuit vniuerso populo.* Abul. ibi. q. 24. Ista magnitudo staturæ demonstrabat eum virum fortem & ad bella; & secundùm veritatem sic fuit: Nimis enim laudat eum Dauid in planctu super eum, & Ionatham; infrà lib. 2. c. 1. Vnde fuit semper bellicosus.

2. Reg. 1.

LITERAL. Sanct. *Procritas ad pulchritudinem.* Arist.

14 *Et altior fuit vniuerso populo.* Gaspar Sanct. in c. 9. v. 2. n. 3. Magna hominibus commendatio est à corpotis procetitate, quæ etiam ad pulchritudinem facit plurimùm, vnde qui corpore sunt pusilli, pulchri esse negantur. Sic Aristot. lib. 4. Ethicor. c. 3. *Pulchritudo in magno corpore consistit: parui verò vrbani quidem sunt, & membris apposití, sed non pulchri.*

LITERAL. Author Catenæ. Tacit.

15 *Et alior fuit vniuerso populo.* Autor Catenæ. Suprà cap. 9. vers. 2. num. 62. diximus de procritate quantóque magna corpora apud priscos in honore fuerint, vt à pluribus Gentibus Reges constituerentur, qui specie & procritate quammaximè pollerent. Caius Cæsar apud Tacitum 2. Annal. 11. Ariobarzanem ob pulchram staturæ dispositionem Armenis Regem præfecit. In Meroe vt annotat Alexander ab Alexandro lib. 4. Genial. Dier. cap. 23. *Nemo summum gerebat imperium, nisi qui præualido corpore reliquis antestaret.* Aptè igitur Deus Saulis personam ad regni Israelitici imperium euocauit, qui reliquos omnes decore & corporis procritate superaret, vt ipsis morem gerere videretur.

VERSVS XXIV.

VVlgata. Et ait Samuel ad omnem populum: Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamauit omnis populus, & ait: Viuat Rex. Vulgat.

VERSIONES.

Hebraïc. ex Xante Pagn. Dixitque Semuel ad omnem populum: Num vidistis quem elegerit Dominus; quia non est similis illi in omni populo? Et clamauit omnis populus, ac dixerunt: Viuat Rex. Pagn.

Hebraïc. ex Eranc. Vatabl. Dixitque Samuel ad vniuersum populum: Vidistísne quem elegit Dominus, & quod ei non sit similis in omni populo? Et iubilans vniuersus populus dixerunt: Viuat Rex. Vatab.

Chaldaic. ex Reuel. Ariasm. in Regia. Et dixit Semuel ad omnem populum: An vidistis quem elegit sibi Dominus? Quia non est sicut ille in omni populo? Et vociferati sunt omnis populus, & dixerunt: Prosperetur Rex. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Compl. & Regia. Et dixit Samuel ad omnem populum: Vidistis quem elegit sibi Dominus, quia non est similis ipsi in omnibus vobis? Et cognouit vniuersus populus, & dixit: Viuat Rex. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixt. Et dixit Samuel ad vniuersum populum: Si vidistis quem elegit sibi Dominus, quia non est similis ei in omnibus vobis? Et cognouerunt vniuersus populus, & dixerunt: Viuat Rex. Sixtian.

Chaldæus apud Vatab. in Schol. Sit felix Rex: Cedant omnia Regi feliciter. Chald. Vatab.

Interl. Regia. Et ouauerunt omnis populus. Interl. Regia.

Mendozabi. ex Hebr. Quem elegit in eo Dominus. Mendoza.

PP. ET AVCTORES.

1 *Et ait Samuel ad omnem populum.* Iosephus lib. 6. Antiquit. c. 5. alias 4. Tunc Propheta: Hunc vobis Deus dat Regem. Contemplamini quantùm omnibus præeminet, & quàm sit hoc honore dignus. Cùmque populus acclamasset: Viuat Rex, &c. HISTOR. Ioseph.

2 *Certè videtis quem elegit Dominus.* Carth. ibi. art. 19. Hæc Samuel dixit, ne Tribus nobiliores ægrè ferrent promotionem Saulis. LITERAL. Carth.

3 *Certè videtis, quem elegit Dominus.* Vatabl. in Schol. Quasi dicat: Virum fortissimum. LITERAL. Vatab.

4 *Certè videtis, quem elegit Dominus.* Autor Catenæ. Ex his verbis colligit Abulensis q. 24. Saulis electionem esse à Deo, qui optima quæque semper eligit. *Quasi dicat*, inquit, *Deus non potest errare in eligendo, sed semper eligit qua meliora sunt. Ideo quando manifestum est quod aliquid, quod eligitur, est melius omnibus aliis, inter que ponitur electio, constat illam electionem esse a Deo.* LITERAL. MORAL. Autor Catenæ. Abul. *Deus optima eligit.*

Electio ad beneficia qualis esse debeat.

Vnde Prælati, Principes, & quicumque alij ad quos pertinet magistratuum, seu beneficiorum collatio, præcipuè Ecclesiasticorum, solerter attendant oportet, ne indigno aut minùs digno deferant, expulso eo, qui dignus, aut dignior est. Vti enim lethale peccatum est indignum eligere ad Ecclesiasticam præbendam, ita similiter eligere minus dignum, vt tenent communiter Summistæ, verbo: *Electio.* Siluester, Tabiena, & alij plures, quos refert, & sequitur Couarruuias ad regulam: *Peccatum*, part. 2. §. 7. num. 4. Valentia 2. 2. disp. 5. q. 5. punct. 2. Nauarra de restitut. lib. 2. cap. 2. num. 120. Nauarrus cap. 17. num. 17. §. *Ex quo.* Sotus lib. 3. de Iustit. & Iure quæst. 6. art. 2. Lessius de Iust. lib. 2. cap. 34. dub. 15. num. 75. Reginald. lib. 30. tract. 3. num. 195. Quam doctrinam confirmat Sotus multiplici Patrum testimonio, præcipuè quæ habentur in cap. *Metropolitano* dist. 63. & cap. *Licet* 8. q. 1. Quibus adde Concilium Tridentinum, sess. 24. c. 1. de reformat. ex quo eadem doctrina confirmatur.

Siluest. Tabien. Couarr. Valentia. Nauarra. Nauarrus. Sotus. Lessius. Reginald. c. *Metrop.* c. *Licet.* Conc. Trid.

HISTOR. Clar.

3 *Quoniam non sit similis illi.* Isidor. Clar. in Scholiis. In corporis scilicet procerit ate & pulchritudine: Voluit (aiunt Hebræi) Deus elegantem personam constituere in Regem, quæ præ se ferret Maiestatem quandam non ob aliam rationem, quam vt a subditis magis timeretur, ac coleretur.

LITERAL. Abul.

6 *Quoniam non sit similis illi.* Abul. ibi q. 24. Sicut arguebat Samuël de magnitudine Saulis super alios, ita etiam arguebat, quod non esset ei aliquis similis quantùm ad alias perfectiones spirituales. Nam modicum proficiebat, corpore cæteros excellere, nisi simul & bonitate præstaret.

TROPOL. Mendoza. *Samuëlis benignitas.*

7 *Quoniam non sit similis illi.* Franc. Mend. §. 1. Eum laudat, & commendat per quem ipse de sua dignitate, atque imperio decidebat. Dicant Magistratus sibi inuicem succedentes, qui se mutuo tanquam figuli figulos oderunt, hanc à se mutuam inuidiam submouere.

LITERAL. Abul. *Saul ex denuò vnctus.*

8 *Viuat Rex.* Abul. ibi q. 24. Non legitur, quòd fecerint sacrificia, & satis apparet, quia postea in Regis innouatione facta sunt sequenti capite. An verò hic vnctus fuerit Saül à toto populo, vel solum vnctus fuerit à Samuële vnctione tacita, de qua suprà *hoc cap. vers.* 1. Non apparet. Sed verisimile est, quod vnctus fuerit, quoniam non consummatur Regis assumptio sine vnctione.

LITERAL. Serar. Glicas. Abul. *Saul denuò vnctus.*

9 *Viuat Rex.* Serar. ibi. Fuisse verò denuò iam vnctum asserit Glicas p. 2. & verisimile putat Abulens.

MORAL. Mendoza. *Cæca obedientiæ exemplum.*

10 *Viuat Rex.* Franc. Mend. ibi v. 17. §. 2. Certè in hac fide, & obedientia Samuëli, Saulique præstanda non mediocrem laudem mihi videtur populus habuisse. Nam cùm posset ab illa reuocari ex illo Oraculo Iacobi. *Gen.* 49. 10. Reges Israël de tribu Iuda futuros; nihilominus in illam ex præsenti Oraculo inductus tanquam credentium pater Abraham in spem contra spem credidit, & quin oracula, quæ inter se opposita videbantur, diiudicaret, præsenti acquieuit non paruo cæcæ obedientiæ exemplo.

VERSVS XXV.

Vulgata.

Vulgata. Locutus est autem Samuël ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino, & dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagn. Et locutus est Samuël ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino, & dimisit Samuël omnem populum quemlibet in domum suam.

Vatab.

Hebraica ex Franc. Vatab. Et locutus est Samuël ad populum ius regni, & scripsit in libro, reposuitque coram Domino; & dimisit Samuel vniuersum populum quemque ad domum suam.

Ariasm.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et locutus est Samuël cum populo statum regni, & scripsit in libro, & deposuit ante Dominum. Et dimisit Samuël omnem populum virum ad domum suam.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et locutus est Samuël ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino. Et dimisit Samuël omnem populũ & abierunt quilibet in locũ suum.

Sixtian.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et dixit Samuël ad populum iustificationem Regis, & scripsit in libro, & posuit coram Domino. Et dimisit Samuël vniuersum populum, & abiit vnusquisque ad locum suum.

Hier.

Hier. in Quæst. Hebraic. Locutúsque est Samuël ad populum iudicium regni.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Gregor. *Lex regni qua?*

1 *Locutus est autem Samuël ad populum legem regni.* Greg. lib. 4. Variar. c. vlt. Ad historiam non præcipitur, sed ostenditur, quid acturi sint Reges reprobi: quid vitaturi sint Reges boni. A Regibus quidem defendendi sunt subditi, non bonis propriis spoliandi. Auxilium præstare subditis debent, agros, vineas, & oliueta auferre non debent. Quod si non vitanda, sed agenda scripta hæc contendere quis voluerit, Tyrannorum ius pro eo Rege scribitur; qui abiecto Domino postulatur. Crudelis ergo lex regni, vitio est Domini abiicientis illum populi. Non enim iniustum erat, vt agros, & vineas perderet, qui regnantem super se Dominum sponte perdebat. Cuncta ergo quæ contra æquitatem in hoc iure Regio continentur, æqua esse cernimus si in petendo Rege quidquid populus deliquerat, consideramus.

LITERAL. Idem. *Lex regni qua?*

2 *Locutus autem Samuël ad populum legem regni.* Idem ibid. Fortasse ius illud aliud fuit, quàm lex ista, quæ scribitur. Quod si verum est, hanc Samuël coram Rege ad populum loquitur, vt Rex sciat à populo, quid exquirat: sciat populus quid exhibere suis Regibus debeat.

MYSTIC. Idem.

3 *Locutus est autem Samuel ad populum legem regni.* Idem ibid. Nos Reges Ecclesiarum esse sanctos Prædicatores diximus, quibus apertè omnia conuenire ostendimus quæ in iure regio continentur. Hanc ergo legem Samuël ad populum loquitur, quando electus Doctor fideles sanctæ Ecclesiæ instruit, qua humilitate suis Præpositis debeant subiugari. In libro etiam scribitur, quando in eorum mente hæc firmiter inscribitur.

HISTOR. Ioseph.

4 *Locutus est autem Samuel ad populum legem regni.* Ioseph. lib. 6. de Antiquit. c. 5. alias 4. Prophetas conscriptis in libro omnibus, quæ illis sub Regiâ dominatione erant euentura, recitauit ea populo Rege præsente, & librum in Tabernaculum Dei reposuit, vt esset apud posteros prædictionis suæ monumentum.

LITERAL. Lira. Deut. 17. 16.

5 *Locutus est autem Samuel ad populum legem regni.* Lira ibi. Non secundùm vsurpationem suprà positam, sed secundùm ordinationem Dei dispositam. Deuter. 17. 16. 17. 18.

LITERAL. Abul. *Lex regni qua?*

6 *Legem regni.* Abul. ibi quæst. 25. Ista non fuit aliqua lex secundùm quam Rex deberet iudicare, quoniam ista tam erat per Moysem determinata, scilicet,

scilicet, quòd iudicaret, sicut lege cautum erat, & ob hoc singuli Reges Iudæorum quando vngebantur, accipiebant librum Regis in manu, & promittebant illam obseruare, vt patet de Rege Ioas, 2. Paralip. 23.

LITERAL. Abul.

7 *Legem regni.* Idem ibidem. Aliqui dicunt, quòd ista lex regni erat illa, quæ habetur suprà cap. 8. Nam ibi dicitur: *Verumtamen contestare eos, & predic eis ius Regis.* Sed sciendum est, quod non potest stare. Nam hic Samuël imposuit ea quæ Reges poterant super super subditos; sed ea quæ habentur suprà, non pertinebant ad principatum Regalem, sed ad tyrannicum, quia plurima eorum iniustissima erant. Item quia si illa esset lex regni, non oportuisset, quòd Samuël iterum eam poneret, quia iam posuerat coram toto populo, qui petierat Regem. Ideò non esset illa, quæ habetur suprà, sed aliqua alia, de modo imponendi tributa, & pro qua causa, & quæ essent prouentiones Regis communiter ad sustentandum exercitum, & sic quantum ad omnia alia, quæ tangunt habitudinem populi ad Regem.

LITERAL. Benedict. Parisien.

8 *Legem regni.* Ioan. Benedict. Parisiens. in sua Biblia. Certas leges, quibus regnum pacificè gubernaretur, ne vel Rex in populum tyrannidem exerçereret, vel populus in Regem rebellionem concitaret.

LITERAL. MORAL. Mendoza. *Qua lex regni.*

9 *Legem regni.* Franciscus Mendoza ibid. §. 4. Fateor illam aliam cæremoniam, qua Reges, tradito in manus Deuteronomio legis diuinæ, crebantur, hoc loco non defuisse, quamuis in littera non exprimatur; neque enim Samuel diuinæ legis peritissimus illam præteriret. Et certè æquum fuit, vt duæ leges nouo Regi traderentur: vna, quæ illum ad Deum dirigeret, qualis fuit illa prima per Moysem accepta: altera, quæ illum ad populum ordinaret, qualis fuit hæc posterior per Samuelem inculcata.

LITERAL. Estius.

10 *Legem regni,* Guilliem. Estius in Biblia Magna Parisiens. Obseruant nonnulli quod suprà *cap. vers.* 9. dicatur: *ius Regis*, scilicet vsurpandum; & hoc loco *ius regni*, scilicet legitimum, quod & postea renouatum fuit inter Regem Ioas, & populum per Ioiadem Pontificem, 4. *Reg.* 11.

LITERAL. Sanctius.

11 *Legem regni.* Gaspar. Sanctius ibi. num. 57. Ideò quæsitus, & accersitus Saul, vt simul cum populo leges audiret quæ modum administrandi regni præscribunt, vt ipse nosset quid oneris cum regno suscepisset; & populus quid regio nomini deberet, vt re priùs legitimè riteque composita solutior esset, atque pacatior regni moderatio.

LITERAL. Author Caten. *Lex regni quæ.* 1 Reg. 8. 11.

12 *Legem regni.* Author Catenæ. Quænam hæc lex regni? an illa, quæ *cap.* 8, *vers.* 11. & sequentibus *ius Regis* dicitur? Absit. Illa enim erat lex Regis tyrannicè procedentis: hæc lex regni iustè gubernati: Illa non lex politica, & rationabilis, sed tyrannica, & impia fuerat: hæc verò ad sanum populi regimen pertinebat, quod modò à Samuele intendebatur. Dices illam fuisse, quam à Deo Moyses accepit in Sina toti populo communem: Vel illam saltem, quæ Regibus præscribitur. Deuter. 17. 16. Neutrum placet. Non prius; quia lex illa valde erat vniuersalis, nec præcipuè de habitudine Regis ad populum, nec è contra, disponebat. Non posterius; quia ibi vnum tantùm, aut alterum Regibus præcipitur, scilicet ne equos multiplicent, nec vxores: vt legem Deuteronomij sibi inscribant, retineant, & relegant; Deum timeant, & æquitati aduersùs omnes studeant, quæ vel pauca sunt præcepta, vel maximè generalia. Nihil ibi de expeditionibus bellicis, nihil de Regalibus censibus, nihil de gabellis, aut tributis, quæ & alia id genus in Republica statuta, & præsignata esse debent. Præterea lex hæc cunctis Regibus scribenda, & recitanda erat vt ibidem patet, & sic etiam vsus obtinuerat, vt apparet in auguratione Regis Ioas. 2. *Paralip.* 23. 11. Vt quid ergo præcipua eius mentio hìc fiat, dicatúrque non à Rege nouo Saule, sed à Samuële exarata, & in Tabernaculo adseruata, cùm potius Rex ipse & scribere, & retinere apud se ipsum teneretur? Restat ergo nouam quamdam & de integro excogitatam, & institutam legem non sine sancti Spiritus illustratione, & consilio à Samuële fuisse; iuxta quam Rex erga populum, populus erga Regem, se se gereret, cuius quidem prototypum in Tabernaculo, quod erat in Nobe, incorruptum conseruaretur, vnde & Rex, & populus sibi transcriberent. Dicitur autem coram Domino, non quòd in Masphath tunc esset arca Testamenti, vt probauimus ad *cap.* 7. *vers.* 1. sed quòd in vrbem Nobe, vbi erat tum temporis Sanctuarium, libellus legem continens asportatus fuerit. Vnde non rectè sentiunt Vatablus, Saa, & alij, qui asserunt *ad latus Arcæ*, vel, *iuxta eam* repositum; cùm enim Arca esset in Chariathiarim, Tabernaculum autem in Nobe, nusquam poterat libellus esse in Tabernaculo, & simul in Arcæ latere ob locorum distantiam, vt bene notauit Mendoza.

2. Paral. 23. 11. Vatab. Saa. Mend.

LITERAL. Greg.

13 *Et scripsit in libro.* Gregor. suprà. Lex in libro scribitur, vt pro futurorum memoria reseruetur. Coram Domino ponitur, vt venerabilis habeatur.

LITERAL. Abul.

14 *Et scripsit in libro.* Abul. ibid. quæst. 25. Vt lex ista non deleretur obliuione, quia non solùm fiebat pro isto Rege, sed etiam pro omnibus aliis Regibus futuris.

LITERAL. Hieron.

15 *Et reposuit coram Domino.* Hieron. vel potius Autor Quæst. Hebraicar. Idest coram Arca Domini, quæ erat in Masphath.

LITERAL. Comest.

16 *Et reposuit coram Domino.* Magister Histor. Schol. cap. 10. Reposuit libellum in Tabernaculo, quod erat adhuc in Masphath cum altari.

LITERAL. Abul.

17 *Et reposuit coram Domino.* Abulens. ibidem quæst. 25. Idest custodiuit legem illam scriptam in Sanctuario. Hìc non potest accipi coram Domino, sicut accipiebatur in aliis locis; nam vbicumque congregabantur Israelitæ ad sacrificandum, vel ad faciendum aliquid, quod pertinebat ad Deum, dicebantur esse coram Domino; & sic in Galgala, & in Masphath, & in Bethel, & in similibus locis dicebantur esse coram Domino. Hic autem debebat ista lex reponi coram Domino, ideò oportebat, quod esset aliquis locus in quo conseruaretur, & illic dicebatur esse coram Domino: hoc autem non poterat esse, nisi in sanctuario.

HISTOR. Adricom.

18 *Et reposuit coram Domino.* Adricomius in Chronica, Anno mundi 2888. Samuël legem Regni scribit, & coram Domino id est in Arca reponit.

LITERAL. Abul. *Lex regni in Tabernaculo.*

19 *Et reposuit eam coram Domino.* Idem ibidem. quæst. 26. Ne possent eam Reges præuaricari in fauorem suum, vel subditi in fauorem suum. Nullus autem erat conuenientior locus, quàm vt conseruaretur in Sanctuario, quia ad locum ipsum non poterant accedere populares, nec Reges; etiam erat maioris autoritatis.

LITERAL. Idem.

20 *Et reposuit eam coram Domino.* Idem ibi-

dem. Quanquam non esset tunc Sanctuarium in Masphath, sed vrbe Nobe, tamen Samuël scribens istam legem in Masphath coram toto populo, duxit eam in Nobe, & posuit in Sanctuario, vt custodiretur ibi.

LITERAL. Idem. *Lex regni non intra Arcam.*

22 *Et reposuit eam coram Domino.* Idem ibidem.quæst.27. Non fuit posita lex in Arca, quia Apostolus ad Hebræos. 9. ponit omnia, quæ fuerunt in Arca: dicit tamen quòd in Arca erat vrna aurea habens manna; & virga Aaron, quæ fronduerat; & tabulæ Testamenti; & sic nihil aliud ibi erat: ergo lex ista regni non erat ibi.

LITERAL. Vatab.

22 *Et reposuit coram Domino.* Vatablus in Schol. Idest ad latus Arcæ domini. Hic liber periit cum multis aliis. Non continebat iura tyrannidis, sed iura regni, & æquæ administrationis.

LITERAL. Caiet.

23 *Et reposuit coram Domino.* Caietan.ibi. Hoc est in Tabernaculo Domini propè locum, vbi positum erat volumen legis scriptæ à Moyse.

LITERAL. Saa.

24 *Et reposuit eam coram Domino.* Emanuël Saa in Schol. Idest prope Arcam Testamenti.

LITERAL. Sanct. *Libri sacri qui periêrût.*

25 *Et reposuit eam coram Domino.* Gaspar. Sanctius ibi.num.59. Vt alij plurimi libri ex Scriptura sacra perierunt; sic etiam, Domino iuxta infinitam suam sapientiam permittente, liber ille Samuëlis interiit. Scripti fuerunt sacri libri, quorum Scriptura sacra sæpè meminit, neque illorum aliquid est reliquum præter nomen. Liber bellorum Domini citatur *Numer.*21. Liber Iustorum *Iosuë* 10. Quinque millia Canticorum Salomonis. 3. *Reg.*4. Ibidem de Rerum Natural. Disputat. Lib. Lament. Ierem. in Iosiæ funere, de quo 2. *Paralip.* 35. & ali plurimi, quorum tantum supereſt memoria.

LITERAL. Mend. Saa. Bellar. Vatab.

26 *Et reposuit eam coram Domino.* Franciscus Mendoza ibi.§.7. Liber ille in quo Samuël legem regni scripsit modò iam non extat, vt Saa hoc loco, Vatablus, & Bellarmin.de Scriptor. Ecclesiastic. in Samuël aduertunt; temporis iniuria præclarum illud monumentum, sicut & multa alia absumente.

TROPOL. Beda.

27 *Et dimisit Samuel omnem populum.* Beda lib.2. Exposit. Allegor. cap.5. Dimittit & hodie Doctor finito sermone, & finita lectione omnes auditores singulos in conscientiam suam, vt quæ audierant, meditando retractent, & operando meditata perficiant.

LITERAL Abul.

28 *Et dimisit Samuël omnem populum.* Abulens. ibi.quæst.27. Non dicitur hìc quòd Saul dimisit omnem populum, sed Samuël; quia Samuël erat hìc sicut Princeps; ipse enim totum populum congregauerat, ideò ad eum pertinebat, totum populum licentiare ad eundum. Saul autem erat nouiter assumptus in Principem, nihil ergo tunc imperabat.

MYSTIC. Greg.

29 *Singulos in domum suam.* Gregor. supra. Singuli in domum suam redeunt, quando vnusquisque fidelis subditus opus obedientiæ, quod proponit consilio mentis disponendo præuenit.

VERSVS XXVI.

Vulgata. *Vulgata.* Sed & Saul abiit in domum suam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.

Benedict. *Benedict. in margine.* Et secuti sunt eum robustiores.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Et etiam Saul iuit in domum suam in Ghaibhah, & iuerunt cum eo exercitus, quorum tetigerat Deus cor. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Sed & Saul abiit in domum suam in Gibea, & comitati sunt eum de exercitu, ij, quorum Deus cor tetigerat. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et etiam Saul iuit ad domum suam ad Gibghatha, & iuerunt cum illo pars ex populo, viri timentes peccatum, & datus est timor ab ante Dominum in corde. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et Samuël abiit in domum suam in Gabaa: & abierunt filij exercituum, quorum tetigit Dominus corda eorum cum Saul. Complut. Regia.

Græc. ex Septuagint. in Sixtia. Et Saul abiit in domum suam in Gabaa; & iuerunt filij virtutum, quorum tetigit Dominus corda eorum cum Saul. Sixtia.

Augustin.lib.de Corrept.& Grat. cap.14. tom.7. Et abierunt potentes, quorum tetigit Deus corda, cum Saule. August.

Chaldæus apud Vatab. Abiit cum eo pars populi, quæ timebat Dominum & in cuius cor imminiserat Dominus timorem sui. Chald. Vatabl.

Caiet. ex Hebræo. Et ierunt cum eo fortes, quorum tetigit Deus cor. Caiet.

Author Catenæ. Cùm omnia exemplaria constanter habeant: *Et Saul abiit in domum suam*, nescio cur Regia, & Complutensis legant: *Et Samuel abiit*: cum præcipuè Samuëlis patria non esset Gabaa, sed Ramatha; fortè in typis error irrepsit. Author Catenæ. Complut. Regia.

PP. ET AVCTORES.

1 *Sed & Saul abiit in domum suam.* Gregor. lib.4.Variar.cap.vlt. Magna sunt quæ in hac simplicitate verborum clauduntur. Nam populus in domum suam dimissus asseritur; Rex autem in domum non esse dimissum, sed abiisse perhibetur. Separatim quoque de domibus populi, & de domo Regis dicitur, quia populus refertur dimissus in domum suam, & Rex abiisse in suam. Prius tamen populus dimissus est, quàm abiret Rex. De abeunte etiam populo caute signatur, vt non simul sed singuli abiisse in domum suam referantur: de iis verò, qui Regem secuti sunt, non dicitur: Abiit pars exercitus singuli post Regem; sed *abiit cum eo pars exercitus.* LITERAL. Greg.

2 *Sed & Saul abiit in domum suam.* Idem ibidem. Abire in domum suam Rex dicitur, quia Prædicator æternæ vitæ operatione probatus, sapientiæ doctrina securus, liber ad opera potest egredi, & ad consilia mentis intrare. Populus autem in domum suam dimittitur, quia fideles subiecti, non sunt liberi ad disponenda, quæ volunt; sed ad ea, quæ iubentur. MYSTIC. Greg.

3 *Sed & Saul abiit in domum suam.* Ioseph.lib. 6.Antiquitat.cap.5. aliàs.4. His itaque perfectis, dimissoque populo, ipse reuersus est Ramatha in patriam: Saülem verò in natale oppidum Gabatha redeuntem multi boni viri comitabantur, vt nouo Regi debitum officium præstarent. HISTOR. Ioseph.

4 *In Gabaa.* Gregor. Suprà. Gabaa *sublimis* dicitur. Domus ergo Regis in Gabaa esse ostenditur, quia electus Doctor non ima & terrena cogitando incolere, sed alta & cœlestia meditari studet. Vnde MYSTIC. Gregor.

de & bene pars exercitus cum eo ire in Gabaa dicitur, quia hi, qui contra Diabolum fortes sunt, electum Pastorem suum ad virtutum alta prosequuntur.

LITERAL. Abul. 5 *In Gabaa.* Abul. ibi. quæst. 27. Non est sensus, quod nunc nouiter acciperet domum in Gabaa, sed quod priùs erat ibi domus eius. Apparet autem quia Saul erat de stirpe Beniamin, vt patet suprà. Iosue 8. Gabaa autẽ erat ciuitas in stirpe Beniamin. *Iosue* 8. non enim immutauit nimis statum Saül, quamuis fuisset sumptus in Regem. Sic patet *sequens capitis.*

LITERAL. Abul. 6 *Et abiit cum eo pars exercitus.* Abulensis ibi. quæst. 27. Non intelligitur hoc de exercitu suo, quia ipse nondum acceperat exercitum, cùm illa esset prima dies, qua factus est Rex. Sed iuit cum eo exercitus ad honorandum ipsum, quia Rex erat; & mansit cum eo aliquanta exercitus pars.

LITERAL. Idem. *Quis exercitus.* 7 *Et abiit cum eo pars exercitus.* Idem ibidem. quæst. 28. Quia erat continua hostilitas inter iudæos, & Philisthinos, oportebat quod Israëlitæ haberent aliquos continuos defensores; qui saltem defenderent terræ confinia, quia totus populus non poterat semper esse in armis.

THEOLOG. Augusti. *Gratia Dei quàm necessaria, & efficax.* 8 *Quorum tetigerat Deus corda.* Augustin. de Corrept. & Grat. cap. 14. in tom. 7. Quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israëlitarum subdere se memorato Viro, siue non subdere; quod vtique in eorum erat proposito voluntate, vt etiam Deo valerent resistere, qui tamen sine dubio habet humanorum cordium, quò placuerit, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Sic enim scriptum est: *Et dimisit Samuel populum*, &c. Nunquid aliquis dicturus est, non iterum fuisse cum Saul quemquam eorum, quorum tetigerat corda Deus, vt irent cum illo, aut iisse aliquem pestilentium, quorum, vt hoc facerent, corda non tetigit.

MYSTIC. Gregor. 9 *Quorum tetigerat Deus corda.* Gregor. supra. Quia digito tangere solemus, Deus corda sanctorum tangit, quando eis Spiritus Sancti gratiam tribuit, & eius tactum sentiunt, quia recepto internæ virtutis munere à carnalitatis suæ debilitate commouentur. Qui protinus cœlestis exercitus milites fiunt, quia per virtutem sancti Spiritus infirma deserunt, & ad agenda fortia in Christi bello præparantur.

THEOLOG. Mend. 10 *Quorum tetigerat Deus corda* Francisc. Mendoza ibid. §. 2. Hi pauci, qui cum Saul iuerunt diuinitus impelluntur, Deo eorum corda per auxilium efficacis gratiæ tangente: quos enim Deus efficaciter tangit, in quamcumque partem volet, facile impellit.

THEOLOG. Author Catenæ. 11 *Quorum tetigerat Deus corda.* Author Catenæ. Omnium quidem Israëlitarum corda sufficienti gratiæ suæ auxilio Deus pulsauerat, non tamen efficaci, nisi illorum tantum, qui vocationi suæ assensuri erant. Auxilij verò efficacitas in eo consistit, vt in ea à Deo occasione, & circumstantiis conferatur, quia ipse per scientiam quam mediam nostri dicunt seu conditionatam, præuouerat hominem bene operaturum, si in ea illo, vel illo auxilio præueniatur, quod quidem alias tantum esset sufficiens, non vero efficax. Nisi ergo Deus illorum, qui Sauli adhæserunt, corda efficaci vocationis suæ auxilio præparasset, nusquam illum secuti essent: ea autem posita vocatione, seu tactu, certo illum comitarentur. Sed de his latiùs Scholastici.

VERSVS XXVII.

Vulgata. Filij vero Belial dixerunt: Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera: Ille verò dissimulabat se audire. Vulg.

Benedict. in margine. Ille vero factus est tanquam surdus. Benedict.

VERSIONES.

Hebraica ex Xanto Pagnino. Filij autem impij dixerunt: Quid saluabit nos iste? & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera. Et fuit veluti surdus. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Porro filij Belial dixerunt: Quid iste nos saluaret? Et contemnentes eum, non obtulerunt ei munus. Is verò fuit tanquam dissimulans. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et filij improbitatis dixerunt: In quo liberabit nos hic? Et contempserunt eum, & non venerunt ad rogandum in pace eius, & fuit sicut tacens. Ariasm.

Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et filij pestilentes dixerunt: Quî saluabit nos isto? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera, & factus est obmutescens. Complut. Regia.

Græca ex Septuagin. in Sixtian. Et filij pestilentes dixerunt: Qui saluabit nos iste? Et contempserunt eum, & non attulerunt ei munera. Sixtia.

Chaldæus apud Vatab. in Schol. Non venerunt eum salutatum *Interl.* Et filij sine profectu dixerunt. Chald. Vatab. Interl.

Augustin. lib. de Correp. & Gratia, cap. 14. tom. 7. Et filij pestilentes dixerunt: Num saluabit nos hic? Et inhonorauerunt eum. Regia. Augustin.

PP. ET AVCTORES.

1 *Filij vero Belial dixerunt*: Gregor. lib. 4. Variar. cap. vlt. circa fin. Quia intra sanctam Ecclesiam quidam Prælatos suos despicere non verentur, audiant quia qui Regem despiciunt, Belial filij dicuntur. Per superbiæ quidem vitium in illius imitatione generantur, de quo scriptum est: *Omne sublime videt, & ipse est caput super omnes filios superbiæ.* Iob. 41. TROPOL. Gregor. *Prælati honorandi.*

2 *Filij vero Belial dixerunt.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. aliàs 4. Saulem in natale oppidum Gabatha redeuntem multi boni viri comitabantur, nouo Regi debitum officium præstantes. Sed plures mali & factum hoc eorum vitio vertebant, & ipsi contempto Rege nullis vel muneribus, vel obsequiis gratiam eius demereri conabantur. HISTOR. Ioseph.

3 *Filij vero Belial dixerunt.* Liran. ibi. Ostenditur quòd in omni congregatione communiter sunt aliqui mali, qui de bono murmurant; & si possent, libenter impedirent. LITERAL. Lira. *Mali vbique.*

4 *Filij verò Belial dixerunt.* Abulens. ibidem quæst. 27. Isti erant de exercitu; ista enim ratio est continua, quia suprà dicebatur, quod pars exercitus, quorum Deus tetigerat corda, abiit cum Saule; ergo alia pars exercitus erat, quorum Deus non tetigerat corda, nec iuerunt cum Saule. Vocantur filij Belial id est pessimi, vel indomiti, vel sine iugo, & ita erant isti, quia nolebant se subiicere LITERAL. Abul.

Principi electo à Deo. Sciendum autem, quod quamuis isti, qui hoc dixerunt, erant de exercitu, tamen alij, qui non erant pars exercitus, hoc idem arbitrati sunt.

LITERAL. MORAL. Author. Catenæ. 5 *Filij verò Belial dixerunt.* Author Catenæ. Tanquam rustico, & ignobili inuidebant, & conuitiabantur; erant enim ex illorum numero de quibus Psaltes, *In circuitu impij ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Psalmista 11. 9. Hoc est, stridենt & dilacerantur impij cùm hominem è media plebe à Domino eleuatum vident ad optimas dignitates. Sic ex Hebræo colligitur, vnde legit Menochius noster in Politicis libro primo capite septimo numero tertio. *Cum exaltati fuerint vilissimi hominum.* Grauiter enim ferunt sibi obscuros homines præferri. Quid autem significet Belial, diximus suprà, *cap.2. vers.12.*

Psal.11.9.

LITERAL. Vatab. 6 *Num saluare nos poterit iste?* Vatabl. in Scholiis. Id est, qua ratione tuebitur, & defendet nos iste, qui est infimæ sortis?

LITERAL. MORAL. Mendoza. *Inuidorum consuetudo.* 7 *Num saluare nos poterit iste?* Franciscus Mendoza ibidem §. 2. Eum proprio nomine non exprimebant per inuidiam & contemptum. Sic enim facere solent, qui magnâ in alios inuidiâ concitantur. Fratres Ioseph: *Ecce*, inquiunt, *somniator venit.* Genes. 37. 20. Doeg ad Saülem: *Vidi*, inquit, *filium Isai in Nobe* primo Regum cap.22. vers.9.

Gen.37.20.

MYSTIC. Gregor. 8 *Et despexerunt eum.* Gregorius suprà. Superbi quia illud solum quod in sanctis foris despici potest, aspiciunt: illud verò quòd valde venerandum est, cernere non merentur, dicunt: *Numquid iste saluare nos poterit?* Quasi despiciendo interrogant; à tam paruo tam grandia speranda sunt? Iste tam paruus, nos tam magnos? Tam debilis, tam fortes saluare posse credendus est?

LITERAL. Lira. Gen.49. & 48. 9 *Et despexerunt eum.* Liran. ibid. Quod non erat de illis Tribubus nobilioribus, vtpote de Tribu Iuda, cui promissum erat regnum *Genes.*49. vel de Tribu Ephraim quam Iacòb in benedictione præposuerat Manassæ. *Genes.*48.

LITERAL. Abul. 10 *Et despexerunt eum.* Abulensis ibi. quæst.28. Scilicet existimantes, quòd ille cùm esset rusticus, esset ineptus ad regnum. Sic quoque arbitrata est maxima pars Israël.

LITERAL. Carthus. 11 *Et despexerunt eum.* Carthusianus ibidem. artic. 19. Tanquam de Tribu natum ignobiliori, & fortitan isti superbi fuerunt de nobilioribus Tribubus oriundi.

TROPOL. Author Catenæ. *Absentia plus amantur.* 12 *Et despexerunt eum.* Author Catenæ. Mirum quorundam hominum ingenium, nec infrequens est, qui ita auidè in absentia & sperata feruntur, vt eorum desiderio ardere videantur: quæ tamen, si euenerint, & voti sui compotes enaserint, statim frigent, eorúmque præsentiam, & possessionem temnunt, quò ardentiùs futura concupierant. Vnde benè Aristomenes apud Aristenetum Epistol. 21. in libro primo: *Vbi potitus es, contemptum venit: studióque magno peritum, statim abiicitur, negligiturque habetur.* Et Plinius Iunior Epistol.15. in libro secundo. *Placent agri postquam tui facti sunt? Rarum id quidem. Nihil tamen æquè gratum est adeptis, quàm concupiscentibus.* Quod in præsenti quoque benè annotauit Abulensis quæstione 24. dicens: *Hoc fuit, quod accidit communiter hominibus, scilicet, vt rem incognitam nimis desiderent, cùm verò illam cognouerint, despiciant, & minus appretientur, vt ait Aristoteles 9. Ethicorum.* Similiter cùm Saül, ne crearetur Rex, latebat domi, Deum super eo consulunt, & latebram cognoscentes: *Cucurrerunt & tulerunt eum inde.* versu 23. Cùm autem Virum iam tenent, & suprà voti sui opinionem excellentem, (vt qui *altior fuit omni populo ab humero, & sursùm*) & animi virtutem promitteret, proceritati corporis respondentem, eius tamen imperium tanquam hominis indigni recipere detrectant. Bene ad rem nostram olim Tacitus: *Maiestati maior est longinqua reuerentia*, & Liuius: *Continuus aspectus minùs verendos magnos homines ipsa satietate facit.* Hoc vtique laborauerant morbo cognati, & consanguinei Christi, de quibus Ioannis cap. 7. vers.5. *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Nimirum quia apud eos, qui eum diù tractauerant, viderant, & audierant, ipsa iam assiduitate vilueràt, vt notauit Chrysostomus apud Thomam in Caten. *Christum consanguineum habere potuerunt, credere autem in eum ipsa propinquitate fastidierunt.* Hac quoque, vt credo, de causa ipse Dominus non repentè suam diuinam sapientiam, & potentiam patefecit, sed sensim, & paulatim ne eam contemptui præberet. *Et IESVS proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Lucæ 2. 53. Mysterium tetigit Theophilus apud eundem Thomam dicens: *Qualiter si ipse est vera Sapientia, in sapientia potest augeri? Vel qualiter qui cæteris largitur gratiam, ipse in gratia promouetur?* Sed facilè respondet Nazianzenus cum aliis ibidem. *Dicitur secundum humanitatem proficere, non quòd ipsa suscipiat augmentum, quæ ab initio fuit perfecta; sed ex eo quòd paulatim manifestabatur.* Et Theophilactus similiter: *Paulatim illam denudabat.* Ita enim solent celeberrimæ quæque imagines, aut statuæ, religionis, & reuerentiæ gratiâ, sub duplici, aut etiam triplici velamine latêre, quæ adstantibus paulatim panduntur, quo pietas, & cultus magis excitentur. In hunc igitur modum sapientiam suam, & gratiam Christus sensim denudauit, qui hominum ingenia nouerat absentia & incognita colentium, & amantium, præsentia verò & cognita despicientium. Inde etiam latêre in Eucharistia maluit ex opinione Algeri, vt hominum fastidium euitaret. *Ideò*, inquit, *non apparet, vt fiat desiderabilior.* Nam vt benè quoque ait Clemens Alexandrinus quinto Stromatum, capite tertio, ex assidua videndi consuetudine ipsius quoque Dei contemptus nascitur: *Vt Dei maiestas*, inquit, *vilis, & contemptibilis reddatur, efficit, quæ est in promptu videndi consuetudo.* Denique hac fortè de causa Moyses Dei operum scriptor, Angelorum conditionem prætermisit, ne cum homines, eos perfectissimos, & sanctissimos scirent, aliásque ab eorum commercio, & inspectione maximè abessent, maiori, quàm par erat, eos reuerentia prosequerentur, & diuinum aliquod existimarent; quam quidem rationem meditati sunt Theodoretus quæstione secunda in Genesim, & Chrysostomus ibidem. Sufficiant verba Theodoreti, qui ad vitulum aureum ab Idolatris cultum alludens ait: *Quod si tam facilè sibi Deos finxerunt, quid non perpetraturi fuissent, inuisibilis naturæ notitiam assecuti?* In tantum hominum superstitiosa conditio præsentia detestatur, incognita colit, & reueretur. Sed de his satis. Alia quoque Serlogus noster tom.1. in Cant. Anteloq.2. sect.3.

Aristomen. Aristenet. Plinius. Abul. Aristot. Tacitus. Liuius. Ioan.7.5. Chrysost. S.Thom. Luc.2.53. Theoph. Nazian. Theophilac. Clemens Alexand. Theodor. Chrysost. Sherlog. LITERAL. MYSTIC. Greg.

13 *Et non attulerunt ei munera.* Greg. suprà. Si ad

Honor Prælatis. ad litteram ista discutimus, hoc profecto insinuat, quia & terrarum Domini, & spirituales sanctæ Ecclesiæ Prælati, exterioribus officiis venerandi sunt. Vnde & Beatus Paulus Apostolus elatos Rom.13. Romanos alloquitur dicens: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal, &c.* Spiritualia vero munera Rectoribus nostris tribuimus, quando debitam eis honoris reuerentiam offerimus, & ea quæ præcipiunt, cum magna deuotione seruamus.

LITERAL. Lira. 14 *Et non attulerunt ei munera.* Liran. ibi. Xenia, sicut tunc erat consuetum fieri in creationibus Regum, & Principum, & adhuc in pluribus locis obseruatur.

LITERAL. Vatabl. 15 *Et non attulerunt ei munera.* Vatab. in Schol. Hoc de prima salutatione intelligi debet, quæ fieri non debet sine muneribus.

TROPOL. Greg. *Culpa quando dissimulanda. Saulis dissimulatio prudens.* 16 *Ille verò dissimulabat se audire.* Greg. suprà. Subditorum quidem prauitatem audit, qui nescit, sed audit, & non respondet; immò se audire dissimulat, quia plerumque causa exigente nota subditorum superbia incorrepta deseritur, vt opportuniori tempore quasi cognita feriatur. Quàm profectò Ecclesiasticæ censuræ discretionem bene in hoc ipso Israëlis Rege agnoscimus, si regni tempora, & acta diuersa videamus. Nam rudis adhuc, & nouiter ordinatus dissimulare se audire despicientium verba dicitur, sed confirmato regno super Israël ad dexteram, & sinistram pugnare, & quocumque se vertebat, superare perhibetur. Culpa ergo quæ feriri digna seueritate non potest, dissimulanda, non exponenda est; quia audaciùs à subditis delinquitur, si Prælatorum infirmitas agnoscatur.

MORAL. Carthus. *Saulis prudentia.* 17 *Ille verò dissimulabat se audire.* Carthus. ibi art. 19. Quod fuit prudentiæ; commisit namque dispositioni prouidentiæ Dei, conseruationem suæ institutionis; nec voluit regnum suum à turbatione, lite, & sanguine inchoare. Denique si ostendisset se verba illa audire, nec vindicasset, pusillanimis videretur: si verò vlcisceretur, ferocitati, & arrogantiæ adscriptum fuisset. Ideò debet vnusquisque suæ præsidentiæ principatum pietate, modestia, & pietate inchoare.

LITERAL. Hugo *Prudentia Saulis.* 18 *Ille verò dissimulabat se audire.* Hugo Charens. in Postil. Quia si statim vindicaret in eos, adscriberetur feritati, & impatientiæ: si non vindicaret, adscribetetur pusillanimitati, & ideò prudenter dissimulauit.

LITERAL. Caietan. 19 *Ille verò dissimulabat se audire.* Caietanus ibidem. Iuxta Hebræum habetur: *Et fuit sicut tacens.* Hæc enim tacendi prudentia respondet tribus iniuriis: videlicet verborum: *Num saluabit nos iste?* Et contemptus; & non oblati munusculi: quibus omnibus respondet dissimulatio audiendi.

TROPOL. Author Catenæ. *Reges interdum dissimulent.* 17 *Ille verò dissimulabat se audire.* Autor Catenæ. Primum hoc nobilitatis ingenitæ, optimique ad regendum ingenij Saül in ipsa regni sui inauguratione specimen præbuit, scilicet ignominiæ, & contemptus sui strenuam dissimulationem. Nec iram solum compressit, sed & notitiam celauit: *dissimulabat se audire*, vel vt Hebraicè legitur: *Fuit veluti surdus.* Spiritus quidem Domini, qui super ipsum insiluit vers. 10. optima illum sua instruxerat disciplina, videlicet: *In multis esto, quasi nescius.*

Eccli.32.12. Ecclesiastici 32. 12. Non, inquit, esto inscius, sed *quasi inscius.* Et alibi: *Pretiosior est sapientia & gloria, parua & ad tempus stultitia.* Eccles. 10. 1. Et iterùm: *Qui despicit amicum suum, indigens corde est: vir autem prudens tacebit.* Prouerb. 11. 12. Prou.17.12.

Vnde hauserunt & profani: Orat.4.

Misce stultitiam consiliis breuem Carm.ode.

Dulce est desipere in loco. 12.

Manauit iterum Catonis aurea sententia. Cato.

Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

Et illa Apolodori Comici. Apolodor.

Suauius nihil est, nec Musis aptius
Est, quàm ferre posse conuiciantem;
Qui enim conuitia perpetum, si pertum
Dissimularit, conuitia in conuitiantem redundant.

Et vulgata denique antiquorum paræmia Federico Imperatori familiaris, vt refert Lipsius in Politic. *Nescit regnare, qui nescit dissimulare.* Et illud: *Nunquam regent, qui non regent.* Rex enim iniuriarum dissimulatione omnia vincit, & Regiam quandam magnanimitatem præ se fert, vt notat Seneca lib.3. de ira cap.5. scribens: *Proprium est magnitudinis vera non se sentire percussum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit: sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat.* Cui fortè allusum credas 3. *Reg.* 4. 29. dum dicitur, eam Salomoni Regi cordis latitudinem obtigisse, quæ arenæ littorum maris æquari posset. *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis; & latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in littore maris.* Ad modum enim quo maris oræ furentium vndarum impulsibus quatiuntur; illæ vero immotæ obsurdent, fluctuúmque impetus tacita quadam magnanimitate compescunt; sic prudentis Regis animus quarumcumque externarum perturbationum procellas magna quadam pectoris magnitudine sedat. Quocirca profanus ille: Federic. Imperat. Lipsius. Seneca. 3.Reg.4.29.

Frangitur in tacito fors mala sæpe viro. Propert.

Si quid vidisti semper vidisse negato,
Aut si quid doluit forte; dolere nega.

Huius fuit ingenij magnanimus Saül, qui in modum scopuli conuitiantium procellas eluit, & necessarium dolorem altè quoque reconditum dissimulauit, ne regni sui primordia humano sanguine fœdaret. Sed de his aliàs.

METAPHRASIS

CAP. X.

Ex superiori Interpretum doctrina.

EMAMVLO enim aliquantulum amoto, Samuël ex vasculo sacri olei guttis aliquot in Saülis caput effusis, vt Regibus mos erat, ipsóque osculato in signum beneuolentiæ, sic fatur: Ecce me ministro à Deo in Regem eligeris, & deliniris, vt Israëlitici populi, qui ex aliis potissima Dei est hæreditas, iniurias depellas; in cuius fide ne hæsites, multiplex à me signum accipe. Primò enim à me dimissus, in viros duos incides iuxta sepulchrum Rachelis, quod in confinio Iudæ, & Benjamin ad plagam Orientis situm est. Ab iis disces asinas, quas perquirebas, inuentas; partem verò dimissa earum cura pro te vno solicitum manere. Inde cùm processeris ad celebrem quercum, quæ Thaboris dicitur, tribus aliis viris sacrificij causâ in excelsum locum ascendentibus obuius fies. Horum vnus tres in hostiam pacificam

portabit hædos: alter verò tres panes: & tertius vini amphoram in viaticum: à quibus & salutaberis, & tibi vltrò offerentibus in tuæ penuriæ subsidium duos panes accipies. Progressus inde deuenies in collem Chariathiarim, vbi Philisthinorum bellicum præsidium, vrbémque, quæ colli subest, ingressus; occurret tibi Religiosorum hominum conuentus de colle descendentium, quos præcedet Musicorum instrumentorum copia; illos vero diuinas laudes metricè concinentes audies. Tum te subito diuinus quidam spiritus corripiet, ipsisque immixtus consimili & pangendi, & canendi carminis peritia instructus, eisdem concines, & in Virum alium, mutatis scilicet animi affectibus, repente mutaberis. His ergo, vt à me enunciantur, signis euenientibus, certò disces futuri regni prouentum. Tunc verò ne hæseris, sed ad ea, quæ Regem decent, agenda procede. Quod si arduum quid acciderit bellum, aut periculum, vel difficile in re dubia consilium, præmonitum me per totos septem dies præstolaberis in Galgala; vt me tandem adueniente, & Numen consulatur, & hostiis propitietur. His dictis iuuenem dimittit, vixque ille discesserat, cum rusticum eius animum Deus in Regium commutauit; omnia quoque alia signa, vt prænuntiata fuerant, acciderunt. Nam cùm ad collem prædictum Chariathiarim accessisset, obuium sibi cantorum Leuitarum cœtum reperit, & diuino quodam actus ardore, Deo medius inter illos laudes metricè decantauit. Quod dum ij, qui hominem prænouerant, contemplantur, in stuporem rapti, nutant, inuicémque non sine inuidia, & derisione rogitant: Quid hæc insperata filio Cis? Num Saül Prophetis constipatur? Cui alter admirationis stimulum exacuens: Et vnde, inquit, hæc? A patre quidem non accepit, qui Leuita non est, sed potiùs Benjamita. Hinc ergo ortum habuit vulgaris quædam paræmia. Num & Saül inter Prophetas? Cùm verò à cantu cessasset, religionis gratiâ in sublime collis ascendit, vbi erat Arca Testamenti; & tandem domum reuersum Ner patruus de viæ suæ successu percontatur. Cui ille: Quærendas asinas in causa fuisse respondit, quibus nullibi repertis se ad Samuëlem vt Virum consuleret, contulisse. Tum patruus audito Samuëlis nomine sciscitatus est quænam cum tanto Viro accidissent? Saül verò cùm alia quæque aperuisset, de rebus ad futurum regnum spectantibus reticuit, ne vel secreti fidem frangeret, vel inaniter extolli videretur. His actis exiguum post tempus Samuël in Masphath in Tribu Beniamin, vbi olim populo ius dicebat, comitia indicit: ibique congregatos Israëlitas, ob ingratum erga diuinam benignitatem animum obiurgat, à qua tot, tantáque acceperant beneficia. Ego, inquit (Deum agens) vos de Ægyptiorum tyrannide eripui: deinde à vicinis Regibus toties subactos vindicaui. Vos verò Deum vestrum spreuistis, & Regem vobis præfici contentiosè postulastis; ergo, quandoquidem plus impetus libidinis, quàm, aut religio, aut beneficiorum memoria apud vos valet, adeste, &, vt à Domino Regem accipiatis, sortitio fiat digesta in Tribus, familias, & viros, multitudine. Sic gestum est, immisisque in vrnam Tribuum nominibus tesseris inscriptis, Tribui Benjamiticæ sors obtigit: iterùm sorte inter eius Tribûs familias iacta, extitit familia Metri viri quondam clari, ex eáque Saül tandem præsignatus est. Dum verò studiosè quæritur, nusquam apparet; se se enim de euentu conscius instante iam sorte præ pudore absconderat in hospitio inter sarcinas, & domesticam supellectilem. Cúmque consultus Dominus per Samuëlem, latebram indicasset, inde celeriter extractum, & ad concionem reductum, in medium tanquam Principem constituunt, altum quidem, vt qui toto capite, atque humeris reliquos omnes excederet, ipsáque corporis proceritate Regiam præ se ferentem maiestatem. Tum Samuële electum à Deo Regem coram commendante, vt nobiliorum Tribuum inuidiam depelleret: excitatur populi ouantis plausus: Viuat Rex. Deinde Samuël certas leges, quas diuino scripserat spiritu, quæque & populorum regimen tam pacis, quàm belli tempore instruerent, & Regium ius, & subditæ plebis officia continerent, Regi, populóque audienti recitauit: libellum verò, ne à quouis corrumperetur, Tabernaculo, quod erat in Nobe, seruandum immisit, cunctisque peractis populum remittit ad propria. Saülem domum suam in Gabaa repetentem maxima, optimáque pars exercitus insequitur, vt debitum Regi officium impenderent. Alij verò ex nobilioribus Tribubus, stimulante inuidia, hominis imperitiam despicientes, nihil bonum de ipso sperabant, nec Regem eum salutare, nec gratiam eius munusculis, aut obsequiis demereri curabant. Quorum tamen probra ac contemptus, quòd recens adhuc Rex esset, nec vindicare licebat; vel ne etiam effuso sanguine inauguraretur, ita constanter Saül pertulit, vt ne etiam ea audisse videretur.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS.

INGENS bellum Hebræis cum Ammonitis exoritur, vt incolis Jabes, Galaad obsidione fatigatis auxilium ferant. Militem colligit Saül, & fortiter congressus hostem deprimit, ac strenuam ex eo victoriam comparat. Plaudit ex animo Sauli populus festiuáque omnium gratulatione illius regnum instauratur: hostiæ quoque Domino gratitudinis ergo mactantur.

CAPVT VNDECIMVM.

1 ET factum est quasi post mensem, adscendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Iabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi. 2. Et respondit ad eos Naas Ammonites: in hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel. 3. Et dixerunt ad eum seniores Iabes: Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuersos terminos Israel: & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. 4. Venerunt ergo nuntij in Gabaa Saulis: & locuti sunt verba hæc, audiente populo: & leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit. 5. Et ecce Saul veniebat, sequens boues de agro, & ait: Quid habet populus quod plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes. 6. Et insiluit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, & iratus est furor eius nimis. 7. Et assumens vtrumque bouem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, & secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius. Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus. 8. Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Israel trecenta millia: virorum autem Iuda triginta millia. 9. Et dixerunt nuntiis, qui venerant: Sic dicetis viris, qui sunt in Iabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntij, & annuntiauerunt viris Iabes: qui lætati sunt. 10. Et dixerunt: Mane exibimus ad vos: & facietis nobis omne quod placuerit vobis. 11. Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsque dum incalesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter. 12. Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste qui dixit: Saul non regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos. 13. Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel. 14. Dixit autem Samuel ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum. 15. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israel nimis.

VERSVS PRIMVS.

Vulgata. *Vulgat.* Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, & pugnare cæpit aduersum Iabes Galaad. Dixeruntq; omnes viri Iabes ad Naas: habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Ascendit autem Nachas Hammonites, & castrametatus est contra Iabes Ghilhad. Et dixerunt omnes viri Iabes ad Nachas: percute nobiscum fœdus, & seruiemus tibi. Pagn.

Hebraica

Vatab. *Hebraica ex Francisc. Vatab.* Ascenderat autem Nahas Ammonites, & castra fixerat contra Iabes Gilead. Dixerunt ergo omnes ciues Iabes ad Nahas. Feri nobis fœdus, seruiemúsque tibi.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et ascendit Nahhas Rex filiorum Ghamon, & posuit castra super Iabes Gilghad. Et dixerunt omnis homo Iabes ad Nahhas: decerne nobis pactum, & seruiemus tibi.

Complut. Regia. *Grac. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et ascendit Naas Ammonites, & castrametatus contra Iabes Galaad. Et dixerunt omnes viri Iabes ad Naas Ammonitem: pange nobis fœdus, & seruiemus tibi.

Sixtia. *Grac. ex Septuag. in Sixt.* Et factum est, quasi post mensem, & ascendit Naas Ammanites, & castrametatur super Iabis Galaad. Et dixerunt omnes viri Iabis ad Naas Ammanitem: dispone nobis testamentum, & seruiemus tibi.

Author Catenæ. Liran. Carth. Caiet. Sixtia. *Autor Catenæ.* Prima capitis verba: *Et factum est, quasi post mensem*; monent Lira. Carthus. Caiet. & alij non esse de Textu. Cæterum Vulgata nouissime correcta ea habet, vt etiam Sept. in Sixt. & ita apponenda vt Canonica, necessariò sunt.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Ioseph. *Naas crudelitas.* 1 *ET factum est, quasi post mensem.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 5. Mense autem post acceptum regnum elapso exortum contra Naassem Ammonitarum Regem bellum apud omnes ex æquo auctoritatem illi parauit. Hic enim diu Iudæis vltra Iordanem habitantibus infestus, postremò cum magno & forti exercitu regionem ingressus, vrbes eorum subiugare cœpit, nec contentus libertatem in præsens abstulisse, vt omnem reuelandi materiam in futurum adimeret, tam vltrò deditis, quàm vi subactis dextrum oculum eruebat, vt quoniam scutum sinistro prospectum negat, omninò inutiles bello fierent. Hoc modo transactis trans amnem incolentibus in Galadenam exercitum duxit, & castrametatus ad primariam regionis vrbem, cui nomen est Iabes; Oratores cò mittit, qui conditiones offerrent, vt aut deditione facta dextris oculis orbentur, vt alij, aut internecionem hominum, & oppidorum excidium expectent.

Literal. Greg. 2 *Ascendit Naas Ammonites.* Gregor. libr. 5. Variar. c. 1. Cum Naas ascendere contra Iabes Galaad dicitur, interiora vitiorum prælia designantur; quibus nimirum verbis sacræ historiæ processus ostenditur, vt nouo Regi noua bella mouerentur, quæ dum bene conficeret, strenuitatis suæ gloriam demonstraret.

Mystic. Idem. *Naas adumbrata in Naas. gen. 3.* 3 *Naas Ammonites.* Idem ibidem. Quis est iste Naas Ammonites? Quæ est Iabes Galaad? Sed Naas interpretatur *serpens*: Iabes *exsiccata*. De serpente autem in Genesi dicitur, quia callidior erat cunctis animalibus. Genes. 3. Cuius profectò serpentis similitudinem si in vitiis quæritur, quid similius quàm violentum gastri margiæ, idest gulæ motum inuenimus? Serpens ergo iste gulæ designat auiditatem, quia & respectu iustæ necessitatis repit, & virus impiæ delectationis spargit. Bene etiam Ammonites dicitur, quia qui populus mœroris interpretatur, quia lætum videtur, quod suadet, valde luctuosum erit in æterna damnatione. Populus autem dicitur, quia gulosi quique pro solicitudine ventris innumerabilium curarum frequentia deprimuntur.

Mystic. Angelom. *Naas Diabolus?* 4 *Ascendit Naas Ammonites.* Angelom. in Stromatib. cap. 11. Naas qui interpretatur *serpens*, significat Diabolum; non solùm quia lubricus, & tortuosus est, sed quia primum hominem per serpentem decepit. Ipse ascendit ad præliandum contra Iabes, qui interpretatur *sensus*, quia Diabolus semper sensum diuinæ cognitionis, & bonitatis auferre ab hominibus conatur.

Mystic. Gloss. Ordin. *Hæreticorum belli qualis?* 5 *Ascendit Naas Ammonites.* Gloss. Ordinar. ibi. Bellum Naas, bellum Hæreticorum contra Ecclesiam significat. Naas interpretatur *serpens*. Ammon *comprimens*, vel *coangustans*, vel *populus mœroris*. Iabes *exsiccata*: Galaad *acervus testimonii*.

Literal. Lira. *Belli huius ratio.* 6 *Ascendit Naas Ammonites.* Lira. ibi. Tempore Iephte Rex Ammon venit contra filios Israel, repetens totam terram filiorum Israel vltra Iordanem tanquam ad suum regnum pertinentem, vt habetur Iudic. 11. sed tunc fuit debellatus, vt ibidem habetur, & ideo fortificato illo regno iste Rex forsitan ex eadem causa venit contra filios Israel.

Literal. Abul. *Naas bis ascendit.* 7 *Ascendit Naas Ammonites.* Abulens. ibi q. 1. Sciendum, quòd non solùm nunc ascendit contra Israelitas, sed etiam aliquanto tempore ante hoc ascenderat, & ille fuit occasio, vt Israelitæ peterent Regem, vt patet *sequenti cap.* scilicet: *Videntes autem quòd Naas Rex filiorum Ammon, venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis.*

Literal. Idem. *Naas cur ascendit.* 8 *Ascendit Naas Ammonites.* Idem ibidem. Magis dicendum est, quòd Rex Ammon pugnabat ad delendum Israel, quam ad recuperandum terram; alioquin acceptasset conditionem, quàm offerebant ei viri Iabes; dixerunt enim: *Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi*, ipse autem noluit, sed dixit: *In hoc feriam vobiscum pactum, &c.*

Literal. Lauret. *Naas quid?* 9 *Ascendit Naas Ammonites.* Hiere. Lauret. in Sylua Allegor. Naas, ideſt, *coluber*, vel *serpens*, aut *augurans*, vel *diuinans*, vel *auem*, typus est gulæ.

Literal. Vatab. 10 *Ascendit Naas Ammonites.* Vatabl. in Scholiis, Quidam aiunt Israelitas Regem petiisse, quòd audirent hunc Regem copias parare in se.

Literal. Mendoza. 11 *Ascendit Naas Ammonites.* Franc. Mend. ibi. §. 3. *Ascendit* siue propriè propter accliuitatem, siue translatè, propter difficultatem prælij, siue vulgari hebraismo, quo quilibet congressus dicitur ascensus.

Histor. Sanctius. 12 *Ascendit Naas Ammonites.* Gaspar Sanctius ibi, numer. 1. Exactus iam mensis fuerat, ex quo electus est, & acclamatus Rex Saul, & tamen adhuc se continebat domi, agebátque vitam priuatam intentus sicut antea; colendis agris, aut pascendis armentis. Accidit autem opportuna quædam occasio, vt otium illud, seu domesticum negotium abiiceret, & se ad graviora publicáque molimina tandem accingeret. Naas enim Rex Ammonitarum, qui iampridem contra Israëlitas bellum adornabat, cuius causa populus de sua, publicáque salute solicitus præponi sibi regem postularat, vt habes *capit.* 12. *vers.* 12. ciuitatem Iabes, quæ erat in regione Galaaditide, sic angustè premebat, vt nulla videretur reliqua spes salutis.

Literal. Author Catenæ. 13 *Ascendit Naas Ammonites.* Autor Catenæ. Naas (non quidem ille, qui cum Dauid misericordiam

Petr. Dam. diam fecit, 2. *Reg.* 10. 2. vt credidit Damian. ep. 5. in lib. 6. Sed alius nempe huius filius, vt ex temporis interuallo, & ex nece illi à Saüle inflicta bene probat Mendoza §. 2.) bello Galaaditas adortus est, non vt ab eis prouinciam, aut repeteret, aut obtineret, vt patet ex eo, quòd cùm illis se tradentibus pacisci noluit, sed ob commune odium, & inuidiam, quæ inter finitimos Reges, & gentes sæpiùs intercedit. Erat autem Ammonitarum Rex, quorum populus ortum quidem habuerat à Loth, qui filiarum industria inebriatus filios duos genuit ex filiabus, Moab alterum Moabitarum autorem: alterum verò Ammon Ammonitarum patrem. *Genes.* 19. 35.

Mend.

Gen. 19 35.

Tropol. Author Catenæ. *Tentatio quos & quando aggreditur.* Greg. Eccli. 2. 1.

14 *Ascendit Naas Ammonites.* Autor Catenæ. Vix Rex eligitur, & Respublica ordinatur, cùm bellum instat, persecutor adest, & plura subito magna ingruunt pericula, vt noui Regis probetur virtus, ait Gregorius suprà, vel vt præmonitionis illius necessitas comprobetur: *Fily accedens ad seruitutem Dei sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccli. 2. 1. & illius similiter: *Omnes qui piè viuere volunt in Christo persecutionem patientur.* 2. Timot. 3. 12. Sic in præsens Carthusianus aduertit his verbis: *Cum filij Israel Regem obtinuissent, virum iustum, & bonum; & Samuël tam Regem, quàm populum informasset, qualiter inuicem se haberent, ac Domino deseruirent, statim contra eos ascendit Rex Ammonitarum. Ita Diabolus, &c.* Simile etiam acciderat eisdem Israëlitis, cum Samuelis iussu conuenerant in Maspha; vbi abiurato Idolorum cultu, iciuniis, ac fletibus vacantes, corda Domino præpararent; continuò verò nuntium peruolat, aduentare Philisthinorum Satrapas, seu Regulos cum exercitu suprà *cap. 7. vers. 7.* vt in idem propositum expendit ibi Gregorius, cuius verba, quia ibi relata sunt, non repetam.

2. Tim. 3. 12.

Gregor.

Histor. Sabell. 15 *Ascendit Naas Ammonites.* Marc. Anton. Sabellic. Encade 1. lib. 7. tom. 1. Naas Ammonitarum Rex, Israëlitas, qui trans Iordanem accolebant, subito bello adortus non solum victos suo imperio subiugauit, sed vt subductis omnem releuandi materiam adimeret, tam bello captos, quàm in fidem receptos dextro oculo priuauit, vt ea corporis clade affecti minus vtiles deinceps bello redderentur, quoniam scutum commodè ampliùs tractare non possent. Naas pari terrore belli in Galaditas Iabitas mouit, qui finitimorum clade exterriti septem dierum inducias his conditionibus impetrarunt, vt de summa rei consulere liceret, peterentque à suis auxilia.

Histor. Hier. 16 *Et pugnare cœpit aduersùm Iabes Galaad.* Hieron. Ad illa verba Amos, cap. 2. tom. 6. *Super tribus sceleribus filiorum Ammon.* Filios Ammon, qui de Loth stirpe generati sunt, & habitant in Arabia, vbi nunc est Philadelphia corripit sermo diuinus, quare sub Saüle Rege Iudææ Naas Ammonites Princeps eorum vastauerit Iabes Galaad, & dilacerauerit prægnantes, vt dilataret terminos suos, & omnem Galaaditim suo imperio subiugaret.

Literal. Idem. *Iabes que.* 17 *Iabes Galaad.* Idem de Loc. Hebraic. tom. 3. Et hanc oppugnauerunt filij Israël. Nunc autem est vicus trans Iordanem in sexto milliario ciuitatis Pellæ super montem euntibus Gerasam.

Literal. Idem. *Galaad mons.* 18 *Galaad.* Idem ibid. Mons ad quem septima die profectionis è Charris Iacob profugus venit. Est autem ad tergum Phœnicis, & Arabiæ, collibus Libani copulatus; extenditúrque per desertum vsque ad eum locum, vbi trans Iordanem habitauit olim Rex Sehon Amorrhæorum. Cecidit supradictus mons in sortem filiorum Ruben, Gad, & dimidiæ Tribus Manasse.

Mystic. Moral. Gregor. *Quomodo cum gula agendum.* 19 *Et pugnare cœpit aduersùm Iabes Galaad.* Gregor. suprà. Bene pugnare cœpisse Naas dicitur, quia sancti viri gulæ suggestionem non habent in fœdere amicitiæ, sed in pugnæ contrarietatem; abstinentes enim quasi cum serpente pugnant quando gulæ appetitum magna virtute deprimunt, vt veneno luxuriæ non inficiantur.

Literal. Abul. 20 *Et pugnare cœpit aduersùm Iabes Galaad.* Abul. ibi quæst. 2. contra istam ciuitatem pugnauit, quoniam erat propinqua terræ suæ; est enim coniuncta terræ Galaad ex latere meridiano Moabitis, ab Aquilone autem tendit ad confinia Ammonitarum.

Literal? Caietan. 21 *Aduersùm Iabes Galaad.* Caiet. ibi. Ciuitas vltra Iordanem remota à nouem Tribubus Israël.

Tropol. Gregor. *Quales cum gula contentio.* 22 *Habeto nos fœderatos.* Greg. suprà. Fœdus à gula petunt qui vellent carnem pro voto reficere, si in carne nulla possent incitamenta sentire luxuriæ: Quasi dicant: Nos dabimus quod tibi iustum, vt tu nobis non inferas quod iustum non est. Iustum quidem est, vt reficiatur corpus: sed iniquum valde est, vt refecta caro per ardorem libidinis, ad contumeliam spiritus exciretur. Fœdus ergo expetimus, cum sic fauere carni ad ciborum perceptionem volumus, vt à carne nulla luxuriæ mala sentiamus. Sed hoc profectò velle possumus: obtinere non possumus.

Literal. Vermil. *Iabenses non Daceri.* 23 *Habeto nos fœderatos.* Petrus Vermil. ibi. Apparet istos Iabenses parum fuisse syncetos, qui ita proclives, & parati fuerunt ad fœdus feriendum cum Ammonitis. Desponderant enim animos, & desperauerant de auxilio Dei. Legimus etiàm istos, cum commune bellum contra Benjamitas gereretur, voluisse esse medios & ad neutram partem accedere, quod certè bonos ciues facere non oportet. Itaque postea occisi sunt ad vnum reseruatis tantum filiabus nubilibus, quæ matrimonio collocatæ sunt illis, qui superfuerunt è Tribus Benjamin.

Literal. Abul. 1. Reg. 8. 24 *Et seruiemus tibi.* Abul. ibi quæst. 3. Causa principalis propter quam Israëlitæ petierunt Regem, erat vt pugnaret pro eis. Sic patet *suprà c. 8.* scilicet: *Iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Quando tamen assumptus est Saül in Regem, existimauerunt eum Virum rusticum, & ineptum ad bella, ideò non curabant de eo, tanquam si non haberent Regem.

Literal. Moral. Carthus. 25 *Et seruiemus tibi.* Carthus. ibi art. 21. Annuum dando tributum; videbantur enim se non posse Regi huic resistere; nec erat eorum spes stabilita in Deo.

VERSVS II.

Vulgata. VVlgata. Et respondit ad eos Naas Ammonites: in hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrùm oculos dextros, ponámque vos opprobrium in vniuerso Israël.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Dixitque ad eos Nachas Hammonites: In hoc percutiam fœdus vobiscum in effodiendo vobis omnem oculum dextri lateris ponámque istud opprobrium in omni Israël.

Vatab. *Hebraic. ex Francisc. Vatabl.* Respondit eis Nahas Ammonites: Hac lege fœdus vobiscum feriam, si omnium vestrùm oculum dextrum effodero,

fœdere, probrúmque hoc vniuerſo Iſraëli impegero.

Atiaſm. *Chaldaica ex Benedict. Ariſmontan. in Regia.* Et dixit illis Nahhas Rex filiorum Ghamon: ſi facietis hoc, decernam vobis, eruendo vobis omnem oculum dextrum, & ponam illud opprobrium ſuper omnem Iſraël.

Compl. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et dixit ad eos Naas Ammonites: In hoc pangam vobiſcum fœdus, vt eruam veſtrum omnem oculum dextrum, & ponam in opprobrium in vniuerſo Iſraël.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtia.* Et dixit ad eos Naas Ammanites: In hoc diſponam teſtamentum vobis in effodiendo vobis omnem oculum dextrum, & ponam opprobrium ſuper Iſraël.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul. *Fœdus ferire quid?*

1 *IN hoc feriam vobiſcum fœdus.* Abul. ibi. q. 3. Accipitur iſte modus loquendi, quia inter antiquos, quando ſiebant pacta, occidebantur aliqua animalia, & illi, qui componebant pactum, tranſibant inter diuiſiones, ſignificantes quod ille qui tranſgrederetur pactum, diuideretur ſicut illa animalia. Nec ſolùm hoc fiebat, quando homines inter ſe componebant, ſed etiam quando componebant cum Deo aliquid. Ierem. 34. 18.

MYSTIC. Greg. *Oculi quid?*

2 *Vt eruam omnium veſtrùm oculos dextros.* Greg. lib. 5. Variar. Expoſit. in 1. Reg. cap. 1. Dexter oculus noſter eſt intuitus æternæ claritatis: ſiniſter verò oculus eſt concupiſcentia carnalis. Dexter ergo oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur, vt vltra ad videnda cœleſtia non aperiatur. Eruitur quidem oculus, quando à mente reproba ſic numen euellitur, vt radix ei nulla remaneat, de qua rediuiuum lumen erumpat. Naas ergo dextros oculos fœderatorum ſuorum eruit, quando gula ſic deuictis abſtinentibus prævalet, vt carnalia ſola capiant, & vltra quæ ſolebant amare, non attendant.

MYSTIC. Beda.

3 *Vt eruam omnium veſtrùm oculos dextros.* Beda lib. 6. expoſit. Allegor. cap. 4. Oculos dextros, id eſt cœleſtis contemplationis ſenſus auferre, & ad ſola eos ſiniſtra, ac peruerſa ſtruenda deflectere, bellóque quotidiano, quod contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus agimus, impotentes efficere.

MYSTIC. Nilus. *contemplatio oculus dexter.*

4 *Oculos dextros.* Sanctus Nilus Abbas lib. Aſcetico tom. 5. Biblioth. P. P. Naas Ammonites, qui ſerpentem ſignificat Iſraëli perſpicaci omnem oculum dextrum effoſſurum ſe minatur, vt nulla dextera cogit rio ad vllam dexteram actionem dirigatur; eos enim, qui à contemplatione ad actionem ſe conferunt valde proficere non ignorat; nam illi in actionibus ſuis ſine reprehenſione ſe gerunt, qui mentis oculis acutiſſimis quid agendum ſit, antea meditati ſunt.

MYSTIC. Petr. Bleſ. *Dexter oculus quid?*

5 *Oculos dextros.* Petrus Bleſenſ. epiſt. 14. Charitas nunquam excidit; ambitio nunquam ſurgit; ambitio eſt enim ipſa iniquitas ſuper talentum plumbi. Hæc eſt oculus omnium curialium, ſicut Zacharias inquit cap. 5. 6. Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra, non dexter oculus, ſed ſiniſter. Omnes enim qui militant in caſtris ambitionis capti ſunt à Naas Ammonite, dextroſque oculos amiſerunt; perſpicaces enim ſunt in acquiſitione temporalium, iacturam verò vitæ, quæ præterit, & imminentia mortis æternæ ſupplicia non attendunt. Cæcutientes autem ſunt ad bonum, ſed perſpicaces in malum.

MORAL. Hugo Vict. *Oculus dexter quid?*

6 *Oculos dextros.* Hugo Victor. lib. 5. Allegor. cap. 13. tom. 1. Serpens antiquus diſpoſuit fœdus cum populo Eccleſiæ, vt eruat omnium oculos dextros, & vitium fanæ & orthodoxæ fidei auferat. Sic enim vult eos habere fœderatos, vt ſiniſtrum oculum habentes, ea tantùm quæ praua ſunt, & ad ſiniſtram pertinentia, ſentiant.

LITERAL. Theodor. *Cur dexter oculus eruendus?*

7 *Oculos dextros.* Theod. ibi quæſt. 26. Volens eos reddere inutiles ad bellum, nam qui ſiniſtra manu obiicit clypeum, tegit ſiniſtrum oculum, dextero autem aſpicit hoſtes: cui ergo dexter ablatus eſt oculus, bellum gerens facilè poteſt capi.

HISTOR. Ioſephi.

8 *Oculos dextros.* Ioſeph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. Oratores eò miſit, qui conditiones offerrent, vt aut deditione facta dextris oculis orbentur, aut internecionem hominum & oppidorum excidium expectent: eligerent ipſi vtrum mallent paruam corporis particulam decidere, an in omnium facultatum ſimul & vitæ diſcrimen venire.

HISTOR. Comeſt.

9 *Oculos dextros.* Comeſt. in Hiſtor. Schol. c. 11. Eos enim, quos bello capiebat, dextros oculos eruebat, vt ſiniſtros ſcutis celantes ad bellum fierent inutiles.

MYSTIC. TROPOL. Richard. Laurent. *Oculus dexter, voluntas. Benè intelligere, & malè agere.*

10 *Oculos dextros.* Richard. de S. Laurent. lib. 2. de Laudib. Beatæ Mariæ Virg. Nota, quòd intellectus, & affectus noſter duo ſunt oculi, quibus filium, & matrem debemus pariter intueri, ſicut acies oculorum corporalium ad idem pariter diriguntur. Sed multi oculum ſiniſtrum, id eſt intellectum vertunt ad cœlum per ſtudium, & dextrum, id eſt affectum, vertunt ad terram. Hi ſunt, qui fœdus ineunt cum Naas, id eſt Diabolo, qui eis eruit oculos dextros in capite, id eſt Chriſto.

MYSTIC. Stephan. Ioan. Ben.

11 *Oculos dextros.* Stephan. apud. Ioan. Bened. Pariſienſ. in ſua Biblia. Semper Diabolus ſiniſtrum oculum vult ſeruare, dextrum eruere. Hoc eſt quod Pharao iuſſit, maſculum interfici, & fœminas reſeruari.

MYSTIC. Angelom.

12 *Oculos dextros.* Angelom. in Stromatib. c. 11. Eruditis in Eccleſia teſtimoniis, diuinarum Scripturarum oculos dextros eruere cupit, videlicet illuminationem fidei, & prædicationis auferre ſatagit.

MYSTIC. MORAL. Damian. *Contemplatio dexter oculus?*

13 *Oculos dextros.* Petrus Damian. epiſt. 5. in lib. 6. Naas cum Iabes fœdus aliter dedignatur inire, niſi oculum dextrum paciſcatur eruere, quia quiſque vel antiquo hoſti in peruerſa ſuggeſtione ſubſternitur, vel mundi huius inquietis actionibus implicatur, dum ſe tanquam ſuperbo Regi turpiter fœderat, neceſſe eſt, vt dextrum oculum, hoc eſt, lumen contemplationis amittat. Et ſic opprobrium in Iſraël ponitur, quia dum à contemplationis arce ad terrena, vel immunda quælibet exequenda deuoluitur, conſequens eſt, vt in Eccleſia probroſæ deriſionis obtrectationibus mordeatur. Notandum, quòd iniquus Rex non duos inimicis eruere, ſed vnum duntaxat oculum flagitat, quia ſæpe malignus hoſtis conſentienti ſibi cuilibet reprobo homini, potiorem partem ſanctitatem lucidi operis adimit, minorem verò artificioſâ quadam ſuæ calliditatis induſtriâ derelinquit: vt in eo quod tollitur, ſit occaſio damnationis, vt pereat: in eo verò quod remanet de ſpe fiduciæ præſumat, peccator ad pœnitentiam non recurrat.

HISTOR. Cedrenſ.

14 *Vt eruam omnium veſtrum oculos dextros.* Georg. Cedrenus in Annal. Ammonitarum Rex Naaſus Galeados vrbem oppugnauit. Cùm verò ij ſalutis obtinendæ causâ, ſeruitutem, ſeu ſeruituros promitterent: Aliter ſe iis parciturum Naaſus negauit, niſi in opprobrium Iſraëliticæ gentis cuiuis viro dextrum oculum eruiſſet.

15 *Oculos*

MYSTIC. Berchor. *Oculus quid? Ecclesiastici carnalibus ne habeant?*

15 *Oculos dextros.* Berchor. lib.9. Moral.c.11. Oculus dexter animam : sinister carnem denotat. Serpens antiquus Naas Princeps populi mœroris, idest peccatorum Diabolus, istam ciuitatem hodie obsidet, & cum populo suo, idest, cum viris Ecclesiasticis pactum vult facere, dum tamen in eis oculos dextros, idest verum iudicium eruat, & quod oculos sinistros, idest carnalem affectum, vel iudicium ipsis solum dimittat. Vnde Iob.10. *Numquid oculi carnes tibi sunt: aut sicut videt homo, & tu videbis?* Etiam vera iam multi sunt in ciuitate Ecclesiæ, qui istud pactum cum Diabolo iam videntur fecisse.

MYSTIC. Bonauent. *Oculi fides Christi.*

16 *Oculos dextros.* Bonau. serm. Quinquag. tom. 3. Oculum dextrum libentissimè excæcat Diabolus, idest fidem diuinitatis Christi; nam fides humanitatis est sinister oculus. Vnde dicit Naas Ammonites: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.*

MYSTIC. Idem. *Oculus dexter fides.*

17 *Oculos dextros.* Idem in Dæta Salut. tit. de virtutib. cap. 2. Fides comparatur oculo dextro; sinister oculus est ratio, quæ solùm de naturalibus iudicat; dexter verò est fides, quæ omnia tam naturalia, quàm miracula determinat, & intellectum in obsequium Christi captinat, vt dicit Apostol. 2. Cor. 10. Et sicut qui amisit oculum dextrum, inutilis est ad bella, quia scutum operit sinistrum, & sic nullum habet oculum, quo videat ferire aut tangere aduersarium; sic qui non habet fidem inutilis est ad pugnam spiritualem, vnde Naas dicit hominibus, vel viris Iabes Galaad: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium oculos dextros.* Naas interpretatur *serpens*, vel *coluber*, & significat serpentem antiquum, idest Diabolum, qui nititur eruere oculum dextrum, idest fidem, vt ad bellum spirituale hominem reddat inutilem.

2. Cor. 10.

LITERAL. Lira.

18 *Oculos dextros.* Lira. ibi. Hoc volebat facere ad sui iactantiam, & ad incutiendum terrorem aliis, vt sic se subiicerent eius seruituti.

MYSTIC. Idem.

19 *Oculos dextros.* Idem in Morali. Per hoc, quod Naas oculos dextros virorum Iabes quærebat eruere, significatur quòd Diabolus intentiones virorum in charitate feruentium, quærit à bonis spiritualibus totaliter auertere.

LITERAL. Abul. *An fœminis oculus eruendus.*

20 *Oculos dextros.* Abul. ibi. quæst. 3. Solùm intelligebatur de his viris, nam eruere oculos fœminarum nihil proficiebat ad intentionem suam; Hoc faciebat Rex Ammon propter duo; primò, propter opprobrium, quia erat magnum opprobrium carere oculo dextro, & sic ipse dixit: *Ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel.* Secundò erat, vt faceret Israelitas inutiles ad bellum: viri enim in bello partem sinistram faciei scuto tegunt: dextro autem oculo hostes aspiciunt; quòd si dextro oculo careant, oportet totam faciem discooperiam habere.

LITERAL. Carthus.

21 *Oculos dextros.* Carthusian. ibi. artic. 21. Quamuis vtroque oculo excæcari maius fuisset damnum: tamen dextro priuari fuisset maius opprobrium.

HISTOR. Serar. Rabbi Azarias.

22 *Oculos dextros.* Serar. ibi. Narrat quoque Rabbi Azarias lib.3. cap.8. Alexandrinos ex odio eruisse Iudæis dextrum oculum, instar Nachoich Regis huius.

MYSTIC. Mendoza. Hieron. *Dexter oculus virginitas.*

23 *Oculos dextros.* Francisc. Mend. annotat.8. sect.1.§.1. tom.3. Primo loco dexter oculus significat virginalem Ecclesiæ statum: sinister coniugalem. Ita Sanctus Hieron. libr.1. contra Iouin. post med. vbi explicans illa verba diuini Sponsi ad sponsam: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Cantic.4. 9. supponit inprimis illum lum, in quo Sponsa placuit Sponso, fuisse dext[ra]. Deinde verba Sponsi paraphrastice ita explicat. *Non repudio*, inquit, *nuptias, habes & sinistrum oculum, quem tibi dedi propter imbecillitatem eorum, qui recta videre non possunt: sed magis mihi dexter Virginitatis oculus placet, qui si cæcatus fuerit, omne corpus in tenebris est.* Secundò dexter oculus significat prudentiam spiritualem; sinister prudentiam carnalem. Ita D. Thom. in Comment. Apocalyps. S. Thom.

LITERAL. Eltius. *Oculus dexter intentio.*

24 *Oculos dextros.* Guillelmus Eltius in Biblia Mag. Parisiens. Oculus dexter rectam significat intentionem puram, & synceram: sinister verò sinistram, obliquam, & deprauatam; atque adeò Diabolus non tam laborat, vt opera destruat, quæ exterius à nobis geruntur, quàm vt obliquet, & distorqueat intentionem. Satis ergo ei est, si eruat oculum dextrum, idest si omnia opera nostra quantumcumque in specie bona, faciamus deprauata intentione, non amore rerum cælestium, sed cupiditate terrenarum.

LITERAL. Sanct. Theocr. *Oculus dexter felicitas.*

25 *Oculos dextros.* Gaspar Sanct. ibi. n.5. In oculo dextro fælicitatem sibi statuebant antiqui. Quare si cui oculus pruriret dexter? idest videre cuperet, aliquid sibi ominabatur eximium. Hinc illud tritum ex Theocrito in Amaryllide *Salit mihi oculus dexter, idest aliquod bonum augurium spectare videor; visio hæc est ab oculo dextro.*

LITERAL. Author Catenæ. Comest. Theodor. Beda. Lira. Abul. Ioseph. Procop. *Cur oculus dexter.*

26 *Oculos dextros.* Autor Catenæ. Rationem ob quam dextros oculos eruere voluerit Naas, inculcant communiter Comest. Theod. Beda, Procop. Lira. Abul. & alij acceptam à Iosepho, nempe vt eos bello ineptos redderet, nam cùm miles sinistrum oculum clipeo subtegat, dextro carens hostem non videret, esseteque pugna Andabatarum, qui clausis dimicant oculis. Probabilis hæc ratio est; longè autem illa probabilior, quæ littera ipsa exprimitur, videlicet: *Ponámq; vos opprobrium in vniuerso Israel.* Nam Tyrannus victoriis insolescens vel pactionem negabat, vel durissimam, & quæ admittenda non foret, conditione proposita, vt notauit Abulensis, vel in tantum eorum amabat ignominiam, vt nisi adeò insigni eos affecisset opprobrio, à proposito non desisteret; vnde potiùs credo cum Abulensi solis viris hanc conditionem impositam, non verò fœminis, vt suspicatur Mendoza. Ratio est, quia dextro oculo carere, indecentius quid viris, & militibus erat, quàm imbellibus fœminis, & pueris. Quod in prima ratione euidentius adhuc patet, cùm mulieres militiâ non colerēt, nec arma tractarent, quorum inde ineptæ redderentur. Mend.

MYSTIC. Greg.

27 *Ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel.* Greg. suprà. Tunc reprobi in vniuerso Israel opprobrium ponuntur, quando in extremo examine coram electis omnibus, de perpetratis iniquitatibus erubescunt. Vel in opprobrium in hac vita ponuntur, quia dum ipsi obcæcato corde mala audacter perpetrant, sancti Viri pro eorum culpis erubescunt.

LITERAL. Abul.

28 *Ponamque vos opprobrium, &c.* Abulens. ibi. q.3. In quo videbatur Naas Rex Ammon inducere eos ad bellandum, propter duram conditionem, quam eis apponebat, sed si pugnarent, volebat eos penitus delere.

LITERAL. Vatabl.

29 *Ponamque vos opprobrium, &c.* Vatabl. in Schol. Hebraicè: *Et ponam illud probrum super omnem Israel*, idest hac ratione ignominiâ afficiam Israelem.

VERSVS III.

Vulgat. *Vulgata.* Et dixerunt ad eum seniores Iabes: Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad vniuersos terminos Israël: & si non fuerit qui defendat os, egrediemur ad te.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Dixerúntque ad eum seniores Iabes. Concede nobis septem dies, & mittemus nuntios in omnem terminum Israel, & si non fuerit, qui seruet nos, egrediemur ad te.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Ad quem seniores Iabes dixerunt; inducias da nobis septem dies, & mittemus nuntios in omnes limites Israelis; & si nemo fuerit, qui asserat nos, egrediemur ad te.

Ariasm. *Chaldaic. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et dixerunt ei seniores Iabes: Prorrahe nobis septem dies, & mittemus nuntia in omni termino populi Israel, & si non est, qui liberet nos, & exibimus ad te.

Complut. Regia. *Grac. ex Sept. in Compl. & Regia.* Et dixerunt ei viri Iabes: Remitte nos septem dies, & mittemus nuntios in vniuersum terminum Israel; & si non fuerit saluans nos, & egrediemur ad vos.

Sixtian. *Grac. ex Sept. in Sixt.* Et dicunt ei viri Iabis: Remitte nobis septem dies, & mittemus nuntios in omnem terminum Israel; si non fuerit qui saluet nos, exibimus ad vos.

PP. ET AVCTORES.

Hestor. Ioseph. 1 *Et dixerunt ad eum seniores Iabes.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 5. Tam ancipiti optione territi Galadeni, nec hostiliter responsum dare ausi sunt, nec pacatum: sed inducias septem dierum petierunt, vt missis ad cõsanguineos nuntiis, postularent auxilium, & si impetratum fuerit, bellum gerant: sin minus, promittebant se deditionem facturos, quacumque conditione hosti libêret. Naasses autem, qui Galadenos contemnebat, non grauanter inducias dedit, permissis vndecumque supperias implorare.

Literal. Author Catenæ. 2 *Et dixerunt ad eum seniores Iabes.* Autor Catenæ. Seniores, seu Maiores natu Principes, & Magistratus significare diximus suprà, cap. 4. 3. & cap. 8. 4. Petunt ergo septem dierum inducias, quibus sibi, si auxilium militare non superfit, egrediãtur ad hostes, hoc est, eorum se arbitrio summittentes, non verò vt cum ipsis dimicarent; nam si modò cum hoste confligere detrectabant, quanto magis, si subsidij externi spe priuatos se viderẽt, & septem quoque dies obsidionis interessissent incommoda. Rogas an hæc Iabitæ syncerè promiserint, an per astutiam de amicorum præsidio certi? Hoc posterius Gregorio imponit Mendoza; illum verò non in litterali, & historico sensu, sed in mystico locutum patet: tum quia maxima, & penè totalis expositionis eius pars mystica est: tum quia de facto ita in præsẽti exprimit, dum ait; *Quod dicitur*: si non est, qui defendat, egrediemur ad vos: *in electorum voce, non auxiliorum dubitatio, sed certitudo monstratur. In electorum voce*, non in Iabitarum sententia. Iabitæ igitur syncerè & cum animo adimplendi promissum, vt æquum est, spoponderunt; vt fatetur ipse Mendoza.

Gregor. Mendoza.

Mystic Gregor. 3 *Concede nobis septem dies.* Greg. lib. 5. Variar. c. 1. In septem diebus auxilia quærumtur, quando contra tentationum tenebras omni luce cordis erigimur: quando aduersus prana consilia quidquid possumus, inuenimus ratione nostra, & lucis radiis, quos in nobis non cernimus, de eruditione munimur aliena. Inducias quidem petimus, quia cùm Naas, idest serpente pugnamus, cuius quò latentia sunt venena, eò nobis subtiliora sunt quærenda consilia.

Mystic. Damian. *Contemplationis præsidium.* 4 *Concede nobis septem dies.* Petr. Damian. epist. 5. in lib. 6. Quia Deus septimo die requieuisse à conditis operibus legitur, quid per septenarium numerum nisi requies designatur? Per septenarium ergo dierum numerum ab iniquo Rege Iabes ciuitas liberatur, quia quælibet anima, quam suadente Diabolo mundus ad se conatur attrahere, ac negotiorum sæcularium tenebris excæcare, illæsum contemplationis oculum seruat; si omnino resistens in suæ quietis proposito perseuerat, eamq; Redẽptor noster de tentatione, quam patitur, eripit, cùm eam remotionis suæ censurâ quiescere deprehenditur.

Literal. Lira. 5 *Concede nobis septem dies.* Liran. ibi. Concessit Rex superbus spatium, credens quòd nullus auderet venire ad liberandum de obsidione, & sic obsessi magis se traderent voluntati suæ.

Literal. Abul. *Non procrastinandum.* 6 *Concede nobis septem dies.* Abul. ibi. q. 3. Quia si forte magnum tempus peterent, hostis non permitteret: si autem minus; credebant non posse venire breuiùs eis auxilium contribulium. Erat Rex stultus, nam si voluisset immediatè inuadere, viri Iabes resistere non potuissent; sed paterentur quodcumque volet Rex. Contempsit tamen Rex Ammon vires Israëlitarum.

Literal. Carth. 7 *Concede nobis septem dies.* Carth. ibi. art. 21. Concessit Rex ille quòd petierunt, non ex pietate, sed animositate, quasi auxilia virorum Iabes contemnens.

Mystic. Gregor. 8 *Vt mittamus nuntios ad vniuersos terminos Israel.* Greg. suprà. Quia electi viri ad ædificationis suæ commodum omnium videntium Deum exemplis adiuuantur.

Mystic. Interl. 9 *Ad vniuersos terminos Israel.* Interl. ibi, Doctores scilicet Ecclesiæ, qui scutum fidei debent contra hostes opponere.

Tropol. Lira. 10 *Vt mittamus nuntios, &c.* Lira. ibi in Morali. Per hoc significatur, quòd à Diabolo impugnati, dicto modo debent ad auxilium Regis Regum IESV CHRISTI per deuotas orationes recurrere.

Mystic. Greg. 11 *Et si non fuerit, qui defendat nos.* Greg. supra. In electorum voce, non auxiliorum dubitatio, sed certitudo monstratur, quasi astutis verbis suadenti aduersario illudentes, verba proferunt, quibus illi spem tribuant, & sibi fiduciam nequaquam tollant.

Literal. Abul. *Aciet sint duce potius victima?* 12 *Et si non fuerit, qui defendat nos.* Abulensis ibi. quæst. 3. Significabant autem in hoc Iabitæ, quòd non habebant Regem; quod aliquis fortè dicet factum fuisse, vt occultarent vires suas hosti; nam si intellexisset Rex Ammon, quod Israelitæ habebant Regem, non concessisset eis inducias, ne fortè ille in magna potestate veniens defenderet eos; cùm autem putaret esse populum multum sine pastore, non curaret, an congregarentur, vel non; quia putabat eos non posse congregari, & si congregarentur, essent inutiles, tanquam non habentes Dominum, cui deberent obedire. Sed magis videtur, quod dixerint hoc desperantes de Rege suo.

Literal. Mend. 13 *Et si non fuerit, qui defendat nos, &c.* Franc. Mendoza ibi. §. 2. Dicendum est, Iabitas aliquam rationem, cur inducias peterent, præbere debuisse: nec voluisse præbere aliquam fictam,

&

& simulatam, sed veram, ac germanam, & propterea sua consilia hostibus detexisse; nec de illis detegendis dubitasse, vel propter animorum candorem, & synceritatem, quæ illis temporibus sic florebat, vt ne hostes quidem decipiendi viderentur, sed propter superbiam Ammonitarum, quos credebant facilè contempturos, quidquid auxilij à Iabitis pararetur, nec propterea inducias negaturos.

MORAL. *Primi sæculi synceritas.*

LITERAL. Abul.

14 *Egrediemur ad te.* Abul. ibi. q. 3. Idest ad hoc quod facerent, vel paterentur, quod dixerat Rex, scilicet, quòd eruerentur oculi dextri. Et potest intelligi, Egrediemur ad pugnandum. Sed iste sensus non est conueniens.

VERSVS IV.

Vulgata. *VVlgat.* Venerunt ergo nuntij in Gabaa Saülis: & locuti sunt verba hæc, audiente populo: & leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Venerúntque nuntij in Ghibhah Saül: & locuti sunt verba in auribus populi: & leuauerunt omnis populus vocem suam, & fleuerunt.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Venientes ergo nuntij in Gibea Saülis: locuti sunt hæc verba in auribus populi: Omnisque populus sublatâ voce suâ fleuit.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et venerunt nuntij ad Gibghatha Saülis, & locuti sunt verba ante populum, & extulerunt omnis populus vocem suam, & fleuerunt.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et venerunt nuntij in collem ad Saul, & locuti sunt verba hæc in aures populi, & leuauerunt omnis populus vocem suam, & fleuerunt.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et venerunt nuntij in Gabaa ad Saül, & loquuntur verba in aures populi, & eleuauerunt vniuersus populus vocem suam, & plorauerunt.

Clar. *Isidor. Clar. in sua Bibl.* In Gabaa *ad Saulem.*

PP. ET AVCTORES.

HISTOR. Ioseph. 1 *Venerunt ergo nuntij in Gabaa Saulis.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. c. 5. Galadeni è vestigio per omnes Israelitarum vrbes nuntios dimiserunt, significantes se minis Naassis in extremam desperationem adductos: sed quo cùm illi venirent; tantumdem metus quantum mœroris afferebant, vt nemo se remouere auderet. Cæterùm cùm ad regiam quoque venissent, & ibi etiam populus sicut in aliis oppidis afficeretur, nihil aliud, quàm mœrens, &c.

MORAL. Lira. 2 *Venerunt ergo nuntij in Gabaa Saulis.* Lira. in Morali. Per hoc quod viri Iabes quærunt auxilium Regis, significatur, quòd à Diabolo impugnati, dicto modo debent ad auxilium Regis Regum IESV CHRISTI per deuotas orationes recurrere.

LITERAL. Abul. 3 *In Gabaa Saulis.* Abul. ibi, q. 3. Idest ad vrbem Gabaa, in qua habitabat Saul; erat ista vrbs in Tribu Beniamin, & pater Saulis atque omnes cognati habitabant ibi.

HISTOR. Antonin. 4 *In Gabaa Saulis.* Antonin. 1. p. Histor. tit. 2. c. 6. Viri ergo Iabes venerunt pro adiutorio ad Saulem.

LITERAL. Haren. 3 *In Gabaa Saulis.* Hugo Charens. in Postilla. In Gabaa Saul, idest ad Saülem, quia ad ipsum missi erant nuntij. Vel in Gabaa Saulis, idest, quæ erat ipsius Saulis.

HISTOR. Sabell. 6 *Venerunt ergo nuntij in Gabaa Saulis.* Sabellic. Enead. 1. lib. 7. Iabitarum legati ad Saülem Regem missi, vbi ad conspectum eius venerunt, reuersus ille ex rustico, vt dicitur, opere, cum fortè domum se recipiebat, quo appareat quam humilis ab initio fuerit in ea gente regia maiestas; quanquam apud Romanos clarissimi quoq; Imperatores fuerunt ab aratro accersiti; pertusi lachrymis Legati supplicitèr postulant, vt afflictæ Iabitarum fortunæ opem ferat, salutem nobilissimæ ciuitatis in pauorum dierum discrimen deiectam esse.

LITERAL. Author Catenæ. Antonin. Carthus. Sabell. Salian. Berchor. Ioseph. Abul. Mendoza. *Nuntij an ad Saulē missi.*

7 *Venerunt ergo nuntij in Gabaa Saulis.* Autor Catenæ. Antoninus, Charens. Carthus. Sabellic. Salian. & Berchorius ex Græco fortè colligentes non ad ciuitatem Gabaa, sed ad Saulem potiùs Oratores missos fuisse crediderunt. Contrarium tamen dicendum videtur: tum ex vulgata, vbi non ad Saülem, sed ad *Gaba Saulis* vt ad alia etiam Israëlitarum oppida recursum esse indicatur. Dicitur etiam nuntios verba hæc locutos *audiente populo*; nulla habitâ Saulis ratione, cùmque ille aduenisset, prius enim aberat, rem didicit non ab Oratoribus, sed ab ipso populo, qui eos audierat: tum ex Iosepho qui expressè testatur ad omnes vrbes indifferenter legatos fuisse Oratores, quem sequuntur Abulensis, & Mendoza; iisque ipse libenter subscribo.

LITERAL. Abul.

8 *Et locuti sunt verba audiente populo.* Abul. ibi. q. 3. Scilicet non veniebant isti nuntij ad Regem directè, alioquin non nuntiassent vrbi priusquam nuntiarent Regi: nuntiauerunt tamen coram toto populo tanquam venientes ad quærendum auxilium, & indicandum malum suum omnibus Israelitis.

TROPOL. Gregor. *Fratribus compatiendum?*

9 *Et leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit.* Greg. lib. 5. Variar. c. 1. Ingenti populi afflictione instruimur, vt fraternis necessitatibus, intima mentis compassione iungamur.

LITERAL. Abul.

10 *Et fleuit.* Abul. ibi, q. 3. Erat iste fletus magnus, quia erat publica, & alta voce, itavt introeuntes vrbem audirentur.

LITERAL. TROPOL. Vermil.

11 *Et fleuit.* Petrus Vermill. Hæretic. ibi. Israelitæ lamentantur, ac plorant, partim quòd sociorum miseria tangerentur: partim quod eadem timerent sibi; Nahas enim expugnatis Iabensibus in proximos fines erat eruperurus. Verum ista sunt prorsùs muliebria; quid enim flere ac lamentari profuit; oportuit potiùs resipiscere, precari Deum, & illi vni confidere, & sequi sana consilia. Nihil horum illi faciunt; imò cùm nuntij Iabensium per omnem regionem Israelitarum vagarentur, nemo erat; qui illis polliceri vellet auxilium, antequam illi peruenissent ad Saulem. Sed Deus de industria abuti voluit hoc bello, vt Saulem populo commendaret.

TROPOL. Autor Catenæ. *Spirituales iacturæ potius deplorandæ.* 1. Reg. 4. 13.

12 *Et fleuit.* Autor Catenæ. Auditâ extremâ sociorum calamitate, elatâ voce fleuerunt incolæ Gabaa, vt debitum fratribus impenderent compassionis officium; quos tamen si conferas cum Siluntinis Arcæ amissionem suprà deplorantibus, minora dolotis signa exhibuisse videbis. Gabitarum enim populus vocem eleuasse, & fleuisse dicitur: Siluntini verò etiam vlulasse perhibentur: *Nuntiauit vrbi, & vlulauit omnis ciuitas*: suprà, cap. 4. 13. qua quidem phrasi acerbissima quædam, & quasi irrationalis, & furiosa comploratio denotatur, vt

Mendoza. expendit ibi Mendoza noſter §. 14. *Vt non ſolùm*, inquit, *inconditus, ſed etiam inſanus quidem clamor ſignificetur, nam vlulatus ſunt voces quadam bellua, ſeu lupina ſine ratione prolata.* Quem quidem affectum optimè ſignificauit Michæas, Iudaici populi extinctionem,& ſubuerſionem deplorans: *Super hoc*, inquit, *plangam, & vlulabo: vadam ſpoliatus, & nudus, faciam planctum velut Draconũ, & luctum quaſi Struthionum.* Michæ. 1. 8. Ratio autem propter quam Siluntini acerbius ingemiſcere,ſeu vlulare referuntur, ea eſt,quia videlicet, non tantum ſuorum cladem, & ſtragem lamentabantur, ſed & Arcæ teſtamenti captionem vehementiſſimè dolebant; ſpirituales enim iacturæ acerbiùs angunt ſanos rerum æſtimatores, & grauioribus ſingultibus deplorandæ; in quo quidem Heli Sacerdos aliàs reprehenſibilis optimum præſtitit pietatis ſpecimen;namque audita ſuorum ruinâ,& totius penè populi excidio,cõſtanter perſtitit, dum verò Arcæ ſpoliationem nouit, corruit exanimis. *Cúmque ille nominaſſet Arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt:* ſuprà cap. 4. 18. Cuius quidem pietatem non ſine laude prætereunt Interpretes, imò ſalutem æternam conſecutum, inde etiam colligunt. Vnus pro cunctis ſufficiat Procopius, qui preſſius rem elucidauit. *Filiorum cadem, quantumuis pater, & ſenex, tam forti, magnóque animo tulit; propter Arcam verò captam non mediocriter conſternatus cecidit, & mortuus eſt.* Hæc ille. Quanto autem mitiori animo temporalium rerum iactura ferenda ſit, quam ſpiritualium detrimenta, latiùs Mendoza noſter tomo 2. Annotat. 13. ſect. 2. & nos fortè aliquando, cùm ſe ſe occaſio dederit.

Heli pietas. 1. Reg. 4. 18. Procop. Mend.

VERSVS V.

Vulgata. *Vulgata.* Et ecce Saül veniebat ſequens boues de agro, & ait: Quid habét populus, quod plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Et ecce Saul veniebat poſt boues ex agro,& dixit Saul: Quid eſt populo,quia flent? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes.

Vatab. *Hebraic.ex Franc.Vatabl.* Et ecce Saül veniebat ex agro poſt pecus, & ait Saül: Quid eſt populo, quod (ſic) flent? Et recenſuerunt ei verba virorum Iabes.

Ariaſm. *Chaldaïca ex Benedict. Ariaſm. in Regia.* Et Ecce Saul venit poſt boues ex agro, & dixit Saul: Quid populo, quod lugeant? Et natrauerunt illi verba hominum Iabes.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et ecce Saül veniebat poſt boues de agro,& dixit Saül: Quid eſt populo, quod plorant? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes.

Sixtia. *Græca ex Septuagint. in Sixtia.* Et ecce Saül poſt mane ex agro: & dixit Saül: Quid eſt, quia plorat populus? Et narrant ei verba virorum Iabis.

Gregor. *Greg.lib.5.Variar.c.1.* Et ecce Saul veniebat mane ſequens boues de agro.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Et ecce Saul veniebat ſequens boues de agro.* Gregor.lib.5.Variar.cap.1. De agro quidem venit,quia electus Doctor à ſecreto ſui fertilis cordis exit. Mane verò de agro venit, quia in oriente ſibi ſplendore veri luminis, ſubditorum cauſas inquirit,& boues ſequitur,cùm validiaſſectus charitatis antecedunt;quaſi enim duos boues ante ſe habet,qui & proximis per amorem iungitur,& diuina charitate inflammatur; & inde proximum ordinatè diligit, quia hunc amor Dei fortiter accendit.

Histor. Ioſeph. 2 *Et ecce Saul veniebat ſequens boues de agro.* Ioſephus libr. 6. Antiquitat. cap. 5. Saulus rure domum reuertens,& animaduersâ mœſtitiâ populi,ſcitatus ſatne ſaluæ res eſſent,& quæ noua cauſa triſtitiæ;ex nuntiis omnia cognouit.

Mystic. Beda. 3 *Sequens boues de agro.* Beda libr. 1. Expoſit. Allegor. cap.4. Ecce Dominus adiutor in opportunitatibus, in tribulatione veniebat, quia natus eſt homo in mundo poſt legiſperitos, & Eccleſiæ Doctores non paucos, quos tamen de agro forinſecæ libertatis ad ſubeundos Eccleſiæ muros, cœleſtia docendo agebat:ſedulúſque ſemper de Eccleſiæ lachrymis,vt has pius miſerator abſtergeret, & conſolaretur,inquirebat.

Literal? Lira. *Saul an bubulcus?* 4 *Sequens boues de agro.* Liran. ibi. Non eſt intelligendum, quòd Saul iam electus publicè in Regem, ageret officium bubulci; ſed veniebat de agro,vbi fuerat cauſâ ſpatiandi, vel ſe exercendi in arte ſagittaria, vel huiuſmodi; & inde reuertebatur hora,quâ ſolent boues ad domum reduci.

Literal? Abul. *Saul aratur?* 5 *Sequens boues de agro.* Abulenſ.ibi.q.3. Neceſſe eſt,quòd dicamus, quòd ipſe portabat coram ſe boues aliquos, & non ſolùm hoc, ſed etiam veniebat de arando: quod patet, quia portabat duos boues, dicitur enim infrà,quòd cùm audiſſet verba hæc, *Iratus eſt furor eius,& aſſumens vtrumque bouem,concidit in fruſta*,ergo ante ſe portabat boues, quia aliàs non potuiſſet eos occidere;& non veniebat tempore, quo veniunt boues de agro. Etiam non veniebat de cuſtodiendo boues, ſed de arando quia dicitur: *Concidit vtrumque bouem*, ſcilicet quod non habebat niſi duos boues coram ſe,& illos diuiſit in fruſta.

Literal? Idem. *Saulis prudentia?* 6 *Sequens boues de agro.* Idem ibidem.q.4.Sicut à principio totus erat ruſticus, ita poſtea totus fuit bellicus:forte autem in principio regni ſui,hoc faciebat,quia Iſraëlitæ nondum fauebant ei tanquam Regi ſuo, ſed multi eorum deſpexerunt ipſum. Ideò dum erat Rex dubius,nolebat priorem mutare ſtatum.

Literal? Idem. 7 *Sequens boues de agro.* Idem Ibidem.q.5.Quæret aliquis,an Saül peccaret,cùm eſſet Rex,vacãdo per ſe ipſũ operi agriculturæ aſſiduè,ſicut ruſticus? Reſpondendum eſt,quòd Saül non peccauit; nam hoc tempore dirigebatur à Samuele, qui videtur, quòd tunc erat præſens; cùm ipſe dixerit, quando venit de agro: *Qui non ſecutus fuerit Saulem, & Samuelem, ſic fiet bobus eius.* Verſ. 7. Samuel tamen non permiſiſſet Saülem illud agere, ſi malum eſſet.

Literal? Carth. 8 *Sequens boues de agro.* Carthuſ.ibi. art. 21. Dicunt quidam, quòd caſu venit poſt boues: alij, quòd egreſſus erat in agrum ad exercendum ſe in ſagittando, vel gratiâ ſpatiandi ſe, ſic quòd reuerſus ſit horâ, quâ boues reducebantur. Vel forſan

forsan ex humilitate hoc egit, & inter aliquos, qui boues suos, ac pecora reducebant familiariter fuit.

LITERAL. Caietan. 9 *Sequens boues de agro.* Caietan.ibi. Quamuis electus Rex, quia tamen adhuc regnare non cœperat, rurali operi incumbebat.

LITERAL. Charens. 10 *Sequens boues de agro.* Hugo Charens.in Postilla. Veniebat sequens boues de agro, non vt custos boum, quia hoc esset inconueniens; vt Rex esset bubulcus; sed casu accidit, vt cùm rediret Saül de agro, boues præcederent eum in via.

LITERAL. Serar. *Saulis humilitas.* 11 *Sequens boues de agro.* Serar.ibi. Ex agricultura bonus Rex adhuc redibat, vt quemadmodum à Dei laudibus cap. 10. cùm esset Rex designatus regnum orietur, sic etiam nunc ab humilitate.

LITERAL. Sanctius. *Saulis laus?* 12 *Sequens boues de agro.* Gaspar.Sanct.ibi n.8. Rediisse Saülem post populares acclamationes ad agros, & pascua ad boues, & asinas, talis est laus constantis animi, qualis fortasse in tot à Saülis vita nulla maior. Nec mirum est, si designatus Rex, & vnctus Saül, ad boues, atque aratrum redierit, cùm nullum tunc negotium incideret, quod regiam sedulitatem, & pondus requireret.

LITERAL. MORAL. Mendoza. *Saulis modestia.* 13 *Sequens boues de agro.* Franc. Mend.ibi §.4. Respondeti potest egregiè ad mores, propterea Saülem, etiam postquam Rex fuit, se in humilitate rustica continuisse, quia nondum quidquam rege dignum molitus fuerat: nolebat autem ante proprium meritum in Imperium cooptari, ita egregiè

Abul. Abul. *Nolebat*, inquit, *Saül, quòd principatus honoraret eum, sed ipse honoraret principatum: quonsque ergo ipse faceret aliquid dignum honore, nolebat se in honorabili statu ponere.* Respondeti etiam potest magis ad litteram, idcircò Saülem post regnum acceptum, agriculturam exercuisse; quia vitam, quam pauperem agebat, sustentare aliter non poterat: nam cùm nondum ab omnibus firmitur haberetur pro Rege, sed à multis contemneretur, qui debita ei munera non offerebant, ex superiori capite num.27. necesse illi erat pro victu quæritando, terram colere, & ex illius fructibus tenuiter victitare.

LITERAL. Author Catenæ. Lira. Charen. Carthus. Serar. *Saul arator.* 14 *Sequens boues de agro.* Autor Catenæ. Lira, cui & Charensis, & Carthus. penè assentiuntur, & Serarius non refragatur, credunt Saülem non boues, tanquam bubulcum sequi, nec tanquam aratorem, sed casu in rusticos, qui eos domum referebant, incidisse, cùm animi gratiâ, vel exercitij, ex agro reuerteretur; quia indecens existimant, Regem electum, vnctum, & approbatum rusticis assuescisi. Cæterùm ex modo dicendi contrarium colligunt Abulensis quæst.3.4.& 5. Mend.Salian.Sanchez, & alij, quibus etiam potiùs inclinant illi etiam, qui vt probabile priùs edocent. Ratio autem litteralis & genuina ea mihi videtur, quam tradit Abulensis, nempe, cùm Saülis regnum dubium adhuc, quibusdam reluctantibus, & spernentibus esset; noluisse prudentem virum à priori illa sua viuendi ratione discedere, quousque diuino consilio regnum eius stabiliretur, vel à Deo regius illi cultus per Samuëlem, qui tunc aderat, indiceretur; interea modestiæ potiùs, & frugalitati studuisse, iuxta illius consilium, qui cecinit.

Abul. Mendoz. Salian. Sanch.

Si fortuna tumet, caueto extolli.

Regisque Agatoclidis moderationem de quo Ausonius.

Ausonius. *Fama est fictilibus cœnasse Agatoclea Regem,*
Atque abacum Samio sæpe oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cùm poneret aurea vasis,
Et misceret opes, pauperiémque simul.
Quærenti causam? Respondit: Rex ego quo fuam
Sicanti signo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe quicumque repentè
Diues ab exili progrediere loco.

Catena in Reges, Tom. I.

Venisse etiam Saülem ex aratione confirmat versus septimus; nam dicit: *Vtrumque bouem* occidisse; binarius autem boum numerus arationem indicat, concisio verò dominium; boues enim non suos non mactasset. Phrasis etiam id apertè significat, vt videre est Gen.32.19. 1. Paralip. 17. 7. Amos 7. 15. Agri etiam culturam magnos viros non dedecere, multis egregiè probat noster Mendoza ibi §.1. Salian.tom.3. Annal.ann.Mundi 2963.num.38.& Sanct. n. 10. nec insolens studium hoc fuisse apud Hebræos, Græcos, & Latinos. Vide Plinium lib.18. cap.15. Columellam lib.1.de re rustic. in præfat.& Barro lib.2. de re rustica cap.1.

Agricultura munus nobile? Gen.32.19. 1.Paral.17.7 Amos 7.15. Mend. Salian. Sanctius. Plin. Columel. Barro.

15 *Quid habet populus, quod plorat?* Gregor. suprà. Saül flentem populum vidit, ob quam causam fleret, interrogauit, quia electus Doctor subditorum necessitatem compatiendo suam facit, & hanc releuare appetit.

MORAL. Gregor. *Prælati officium?*

16 *Quid habet populus, quod plorat?* Abulens. ibi quæstion. 5. In hoc monstrauit se Saul Regem, quoniam quæsiuit quid esset illud; quod in populo fiebat, tanquam ad illum pertineret.

LITERAL. Abul.

17 *Quid habet populus, quod plorat?* Ioann. Palafox. lib. 2. Histor. sacræ Regal. Quasi dicat: Quis meum affligit populum? Quis mihi subditos afficit tristitiâ: Quam patitur offensam populus, quem ego tueor? Quis me Rege cum eo inimicitias profitetur? Quis in pace, quasi in bello populum lædit? Cur populus luget regnante me, qui eius sum lætitia? Huc agite Reges, hæc auribus Saulis verba percipite. Licet quidem ab ipso documentum capere, cui adstat adhuc Dei spiritus. Audite populorum clamores: confugete, cùm lugent; congaudete, cùm gaudent. Quis eos ad lachrymas compulit, inquirite; qui eos ministri fatigant? quæ eos exactiones angunt? Quinam diuites bona pauperum depascunt? quinam potentes ex debilibus victitant? quæ eos tributa coangustant? Quod si quantitatem excusare non licet, modus saltem leuamen capiat.

MORAL. Palafox. *Regis officium?*

18 *Quid habet populus, quod plorat?* Petrus Vermil. ibi. Hodie verò quotus quisque est Principum, qui curet, quid populus fleat? Quid quod legationes quoque de conditione sua querentes, contemnuntur à Regibus? Olim tamen exigetur à Principibus quidquid iniuriæ populus patitur eorum negligentiâ. Lege ipsâ naturæ Principes adiguntur, vt moueantur querimoniis, & miseria suorum popularium. Multi tamen hodie sunt, qui nec lege naturæ moueri velint, nec verbo Dei.

MORAL. Vermil. *Regis officium?*

VERSVS VI.

VVlgata. Et insiluit spiritus Domini in Saül, cùm audisset verba hæc; & iratus est furor eius nimis.

Vulgata.

Benedictin. in margine. Et exarsit furor eius nimis.

Benedict.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr.ex Xante Pagn.* Et transiuit spiritus Dei super Saül, cùm audisset verba hæc, & iratus est furor eius valdè.

Vatab. *Hebr.ex Franc.Vatab.* Promptè ergo inuasit spiritus Dei Saülem cùm huiusmodi verba audisset, & incaluit zelus eius vehementer.

Arias. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et mansit spiritus fortitudinis ab-ante Dominum super Saül, quando audiuit verba hæc, & fortificata est indignatio illius valdè.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et insiluit spiritus Domini super Saül, vt audiuit verba hæc, & iratus est contra eos furore suo valdè.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et insiluit spiritus Domini super Saül, vt audiuit verba hæc, & indignatus est super eos ira sua valdè.

Caietan. *Caietan. ex Hebræo.* Et prosperatus est spiritus Elohim super Saül, cùm audisset verba hæc.

PP. ET AVCTORES.

TROPOL. Greg. *Superiorum ira qualis?*

1 *ET insiluit Spiritus Domini in Saül.* Gregor. lib.5.Variar.cap.1. Quid in his verbis discimus, nisi quia Sanctorum infirma, & quæ videntur carnalia, non sunt infirma, & carnalia, sed spiritualia, & robusta? Iræ quippe nimietatem in religiosis viris reprehendere solemus; sed ecce Saül, vt irasci nimis potuerit, prius in eum Spiritus Domini insiluit. Quàm metuenda sit ergo Sanctorum ira, cernimus, si insilientem in eos Domini Spiritum cogitamus: si dum illos foris irascentes aspicimus, commouentem Spiritum intus pariter attendamus. Quoties ergo Maiorum zelo corrigimur, sub eorum indignatione vehementer pollumus pauere, si eorum impetum motum sancti Spiritus credimus.

HISTOR. Ioseph. 2 *Et insiluit Spiritus Domini in Saül.* Ioseph. lib.6. Antiquit.cap.6. Mox percitus diuino afflatu, ire eos iubet, & labesenis referre, se tertia die venturum auxilio.

LITERAL. Liran. *Spiritus Domini quis?* 3 *Et insiluit Spiritus Domini in Saül.* Liran.ibi. Ideſt motus fortitudinis, & constantiæ ad liberandum populum.

LITERAL. Abul. *Spiritus Domini qualis?* 4 *Et insiluit Spiritus Domini in Saül.* Abul. ibi quæst. 5. Concepit in corde virilem fortitudinem, vt expugnaret hostes. Deus autem immisit ei robur, vt auderet magna, qualia ante nunquam egerat, & iste fuit Spiritus Domini. Dicitur autem insiluisse in Saülem, quia ante hoc non erat in eo, sed subitò venit; etiam non mansit semper in illo, sed aliquando veniebat, & aliquando recedebat.

LITERAL. Idem. 5 *Et insiluit Spiritus Domini in Saül.* Idem ibid. quæst. 6. Cùm virtus magna deficit, virtus diuina habet locum; ideò Deus videns Saülem timentem, infudit ei fortitudinem, vt audaciter pugnaret contra Ammonitas. Sciendum tamen quòd quanquam Spiritus fortitudinis fuit principaliter ille, quem Deus hic infudit Saüli, tamen alium Spiritum infudit præter hunc, qui pertinet ad intellectum; nam Saül indigebat fortitudine ad hoc, quod auderet pugnare contra Ammon: indigebat etiam prudentia quadam, vel arte, vt sciret, quomodo pugnandum esset, scilicet quo tempore, vel qualiter disponeretur exercitus; Saül autem erat ante hoc bellorum inexpertus, & nunc prudenter nimis distinxit exercitum.

LITERAL. Carthus. *Spiritus Domini quis? Magnanimus unde?* 6 *Et insiluit Spiritus Domini in Saül.* Carthus. ibi art.21. Hoc est ex instinctu, & operatione Spiritus sancti, seu voluntatis diuinæ ad magnanimitatem, aut ad remedium per zelum motus est vehementer, ac subitò, non obstante sua humilitate. Etenim simul stat, quòd aliquis ex consideratione propriæ paruitatis, vilitatis, ac defectuositatis sit humilis; atque ex consideratione diuini subsidij, seu aliarum rerum, quæ ad magnanimitatem inducunt, existat magnanimus.

LITERAL. Caietan. 7 *Et insiluit Spiritus Domini in Saül.* Caietan. ibi. Aptè nominatur *Spiritus Elohim*; eo quòd erat Spiritus Dei, quatenùs gubernat.

LITERAL. Abul. 8 *Iratus est furor eius nimis.* Abul. ibi quæst. 7. Non erat peccatum ista ira, quantumcumque magna foret, sed magis merebatur. Nam cùm Deus impelleret Saülem ad pugnandum contra Ammon, quòd vellet pugnare, & delere Ammonitas, erat obedire Deo, in quo virtus magna est.

MORAL. Caietan. *Ira non mala?* 9 *Iratus est furor eius nimis.* Caietan. ibi. Hinc habes, quòd diuinus Spiritus mouet quandoque animum hominis ad iram, & consequenter, quòd ira est instrumentum virtutis, si moderatè assumitur.

TROPOL. Author Catenæ. *Sanctorum ira terribilior.* Gregor. 10 *Iratus est furor eius nimis.* Autor Catenæ. Mansuetudini, & humanitati iusti student, cùm verò iram exercere honestum sit, & necessarium, ita excandescunt, vt eorum potiùs indignatio, quam perditissimorum quorumcumque furor, extimenda sit; quod in præsenti optimè annotauit Gregorius modò relatus num. 1. Nullus erat Moyse mitior, Spiritus etiam sancti testimonio: *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Numer.12.3. vt videre est in eo, Num.12.3. quod irato Domino dicere non erubuit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Exod.32.32. Ad extremum tamen voti iam compos, veniâ iam fontibus impetratâ, feruet ira, & furentis intonat in morem: *Ponat vir gladium super femur suum, ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Exod. 32.17. Ecce omnium hominum mansuetissimum, cùm honesta solicitat ira, & diuinæ iniuriæ zelus exagitat. Vnde Basil. homil. 10. de Ira: *Moyses*, inquit, *omnium hominum mansuetissimus vituli idololatriam damnans, Leuitarum manus in eadem fratrum armauit.* Leuitas scilicet diuino cultui addictissimos. Notandum vlteriùs quoque hunc vindictæ, & vltionis ardorem in oratione concepisse, quasi in eum etiam Spiritus Domini insilueriti; in cuius signum cornua, quibus animalium fortitudo consistit *ex consortio sermonis Domini* ad idololatras ventilandos fortitus est, vt bellè adnotauit Drogo Hostiensis his verbis: *Talia erat facia Moysis ex consortio sermonis Domini luminosa, & terribilis, quia cornuta erat ad ventilandum inimicos.* Idem de Dei nomine prædicauit Psaltes: *Sanctum, & terribile nomen eius.* Psalm. 110. 10. Sanctitas scilicet non mancum, & inertem Deum reddit ad vindictam, sed ad sanctitatis proportionem acrem, & terribilem. Saül iam malus Agag Regi ex falsa quadam pietate pepercit; quem piissimus Samuël *in frusta concidit*, infrà 15.33. Sanctorum igitur ira, impiorum furore terribilior est, iuxta Dei ingenium, & conditionem, de quo Iob, cap. 2. vers. 13. *Superexaltat autem misericordia iudicium*; Oleo enim misericordiæ exacuitur iustitiæ gladius. Hinc enim mansuetus ille agnus, qui

Drogo. Psal.110.10. Iob 2.13.

qui *coram tondente se obmutuit*, vbi diuini honoris res agitur: *Cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & nummulariorum effudit es, & menſas ſubuertit.*

Ioan.2.15. Ioan.2.15. & qui flagellis cædi paſſurus olim fuerat, modo verberare non piget, vt notauit Auguſt.

Auguſt. S.Thom. in Cat.S.Thomæ. *Qui flagellandus erat ab eis, prior illos flagellauit.* Terribilis ergo eſt ſanctorum ira, nec cum eis inimicitias gerere ſanum eſt; nam vt diſertè ait Ennodius Ticinens. in Præf. Orat. in Concil. Rom. *Dat viro iaculis innocentia*, & iterùm: *Inuidet ipſe ſibi victoriam, qui conſcientiâ vulneratum aggredi ceſſat inimicum.* Fortis ille & terribilis extitit Propheta, qui Regē Ieroboamum lateronibus, & proceribus ſtiparum impauidus

3.Reg.14.4. reprehendit. 3.Reg.14.4. is verò falſi Vatis fraude circumuentus Dei præceptum tranſgreſſus, occiditur à leone, nec tamen laceratur, & quem leo viuum ſuffocauit, mortuum reueritus eſt. Cauſam

Gregor. reddit Gregorius lib.4. Dialogor.cap.24. Leonem ſcilicet eum, quem peccatorem inuenit, nullo habito reſpectu, internecaſſe; occiſum verò, & per temporalem mortem purificatum pauore, & reuerentia coluiſſe. *Ex qua re oſtenditur*, inquit, *quod peccatum inobedientiæ in ipſa fuerit morte laxatum, quod idem leo quem viuentem præſumpſit occidere, contingere non præſumpſit occiſum.* In tantum videlicet terribilis eſt iuſtitia ſortis innocentia. Circa materiam huius Verſus vide dicta cap.10. verſ.6.& 10.

VERSVS VII.

Vulg. VVlgata. Et aſſumens vtrumque bouem, concidit in fruſta, miſitque in omnes terminos Iſraël per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, & ſecutus fuerit Saül, & Samuël, ſic fiet bobus eius. Inualit ergo timor Domini populum, & egreſſi ſunt, quaſi vir vnus.

Benedict. *Benedict.* Et aſſumens *par boum.*

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Tulítque par boum, & in fruſta concidit illud, & miſit in omnem terminum Iſraël per manum nuntiorum dicendo: Qui non exierit poſt Saiil, & poſt Semuël, ſic fiet bobus eius. Et cecidit pauor Domini in populum, & egreſſi ſunt, tanquam vir vnus.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Aſſuméntque par boum in fruſta concidit eos, & miſit per omnes limites Iſraëlis per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non fuerit egreſſus poſt Saülem, & poſt Samuëlem, ſic fiet bobus eius. Et cecidit pauor Domini ſuper populum, egreſſíque ſunt ad vnum vſque.

Ariaſm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariaſm. in Regia.* Et accepit par boum, & diſcerpſit illud, miſit in omni termino Iſraël in manu nuntiorum, dicens: Qui non erit exiens poſt Saül, & poſt Semuël, vt hoc fiet bobus eius. Et cecidit terror ab ante Dominum ſuper populum, & exierunt vt vir vnus.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et accepit duas vaccas, & in membra concidit eas, & miſit in omnem terminum Iſrael in manu nuntiorum, dicens: Qui non erit exiens poſt Saülem, ſecundùm hæc facient bobus eius. Et cecidit Extaſis Domini ſuper populum, & clamauerunt, quaſi vir vnus.

Sixtin. *Græca ex Septuagin. in Sixtian.* Et ſumpſit duas vaccas, & membratim diuiſit eas, & miſit in omnem terminum Iſrael in manu nuntiorum dicens: Qui non eſt egediens poſt Saül, & poſt Samuel, ſecundùm hæc facient bobus eius. Et ſuperuenit ecſtaſis Domini ſuper populum Iſrael, & clamauerunt tanquam vir vnus.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Ioſeph. 1 ET aſſumens vtrumque bouem, concidit in fruſta. Ioſeph.lib.6. Variar. cap.6. alias 5. Volens autem pœnæ formidine populum ad Amminoniticum bellum incitare, quo celeriùs conueniret, boum, qui forte ab opere veniebant, neruos succidit, idem paſſuros minatus, qui poſtridie cum armis ad Iordanem non afforent ſecuturi, quocumque ipſe, ac Propheta duceret. Eo metu factum eſt, vt cùm omnes ad præfinitum tempus præſto eſſent &c.

Literal. Abul. Ioſeph. 2 *Et aſſumens vtrumque bouem, concidit in fruſta.* Abul.ibi.quæſt.7. Scilicet ſolùm ducebat duos boues, quando veniebat de opere ruſtico, vt vult Ioſephus.

Literal. Abul. 3 *Concidit in fruſta.* Idem ibidem quæſt.8. In hoc apparebat magna ira Saülis, & conatus animi ſui, quia duo boues erant ei vtiles, quod ergo diuiderat eis in fruſta, non fiebat in caſſum.

Allego. Berchor. *Boues quid?* 4 *Concidit in fruſta.* Petrus Berchor.lib.9.Moral.cap.8. Rouera Saül expetitus, & expectatus à Deo, ideſt Dei filius benedictus, boues ſuos. ideſt Apoſtolos, & Martyres martyrio, & occiſioni ſuppoſuit; ipſíque, & eorum prædicatione mediantibus, populum ad fidem, & pœnitentiam conuocauit, cùm eſſent trecenta, & triginta millia, ideſt cùm ad fidem Trinitatis eſſent conuerſi.

Moral. Carthuſ. *Diuinæ iuriæ vindicanda.* 5 *Concidit in fruſta.* Carthuſ.ibi.art.21. Valdè ad iram per zelum eſt concitatus, ægerrimè ferens quòd Rex idololatra populum Dei ſpreuit, ac tribulauit, quia in hoc Deum contemptit, cuius inhonorationem Saül ægriùs tulit, ac magis optauit vleiſci.

Histor. Sabellic. 6 *Concidit in fruſta.* Sabellic. Ænade. 1. lib.7. Saülus aratoriis bobus, quos tunc fortè habuit, ſuffraginum neruos ſuccidit propoſito edicto, fore vt quicunque ſibi ad Iordanem eo die non præſto adeſſet, eadem à ſe, qua boues illi clade afficerentur.

Literal. Author Catenæ. *Quot boues fuerint?* 7 *Et aſſumens vtrumque bouem concidit in fruſta.* Author Catenæ. Bos vterque non eſt plus, quàm duo boues; nec audiendus eſt Caietanus, qui vt ſibi videtur, ex Hebræo colligit plures Saüli tum fuiſſe, quàm duos; quia Hebraicè dicitur: פַּר צֶמֶד hoc eſt par boū; quod nec conuincit, boū enim par duo etiam ſunt boues, ſeu iugale vnum, quo in aratione vtebatur, vt probat ſuprà Abulenſis. Quod etiam verbum ſi æquiuocum ſit, ſacræ Vulgatæ potiùs verſioni, quàm cuiuis alij Doctorum adſtandum eſt, quibus Vulgatam corrigere, vt Caietanus audet, non licet. Abul.

Literal. Abul. 8 *Miſitque in omnes terminos Iſrael.* Abulenſ. ibi.quæſt.7. Ideſt miſit per ſingulas vrbes ſingulos nuntios, vt omnes ſe pararent, & non vocantur hîc *termini* extremitates terræ Iſrael.

Literal. Idem. 9 *Miſitque in omnes terminos Iſrael.* Idem ibidem. Sic Leuita ille, cuius filij Beniamin vxorem occiderant, vexantes libidine, diuiſit vxorem in duodecim partes, & miſit per duodecim Tribus Iſrael, quod videntes Iſraelitæ horruerunt

facinus ; Sic quoque Saül voluit permouere Israëlitas.

LITERAL. Abul. 10 *Per manum nuntiorum.* Idem ibidem. quæst. 7. Non solùm fuerunt isti nuntij, qui venerant de Iabes Galaad, sed etiam multi alij, quos ipse misit.

LITERAL. Idem. 11 *Quicumque non exierit, &c.* Idem ibidem. quæst. 8. Hoc dixit Saül, quia nolebat ipse solus esse dux belli, sed etiam Samuël esset dux ; ipse enim fecerat Saulem regem, & habebat eum tanquam magistrum in omni opere.

LITERAL. Carthus. 12 *Et secutus fuerit Saul, & Samuel.* Carthus. ibi. art. 21. Nominauit se ante Samuelem, quia volebat recognosci, aut teneri vt Rex. In regum quoque edictis Rex debet præponi.

LITERAL. Caiet. 13 *Et secutus fuerit Saul, & Samuel.* Caietan. ibi. Hinc coniicitur verum esse, quod diximus, videlicet, quod inter Saülem, & Samuëlem habitus fuerat sermo de exercitu congregando ad occurrendum Hammonitis ; hoc enim innuunt Saülis verba ex improuiso sonantia, quòd populus egrederetur ad bellum, sequendo Saülem, & Samuëlem.

MORAL. Mend. *Rex præcedat, dat milites.* 14 *Et secutus fuerit Saul, & Samuel.* Franciscus Mendoza ibi. §. 7. Monuit Israëlitas non vt præirent ad bellum, sed vt sequerentur ; optimi enim ducis est milites suos non verbo præmittere, sed exemplo trahere ad pugnandum. Adde propterea Saülem se præposuisse Samuëli, quia de labore, ac periculo bellandi sermo erat ; in laboribus autem & periculis optimus quisque vir præire caput, & præuolare.

MORAL. Greg. 15 *Sic fiet bobus eius.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 1. Quid aliud insinuat, nisi quia pigriores quiquam ad auxilia præbenda proximis, non solùm inuitandi, sed etiam cogendi sunt.

LITERAL. Lira. Rabbi Salom. 16 *Sic fiet bobus eius.* Liran. ibi. Per hoc intelliguntur alia animalia, vt dicit Rabbi Salomon, & sic erat comminatio magnæ pœnæ, quia diuitiæ illo tempore pro maiori parte in animalibus consistebant. Noluit autem comminari pœnam mortis, vel mutilationis in principio regni sui, ne à nimio rigore incipere videretur.

LITERAL. Abul. 17 *Sic fiet bobus eius.* Abulens. ibid. quæst. 8. Dici potest, quòd hoc fecit Saül, quia non est ausus imponere maiorem pœnam, ne fortè Israëlitæ non obedirent ; nam nunc erat principium regni nondum benè confirmati.

LITERAL. Carth. 18 *Sic fiet bobus eius.* Carthus. ibid. art. 21. Comminabatur inprimis Saül pecorum ablationem non hominum trucidationem, vt temperatè inciperet suum exercere iurisdictionem.

LITERAL. Vermil. 19 *Sic fiet bobus eius.* Petrus Vermil. Hæretic. in Comment. Arripuit Saül par boum, & eos secat in partes, mittitque in omnes Tribus Israël cum mandatis : Si quis ad illud bellum non veniret, ita se facturum bobus & armentis eius. Non tantum verbis proponit edictum, sed etiam addit symbolum : homines enim ita facti sunt, vt multo acrius signis externis propositis moueantur, quàm solùm verbis.

LITERAL. Author Catenæ. Ioseph. Sabelli. *Error Iosephi & Sabellini.* 20 *Sic fiet bobus eius.* Author Catenæ. bobus, seu pecoribus solùm pœnam occisionis Saül comminatur, non verò hominibus, vt commentatur Iosephus (à Sabellico approbatus,) qui vt in numero Israëlitici exercitus inferiùs à vero discessit, sic etiam & in hoc verum non dixit, vt patet ex Vulgata, & ex omnibus Versionibus, & omnium etiam Interpretum doctrina.

MYSTIC. MORAL. Greg. *Timor cum amore.* 21 *Inuasit ergo timor Domini populum.* Gregor. suprà. Benè timor inuasisse populum dicitur. Sed quasi vir vnus omnes egressi perhibentur, quasi vir quippe vnus plures non possunt egredi, nisi qui ad parem conficiendum vnitatem dilectionis. Illinc namque & de perfectis Discipulis Redemptoris dicitur : *Erat illis cor vnum, & anima vna.*

LITERAL. Caiet. 22 *Inuasit ergo timor Domini populum.* Caietan. ibi. Non timor perdendi boues, sed timor Dei narratur mouens populum.

LITERAL. Vatab. 23 *Inuasit ergo timor Domini populum.* Vatab. in Schol. Ideſt terruit eos Deus ; quo factum est, vt secutus sit populus Saülem, timens Deum.

MORAL. Gregor. *Prædicatorū officium.* 24 *Et egressi sunt, quasi vir vnus.* Gregor. suprà. Quia enim proximos, sicut nos ipsos diligere iubemur, recto ordine auxilia præbemus, quando ad hæc exhibenda non timore cogimur, sed amore prouocamur. Cùm verò nos effectum huius deuoti amoris perdimus, ad Prædicatorum nostrorum zelum pertinet, vt in fratrum auxilia ex timore consurgamus.

Lira. 25 *Et egressi sunt, quasi vir vnus.* Liran. ibi. Ideſt generaliter, & perfectè, sicut quando vnus homo exiit, nihil remanet de illo in loco vnde exiit. Vel aliter, ideſt quasi vno corde.

LITERAL. Abul. 26 *Et egressi sunt, quasi vir vnus.* Abulens. ibid. quæst. 8. Non est intelligendum, quòd omnes exirent, ita quòd nemo maneret, quoniam valdè plures exirent, quàm trecenta triginta millia virorum, qui solùm dicuntur fuisse hic. Nam paulò post, cùm regnaret Dauid, numerari fecit omnes viros bellatores, & inuenti sunt millies millia, & quadraginta millia scilicet, nonaginta millia de Israël, & quinquaginta millia de Iuda. 2. Reg. 24. Sed credendum est, quòd hîc de qualibet vrbe iuerūt multi viri, illi autem assignauerint aliquos, qui manerent in vrbibus ad custodiam earum ; & isti quanquam non irent ad bellum, non incurrebant in pœnam. 2. Reg. 24.

LITERAL. MORAL. Mend. *Charitas dat fortitudinem.* 27 *Et egressi sunt, quasi vir vnus.* Franciſ. Mendoza ibid. §. 12. Igitur Hebræi Deum timentes, hostem minimè formidarunt, sed egressi sunt alacres ad pugnandum, quasi *vir vnus.* Nec immeritò, nam *vir* nomen est virtutis, *vnus* nomen charitatis : quia quo maiori charitate inter se conueniebant ; eò maiori virtute in hostes ferebantur. Itaque ex timore diuino & virtus in hostes oriebatur, vt diximus, & charitas in ciues.

LITERAL. Author Caten. Abul. Lira. 28 *Et egressi sunt, quasi vir vnus.* Author Catenæ. Hoc sic exponit Lira, à quo in eo saltem non abhorret Abulensis quæst. 8. vt indicari credat generaliter, & perfectè Israëlitas exiisse, vt quando vnus homo exiit, nihil remanet de illo in loco, vnde exiit. Quam ego expositionem non satis calleo, nec vt capio probo. Si enim Liranus ait perfectè Israëlitas excessisse, ita vt de illis nullus in vrbibus remanserit, falsum videtur : tum ex paruo confluentium numero, cum illo comparato, qui refertur non multò post 2. Reg. 24. vt notauit Abulensis : tum ex eo quòd, belli tempore domos, & vrbes immunitas, & desertas relinqui, sanum non fuisset. Si verò exponit eos simul ad præfinitum à Saüle locum conuenisse, vt clarius explicat Abulensis, verum etiam non est ; nam cùm diuersa esset locorum distantia, minimè fieri poterat, vt eâdem horâ, seu simul tempore omnes confluerent, sed facto non modico interuallo. Dicendum ergo potiùs cum Vatablo hebraïsmum esse, *Quasi vir vnus*, quo significatur tanta celeritate, & expeditione, aut concordia, vt ait etiam Lira, conuenisse ; ac si non numerus copiosissimus, sed minimus esset : qua phrasi Scriptura sæpe vtitur, cùm multitudinem adunatam, & sibi conuenientem significari velit, vt videre est. 1. Eſdræ. 2. 64. *Omnis multitudo, quasi vnus* 2. Reg. 24. Vatab. 1. Eſdr. 2. 64.

vnus, quadraginta duo millia, trecenti sexaginta. Et ibi.cap.3.vers.1. *Congregatus est populus, quasi vir vnus in Ierusalem.* ibid.vers.9. Et *filij Iuda, quasi vir vnus.* Ibidem.lib.2.cap.7.vers.66. *Omnis multitudo quasi vir vnus, quadraginta duo millia sexcenti sexaginta.*

VERSVS VIII.

Vulgata. *Vulgata.* Et recensuit eos in Bezech: fuerúntque filiorum Israël trecenta millia: virorum autem Iuda triginta millia.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et recensuit eos in Bezech, & fuerunt filij Israël trecenta millia: & viri Iehudah triginta millia.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Et recensuit eos in Besec, fuerúntque filiorum Israël trecenta millia, & virorum Iehuda triginta millia.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et recensuit illos in Bezeq: & fuerunt filij Israël ter centum millia, & viri Iuda triginta millia.

Complut. Regia. *Grac. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et recensuit eo Saül in Bazec omnium virorum Israël trecenta millia, & viros Iuda triginta millia.

Sixtia. *Grac. ex Septuagint. in Sixtia.* Et recensuit in Bezech in Bama omnem virum Israël, sexcenta millia, & viros Iuda septuaginta millia.

Vatab. Mendoza. *Vatab. in Schol.* Alij minùs rectè pro *Bezech* vertunt *per calculos*: *Mendoza ibi* §.1. Et requisiuit eos in Bezech.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Et recensuit eos.* Gregor.lib.5. Variar. cap.1. Priùs dicuntur filij Israël egressi, deinde à Saüle recensiti, quia electus Prædicator, cùm contra occultos hostes mouere subiectorum suorum militiam tentat, priùs eorum forte propositum aspicit, deinde eos in numero bellatorum ponit. Quasi enim intus sumus, & recenseri non possumus, quandiu virtus nostræ mentis nostris Pastoribus occultatur, & cùm egredimur, recensemur, quia cùm mentium nostrarum eis fortitudinem pandimus, nos iam habere socios in spirituali pugna confidunt.

Literal. Rabban. Iudic.1.5. 2 *Et recensuit eos in Bezech.* Rabban. Maurus ibi. Vrbe scilicet Adonibezec Iudic.1.5. vsque hodie duæ villæ dicuntur Bezech. in septimo lapide à Neapoli descendentibus Citopolim. Bezech interpretatur *egestas*, & electorum paucitatem significat, vnde: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matt.20. Rex quoque noster Christus, qui est Sacerdos, & Propheta contra hostes aciem dirigens, de vtroque populo milites eligit fide Trinitatis, & perfectione insignes.

Mystic. Matt.20.

Histor. Ioseph. 3 *Et recensuit eos in Bezech.* Ioseph. lib.6. Antiquitat.cap.6. Cùm, recensitis apud Balam oppidum copiis, inuenirentur septingenta millia confluxisse absque Tribu Iudæ, quæ sola armauit septuaginta millia, &c.

Literal. Abul. 4 *Et recensuit eos in Bezech.* Abulens. ibidem quæst.8. Hoc factum est, quoniam multitudo in bello debet ordinari per duces suos, & partes; & quia non potest fieri ista ordinatio, nisi quilibet dux sciat quot habet viros sub ducatu suo, oportuit computari multitudinem: ad hoc etiam, vt sciatur, quantum debet dari cuilibet duci de exercitu; totus exercitus debet esse cognitus; sic enim fecit Saul, nam postquam numerauit exercitum, diuisit in tres partes, & sic irruerunt super hostes.

Literal. Idem. 5 *In Bezech.* Idem ibidem. Saul non expectauit eos in Gabaa vrbe sua, sed immediatè egressus est cum exercitu, quem habere potuit in terra propinqua, & iussit nuntiis, quòd designarent certum locum, ad quem conuenirent omnes Israëlitæ. Ioseph. Iosephus dicit, quòd iussit eos congregari ad Iordanem sequenti die. Forte ciuitas Bezech erat apud Iordanem.

Literal. Vatab. 6 *In Bezech.* Vatabl.in Schol. Alij minùs rectè vertunt: Per calculos, idest iniectis in vnum aceruum calculis, quos numerauit Saul.

Literal. Caren. 7 *Et recensuit eos in Bezech.* Caren.in Postilla. Numerauit non ex supercilio elationis, vt Dauid, sed vt certus esset de numero pugnatorum.

Literal. Caiet. 8 *Et recensuit eos in Bezech.* Caietan.ibi. Vide quàm celeriter fuerit congregatio tantæ multitudinis, & facta, & ducta ad locum idoneum, hoc est, ad Iordanis ripam.

Literal. Mendoza. 9 *Et recensuit eos in Bezech.* Francisc. Mendoza ibi §.1. Ex illis, qui ad se confluxerant, qui sibi ad bellum necessarij videbantur, requisiuit: reliquos in vrbium, domorum, fœminarúmque præsidium remisit.

Literal. Author Catenæ. Vatab. Abul. 10 *Et recensuit eos in Bezech.* Author Catenæ. Nonnulli quorum suppresso nomine meminêre Vatablus, & Abul. Bezech *calculos*, vel *testas* interpretantur, ita vt sensus sit, Saulem bellatorum capita in calculis, aut testis supputasse, immissâ forte ab vnoquoque in locum vnum testulâ. Sed vanum hoc est: Primò; quia nomen in fonte Hebraico respondens, id non significat, vt bene probat Mendoza §.1. Secundò quia cum sit locus hoc nomine cognitus Israël. Iud.1.5. expressus, non est cur ad appellatiuum nomen, & improprium recurratur.

Mendoza. Iudic.1.5.

Mystic. Gregor. 11 *Fuerúntque filiorum Israel trecenta millia, &c.* Gregor.suprà. Tricenarius numerus ad rectitudinem fidei, & studium pertinet bonæ operationis, quia nulla sunt præcepta legis, si ad contemplationem non tendunt summæ Trinitatis. Aptè ergo viri Iuda dicuntur, qui triginta millibus continentur, quia confessionem habent rectæ fidei, & robur bonæ operationis.

Mystic. Damian. 12 *Fuerúntque filiorum Israël trecenta millia.* Petrus Damian. Epist.5. in lib.6. Porrò nec ipse à mysterio vacat pugnatorum numerus, quem Scriptura pronuntiat. Millenarius autem, atque denarius, quia perfecti sunt numeri, Sanctorum perfectionem; trecenti verò, vel triginta, quia à tribus oriuntur, diuinam significant Trinitatem. Quid igitur per trecenta millia; vel triginta millia bellatorum, nisi sancti Doctores intelliguntur Ecclesiæ? qui & fide sunt orthodoxi, & religiosis operibus consummati.

Mystic. Beda. 13 *Fuerúntque filiorum Israel trecenta millia.* Beda lib.2. Expolit. Allogor.c.4. Ternarius propter confessionem sanctæ Trinitatis ad fidem, denarius, & centenarius propter dextræ mercedis electionem, & denarium diurnum bonis vinitoribus dandum referuntur ad spem. Porrò millenarius ad immobilem, stabilémque perfectæ dilectionis respicit operationem.

Literal. Carthus. 14 *Fuerúntque filiorum Israel trecenta millia.* Carthus.ibi.art.21. Satis probabile est, quòd intra tam paucos dies vniuersi viri Israël non potuerunt conuenire. Rursùs putandum, quòd hi, qui secundùm legem erant remouendi à prælio, remouebantur; præsertim cùm Samuël fuerit præsens.

15 *Fuerúnt*

LITERAL. Author Catenæ. Septuag.

15 *Fuerúntque filiorum Israël trecenta millia:* Autor Catenæ. Vterque & filiorum Israël, & virorum Iuda numerus, à Saule repertus, duplicem patitur difficultatem. Prima est: Septuaginta in Bibliis Sixtianis: Sexcenta millia virorum ex Israël, & Septuaginta millia ex Iuda expressisse. Quos quoad posteriorem numerum sequitur Iosephus: quoad priorem verò addit: centum millia, ita vt Septuaginta millia fuerint. Alia est difficultas, relatum à Vulgata numerum exiguum videri respectu immensæ duodecim Tribuum multitudinis, vrgente præsertim serio noui Regis imperio, & commination̄e, & quod caput est, Domini timore omnium Israëlitarum corda stimulante. Respondet noster Mendoza §. 1. & 3. Si Græca exemplaria pro synceris habeantur, probabiliter dici posse plures, quàm numerantur, confluxisse, nec tamen omnes tanquam bello aptos, receptos, ac descriptos fuisse; sed plures ad sua custodienda remissos; Vulgatam autem, non eos, qui conuenerunt, sed eos tantùm qui militiæ adscripti sunt, ad numerum retulisse; probátque coniecturam suam ex Hebræo, vnde pro *Recensuit eos*, legi posse affirmat: *Requisiuit eos*, hoc est selegit aptissimos, & necessarios. Dicendum tamen est, numerum, à Vulgata præscriptum, inuiolabiliter tenendum esse, ita vt ne plures quidem confluxerint; verbum enim *recensere* nihil aliud indicat, quàm supputationem eorum, qui conuenerant, vt aptè ad bellicas machinationes distribui possent; nec Septuaginta Interpretum, nec minùs etiàm Iosephi tanta est autoritas, vt Vulgatæ ab Ecclesia approbatæ præferri debeant. Non autem plures conuenerunt, vel quia necessarij non erant, vel quia ad vrbium suarum, & domorum custodiam relinqui operæ pretium fuit, præcipuè truci bello Ammonitarum vbique vrgente, qui illo, & pluribus aliis, quæ iam expugnauerat capto oppido, tori Israël imminere videbantur.

Numerus militum. Mendoza. Vulgata. Septuag. Iosephus.

LITERAL. Lira.

16 *Virorum autem Iuda triginta millia.* Liran. ibi. Segregatim numerabantur eo quòd ista Tribus erat nobilior, & bellicosior.

LITERAL. Abul.

17 *Virorum autem Iuda triginta millia.* Abul. ibi quæst. 9. Excellebat Tribus Iuda alias Tribus in duobus, scilicet in numero, & dignitate. De numero patet, quia ipsa semper fuit maior omnibus aliis Tribubus, vt patet in computationibus factis in deserto. Numer. 26. Dignitate, quia ipsa erat Tribus regalis, quanquam tunc de ea non essent Reges, sed de Tribu Beniamin; Deus tamen prænuntiauerat per Iacob, quòd de illa futuri essent Reges, vsque ad aduentum Messiæ. Gen. 49. Ex hoc autem aliæ Tribus reuerebantur nimis Tribum Iudæ.

VERSVS IX.

Vulgat. *Vulgata.* Et dixerunt nuntiis, qui venerant: sic dicetis viris, qui sunt in Iabes Galaad: Cras erit vobis salus, cùm incaluerit Sol. Venerunt ergo nuntij, & annuntiauerunt viris Iabes: qui lætati sunt.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Dixerúntque nuntiis, qui venerant: Sic dicetis viris Iabes Ghilhad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Et venerunt nuntij, & nuntiauerunt viris Iabes, lætatique sunt.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatablo.* Dixerúntque ad nuntios, qui venerant: Sic dicetis ciuibus Iabes Gilead: Cras cùm Sol incaluerit, erit vobis salus. Et venerunt nuntij, indicauerúntque ciuibus Iabes, & gauisi sunt.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixerunt nuntiis, qui venerunt: Sic dicetis viris Iabes Gilghad: eras erit vobis liberatio, vbi incalescet Sol. Et venerunt nuntij, & nuntiauerunt viris Iabes, & lætati sunt.

Compl. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et dixit Saül nuntiis, qui venerant: hæc dicetis viris Iabes Galaad: Cras vobis erit salus, cùm incaluerit Sol. Et venerunt nuntij in ciuitatem, & nuntiauerunt viris Iabes, & lætati sunt.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtin.* Et dixit nuntiis, qui venerant: Hæc dicetis viris Iabis: cras vobis salus, cùm incaluerit Sol: Et venerunt nuntij in ciuitatem, & nuntiant viris Iabis, & lætati sunt.

PP. ET AVCTORES.

HISTOR. Comest. Naucler. 1 *Et dixerunt nuntiis, qui venerant.* Petrus Comest. in Histor. Schol. c. 11. Et promisit Saül Iabitis & tertia die venturum eis in auxilium. Et iussit aliquos eorum pro ducatu itineris sustinere. *Eadem verba transcripsit* Nauclerus.

LITERAL. Abul. 2 *Et dixerunt nuntiis, qui venerant.* Abulens. ibi q. 9. Scilicet Saül, & duces eius; vel Saül & Samuël, qui tunc videbantur esse simul in Galaad.

LITERAL. Author Catenæ. Comest. Naucler. Sabell. Ioseph. 3 *Et dixerunt nuntiis, qui venerant.* Autor Catenæ. Ordo planus, & Historiæ series est, vt priùs militia collecta fuerit, quàm Iabitarum nuntij remitterentur, de proximo auxilio suos moniturj; quem cùm vulgata, & omnes versiones seruent, audiendi non sunt Comestor, & perpetuus eius assecla Nauclerus, Sabellicus, & alij, qui Iosephum secuti prædictum ordinem inuertunt, priúsque dimissos nuntios, quàm milites descriptos asserunt, quod præterea à ratione alienum erat, num de exercitu incerti, imprudenter Saül, & Samuel salutem obsessis sponderent. Addunt iidem ex nuntiis aliquos retentos, quibus viarum ducibus vterentur. Quod etiam inane est, cùm in tanto exercitu plures necessariò essent, qui viarum quaruncumque notitiam assequerentur, cùm maximè regio illa, quasi palmaris esset; nisi fortè in eo dixerint, vt ab illis hostilis exercitus situm, & dispositionem edisserent, quo facilius, & commodius eorum castra impeterent.

MYSTIC. Greg. *Dies mystic. quid?* 4 *Crãi erit vobis salus.* Greg. lib. 5. Variar. c. 1. Sanctorum Prædicatorum exhortatio dies est, quia dum tentata minorum corda tangit, ad spem victoriæ erigit. Sed hanc nox sequitur, quia etsi diuina auxilia sperantur, adhuc tamen irruentes desideriorum carnalium tenebræ non discedunt. Quis est ergo dies crastinus, nisi diuinæ visitationis aduentus.

MYSTIC. Idem. 5 *Cras erit vobis salus.* Idem ibid. Quasi validas antiqui hostis impugnationes viriliter ferimus, diuinæ gratiæ celeritate subleuamur ad lucem cordis, & virtutem charitatis.

HISTOR. Ioseph. 6 *Cras erit vobis salus.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 5. Mox percitus diuino afflatu, ire eos iubet, & ad Iabesines referre, se tertia die venturum auxilio, & ante Solis exortum hostes profligaturum, vt exoriens Ammonitas fusos, ac fugatos, miseros verò ciues periculo exemptos inspiciat; atque his mandatis aliquos ex eis retinuit, quibus itineris ducibus vti decreuerat.

7 *Cras*

LITERALI Carth. 7 *Cras erit vobis salus.* Carthus. ibi art. 21. Hoc est de proximo, vtpote tam citò sicut vincere poterimus. Credibile est, quòd Samuël ex diuina reuelatione cognouit, quòd Saül cum suis triumpharet.

LITERAL. Sanct. 8 *Cras erit vobis salus.* Gaspar Sanct. ibi n. 17. Obscurum est, vnde crastinus ille dies numerandus sit; nec enim est verisimile sumendum esse ab eo tempore, quo nuntij fuerunt à Saule dimissi. Quomodo enim tam breui tempore instrui potuerunt acies ex infinita prope hominum multitudine, ac tandem vna tantùm interposita nocte ad Iabes Galaad, quæ prope non aberat, peruenire? Lira putat vno die, postquam legati redierint, ideſt die crastino ab illorum reditu, cùm Sol incalesceret, ideſt cùm iam ad meridiem declinaret, liberandam esse ciuitatem ab Ammonitarum armis, & metu. Et hoc mihi non displicet, statuerat enim, vt apparet, Saul subsequi præcedentes nuntios.

Lira.

LITERAL. Mendoz. 9 *Cras erit vobis salus.* Franc. Mend. ibi §. 3. Cùm hæc omnia vocabula proximam diem propriè significent, nec vlla appareat necessitas ad improprios significatus confugiendi; dicendum planè videtur hanc locutionem esse propriam, & in proximam lucem sequentis diei promissionem huius victoriæ factam esse; nec verò incredibile est tam citò parari potuisse auxilium ad Iabitas defendendos, & victoriam de Ammonitis eos obsidentibus reportari.

LITERAL. Idem. 10 *Cras erit vobis salus.* Idem ibid. §. 4. Dubitabis, an hæc Salutis promissio ex prophetico spiritu, an ex supernaturali aliqua in Deum fiducia orta fuerit? Certum inprimis est, non fuisse temerariam, vt patet: tum ex virtute promittentium, nempe Saulis, & Samuëlis, qui nihil temeratiè pollicerentur; tum ex successu pugnæ, qui fuit fortunatissimus, & proinde ab omni temeritatis specie alienus. Dico igitur inprimis ex prophetico spiritu processisse; Samuël enim, & Saul diuinitùs illustrati eam victoriam præuiderunt, & prædixerunt.

LITERAL. Author Catenæ. Ioseph. Comest. Sabellic. Naucler. Charens. Liran. Interl. Carth. Mendoza. 11 *Cras erit vobis salus.* Autor Catenæ. Verbum *Cras* solet interdum indefinitum tempus futurum significare, vnde in præsenti variè ab aliquibus accipitur. Quidam enim pro tertia ventura die vsurpant, secuti Iosephum, Comestor scilicet Sabellicus, & Nauclerus. Alij pro tempore proximo, & immediato, non tamen certo, aut determinato intelligunt: hi sunt Charensis, Liranus, Autor Interl. & Carthus. Certum tamen est de die proxima immediatè sequenti sermonem esse, vt probatur Mendozæ. Primò, quia ita innuere videtur locutionis modus, si propriè, vt par est, accipiatur. Secundò; quia summa celeritate opus erat, cùm induciarum tempus peruolaret, & obsessorum corda premerentur. Tertiò, quia cùm totus iam exercitus confluxisset, nec multa esset locorum distantia, potuit tam exiguo temporis spatio compleri.

LITERAL. Caiet. 12 *Cras erit vobis salus.* Caietan. ibi. Vt reor sic deceptus est Naas Rex Ammonitarum, putans eos non posse tam cito occurrere.

MYSTIC. Greg. 13 *Cùm incaluerit Sol.* Greg. suprà. Vt diei claritas obscuritatem sensus illuminet, & calor Solis accendat amorem cordis, vt mens bonum, quod cupiat, per lucem videat, & quod videt, per calorem mentis concupiscat. Geminum quoque hoc mentis remedium contra duplum Diaboli bellum exhibetur; nam malignus spiritus vt mentes electorum tentando superet, priùs tenebras cogitationum malarum obiicit, deinde concupiscentiarum flammas accendit, quia nisi priùs mentem cæcauerit, ad prauitatem concupiscentiæ non impellit.

14 *Cùm incaluerit Sol.* Abul. ibi quæst. 9. Ideſt incipiente die incalescere, erit salus vestra, scilicet horâ tertiâ, vel ante meridiem. Hoc dicitur ad significandum horâ, quâ Israëlitæ vicerunt Ammonitas, & in hoc locutus est Saul, tanquam propheticè, sciens, quòd percussuri erant Ammonitas, & quâ horâ hoc facerent: nam non intendebat Saul, cùm Sol incalesceret, aggredi Ammonitas, sed per noctem in vigilia matutina; sic enim fecit, fuit tamen consummatum bellum tempore, quo incalescebat dies, & tunc fuit salus virorum Iabes. LITERAL. Abul.

15 *Cùm incaluerit Sol.* Petrus Damian. epist. 5. in lib. 6. Cùm mens per desidiam primitùs tabefacta, iam in se reuersa, ad Conditoris sui desiderium recalescit: cùm torporem negligentiæ deserit, & frigus insensibilitatis pristinæ flamma sancti amoris accendit, tunc velut incalescente Sole victoria de hostibus sumitur, & obsessa ciuitas de superbi Regis manibus liberatur. MYSTIC. Damian.

16 *Cùm incaluerit Sol.* Petrus Berchor. lib. 9. Moral. cap. 8. Fuit eis salus, cùm Sol incaluit, ideſt cùm charitas immensa Solem iustitiæ Christum pro redemptione humani generis inflammauit, in quantum personaliter pro liberatione descendit. Vnde Malachias cap. 4. *Orietur vobis Sol iustitiæ.* MYSTIC. Berchor. *Christus Sol* Malac. 4.

VERSVS X.

VVlgata. Et dixerunt: manè exibimus ad vos, & facietis nobis omne, quod placuerit vobis. Vulgata.

Benedict. in marg. Et dixerunt viri Iabes manè. Eadem verba habet *Text. Gloss. in marg.* Benedict. Glossa.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et dixerunt viri Iabes: Mane exibimus ad vos, & facietis nobis iuxta omne, quod bonum est in oculis vestris. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Et dixerunt ciues Iabes: Cras egrediemur ad vos, & facietis nobis, iuxta omnia, quæ vobis benè videntur. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et dixerunt viri Iabes: Cras exibimus ad vos, & facietis nobis iuxta omne, quod rectum in oculis vestris. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et dixerunt viri Iabes ad Naas Ammonitem: Cras exibimus ad vos, & facietis nobis omne, quod placuerit coram vobis. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et dixerunt viri Iabis ad Naas Ammanitem: Cras egrediemur ad vos, & facietis nobis quod bonum in conspectu vestro. Sixtina.

PP. ET AVCTORES.

1 *Mane exibimus ad vos.* Greg. lib. 5. Var. c. 1. Hoc profectò, quia illi dicunt, qui iam diuino auxilio securi sunt, quandam spem hostibus tribuunt, quos promittendo illudunt. Voce quidem debilitatem simulant, sed certitudinem promissi auxilij intus seruant. Aliud ergo promittunt: aliud credunt, qui enim dicebant: *Cras exibimus, &c.* hoc dabant hostibus credere, quod sic se in eorum manibus traderent, vt facere de eis possent quæcumque voluissent; sed qui in diem sequentem venturum Regem in suum auxilium nouerant, exire cum eo non ad hostium manus, sed ad interfectionem cogitabant. LITERAL. Gregor. *Iabitarum fraus.*

2 *Mane exibimus ad vos.* Idem ibid. Secundum spiritualem sensum serpenti Naas, ideſt gulæ MYSTIC. TROPOL. Idem.

gulæ concupiscentiæ; in die suo nostrum exitum promittimus; sed nos in die nostro eius acies debellamus. Dies quidem eius, est delectatio corporeæ satutitatis, qui enim proponit ventrem pro voto replere, quasi diem primum concupiscentiæ dedicat, & tamen adhuc intus est, quia quandam lucem delectationis proposuit, quam operando non vidit.

LITERAL. Lira. 3 *Mane exibimus ad vos.* Liran. ibi. Irrisoriè loquebantur, eo quòd sciebant auxilium eis affuturum in crastino.

LITERAL. Abul. 4 *Mane exibimus ad vos.* Abul. ibidem quæst. 9. Quia ferè elapsi fuerant dies septem à tempore concessarum induciarum. Iabenseni miserunt ad Regem Ammon, dicentes: *Mane exibimus ad vos.* Erat enim Rex Ammon apud Iabes fixis castris suis expectans per illos septemdies ne quis egrederetur de vrbe, vt completo termino euerteret vrbem eorum per obsidionem, vel exirent ad eum Iabeseni, vt eruerentur oculi eorum: nunc autem quasi irridentes confidenter de salute sua, miserunt ad Regem Ammon; quod aliqualiter faciebant ad fallendum hostem, scilicet vt intelligeret Rex Ammon, quòd Israëlitæ non habebant aliquem adiutorem.

HISTOR. Salian. *Legati quamquàm exeruntur* 5 *Mane exibimus ad vos.* Iacobus Salian. tom. 3. Annal. Ann. Mundi. 2963. num. 52. Ergò vt credibile est pullati veniunt scissis vestibus, neglecta cæsarie, puluere sparsi caput, & quasi in peruigilio funeris sui, multis gemitibus lamentantur infelicitatem suam: accusant etiam fortasse suorum vel ignauiam, vel inhumanitatem: postremò spondent, si postridie, abeunte inducianum septimo, ad ipsos exituros, Ammonitarum vel clementiam, vel seueritatem experturos.

MORAL. Vermil. *Dolus in militia an licitus* 6 *Mane exibimus ad vos.* Petrus Vermil. Hæretic. Maximum genus stratagematis est, efficere, vt hostis securè agat; & certè eiusmodi prudentes, & doctæ fraudes non damnantur; *Dolus* enim, *an virtus quis in hoste requirat?* nam si armis vti licet aduersùs hostem, cur non etiam dolis? Ita tamen illis vti licet, ne fides, aut iusiurandum, aut pactum cum hoste violetur.

LITERAL. Author Catenæ. Mend. *Iabenses an mentiti.* 7 *Mane exibimus ad vos.* Author Catenæ. Mandata hæc hostibus immissa irrisione, & ironia non caruisse omnes aduertunt. Dubitabis etiam an in eis mendacium, & dolus intercesserint? Negat noster Mendoza §. 1. pie quidem, sed minùs, vt videtur, aptè. Probat primo, quia qui ironicè loquitur, tropicè loquitur, tropi autem mendacia non sunt. Secundo, quia qui ironicè loquitur, licèt verbis contrarium menti denuntiet, gestu tamen, aut risu, aut vocis tono, verum quod mente habet, manifestat. Ego vero non assentior, sed potiùs cum Gregorio, Abulensi, Carthusiano, Saliano, & aliis eos fraude, & simulatione vsos fuisse, vt hostes imparatos, & securos redderent, mihi habeo: nec video quæ sit necessitas, vt homines de quorum pietate, aut sanctitate non constat, a mendacio, & fraude non sine studio excusandi sint. Probatur verò à priori, quia vbicumque sunt verba, aut nutus etiam, quibus id exprimitur, quod mente non est, mendacium committitur: Iabenses autem deditionem exprimunt, de qua non cogitabant, vt securiores hostes redderent, ergo mentiti sunt. Expressisse verò eos nutibus, aut gestibus se ironicè loqui non constat, imo, si expressissent, absque mora ab Ammonitis peterentur, ergo id solùm quod menti suæ contrarium erat, indicauerunt. Quo respondetur etiam est argumentis Mendozæ; & verbis mendacium, fraudemque admixtam fuisse, loquendo moraliter, dicendum est; licèt methaphysicè excusari possint. Iabentes igitur qui omni auxilio, & spe prius destituti cum hostibus pacisscentes, omni sinceritate vtendum censuerunt, spe erecti, & de futuro auxilio iam securi animos cum fortuna mutauerunt, fraudique, & simulationi iam student: in tantum pietas, quæ aduersis steterat, benigniori fortuna dedicitur. Quæ verò simulationis species licita sit, diximus, nuper vers. 3.

Greg. Abul. Carthus. Salian.

VERSVS XI.

Vulgata. Et factum est, cùm dies crastinus venisset; constituit Saül populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon vsquedum incalesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita vt non remanserentur in eis duo pariter. Vulg.

Benedict. in margine. Et venientes iuxta castra in custodia matutina percusserunt Ammon, vsquedum incalesceret dies; reliqui autem, qui remanserant, dispersi sunt, &c. Benedict.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Et fuit, in crastino disposuit Saül populum in tria capita, & ingressi sunt in medium castrorum in vigilia matutina, & percusserunt Hammon, vsquedum incalesceret dies: & fuit, qui remanserant, dispersi sunt, & non remanserunt in eis duo pariter. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Postero die factum est, vt Saül ordinaret populum in tria capita, venientesque in media castra, in vigilia matutina percusserunt Ammonitas, donec incalesceret dies: quique reliqui fuerunt, adeò sparsi sunt, vt ne duo quidem ex eis simul relinquerentur. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et fuit in die, qui post illum, & recensuit Saul populum in tres turmas, & intrauerunt in castra in custodia matutina, & percusserunt Ghammon, vsquedum calesceret dies: & fuerunt qui relicti sunt, & dispersi sunt, & non relicti sunt, & non relicti sunt in illis duo, qui fugientes simul. Ariasm.

Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et factum est post eras: Et constituit Saül populum in tres acies, & ingressi sunt in medium castrorum in matutina custodia, & percussit filios Ammon vsquequo incalesceret dies: & factum est, qui relicti erant dispersi sunt, & non relicti sunt in eis duo in id ipsum. Complut. Regia.

Græca ex Septuagint. in Sixtian. Et factum est post eras, & posuit Saul populum in tria principia, & ingrediantur medium castrorum in vigilia matutina, & percutiebant filios Ammon quoad vsque incaluit dies, & factum est, & reliqui dispersi sunt, & non remanserunt in eis duo secundum id ipsum. Sixtia.

Vatab. in Schol. Impressionémque facientes, vel inuadentesque media castra. Vatabl.

Isidor. Clarabi. Et *ingressi sunt* media castra, in vigilia matutina, & *percusserunt* Ammon. Isidor. Clar.

PP. ET AVCTORES.

1 *Cum venisset dies crastinus.* Liran. ibid. Sed licet ab illa die, in qua Viri Iabes dixerunt verbum præcedens: *Mane exibimus*, &c. non autem LITERAL. Lira.

autem à die, qua dixerat Saül: *Cras erit vobis salus*, quia quando numerauit populum, adhuc distabat à loco obsidionis, & postea viri labes redierunt ad suos.

Mystic. Greg. *Jeiunij fructus.*

2 *Constituit Saul populum in tres partes.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 1. In tres partes diuiditur, vt sacræ abstinentiæ fructus, & dignitas ostendatur, quia ad eam, quam imanducando perdidimus, sanctæ Trinitatis contemplationem ieiunando reuocamur. Hinc est enim quòd legis, & prophetiæ, & Euangelij ieiunia commendantur. Exod. 34. 3. 3. Reg. 19. Matt. 4. In tres ergo partes Saül populum diuidit, quia in exemplum abstinentium, legis, & Prophetarum, atque Euangelij ieiunia producuntur.

Exod. 34. 3. 3. Reg. 19. Matt. 4.

Tropol. Stephan. Tilm.

3 *Constituit Saul populum in tres partes.* Steph. Cantuar. apud Tilm. in Allegor. Sic vir iustus facit, cùm orationem opponit superbiæ: ieiunium luxuriæ: eleemosynam auaritiæ.

Tropol. Damian.

4 *Constituit Saul populum in tres partes.* Petrus Damianus Epist. 5. in lib. 6. Quid est, quòd populum in tres constituit partes, nisi quia tres sunt principales animi virtutes, Fides scilicet, Spes, & Charitas? In trifariis itaque bellatorum partibus, victoria certaminis obtinetur, quia tribus his virtutibus, duce Christo, omnis diabolica tentatio vincitur.

Literal. Lira.

5 *Constituit Saul populum in tres partes.* Liranus ibidem. Vt repentè irruentes super exercitum filiorum Ammon, ex diuersis partibus magis tenerent eos.

Mystic. Idem. *Christi victoria.*

6 *In tres partes.* Idem in Morali. Contra Diabolum venit Rex Israel, id est Rex gloriæ IESVS CHRISTVS, cum tribus ordinibus, scilicet, Apostolis, Martyribus, & Confessoribus, cuius victoria incipit à vigilia matutina, & in calore Solis consummatur, quia à principio prædicationis Euangelij cœpit potestas Dæmonis diminui, & aduenientе iudice in potestate claritatis suæ in extremo iudicio totaliter auferetur.

Literal. Abul.

7 *In tres partes.* Abulensis ibidem quæstione 9. Vt magis terribiles apparerent Ammonitis, cùm ex tribus partibus castrorum inuaderentur: etiam vt facilè eos comprehenderent; nam si ab vna parte venisset totus exercitus, poterant fugere Ammonitæ ex alia parte castrorum.

Mystic. Greg.

8 *Et ingressus est media castra in vigilia matutina.* Gregorius supra. Quia cùm diuina gratia ad docendum, corda Prædicatorum illuminat, auditorum etiam mentes irradiat, & ad spem victoriæ potenter leuat. In die igitur crastino Doctor triumphaturus castra inimicorum ingreditur, & aperit; in eisque concupiscentiarum acies potenter ferit.

Literal. Abul.

9 *In vigilia matutina.* Abulensis ibid. quæst. 9. Non enim putauerunt illi adesse hostes, & cùm illi securi dormirent, in aurora inuasit eos Saül. Vocatur autem vigilia matutina tempus aliquod ante ortum Solis, scilicet pars extrema noctis, vel crepusculum, & eo tempore aggressus est, quia tunc omnes sopore tenebantur.

Literal. Vatabl. *Vigilia matutina quæ?*

10 *In vigilia matutina.* Vatabl. in Schol. Nox apud Hebræos modò in quatuor vigilias diuiditur, modò in tres, vt hoc loco, vigiliam matutinam vocat vltimam, nempe sub aurora.

Literal. Caietan. *Saulis prudentia.*

11 *In vigilia matutina.* Caietanus ibi. Apparet prudentia Saülis, nocte siquidem magnum iter pergerunt, vt ex improuiso aggrederentur hostes dormientes. Semper enim similis celeritas peperit victoriam.

Histor. Seuer.

12 *Et percussit Ammon.* Seuer. Sulpit. lib. 1. Sacræ Historiæ. A principio Regni huius aliquanta à Saule pars populi defeciuerat, parere imperio abnuens, seque Ammonitis coniunxerat: verùm hos Saul impigrè vltus est, victique hostes, & venia Hebræis data.

13 *Et percussit Ammon.* Greg. supra. Notandum est, quòd Naas, id est *serpens*, Ammonitarum Rex esse dicitur: ipse autem Ammon *populus mœroris* interpretatur. Et quia in hoc serpente gulæ vitium designari diximus, cum Naas percutitur, mœroris populus debellatur, quia ex vno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur: & cùm idem gulæ vitium reciditur, alia multa nobis vitia subiugamus.

Mystic. Gregor. Tropol. *Ieiunium omnia vitia ingulat.*

14 *Et percussit Ammon.* Idem ibi. Benè non ipse Naas, sed Ammon subiectus sibi, id est populus interfectus asseritur, quia appetitus comestionis restringendus, non extinguendus est; Sed benè nunquam restringitur, si subiciens mœroris populus, id est turpis motus libidinum non necatur.

Tropol. Idem. *Gula qualiter vincenda.*

15 *Et percussit Ammon.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 6. alias 5. Transgressus dein Iordanem, & decem fe hænorum spatium nocte vna commensus, ante Solis ortum quo destinarat, peruenit; & diutio trifariam exercitu vndequaque hostem, nihil tale expectantem, aggreditur; & acriter pugnando, ingenti strage editâ, inter cæteros Naasiem Regem occidit.

Histor. Ioseph.

16 *Et percussit Ammon.* Ioan. Zonaras tom. 1. Annal. Saul Numine afflatus prædicit Gabinos postridie fore saluos, totámque noctem cum exercitu profectus, circa primam vigilium ad Ammonitas peruenit, ac trifariam diuisis copiis, hostem circumdat: multos cædit, ipsumque Regem Naam.

Histor. Zonar.

17 *Et percussit Ammon.* Angel. in Stromatibus. Hos Saul, videlicet, Dominus, ac Redemptor noster liberat cum exercitu suo, id est auxilio Angelorum, seu Prædicatorum suorum, qui in Bezech populum enumerat, Bezech enim interpretatur *egestas*, quia in egestate præsentis vitæ nouit Dominus qui sunt eius.

Mystic. Angelom.

18 *Et percussit Ammon.* Sabellic. Enead. 1. lib. 7. Haud magno certamine vincuntur Ammonitæ: ingens clades in acie edita, ea in fuga aliquanto maior. Saulus non contentus acie victile, nec quod interfecto Rege hostes aperta fugam fecissent, confestim in eam gentem præsenti clade perculsam, victorem exercitum ducit.

Histor. Sabellic.

19 *Et percussit Ammon.* Author Catenæ. Rex fatuus, licèt *diuinans* nomen eius sonet, victoriis insolescens, in tam extremam amentiam deuenit, vt nec de incerta fortunæ alea, nec de vario belli euentu solicitus, aut ipse cuigilaret, aut de custodibus saltem, & cursoribus, vt militaris fert disciplina, curaret, aut tantam Israëlitarum commotionem intelligeret; vt verum fuerit illius testimonium, qui dixit; fortunam, quos maximè foueret, stolidos, & vecordes reddere. Saul verò saniori consilio vsus omni vigilantia, tota industria, & cautela expeditionem parauit, & vt ita noctu cum castris ductis, cùm post mediam noctem eò peruenisset, quò dispositi acies oporteret, ante Solis ortum exercitu in tres partes diuiso hostem complexus, ne qua fugæ via esset, prosiliant, & fundi tas deleant: Duo Sabellicus addit: Prius, maiorem in fuga, quàm in prælio stragem in hostes editam: posterius, Saulem post hanc pugnam nouam in Ammonitas expeditionem peregisse. Hoc posterius habetur infra cap. 12. vers. 23. illud prius nescio vnde hauserit, cùm nec Iosephus scripserit.

Literal. Moral. Author Catenæ. Sabellic. Ioseph.

Mystic. Greg. 20 *Vsquedum incalesceret dies.* Gregor. suprà. Vigilia quidem matutina in diei aspiratione est: feruor verò solis in eius plenitudine. Velut enim matutina nobis lux oritur, quando tenebris tentationum depressi lucem virtutis ab ore prædicatorum videre incipimus, quam sequamur, & Sol nobis incalescit, cùm per eorum verba mens nostra succenditur, & quasi feruentis Solis calore decocta desideriis inflammatur.

Moral. Gloss. Ordin. *Charitas vnit?* 21 *Reliqui autem dispersi sunt.* Gloss. Ordin. ibi. Quia congregatio prauorum charitatis, & fidei vnitate non iungitur, ab inuicem dissensione separantur. Vnde: *Inimici tui Domine peribunt, & dispergentur.*

Mystic. Gregor. 22 *Itavt non relinquerentur in eis duo pariter.* Greg. suprà. Subtiliter est intuendum, quod dicitur: Duo quidem remanent, sed pariter non remanent. Duo quidem sunt cogitatio immunda, & naturalis motus carnis. Ad sanctorum quidem conflictum aliquando immunda cogitatio præuenit: aliquando insurgentem sibi sentiunt legem carnis contra legem mentis; sed qui victores iam sunt, hostes in fugam versos non timent, si iterum ad pugnandum redeunt, quia cum eis pariter pugnare non possunt; nam cùm praua cogitatio abeat, priùs eam abiciunt, quàm de eius suggestione caro moueatur.

Tropol. Mend. *Discordia mala.* 23 *Itavt non relinquerentur in eis duo pariter.* Franc. Mend. ibi. §. 7. Quemadmodum superiùs v. 7. vt mutua Hebræorum consensio ostendatur, dicuntur omnes egressi, *quasi vir vnus*, ita modò vt magna Ammonitarum dispersio significetur, dicuntur; ne duo quidem pariter effugisse, seu, vt vertunt Septuag. Ne duo quidem *in id ipsum*: illos quidem concordia ad victoriam iuuit: hos autem in extremam ruinam discordia præcipitauit.

VERSVS XII.

Vulgata. *Vulgat.* Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste, qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos.

Benedict. *Benedict. & Textus Gloss.* Quis est iste, qui dixit: Saül non regnabit super nos. *Eadem verba habent* Greg. & Caiet.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Dixitq; populus ad Semuel: Quis est, qui dicit: Num Saul regnabit super nos? Date viros, & mori faciemus eos.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Dixitq; populus ad Samuelem: Quis est, qui dixit: Regnaret ne Saul super nos? Date viros illos, & interficiemus eos.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit populus ad Semuel: Quis est hic, qui contempsit dicendo: Non rectus Saûl ad regnandum super nos? Venire facite viros, & occidemus illos.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Et dixit populus ad Samuel: Quis est, qui dixit: Saul non regnabit super nos? Da viros, & interficiemus eos.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et dixit populus ad Samuel: Quis est, qui dixit: quia Saul non regnabit super nos? Trade viros, & mortificabimus eos.

Clar. *Isidor. Clarius ibi.* Saul *non* regnabit super nos.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Ioseph. 1 *Et ait populus ad Samuelem.* Ioseph. libr. 6. Antiquitat. c. 6. aliàs 5. Hæc victoria Sauli nomen apud omnes Hebræos inclytum reddidit, famâ longè latéque fortitudinem viri celebrante. Si qui enim erant, qui priùs eum contemnerent, tunc mutata in diuersum opinione nullo non honore dignum prædicabant: nam non contentus Iabetlenos seruasse in Ammonita um regionem irruptione facta, totam vastauit, & ditaro ex præda exercitu gloriosè domum reuersus est. Populus verò nimio gaudio gestiens placebat sibi, quòd talem Regem esset nactus, & illis, qui inutilem fore dixerât, insultabat rogitans, vbi nunc essent isti contemptores? & ad supplicium eos deposcens: & alia multa iactabat, vt solet multitudo, quoties in aliqua fœlicitate constituta, contra autorum eius aduersarios irritatur.

Literal. Liran. 2 *Et ait populus ad Samuelem.* Liran. ibi. Hic consequenter describitur Saülis confirmatio in Regem, quia populus videbat Saulem potenter triumphasse; ideò volebat eos interficere, qui eum despexerant in sua electione.

Literal. Abul. 3 *Et ait populus ad Samuelem.* Abul. ibi. q. 9. Locuti sunt Israelitæ hoc ad Samuelem, quia ipse veniebat tunc de bello, & erat tanquam dux; potissimè quia hæc offensio facta fuerat Saül, & non decebat quòd ab eo peteretur executio vindictæ, quia forte putaretur nimis crudelis, quia erat propria causa. *Iniuria propria non vindicanda.*

Literal. Mendoz. 4 *Et ait populus ad Samuelem.* Franc. Mendoz. ibi, §. 1. Dubitabis solúmne Samuelem, an etiam Saulem ad vindictam solicitarint? In vtramque partem sumi potest ex littera argumentum. Quòd solum Samuelem: quia ad eum tantùm dixerunt; *quis est iste?* Quòd verò etiam Saulem: quia statim pluraliter addiderunt: *Date viros*: vtrumque igitur dici potest.

Literal. Sanct. 5 *Et ait populus ad Samuelem.* Gaspar Sanct. ibi. n. 22. Hinc collige Samuelem cum Saule simul exercitum duxisse, & illius consilio, rem esse aut omninò, aut magna ex parte confectam. Sic autem res ex voto, & supra opinionem multorum expedita, populorum animos conciliauit Saulí, vt communi studio ad mortem expetierint eos, qui Saulis detractabant imperium, indignumque putabant, quem debitis regio nomine prosequerentur muneribus.

Literal. Abul. 6 *Quis est iste, qui dixit: Saul num regnabit super nos?* Abul. ibi. q. 9. Quasi dicat: Locutus est blasphemiam contra Regem, qui dignus erat accipere principatum, ideò mortis reus est talis vir.

Literal. Author Catenæ. 1 Reg. 10. 27 7 *Quis est iste, qui dixit: Saul num regnabit super nos?* Autor Catenæ. Non ita illi filij Belial dixerat suprà, cap. 10. vers. 27. sed potiùs: *Num saluare nos poterit iste?* Populus verò nimiâ lætitiâ percitus, eorum delictum exacerbauit, vt & nouo Regi, & regni eius Autori Samueli morem gereret, vt notauit Carthus. qui quidem familiaris est detractoribus moribus, vt quidquam dictis, vel factis aliorum ex suo addant cerebro. Vnde colligi datur non eos ex zelo, & studio in Regem, sed ex aliis motiuis eum ad iniuriarum suarum vltionem sollicitasse, in quod potiùs inclinat Mendoza; & confirmatur, quia & alieno tempore vltionem postulabant, nempe in die victoriæ, & lætitiæ, & quod seipsos supplicij ministros offerebant, & fraterni sanguinis effusores. Quorum quidem consiliis si nouus Rex acquieuisset, non mediocriter erraſſet; mali enim consiliarij, & Reges interdum, & Respublicas corrumpunt. Vnde aptè quidem Marius Maximus, meliorem esse Rempublicam, & prope tutiorem referebat, *in qua Princeps malus esset, quam in qua amici Principis* Moral. *Detractorum moribus.* Mendoza. Marius Maxim.

prauo

Fulgosus. Homilius. *Consiliarius qualis?*

prani existerent: quandoquidem vnus malus posset à pluribus bonis corrigi; multi autem ab vno minimè, vt refert Cuspinianus in Consulibus; quâ etiam sententiam Homulio Fulgosus adscribit. Aptos ergo consiliarios omni industria, & solicitudine indagandos, & eligendos clamitant ratio, doctrina, & experimentum. Populus verò, qui hoc sibi munus arrogauit, ad consiliarij officia triplici de causa ineptus erat: prima est ipsius numerus, & multitudo, cum ex aduerso consiliator debeat eligi vnus ex millibus. *Multi pacifici sint tibi: & consiliarius sit tibi vnus de mille.* Eccles. 6. 6. Secunda erat eorum adulatorius animus, à re quidem alienissimus, cùm nihil à veritate, quæ consilij anima est, tantùm distet, quàm assentatio. Tertia denique quòd non iustitiæ zelo, sed vel impetu quodam, & temeritate, vt bellicum furorem satiarent, vel peculiari studio, aut odio in puniendos commouerentur; probi enim consiliarij animus totius debet esse perturbationis immunis, ex quo fortè aquæ puteorum à Salomone comparatur. *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri.* Prouerb. 20. 5. in quo & secretum consiliarij, & pacatus animus commendatur.

Eccli. 6. 6.

Mystic. Beda.

8 *Date viros, & interficiemus eos.* Beda lib. 2. expos. Allegor. c. 4. Nolentibus Dominum recipere Samaritanis; dixerunt filij tonitrui: *Domine vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conuersus IESVS increpauit illos.* Luc. 9.

Literal. Abul.

9 *Date viros, & interficiemus eos.* Abul. ibi. q. 9. Ideſt declaretur, qui sunt illi viri, & exhibeantur, atque occidemus eos hîc: putabant enim iniustum iam inultam Regis sui iniuriam pertransire. Fuit omnium horum causa bellum prospere actum, in quo percussi sunt Ammonitæ, & occisus est Rex eorum, vt ait Iosephus.

Ioseph.

VERSVS XIII.

Vulgata.

Vulgata. Et ait Saül: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Dixitque Saul: Non morietur quisquam die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Et dixit Saul: Non interficietur quisquam hoc die, quoniam hodie salutem operatus est Dominus in Israele.

Ariasm.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et dixit Saül: Non occidetur vir in die hoc: nam hodie fecit Dominus liberationem in Israel.

Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et dixit Saül: Non occidetur quisquam in die ista, quia hodie Dominus fecit salutem in Israel.

Sixtia.

Græca ex Septuag. in Sixtia. Et dixit Saul: Non morietur vllus in die hac: quoniam hodie fecit Dominus salutem in Israel.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Tropol. Gregor. *Iniuriarū venia magna victoria.*

1 *Et ait Saül: Non occidetur quisquam in die hac.* Greg. lib. 5. Variar. c. 1. Samuel abiectus, & Saül despectus, cæsis iam hostibus, consecutâ victoriâ, vociferantem populum audiuit: *Date nobis viros, & interficiemus eos.* Posset quidem vtique non inficiando, sed consentiendo de inimicis vindicari, sed etiam qui abiectus fuerat Propheta loquitur: Rex despectus fauet dicenti: *Non occidetur quisquam*, quia sancti Prædicatores nostri maiori victoria coronantur, cùm aduersa proximorum tolerant, quàm cùm foris hostes expugnant. Vnde & vera Sapientia in Salomone loquitur, dicens: *Melior est sapiens viro forti.* Prouerb. 16.

Prou. 16.

Mystic. Greg.

2 *In die hac.* Idem Ibidem. Notandum est, quod dicitur: *In die hac.* In die quidem victoriæ suæ occidere appetit, qui eos, quos claritate virtutum ad amorem Dei pertrahit, ad nocendum aliis accendit. Vel in die victoriæ occidit, qui ea luce charitatis, quâ in venerationem Prædicatoris adducitur, ad odia eidem Doctori detrahentium excitatur: *Qui enim odit fratrem suum, homicida est*, 1. Ioan. 3. Quia enim de doctrina boni Pastoris sic adiuuandi sunt boni, vt tolerentur mali, &c.

1. Ioan. 3.

Histor. Ioseph.

3 *In die hac.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 6. aliàs 5. Saulus interea studium quidem ac beneuolentiam eorum collaudabat, sed iureiurando assumauit non passurum, vt quisquam è consanguinea multitudine, tam festo die raperetur ad supplicium; periniquum enim esse victoriam à Deo datam, ciuili sanguine polluere, sed magis decere, vt positis odiis, diem epulis, ac hilaritate transigant.

Literal. Tropol. Lira. Seneca.

4 *In die hac.* Liran. ibi. Vt à clementia regnare inciperet, offensas proprias remittendo. Vnde dicit Seneca lib. de Clement: *Nullum ex omnibus magis decet Principem, quàm clementia. Magni enim animi proprium est placidum esse, tranquillumque, offensas, & iniurias remittere: mulisbre autem est litigare, & morem irasui gerere.*

Tropol. Carth. *Principes decet clemtia.* Tullius. Pompei.

5 *Et ait Saul: Non occidetur quisquã in die hac.* Carth. ibi art. 22. Exemplo Saulis discant Reges, & Principes esse ad misericordiam proni, & pœnitentibus indulgere, atque in die sui honoris prosperitatis, & triumphi, non superbire, nec malignari: quod totum vnicuique Christiano sectandum est. Hinc Tullius in laudibus Iulij ait: *Nulla te virtus gratiosiorem exhibebit, quàm tua clementia.* Inclytus quoque Pompeius: *Præclarissimum*, inquit, *victoria genus est, posse vlcisci, & nolle.* Hinc Rex apum, disponente Autore naturæ, caret aculeo.

Literal. Caiet.

6 *Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac.* Caiet. ibi Hinc clarè apparet, quòd Saul & Samuel simul erant in die victoriæ.

Literal. Moral. Mend.

7 *Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac.* Franc. Mend. ibi, §. 2. Causa huius responsionis, seu huius remissionis, fuit duplex: vna, quia Saul in eo die Rex totius Israelis declarabatur: in die vero, quo Reges inaugurabantur, non licebat, aut saltem non expediebat humanum sanguinem effundi, quod duplici potest exemplo illustrari. 2. Regum 3. 39. & ibidem, cap. 19. 22. Altera ratio magis in littera exprimitur, *quia*, inquit, *hodie fecit Dominus salutem in Israel*; nam cùm Deus in eo die benignum se ostenderit suo populo, interficiendo hostes, æquum non erat, vt Saül se ostenderet austerum, interficiendo ciues.

2. Reg. 3. 39. ibid. 19. 22.

Literal. Sanctius.

8 *Non occidetur quisquam in die hac.* Gaspar Sanctius ibi, num. 23. Audiuit Saul quid populus Samueli dixisset, & quid contra viros Belial, qui duriùs in nouum Regem essent affecti, cogitasset, quorum consiliis occurrit prudenter, & mutatum ad vindictam animum hac ratione sedauit. Dixit enim diem illum Israeli toti illuxisse candidum, cùm insperatâ victoriâ concisus esset inimicus insolens, & aliorum animi, qui minus fauebant Hebræorum gloriæ, aut illorum insidiabantur

bantur commodis, fracti ceciderint nec fore ex vsu communi, aut ex sua existimatione, si publicam lætitiam contribulium cædes incestaret.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. Mendoza. *Quale fuerit Saulis iniuriarum condonatio.*

9 *Non occidetur quisquam in die hac.* Autor Catenæ. Quæstionem satis congruam mouent Abul.quæst.10. & Mend.§.1. an scilicet hæc Saulis clementia, & iniuriarum remissio temporaria solùm fuerit; an absoluta, & simplex hoc est, an animo se aliquando vindicandi, hæc promiserit? Affirmat Abul.nam qui *in die hac*, cum limitatione dicit, innuit extra diem hanc vindictę locũ remanere, nec negari supplicium, sed differri in tempus opportunius. Probat secundò ab exemplo Dauidis, qui

2.Reg.3.28. cùm diu ab occisione Ioab 2.Reg.3.28. & ab occidendo Semei propter iniurias sibi illatas abstinuisset

2.Reg.19. 2.Reg.19. moriturus tandem de eis perimendis

3.Reg 2.5. Salomoni filio in mandatis dedit 3.Reg. 2.5. Probabilis quidem hæc sententia est, contraria tamen probabilior, quam potiùs amplector cum Mendoza, quia cùm nusquam constet in posterum Saulem hoc crimen, & sui contemptum vindicasse, non datur sufficiens fundamentum ad credendum non absolutam, & simplicem veniam fuisse: tum maximè, cùm regiam clementiam, & pietatem in suos Rex nouus exhibere procuraret. Nec exempla vrgent, cum Saul posset huiusmodi animum habuisse, licet in suum Dauid oppositum postea induxerit: secundò quia in supplicio Ioab non suas Dauid, sed alienas potiùs iniurias vindicauit, nempe turpe, duplexque homicidium. Semei quoque non quidem propter condonata crimina, sed propter nouam inobedientiæ culpam mortis reus extitit, vt

3.Reg.2.42. patet ex Historia 3.Reg.2.42. Simplici ergo, syncerõq; consilio Saul iniurias contemnentiũ condonauit in quo immutatum iam animũ, & Rege dignum præ se tulit, Cuius magnanimitatem, & clementiam secuti videntur optimi Imperatores Theodosius, & duo eiusdem filij, qui de hac re in hunc

Theodos. Filij. modum edixerunt Cod.lib.9.tit.7. *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto, nomina nostra vrediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, cum pœna nolumus subiugari, neque durum aliquid nec asperum volumus sustinere, quoniam si ex lenitate processerit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum: si ab iniuria, remittendum.* Quid pulchrius, quid regalius?

LITERAL. Lira. 10 *Quia hodie fecit Dominus salutem in Israël.* Liran. ibi. Quasi dicat: Procedendum est ad gratiarum actionem, & non ad occisionem.

LITERAL. Carthus. 11 *Quia hodie fecit Dominus salutem in Israël.* Carthus. ibi art. 21. Sicut misericordiam consecuti sumus à Domino, sic debemus misericordiam facere proximis nostris, & gratiarum actioni, Sacrificiisque insistere.

VERSVS XIV.

Vulgata. *Vulgata.* Dixit autem Samuël ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Dixitque Semuël ad populum: Venite & eamus in Ghilghal, & innouemus ibi regnum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Dixit autem Samuël ad populum: Venite, eamus in Gilgal, & innouemus ibi regnum.

Chaldaic.ex Benedict. Arias Mon in Regia. Et dixit Semuël populo: Venite, & ibimus ad Gilgela, & renouabimus ibi regnum. Ar. Mon.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et ait Samuël ad populum, dicens: Venite, eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum. Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Sixtia. Et dixit Samuël ad populum dicens: Eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum. Sixtian.

PP. ET AVCTORES.

1 *Venite, & eamus in Galgala.* Gregor. lib.5. Variar.cap.1. Quid est, quod adhuc in Galgala tenditur, vt ibi regnum innouetur? Sed magnâ discretione Rex quæritur, & inuenitur, quia altissima sunt Ecclesiarum negotia, quæ si infirmi, & imperiti suscipiunt, ipsa rerum magnitudine deprimuntur. Attentè ergo, & subtilissimâ inuestigatione perquiritur, qui tanto culmini præferatur. Qui profectò valde prædicandus est, non cum quærentium iudicio constituitur, sed quando in ipsa dispositione summi ministerij inuenitur. TROPOL. Gregor. *Prælatus quàm attentè eligendus.*

2 *Venite, & eamus in Galgala.* Liran. ibi. Videns Samuel, quòd populus concorditer consentiebat electioni factæ de Saül, ideò tunc voluit eam innouare, seu confirmare solemniter in loco solemni. LITERAL. Lira.

3 *Venite, & eamus in Galgala.* Gaspar Sanct. ibi num.24. Elegit Galgala, quia illa ciuitas, vnus erat è tribus conuentibus, vbi ius dicere, & vocare populum consueuerat Samuël, vt publica dignitas in conuentu publico traderetur. Deinde quia non longè aberat ab eo loco, in quo tunc erat populus. Constat enim Galgala esse prope Iordanem ex Iosue c.5.vers.9. ibi vnctum opinor esse Saülem, licèt de vnctione in hoc loco nihil audiamus, vt tradit Iosephus; nec obstat, quod in Ramatha secreto iam vnctus fuisset, quia nihil tunc fuit actum publicâ, atque solemni formâ. LITERAL. Sanct. *Saul denuò unctus.* Iosue c.5.9. Ioseph.

4 *Venite, & eamus in Galgala.* Autor Catenæ. Filiis Belial Saülis regnum despicientibus prudenter dissimulauit Samuel, quoutque eorum animos inflectendi occurreret opportunitas; eam verò modo nactus post tam insignem Regis victoriam, minimè prætermittendam censuit, immò vtraque manu amplexus regni innouationem facilè persuasit. In vtroque verò prudentissimum se exhibuit: in priori quidem dissimulatione, quia rebus ipsis repugnantibus quod tempus præstolando insumitur, non teritur, sed prudenter potiùs impenditur; cuius quidem optimi consilij apsum symbolum commendat Plinius Maior lib.15.c.24. Morum, quam, vtpote omnium arborum prudentissimam, stultam per Antithetim Græci vocant; hæc dum tardissimè germinat, quàm citissimè fructificat: *Morus*, inquit, *nouissima omnium germinat, & tamen paris inter primas. Ita qui tempus idoneum præstolantur rei conficiendæ, etiamsi serius cœperint, tamen maturius conficiunt.* In eo verò quod occasionem nactus auidè arripuit, non minùs se prudenter gessit; nam quoties sors, & occasio commoditatem offerunt, corripienda extemplo est, quæ si semel excesserit, teneri non potest, nec redit, cùm neglexeris. Hinc priscorum instituta occipite caluam occasionem fingunt, ne se à tergo sequentibus antam detinendi præbeat. Vnde describit Ausonius. TROPOL. Autor Catenæ. *Occasio exprimenda, & corripienda?* Plinius.

Crime

Auſon. *Crine tegis faciem. Cognoſci nolo. Sed heus! cur*
Occipiti caluo m? Ne tenear fugiens.

Alciat. Quem imitatus Alciatus ſic etiam eam depinxit Emblemat. 121. per Dialogum.

Cur in fronte come? Occurrens, vt prendar. At heus tu!
Die cur pars calua eſt poſterior capitis?
Me ſemel alipedem ſi quis permittat abire
Non poſſim apprenſo poſtmodum crine capi.

Ioan. Dau. Alij verò apud Ioann. Dauid noſtrum lib. de Occaſ. Arrepta. eandem occaſionem effingebant, munerum copiam manibus geſtantem, tempore verò, ſub peregrini ſpecie, & quatuor alis inſtructo comitatam vel etiam celeriter ductam, quò opportunitatis celerrimum tranſitum ſignificarent. Seriùs tamen

Procop. Procop. Hiſtor. lib. 2. de bello Vandalico: *Rerum*, inquit, *humanarum momenta in occaſionis perceptione conſiſtunt. Nam ſi per ignauiam quis fortunam paratam neglexerit, ſi ſuâ culpâ ab ea deſeratur, nequaquam illam, ſed ſeipſum accuſet.* Cuius

Gregoras. aptam comparationem ſcribit Nicephorus Gregoras lib. 10. Hiſtor. cap. 22. in hunc modum. *Celerrima Aquila eſt temporis opportunitas, & occaſio, quæ ad pedes adulans, capi à quopiam poteſt; ſin aufugiat in altum aërem, eos, qui ſe perſequuntur, videt, neque vt ad eos redeat, animum inducit.* Prudenter igitur Samuël & confirmandi Regis opportunitatem expectauit, & nactam gnauiter apprehendit. Sed de his latiùs tom. 3. Inſt. 2. Morali.

Tropol. Beda. *Renouatio mentis.* 5 *Et innouemus ibi regnum.* Beda lib. 2. expoſit. Allegor. cap. 4. Eo magis renouemur ſpiritu mentis noſtræ in agnitionem eius, qui creauit nos, quo hoſtium victores pericula cernimus, quia in veruſtate remanentes, noluerunt reuelare ad Dominum viam ſuam, nec ſperare in eum.

Literal. Caiet. 6 *Et innouemus ibi regnum.* Caietan. ibi. Suauem elegit Samuël modum ad confirmandum regnum Saülis de conſenſu omnium abſque punitione eorum, qui deſpexerant Saülem; vt ſic illi pœnitentes concufrerent vnanimiter cum reliquis ad regnum Saülis.

Literal. Tropol. Mendoz. 7 *Et innouemus ibi regnum.* Franciſc. Mend. ibi §. 1. Si quando filij Belial Saülem contemnebant, & debita ei munera denegabant, tunc Samuël nimis rigidus, & ſeuerus ſe opponeret, & inuitos vi impelleret ad Saülem obſeruandum, fortaſſe nihil proficeret; duræ enim rupes faciliùs ſagittas frangunt, quàm frangantur. Quid ergo Samuël? Diſſimulandum ratus, & expectandum donec populus detumeſceret, ac miteſceret; vbi illum pacatum vidit, & in Saülem optimè animatum, tunc opportunus affuit, & tam facilè impulit, quo voluit, vt non trahi, ſed ſequi videretur; quos enim frangas, ſi vim afferas, facilè inflectes, ſi modum adhibeas.

Literal. Sanctius. 8 *Et innouemus ibi regnum.* Gaſpar. Sanct. ibi num. 24. Deſignatus fuerat Saül in Maſphath, & ſalutatus Rex à frequenti populo; neque tamen ibi dicitur vnctus, aut immolatæ victimæ. Quod licèt ad ſolemnem, legitimámque inaugurationem neceſſarium non eſſet, cùm accederet populi conſenſio; Nihilominùs ex ea cæremonia aliquid accedebat deſignationi ponderis, tum etiam populo ad religioſam Regis obſeruantiam, cùm videret aliquid in ea conſtitutione interceſſiſſe ſacrum.

VERSVS XV.

Vulgata. *Vulgata.* Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Galgala, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus eſt ibi Saul, & cuncti viri Iſraël nimis.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et abierunt omnis populus in Ghilghal, & regnare fecerunt Saül coram Domino in Ghilgal, & ſacrificauerunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus eſt ibi Saül, & omnes viri Iſraël vſque valde.

Vatab. *Hebraic. ex Franciſc. Vatabl.* Et iuit vniuerſus populus in Gilgal, & inaugurauerunt ibi Saulem Regem coram Domino in Gilgal; ſacrificauerúntque ibi ſacrificia gratulatoria coram Domino. Et lætati ſunt ibi admodum Saul & cuncti Iſraëlitæ.

Ariaſm. *Chaldaica ex Beneduct. Ariaſm. in Regia.* Et venerunt omnis populus ad Gilgela, & regnare fecerunt ibi Saul ante Dominum in Gilgela, & obtulerunt ibi oblationem ſanctitatum ante Dominum, & lætatus eſt ibi Saul, & omnis homo Iſraël vſque valde.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et perrexit omnis populus in Galgala, & vnxit ibi Samuël Saulem in Regem coram Domino in Galgalis, & immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino, & lætatus eſt ibi Saul, & cuncti viri Iſraël.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et iuit omnis populus in Galgala, & vnxit Samuël ibi Saul in Regem coram Domino in Galgalis, & ſacrificauit ſacrificia, & pacificas coram Domino. Et lætatus eſt Samuel, & vniuerſus Iſraël quamplurimùm.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *ET perrexit omnis populus in Galgala, &c.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 1. Quia cum Prædicatoris fortitudo cognoſcitur in auditorum ſuorum mentibus honoratur; in Galgala quidem, id eſt rotam, imus, quando per ſacrum eloquium Doctoris noſtri operationem diſcutimus, & eum illic Regem coram Domino facimus, quia quem probabilem cernimus, dignum eſſe tanto culmine iudicamus. Priùs ergo dicitur Saul à populo electus, ad extremum Rex in Galgala conſtitutus coram Domino, quia licèt multâ conſilij grauitate in ſancta Eccleſia Paſtor eligatur, verùm ſit merito, quod eſt ordine non cognoſcitur, niſi cùm operum fortitudine declaratur.

Hiſtor. Ioſeph. 2 *Et perrexit omnis populus in Galgala.* Ioſeph. lib. 6. Antiquitat. cap. 6, aliàs 5. Poſt hæc Samuële monente opus eſſe alteris comitiis, per quæ Saulo rata fiat regni poſſeſſio; conuentus fuit apud oppidum Galgala, ibi rurſum expectante totâ multitudine, Samuël vnxit Saülum ſacro oleo, atque iterùm Regem ſalutari facit. Ita factum eſt, vt mutato Reipublicæ ſtatu, regia dominatio introduceretur.

Literal. Abul. 3 *Et perrexit omnis populus in Galgala.* Abul. ibi quæſt. 11. Non quod ille locus magis conferret ad hoc, quàm alia loca, ſed quia iſte erat vnus ex locis, in quibus conſueuerant congregari Iſraëlitæ, quando iudicabat eos Samuël ſuprà cap. 8. Et quia tranſituri erant per Iordanem, & apud Iordanem eſt Galgala, fiebat eis in itinere iſte locus, ideò viſum eſt conueniens ibi fieri, &c.

Hiſtor. Seuerus. 4 *Et fecerunt ibi Regem Saul, &c.* Seuer. Sulpit. lib. 1. ſacræ Hiſtor. Tunc Saül iterato à Samuële vnctus traditur. *Saul bis vnctus?*

LITERAL. Hieron. *Saul bis vnctus.*

5 *Et fecerunt ibi Regem Saul*, &c. Hieron. in cap. 9. Oseæ. In Galgala Saül vnctus in Regem est, Samuële iram Dei populo nunciante.

LITERAL. Lira.

6 *Et fecerunt ibi Regem Saul*, &c. Liran. ibi. Quia iam translatum erat ibi Tabernaculum Domini, & Arca.

LITERAL. Abul.

7 *Et fecerunt ibi Regem Saul* &c. Abul. ibi q. 12. Fuit ista innouatio confirmatio quædam regni Saülis; & facta est, quia licet à principio fuisset Saül electus per sortes, voluntate Dei in Regem, tamen populus non consensit plenè electioni illi.

LITERAL. Idem.

8 *Et fecerunt ibi Regem Saul*, &c. Idem ibid. q. 13. De aliis vicibus, quibus à populo constituetus est in Regem, scilicet in Galgala, & in Masphath, non constat, an facta fuerit vnctio; satis est tamen verisimile, quòd facta fuerit vtraque vice, quia vnctio ista erat repetibilis. Nunc autem propriè cæpit mutatio politiæ Iudaicæ ad alterum genus.

LITERAL. Caiet.

9 *Et fecerunt ibi Regem Saul.* Caietan. ibi. Iuxta Hebræum habetur: *Et fecerunt regnare ibi Saul.* Regem siquidem priùs fecerant, sed modo fecerunt eum regnare, hoc est, regalem statum assumere, & officium exercere in conspectu Domini, hoc est cum ea reuerentia diuina, perinde ac si adstarent coram Domino.

HISTOR. Sabell.

10. *Et fecerunt ibi Regem Saul.* Sabellic. Enead. 1. lib. 7. Secundum hanc victoriam, conuentu in Galgalam vniuerso genti indicto, Saülus iterùm est à Samuële Iudæorum Rex inunctus. Enimverò multis vana visa fuerat prior illa declaratio; fuissentque fortasse post victoriam, & illi ad supplicium requisiti, qui Regem Iudibrio habuerant, nisi Saülus nondum stabilito regno seditionem metuisset.

HISTOR. Turfel.

11 *Et fecerunt ibi Regem Saul.* Oratius Turfel. lib. 1. Epitom. Administrata est res Iudæa à Iudicibus, annis circiter CCCC. Saul Israëlitarum Rex primus cum regno regium accepit animum anno post mundum conditu prope MMDCCCC.

LITERAL. Mend.

12 *Et fecerunt ibi Regem Saul.* Franc. Mend. ibi. §. 4. Aduertè, quamuis in littera non exprimatur, quibus cæremoniis facta fuerit hæc Regis innouatio; probabile mihi esse & vnctione Regis, & acclamatione populi factam fuisse. De acclamatione non videtur dubium: nam illa populi lætitia, quæ in littera exprimitur in faustas, & gratulatorias voces erumpebat: *Viuat Rex.* Vnctionem verò adhibitam fuisse probabile sentit Abulensis hoc loco, & Caietanus cap. sequent. n. 3.

Abul. Caiet.

LITERAL. Author Caten. Hieron. Ioseph. Comest. Sulpit. Abul. Naucler. Sabell. Caiet. Mendoza. Salian. Septuag. Vulgat. Lira. Salian.

13 *Et fecerunt ibi Regem Saul.* Autor Catenæ. An Saul denuò vnctus fuerit, non exprimit littera, affirmant verò Hier. Ioseph. Comest. Sulpit. Abul. Naucler. Caietan. Sabellic. Mend. Salian. & alij, quorum auctoritati adstandum foret, etiamsi Septuaginta in Complut. Reg. & Sixtia id non expressissent. In eius verò inauguratione, & salutatione hostias pacificas immolatas refert Vulgata. Septuaginta in Sixtia addunt: *Sacrificia, & pacificas.* Vnde holocausta etiam oblata significantur quæ in vnius Dei honore fierent, ne si solùm hostias pacificas mactassent, suæ potius vtilitati, quæ ex eo genere sacrificij prouenichat offerentibus, studuisse viderentur. Regni verò innouatio ex eo facta coram Domino in Galgala perhibetur, quòd locus ille sacer iam esset, & in Dei obsequium, & religionem iam antea electus, non verò quòd ibi tum temporis Arca, aut Tabernaculum constiterint, vt existimauit Lira, (& suspicatur Salianus,) quem impugnat Abulens. quæst. 11. & nos suprà non semel. Ibi ergo Saulem fecerunt Regem, non quòd sortes iterùm iactæ fuerint vt credidit Salianus, hoc enim necessarium non erat; sed quòd instauratæ cæremoniæ fuerint, & publica inclamatio: *Viuat Rex.*

14 *Coram Domino.* Abul. ibi. quæst. 13. Quia ibi Deus specialiter esse videbatur, non quòd Tabernaculum ibi esset, sed quia erat locus in quo impendebatur Deo speciale obsequium, scilicet sacrificiorum, & quia congregati erant omnes Israëlitæ ad faciendum aliquid, quod pertinebat ad Deum.

LITERAL. Abul. *Arca non in Galgala.*

15 *Coram Domino.* Vatabl. in schol. Idest coram Altari Domini, quod erat constructum in Galgal.

LITERAL. Vatab.

16 *Et immolauerunt ibi victimas pacificas.* Abulens. ibid. quæst. 14. Israëlitæ volebant tunc gaudere in epulis propter solemnitatem Regis nouiter assumpti; etiam propter solemnitatem victoriæ, ad hoc autem conueniebant hostiæ pacificæ, quia de his maior pars offerentibus proueniebat.

LITERAL. Abul.

17 *Et immolauerunt ibi victimas pacificas.* Caietan. ibi. Ecce Saul, & Samuël simul in Galchalis sacrificantes Deo, absque vlla dissensione; vt hinc perpendamus verum esse, quod diximus in præcedenti capitulo verba illa Samuëlis ad Saulem: *Descendes ante me in Galgala*, aut esse mandatum generale; aut fuisse mandatum de descensu in Galgala ante prælium contra Hammonitas, quod angustia temporis non permisit impleri.

LITERAL. Caiet.

18 *Et lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israël nimis.* Rupert. lib. 4. in Oseam cap. 9. ad illa verba: *Omnis nequitia eorum in Galgal.* Oseæ 9. 15. Regem ibi fecerunt supra voluntatem Domini, & cùm Dominus non lætaretur in eis, immò diceret ad Samuëlem: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*; ipsi contemnentes offensionem, seu conquestionem Domini; lætabantur, sicut ibi manifestè scriptum est: *Lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israël nimis.* Verè *nimis*, quia nimium est homines lætari, cùm malefecerint, & exultare in rebus pessimis.

LITERAL. TROPOL. Rupert. *Peccatoris lætitia mala.* Oseæ. 9. 15.

19 *Et lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israël nimis.* Franc. Mend. ibid. §. 7. Mystice neque Samuël, neque viri Iuda dicuntur exultare, quia repræsentat viros iustos, qui de rebus temporalibus nullam hauriunt voluptatem, timentes, ne æternâ calamitate postea commutetur.

TROPOL. Mendoza. *De temporalibus ne exultes.*

LITERAL, Author Catenæ. Vulgata. Sixtia. Flamin.

20 *Et lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israël nimis.* Autor Catenæ. Credo Samuëlem, etiam & viros Iudæ exultasse, licet non exprimat vulgata Samuëlem, quia significat Sixtiana, & annotauit Flamin. in schol. sic etiam in vetustis Codicibus haberi: Viros verò Iudæ, quia licèt Regis expetitio praua fuerit, eius tamen qui à Deo præbebatur, acceptio & inauguratio proba erat, & honesta; possent ergo de illa etiam viri Iudæ collætari cum sociis. Non verò de eis exprimitur, quia sub viris Israëlitis includebantur. Licèt enim cùm ad prælium confluerent specialis de eorum numero mentio fiat, ratio tunc fuit, quia ad bellum aptiores, & fortiores erant; modo verò cùm in eorum lætitia nihil peculiare fuerit, non opus fuit, vt specialius nominarentur. Qui verò aliter sentiunt, ad mysticos sensus dilabuntur.

METAPHRASIS CAP. XI.

Ex superiori Interpretum doctrina.

MENSE post Saülis inauguratione, transacto, Naas Ammonitarum Rex, qui paulò ante Israelitas bello vexauerat, & Regem, qui resisteret, expetere à Samuële compulerat, Iabin eorum vrbem, & suæ ditioni proximam magnis copiis obsedit, incolis autem, quos impares nouerat, deditionem vltro, & tributum offerentibus non concessit, nisi eâ prius ignominiâ afficerentur, vt dextris oculis viri orbari se sinerent, vel secùs necem, vrbisque & domorum excidium expectaret. Quibus ciues exterriti septem dierum inducias petunt, vt si interea præsidia ex amicis comparent, cum hoste confligant; sin aliter cedant victoris arbitrio vtcumque tractandi. Nec Naas, sibi de victoria securus inducias, & conditionem detrectauit. Illi verò parùm de Rege cogitantes ad quæque Israelitarum oppida oratores immittunt qui se in extremam desperationem adactos significent, auxilium, & suppetias petant: sed lachrymæ, & gemitus non amplius ab audientibus impendebantur. Quod cùm in Gabaa Saülis vrbe similiter accidisset, is, qui fortè rustico labori incumbens aberat, domum post boues reuersus, audiráque suorum comploratione, rationem tanti gemitus ab ipsis scisciatur, & discit: tunc demum acri quodam Dei Spiritu correptus, & iustâ accensus irâ, corripit extemplò vtrumque bouem, iugulat, & in frusta diuisos immittit cunctis Israëlitarum vrbibus, & villis, imperio in hæc verba edicto: Ite: & omnibus Israelitis dicite: Quisquis me Regem, & Samuëlem Prophetam ad prælium in Ammonitas prosequi detrectauerit, sic in eius pecoribus sæuiendum fore. His auditis tantus Israëlitarum cordibus diuinus timor obreplit, vt continuò qui armis apti essent, (iis exceptis, quos in vrbium, & fortunarum custodiam relinqui oportuit) vnà ad Saülem vndique confluxerint; quos cùm apud Bezech prope Iordanem vrbem communeraſſet, reperit ex filiis Israël trecenta millia; ex Tribu verò Iudæ, qui & fortiores & armorum peritiores erant, triginta millia. Tum demum de exercitu securus, Iaabenis nuntios remittit cum mandatis, ne de auxilio futuro dubitent sequenti enim immediatè die, ante meridianum tempus eidem affore, opem, & salutem allaturum. Exultant Iabitæ his cognitis, & immittis hosti oratoribus, significant die posterâ deditionem se facturos, eorúmque subituros arbitrium, quo securiores eos, & incurios redderent. Saül verò ipso die inde cum exercitu profectus, & tota nocte procedens, ingens spatium transgressus, cùm ad hostem ante lucem accessisset, triplici agmine, imparatum, & nihil tale expectantem impigrè ante Solis ortum aggreditur, Regeque occiso mordunata castra profligauit, & funditùs deleuit. Victoriam plausus consequitur, & nimiâ populus percitus lætitiâ, vt victori morem gerat, eos à Samuële in cædem expetit, qui Saülis imperium subire priùs detrectauerant. Rex verò non impari animi moderatione hac fortitudine commilitum negat, vt festiuissimo die fraterno sanguine victoria diuinitùs concessa polluatur; sed potiùs transactæ iniuriæ in oblitionem eant. At Samuel inspecta eorum promptitudine, confirmandi Regis opportunitatem nactus, minimè prætereundam censuit. Indixit ergo comitia in oppidum Galgala, quod ipso se itinere offerebat, quibus Saülis regnum instaurent, Regemque nullo iam repugnante salutent. Paruit lubenter populus, & in eum locum confluentes regiam Saülis potestatem confirmarunt coram Domino, qui optimo consilio specialiter adesse credebatur. Rex denuò à Samuële sacro oleo perungitur: Deo in gratiarum actionem holocausta, & victimæ pacificæ mactantur, ex quorum reliquiis instruuntur conuiuia, exultant Rex, & Propheta, & totus cum eis populus exhilaratur.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS.

CONGREGATO populo, suam Samuël, dum Rempublicam administrauerat, integritatem ostendit. Probat populus. Deinde diuinâ in eos prouidentiâ, ac beneficentia commemorata, ipsorum ingratitudinem obiicit, & de postulato Rege incusat, reique malitiam miraculo comprobat, trementes confirmat, & pro eis orat. Tandem modum quo deinceps se gerant, optimáque eisdem consilia præbet.

CAPVT DVODECIMVM.

DIXIT autem Samuel ad vniuersum Israël: Ecce audiui vocem vestram, iuxta omnia quæ locuti estis ad me, & constitui super vos regem. 2. Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui, & incanui: porro filij mei vobiscum sunt: itaque conuersatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem, ecce præsto sum. 3. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrùm bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis. 4. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. 5. Dixitque ad eos: Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis. 6. Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moysen & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti. 7. Nunc ergo state, vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris: 8. Quo modo Iacob ingressus est in Ægyptum, & clamauerunt patres vestri ad Dominum: & misit Dominus Moysen & Aaron, & eduxit patres vestros de Ægypto: & collocauit eos in loco hoc. 9. Qui obliti sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, & in manu Philisthinorum, & in manu regis Moab, & pugnauerunt aduersum eos. 10. Postea autem clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & seruiuimus Baalim & Astaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum: & seruiemus tibi. 11. Et misit Dominus Ierobaal, & Badan, & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidenter. 12. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. 13. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis & petistis: ecce dedit vobis Dominus regem. 14. Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini, eritis & vos, & rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. 15. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros. 16. Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. 17. Numquid non messis tritici est hodie? inuocabo Dominum, & dabit voces & pluuias: & scieris, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. 18. Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluuias in illa die. 19. Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem, & dixit vniuersus populus ad Samuelem: Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur. addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis regem. 20. Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos fecistis vniuersum malum hoc: verumtamen nolite recedere à tergo Domini, sed seruite Domino in omni corde vestro. 21. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. 22. Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum: quia iurauit Dominus facere vos sibi populum. 23. Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam. 24. Igitur timete Dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro. vidistis enim magnifica quæ in vobis gesserit. 25. Quod si per seueraueritis in malitia: & vos & rex vester pariter peribitis.

VERSVS PRIMVS.

Vulgata. *Vulgata.* Dixit autem Samuël ad vniuersum Israël: Ecce audiui vocem vestram, iuxta omnia, quæ locuti estis ad me, & constitui super vos Regem.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xantz Pagnin.* Dixit autem Samuël ad vniuersum Israël: Ecce audiui vocem vestram in omnibus, quæ dixistis mihi, & regnare feci super vos Regem.

Hebraica ex Franc. Vatab. Samuël verò dixit ad vniuersum Israëlem: Ecce auscultaui voci vestræ in omnibus, quæ locuti estis ad me, & præfeci vobis Regem. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et dixit Samuel ad omnem hominem Israël: Ecce recepi dicta vestra ad omnia, quæ dixistis mihi, & regnare feci super vos Regem. Ariasm.

Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia. Et dixit Samuël ad vniuersum virum Israel: Ecce audiui vocem vestram, & omnia quæcumque Complut. Regia.

que locuti estis mihi, & regnare feci super vos Regem.

Sixtia. *Grac. ex Septuag. in Sixtia.* Et dixit Samuël ad vniuersum Israël : Ecce audiui vocem vestram in omnibus quæcumque dixistis mihi, & feci regnare super vos Regem.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Lira. 1 *Dixit autem Samuel, &c.* Lira.ibid. Viderat populus Regem electum prosperè egisse, & ideò poterat credere in petendo super se Regem non peccasse; cuius contrarium Samuel ostendit in hoc capite, primò suam innocentiam, secundò populi culpam.

LITERAL. Abul. 2 *Dixit autem Samuel, &c.* Abul.ibi.q.2. In hoc, quod significat se non fecisse sponte, sed propter eorum importunitatem; innocentiam suam ostendit; eos autem reos.

LITERAL. Idem. 3 *Dixit autem Samuel, &c.* Idem ibid. Quæret aliquis quare Samuel increpuit, tunc Israëlitas de petitione Regis, faciendo ea, quæ fecit, & non ante hoc? Dici potest, quòd Samuel intendebat Israelitas increpare grauiter pro petitione Regis, & quia si fortè increpasset eos ante istam pugnam, & confirmationem, voluissent desistere à Rege, dimittendo Regem electum, quòd erat in præiudicium Saulis iam regnantis, & contra voluntatem Dei; ideò non fuit facta increpatio vsque ad tempus istud, in quo non poterant Israelitæ desistere.

LITERAL. Carthus. 4 *Dixit Samuel, &c.* Carthusianus ibid. art.23. Volens Samuel gloriationem illorum moderari, & reuocare ipsos à præsumptione, ne scilicet præsumerent se bene egisse, Regem petendo, ostendit eisdem verbis, atque prodigiis, quòd Regem petendo peccauerint.

LITERAL. Caietan. 5 *Dixit autem Samuel, &c.* Caietanus ibid. Hæc Samuelis verba ad populum coram Saüle Rege ibidem (hoc est in Galgalis) innouato Regno intelligе dicta; tunc enim iudicio se supposuit Regis, si quis aliquid aduersùs eum haberet.

LITERAL. MORAL. Mendoza. *Samuelis prudentia.* 6 *Dixit autem Samuel, &c.* Franc.Mend.ibi.§.6. Vt vtilior euaderet increpatio, populi beneuolentiam captauit, tuam erga ipsum populum indulgentiam ostendens; increpatio enim, quæ à benеuolo animo proficiscitur, libentius auscultatur. Vnde Dauid. *Corripiet*, inquit, *me iustus in misericordia, & increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Psal.140.

Psal.140. LITERAL. Sanctius. 7 *Dixit autem Samuel, &c.* Gaspar Sanct.ib.n.1. Priusquam populus dissolutis, comitiis dilaberetur, integritatem suam coram omnibus probari vult, aut spectari Samuel. Quare concionem habuit plenam dignitatis, plenam officij; vitámque suam, & administrationis modum iniquis etiam iudicibus explorandum, & examinandum proposuit; paratus reddere, si quidquam iniquè ab aliquo sustulisse arguatur.

LITERAL. TROPOL. Author Catenæ. Liran. 8 *Dixit autem Samuel, &c.* Author Catenæ. Reprehendit hoc capite Samuel Iliaelitas propter insanam Regis petitionem. Cur verò id antea non præstiterit, ratio idonea est, quam reddit suprà Liranus; ne scilicet populus cùm fælicem expetiti Regis euentum vidisset, maniter gloriaretur, & se in eius postulatione crederet non errasse, sed prudenter se egisse; is enim frequens est imperitorum error, vt ex euentibus consiliorum probitatem metiantur, vt optimè annotauit Plinius Iunior Ep.22. ad Ruffum.in lib.5.ib. *Sit omnino iniquum, sed vsu receptum, quòd honesta consilia, vel turpia, prout malè, vel prosperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta, modo diligentiæ, modo vanitatis, modo furoris nomen accipiunt.* Qui fortè Liuium legerat lib.7. de bello Punico eundem errorem exprobrantem. *Ex euentu, quo nihil iniquius est, famam hominis habent. Sed quia inepti simа hæc stultorum opinio, vsu recepta est*; vt ait Plinius, prolixiori indiget impugnatione. Quam stultitiæ censuram in eos Seneca impingit, dicens: *Euentus stultorum magister est.* Et Tragicus in Hercule furente : *Prosperum, ac fœlix scelus, virtus vocatur.* Tullius verò Orat. pro Rabirio, & Epist.ad Lentul. frequentissimum hoc malum esse conqueritur. *Consilia*, inquit, *plerumque effectu pŏderamus; & cui benè processerit, multùm illum: & cui secùs, nihil illum sensisse dicamus.* Maturè verò inter alios Boet.Seuerin. *Is*, inquit, *nostris malis cumulus accedit, quòd existimatio plurimorum non merita, sed fortuna spectat euentum, eáque iudicat præmissa, quæ fortuna commendauit.* Quod idem confirmat Accursius *leg. Sed an vltro, ff. de Negotiis gestis.* Sed in re militari, de qua in præsens Eleazarus ille apud Egesippum lib.5.de Excidio Hierosol.c.vlt. sic eloquenter fatur: *Non enim ex euentu victoria, quæ frequenter incerta est, sed ex propositi constantia virtus spectatur. Vnde conijcere liquet, quia hostem subiscere, fortis est: non mutare mentem, virtutis.* Hinc quoque probandum sanum Carthagin. consilium, de quibus Valer.Max.lib.1.c.7.sic testatur: *Carthagin. senatus bella prauo consilio gerentes, etsi prospera fortuna subsecuta esset, crucis tamen affigebant, quod benè gesserat, Deorum immortalium adiutorio: quod malè gesserat, ipsorum culpa imputantes.* Idem etiam commendat Alex. ib Alexand.lib.4.cap.6. *Spartani quoque non Imperatorem, qui victus fuisset, sed qui malo consilio pugnasset, acriter plectebant.* Nec Romanis hæc gloria defuit, vt videre est in Aulij Manlij Torquati consilio, qui vt Authores sunt Liuius Decad.1. lib.8. Valer.lib.2. cap.7. Gellius, & alij cùm filium bello Latino, aut Gallico, vt ait Cato apud Salust.Orat.contra Coniuratos victorem, & spectosa spolia referentem excepisset, quòd sine patris consilio, & iussu hostem aggressus fuisset, iussit securi percuti, & obtruncari. Quod idem præstiterat Thebarum dux Epaminondas, vt refert Plutarc. lib.de Paral. c.25. nam filium etiam Stesibrotum victoriâ exultantem ex eadem causa iugulauit. Rationem autem congruentissimam docent Sallust. & Valer. ex quibus hic. *Plerumque enim*, ait, *temeritas eos iuuat, vbi prauo consilio propiùs adspirat, & quò vehementiùs nocebat, desperatiùs prodesse.* Ille verò ad Cæsarem : *Sæpè prauа magis quam bona consilia prosperè euenиunt.* Ioannes quoque Barclaius in Argenide lib.1. *Sæpè*, inquit, *temeritas, & fortuna felicius iudicant, quàm inter momenta prudentia incerta, laborántque solertia.* Cùm ergo sæpè felix euentus improbum sequatur consilium, malè quidem ex effectus varietate mentis maturitas, & prudentia comprobatur, vnde S.Sidonius Apoll. Epist.6. in lib.4. optimè concludit. *Licèt inchoata via potueris prosperari, ego tamen eiusmodi consilio album calculum minimè ponam, cuius temeritas absolui nequit, nisi beneficio felicitatis.* Consilium ergo prudens maturúmque sit oportet, quisquis euentus, aut effectus subsequi per accidens possit. Vt benè concludit Apuleius lib.4.Floridor.his verbis: *Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est, & sicut ad pœnam sufficit meditari puniendа, sic & ad laudem satis est conari prædicanda.*

Consilia euentibus non metienda. Plin. Liuius. Gellius. Plutarc. Barclaius. S.Sidon. Apuleius.

Accedit

Seneca. Accedit Seneca Epist. 14. scribens: *Initia in potestate nostra sunt; de eventu fortuna diudicat.* Nec profani solùm, sed & Paulus 1.Cor.3.8. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem.* Vbi Chrys. hom.21. in Ioan. sic exponit. *Secundùm proprium laborem, non secundùm rerum euentum.* Si quis verò eâ adhuc insaniâ agitur, vt ex vna euentuum alea consiliorum probitatem metiendam fore censuerit, nusquam fælices euentus consequatur dignus est, vt eidem profanus imprecatur, canens. Epist. ad Demophon.

1.Cor.3.8.

——— careas successibus opto
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Ouid. Sed de his satis. Qui plura velit, consulat Catanæum Scholiastem Plinij lib.5. Epist. 21. Riua de Neiram lib.2. de Principe Christ. cap. 32. Ioann. Turrian. lib.8.Philosoph. Princ. cap.9.& 10. Ioan. Sauarum ad Epist.6. lib.4. Sidon. Apollinar. Consulat denique nobilissimos, & eruditissimos nostros Iurisconsultos, & regios Consiliarios, D.Laurent. Ramirez de Prado in Introduct. ad Ioan. Cochier. & D.Ioan. à Solorzano in aeri quidem,& perdocta Accusatione infelicissimi Ducis Ioannis à Benauides à num.235. vbi institutum confirmat authoritate Pomponij in *l.2. ff. de Itinere, actuque priuato. leg. Vtique, §. Culpa de Vsufruct. l. Quem admodum si nauis, ff. ad l. Aquiliam.* Tiberij Deciani, Decij, & aliorum Iurisconsultorum.

Catanæ. Riua de Neir. Ioan. Turr. Ioan. Saua. Sidó. Apol. Ramirez. Ioan.Solor. Pompon. Tiberius Decian. Decius.

LITERAL. MORAL. Gregor. 9 *Et constitui super vos Regem.* Gregorius lib.5. Variar. cap.2. Quasi aliis vocibus dicat: Quia non pro me, sed pro vobis præfui, dignitatem, quam tenui, libenter alij dedi.

LITERAL. Abul. 10 *Et constituit super vos Regem.* Abul.ib.quæst.2. Dixit, quòd ipse constituerat, eo quòd ipse consuluit Dominum pro Rege, & Deus designauit ei modum, & personam, & ipse congregans populum fecit, sicut Deus iusserat.

VERSVS II.

Vulgat. *VVlgata.* Et nunc Rex graditur ante vos: ego autem senui, & incanui: porrò filij mei vobiscum sunt: itaque conuersatus coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem, ecce præsto sum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et nunc ecce Rex graditur coram vobis: ego autem senui, & incanui,& filij mei ecce sunt vobiscum, & ego ambulaui coram vobis ab adolescentia mea vsque ad diem hanc: ecce adsum.

Vatab. *Hebraica ex Francisc. Vatab.* Nunc igitur ecce Rex ipse incedit ante vos; etenim ego senex sum, & canus (filij verò mei vobiscum sunt) & versatus coram vobis à pueritia mea in hunc vsque diem.

Ariasm. *Chald.ex Bened. Ariaym.in Regia.* Et nunc ecce Rex ductor in capite vestro:& ego antiquatus sum, & senui,& filij mei ecce illi vobiscum,& ego ambulaui ante vos à iuuentute mea, vsque in diem hunc.

Complut. Regia. *Græca ex Sept.in Complut.& Regia.* Et nunc ecce Rex graditur ante vos: & ego senui, & incanui: & ecce filij mei in vobis sunt: & ego ecce conuersatus sum cum vobis ab adolescentia mea,& vsque ad diem hanc: ecce ego.

Sixtin. *Græc.ex Sept. in Sixtina.* Et nunc ecce Rex graditur ante vos, & ego senui, & fedebo; & filij mei ecce in vobis: & ego ecce ambulaui coram vobis à iuuentute mea,& vsque ad diem hanc:Ecce ego.

Chrysost.hom.in illud Pauli. Vtinam sustineretis modicum 2.Corinth.11. tom.3. Ecce ego conuersatus sum coram vobis ex adolescentia mea: vsque in hunc diem iudicati estis à me coram Domino, & coram Christo eius. Chrysost.

PP. ET AVCTORES.

HISTOR. Comest. 1 *ET nunc Rex graditur ante vos.* Comestor in Histor.Schol. cap.11. Et ait Samuel ad populum: Ecce Rex graditur ante vos.Me abiecistis, & Dominum.

LITERAL. Abul. 2 *Et nunc Rex graditur ante vos.* Abul.ib.q.2. Id est ego volo vos increpare pro petitione Regis: non tamen intelligatis, quod hoc est, quasi ego velim, quòd relinquatis eum, quia iam graditur ante vos, id est iam dominatur vestri, & si ego voluissem increpare ad hoc, quod relinqueretis Regem, non feciissem nunc, quando Rex est confirmatus super vos, sed à principio, antequam haberetis.

LITERAL. Vatab. 3 *Et nunc Rex graditur ante vos.* Vatabl. in Scholiis. Id est Reipublicam vestram est moderaturus me sene.

LITERAL. Mendoza. 4 *Et nunc Rex graditur ante vos.* Franc.Mend. ibi.§.1. Populus postularat,vt Rex ante se egrederetur ad bellum, dicens: *Iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis:* suprà cap.8.20. ergo Samuël,vt ostendat se huic voto satisfeciisse, *Et nunc* inquit, *Rex graditur ante vos*: quasi diceret: Feci quod postulastis:quærebatis Regem, qui ad bellum ante vos egrederetur; ecce dedi vobis Saulem, quem modò vidistis ad bellum strenuè, & feliciter præeuntem. 1 Reg.8.20.

LITERAL. Author Catenæ. 5 *Et nunc Rex graditur ante vos.* Author Cat. Hebraismus est, quo Princeps qui tractet publica, indicatur; vt sæpè aliàs in Scriptura. *Omnis Israel, & Inda diligebat Dauid, ipse enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos.* 1.Reg.18.16. & populus ad eundem: *Tu eras educens, & reducens Israel.* 2.Reg.5.2. & alia id genus. 1.Reg.18.16. 2.Reg 5.2.

LITERAL. MORAL. Greg. 6 *Ego autem senui, & incanui.* Gregorius lib.5. Variar. cap. 2. In dignitate iam senui, & tamen longus vsus præeminendi, quem tenui, obligarum me in sui ambitione non tenuit.

LITERAL. Abul. 7 *Ego autem senui, & incanui.* Abul.ibid. q.2. Id est multorum dierum sum, & tamen in toto tempore isto, cùm dominarer vobis, nunquam iniustè egi.

LITERAL. Salian. 8 *Ego autem senui, & incanui.* Salian. tom.3. Annal. ann.Mundi 2963. num.59. Agebat quippe sexagesimum tertium, vt qui natus fuerat anno secundo Heli.

MYSTIC. Greg. 9 *Porro filij mei vobiscum sunt.* Gregorius suprà. Quid est, quod ait: Filij mei vobiscum sunt, nisi quia sanctis viris magna vis amoris spiritualis est, quâ filius ad culmen nascentibus ius auferunt successionis?

LITERAL. Clar. 10 *Porrò filij mei vobiscum sunt.* Isidor.Clar.ibi. Videtur ea ratione hoc dicere, vt in quæstionibus legis, & iudiciorum, vti eorum consiliis possent tam Rex, quam alij,cùm Rex discere illa hactenùs non potuerit.

LITERAL. Liran. 11 *Porrò filij mei vobiscum sunt.* Lira.ib. Quasi diceret: Remanebunt pro me obsides ad satisfaciendum,si alicui tenear,& satisfacere non possim.

LITERAL. Abul. 12 *Porrò filij mei vobiscum sunt.* Abul.ibid.q.3. Id est, quanquam ego senuerim, & incanuerim, & videar aliqualiter impotens, tamen filij mei vobiscum

cum sunt,qui poterant pro me regere,nec oportebat quod petereris Regem.

LITERAL. Carthus. 13 *Porrò filij mei vobiscum sunt.* Carthus. ibid. art.13. Tanquam parati ad obsequium Regis, & communitatis. Vel vt exigatis ab eis si aliquid habent à me, quod alicui vestrum iniustè abstulerim.

LITERAL. Caietan. 14 *Porro filij mei vobiscum sunt.* Caietan.ibid. Liberam proponit facultatem populo petendi iustitiam aduersus filios suos,& aduersus se; diuersimodè tamen,quoniam circa filios non se extendit, sed sat esse censuit obtulisse eos iudicio, de se ipso autem diffuse prosequitur.

LITERAL. Charen. 15 *Porrò filij mei vobiscum sunt.* Hugo Charens.in Post. Quasi dicat: Inter vos nutritus sum & filij mei similiter, vnde potestis scire conuersationem meam;vtrùm scilicet fuerim iniuriosus alicui.

LITERAL. Vatab. 16 *Porrò filij mei vobiscum sunt.* Vatab.in Schol. Idest succedent in locum meum: poteritis eos consulere.

LITERAL. Saa. 17 *Porrò filij mei vobiscum sunt.* Emanuel Saa in Schol. Hoc est, possunt,si quid opus fuerit, pro me vobis seruire.

LITERAL. Mend. 18 *Porrò filij mei vobiscum sunt.* Franciscus Mendoza ibid.§.7.Quasi diceret: optimè illos nostis,& ab illis in meam vitam facilè inquiretis, an ego illorum malitiam fouerim, aut iuuerim, aut aliquo patrocinio ad iniustitiam exercendam incitauerim. Secundò sic expono, quasi diceret: Fateor meos filios iniquos esse, sed quid ad me? Nam ipsi iam non sunt sub mea potestate, sed vobiscum sunt. Vnde iam ad meam curam non spectant.

LITERAL. Author Catenæ. Mendoza. 19 *Porrò filij mei vobiscum sunt.* Author Catenæ. Quàm sint variæ Interpretum expositiones vides,quarum plures aptè impugnat Mendoza: illæ verò,quæ ab ipso excogitantur, non magis mihi placent, fere enim omnes à contextu abhorrent. Dicendum potiùs in his studere Samuelem, vt duo Israëlitis ob oculos opponat; Primum,suum erga populum continuum studium,& obsequium, quod probat tum ex vitæ suæ penè totius decursu,in eorũ gubernatione vsq; ad canitiem expensæ,& quidem cum iustitia, & integritate: tum ex filiorum suorum industria, & opera, qui licèt minùs recti, & probi,populi tamen officijs addicti erant, quod innuit, dicens:*Porro filij mei vobiscum sunt.* Hoc est, vos filiorum meorum opera,si qua est, vtimini, & me eorum vlibus priuato, apud vos habetis. Alterum verò quod illis probare conatur, est prædictis suis, & filiorum officijs ipsorum Israelitarum ingratitudo,qui spretis omnibus, & pro nihilo ductis,& suum, & filiorum regimen abiecerant; Et Deo etiam repugnante, Regem pertinaciter expetierant, quod per sequentes versiculos præstat.

LITERAL. Vatab. 20 *Itaque conuersatus coram vobis ab adolescentia mea.* Vatab.in Schol. Proh! Rempublicam vestram administraui.

TROPOL. Fran.Mend. ibi.§.3. 21 *Itaque conuersatus coram vobis ab adolescentia mea.* Videtur locutus de solo tempore,quo populũ iudicauit,quasi in hoc tãtùm temporis spatio suam innocentiam probare voluerit. Qua in re magnopere cernitur modestia Samuelis, qui eam tantùm partem vitæ suæ commendatam esse voluit, cuius tunc necessaria erat commendatio.

LITERAL. Sanct. 22 *Ab adolescentia mea.* Galpar. Sanct.ibidem num.2.Ex hoc loco, & superiori coniecto ad quadraginta fermè annos, certè à triginta & octo Samuelem summam in Israële tenuisse præfecturam; nam in ea consenuisse, & incanuisse ex hoc loco manifestè liquet.

VERSVS III.

Vulgata. VVlgata. Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrùm bouem cuiusquam tulerim,aut asinum:si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituámque vobis.

Benedict. *Benedict. in margine.* Ferte testimonia de me coram Domino, &c. Si de manu cuiusquam munus accepi,& abscondi oculos meos super eo.

Gloss. *Text.Gloss.in margine.* Testificamini contra me coram Domino, & coram Christo eius; vtrùm bouem cuiusquam tulerim, aut asinum si cuiuspiam occupaui: Si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & abscondam oculos meos ab eo.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Testificamini contra me coram Domino, & coram Christo eius; vtrùm bouem cuiusquam tulerim, & asinum cuipiam acceperim, & cuipiam vim intulerim, & quemquam contriuerim; & de manu cuiquam tulerim pretium, & occultauerim oculos meos ab eo, & restituam eis.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatablo.* En ego: Testificamini de me coram Domino, & coram Vncto eius, cuius bouem accepi? Cuius verò asinum accepi? Cui vim intuli, aut quem contriui? De cuius verò manu accepi munus expiatorium, vt ei oculis meis conniuerem,& restituam vobis.

Atiasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Ecce vsquedum ego viuens: Testificamini in me ante Dominum,& ante Vnctum eius,bouem cuius accepi,& asinum cuius munere accepi,& quem oppressi,& quem contriui, & à quo accepi mammon falsitatis, & inclinaui oculos meos ab eo in iudicio, & reddam vobis.

Compl. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Respondete contra me, & coram Domino, & coram Christo eius, si bouem cuius vestrum accepi, vel asinum cuius accepi,vel cui vestrum vim intuli,vel quem oppressi vestrum,vel de manu vestrum accepi munus,vel calceamentum: Dicite contra me,& restituam vobis.

Sixtia. *Græca ex Septuag.in Sixtia.* Respondete contra me coram Domino, & coram Christo eius bouem cuius accepi,aut asinum cuius cepi; aut quem oppressi vestrum,aut quem expressi, aut de manu cuius cepi propitiationem, vel calceamentum: Respondete contra me,& reddam vobis.

Nazian. *Nazianzen.Orat.* 32.Si de manu cuiusquam accepi animarum vestrarum piaculum.

Cyrillus *Cyrill.Alex.lib.*1. *Graphicor. tom.*3. *nuper excuso*:Ecce ego:Respondete contra me coram Christo ipsius.

Chrysost. *Chrysost.Hom.in Illud Pauli.Vtinam toleraretis.* 2.*Cor.*11.*tom.*3. Cuius vitulum accepi, aut cuius asinum cepi? Quem vestrum imperio depressi?Cui vestrum vim feci,aut ex cuius manibus corripui vestem, aut calceum, & abscondi oculos meos ab ipso? Dicite aduersum me,& reddam vobis.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Testificamini coram Iehouah & coram Vncto eius,vtrùm bouem cuiuspiam tulerim,aut asinum.Si quempiam fraudaui, si complacuij,& de manu cuiuspiam accepi pretium,& faciam cęcare oculos meos in eo,& restituam vobis.

Vatab.

Vatab. *Vatab. in Schol.* Incuſetis me apud Deum, &c. Quem pulſaui (pro *contriui*) de cuius manu accepi redemptionem, & texi oculos meos ſuper illum.

Iſidor. Clar. *Iſidor. Clar. ibi. Et abſcondi oculos* meos ſuper eo, reſtituam *enim* vobis.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Eccleſ. 1 *Loquimini de manu coram Domino.* Eccleſiaſtes 46.22. Teſtimonium perhibuit in conſpectu Domini & Chriſti pecunias, & vſque ad calceamenta ab omni carne non accepit.

HISTOR. Philo. 2 *Loquimini de me coram Domino.* Philo Hebræus, vel potiùs Pſeudophilo in Antiquitatib. Biblic. Dico vobis ante conſpectum Regis veſtri, ſicut Dominus meus Moyſes famulus Dei dixit Patribus veſtris in eremo, quando Synagoga Core ſurrexit aduerſum eum: ſcitis, quia nihil accepi de vobis, nec nocui aliquem veſtrum, & quoniam mentiti ſunt tunc, & dixerunt: accepiſti, deglutiuit eos terra.

LITERAL. Irenæus. 3 *Loquimini de me coram Domino* Irenæus lib. 4. aduerſus Hæreſ. cap. 44. Samuel tot annis iudicans populum, & ſine vlla elatione ducatum gerens ſuper Iſrael, in fine purgabat ſe dicens: *Ego conuerſatus ſum in conſpectu veſtro à prima ætate mea, vſque nunc: Reſpondete mihi in conſpectu Dei, & in conſpectu Chriſti eius cuius veſtrum vitulum accepi, aut aſinum? Aut ſuper quem potentatus ſum? Aut quem oppreſſi? Aut ſi de alicuius manu accepi propitiationem, & calceamentum? Dicite aduerſus me, & reddam vobis.*

TROPOL. Chryſ. *Samuelis integritas.* 4 *Loquimini de me coram Domino.* Chryſoſt. Hom. de verbis Pauli. *Vtinam toleraſſetis paululum.* 2. Cor. 11. tom. 3. prope fin. Aduerte quanta neceſſitas huiuſmodi dicendi; magna nimirùm, & vehemens; quandoque daturus erat illis Principem Sãmuël in ſuam ipſius excuſationem, docere hunc intendens, quonam pacto imperium ſit gerendum, & quàm vigilanter, curioſéque pro ſubditis excubandum, eos, qui nuper admodum ipſum iudicem recuſarunt, philoſophiæ ſuæ teſtes facit. Nec tamen eo tempore, quo præfuit magiſtratui, quóve ipſius dicto audierunt, ne cui videantur timidi, metúque perterriti, quæ non fuerunt affirmaſſe, teſtimonio. Verùm præfecturã iam tum præterita, tranſlatáque in ſucceſſorem prouinciã gubernandi, vbi in reliquum tempus nihil periculi manebat accuſatorem, tum demum apud eos iuſtitiam ſuam conteſtatur.

TROPOL. Chryſ. *Seipſum commendauit, quando licuit.* 5 *Loquimini de me coram Domino.* Idem. Hom. 24. in 2. Epiſt. ad Cor. tom. 4. Samuël pro ſe magnam poſuit laudem, quando Saül vnxit, dicens: *Cuius veſtrum aſinum accepi, &c.* Attamen nullus eum arguit. Cauſa eſt, quia non dicebat, vt ſeipſum laudaret, ſed quoniam Regem conſtituturus erat, pro defenſione ſua poſuit, volens illum erudire, vt humilis ſit, ac manſuetus. Igitur vbique inquirenda eſt cauſa; nam qui ad vtilitatem auditorum ſpectarit, etiamſi commendet ſeipſum, non ſolùm non meretur reprehendi, ſed & coronari, & propter ſilentium taxandus.

TROPOL. Greg. *Samuelis modeſtia.* 6 *Loquimini de me coram Domino.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 2. Notandum eſt, quia bona, quæ fecit vir ſanctus, non dixit: mala verò, quæ non fecit, expoſuit, vt ſilendo ad æterna lucra bona ſeruaret: & loquendo odorem bonæ opinionis non perderet. Dum ergo mala ſe tam cautè vitaſſe aſſeruit, & ingentia bona, quæ fecit, ſiluit, apertè vir Beatus oſtendit in quanto culmine virtutum ſtetit; dum mala reprobando, ad electorum exemplum, odorem ſeruauit bonæ opinionis: & occultando virtutum opera, præmia cuſtodiuit æternæ retributionis.

TROPOL. Bernard. *Miniſtrorum Eccleſiæ integritas.* 7 *Loquimini de me coram Domino.* Bernard. lib. 4. de Conſid. ad Eugen. PP. O! ſi talium daretur virorum copia, quales perſtrinximus nunc. Quid te fœlicius? Quid illo iucundius ſæculo? Nonne ſecunda ab æternitate illorum tibi temporum beatitudo videretur, cùm te quaque verſum procedens, ſtipatum videres tam inclyto agmine Beatorum. O! ſi viderem in vita mea Eccleſiam Dei talibus innixam columnis. O! ſi Domini mei Sponſi in cernerem tantæ communiſſam fidei, tantæ creditam puritati. Quid me beatius? Quid ſecurius?

LITERAL. Theodor. 8 *Loquimini de me coram Domino.* Theodor. ibi. quæſt. 28. Cùm eſſet iudex, excedebat à poteſtate, & eam tradebat Regi; erat ergo conſentaneum, vt quæ à ſe geſta erant, narraret, & quod in Republica gerenda cum laude eſſet verſatus, contentientem haberet populum, legitimam illam docens poteſtatem.

LITERAL. Procop. 9 *Loquimini de me coram Domino.* Procop. Gazæus ibi. Samuël amotus ab officio iudicis, ſuam poteſtatem in Regem tranſtulit; & cùm de rebus, quæ ſuam perſonam attingebant, verba feciſſet, conſentientémque populum haberet, legitimè illum poteſtatem gerere docuit.

HISTOR. Ioſeph. 10 *Loquimini de me coram Domino.* Ioſeph. lib. 6. Antiquitat. cap. 6. aliàs 5. Adiuro vos per maximum Deum, qui vobis optimos illos fratres Moyſem, & Aaronem miſit, & Patres veſtros ex Ægypto eduxit, vt abſque pudore, ac metu omnive affectu alio, liberè dicatis: Numquid contra ius, & æquum fecerim, vel proprij lucri cupiditate, vel in alterius cuiuſquam gratiam. Coarguite me, ſi cuius vitulum, aut ouem, aut aliud quid tale accepi: cùm tamen huiuſmodi munuſcula, quæ in quotidianum victum cedunt, ab vltrò dantibus ſumere, vitio verti non ſoleat: aut ſi cuius iumento ad meas neceſſitates vſus ſum, in his, & ſimilibus, ſi quem offendi, nunc Rege præſente dicite.

TROPOL. Damian. *Elatus iudicium ſubeat.* 11 *Loquimini de me coram Domino.* Petrus Damian. Epiſt. 12. in lib. 1. Samuël vltro ſe arguendum multis accuſatoribus obtulit, & vtrum eos in aliquo violenter oppreſſerit, inquiſiuit: *Ecce præſto ſum: Loquimini de me coram Domino, &c.* Cùm ergo tam incomparabiles Viri ſubiectis ſuis rationem reddere de propriis actibus non deſpiciant; quis eſt iſte tantæ ſuperbiæ faſtus, quo Sacerdos huius temporis intumeſcens titulum ſui præſulatus opponat, & Eccleſiæ ſuæ filiis, qui ſe grauatos aſſerunt, ex æquo, in iudicio non reſpondeat?

TROPOL. Idem. *Samuelis integritas.* 12 *Loquimini de me coram Domino.* Idem Epiſt. 23. in lib. 2. O! quam mundam Samuël frontem habebat à muneribus, cùm dicebat: *Loquimini de me coram Domino, &c.*

MORAL. Lira. 13 *Loquimini de me coram Domino.* Liran. ibidem in Morali. Non dicit coram hominibus, ſicut hypocritæ, qui quærunt iuſtificari coram mundo.

LITERAL. Abul. 14 *Loquimini de me coram Domino.* Abul. ibi. quæſt. 3. Dicebantur eſſe coram Domino, quia erant in Galgala, vbi fecerant Sacrificia, & ibi ſpecialiter dicebatur eſſe Deus. Etiam quia congregati erant ad aliquid ſpirituale.

TROPOL. Carthuſ. *Samuel cur ſe commendauerit.* 15 *Loquimini de me coram Domino.* Carthuſ. ibi art. 23. Quæritur cur Samuel ſe ita commendauerit,

dauerit, cùm in prouerbiis scriptum sit: *Laudet te os alienum.* Prouerbiorum 27. & in Ecclesiast. 7. *Non te iustifices ante Deum.* Vnde S. Iob profitetur: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Iob. 9. Et respondendum, quòd Samuel populum increpaturus primò ex rationabili causa expurgat se coram Deo, & Rege, ne postea inculparetur iniustè, atque ad incundum, quòd purus inculpabilis esse debet, qui accusaturus, seu iudicaturus est alios. Et item ad Dei honorem, aliorumque ædificationem hoc egit, & propter has, & alias causas leguntur Viri sancti interdum suas commemorasse iustitias, non ob propriam laudem, aut præsentis vitæ honorem, nec sic quasi à venialibus culpis immunes fuerint.

Prou. 27. Eccl. 7. Iob. 9.

TROPOL. Cassia. 16 *Loquimini de me coram Domino.* Simon de Cassia libro quinto capite primo. Ecce iustitia boni præsidis iniustè iudicantis, qui ab eo iudicati populi voluit subire iudicium, si commisisset delictum; paratus ad restitutionem, si abstulisset; & emendam, si fecisset calumniam: & ipse in se nihil conscius volebat à populo gubernato corrigi, aut iustificari.

LITERAL. Caiet. 17 *Loquimini de me coram Domino.* Caietanus ibidem. Loquimini de me, vtrùm alicui complacuerim violando iustitiam? Seu clarius; vtrùm ad alicuius gratiam, seu benevolentiam captandam aliquando ius alterius violarim.

LITERAL. Vatab. 18 *Loquimini de me coram Domino.* Vatabl. in Scholiis. Quasi dicat: paratus sum audire accusationes vestras, si acculare me vultis.

LITERAL. Vermil. 19 *Loquimini de me coram Domino.* Petrus Vermil. Hæreticus ibidem. Si id ante fecisset, videri potuisset id facere, vt magistratum suum retineret; at nunc, cùm Rex sit electus publicè, nulla potest esse huiusmodi suspicio.

LITERAL. Mendoza. 20 *Loquimini de me coram Domino.* Franciscus Mendoza ibidem vers. 1. §. 1. & 2. Dubitabis cur eos modò potiùs, quàm antea reprehendat? Respondeo ex Dionysio: quia populus ad finem superioris capitis ex parta victoria, & innouatione Regis, & celebritate epulatum lætatus fuerat nimis. Quid igitur? Samuel, ne tam effusa lætitia in stultitiam abiret, eam obiurgationem repressit, & obiectâ sceleris recordatione temperauit: quædam enim stultitia est inepta lætitia.

LITERAL. Idem. 21 *Loquimini de me coram Domino.* Idem vers. 3. §. 1. Hoc est meam innocentiam, si quid potestis, arguite. Ita quondam non solùm Deus omnipotens maximus, & Christus Dominus, sed etiam alij sancti Viri suam innocentiam defendebant. Deus inprimis. Isa. 5. 3. & Ierem. 2. 4. Ioan. 8. 46. sed & Moyses Num. 16. 15. & Iob. 31. 7.

Isa. 5. 3. Ierem. 2. 4. Ioan. 8. 46. Num. 16. 15. Iob. 31. 7.

LITERAL. Sanctius. 22 *Loquimini de me coram Domino.* Gaspar Sanctius ibidem numero tertio. Quod ab his, qui defuncti sunt Præfectura, exigit Respublica, id vltrò subire vult Samuel, iudicemque suæ vitæ, & causæ vult esse Deum, cuius intelligentiam nihil latet, & Regem ipsum nunc vnctum publicè, atque ideò Christum Domini; cuius neque censuram respuit, neque imperium recusat.

LITERAL. Lira. 23 *Et coram Christo eius.* Liran. ibi. Id est Saule Rege, qui de nouo erat vnctus, propter quod Samuel coram eo volebat iudicari.

LITERAL. Caietan. 24 *Et coram Christo eius.* Caietanus ibidem. Hinc apparet, quòd Saül fuit publicè vnctus in Regem, nisi enim publicè vnctus fuisset in Masphath, quando creatus est Rex, & fortè iterùm in Galgalis, quandò fecerunt ipsum regnare, non dixisset Samuel publicè, *& coram Vncto eius.*

25 *Et coram Christo eius.* Author Cat. Nouum Regem Saùlem in iudicem appellat, quem ex eo Christum vocat, quòd nuper vnctus publicè fuisset. Hoc enim nomine apud Hebræos vocabantur Reges ex vnctione. Christus enim *Vnctus* sonat, vt videtur non tolùm hoc loco, sed infrà 24. 7. & 3. Reg. 2. 35. & alibi passim.

LITERAL. Autor Catenæ. 1. Reg. 24 7. 3. Reg. 2 35.

26 *Vtrum bouem cuiusquam tulerim.* Nazianzenus Orat. in Præsentia 150. Episcoporum. Non bouem vestrum accepi, inquit magnus Samuel, cum Israele pro Regis petitione contendens, atque exprobrans, non animarum vestrarum piaculum, Deus testis inter vos; non hoc, atque illud, plura commemorans (ne singulis enumerandis longiùs orationem producam) verùm purum, atque incorruptum Sacerdotium custodiui.

LITERAL. Nazianz. *Samuelis integritas.*

27 *Vtrum bouem cuiusquam tulerim.* Chrysost. hom. de Verbis Pauli. *Vtinam tolerassetis paululum.* 1 Corinth. 11. tom. 3. prope finem. Expende quàm accuratè se ipse purum declarat ab omni delicto: non enim dicit: neque agrum alicui ex vobis, nec argentum abstuli; sed quod omnium vilissimum est, dicit nempe: *nec calceamentum quidem.*

TROPOL. Chrys. *Samuelis integritas.*

28 *Vtrum bouem cuiusquam tulerim.* Idem ibid. Vberrimam, si amasset gloriæ materiam, habuit: vtpote laudabilem à puero educationem, sanctam in templo conuersationem, amplissimam ab incunabulis prophetiam; ad hæc tot bella, tot victorias non tam armis, quàm benevolentiâ, & fauore Dei comparatas: quæ tamen omnia tacitus præteriuit.

TROPOL. Idem. *Samuelis modestia.*

29 *Vtrùm bouem cuiusquam tulerim.* Gregorius lib. 5. Variar. cap. 2. Cùm reprobi Pastores præsunt, principale eis est propositum in rapina subditorum, quia enim æternorum bonorum abundantiam aspicere nesciunt, quò præsentia ardentiùs concupiscunt, eo auidius oblata recipiunt: non oblata violenter tollunt; innocentibus insidiantur, debiles opprimunt: munera accipiunt: iuráque peruertunt. De his pastoribus per Prophetam Dominus Iudææ imperat, dicens: *Pastores tui lupi vespere, non relinquentes in manè.* Soph. 3.

TROPOL. Greg. *Mali Prælati quales?* Sophon. 3.

30 *Vtrùm bouem cuiusquam tulerim.* Anselmus in illud Apostoli: *Oportet ergo* 1. Timoth. 3. 1. Quia citò deuiant à iusto propter cupiditatem munerum, sicut filij Samuelis. Auaritiam enim, vel cupiditatem esse vitandam Sacerdoti, & ipse Samuel exemplo suo docet, nihil se cuiquam rapuisse coram populo probans.

TROPOL. Anselm. *Cupiditas Sacerdoti vitanda.*

31 *Vtrùm bouem cuiusquam tulerim.* Lira. ibid. Ponendo in opere meo, aut *asinum* super eum de loco ad locum eundo.

LITERAL. Lira.

32 *Vtrùm bouem cuiusquam tulerim.* Abulensis ibidem quæst. 5. Quod intelligitur tollendo, quantum ad hoc, quod faceret eum iuum: vel tollendo, quantum ad aliqua opera, scilicet vt cogeret Samuel iumenta Israelitarum laborare in opere suo sine precio. Posuit autem exemplum in his animalibus, quia illa communiora erant apud Hebræos.

LITERAL. Abul.

33 *Vtrùm bouem cuiusquam tulerim.* Pet. Vermil. Hæret. in Comment. Commemorat res leuissimas, non enim ait, agros, aut prædia. Hæc nemini vestrum eripui, quæ sunt leuissima; tantum abest, vt in rebus maioris pretij vobis iniuriam fecerim.

LITERAL. Vermil.

34 *Vtrùm bouem cuiusquam tulerim.* Author Catenæ. Notat optimè Gregorius Samuelis modestiam, qui non se de præclarè gestis positiuè, vt Philosophi loquuntur, sed negatiuè laudauit, hoc est de malis, & culpis, quæ non commiserat, cùm potuit.

TROPOL. Author Catenæ. Greg. *Samuelis modestia.*

posset: *Bona quæ fecit Sanctus, non dixit: mala vero quæ non fecit, exposuit*; quam vt illustrem cum Pharisaica elatione confero. Nam Pharisæus ille, qui gratiarum prætextu suam laudem buccinauit, primò per negationes in sui commendationem processit, inquiens: *Non sum sicut cæteri* Luc.18.11. *hominum: raptores, adulteri, &c.* Luc.18.11. his tamen non satiatus positiuum encomium adiunxit, hoc est, quod positiuis actionibus honestis impenditur, videlicet: *ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo*; vt expendit non sine acumine Theophilus, aut Theophilactus in Car. S. Thomæ ad prætatum locum: *Attende*, inquit, *seriem orationis Pharisæi, primò namque dixit, quæ ei aberant, deinde subiungit quæ habebat.* Vt nullum esset quod sibi non ascisceret laudationis genus, cui quidem opponas Samuelem, cui cùm ingens ex strenuè bello, pacéque gestis laudis materia superesset, ea tantùm in medium adduxit, quæ malè non gesserat, hæc enim præcisè, vt de se rationem redderet, sufficiebant, vt notabat suprà Chrysostomus.

Theophil. S. Thom.

Chrysost.

Literal. Abul. 34 *Si quempiam calumniatus sum.* Abulens. ibidem quæst. 3. Calumniari, est bona alicuius tollere iniustè, quæsito aliquo colore, sicut interdum Principes faciunt aliquas leges, vel constitutiones duras, in quas necesse est incidere subditos; & hoc faciunt vt ab eis pœnas exigant, & est propriè calumnia.

Literal. Vatab. 35 *Si quempiam calumniatus sum.* Vatabl. in Schol. Idest, quem suis opibus calumnia priuaui.

Tropol. Chrysost. *Samuelis plena iustitia.* 36 *Si oppressi aliquem.* Chrysost. suprà. Alteram ipsius, eximiámque nobis virtutem aperit; plerique enim Principes dum furto plebem exspoliant, mansueti sunt, & moderati, & suaues, non ex animo, sed propter necessitatem conscientiæ ademptâ eis per furtum dicendi libertate. Si muneribus accipiendis abstinent, onérosi, granésque sunt; eo namque ingenio existimationem captant, quasi ex proposito sint puri, adeóque in vnum pariter vtrumque sæpe numero confluit, & quàm facillimè, vt idem sit ex æquo ferox, atque furax. Sanctus ille contendit se ambobus his malis eminere, non minus ab industria compilandæ plebis, quàm ab ira remotissimus.

Literal. Vatab. 37 *Si oppressi aliquem.* Vatab. in Schol. Vel pulsaui, vel pulsandum curaui; idest, quem læsi aut in pecunia, aut in corpore ipso?

Tropol. Gregor. 38 *Si de manu cuiusquam munus accepi.* Gregor. suprà. Munerum acceptionem reprehendit Isaias, dicens: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.*

Literal. Lira. 39 *Si de manu cuiusquam munus accepi.* Liran. ibi. Etiam pro iusto iudicio reddendo. Ex quo constat, quod propriis sumptibus, & laboribus officium iudicis exequebatur.

Literal. Abul. 40 *Si de manu cuiusquam munus accepi.* Abul. ibidem quæst. 3. Scilicet ad peruertendum iustitiam, quia in hoc casu illicitum est accipere munera: alias autem cùm pro nulla causa munera offeruntur, sed gratis, vel amicabiliter non est illicitum illa recipere; in iudicibus tamen semper causat suspicionem mali, munerum susceptio; & ideo indifferenter veratur in lege. Exod. 23. & Deuter. 16.

Exod. 23. Deuter. 16.

Literal. Lira. 41 *Et contemnam illud hodie.* Liran. ibi. Nolens mihi temere.

Literal. Hugo 42 *Et contemnam illud hodie.* Hugo Charens. in Postilla. Idest non reputabo mihi iniuriam factam, si hoc dixeritis.

43 *Et contemnam illud hodie.* Vatab. in Schol. Hebraicè: *Et texi oculos meos propter illud*, vt scilicet dissimularem me videre peccatum eius. Literal: Vatabl.

VERSVS IV.

Vulgata. VVlgata. Et dixerunt: Non es calumniatus, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam.

Gloss. *Textus Glossa in margine.* Et dixerant: Non occupasti nos.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Dixerúntque: Non vim intulisti, nec contriuisti nos, neque tulisti de manu cuiquam quippiam.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Dixerunt: Non intulisti nobis vim, nec confregisti nos, nec accepisti quidquam de manu vllius hominis.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixerunt: Non oppressisti nos, & non diripuisti nos, & non accepisti de manu hominis quippiam.

Compl. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et dixerunt ad Samuelem: Non iniuriâ affecisti nos, & non vim intulisti nobis, non accepisti de manu nostra quippiam.

Sixtia. *Græca ex Septuagin. in Sixtian.* Et dixerunt ad Samuel: Non fecisti iniuriam nobis, neque oppressisti nos, neque contriuisti nos, & non cepisti de manu cuiuspiam quippiam.

Chrysost. *Chrysost. Hom. in Illud Pauli: Vtinam toleraretis tom. 3.* Non oppressisti nos, neque vinculis constrinxisti, neque vnquam ex manibus nostris quicquam accepisti.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Et dixerunt: Non fraudasti nos, & non complacuisti nobis.

PP. ET AVCTORES.

History. Ioseph. 1 *Non es calumniatus nos.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 6. alias 5. Acclamatum est vno ore: nihil tale eum fecisse, sed sanctè, & iustè principatum gessisse.

Literal. Abul. 2 *Non es calumniatus nos.* Abul. ibi, q. 5. Idest: Non abstulisti nobis aliquid sub colore iustitiæ per legem iniquam, vel staturum.

Literal. Idem. 3 *Neque tulisti de manu alicuius quippiam.* Idem ibidem. Idest: Nunquam accepisti ab aliquo munus.

Tropol. Author Catenæ. *Testimonium ab inimicis optimum.* 4 *Neque tulisti de manu alicuius quippiam.* Author Catenæ. Pulchrum quidem sibi integritatis testimonium Samuel addixit, nempe ab aduersariis, qui cum præfectura deturbauerant; hi namque nusquam illi morem gerebant, immò quamlibet in eum notam libenter impingerent. Bonum quidem est amicorum testimonium, non tamen omninò fidele, interdum enim vel palpant, vel conticent, ne exulcerent. Optimum verò inimicorum, quibus nullus pudor, nec adulationis studium. Vtroque in sui comprobationem Christus interdum vtebatur; modo enim suorum de se iudicium examinat. *Vos autem quem me esse dicitis?* Matt. 16. 16. modò inimicorum sententias indagatur. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* ibid. Vers. 13. & ipsis etiam infestissimis inimicis fidentissimè iactat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8. 46. Sed & antiquius, & solemnius

Matt. 16. 16.

Ioan. 8. 46.

solemnius hoc testimonij genus Filio Dei fuisse comperies apud Danielem. Nam cùm barbarus ille Babylonicus regnator immissis fornaci accensæ tribus Hebræis pueris propius accederet, portentum examinaturus, quo mediis flammis totius doloris expertes, laudes Deo iucundè concinerent, exclamauit tandem: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis Filio Dei.* Daniel. 3. 92. Sed vnde Dei Filium nouerat, vt ei similem agnoscat quartum? Ex quo festiuè in eum iocatur Iustin. Martyr, & rogat? *Dic mihi Nabuchodonosor, quando & vbi vidisti Filium Dei, vt hunc Dei Filium confitearis? Quis cor tuum pupugit, vt hoc verbum posses edere? Quibus oculis potuisti tantas diuitias, velut in speculo prospicere? Cur tibi soli, & nulli præterea tuorum Satraparum innotuit?* Quibus satis expendit rei nouitatem, & difficultatem vt Rex & impius, & ignarus Filium Dei ex facie agnosceret. Respondet difficultati iuxta aliquorum placitum Pererius in Comment. Filium Dei *tunc illi subitâ Dei reuelatione innotuisse.* Stat tamen difficultas, quænam scilicet adeo vrgens causa extiterit, ob quam homini stulto, & irreligioso rem tanti Sacramenti, cuius notitia vix cuiquam Sanctissimorum Patrum veteris Instrumenti obtigit, Deus reuelaret? Sed respondeo sic præstitum fuisse, vt infensissimi etiam aduersarij testimonio, Filij Dei existentia, & diuinitas comproberetur, cùm præstantissimum sit inimici testimonium, quod vt teneret, Regi improbo, & sacrilego illud reuelare non renuit Vnde Rupertus lib. 6. de Victor. cap. 21. *Speciosa*, inquit, *fuit hac victoria, & insigne præconium Filij Dei, quod illum manifesta confessione priùs confessus est inimicum, quàm amicum, persecutor, quàm sectator, Gentilis, quàm Iudæus.* Nouo etiam Testamento simili inimicorum comprobatione innocentiam suam Filius Dei propugnauit; dum enim Thaboris vertice transfiguratur, Moysem, & Heliam sibi ex vtroque latere adstare fecit. *Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Helias cum eo loquentes.* Matt. 17. 3. Vnde inquiri hîc solet, cur potissimùm ex omnibus, qui vel in Limbo, vel in Paradiso degebant, iustis, hos potiùs gloriæ suæ socios, & testes Dominus elegerit, deceret enim potiùs duplici Summo Pontifice, nempe Aarone, & Melchisedech, vel duobus purpuratis Regibus, Dauide, & Iosia, verum Pontificem, & Regem constipari. Respondet optimè ad propositum Chrysost. Hom. 57. in Matt. tomo 2. Moysis & Heliæ potissimùm assistentiam Christo Domino congruisse; nam cùm Scribæ, & Pharisæi Christi aduersarij ei sæpè obiicerent blasphemiam, & diuinæ gloriæ vsurpationem, & sacrarum Legum transgressionem, necessariò existimarent, nullos illi antiquiores esse hostes, quàm Moysem, & Heliam, qui potissimùm, & Legum obseruantia, & diuini honoris studio floruissent. Hos ergo suæ innocentiæ testes potissimos, & maximos Dominus adhibet, quorum testimonio Iudæi fidem negare non possent, cúmque eos audissent Christo consistere, & plaudere, & famulari, conuincerentur, & Christi innocentiam agnoscerent. Accipe Chrysostomum: *Quoniam*, inquit, *assidue quasi transgressorem legis Iudæi accusabant, & blasphemare putabant, quasi gloriam Patris nihil ad eum pertinentem vindicaret; dicebant enim*: Hic non est à Deo, qui sabbathum non seruat. Ioan. 9. & *rursus*: De bono opere non lapidamus te, sed quia cùm sis homo: Deum te facis: *vt ipsa re monstraretur, quia ex inuidia hæc criminabantur, quia neutri horum criminum subiceretur, nec legis prænaricator esset, neque alienam gloriam sibi acquireret, æqualem se Patri faciendo, eos producit in medium, quorum alterutter in alterutra istarum verum persulsit.* Et quamuis infallibile Patris testimonium expectaret, continuò acclamaturi: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Ibidem vers. 5. Moysis tamen, & Heliæ, qui eius aduersarij vulgò credebantur, vt Iudæos conuinceret, maluit testificatione decorari. Hæc Christus. Sed & profanus Agesilaus apud Plutarc. in Apot. Laconic. *Sibi iucundum esse* aiebat, *ab hostibus laudari, qui non verentur vituperare, si quid ipsis displiceat: talem enim si quid laudant, iudicio laudant, non metu, aut adulatione.* Plura huius instituti vide apud Mendozam tom. 2. Annotat. 20. section. 3. quæ etsi in suis fœtibus repereramus, ne ab eo videamur accepisse, intacta reliquimus, & ne in nos fortè Dominus per Ieremiam videatur impegisse: *Qui furantur verba mea vnusquisque à proximo suo.* Ierem. 23. 30.

Danie. 3. 92.
Iustin.
Agesilaus. Plutarc.
Pererius.
Mendoza.
Rupert.
Matt. 17. 3.
Ioan. 9.
Ier. 23. 30.

VERSVS V.

VVlgata. Dixitque ad eos: Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis. Vulg.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Dixitque ad eos: Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius die hac, quòd non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixit: Testis. Pagn.

Hebraica ex Francisco Vatablo. Et dixit ad eos: Testis est Dominus contra vos, & testis est Vnctus eius in die hac, quòd non inuenistis in manu mea quidpiam: Et ait (populus): Testis. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et dixit illis: Testis dictum Domini in vobis, & testis Vnctus eius die hac, quòd non inuenisti in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis. Ariasm.

Græca ex Septuag. in Complut. & Regia. Et dixit Samuël ad populum: Testis Dominus in vobis, & testis Christus eius in die hac, quia non inuenistis in manu mea quippiam. Et dixit populus: Testis. Complut. Regia.

Græc. ex Septuagint. in Sixtia. Et dixit Samuël ad populum: Testis Dominus in vobis, & testis Christus eius hodie in hac die, quia non inuenistis in manu mea quicquam. Et dixerunt: Testis. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

1. TEstis est Dominus aduersum vos. Chrysost. Hom. in Illud Pauli: *Vtinam toleraretis* 2. Cor. 11. tom. 3. Quòd discas, quòd Regem illorum instructurus, illa sit præfatus, subiecit: *Testis Dominus, & testis Vnctus eius*, quinimmò vobis idem est manifestum. Atque ostendit, quàm iniucunda testificatio; illum enim testem nominauit, qui arcana cogitationum perspexit, quod est mundæ conscientiæ probamentum; quia nemo prorsùs, LITERAL. MORAL. Chrysost. *Samuelis virtus.*

nemo qui sanus, quique mente non excidit, testem Deum vocat, nisi omnibus modis sibi confidat.

Histor. Philo. 2 *Testis est Dominus aduersum vos.* Pseudophilo in Antiquitatib. Biblic. Dico vobis ante conspectum Regis vestri, sicut Dominus meus Moyses famulus Dei dixit Patribus vestris in eremo, quando Synagoga Core surrexit aduersum eum: *Scitis, quia nil cepi à vobis, nec nocui aliquem vestrum.* Et quoniam mentiti sunt tunc, & dixerunt: *Accepisti*; deglutiuit eos terra.

Literal. Abul. 3 *Testis est Dominus aduersum vos.* Abulensis ibid. quæst. 6. Quæret aliquis, quomodo dicit hic Samuel: *Testis est Dominus*, quoniam suprà dicebatur, quòd contenderent Israelitæ coram Domino contra Samuelem, & ibi ponitur Deus tanquam iudex, ergo non potest induci in testem. Deus & Saül erant positi vt iudices, si vellent Israelitæ contendere contra Samuelem, & fuerunt etiam iudices ad recipiendum istam confessionem in præiudicium partis, vt videretur iudicialiter facta; nunc autem inducebat eos Samuel in testes, non quidem in hac causa, sed in alia, scilicet quod rogabat nunc, vt essent testes, si fortè aliquando vellent Israelitæ contendere contra Samuelem.

Literal. Mendoza. 4 *Testis est Dominus aduersum vos.* Franciscus Mendoza Annotat. 10. sect. 3. §. 8. Tertium testimonium fuit ipsius Dei, si vera est Hebræorum commentatio. Nam dicente Samuele: *Testis est Dominus, &c.* dicunt Hebræi, auditam esse de cœlo vocem editam ab ipso Deo: *Testis.* Quasi Deus Samuelis innocentiam propria authoritate testaretur. Et quidem nouum non est, Sanctorum innocentiam ab improborum calumniis diuino testimonio vendicari, seu diuinam authoritatem ad manifestandos iustos, & è tenebris, quibus inuoluuntur, eruendos, interponi.

Literal. Sanct. 5 *Testis est Dominus aduersum vos.* Gaspar Sanctius ibidem numero septimo. Solent homines, vbi benè est illis, atque iucundè, aliter loqui; quàm cùm aliquid illis accidit, quod illorum animos mœrore contraxit. Tunc enim homines, maximè qui leui sunt ingenio, atque versatili, aliter solent, quàm antea de rebus sentire, ac iudicare: aut certè licèt idem sentiant, quando aliquid audiunt de se, quod minus adlubescit, aliter loquuntur, quàm sentiunt, aut rem aliter interpretantur, aut aliquid affingunt veritati, aut occasionem quærunt, vt de aliorum fama indigniùs loquantur. Id ergo nunc cauet prudenter Samuel, dum vitam suam frequenti populo omnium iudiciis examinandam præbet.

Literal. Liran. 6 *Et testis Christus eius.* Liranus ibid. Scilicet Saul, qui præsentialiter aderat.

Literal. Author Catenæ. 7 *Et testis Christus eius.* Author Catenæ. Quæris, cur ex omni populo, qui confluxerat, vnum Saulem in testem Samuel adhibeat? Respondeo, eo quòd Saul Rex esset, & præter eum nullus, & quia vt simul cum Deo perhiberet testimonium, optimus, & maximus quisque eligendus erat; nullus verò Rege maior, nec vllum firmius regio testimonium: quo alluſit Ennodius Thicinensis in Panegir. sui Regis Theodorici, dicens: *Vsus sum in tuarum laudum testimonium veste purpurato.*

Ennod. Thicin.

Abul. Non placet hæc responsio Abulensi, sed immeritò; eius verò responsio nulli forsitan. Respondet enim nullum de populo in testem adhiberi potuisse, quia omnes rei erant in eo, quod agebatur, negotio, nempe in Regis petitione, quam Samuel inhonestam fuisse probare conabatur, vt patet inferiùs. Contrà sic argumentor primò, quia tunc non quidem agebatur, an Regis petitio honesta, vel inhonesta fuisset, sed an Samuel in munere obeundo integritatem, & iustitiam conseruasset, quod patet ex contextu: *Dixitque ad eos: Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius.* Cuiusnam rei testes? Nempe: *Quia non inueneritis in manu mea quippiam.* Eo verò negotio Hebræi rei non erant. Contrà secundo, quia licèt de petitionis rectitudine contenderetur, Saül omnibus aliis innocentior non erat; nam Hebræi, vel rei erant, quòd omnes per se Regem postulauerant, quod falsum est, vel quòd in eius postulationem per seniores factam, consenserant, quódque illi, tanquam populi Principes præstiterunt, totius populi titulo peractum sit. Tum sic, sed Saül, non minùs, quàm cæteri, pars erat, & membrum rei populi; ergo aliis à culpa immunior non erat, & simul cum eis in Regis postulatione deliquerat. Non ergo adhibendus fuit in testem, cùm in Abulensis opinione, & quidem vera, nec reus, nec inhonestis moribus testis debeat esse. cap. *Forus* Extrau. de Verbor. Signific. cap. *Suspectos.* 3. quæst. 5. cap. *Canonica*, & cap. *Constituimus* eadem quæstione. Cum ergo eius testimonium exposcitur, non quòd innocens in Regis petitione, sed quod Rex, & omnium dignissimus esset, consideratum est. c. Forus.

8 *Et dixerunt: Testis.* Liranus ibidem. In Hebræo habetur: *Et dixit: testis*: Quod exponunt Hebræi dicentes, quòd postquam populus testificatus fuerat Samuelis innocentiam, ipse Samuel quæsiuit cum hoc, testimonium diuinum, quod est maius, & firmius, dicendo: *Testis est Dominus*, id est rogo vt sit testis, & tunc venit vox à Deo missa, & dixit: *Testis*, testificando Samuelis innocentiam. Literal. Lira. Hebræorum commentum.

9 *Et dixerunt: Testis.* Franciscus Mendoza ibidem. §. 2. Quasi dicerent: Deum testamur, nullam à nobis iniuriam à Samuele irrogatam. Literal. Mendoza.

10 *Et dixerunt: Testis.* Author Catenæ. Nugantur hic, vt aiolent Rabbini apud Liram, affirmantes, dum Deum Samuel in testem adhiberet, vocem diuinitùs insonuisse desuper, tanquam Dei respondentis: *Testis*, hoc est de veritate tua testimonium, quod inquiris, præbeo. At quod ad hæc componenda fundamentum? Credo nullum, præter Hebraïcam litteram, quæ loco *dixerunt*, hoc est: Hebræi, qui aderant; habet in singulari: *Dixit*, quod cùm eidem populo, vel alicui, qui omnium nomine responderet, adscribendum sit, vt notat Vatablus, & expressêrunt Septuaginta, malunt tamen, vt mysteria confingant, Deo tribuendum, sed perperam. Potest etiam Hebraïsmus esse, quo vnus numerus pro altero frequenter ponitur, vt suprà non semel annotauimus. Literal. Author Catenæ. Lira. Rabbini. Vatab. Septuag.

VERSVS VI.

Vulgata. Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moysen, & Aaron, & eduxit Patres nostros de terra Ægypti. Vulgata.

Benedict. & alia exemplaria. Et eduxit Patres nostros de terra Ægypti. *Adest.* Benedict.

VERSIONES.

Hebr. ex Xante Pagn. Dixitque Samuel ad populum: Dominus, qui magnificauit Moseh, & Aharon, & qui ascendere fecit Patres nostros ex Ægypto. Pagn.

Hebraica

Vatab. *Hebraica ex Franciſc. Vatab.* Dixitque Samuel ad populum : Dominus, qui fecit Moſen, & Aharonem, & qui eduxit Patres veſtros ex terra Ægypti.

Aſiaſm. *Chaldaic. ex Benedict. Aſiaſm. in Regia.* Et dixit Semuel ad populum : Dominus, qui fecit fortitudinem per manus Moſech, & Aharon, & qui eduxit Patres veſtros ex terra Ægypti.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et ait Samuel ad populum dicens : Teſtis Dominus, qui fecit Moyſen, & Aron, & qui eduxit Patres noſtros ex Ægypto.

Sixtiana. *Græca ex Septuag. in Sixtiana.* Et dixit Samuel ad populum dicens : Teſtis Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron, qui eduxit Patres noſtros ex Ægypto.

Chaldæ. Vatab. *Chaldæus apud Vatabl. in Schol.* Qui fecit miracula per eoſdem.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. MORAL. Gregor. 1 *Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron.* Gregorius libro 5. Variar. cap. 2. Notandum qui ſuum Dominum teſtem ſuæ innocentiæ aſſereret, ipſum Dominum feciſſe Moyſen, & Aaron, dixit. Quid eſt hoc aliud, niſi quia & virtutis ſuæ culmen oſtendit : ſed in tanto culmine ſolus apparere noluit ? Quaſi latentibus ſenſibus dicat : In tanta animi virtute mirandus non ſum, quia in ea ſolus non ſum : contemptum rerum in munere virtutis habeo : ſed hunc in intentione vanæ laudis non habeo, in quo me valdè meliores, atque ſublimiores cerno.

MORAL. Gregor. 2 *Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron.* Idem ibidem. Quia ipſum Moyſen, & Aaron Dominum feciſſe aſſeruit, tale eſt, ac ſi dicat : quod mala tam fortiter cauere potui, illius debet gratiæ adſcribi, qui Moyſen, & Aaron tales fecit.

HISTOR. Ioſeph. 3 *Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron.* Ioſephus lib. 6. Antiquitat. cap. 6. aliàs 5. Adiuro vos per maximum Deum, qui vobis optimos illos fratres Moyſen, & Aaronem miſit, & Patres veſtros ex Ægypto eduxit.

LITERAL. Lira. 4 *Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron.* Lira. ib. Idoneos nuntios ſuos ad educendum populum Iſrael de Ægypto.

LITERAL. Abul. 5 *Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron.* Abulenſis ibidem quæſt. 9. Quæret aliquis, cùm Samuel intendat hîc arguere Iſraelitas, quòd malè egiſſent petendo Regem, quare enarrat eis iſta geſta præteritorum temporum, quæ nihil videtur attinere? Reſpondendum, quòd hoc fuit ad increpandum Iſraelitas de ingratitudine, ſcilicet quòd cùm Deus feciſſet eis tanta bona, propter quæ debuiſſent in æternum ei gratias referre, & ſubditi eſſe, & Deus vellet ſuper eos habere principatum regalem, abiecerunt eum petentes Regem hominem.

LITERAL. Caietan. 6 *Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron.* Caietanus ibidem in Hebræo non eſt verbum *adeſt*, verum congruè ſubintelligitur, vt declaret Samuël præſentiam ſummi Dei ſubiunctis verbis, tanquam ex diuino inſtinctu procedentibus ; intendit enim loqui, vt Prophetæ.

LITERAL. Vatab. 7 *Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron.* Vatabl. in Scholiis. Id eſt, qui reddidit eos claros, & nobiles, ſiue magnificauit eos, & docuit. Eſt autem Eccliſis, deeſt enim *eſt Teſtis* quaſi dicat : habeo innocentiæ meæ teſtem grauiſſimum, qui Moyſen clarum fecit, &c.

LITERAL. Mendoz. 8 *Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron.* Franciſcus Mendoza ibidem §. 1. Poſtquam ſuam innocentiam probauit, diuinam erga illum populum prouidentiam, & ſingularem beneficentiam oſtendit, vt ex vtroque principio populi malitiam includat, qui Samuele optimo iudice contempto, & Deo prouidentiſſimo, ac beneficentiſſimo Rege abdicato, nouum Regem poſtulauit, vt illius præſidio de poteſtate Ammonitarum eueretur : quaſi non poſſet ab ipſo Deo vnius Samuelis interuentu liberari.

LITERAL. Sanct. 9 *Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron.* Gaſpar Sanctius ibidem. Hæc clauſula imperfecta eſt, quæ conſtare non poteſt, niſi aliquid ſuppleas. Neque meo iudicio obſcurum eſt, quid ſuppleri debeat. In aliquibus codicibus eſt *adeſt*. Quod ſi admittamus, nihil eſt, quod addas, aut requiras : tunc autem illud *adeſt* ad Dominum refertur, & illum teſtem eſſe ſignificat ; nam teſtis adeſſe debet, & illa noſſe, ad quorum fidem illius teſtimonium aduocatur. Sed licèt vox illa non addatur, eſt tamen eadem omninò ſententia ; illud enim *Teſtis*, quod anteceſſit proximè, repetendum eſt.

LITERAL. Author Catenæ. 10 *Dominus, qui fecit Moyſen, & Aaron.* Author Catenæ. Verba huius Verſus nonnulli ad ſequentia referunt, ita vt exordium quoddam ſint reprehenſionis, qua Samuel Hebræos propter Regis poſtulationem obiurgat in ſequentibus. Sed non aſſentior, primò quia non ſatis aptè cum eis connectuntur, præcipuè nullo addito verbo, nec etiam ſi addatur ex aliquibus exemplaribus *adeſt*, vel *Teſtis* ex Septuaginta. Secundò, quia hæc eadem poſtea Textus repetit Vers. 8. quod in caſſum fieret, ſi iam de Moyſe, & Aarone in idem intentum dictum fuiſſet, potiùs dicendum cenſeo terminum eſſe præcedentium. Nam cùm Samuel Deum in teſtem adhibuiſſet, & conſenſiſſet populus, dicendo *Teſtis*, inculcat Samuel non ſine emphaſi *Teſtis*, id eſt ſit ergo teſtis magnus ille Patrum noſtrorum Conditor, & magnificus illuſtrator : ad eum modum, quo Deus ipſe nomen ſuum proferens dicebat ſe Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Iacob. *Exod. cap. 3. verſ. 15.* Cum qua quidem expoſitione optimè congruit & verbum, quod aliqua addunt exemplaria, nempe *adeſt* ; (quod etſi correcta nouiſſimè expungant, ſubintelligendum tamen docent Abulenſis, Caietanus, Vatablus, Mendoza, Sanctius & alij) & quod Septuaginta exprimunt *Teſtis*. Deum teſtem inuocando ex nomine, non tam proprio, quàm deſcriptiuo ex effectibus, quod interdum maieſtatem arguit, & reuerentiam parit.

Abul. Caietan. Vatab. Mend. Sanctius. Septuag.

LITERAL. Abul. 11 *Et eduxit Patres noſtros de terra Ægypti.* Abulenſis ibidem quæſtione nona. Idem Deus, qui liberauit Patres veſtros, eſt præſens. Hoc dicit Samuel ; quia infrà dicit : *Nunc ergo ſtate, & iudicio contendam aduerſum vos coram Domino* : Et quia Iſraelitæ non videbant Dominum, non putarent ſe contendere coram Domino, dicit Samuel, quòd Deus *adeſt*.

* * *

VERSVS VII.

Vulg. *Vulgata.* Nunc ergo state, vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum Patribus vestris.

Benedict. *Benedict. in margine.* Nunc ergo state, vt diiudicer vobiscum coram Domino de omnibus iustitiis Domini, quas fecit vobiscum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Et nunc state, vt diiudicer vobiscum coram Domino de omnibus iustitiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum Patribus vestris.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Nunc igitur state, sistámque me iudicio vobiscum coram Domino de omnibus iustitiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum Patribus vestris.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et nunc state, & disceptabo vobiscum ante Dominum de omnibus iustitiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum Patribus vestris.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et nunc state, & iudicabo vos coram Domino, & nuntiabo vobis omnem iustitiam Domini, quam fecit nobis, & Patribus nostris.

Sixtia. *Græca ex Septuagin. in Sixtian.* Et nunc state, & iudicabo vos coram Domino, & annuntiabo vobis omnem iustitiam Domini, quæ fuit in nobis, & in patribus nostris.

Procop. *Procop. ibid.* Nunc igitur consistite &c.

Simmac. *Simmachus.* Nunc state, vt diiudicer à vobis coram Domino de omni misericordia, quam Dominus exhibuit.

Idem. *Idem apud Flaminium. in Schol. Sixtiana.* De omnibus eleemosinis Domini.

Vatab. *Vatablus in Schol.* Disceptabóque, *vel* vt disceptem.

Caietan. *Caiet. ex Hebræo.* Et iudicabor vobiscum in conspectu Iehouah.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Gregor. 1 *Nunc ergo state.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 2. Stare quidem auditoribus, est intentionem mentis ad verbum Prædicatoris erigere. Meritò ergo stare præcipiuntur, quia Doctor nihil exhortando proficit, si auditor mentem ad ea, quæ loquitur, non intendit.

Histor. Ioseph. 2 *Nunc ergo state.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 6. aliàs 5. Tunc ille: Gaudeo nullas esse vestras de me querelas: at ego habeo nonnihil, quod conquerar, si vera loqui licet, quæ tamen iniuria magis ad Deum attinet, quem certè hoc facto valdè offendistis, quòd alium Regem popposciistis: oportebat enim vos meminisse &c.

Literal. Author. Catenæ. Greg. 3 *Nunc ergo state coram Domino.* Author Catenæ. Stare hic attentionem significat, vt interpretatur Gregorius suprà, quasi diceret adeste animis. Interdum etiam in sacris litteris situm corporis nec sedentis, nec iacentis, sed rectè consistentis propriè significat, & ex Hebræorum more talis standi situs requirebatur ad verba diuina audienda, vt notauit Burgensis ad illa verba: *Cum descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo.* Exod. 34. 5. *Mos*, inquit, *erat inter Hebræos audire doctrinam, seu legem diuinam stantes*; quem morem, & ipse probat, & multis etiam Mendoza, nostris etiam familiarem; nec enim veteres orthodoxi dum in Templis diuinum verbum à concionatoribus audirent, sedere consueuerant, sed stare; modò quoque Euangelium stantes audimus, & vt notaui in plurimis Ecclesiis Hispaniæ Cathedralibus sedilia, vbi populus consistat, non ponuntur, sed stando auditores concionibus assistunt. Neque aduerbium temporis *Nunc* emphasi caret, postquam enim Samuel innocentiam, & integritatem suam commendauerat, & eam etiam probauerat populus, tunc Samuël: *Nunc ergo state, vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino*: Quasi diceret: Dum de innocentia, & iustitia mea non constaret, vestram reprehendere malitiam non licebat, ne mea etiam in vobis crimina reprehenderem. Nunc verò de integritate mea, vestra etiam confessione securus, nequitiam vestram obiurgare fas mihi est: hunc sensum Gregorius confirmat suprà, dicens: *Sanctus vir priùs mala se vitasse cautè asserit, deinde ad reprehensionem aliorum prosiluit.* Angelomus etiam: *Quisquis his est instructus, & Spiritu diuino illustratus, potest corrigere, si in quantum humana fragilitas non obsistat, se à peccatis continuerit, aliorum peccata.* Et Carthusianus ibi: *Expurgat se coram Deo, & Rege ad innuendum, quòd purus, & inculpabilis esse debet, qui accusaturus, seu iudicaturus est alios.*

Moral. *Ne reprehendas nisi innocens?*

Greg.

Angelom.

Carthus.

4 *Vt iudicio contendam aduersum vos.* Gregor. suprà. Ordo summæ rationis est, vt qui bona agere non curat, mala in aliis nequaquam reprehendat. Sanctus ergo Vir priùs mala se vitasse cautè asseruit, deinde ad reprehensionem aliorum prosiluit: vt electi Prædicatoris mores insinuet, qui prædicationis fructum benè ferre non prævalet, nisi id, quod de æternitate lucidum prædicat, splendidâ etiam conuersatione demonstrat.

Literal. Tropol. *Ne arguat nisi innocens?*

5 *Vt iudicio contendam aduersum vos.* Abulens. ibid. quæst. 9. Non est sensus quòd contendebat de misericordiis Dei, scilicet volens probare, quòd Deus fecisset misericordias multas Hebræis, quoniam has ipsi concedebant; sed contendit de misericodiis, idest, ex misericordiis, probando eorum ingratitudinem.

Literal. Abul.

6 *Vt iudicio contendam aduersum vos.* Caietan. ibid. Sensus est, quòd agam personam partis vnius, & vos personam alterius tanquam in iudicio coram Deo.

Literal. Caietan.

7 *Coram Domino.* Francisc. Mendoza ibid. §. 6. Cur non coram Domino, & coram Christo eius Saüle, quemadmodùm facta est illa superior contentio. n. 3. in qua Samuël suam innocentiam defendit? Dixerim, quia in illa solus Samuel in iudicium vocabatur; in hac autem totus populus, & proinde etiam Saül; vnde quamuis Saül in illa contentione præesse posset, vt iudex: in hac tamen accusabatur, vt reus.

Literal. Mend.

8 *Coram Domino.* Autor Catenæ. In Hebræo, vt notat Caietanus, est nomen *Iehouah*: aptiùs tamen ad rem cuipiam videretur nomen *Elohim*, quòd iudicem, seu iudices significat, & in iudicem Deus hic statuebatur. Sed respondeti potest, pium quidem solum accusatorem non ita in eos sæuire voluisse, vt Deum tanquam strictum, & seuerum iudicem contra eos adhibeat, sed ita benignum iudicem, vt & iudex dicatur, & pater, hoc enim significat *Elohim*. Culpa etiam ingratitudinis ad patrem potiùs, quam ad iudicem deferenda erat, non vt ingrati filij perirent, sed vt resipiscerent.

Literal. Author Catenæ. Caiet.

9 *De*

Literal. Abul. 9 *De omnibus misericordiis Domini.* Abul.ibi,q.9. Ideſt de multis, de omnibus enim contendere non poterat, quoniam infinitæ ſunt miſericordiæ Dei. Nobis quoque ſemper,& quotidie miſeretur,ita vt nemo ſufficiat enarrare, quantum ſibi miſeretur, quanto magis de miſericordia, quam habet erga populum vnum magnum.

Literal. Caietan. 10 *De omnibus miſericordiis Domini.* Caiet. ibi. Hebraicè, *Iuſtitiis.* Beneficia diuina collata,& ipſis, & Patribus appellat iuſtitias ſummi Dei ſecundùm effectum, quia reddebant eos debitores ſecundùm iuſtitiam Deo.

Literal. Vatab. 11 *De omnibus miſericordiis Domini.* Vatabl.in Schol. Hebraicè, *Iuſtitiis*, ideſt beneficiis. Iuſtitiam pro beneficio Hebræi aliquando accipiunt, ſiue pro eleemoſina, quod homines iuſtos declaret.

VERSVS VIII.

Vulgat. *Vulgata.* Quomodo Iacob ingreſſus eſt in Ægyptum, & clamauerunt Patres veſtri ad Dominum; & miſit eis Dominus Moyſen,& Aaron, & eduxit Patres veſtros de Ægypto: & collocauit eos in loco hoc.

Bened. *Bened.in marg.* Et Dominus Moyſem,& Aaron, qui eduxerunt, &c.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Quum ingreſſus eſſet Iahacob in Ægyptum, clamauerunt Patres veſtri ad Dominum: miſitque Moſeh,& Aharon,& eduxerunt Patres veſtros ex Ægypto,& habitare fecerunt eos in loco iſto.

Vatab. *Hebraica ex Franc.Vatab.* Cùm Iacob ingreſſus eſſet Ægyptum, & clamaſſent Patres veſtri ad Dominum, miſit Dominus Moſen & Aharonem, qui eduxerunt Patres veſtros ex Ægypto, collocaueruntque eos in iſtum locum.

Ariaſm. *Chald. ex Bened. Ariaſm.in Regia.* Et cùm ingreſſus eſt Iaghacob in Mizraim: Et clamauerunt Patres veſtri ante Dominum, & miſit Dominus Moſeh,& Haharon, & eduxerunt Patres veſtros ex Mizrain,& ſedere fecerunt illos in terra hac.

Complut. Regia. *Græca ex Sept.in Complut.& Regia.* Quomodo ingreſſus eſt Iacob,& filij eius in Ægyptum,& humiliauit eos Ægyptus,& clamauerunt Patres noſtri ad Dominum, & miſit Dominus Moyſen, & Aaron,& eduxit Patres noſtros de Ægypto, & collocauit eos in loco hoc.

Sixtin. *Græca ex Sept.in Sixtian.* Poſtquam intrauit Iacob, & filij eius in Ægyptum, & humiliauit eos Ægyptus, & clamauerunt Patres noſtri ad Dominum, & miſit Dominus Moyſen, & Aaron,& eduxerunt Patres noſtros ex Ægypto, habitare fecit eos in loco hoc.

Vatabl. *Vatab.in Schol.* Et eduxerunt Patres noſtros ex Ægypto,habitaréque fecerunt.

Clar. *Iſidor. Clar. ibi.* Moyſes, & Aaron *eduxerunt* Patres veſtros de Ægypto, & *collocauerunt* eos in loco hoc.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Ioſeph. 1 *Quomodo Iacob ingreſſus eſt in Ægyptum.* Ioſeph.lib.6. Antiq.c.6.alias 5. Oportebat enim vos meminiſſe, quòd auus veſter Iacobus ſeptuaginta ſolùm hominibus veſtri generis comitatus,fame coactus in Ægyptum deuenit:cúmque ibi in multa millia propagata eſſet eius progenies, eáque grani, & contumeliosâ ſeruitute ab Ægyptiis premeretur, inuocantibus veſtris Patribus, abſque vllo Rege Deus tantam multitudinem eripuit,miſſis in hoc Moyſe, & Aarone fratribus, qui vos in hanc terram induxêrunt,quam nunc poſſidetis.

2 *Quomodo Iacob ingreſſus eſt in Ægyptum.* Liran. ibi. Vbi cum Dominus ſaluauit à periculo famis. Literal. Lira.

3 *Quomodo Iacob ingreſſus eſt in Ægyptum.* Abul.ibi,q.10. Quia Samuel voluit breuiter enarrare beneficia,& quia in quibuſdam beneficiis poſterioribus includuntur priora,ſubticuit ea: ſic enim eſt de iſtis beneficiis enarratis. Poteſt dici,quòd deſcenſus Iacob in Ægyptum non ponitur hîc, tanquam beneficium, ſed eſt quoddam præmiſſum ad ea,quæ ſequuntur de beneficiis. Literal. Abul.

4 *Et clamauerunt Patres veſtri ad Dominum.* Franc.Mend.ibi.§.1. Ille clamor non ſolùm quatenus à Deo exauditus, ſed etiam quatenus à populo excitatus inter diuina beneficia numeratur: Deus enim non ſolùm beneficus eſt, quando factis petitionibus annuit, ſed etiam quando ad faciendas impellit. Moral. Mendoza. *Oratio donũ Dei.*

5 *Et miſit Dominus Moyſen,& Aaron.* Hugo Charenſ.in Poſt. Quia Moyſes ſapiens fuit: Aaron eloquens,quæ duo vult Deus eſſe in illo,qui mittitur ad populum liberandum. Literal. Charen.

6 *Et miſit Dominus Moyſen,& Aaron.* Gaſpar Sanct. ibi. n.12. Narrat,quoties populus aut timuerit talia, qualia nunc; aut etiam talia pateretur, qualia nunc populus horret, & declinare ſtudet;& tamen Deus, qui regnabat in populo duces præfecerit,& iudices,qui auſpice ipſo,atque fauente Domino,ab illis expedierunt malis,& illa depulerunt pericula,quæ ab humana potentia propulſari poſſe non videbantur. Neque neceſſe fuit,vt homines Regem ſibi,aut ducem eligerent. Literal. Sanctius.

7 *Et eduxit Patres veſtros de Ægypto.* Gregor. lib.5.Variar.c.2. Dum humilium Doctorum exemplo viuunt,velut ab Ægypto liberantur, quia caliginem mundani amoris toto deſiderio fugiunt. Mystic. Gregor.

8 *Et eduxit Patres veſtros de Ægypto.* Abul.ibi. q.10. Non refertur verbum iſtud ad Moyſen, & Aaron,quia tunc diceretur: Et eduxerunt eos; ſed refertur ad eum,qui eduxit, ſcilicet faciendo ſigna magna, & prodigia. Sed aliquis fortè dicet, quòd refertur ad Moyſen ſolùm, quia licèt Moyſes, & Aaron miſſi fuiſſent ad liberandum Iſraëlitas,quia tamen Moyſes principalis erat,attribuitur ipſi principali agenti, & non inſtrumento, ſed Aaron erat tanquam inſtrumentum Moyſi. Literal. Abul.

9 *Et eduxit Patres veſtros de Ægypto.* Autor Catenæ. Cùm Vulgatus in ſingulari dicat: *Et eduxit*, non de Moyſe,& Aaron,ſed de Deo ipſo intelligi oportet; cum enim dixiſſet: *Miſit Dominus Moyſen,& Aaron*, conſequenter addidit: *Et eduxit Patres veſtros de Ægypto*, ipſe ſcilicet Dominus;& conſequenter etiam: *Et collocauit eos in loco hoc*, quod Moyſi, & Aaroni acommodari minimè poteſt, qui antequam populus poſſideret terram, diem ſuum obierant. Hebraica autem, Chaldaica, & Græca exemplaria, quæ ſub pluralitate loquuntur ita cum Vulgato concordanda ſunt, vt Moyſes & Aaron ſolùm tanquam Dei miniſtri, & inſtrumenta populum ex Ægypto liberauerint. Literal. Author Catenæ.

10 *Et collocauit eos in loco hoc.* Liran.ibi. Scilicet in terra optima lacte,& melle manante. Literal. Lira.

11 *Et collocauit eos in loco hoc.* Vatabl.in Schol. Literal. Vatab.

Habitaréque fecerunt; ideſt fuerunt cauſa per ſuam doctrinam, vt iſthuc venerint.

LITERAL. Mend. Hugo. Abul. 12 *Et collocauit eos in loco hoc.* Franc. Mend. ibi, §.2. Obſerua emphaticum eſſe illud *in loco hoc: tam nobili*, inquit Hugo Cardinalis, *tam fertili.* Nec ſua emphaſi caret, vt notat Abul. verbum *Collocauit*: ſeu, vt eſt in Hebræo: *Habitare fecit.* Quaſi Deus non ſolùm curaret, vt terram illam attingerent; ſed etiam vt expugnatis hoſtibus tandem in pace, & tranquillitate poſſiderent. Vnde magnitudo huius beneficij euidentior colligebatur.

VERSVS IX.

Vulgata. *Vulgat.* Qui obliti ſunt Domini Dei ſui, & tradidit eos in manu Siſaræ Magiſtri militiæ Haſor, & in manu Philiſthinorum, & in manu Regis Moab, Et pugnauerunt aduersùm eos.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Et obliti ſunt Domini Dei veſtri, & tradidit eos in manu Siſera Principis militiæ Chaſor, & in manu Peliſtim, & in manu Regis Moab, & pugnauerunt cum eis.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Et quum obliti eſſent Domini Dei ſui, vendidit eos in manu Siſeræ ducis exercitus Aſor, & in manum Palæſthinorum, & in manum Regis Moab, qui bellum geſſerunt cum eis.

Ariaſm. *Chaldæica ex Benedict. Ariaſm. in Regia.* Et obliti ſunt vultum Dei ipſorum, & tradidit eos in manu Zzizeræ Principis virtutis Hhaſzor, & in manu Peliſthæorum, & in manu Regis Moab, & inierunt bellum in eos.

Complut. Regia. *Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia.* Et obliti ſunt Domini Dei eorum, & tradidit eos in manus Siſaræ Magiſtri militiæ Iabim Regis Aſor, & in manus Philiſthæorum & in manus Regis Moab, & pugnauerunt in eis.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtia.* Et obliti ſunt Domini Dei ſui, & vendidit eos in manus Siſaræ Magiſtro militiæ Iabis Regis Aſor, & in manus alienigenarũ, & in manus Regis Moab, & pugnauit in eos.

PP. ET AVCTORES.

HISTOR. Ioſeph. 1 *Qui obliti ſunt Domini Dei ſui.* Ioſeph. lib. 6. Antiq. c. 6. aliàs 5. Et tamen poſt talia beneficia non ſemel prodidiſtis veram pietatem, ac religionem. Nihilominus ſubiugaros ab hoſtibus liberauit, dum eius ope viciſtis primum Aſſyriorum potentiam, deinde Ammonitarum, ac Moabitarum, & poſtremò Palæſtinos, atque hæc omnia confeciſtis non Regum auſpiciis, ſed ductu Iaphthæ, & Gedeonis.

LITERAL. Lira. 2 *Qui obliti ſunt Domini Dei ſui.* Lira. ibi. Per idololatriam, & alia mala.

LITERAL. Abul. 3 *Qui obliti ſunt Domini Dei ſui.* Abul. ibi. q. 10. Quoniam Iſraelitæ ab introitu in terrã Chanaam, toto tempore, quo vixit Ioſue, & aliquanto tempore poſt mortem eius, coluerunt Dominum, eo quòd recordabantur operum eius: poſtea auté obliti ſunt beneficiorum illius, non quidem ſimpliciter, tanquam non recordarentur, quòd Deus introduxiſſet eos in terram illam; ſed obliti ſunt, tanquam ad hoc, quòd non agerent gratias Deo pro beneficijs impenſis. Sic patet *Ioſue* 24. & *Iud.* 2.

Ioſue 24. Iudic. 2.

4 *Qui obliti ſunt Domini Dei ſui.* Franc. Mend. ibi. §. 3. Vt oſtendens illam ingratitudinem non eſſe recentem, ſed valde inueteratam, & à Maioribus quodammodo acceptam, pariter oſtenderet eſſe grauiorem, & proinde efficaciùs incumbendum ad eam ex animis extirpandam, antequàm fortior inoleſceret. LITERAL. Mendoza.

5 *Et tradidit eos in manu Siſaræ.* Lira. ibi. Vt per flagella reduceret eos ad bonum. LITERAL. Lira.

6 *Et tradidit eos in manu Siſaræ, &c.* Abul. ibi. q. 10. Siſara fuit magnus quidam dux Chananæorum, & vocatur Magiſter militiæ Aſor, ideſt dux, vel rector belli in militia Regis Aſor; non eſt enim Aſor nomen Regis, ſed ciuitatis, quæ erat olim potentiſſima in tota terra Chanaam, & omnes Reges Chanaam obediebant Regi Aſor, vt patet *Ioſue* 11. Hanc ciuitatem ceperunt Iſraelitæ tempore Ioſue, & combuſſerunt eam. *Ioſue.* 12. Poſtea tamen Chananæi confortati receperunt illam vrbem, & reædificauerunt eam, fuitque ibi Rex potens, ſicut à principio, erat autem Rex iſte Iabin, cuius militiæ Magiſter erat Siſara: premebat autem nimis Iſraëlitas Iabin per annos viginti. LITERAL. Abul. *Siſara quis?* Ioſue 11. & 12. *Iabin Rex Chanaam.*

7 *Et tradidit eos in manu Siſaræ.* Caietan. ibi. Non ordinatè ſcribuntur Hiſtoriæ: nam vt patet in lib. Iudicum, prior fuit oppreſſio à Rege Moab, quàm à Rege Chazor, & demum fuit oppreſſio à Peliſthinis. LITERAL. Caiet.

8 *Et tradidit eos in manu Siſaræ.* Autor Catenæ. In acceptis beneficiis referendis nec numerum, nec ordinem Samuel curandum cenſuit, multa enim prætexit, & ea quorum meminit, inuerſo ordine narrat. Primum enim bellum fuit Regis Moab Eglon, de quo *Iudic.* 3. 12. &c. Secundum fuit Siſaræ Magiſtri militiæ Chananæorum *ibid.* 4. 2. Tertium fuit bellum Philiſthinorum, & hoc multiplex. *Iudic.* 3. 31. *ibid.* 10. 7. *ibid.* 13. 1. & ſæpè aliàs. Quæ tamen liberationes pro omnibus aliis ſufficiebant ad eorum ingratitudinem exprobrandam, qui horum omnium obliti, Rgem qui ſe liberarer, contentioſè expoposcerant. LITERAL. Author Catenæ. Iud. 3. 12 &c.

VERSVS X.

Vulgata. *Vulgata.* Poſtea autem clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Peccauimus quia dereliquimus Dominum, & ſeruiuimus Baalim, & Aſtaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum noſtrorum, & ſeruiemus tibi.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Clamauerúntque ad Dominum, ac dixerunt: Peccauimus: quia dereliquimus Dominum, & ſeruiuimus Behalim, & Haſtaroth, & nunc libera nos de manu inimicorum noſtrorum, & ſeruiemus tibi.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Et clamauerunt ad Dominum, dixerúntque: Peccauimus, quoniam deſeruimus Dominum, & coluimus Baalim, & Aſtaroth: Nunc ergo eripe nos de manu hoſtium noſtrorum, & ſeruiemus tibi.

Ariaſm. *Chaldaic. ex Benedicto Ariaſm. in Regia.* Et clamauerunt ante Dominum, & dixerunt: Peccauimus, quia deſeruimus cultum Domini, & coluimus Baghalaia, & Ghaſtherata; & nunc eripe nos de manu autorum inimicitiæ noſtræ, & ſeruiemus ante te.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et clamauerunt

runt ad Dominum,& dixerunt : Peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & seruiemus Baalim, & Lucis, & nunc erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtina.* Et clamauerunt ad Dominum, & dicebant : Peccauimus, quoniam dereliquimus Dominum,& seruiemus Baalim,& Lucis, & nunc erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Postea autem clamauerunt ad Dominum.* Abul.ibi quæst.10. Modus erat in his aduersitatibus, quòd dum Israëlitæ deserebant eum, tradebat eos in manu hostium, sub quibus manebant aliquanto tempore non clamantes ad Deum ; cùm autem iam indurarentur malum super eos, cognoscebant iniquitatem suam, & tunc gemebant ad Dominum,qui miserebatur eorum, mittens eis aliquem,qui liberaret eos,sicut colligitur ex processu libri Iudicum.

Literal. Idem. 2 *Et dixerunt : Peccauimus.* Idem ibid. Confitebantur Israëlitæ peccatum suum, quia vexatio dabat illis intellectum. Nam à principio non cognoscebant Israëlitæ,quòd propter peccatum suum venirent eis mala ista. Postea tamen cùm nimis dolerent cognoscebant, quòd veniebant propter iniquitates suas,& erubescebant. *Leuit.*26. Aliquando tamen Israëlitæ putabant, quòd quando colebant Idola, veniebant eis bona. *Ierem.*44.

Leu.26. Ierem.44.

Moral. Mendoza. 3 *Et dixerunt : Peccauimus.* Francisc.Mend.ibi §. 3. Suas Domino iniquitates confessi sunt ; quod est optimum curandis sceleribus medicamentum. Vnde optimus quisque vir hanc suis plagis medicinam non dubitat adhibere: iuxta illud : *Iustus prior est accusator sui.* Prouerb.18.17.

Prou.18.17.

Literal. Abul. 4 *Et seruiuimus Baalim, & Astaroth.* Abul. ibi quæst.10. Ista sunt nomina Idolorum, quæ coluerunt Iudæi: multos enim Deos colebant,scilicet omnium gentium, quæ in circuitu erant, scilicet Philisthinorum, Moabitarum, Ammonitarum, & Sydoniorum. Præcipuè tamen coluerunt Baalim, & Astaroth, ideò de eis fit magis mentio hîc. Sic patet *Iudic.*10.

Iud.10.

Literal. Abul. 5 *Et seruiemus tibi.* Idem ibid. In hoc proponebant vltrà non peccare ; non est autem intelligendum, quòd quia Israëlitæ dicebant Domino, quòd seruirent ei deberet eos eripere, quoniam in hoc nihil vouebant, cùm ad hoc obligati essent : Sed intelligitur per hoc contritio de peccatis, & propositum nunquam errandi.

Tropol. Author Catenæ. 6 *Et seruiemus tibi.* Autor Catenæ. Sua Hebræi confitentes crimina, de pœna non cogitant, immò de impetranda venia quodammodo securi opem aduersùs hostes diuinam solicitant. *Nunc ergo,* inquiunt, *Erue nos de manu inimicorum nostrorum.* Quâuis enim cognoscerent post commissas culpas earum supplicium subsequi; nouerant simul humili confessione deleri,& nulla alia industria efficacius numen propitiari. Hinc Moyses, qui Deum, vt dicitur, intus nouerat, cùm pro grauibus ingrati populi, & perfidiæ, & idololatriæ criminibus placandus foret, nihil prius sibi peragendum censuit, quàm delictum, quantum quantum erat, simpliciter confiteri : *Obsecro,* inquit, *peccauit populus iste peccatum maximum.* Exod.32.31. Ecce nouum patrocinij genus peccati commissi exaggeratio: *Peccatum,* inquit, *maximum,* vt notauit Chrysost. hom.3. de verbis Isaiæ. *Vidi Dominum, Moyses à confessione peccati incipit, quia in mundanis, seu forensibus iudiciis post accusationem, & criminum confessionem sequitur mors. Cæterum apud diuinum tribunal post accusationem, & confessionem criminum datur corona ; vnde & Salomon dicit :* Ne iustificeberis te ipsum in conspectu Domini, Eccli.7.5. Cuius doctrinæ grauidæ sunt singulæ Scripturæ paginæ. Dauid: *Dixi : confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.* Psalm.31.5. Vix hæc & continuò : *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Vbi Augustinus: *Non operuit, sed operuit vt aperires : non celauit, vt tegeres ; nam quando homo detegit, Deus tegit : cùm homo celat, Deus nudat : cùm homo agnoscit, Deus ignoscit.* Et Guarricus Abbas Igniacensis Ser. de Prodigo. Hæc eadem iuueni illi euenisse aduertit, quem cum Latrone comparat,& in obtinenda venia celeriorem profert. *Latronem,* inquit, *in Cruce solâ confessio absoluit : istum sola voluntas confitendi.* Dixi : Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino. Psalm. 31. *Dixerat enim prodigus : Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei. Pater, Peccaui, &c.* Vnum igitur confessionis votum omnium criminum veniam impetrauit. Sed de his longiùs alibi.

Confessio purgat crimina? Exod.32.31. Chrysost. Eccli.7.5. Psalm.31.5. August. Guarricus.

VERSVS XI.

Vulgata. Et misit Dominus Ierobaal,& Badan, & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidenter. Vulgata.

Bened. Et misit Dominus Ierobaal, & Bedam,& Samson, & Barach, & Iepthe, & Samuel. Benedict.

Text.Glossa. Et misit Dominus Ierobaal, & Badam, & Iepthe, & Samuel, & eruit vos. Gloss.

VERSIONES.

Hebraic.ex Xante Pagn. Misitque Dominus Ierubahal, & Bedan, & Iphtach,& Semuël, eruítque vos de manu inimicorum vestrorum vndique ; & habitastis confidenter. Pagn.

Hebraic.ex Franc. Vatab. Tunc misit Dominus Ierubaal,& Bedan, & Iephte,& Samuël, & eripuit vos de manu hostium vestrorum, qui circum vos erant, vt tutò habitaretis. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm.in Regia. Et misit Dominus Ierubaghal, & Sinson, & Iiphthahh, & Semuël ; & eripuit vos de manu autorum inimicitiarum vestrarum vndequaque, & sedistis in tranquillitate. Ariasm.

Græca ex Septuag.in Complut.& Regia. Et misit Dominus Hierobaal, & Barac, & Iephte, & Samuël ; & eruit vos per circuitum de manu inimicorum vestrorum, & habitastis confidentes. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtina. Et misit Ierobaal, & Barac,& Iepthæ,Samuël;& eripuit nos de manu inimicorum nostrorum,qui in circuitu,& habitastis confidenter. Sixtian.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Greg. 1 *Et misit Dominus Ierobaal.* Gregor.lib.5. Variar.cap.2. Has quidem misericordias factas secundùm historiam idcircò commemorat ; vt in eo,quòd Regem petiit reum se coram Domino populus agnoscat. Nam qui ad omnia pericula summouenda Dominum præsentem habuit, hominem super

super se Regem necessarium non habuit. Ipsam autem præsentiam Domini per impensas misericordias ostendit, dum de manu Ægyptiorum per Moysem, & Aaron, & de manu Sisaræ, & Philisthinorum, & de manu Regis Moab per Ierobaal, Barach, & Iephte, & à Samuële eos liberatos asseruit.

LITERAL. Angelom. 1 *Et misit Dominus Ierobaal.* Angelom. in Stromatib. cap. 12. Ierobaal ipse est Gedeon, qui cum trecentis viris superauit Madianitas. Badan verò, vt quibusdam placet, ipse est Samson.

LITERAL. Gloss. Interl. 3 *Ierobaal, &c.* Glossa Interl. ibi. *Ierobaal*, qui & Gedeon, timor viri. *Badan* & idem est Samson fortissimus, præcipuus vel in iudicio: *Iephte* aperiens, vel apertus, vel apertio: *Samuel* nominatus, seu postulatus à Deo.

LITERAL. Author Catenæ. 9 *Et misit Dominus Ierobaal.* Autor Catenæ. Nec numerum, nec ordinem Iudicum Samuël curandum censuit, cùm ad populi ingratitudinem notandam necessarium non esset, sed aliquot eorum recensere sufficeret, scilicet Ierobaal, alias Gedeon, Badan alias Samson, Iephte & se ipsum. Alia verò nomina, quæ in Biblia Benedictina, Robertina, & aliis non castigatis intruduntur nempe Samson, & Barac, vt in Græcis est, expresso etiam nomine Badan, credendum est ex amanuensium imperitia ex margine, vbi exponebantur nomina, in textum ipsum irrepsisse, vt notant Saa, Mend. & alij. De Iudicum verò numero, & ordine, quo Rempublicam Hebræorum administrarunt, consulendus est liber Iudicum, & perstrictim Abulensis hîc quæst. 13. & Sebastian. Barrad. tom. 1. Concord. lib. 5. cap. 20.

Ioan. Paris. Rob. Steph.

Saa. Mendoz.

Abul. Barrad.

LITERAL. Lira. 5 *Et Badan.* Liran. ibi. Idest Samson, qui descendit de Tribu Dan, vt habetur. Iud. 14.

Iud. 14.

LITERAL. Abul. *Badan quis?* 6 *Et Badan.* Abul. ibi quæst. 10. Non est Bedan nomen Samsonis proprium, sed commune significans cognationem; est enim *Bedan* compositum ex *Ben*, & *Dan*. *Ben* autem in Hebræo significat filium: *Dan* verò significat Tribum quandam, scilicet quòd Samson erat de filiis Dan. Sic patet *Iudic.* 13.

Iud 13.

LITERAL. Mendoz. *Samson cur Badan?* 7 *Et Badan.* Franc. Mend. ibi §. 6. Cur Samuël non vsurpet vulgarius nomen Samson, sed ignotius Badan, nemo, quem viderim, obseruat: sed illa ratio esse potest, quòd Badan erat nomen abiectius, quippe quod ex Tribu abiectiori deriuatum. Vnde tacitè arguebat Hebræos speciosum nomen Regis postulantes, cuius patrocinio defenderentur, quasi immemores diuinæ omnipotentiæ, quæ ex Tribu abiectissima fortissimum iudicem eduxerat ad Philisthinos conterendos.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. Lira. Mendoza. *Samson binomius?* 8 *Et Badan, &c.* Autor Catenæ. Samsonem sub Bada significari nemo non docet; at cur non proprio, & vulgato nomine vocatur, sed ignoto? Placent Abulensis, Lirani, & aliorum coniecturæ, filium Dan, quasi per Antonomasiam nuncupari. Nec displicet mens Mendozæ nuper expressa. Sed facilius responderi potest, asserendo binominem fuisse, duo scilicet nomina sortitum, quorum alterum hucusque non expressum, Badan fuerit, quod passim sacris in Litteris occurrit. Sic Heli Sacerdotis primogenitus filius Vasseni vocatur. 1. *Paralip.* 6. 28. quam vocem nunquam audiueramus, nam vbi de eo igitur, Ioël appellatus fuerat; *Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel.* 1. Reg. 8. 2. Vt notauit Autor Quæstion. Hebraic. ad prædictum locum Paralipom. Idem etiam patet frequentissimè in Christi Domini genealogia à Matthæo, & Luca contexta, quâ sub diuersis nominibus eosdem

2. Paral. 6. 28. 1. Reg. 8. 2. Hieron.

progenitores vterque Euangelista refert, de quo Maldonatus in Matth. cap. 1. vers. 16.

Maldonat

9 *Et Samuël.* Gregor. suprà. Notandum quia Propheta Samuël per virtutem humilitatis vbique se electis ostendit in norma rectitudinis. Nam cùm Israëliticæ plebis dominationem assereret, non ait: Misit Dominus Iephte, & me: sed, *Iephthe, & Samuël, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum.* Se quidem quasi alium nominauit, vt virtus liberationis non adscriberetur personæ missi, sed gratiæ mittentis Dei; & fortasse de se, quasi de alio loquitur, quia non ipse est, qui per seipsum loquitur, sed Spiritus sanctus.

LITERAL. Tropol. Gregor. *Samuëlis modestia.*

10 *Et Samuël.* Autor Catenæ. De se ipso tanquam de alio loquitur, vt notarunt Greg. & Liran. Ratio duplex esse potest: altera litteralis: altera mystica, seu tropologica. Litteralis, quia ex Hebræorum more nomen suum proprium pronominis loco maluit vsurpare. Quam quidem familiarem Hebræis consuetudinem notauit Augustin. in Psalm. 67. tom. 8. & latiùs probat Martin. Cantap. lib. 6. Hyporyp. cap. 2. §. vlt. Mystica, seu tropologica, quam tradit Gregorius suprà, qui Samuelis modestiæ adscribit, ne seipsum inaniter iactare videretur. Simile modestiæ, & parcitatis exemplum exhibuit Paulus, cùm vel ipsa necessitate coactus reuelationes suas, quas ipse Dei vocat, Corinthiis referens, illúmque ad tertium cœlum raptum non sibi, sed tanquam extraneo alij attribuit, dicens: *Scio hominem in Christum ante annos quatuordecim, sine in corpore, sine extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum: & scio huiusmodi hominem, sine in corpore, sine extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in Paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* 1. Cor. 12. quod Chrysostomum non prætertit hom. 25. *Neque manifestè dixit*, inquit, *neque siluit, vt ostendat quàm inuitus ad hoc perueniat.* Expressius tamen Ambros. in Psalm. 36. *Non dixit: audiui, sed quod alter audierit: non negauit. Verecundè itaque testem se maluit significare, quàm virum, & refugit videri cœlestium arbiter secretorum.*

LITERAL. Author Catenæ. Autor Catenæ. Gregor. Liran.

Augustin. Cantap. Tropol. *Modestia in se prædicandi?*

1. Cor. 12. Chrysost. Ambros.

11 *Et eruit vos de manu inimicorum.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 6. aliàs 5. Subiugatos ab hostibus liberauit, dum eius ope vicistis primùm Assyriorum potentiam, deinde Ammonitarum, ac Moabitarum, & postremò Palæsthinos; atque hæc omnia confecistis. non Regum auspiciis, sed ductu Iaphthæ, & Gedeonis.

HISTOR. Ioseph.

12 *Et eruit vos de manu inimicorum.* Francisc. Mend. ibi §. 8. Non dixit. Eruerunt vos iudices, sed Dominus vos eruit, vt tota victoriarum gloria vni Deo tribueretur. Pugnabant quidem Iudices, sed Deus eorum vires multis sæpè miraculis adiuuabat, vt patet in Debora, Gedeone, & aliis frequenter. Sic enim Deus illius populi peculiarem Regem se profitebatur. Additur *per circuitum*, vt perfecta liberatio significetur. Cùm enim ea regio in orbem fere ab hostibus cingeretur Philisthinis ab Austro, Madianitis ab Ortu, Assyriis ab Aquilone: Tiriis & Sidoniis ab occasu, de his omnibus, & Deo auspice liberabatur. Vnde rectè subditur: *Et habitastis confidenter.* Nam ex diuino præsidio, quo defendebantur, necesse erat, vt magna securitas, & fiducia nasceretur.

LITERAL. Mendoza.

13 *Et habitastis confidenter.* Abul. ibi quæst. 13. Idest sine timore, scilicet habuistis defensores fortissimos, ita vt hostes contriti à facie vestra non auderent redire ad terram vestram.

LITERAL. Abul.

VERSVS

VERSVS XII.

Vulgata. *Vulgata.* Videntes autem quòd Naas Rex filiorum Ammon, venisset aduersum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex imperabit nobis: Cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis.

Benedict. *Bened. in marg.* Cùm Dominus Deus vester esset Rex vester.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et vidistis, quòd Nachas Rex filiorum Ammon venit contra vos, & dixistis mihi: Nequaquam, sed Rex regnabit super nos: & Dominus Deus vester Rex vester erat.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatablo.* Sed & vidistis, quòd Nahas Rex filiorum Ammon venit contra vos, & dixistis ad me: Non, sed Rex imperabit nobis; quum tamen Dominus Deus vester, Rex vester esset.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasmontano in Regia.* Et vidistis quòd Nahhas Rex filiorum Ghammon venit ad terminos vestros, & dixistis mihi: Non, sed Rex regnabit super nos; & Dominus Deus vester, Rex vester.

Complut. Regia. *Grec. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et vidistis, quòd Naas Rex filiorum Ammon venit aduersum vos, & dixistis: Nequaquam: Rex regnabit in nobis, & Dominus Deus noster Rex vester.

Sixtian. *Graca ex Sept. in Sixtia.* Et vidistis, quia Naas Rex filiorum Ammon venit super nos, & dixistis: Nequaquam: sed quia Rex regnabit super nos, & Dominus Deus noster Rex noster.

Vatab. *Vatabl. in Schol.* Et tamen cùm vidisletis, &c. dixistis: Nequaquam. *Subintellige*: acquiescemus tibi.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Videntes autem, quòd Naas.* Abul. ibi q. 13. Est increpatio, quòd in omnibus periculis suprà positis, quæ erant magna, liberauit Deus Israëlitas sine Rege; nunc autem præsente periculo paruo Regem petierunt.

Literal. Caiet. 2 *Videntes autem, quod Naas.* Caiet. ibi. Vsque in locum hunc distulit Autor libri scribere alteram causam, quæ mouit populum ad petendum Regem, videlicet, quòd quia viderunt Naas Regem Hammonitarum præparasse bellum, immò venisse contra Israël, petierunt Regem: ex eo enim quòd apertè littera sonat venisse, intelligendum est, quod inceperat venire, quando petierunt Regem, sed obsidio Iabes Galaad postea superuenit.

Literal. Author Catenæ. 3 *Venisset aduersum vos.* Autor Catenæ. Hinc clarè colligitur, ex metu Regis Ammonitarum terminos Israëlitarum inuadentis, in consilium petendi Regis, & ducis impulsos fuisse. Crediderim ergo prius Naas eos bello tentasse, & quasi bellitasse, postea verò post expetitum, & signatum Regem, bellum cœptum prosequendo, vrbem Iabes obsedisse. De belli autem primordiis hic primum per recapitulationem, quæ Anacephal. eosis dicitur, fit mentio, cuius quidem frequens est sacræ Paginæ vsus, vt aliàs diximus, & multis illustrat exemplis Cantap. Cantapetrensis lib. 5. Hypotyp. cap. 1.

Literal. Lira. 4 *Dixistis mihi: Nequaquam.* Liran. ibi Dissuadenti vos petere alium Regem: nequaquam enim sine Rege homine.

5 *Nequaquam: Sed Rex imperabit nobis, &c.* Literal. Greg. lib. 5. Variar. cap. 2. Quasi dicat: Ad hoc vobis hominem elegistis, ad quod Deum habere solebatis. Quem nimirùm locum si spiritualiter discutere Gregor. volumus, hoc ex eo colligitur, quia qui carnalem sibi præesse expetunt, diuinam gratiam à se repellunt. Nam dum humilium Doctorum exemplo viuunt, velut ab Ægypto liberantur, quia caliginem mundani amoris toto desiderio fugiunt. Quia etiam omnium vitiorum tyrannidem eorum doctrina euadunt, velut de manu Sisaræ Philistinorum, & Regis Moab missis ducibus liberantur, in quibus Deus iam solus omnipotens regnat, quia dum humiles pastores foris immittuntur, regnantis inter se Diuinitatis amorem, gratanter excipiunt. Mystic.

6 *Sed Rex imperabit nobis.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 6. aliàs 5. Quæ igitur dementia vos impulit, vt detrectantes imperium Dei, sub Rege esse malletis? Gessi tamen vobis morem, eo declarato, quem ipse elegit. Histor. Ioseph.

7 *Sed Rex imperabit nobis.* Gaspar. Sanct. ibi num. 18. In suum malum populus obstinato consilio Regem efflagitauit, neque destitit, donec tandem extorsit; cùm tamen Regem haberet Deum, à quo vt sæpiùs antea, sic etiam modo in maximis rerum angustiis salutem obtineret, illâque magis haberet diurnam, atque constantem, quàm sub Rege Saille. Literal. Sanctius.

VERSVS XIII.

Vulgata. *Vulgata.* Nunc ergo præsto est Rex vester, quem elegistis, & petistis: Ecce dedit vobis Dominus Regem.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Et nunc ecce Rex, quem elegistis, & petistis, & ecce posuit Dominus super vos Regem.

Vatab. *Hebraic. ex Francisc. Vatabl.* Nunc igitur: en Rex vester, quem elegistis, quem postulastis. En Dominus constituit super nos Regem.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et nunc ecce Rex, quem voluistis, quem petistis. Et ecce præfecit Dominus super vos Regem.

Complut. Regia. *Graca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et nunc, ecce Rex, quem elegistis, & quem petiistis. Et ecce dedit Dominus super vos Regem.

Sixtia. *Graca ex Septuaginta in Sixtiana.* Et nunc, ecce Rex, quem elegistis, & ecce dedit Dominus super vos Regem.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Nunc ergo præsto est Rex vester.* Abul. ibi q. 14. Idest, iam habetis Regem, sicut petiistis, & coram vobis est: facite ergo vt benè vos habeatis cum eo; ponitur enim hic doctrina, qualiter se habere deberent post electionem Regis, scilicet postquam peccauissent, tamen adhuc possent benè se habere. Ponit autem hoc Samuel, quia propter verba increpantia superiora, & per signum, quod infrà sequitur, putauit forte quod Israelitæ, cognoscentes se peccasse, vellent dimittere Regem, ne manerent semper in peccato; ideò dicit, quod quanquam peccauerint petendo Regem, tamen iam, postquam acceperunt, non congruit eum dimitti.

2 *Nunc*

LITERAL. Mendoza. 2 *Nunc ergo præsto est Rex vester.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Postquam Samuel populo peccatum obiecit, peccati remedium inculcat, ne tam pœnalis, quàm medicinalis obiectio videatur.

LITERAL. Sanctius. Aug. 3 *Nunc ergo præsto est Rex vester.* Gaspar Sanct. ibi. n. 19. Aliquid hic subamarũ, & ironicum, licèt obscurius, videtur insinuasse Samuel; quasi in suum caput vltrò malum accersierit. Ita sanè putat Aug. super Psalm. 51. in principio. *Saul*, inquit, *Rex non ad permanendum electus est à Domino, sed secundum cor populi durum, & malum datum est ad eorum correptionem, non ad vtilitatem.*

LITERAL. Abul. 4 *Quem elegistis.* Abul. ibi. q. 14. Non refertur ad istum Regem in speciali, sed ad Regem in generali. Nam ipsi non petierunt Saulem in Regem, sed petiuerunt aliquem Regem: imò cùm Deus dedit eis Saülem, primi eorum non respexerunt eum.

LITERAL. Idem. 5 *Quem elegistis.* Idem Ibidem. Non est sensus, quòd illi elegerunt, quia Rex datus est eis per sortes missas coram Domino, & per illas Dominus monstrabat quem elegisset, ipsi autem nihil elegerunt, sed electum à Deo receperunt. Dicitur autem elegisse, quia ad eligendum conuenerunt per Tribus suas: suprà cap. 10.

LITERAL. Carth. 6 *Quem elegistis.* Carthus. ibi. art. 23. Quomodo verum est hoc? Non enim videntur filij Israel elegisse Saulem in Regem, sed Dominus eum ad hoc elegit, ac designauit, non præeunte populi electione. Respondetur, quòd dicuntur eum elegisse, hoc est vnanimiter acceptasse in Regem, quàm alium.

LITERAL. MORAL. Author Catenæ. 7 *Ecce dedit vobis Dominus Regem.* Autor Catenæ. Concessum Regem monstrat Samuel, vt ad parænesim ex eo transeat: quasi diceret: Regem hominem vobis præfici perperam cupistis; & postulastis, votum vestrum, vel impium, & detestabile spernendum misericors Dominus non censuit, sed concessit, vt vobis morem gereret. Quid modo supereſt, nisi vt pia Dei vota vos etiam impleatis, & gratos vos, & obsequentes erga ipsum benignissimum largitorem, & erga constitutum vobis Regem exhibeatis? Ideò subiungit: *Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, &c.*

VERSVS XIV.

Vulgat. *Vulgata.* Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini: eritis & vos, & Rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.

Bened. *Bened. in marg.* Et audieritis vocem eius, & non rebelles fueritis verbo Domini.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, atque audieritis voci eius, & non exasperaueritis os Domini; ambulabitis, tum vos, tum Rex, qui regnabit super vos post Dominum Deum vestrum.

Vatab. *Hebraïc. ex Franc. Vatabl.* Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, atque vocem eius audieritis, neque rebelles fueritis oti Domini, tam vos, quàm Rex qui imperat vobis, eritis post Dominum Deum vestrum.

Arias. *Chaldaïc. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Si timueritis ab-ante Dominum, & seruietis ab-ante eum, & obedieritis dicto illius, & non rebellaueritis super dictum Domini; eritis etiam vos, & etiam Rex, qui regnabit super vos, post cultum Domini Dei vestri.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Vt timeatis Dominum, & seruiatis ei, & audiatis vocem eius, & non obiurgetis ori Domini, & fueritis & vos & Rex regnans super vos, euntes post Dominum Deum vestrum, & liberabit vos.

Sixtia. *Græc. ex Septuagint. in Sixtian.* Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non repugnaueritis ori Domini, & eritis, & vos, & Rex regnans super vos post Dominum ambulantes.

Basil. *Græca ex Septuag. in Basilienſi.* Post Dominum Deum vestrum non erit manus Domini super vos.

Caiet. *Caietan. ex Hebræo.* Et non rebellabitis ori Iehouah.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. TROPOL. Gregor. *Non sufficit timere Deũ.* 1 *Si timueritis Dominum.* Gregor. lib. 5. Variar. c. 1. Quid est, quod ait, nisi quia plerique diuinæ districtionis iudicia metuunt, & tamen praua agere non desistunt? Pauenti quidem corde futura iudicia cogitant, sed præsenti voluptate deuicti, mala committere nequaquam vitant. Benè ergo post timorem Domini, eius seruitia memorantur, quia ille solus timor probabilis est, qui dum mentem concutit, ad bonæ mentis studium trahit.

LITERAL. Abul. 2 *Si timueritis Dominum.* Abulens. ibi. q. 14. Scilicet, quamuis peccastis ab initio petendo Regem, tamen nunc non peccastis retinendo illum, ideò si Deum timetis, custodiendo mandata eius, prosperabimini.

LITERAL. Vermil. 3 *Si timueritis Dominum.* Verm. Hæret. ibi. Timor Dei ponitur pro omni religione, & pietate, quem enim veremur, illi credimus, illum veneramur, illum colimus.

LITERAL. Sanctius. 4 *Si timueritis Dominum.* Gaspar Sanct. ibi. n. 20. Grauiter videbatur Prophæta perculisse Hebræorum animos, cùm dixisset apertè ab illorum regno Deum esse depulsum, & in suum malum ascitum esse Regem indicasset obiecturius. Nunc illis non dissimilem futuram ostendit Dei in illum populum prouidentiam & curam, si modò tam ipse, quàm Rex nuper electus à diuinorum præceptorum obseruantia non recedant, neque diuinum pectus ad vindictam instimulent.

LITERAL. Mend. 5 *Si timueritis Dominum, &c.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Dubitari potest hoc loco, vtrùm singula verba, quæ hîc ponuntur, singulos habeant significatus, proprios, ac distinctos; an potiùs ad eam rem efficacius significandam omnia congerantur? Vtrouis modo responderi potest. Si hoc posteriori, dic familiare esse diuinis Litteris, vt cùm res magni momenti exprimitur, pluribus verbis idem significantibus exprimatur, vt maior conatus, feruor, ac studium operantis significetur.

TROPOL. Gregor. 6 *Et audieritis vocem eius.* Greg. suprà. Quoniam nonnulli sunt, qui per timorem Dei quædam mala respuunt; aliqua bona agunt; & tamen nec mala planè deserunt, nec bona sufficienter operantur, adiungitur: *Et audieritis vocem eius*; qui vocem Domini audit, & bona planè agit, & mala penitus deserit.

LITERAL. MORAL. Idem. 7 *Et non sprueritis os Domini.* Idem ibidem. Bona

Bona opera in delectatione suauitatis habenda sunt, non in æstimatione asperitatis, nam quibus semper dura, & aspera videntur, quæ à Domino præcipiuntur, paulatim decidentes deficiunt; hinc enim per semetipsum Veritas dicit: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Matth. 11. Hinc Ioannes ait: *Mandata eius grauia non sunt.* 1. Ioann. 5. Grauia quippe non sunt electis, quia dum æternæ vitæ gloriam magno desiderio appetunt, præcepta euangelica gratanter ferunt.

Matth. 11. 1. Ioann. 5.

LITERAL. Gregor. 8 *Os Domini.* Idem ibid. Potest & os Domini prædicatio perfectæ charitatis intelligi, quasi enim oris sui blandimenta volebat ostendere, cùm dicebat: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*; hoc quippe præceptum Domini, hoc iugum est diuinæ suauitatis. Quid enim leuius, aut vnquam gratius, quàm amor, fertur? Quid præterea graue non leuiter tolerat, qui amat?

LITERAL. Abul. 9 *Et non exasperaueritis os Domini.* Abulens. ibi quæst. 14. Exasperare os Domini alicuius dicitur, quando quis alterum asperum sibi facit, idest iracundum propter verba, scilicet quòd quanquam ille sæpe iubeat, iste nihil agit. Ita ergo in Deo, si aliquid mandaret Hebræis, & illi nihil facerent, exasperarent os Domini.

LITERAL. Carth. 10 *Et non exasperaueritis os Domini.* Carthusian. ibi art. 23. Idest sapientiam eius non prouocaueritis ad indignationem, & vltionem aduersum vos.

LITERAL. Sanctius. 11 *Et non exasperaueritis os Domini.* Gaspar. Sanct. ibi num. 10. Exasperare idem est, quòd naturam clementem, & mitem difficilem reddere, & acerbam; quæque magis de puniendis, quàm de ornandis hominibus cogitet; aut eò quemquam furoris adducere, vt verba euomat minantia, & offensionis plena. Id enim est exasperare os, vt aliquid nempe asperum, & acerbum loquatur; ac exasperare sermones, quod statim dicitur.

LITERAL. Mendoz. 12 *Et non exasperaueritis os Domini.* Francisc. Mend. ibi §. 4. &c. Triplex sensus esse potest. Primus, si non reputaueritis mandata eius aspera; quasi Samuël populum admoneat, non solùm vt præcepta diuina seruet, sed etiam vt facilia iudicet; ne mitissimo Domino, & suauissimas leges imponenti iniuriam irrogare videantur. Secundus sensus: Si non feceritis asperè Deum loqui propter peccata vestra. Tertius sensus: Et non repugnaueritis, aut rebellaueritis ori Domini. Sic enim Septuaginta, & Chaldæus transtulerunt. Hic sensus in Græco textu apertè exprimitur, è Latino autem sic deducitur quodammodo ab effectu, quia qui mandatis alicuius Principis repugnat, os eius quodammodo lædit, offendit, & exasperat.

LITERAL. Author Catenæ. 13 *Et non exasperaueritis os Domini.* Autor Catenæ. Hoc est, si verba Domini contemnentes, ipsum Dominum ad iracundiam non prouocaueritis. Os enim Domini vocantur eius præcepta, & consilia, sumptâ causâ pro effectu, iuxta vulgatum Scripturæ morem: *Os Domini non interrogauerunt.* Iosue 9. 14. pro: Responsum Domini consulentes non exquisierunt. *Os meum non interrogastis.* Isaiæ 30. 2. Iaiæ 30. 2. Exasperari autem aliquis potest, si præcepta spernit videat. *Generatio prauа, & exasperans.* Psalm. 77. 8. Psalm. 77. 8. Iudæa vocatur, & idem etiam Dauid: *Qui exasperant non exaltentur.* Psalm. 65. 7. Psalm. 65. 7.

Iosue 9. 14. Isaiæ 30. 2. Psalm. 77. 8. Psalm. 65. 7.

LITERAL. TROPOL. ANAGOG. Greg. 14 *Eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum.* Greg. suprà. Quasi dicat: Tunc benè diuinam voluntatem perficitis, si & contemptum prauitatis, & boni operis studium in diuina charitate solidatis. Tunc ad summam æternæ vitæ beatitudinem benè post Redemptorem curritis, si ea, quæ carnalibus aspera sunt, præcepta charitatis vsque ad vitæ finem cum iucunditate deducitis.

16 *Eritis & vos, &c.* Abul. ibi quæst. 14. Putarent Israëlitæ, quòd cùm peccauissent eligendo Regem, quandiu illum haberent, essent in peccato, & non possent sequi Dominum. Dicit autem Samuël, quòd, quanquam peccauerint, semel petendo, tamen iam non peccant, retinendo; ideò possunt sequi Dominum, & essent grati illi habendo Regem.

LITERAL. Abul.

16 *Eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis sequentes Dominum.* Emanuël Saa in Schol. Scilicet fœliciter, quasi dicat: omnia vobis prosperè euenient, Deo iuuante.

LITERAL. Saa.

17 *Eritis & vos, &c.* Franc. Mend. ibi §. 7. Noluit Samuël palam prohibere, ne Regem dimitterent, sed tacite supponere esse retinendum, veritus ne prohibendo crimen ad committendum prouocaret. Nam improbi homines faciliùs non attendunt ad crimen, quàm attendentes ab illo inhibentur. *Nitimur in vetitum.*

LITERAL. Mend.

18 *Et Rex, qui imperat vobis sequentes Dominum.* Autor Catenæ. Hinc patet prudentissimum Samuëlem, in his, quæ populo dixit, non tantum ipsos instruere, & adhortari in animo habuisse, sed latenter etiam, & suauiter eorum Regem edocere. *Eritis*, inquit, *& vos, & Rex, &c.* Et infrà vers. vlt. *Quod si perseueraueritis in malitia, & vos, & Rex vester pariter peribitis.* Quod annotauit aptissimè Chrys. hom. de verbis Apostoli sæpe relata. *Quia saluatem hominum dumtaxat putauit, illis gubernatorem ad sui expressit imitationem in ea oratione, quà de gestis suis rationem dedit; nam cum ignarum sciret, odiosúmque Regem adhortari; qui omnia coram erat auditurus, atque illi formam præscribere rei; quàm scilicet mansuetus esse debeat, quàm moderatus, quàm procul à munerum corruptione, vt nemini vim inferat, vt nemini sit iniustus, neque diuitiis congerendis studeat, rursum tacendo totus populus in prædam traditus fuisset, prætextu excusationis vtrumque periculum declinauit, illum docuit, cuiusmodi gubernatorem esse conueniat, simulque vitauit odium doctrinæ, siquidem videtur circa res suas occupatus; instruit tamen & præscribit quanto studio subditorum commodis adnigilare par sit.* Ex hac ergo ratione se suprà commendare visus est, qui propriis quidem laudibus parùm delectabatur, vt sæpè aduertit idem Chrysostomus; præcipuè hom. 24. in epist. 2. ad Cor. *Non dicebat*, inquit, *vt seipsum laudaret, sed quoniam Regem constituturus erat, pro defensione posuit volens eum erudire, vt humilis sit, ac mansuetus.* In quo suam satis prudentiam prodidit; nam cùm sciret potentes admonitionis, ac correctionis impatientes esse, ita admonitionem palliauit, vt Saülem quidem instrueret, nec offenderet.

LITERAL. TROPOL. Author Catenæ. *Reges qualiter admonendi?*

Chrys.

Chrysost.

VERSVS XV.

Vulgata. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super Patres vestros.

Vulgata.

Benedict. in margin. Sed rebelles fueritis verbo Domini.

Benedict.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Si autem non audieritis

Pagn.

voci Domini, sed exasperaueritis os Domini, erit manus Domini contra vos, & contra Patres vestros.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatablo.* Quòd si vocem Domini non audieritis, orique Domini rebelles fueritis, erit manus Domini contra vos, & contra Patres vestros.

Ariasm. *Chald. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et si non obedieritis dicto Domini, & rebellaueritis super dictum Domini, & erit plaga Domini in vobis, vt hæc, quæ fuit in Patribus vestris.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Si autem non audieritis vocem Domini, & obiurgaueritis ori eius, & erit manus Domini super vos, & super Regem vestrum.

Sixtian. *Græc. ex Sept. in Sixtia.* Si autem non audietitis vocem Domini, & repugnaueritis ori Domini, & erit manus Domini super vos, & super Regem vestrum.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Sed rebellaueritis ori Iehouah.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul. 1 *Sed exasperaueritis sermones eius.* Abulens. ibi quæst. 14. Scilicet: fecerit is vobis Deum asperum propter sermonem suum, quod est, non obediendo ei, eum ad iracundiam prouocare.

LITERAL. MYSTIC. Greg. 2 *Erit manus Domini super vos, & super Patres vestros.* Greg. lib. 5. Variat. cap. 2. Manus Domini diuinæ est seueritas vltionis; quæ profectò manus super filios, & Patres extenditur, cùm diuini contemptus meritò & reprobi Prælati, & subditi puniuntur. Eadem quoque manus ad vltionem extenditur, cùm vox Domini non auditur, cùm eius sermones exasperantur, quia ij, qui diuina mandata quasi dura, & importabilia respuunt, intolerabili pœnæ onere in futuro deprimuntur. Stulta quippe audacia hominis, vnde ad modicum subire ea, quæ sibi videntur aspera, refugit, inde se asperioribus in æternum subdit. Nam si sapienter saperet, hoc sibi quod displicet, suaderet; vt per dura & aspera huius breuissimi temporis; dura, & aspera euaderet futuræ damnationis.

LITERAL. Lira. 3 *Erit manus Domini, &c.* Liran. ibi. Idest ita erit super vos de futuro, sicut fuit super Patres vestros de præterito.

LITERAL. Abul. 3 *Erit manus Domini, &c.* Abul. ibi quæst. 14. *Et* debet referri ad simultatem, scilicet quòd simul infligetur pœna Israelitis, & Patribus suis. Vnde potest intelligi de iuuenibus, & senibus, scilicet tam vos, qui iuuenes estis, & venistis ad bellum, quàm Patres vestri, scilicet seniores, qui non sunt hic, simul à Deo puniemini. Vel intelliguntur hîc Patres, Principes, vel Prælati, qui sunt Patres populi, quod maxime conuenit principatui Regali, quando rectus est. Nam Aristot. 8. Ethicor. vocauit principatum Regalem, *principatum paternum* allegans autoritatem Homeri.

Arist.

Homer.

LITERAL. Carthus. *Patres cur etiam puniantur.* 5 *Super vos, & super Patres vestros.* Carthus. ibi art. 23. Hoc est tam vos, quàm Patres vestri, qui vos ad mala inducunt, seu à vitiis non refrænant pro posse, incurretis debitas pœnas Dei. Vel super Patres vestros defunctos condemnatos, quorum damnatio, seu tormentum augebitur ex iniquitatibus, & condemnationibus vestris in, quantum præbuerunt, & reliquerunt vobis occasionem, & exemplum peccandi, & pena vnius damnati redundat in alium.

LITERAL. Vatab. 6 *Super vos, & super Patres vestros.* Vatabl. in Schol. Hoc est, affliget vos, vt Maiores vestros, quando fuerunt inobedientes. *Et*, pro *vt* similitudinis. Quidam Hebræorum, intetpretantur *Patres*, Reges; nam quod est pater filio, id Rex debet esse subdito.

LITERAL. Author Catenæ. Lira. Vatab. Carthus. Marian. Saa. Mendoza. 7 *Super vos, & super Patres vestros.* Autor Catenæ. Particulam & pro *vt* similitudinis vsurpant Lira, Vatabl. Carthus. Mariana, & Saa; sed sine necessitate planum, & historicum stylum inuertunt. Alij de Patribus senioribus, qui senectutis priuilegio ad bellum non confluxerant, nec concioni aderant, quod non displicet; alij de Patribus iam defunctis, & damnatis exponunt, vt Carthusianus, quibus ex filiorum damnatione pœna subtrahetetur. Non placet hæc expositio Mendozæ nostro; *Quia esset*, inquit, *infructuosa comminatio, cum iam mortui non resipiscant.* Sed quidquid sit de Carthusiani sententia, non satis à Mendoza impugnari video ex prædicta ratione; cùm hæc comminatio non Patribus directè, sed filiis & neporibus fieret, qui cùm viderent ex sua condemnatione tormentorum augmentum miseris Patribus allaturos, abstinerent quidem à peccatis, & genitorum bono consulerent. Cæterùm Dionysij sententia probabilis mihi est; nam pœnam damnatis Patribus, Regibus, Prælatis, ex filiorum, aut subditorum condemnatione, vel ex prauo exemplo, vel institutione aggrauari, Theologorum doctrina est; in cuius confirmationem auarus ille diues totius charitatis, & pietatis expers, in gehennæ tormentis, vt Prædicatores suis cognatis immitteret, ne & ipsi etiam damnarentur, Abrahamum enixè rogabat. *Rogo te*, inquit, *Pater, vt mittas eum in domum Patris mei; habeo enim & quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Luc. 16. 27. Cur autem tantum de fratrum salute solicitus esset impius, & inhumanus homo, ratio fuit, certus quidam metus, seu præscientia eorum damnationem sibi pœnarum augmentum parituram, qui vel eos satis non instituerat, vel prauis moribus scandalizauerat. Quam rationem reddunt Beda, & Gregor. apud Maldonatum, & communiter ab aliis traditur. Alij denique vt Rabbi Kimhi de Regibus futuris, & Saüle præsente intelligunt, quibus expressè fauent Septuaginta transferentes: *Super Regem vestrum.* Quibus etiam libenter subscribimus. Nam Reges Patrum nomine significari in humanis etiam Litteris vulgare est, multisque probat Mendoza §. 2. & Cornel. in Comment. & pluribus aliis illustrare difficile non esset. Nam Iustin. lib. 15. de Lisimacho loquutus: *Magno*, inquit, *animo Regis veluti parentis contumeliam tulit.* Xenophon. lib. 8. Cyrop. *Princeps bonus nihil differt à bono patre*; & de Tiberio Constantinopolitano Imperatore. Simocatt. lib. 3. cap. 16. *Pater potiùs à suis subditis dici maluit, quàm Dominus.* Dio Chrysost. orat. 12. *Iupiter Rex dicitur propter principatum, & potentiam: Pater autem vt puto propter curam, & mansuetudinem.* Vnus denique pro cunctis sufficiat Philo Hebræus lib. de Creat. Principis. *Sunt*, inquit, *vt verum fatear, publici parentes ciuitatum, ac gentium quotquot boni sunt, nec cedunt pietati naturalium.* Regis verò aptam cum Patre comparationem vide apud Senecam lib. 1. de Clement. cap. 14. ibi: *Hoc, quod parenti, etiam Principi faciendum est, quem appellauimus patrem patriæ non adulatione vana adducti. Cætera enim cognomina honori data sunt. Patrem quidem patriæ appellamus, vt sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, suaque post illos reponens.*

Author Catenæ. Lira. Vatab. Carthus. Marian. Saa. Mendoza. Luc. 16. 27. Beda. Gregor. Maldonat. *Rex Pater dicitur?* Rabbi Kimhi. Mendoz. Cornel. Iustin. Xenoph. Simocatt. Dio Chrys. Philo. Seneca.

VERSVS

VERSVS XVI.

Vulgata. *Vulgata.* Sed & nunc ſtate, & videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et iam nunc ſtate, & videte rem grandem hanc, quam Dominus faciet in oculis veſtris.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Sed & nunc conſiſtite, & ſpectate rem iſtam grandem, quam Dominus faciet coram oculis veſtris.

Ariaſm. *Chaldaica ex Bened. Ariaſm. in Regia.* Et etiam nunc ſtate, verbum grande hoc, quod Dominus faciet ad oculos veſtros.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Et nunc etiam ſtate, & videte verbum magnum hoc, quod faciet Dominus in oculis veſtris.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixt.* Et nunc ſtate, & videte verbum magnum hoc, quod Dominus faciet in oculis veſtris.

PP. ET AVCTORES.

Hiſtor. Ioſeph. 1 *Sed & nunc ſtate.* Ioſeph. lib. 6. Antiquit. c. 6. alias 5. Vt autem manifeſtè ſciatis Deum vobis iratum, neq; ei placere in Regnum veſtram veſtram Rempublicam, dabo cuidam ſignũ diuinitus.

Literal. Abul. 2 *Sed & nunc ſtate.* Abul. ibi. q. 14. Hic ponitur Samuelis increpatio contra populum per diuinum miraculum: nam ſi ſolum increpaſſet verbis, Iſraelitæ adhuc non crederẽt ſe peccaſſe. Vt ergo manifeſtũ eſſet eis, induxit diuinum miraculum de tonitruis, & pluuia, in quibus erat manifeſta probatio.

Literal. Idem. 3 *Et videte rem iſtam grandem.* Idem ibid. q. 15. Scilicet miraculoſam, quia non poterat hoc fieri ſine miraculo.

Literal. Mendoza. 4 *Et videte rem iſtam grandẽ.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Miraculum prædicit, & facit; vtrumque fuit planè neceſſarium ad incredulos Hebræorum animos inflectendos, qui non tam dictis, quàm factis, acquieſcebant, vt plerisque hominum contingit.

Tropol. Author Catenæ. *Mendacium creditur ſolum.* 5 *Et videte rem iſtam grandem.* Autor Catenæ. Non ſemel, ſed ſæpius Samuel inſanam fuiſſe Regis poſtulationem populo comprobauerat, & multiplici firmauerat teſtimonio, quibus tamen minimè contentus, ad ſigna miraculoſa, & ſupernaturalia ſollicitat. Nouerat quippe hominum ingenium, qui vero nullatenus credunt, ſed vni mendacio, & vanitati adhærerent. Quos contra Dauid: *Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Pſal. 4. 3. Grauis olim in cœlis coram Domino conſultatio extitit, quam Michæas Propheta cœleſti Numine contemplatus fuit. 3. Reg. 22. 19. de qua ſic Acabo Regi, eiuſque Optimatibus. *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei à dextris, & à ſiniſtris.* Quorſum autem tam celebris concio? *Et ait Dominus, quis decipiet Acab Regem Iſrael, vt aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad?* Varia fuit, vt in contentionibus ſolet conſultorum, ſententia, illa verò præ omnibus inualuit, quæ impium Regem mendacio tentandum perſuaſit. *Egreſſus eſt autem Spiritus coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus, in quo? Et ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Vix dixerat, cùm diuina acceſſit cõſilij eius approbatio:

Pſ. 4. 3.

3. Reg. 22. 19

Et dixit Dominus: Decipies, & preualebis. ibidem, v. 22. Ea enim eſt mendacij apud improbos præcipue Principes autoritas, vt nullum aptius ad eos capiendos ſtratagema excogitari queat, vt ſolita præciſione annotauit Caietanus ibi. *Manifeſtat*, inquit, *Deus efficaciam huius medij.* Tanta quippe eſt, vt diuina approbante Sapientia, & Regem, & ſapientes quoque conſiliarios eius in amentiam agat, & in interitum trahat, & ruinam.

Caietan.

6 *Quam faciurus eſt Dominus.* Abulenſ. ibi. q. 15. Literal. Abul. Scilicet non poterit fieri opere naturali in illo tempore, ſed Deus faciet, & hoc requiritur ad miraculum.

7 *In conſpectu veſtro.* Idem ibid. Ideſt immediatè, Literal. Idem. vobis præſentibus, ſcilicet non differetur iſtud vſque ad aliquot dies, quia interim poſſet fieri naturalis immutatio, & plueret naturaliter.

VERSVS XVII.

Vulgata. *Vulgat.* Numquid non meſſis tritici eſt hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluuias: & ſcietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conſpectu Domini, petentes ſuper vos Regem.

Benedict. *Bened. in marg.* Et dabit tonitrua, & pluuias, & ſcietis, & videbitis, quòd malitia veſtra ſit magna, quam feciſtis in conſpectu Domini petentes ſuper vos Regem.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Nonne meſſis frumentacea eſt hodie? Inuocabo Dominum, & dabit tonitrua, & pluuiam, & ſcitote, & videte quòd malum veſtrum multum eſt, quòd feciſtis in oculis Domini petendo vobis Regem.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* An non hodie meſſis eſt triticea? Clamabo ad Dominum, & edet tonitrua, & pluuiam, vt cognoſcatis, & videatis, quòd malitia veſtra magna ſit, quam feciſtis in oculis Domini poſtulando vobis Regem.

Ariaſm. *Chald. ex Benedict. Ariaſm. in Regia.* Nonne meſſis tritici hodie? Orabo ante Dominum, dabit voces, & pluuiam. Cognoſcite, & videte, quòd malum veſtrum magnum quod feciſtis ante Dominum ad petendum vobis Regem.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Compl. & Regia.* Numquid non meſſis tritici hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluuiam, & cognoſcite, & videte, quia magna malitia veſtra, quam feciſtis in conſpectu Domini petentes vobis ipſis Regem.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Nonne meſſis frumentorum hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluuiam, & cognoſcite, & videte, quia maleficium veſtrum eſt magnum, quod feciſtis in conſpectu Domini petentes vobis ipſis Regem.

PP. ET AVCTORES.

Hiſtor. Hieron. tom. 6. 1 *Numquid non meſſis tritici eſt hodie?* Hieronym. in cap. 4. Ammos, verſ. 7. Nunquam in fine menſis Iunij, ſiue in menſe Iulio in his prouinciis maximèque in Iudæa pluuias vidimus. Denique in Regum libris pro ſigno magno, atque portento diebus æſtatis, & meſſis, orante Samuele, pluuiæ concitatæ ſunt.

Literal. Greg. 2 *Numquid non meſſis tritici eſt hodie?* Gregor. lib. 5. Variar. c. 2. In meſſe tritici pluuiæ, & tonitrua in illa regione non fiunt.

LITERAL. Lira. 3 *Numquid non messis tritici est hodie?* Liran. ibi. Quasi dicat: Istis temporibus non consueuerunt talia fieri; etsi aliquando fiant, non tamen ita repente, vel subitò, sicut factum est ad præces Samuelis, & absque dispositione aëris præcedente.

LITERAL. Abul. *Pluuia Samuelis miraculosa.* 4 *Numquid non messis tritici est hodie.* Abul.ibi. q.15. Quasi dicat: licèt hodie sit messis tritici, in quo nunquam sunt pluuiæ in terra ista, tamen inuocabo Dominum, & dabit pluuias. Non poterat autem in tempore illo pluere in terra Chanaam, quia pluuia fit ex humida exhalatione faciliter conuertibili; tempus autem messis triticeæ est valdè calidum in terra Chanaam, omnino non potest esse aliqua exhalatio humida, quæ in pluuiam conuertatur.

LITERAL. Vatab. 5 *Numquid non messis tritici est hodie?* Vatabl. in Schol. Hebræi aiunt tempore messis non solere pluere in terra sancta. Alij à decimo septimo Martij vsque ad mensem Octobris non pluere. Vtcumque res habeat, erat sudum, cùm hæc dicebantur.

LITERAL. Sanct. 6 *Numquid non messis tritici est hodie?* Gaspar Sanct. ibi. num.23. Duæ pluuiæ Iudæorum terræ familiares sunt, & quasi legitimæ: quæ appellatur temporanea, illa nempe quæ terram sub Autumnum irrigat, & disponit ad satum; & serotina quæ ad spicas perducit segetes, illasque maturat, quæ sub vernum tempus accidit: aliis anni temporibus aut nulla est, aut non nisi perquam rara pluuia. Et sane quasi prodigiosum aliquid narratur eo tempore accidisse pluuiam, quando aut nunquam, aut vix illam vidit Palæstina.

LITERAL Author Catenæ. Ioseph. Comest. Naucler. Gregor. Liran. Abul. Ver b. Isidor. Clar. Carth. Charen. Sanct. Silian. Clemens Alexand Hieron. Euseb. Beda. August. Theodor. 7 *Numquid non messis tritici est hodie?* Autor Catenæ. Interrogationis huius emphasis clarè indicat, quod docent communiter Interpretes, & Historiographi. Iosephus, Comestor, Naucler. Gregorius, Liranus, Abulensis, Vatablus, Isidor. Clarius, Carthusianus, Sanctius, & Salianus; & ex Patribus Clemens Alexandrin. Hieronym. Eusebius, Beda, Augustinus, Theod. & alij, nempe pluuiam, & tonitrua hæc à Samuele excitata contra naturæ ordinem, ac miraculosè contigisse. Primò quia æstatis tempore, vel nunquam, vel rarò in illa regione Iudææ hæc accidebant. Secundò, quia nulla præuia dispositione, vel nubium, vel præcedentium exhalationum à terra, sed repentino effectu ad vnius Samuelis orationem, sudo ante hemispherio, venerunt. Non solùm autem miraculosum dicitur, quod supra naturæ virtutem est quoad substantiam, sed etiam quod vel quoad modum, vel circa subiectam materiam, vel circunstantiarum collectionem. Hominem enim viuere, aut videre supra naturam non est; viuere autem, aut videre post obitum, si ad vitam reuocetur, supra naturam est, nam si natura possit vel vitam, vel lumen dare, nequit tamen ei, qui iam vixit, vel excæcatus semel fuit. Sic & pluere, & coruscare naturale quidem est secundùm se, ex modo autem, & circunstantiis potest & supernaturale esse: iis verò quibus probari videtur messis tempore, nempe æstiuo, pluuias in Iudæa insolentes non esse, respondent optimè Abulensis quæstion. 15. & Mendoza noster §. 3.

LITERAL. Abul. 8 *Inuocabo Dominum.* Abulensis ibi, quæstion. 15. Quasi dicat: Nihil aliud faciam, nisi inuocare Dominum non obseruando aliquam cæremoniam astronomicam, vel coniunctionem, aut aspectum planetarum, aut mansionem eorum in certis signis, quæ naturaliter ad pluuiam faciunt; Ex quo apparet, quòd ipse Deus faciet pluuiam.

9 *Et dabit voces, & pluuias.* Hieronymus ad caput 12. Matth. tomo 9. ad illa verba: *Magister volumus a te signa videre.* In alio Euangelio quid petant, pleniùs explicatur: *Volumus a te signum videre de cœlo.* Marci cap.8. vers.11. Vel in morem Heliæ ignem de sublimi venire cupiebant: vel in similitudinem Samuelis, tempore æstiuo contra naturam loci mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere. *Eadem verba habet* Beda *Homil. in 3. Dominicam Quadragesimæ.* LITERAL. Hieron. Marc.8.11. Beda.

10 *Et dabit voces, & pluuias.* Abul.ibi.q.15. Voces vocantur hîc tonitrua, quia sunt ad modum vocum, vel cum magno sono. Sic, potest accipi Ex.20. scilicet: *Cunctus autem populus videbat voces, & sonitum buccinæ.* LITERAL. Abul. Exod.20.

11 *Et dabit voces, & pluuias.* Franciscus Mendoza ibi. §. 4. Cur ex multis signis, quæ de cœlo postulari poterant, potiùs imbres, & tonitrua Samuel postularit? Respondeum, quia ex iis, quæ de cœlo fiunt, erat facilius, & minùs à vulgari vsu abhorrebat. Quando autem minus miraculum sufficit, non est cur maius requiratur. LITERAL. Mend.

12 *Quia grande malum feceritis vobis.* Gregor. lib.5.Variar.c.2. Quia tam attentè, & toties ista petitio Regis reprehenditur, hoc electis insinuat, quia qui ad culmen sanctæ Ecclesiæ carnales prouehunt, grauissimæ peccati obligatione retinentur. Nam peccata reliqua singularis pœnæ meritum obtinent: qui verò carnalem præpositum constituit, tot incurrit pœnarum merita, quot ille fidelibus subditis præbet prauitatis exempla. Sed graue pondus criminis deponi non potest, nisi austeritate magnæ compunctionis: compunctionis autem gratia menti non infunditur, nisi prius ipsa ei peccati magnitudo monstretur. Propheta ergo Domini vt ad congruæ pœnitentiæ fructum peccantem populum prouocaret, per mirabilem motum aëris ei insinuat magnum peccatum transgressionis. MYSTIC. Gregor.

13 *Quia grande malum feceritis vobis.* Ioseph. lib.6.Antiq.c.6.aliàs 5. Vt autem manifestè sciatis Deum vobis iratum, nec ei placere in regnum versam vestram rempublicam, dabo euidens signum diuinitus, qualem enim nunquam quisquam æstatis medio vidit in hac regione tempestatem, talem nunc impetrabo à Deo, quæ verbis meis fidem adstruat. HISTOR. Ioseph.

14 *Quia grande malum feceritis vobis.* Emanuel Saa in Schol. *Vobis*, pro *vos*; vel quasi dicat in vestram perniciem. LITERAL. Saa.

15 *Quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini.* Autor Catenæ. In conspectu Domini peccare nihil aliud est ad litteram, quàm Deum, qui vbique præsens est offendere. Susana: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Daniel. cap. 13. v. 23. *Quando feceritis malum in conspectu Domini.* Deuteron. cap. 31. v. 29. *Feceruntque filij Israel malum in conspectu Domini.* Iudic.2.11. Ad tropologiam verò, peccare in conspectu Domini, delinquentis innuit malitiam, & petulantiam, qui ipsis Dei omnipotentis oculis irreuerentiam inferre non veretur, dum impudentissimo cuiquam Dei præsentia frænum imponat, LITERAL. Author Catenæ. Dan.13.23. Deut 31.29. Iudi.2.11. TROPOL. *In præsentia Dei peccare quantum nefas.*

&

& à peccati commissione deterreat. Milites illi inuerecundi, qui Dominum in domo Principis Sacerdotum vinctum tenebant, *Illudebant ei, cædentes. Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius.* Luc.22.63. & 64. & apud Marc. *Cœperunt quidem conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere.* Marc. 14. 65. Cur autem faciem eius velarent, respondet Dionys. Carthus. ibi art. 48. *Quasi indignus esset eos aspicere.* Sed potiùs assentior Bedæ in Cat. S. Thomæ, qui ad rem nostram sic ait: *Velauerunt eum, non vt eorum illa scelera non videret, sed vt à se ipsis faciem eius abscondant.* Simile quid annotauit Cyrill. Hieros. Chatech. 4. de Idololatris quibusdam, qui Solem; & de aliis, qui Lunam Deos sibi constituebant; quæ autem eos in hunc errorem ratio impulerit, lepida est apud eundem Cyrillum, scilicet, vt occidente Sole tanquam sine Deo liberè possent delinquere: rursùs, quia occidente Lunâ, per diem exleges esse liceret. *Cùm aberrauerint,* inquit, *ab vero Deo alij quidem Solem ponebant, vt occidente Sole, nocti tempore, sine Deo essent: alij verò Lunam, vt in die Deum non haberent.* In tantũ stolidi quoque homines Deorum suorum præsentiam verebantur? Quid fideles? Quid prudentes? Vnde Seuerinus Boet. lib. 3. de Consol. Prosa 6. *Aduersamini,* inquit, *vitia, colite virtutes. Magna vobis indicta est necessitas probitatis. Cùm ante oculos agatis Iudicis cuncta cernentis.* Nec mirum quidem diuinæ præsentiæ reuerentiam impendi, cùm regiæ etiam & humanæ ab omnibus, qui sani sunt, exhibetur. Nam Theodoricus Gothorum Rex apud Cassiod. lib. 3. Variar. epist. 27. *Regia,* inquit, *maiestatis obiectu feruentium furor animorum in suis cautibus elidatur: & de se magis sumat pœnas proternia, dum cohibetur innoxia.* Nec minùs eleganter Latin. Paccatus in 2. Panegir. Theodosij senioris, aureis his verbis. *Nam si olim Domini aduersus rebelles seruos dimicaturi, flagra in aciem detulerunt, tantáque vix conscientia fuit, vt ab inermibus vexarentur armati, & qui obtulerunt mortibus pectora, traderent terga verberibus. Nónne tu quoque legionibus occisis, rem totam visus, egisses?* Vulgaris historia est, quæ probat aptè quantâ reuerentiâ vniuersalis Domini præsentia prosequenda sit. Grauiter ergo peccauerant Hebræi, qui in conspectu Domini teste Samuele deliquerant.

Luc 22.63. 64. Marc.14 65. Carth. Beda. Cyrillus. Hieros. Boëtius. Cassiodor. Latin. Paccatus.

VERSVS XVIII.

Vulgata. *Vulgata.* Et clamauit Samuël ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluuias in illa die.

Benedict. *Benedict. in marg.* Et dedit Dominus tonitrua, & pluuias in die illa.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnino.* Clamauit autem Semuël ad Dominum, dedítque tonitrua, & pluuiam in die illa.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Et clamauit Samuël ad Dominum, & edidit Dominus tonitrua, & pluuiam in die illa.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et orauit Semuël ante Dominum, & dedit Dominus voces, & pluuiam in die illa; & timuerunt omnis populus valdè ab ante Dominum, & à verbis Semuel.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et vocauit Samuël Dominum, & Dominus dedit voces, & pluuiam.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et inuocauit Samuël Dominum, & dedit Dominus voces, & pluuiam in die illa. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

1 *Et clamauit Samuel ad Dominum.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 2. clamare quidem Prædicatoribus est electorum salutem magna deuotione postulare; ad quorum clamorem Dominus vocem dat, quia peccatorum corda excitat, vt prauitatis suæ nequitiam recognoscant. Dat pluuias, quia excitata corda per infusionem supernæ gratiæ adiuuat, vt non solùm deserat mala quisque quæ fecit, sed etiam bona fortiter agat, quæ apperit. Sed hoc in die messis tritici fieri dicitur, vt virtus miraculi designetur. Non est quidem minus miraculum immutatio cordis, quàm perturbatio aeris. Non minus miraculum est, arentia corda reuiuiscere, quàm æstiuis caloribus inusitato more pluuias inundare; maius quippe miraculum est intimo sonitu insensibilem mentem concutere, quàm collisis per ventum nubibus tonitruum insonare. MYSTIC. Greg. *Prædicatores quales?*

2 *Et clamauit Samuel ad Dominum.* Abul. ibi quæst. 15. Scilicet, immediatè postquam ista dixit, incœpit clamare, & hoc vt non putarent Israëlitæ, quòd expectabat aliquam cæremoniam astronomicam. LITERAL. Abul.

3 *Et clamauit Samuel ad Dominum.* Francisc. Mend. ibi §. 1. Pro pluuiis à Deo impetrandis & Samuël, & Helias orauerunt, sed diuersimodè; nam Helias orauit tacitus; *& pronus in terram,* inquit Textus, *posuit faciem suam inter genua sua.* 3. Reg. 18. 42. at verò Samuël *clamauit ad Dominum.* Diuersitatis ratio esse potest, quia Helias postulabat pluuias frugiferas, & profuturas, & in Hebræorum beneficium: at verò Samuël postulabat pluuias terrificas, & nocituras, & in Hebræorum supplicium. Deus autem faciliùs ad concedenda beneficia, quàm ad inferenda supplicia exoratur; hæc enim non sine magnis clamoribus solicitatus tandem effundit, illa etiam summissis precibus persuasus liberaliter largitur. LITERAL. MORAL. Mendoza. *Samuelis, & Heliæ orationis differentia?* 3. Reg. 18. 42.

4 *Et clamauit Samuël ad Dominum.* Petrus Vermil. Hæreticus in Comment. Precatus est Samuël non ita prolixè; non enim ita necesse erat. satis est, si oretur certâ fide, & ardenti desiderio. Statim impetrat pluuias, tonitrua, tempestates nimirùm; habent enim Sancti claues cœli, aperiunt, & claudunt, vti volunt. MORAL. Vermil. *Orationis vis?*

5 *Et dedit Dominus voces, & pluuias.* Origen. hom. 1. in Psalm. 37. Si essemus tales, quales nos esse vult sermo diuinus, sicut Helias diceremus vtique Deo, vt daret pluuiam, & pluueret; sicut Samuël in diebus messium peteremus, vt præstaret de cœlo imbrium copiam, & audiremur; nunc autem quomodo nos audiet Deus, cùm nos ipsum non audiamus? Quomodo faciet ille quod volumus, cùm nos quæ ille vult, non faciamus? Vult nos tales esse Deus, vt quasi Dij cum Deo loquamur. MORAL. Origen. *Orationis efficacia vnde?*

6 *Et dedit Dominus voces, & pluuias.* Clemens Alexand. lib. 6. Strom. Vides vnum esse Deum, qui per subditas potestates pluit super iustos, & iniustos. Plena est autem nostra Scriptura Dei exaudientis, & vnamquamque efficientis petitionem per iustorum orationes testimonijs. LITERAL. Clem. Alexand.

LITERAL. Hier. 7 *Et dedit Dominus voces, & pluuias.* Hieron. in cap.1. epist. ad Titum tom.9. Samuël, qui talis fuit, vt inuocaret Dominum, & Dominus exaudisset eum, & in tempore messis pluuiam hyemis impetraret, habuit filios, qui declinauerunt post auaritiam.

LITERAL. Aug. 8 *Et dedit Dominus voces, & pluuias.* August. vel Autor lib. de Mirabilib. sacræ Scripturæ lib.2, cap.9. tom.3. Samuële inuocante Dominum, cum populus sibi Regem peteret, & Saül filium Cis de Tribu Benjamin in Dei flamine iussus Propheta ordinaret, Dominus per pluuias, & horribiles voces intonuit, quibus plebs quæ audierat se Dominum repulisse, ne regnaret sibi, intelligeret; quos fragores per Samuëlis iterùm Dominus deprecationem compescuit, postquam populj de hac re pœnitudinem intus aspexit.

MYSTIC. Interl. 9 *Et dedit Dominus voces, & pluuias.* Glossa Interl. ibi. Scilicet Christus dedit blandientem prædicationem, & verba Euangelij, vel Legis.

HISTOR. Ioseph. 10 *Et dedit Dominus voces, & pluuias.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 6. aliàs 5. Vix ea fatus erat, cum tanta vis tonitruum, ac fulgurum, & grandinis ingruit, vt attoniti, extremaque timentes faterentur se peccasse.

LITERAL. Abul. 11 *Et dedit Dominus voces, & pluuias.* Abul. ibi quæst. 15. Scilicet immediatè misit procellam aquarum multarum, & magnitudinem tonitruorum; credendum est enim, quòd ista fuerunt valde magna; quia quæ Deus per se facit, ad hoc quod videantur habere differentiam à rebus naturalibus, semper sunt valdè excellentia; hoc autem est, quia pluuiæ essent magnæ, subitaneæ, & impetuosæ, & tonitrua essent dura nimis.

LITERAL. Rabb. Salomon. 12 *Et dedit Dominus voces, & pluuias.* Rabbi Salomon. Deus excitauit ista tonitrua, vt confunderet peruicaciam populi. Nam si tantæ erant vires Samuëlis, vt posset cœlum commouere, & tonitrua deuocare, quomodo non potuit hostem profligare, & præesse Reipublicæ?

LITERAL. S. Anton. 13 *Et dedit Dominus voces, & pluuias.* S. Antonin. Florentin. 1.p.tit.2.cap.6. Ad ostendendum, quòd malè fecerant in petendo Rege, aëre sereno fecit descendere pluuias, mugire tonitrua, fulgura apparere; orante autem pro eis cessauerunt.

LITERAL. Author Catenæ. *Pluerintne fudo cœlo.* Antonin. Lira. Vatab. Mend. 14 *Et dedit Dominus voces, & pluuias.* Autor Catenæ. Quæris an pluuia, & procella contigerit cœlo nubibus repentè, aut celerrimè obducto, an eis nudo, sereno, & aperto? Hoc vltimum expressisse videtur Antoninus nuper relatus, scilicet: *Aere sereno fecit Deus descendere pluuias*, & eandem opinionem tribuit Mendoza Litano, & Vatablo; sed quidquid sit de Lirano, (quod non satis liquet) certè Vatablus in eam sententiam immeritò inducitur; solùm enim ait: *Vtcumque res habeat, erat sudum, cùm hæc dicebantur. Cum hæc dicebantur*, inquit, non verò cùm tempestas ingruit, cùm spatium aliquod, licèt breue, dum Samuël oraret, intercessisset. Tandem ipse Mendoza ita sentit, & mentem suam confirmat exemplo à S. Antonino 3. p.tit.6.cap.14. Gregorio, Maiolo, & aliis in vita S. Abertij relato, cœlo videlicet sereno fulmina, & tonitrua miraculosè produsse. Mendozæ tamen nullatenùs assentior; nam si vt docent Philosophi *Non sunt multiplicanda entitatum sine necessitate*, quanto minus miracula? Nulla autem necessitas est ad nouum hoc portentum essingendum, vt sereno cœlo, sudo aëre, pluuiæ, tonitrua, grandines, & fulgura, vt aliqui addunt, ingruerint, cùm naturale sit, & congruentius repente nubibus, vel aliò asportatis propter Saülis preces, vel ibi effoetatis, obduci, è quibus pluuia procedat. Autores verò id vnum intendunt, vt doceant, cùm hæc à Samuële prædicerentur, nulla procellæ, aut pluuiæ signa tum temporis apparere; nullus verò quem viderim, præter Antoninum, affirmat sereno aëre, & aperto cœlo tempestatem ingruisse: nec Textus ad id asserendum fundamentum præbet. Dicis miraculum etiam in eo multiplicari, quòd nubes celerrimè aliunde traherentur, vel nullis vaporibus, seu exhalationibus præcedentibus subitò in aëre efformarentur. Fateor miraculum id etiam esse (licèt negari posset saltem quoad priorem modum,) dico tamen minus esse prodigium, & minùs etiam manifestum, quàm sereno aëre pluere, & grandinare; dum autem minus miraculum sufficit, maius admittendum sine fundamento non est; vt accidit in præsenti.

VERSVS XIX.

VVlgata. Et timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuëlem: & dixit vniuersus populus ad Samuëlem: ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur: addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis Regem. Vulgata.

VERSIONES.

Hebr. ex Xante Pagn. Et timuit omnis populus Dominum valdè, & Samuël; dixerúntque omnis populus ad Samuël: ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur; addidimus enim omnibus Peccatis nostris malum, vt peteremus nobis Regem. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Vniuersúsque populus vehementer timuit Dominum, & Samuëlem; & dixit vniuersus populus ad Samuëlem; precare pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, ne moriamur, quoniam omnibus peccatis nostris (hoc) malum adiecimus, vt peteremus nobis Regem. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et dixerunt omnis populus ad Samuel: ora super seruos tuos ante Dominum Deum nostrum, & non moriemur, quia addidimus super omnem culpam nostram malum, petendo nobis Regem. Ariasm.

Graca ex Septuag. in Complut. & Regia. Et timuit omnis populus Dominum nimis, & Samuelem, & dixit omnis populus ad Samuelem, ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur, quia addidimus super vniuersa peccata, & malitias nostras, petentes nobis ipsis Regem. Complut. Regia.

Graca ex Septuag. in Sixtia. Et timuerunt omnis populus Dominum valdè, & Samuël, & dixerunt omnis populus ad Samuël: ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, & non moriamur, quoniam addidimus ad omnia peccata nostra maleficium, petentes nobis ipsis Regem. Sixtian.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Greg. 1 *ET timuit omnis populus nimis Dominum.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 2. Ordinatissima conuersione, cùm malum deseritur, bonum in mente propagatur; cùm conuersi mens quasi per pluuiam, bonum semen nutrit, & se Deo, & hominibus per obedientiæ virtutem subdit. Benè ergo dicitur: Timuit omnis populus Dominum, & Samuelem; quia

quia qui summi Spiritus aduentum suscipit, & mala deserit,& bona apprehendit.

Histor. Ioseph. 2 *Et timuit omnis populus nimis Dominum.* Ioseph.lib.6. Antiq.c.6.aliàs 5. Vix ea fatus erat,cùm tanta vis tonitruum,ac fulgurum, & grandinis ingruit, vt attoniti, extremáque timentes fatererentur se peccasse, & per inscitiam in hunc errorem perlapsos,rogarentque Prophetam, vt paterno affectu eos complexos in gratiam Dei placati reponeret,& quemadmodum aliorum antea,huius quoque peccati veniam impetraret.

Literal. Lira. 3 *Et timuit omnis populus nimis Dominum.* Liran. ibi. Videns insolitum miraculum, & timens mori præ errore tempestatis.

Literal. Abul. 4 *Et timuit omnis populus nimis Dominum.* Abul. ibi, q.15. Hoc intelligitur tripliciter: vno modo, quòd timuit Deum, scilicet timore seruili, quia ante hoc negligebant Deum tanquam non potentem, vel non curantem infligere pœnas peccantibus. Secundo,ideò timuerunt, quòd occideret eos tunc, quia tonitrua erant magna. Tertio, quia ante hoc non putabant se peccasse,quanquam Samuel eis diceret,ideò non se existimabant dignos pœna, nunc autem cùm per miraculum cognouissent, quod peccauerant: sciebant se dignos morte.

Literal. Caietan. 5 *Et timuit omnis populus nimis Dominum.*Caiet. ibi. Ecce effectus intentus in populo diuinus scilicet timor cum agnitione peccati, quod commiserant petendo Regem.

Literal. Mendoza. 6 *Et timuit omnis populus nimis Dominum.* Franc. Mend. ibi.§.3. Obserua, quòd non dicatur populus timuisse tonitrua,& procellas, sed Dominum,& Samuelem. Vnde aliquis existimauit hunc timorem non fuisse seruilem,sed filialem:quasi non tam exhorruit populus pœnam suis capitibus impendentem, quàm culpam in authorem suum Deum, & in iudicem suum Samuelē perpetratam. Nihilominùs magna ex parte,fuisse seruilem ostendi potest:tum quia populus non quidem audiendo diuina beneficia, sed videndo diuina supplicia dicitur formidasse; quasi non tam benefactorem, quàm vltorem Deum exhorruerit: tum quia Samuel numero sequenti: *Nolite,*inquit,*timere, &c.* neque tamen filiali, sed tantùm seruili metu populum liberare conaretur.

Literal. Chrysost. Exod 14.31. Iud.7.20. 7 *Dominum, & Samuelem.* Chrysost. hom. de Fide,& Lege naturæ,tom.3.Sicut iunctus est Moyses Deo,non vt honore par Deo,sed vt minister Dei, & Samuel Deo, non vt æqualis dignitate, sed vt Propheta Dei,& Gedeon,non vt honoris eiusdem, sed vt miles prælij:sic & Apostoli iuncti sunt Spiritui,vt Prædicatores Euangelij. Agnosce, inquit, autoritatem, & ne fuggilles spiritus autoritatem,

Actor.15. *Actor.* 15.28.

Literal. Abul. 8 *Dominum, & Samuelem,* Abul.ibi.q.15. Dicitur, quòd timuerunt Samuelem, quòd habuerunt eum in reuerentia, quia ante hoc non nimis curabant de eo;nunc autem quia viderunt, quòd apud Deum tam acceptus esset, magis honorauerunt eum:etiam timuerunt scientes quòd posset ipse infligere bonum, vel malum, quando vellet, quia apud Deum gratus erat.

Moral. Greg. 9 *Ora pro seruis tuis ad Dominum.* Greg. supra. Quia præsumptionem in ipsa obedientiæ virtute non habent,dicunt: *Ora pro seruis tuis.*

Literal. Abul. 10 *Ora pro seruis tuis.*Abul.ibi.q.15. Quia ipsi putabant se indignos exaudiri, eò quòd nimis offenderant Deum:Samuel autem erat acceptus Deo, vt ipsi experti fuerant.

11 *Ad Dominum Deum tuum.* Idem ibidem. Quasi esset specialis Deus illius.Aliter potest intelligi,scilicet quòd loquebantur hoc Israelitæ, vt magis placarent Samuelem, dicentes Deum ad ipsum specialiter pertinere. Literal. Idem.

12 *Ad Dominum Deum tuum.* Vatabl. in Scholiis, Non dicit *nostrum*, quòd eum offendissent. Literal. Vatabl.

13 *Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum.* Francisc. Mendoza ibi,§.4. Cur ipsi non orarunt? sed ad Samuelem, vt oraret, confugerunt? Respondeo primò, quia ipsi suorum scelerum conscij impetrandi fiduciam non habebant. Respondeo secundo, quia Samuelis orationem ad impetrandum efficacissimam iudicabant:tum quia videbant illo orante procellam mirabiliter excitatam: tum quia Samuelis animum iniuriarum patientissimum obseruabant. Non dubitabant autem gratissimam fore apud Deum orationem illius, qui iniurias æquo animo pateretur. Vnde olim Deus in exemplum efficacissimæ orationis eos Viros attulit, qui pro suis aduersariis precabantur: *Si,*inquit,*steterit Moyses,& Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ierem.15.1. Literal. Moral. Mendoza. *Samuelis oratio potens.* Ierem.15.1.

14 *Ora pro seruis tuis ad Dominum.* Gaspar Sanct. ibi. num. 24. Non fuit leuis ista tempestas, quæ præsentem populo mortem intentauit, quæque clamare coëgit obstinatos ante, iam verò supplices,& à vexatione edoctos,se in postulando Rege peccasse grauiter, vt orationem interponeret Samuel, & diuini furoris pondus auerteret, quod iamiam in caput suum incumbere videbant. Literal. Sanct.

15 *Vt non moriamur.* Greg. suprà. Cùm spiritus vitæ se menti infundit, protinus ad mortis panorem erigit, quia magisterium eiusdem spiritus est, vt timendo mens agat, nec quod timet, inueniat. Sed sancti Viri pro eis orantes exaudiri possunt, qui & occulta peccata cordis per humilitatem reuelant confessionis. Theodor. Gregor.

16 *Vt non moriamur.* Autor Catenæ. Mortem potius reformidant, quàm peccatum detestantur,id enim est peccatorum ingenium,vt in tantum crimen oderint, quantum pœnæ se obnoxios videant,& mulctam potius, quam culpam reuereantur. De quo plura doctè,vt solet, Mendoza noster tom.1.ad cap.2. v.10. §.15. Et nos aliqua forte ad cap.15.v.19. Literal. Moral. Author Catenæ. Mendoza. *Peccator pœnam potius odit, quàm culpam.*

17 *Vt peteremus nobis Regem.* Autor Catenæ. Agnoscunt se peccasse in petitione Regis. Quòd autem peccauerint in prima etiam eius postulatione ante omnem proteruiam, vidimus suprà cap.8. vers. 5. 6. & 7. ex Augustin. Theodor. Procop. Seuero, Ruperto, Lirano, Abulensi, & aliis, vnde miror, nec satis capio ipsum Abulensem, qui cùm eò capit. 8. quæst. 7, 8. & 9. & sequentib. affirmet, & multis probet primam, & simplicem Regis petitionem fuisse malam, & Deo pernicioſam, cuius honori detrahebat, modò hac quæst. 15. ait. *Ista petitio Regis non fuit peccatum à principio, scilicet antequam Israelitæ cognoscerent, an Deus hoc acceptaret, vel non: cùm tamen cognouerunt per Samuelem, quòd in hoc abiiciebant Deum, & dixerunt*: Nequaquam, sed Rex erit super nos; *peccauerunt.* Sed suis ipse rationibus satis conuinci potest. Literal. Author Catenæ.

* * *

VERSVS XX.

Vulg. *Vulgat.* Dixit autem Samuël ad populum: Nolite timere, vos feciſtis vniuerſum malum hoc: Verumtamen nolite recedere à tergo Domini, ſed ſeruite Domino in omni corde veſtro.

Benedict. *Benedict. in margine.* Nolite recedere à ſequela Domini.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnin.* Dixitque Semuël ad populum: Ne timeatis, vos feciſtis omne malum hoc verumtamen ne recedatis à tergo Domini, ſed ſeruite Domino toto corde veſtro.

Vatab. *Hebr. ex Franc. Vatab.* Et ait Samuël ad populum: Ne metuatis, vos quidem vniuerſum hoc malum deſignaſtis, verumtamen ne recedatis à Domino, quin potiùs ſeruite Domino in toto corde veſtro.

Ariaſm. *Chaldaica ex Benedict. Ariaſm. in Regia.* Et dixit Semuël populo: Ne timeatis, vos feciſtis omne malum hoc; verùm non recedatis de-poſt cultum Domini, & ſeruietis ante Dominum in omni corde veſtro.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et dixit Samuël ad populum; Non timeatis: vos feciſtis vniuerſum malum hoc: verumtamen ne declinetis à tergo Domini, & ſeruite Domino in toto corde veſtro.

Sixtia. *Græc. ex Septuagint. in Sixtian.* Et dixit Samuël ad populum: Ne timeatis: vos feciſtis omne maleficium hoc: verumtamen ne declinetis à-poſt Dominum, & ſeruite Domino in toto corde veſtro.

Caietan. *Caiet. ibi. ex Hebræo.* Tantum ne recedite ex-poſt Iehouah.

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Greg. *Timor ſpei ſit temperatus.* 1 *Nolite timere.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 2. Pœnitentis mens tunc benè dirigitur ſi diuina iudicia metuat, & de Dei omnipotentis miſeratione confidat. Timor quidem ſine ſpe in deſperationem præcipitat, ſed cùm ſpei iungitur, ſalutem mentis operatur. Quare & ſummo ſtudio inuigilare optimus Doctor debet, vt peccantem terreat, & territum ad veniæ ſpem reducat, quatenus per metum peccare deſinat, & per ſpem impetrandæ indulgentiæ diuinæ miſericordiæ portum quærat.

Literal. Carthuſ. 2 *Nolite timere.* Carthuſ. ibi. art. 24. Sic conſolatus eſt Samuël illos, quoniam vidit quòd pœniterent, & inordinatè timerent.

Literal. Caietan. 3 *Nolite timere.* Caietan. ibi. Timorem mortis corporalis formidatæ ex fulminibus, excludit ab eis; ita tamen, vt eos dediſſe occaſionem huic malo affirmet.

Literal. Abul. 4 *Vos feciſtis vniuerſum malum hoc.* Abul. ibid. quæſt. 15. Ideſt vos feciſtis malum, propter quod ſecuta ſunt omnia hæc, quæ vidiſtis.

Literal. Vatab. 5 *Vos feciſtis vniuerſum malum hoc.* Vatabl. in Schol. Chaldæus Paraphraſtes hoc intelligit de pluuia, quaſi dicat: fuiſtis cauſa huius tantæ pluuiæ, & tonitrui. Doctus inter Hebræos intelligit petendo Regem; feciſtis grande malum petendo Regem.

Literal. Charen. 6 *Vos feciſtis vniuerſum malum hoc.* Hugo Charenſ. in Poſt. Quamuis peccata ante pœnitentiam terreant; nihilominùs pœnitentiæ lachrymis expiata, pœnitentium animos omni formidine liberant. Cùm igitur videret Samuël Hebræos de peccato dolentes, & peccatum confitentes, eos ad deponendum metum excitauit. Quaſi diceret: Nolite timere, quia vniuerſum malum, quod feciſtis, iam pœnitentia expiaſtis.

Literal. Author Catenæ. Chald. Anonim. Mendoza. 7 *Vos feciſtis vniuerſum malum hoc.* Author Catenæ. Quodnam malum, an Regis petitionem, de qua nuper? An potiùs præſentem tempeſtatem? Chaldæus apud Vatab. ſuprà, de hoc ſecundo intelligit: Hebræus autem Doctor anonymus apud eundem de priori. Mendoza neutrum reſpuit, ſed de alterutro, vel de vtroque accipi poſſe affirmat. §. 2. Ego verò potiùs crediderim de procella, quæ præſentiſſima erat, locutum fuiſſe, textui enim magis hoc congruit; nam cùm videret Hebræos trepidantes, & mortem ex fulminum, & lapidum irruitione pertimeſcentes, ſe ab ea culpa, vt tempeſtas ingrueret, immunem profitetur, & totam in ipſos cauſam inuertit. Vtrùm verò malum aliquod hominibus, aut animantibus, aut domibus tempeſtas intulerit, nec Textus exprimit, neque Interpretes diſputant. Credibilius eſt nullum ex ea damnum, aut detrimentum cuiquam accidiſſe, cùm ad terrorem potiùs, & commiſſorum pœnitentiam res tota pertineret.

Literal. Greg. 8 *Verumtamen, nolite recedere à tergo Domini,* Gregor. ſuprà. Quaſi dicat: Si peccare deſinitis, ad obtinendam commiſſorum veniam peruenire citius poteſtis.

Tropol. Idem. Luc. 1. 3. Reg. 17. Pſal. 67. 9 *A tergo Domini.* Idem ibidem. De Iuſti laude promittitur: *Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Luc. 1. Hinc Helias ait: *Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto.* 3. Reg. 17. Hinc Pſalmiſta dicit: *Exultent iuſti in conſpectu Dei.* Pſalm. 67. In conſpectu quidem Dei, vel ante Dominum ſtare, eſt teſtimonio bonæ conſcientiæ, de amore Conditoris præſumere. Stant quidem in conſpectu eius, qui ex merito magnæ actionis de ſuperna Conditoris ſui gratia ſecuri ſunt. Peccatores autem cùm mala committunt, à facie Domini fugiunt: ſed cùm redire pœnitendo deliberant, quaſi poſt tergum Domini ſunt, quia & diſcedere longiùs nolunt, & tamen præſumere de Deo, quaſi amici non poſſunt. Hinc eſt, quòd peccatrix mulier retrò ſtetiſſe dicitur, vt pedes Domini deoſculari mereretur. *Luc. 7. Matt. 19.* Retrò etiam illa ſtetit, quæ fimbrias eius tetigit, & à fluxu ſanguinis ſui curari meruit. Retrò quidem ſtat pro verecundia peccati, ſed tangit per virtutem ſpei.

Luc. 7. Matt. 19. *Magdalena cur ſtat retrò.*

Tropol. Caſſia. 10 *Nolite recedere à tergo Domini.* Simon. de Caſſia lib. 8. cap. 40. Non ſine damnationis periculo receditur à tergo Domini: Et Samuel poſt peccatum grande ad populum orationem eius petentem pro indulgentia, ne moreretur, dixit: *Verumtamen nolite recedere a tergo Domini.* Aſpiciamus Domini tergum, quia ipſe poſt tergum ſuum proiecit omnia peccata noſtra. Qui verò in veritate tergum Domini aſpexerunt, ſuorum cognouerunt ex Domini pœnis, magnitudinem peccatorum.

Literal. Interli. 11 *A tergo Domini* Interlin. ibid. Sed ſequimini Dominum, tanquam ducem veſtrum.

Literal. Abul. 12 *A tergo Domini.* Abul. ibid. quæſt. 15. Ideſt recedere à diſciplina, vel lege eius, qui enim ſequitur alium in præceptis, vel in moribus, dicitur ire poſt tergum illius: cùm autem deſinit eum ſequi, recedit à tergo, quòd non imitatur veſtigia eius.

Tropol. Greg. ſupra. 13 *Et ſeruite Domino in omni corde veſtro.* Greg.

suprà. Quoniam non sufficit conuerso peccatori, vt peccata non agat, subsequenter adiunxit: *Et seruite Domino*; tunc namque promereri veniam possumus, si peccare desinimus, & bonis operibus inhæremus. *In omni corde* Domino seruire, est peccandi nullam in corde intentionem retinere. Omne quidem cor ad seruitium Conditoris inflectitur, quando sic bona agimus, vt mala per propositum nulla teneamus.

Totum cor Deo.

LITERAL. Abul.

14 *Et seruite Domino in omni corde vestro.* Abulensis ibid. quæst. 15. Ad hoc quòd Hebræi seruirent Deo in toto corde suo, oportebat, quòd abiicerent Deos alienos; alioquin partim seruirent Deo Israël, & partim Idolis, & illud non esset seruire Deo in toto corde.

LITERAL. TROPOL. Mendoz.

15 *Et seruite Domino in omni corde vestro.* Franciscus Mendoza ibidem. §. 6. Vt significaret totum cordis affectum diuino obsequio impendendum, & in diuersa studia minimè dilacerandum, vt Hebræorum aliqui faciebant, cùm diuino obsequio Idolorum cultum sociare nitebantur, imitantes illos Samaritanos, de quibus Littera: *Cùm Dominũ colerent*, inquit, *Dijs quoque suis seruiebant.* 4. Reg. 17. 33.

4. Reg. 17. 33.

VERSVS XXI.

Vulgata. *Vulgata.* Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.

VERSIONES.

Ragn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et non declinetis post Idola, quæ non proderunt, nec eruent, quia Idola sunt.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatabl.* Ne recedatis, inquam, (præsertim) post vana, quæ nihil proderunt, neque eripient; quandoquidem vana sunt.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et non recedatis de-post cultum eius, & non seruietis erroribus, qui non sunt quicquam, & non est in illis vtilitas, & non liberant, quia nihilum illi.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et non declinetis post eos, qui nihil sunt, qui perficient nihil, & qui non eruent, quia nihil sunt.

Sixtiana. *Græc. ex Septuag. in Sixtia.* Et non transgrediamini post eos, qui nihil sunt, qui non perficient quicquam, & qui non eruunt, quia nihil sunt.

Caietan. *Caietanus ex Hebræo.* Et non declinabitis post inania, quæ non proderunt, quia inania ipsa.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. TROPOL. Gregor. *Temporalia vanitas.*

1 *Et nolite declinare post vana.* Gregorius lib. 5. Variar. cap. 2. Ad litteram vana simulachra Dæmonum appellat, nobis autem vana illa hic accipienda sunt, quæ concionator ostendit, dicens: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* In comparatione enim æternorum bonorum vana sunt omnia, etiam bona temporalia. Quod enim in hoc sæculo lætum, delectabile, sublime, aut prosperum cernitur, vanum profecto est, quia difficile habetur, & citò amittitur. Repente quidem alta sæculi corruunt, pulchra transeunt, læta, & prospera euanescunt. Nam cum stare in his floribus suis mundus blandiens cernitur, repentina fortuna turbatur, aut festinà, & omnia deturbante morte concluditur. Vana ergo sunt gaudia sæculi, quæ quasi manentia blandiuntur, sed amatores suos citò transeundo decipiunt.

TROPOL. Idem. *Temporalia spiritualibus postponenda.*

2 *Et nolite declinare post vana.* Idem ibidem. Cautè notandum est, quia eis temporalia bona non proderunt, qui post hæc declinare prohibentur. Post bona enim temporis declinare, est in eorum appetitum defluere: amorem illorum amori diuino præferre. Meritò ergo his vana non proderunt, quia ea eo ordine, quo cõdita sunt, habere noluêre.

LITERAL. Lira.

3 *Et nolite declinare post vana.* Liran. ibidem. Id est post Idola, ea colendo, quia in illis nulla est efficacia vos saluandi, sicut medicina dicitur vana, quæ nullam habet efficaciam sanandi.

TROPOL. Gregor.

4 *Quæ non proderunt vobis.* Gregorius suprà. Notandum, quia de futuro dicitur: Non proderunt vobis, quia nimirùm nunc prodesse cernuntur, sed cùm in futuro pro eis puniri cœperint, nequaquam prosunt.

LITERAL. Abul. *Idola quàm inania.*

5 *Quæ non proderunt vobis.* Abul. ibid. quæst. 15. Scilicet ad liberandum vos de manu hostium, Idola nihil sunt, ideò nihil operari possunt. Israelitæ autem volebant eripi ab hostibus, & ob hoc colebant Deum, sed ad istud nihil proficiebant Idola; quod patet: quia non solùm non poterant defendere cultores suos, imò etiam non potuerant defendere seipsa, quod apparuit, quando intrauit Arca in tertam Philisthiim, nam ibi cecidit Dagon Deus Philisthinorum coram illa, vt *suprà, cap. 5.*

LITERAL. Author Catenæ. *Liptote quæ figura?* *Demissio quæ figura?* Mendoz. Ouidius. Homer. Virgil. Hieron. Iudith. 1. 12. Liran. Celada.

6 *Quæ non proderunt vobis.* Author Cat. Cùm Idola in tantum noceant, vt ad barathrum omnium malorum cultores suos trahant, tantum non prodesse Samuël prædicat, quâ quidem figurâ non rarò Scriptura vtitur, vocatúrque à Græcis λιπότης, & liptote à Latinis, humilitas, seu tenuitas, seu demissio, quâ plus significatur, quàm exprimitur. Plura eius exempla tam ex profanis Litteris, quàm Sacris vide apud Mendozam tom. 3. hoc c. 12. vers. 9. §. 4. Quæ præter, Ouidius Epist. Paridis.

Et mihi sunt vires, & mea tela nocent.

Homerus Iliade 20. in persona Hectoris. *Et meum est acutum telum.* Idem Iliad. 14.

Non quidem solũ labor erit, & luctus
Nobis, sed aliquando sic occidemini & vos.

Virgilius libro 12. Æneid. sic Turnum iactantem inducit.

Et nos tela pater ferrúmque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.

Hinc vulgatum illud Hieronymi. *Et nos etiam manum ferula subduximus*, vt litteras se satis didicisse asserat. Sed pulcherrimum exemplum est, quod ab omnibus allegatur Nabuchodonosoris, qui ab hostibus suis spretus: *iurauit per thronum, & regnum suum, quòd defenderet se de omnibus regionibus his,* Iudith 1. 12. Vbi Liranus: *Minùs dicendo plus significat*: quòd defenderet se, id est *inuaderet omnes regiones illas, & est quædam figura, quæ liptote vocatur.* Et doctissimus, & acutissimus noster Didacus Celada ad præfatum locum. *Vir strenuus parèe sequitur, vt largè operetur: Lingua detrahit, quod addit ad manus.*

MYSTIC. Gregor.

7 *Neque eruent vos; quia vana sunt.* Gregorius suprà. Quasi dicat: Idcircò vos tunc non adiuuant, quia cum mundo deficiunt, & post sæculum non habentur. Multum quidem sæculi bona durant, si cum amatore vsque ad extremum vitæ perueniunt. Post sæculum ergo non prosunt, quæ finem vitæ transire non possunt. In hac quidem vita suos amatores peccatis obligant, sed tunc non eruent, vbi quidem per meritum sunt, sed per auxilium non sunt.

VER

VERSVS XXII.

Vulgata. *Vulgata.* Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum: quia iurauit Dominus facere vos sibi populum.

Benedict. *Benedict. in margine.* Quia complacuit Domino facere vos sibi populum.

Gloss. *Text. Gloss. in margin.* Quia cœpit Dominus facere vos sibi populum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Non enim derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum, quia iurauit Dominus facere vos sibi populum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatablo.* Etenim Dominus non deseret populum suum, idque propter nomen suum magnum, quandoquidem animum adiuit (ad hoc) Dominus vt vos sibi faciat in populum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariam. in Regia.* Quia non elongauit Dominus populum suum propter nomen suum magnum, quia voluntas ab-ante Dominum, vt faciat vos ante se in populum.

Complut. Regia. *Graca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Quoniam non proiiciet Dominus populum suum propter nomen suum magnum, quia accepit Dominus vos, vt faceret in populum sibi.

Sixtia. *Grac. ex Septuagint. in Sixtia.* Quoniam non abiiciet Dominus populum suum propter nomen suum magnum, quoniam admodum Dominus suscepit vos sibi in populum.

Vatab. *Vatablus in Schol.* Hebraice: Quia voluit Dominus facere vos sibi in populum, ideſt *statuit vos sibi esse populum: Quasi dicat: Propter nomen suum magnum inter gentes, quæ audiuerunt, quòd ipse voluit vos facere sibi in populum.*

Caietan. *Caiet. ex Hebræo.* Quia voluit facere vos sibi populum; *& nihil dicitur de iuramento.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic Gregor. 1 *ET non derelinquet Dominus populum suum.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 2. Quo fructu vana despiciantur, insinuat, dum subdit: *Et non derelinquet, &c.* Magnum malum hæc vana post se declinantibus ingerunt, quia dum inordinatè terrena appetunt, à summo, & omnipotenti Deo ad sustinenda futura tormenta deferuntur.

Tropol. Idem. 2 *Et non derelinquet Dominus populum suum.* Idem ibidem. Quia qui pro eius amore vana despiciunt, à veris malis eruuntur, & ex fide promissionis mercedem accipiunt æternæ hæreditatis. Populum quippe suum facit, quem ad æternæ beatitudinis gaudia sustollit. Ibi quippe reuelata maiestatis suæ gloria illi præsidet, quem in mundo ab amore vanitatis per occultam gratiam assumptum tenet.

Anagog.

Literal. Abul. 3 *Et non derelinquet Dominus populum suum.* Abulens. ibid. quæst. 15. Timuerunt Israelitæ, quòd cùm ipsi peccauissent hic grauiter contra Dominum, Deus vellet eos occidere tunc, vel saltem reseruare eis punitionem in posterum, aut si non puniret, saltem relinqueret eos in manu hostium, quia peccauerant, & hoc eis esset idem, ac si occideret eos. Quia si a Deo derelinquerentur, necesse erat, vt hostes eos perimerent. Samuel autem securos facit eos hic quantum ad Deum.

Theodot. Gregor. 4 *Propter nomen suum magnum.* Gregor. suprà. Non enim bonitate nostra, sed Dei fit, vt homo terrenus bonis cœlestibus perfruatur. Donum quippe Dei est non ex nobis.

Literal. Mend. 5 *Propter nomen suum magnum.* Franciſc. Mendoza ibid. §. 12. Ideſt propter magnam misericordiam suam. Hæc bonitas, seu misericordia diuina nomen est Dei. Vnde Dauid: *Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.* Psal. 47. 26. Hebraicè: *Propter misericordiam tuam*: quasi ipsa misericordia diuina sit Dei nomen.

Nomen Dei misericordia Psal. 47. 26.

Literal. Mend. Hugo. 6 *Propter nomen suum magnum.* Idem ibidem. Ideſt propter Christum, seu propter IESVM suum. Sic interpretatur Hugo Cardinalis. *Nam filius,* inquit, *dicitur nomen patris, quia loquitur ipsum mundo, ideſt manifestat.* Vnde Christus Dominus: *Pater,* inquit, *sancte, conserua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Ioan. 17. 11. Meritò igitur Samuel promittit Deum propter nomen magnum suum, ideſt propter filium suum suo populo non defuturum. Potest etiam explicari intransitiuè, ideſt propter seipsum; nam Dei nomen in sacris Litteris frequenter pro ipso Deo vsurpatur.

Christus nomen magni Dei.

Ioan. 17. 11.

Literal. Greg. 7 *Quia iurauit Dominus.* Gregor. suprà. Iurare quidem Domino, repromittere est; eúmque populum suum facere Dominus iurat, qui non declinat post vana; quia terrena despicienda sunt, vt æternæ hereditatis adipisci bona mereamur.

Iurare Dei quale?

Literal. Abul. 8 *Quia iurauit Dominus.* Abul. ibi. quæst. 15. Deus enim iurauerat hoc Abrahæ, quòd multiplicaret semen eius, sicut stellas Cœli, & quòd daret eis terram Chanaam in æternum, vt constat. *Gen. 15. & 22.* Propter hoc autem faciebat bona Israelitis, & non propter merita eorum. Vnde Deuter. 8. 17. *Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt. Sed recordaris Domini Dei tui, quòd ipse tibi vires prabuerit, vt impleret Pactum suum, quod iurauit Patribus tuis.*

Gen. 15. 22.

Deu. 8. 17.

VERSVS XXIII.

Vulgata. *Vulgata.* Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam, & rectam.

Benedict. Glossa. Greg. Abul. *Benedict. in margine.* Absit autem à me, ne & ego peccem in Dominum, & cessem orare pro vobis.

Text. Glossa. Gregor. Abulens. & alij. Absit autem à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Etiam ego (*non derelinquam vos*). Absit mihi, vt peccem Domino, vt cessem orare pro vobis: Docebo quoque vos viam bonam, & rectam.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et à me quoque procul absit, vt peccem contra Dominum, cessémque pro vobis supplicare, quin potiùs dirigam vos in via bona, & recta.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et etiam ego, absit mihi, vt peccem ante Dominum à cessando orare super vos, & docebo vos, vt eatis in via statuta, & recta.

Complut. Regia. *Graca ex Septuagin. in Complut. & Regia.* Mihi autem non fiat peccare Domino, vt cessem orare pro vobis Domino: & manifestabo vobis viam bonam, & rectam.

Sixtia. *Graca ex Sept. in Sixtiana.* Et mihi nequaquam, vt

vt peccem Domino omittendo orare pro vobis:& seruiam Domino,& ostendam vobis viam bonam, & rectam.

Chrysost. *Chrysostom. Hom. 1. de Cruce,& Latrone tom. 3.* Mihi absit peccare intermittendi orare pro vobis ad Dominum.

Idem. *Idem Hom. 1. in 1. Epist. ab Thessal.* Mihi verò absit, ita delinquere, vt cessem pro vobis orare.

PP. ET AVCTORES.

TROPOL. Chrysost. *Samuelis charitas.*

1 *Absit autem à me hoc peccatum.* Chrysost. Hom. 1. de Cruc.& Latr. tom. 3. Ille, qui exordinatus fuerat, qui contemptus, ait: Mihi absit peccare intermittendi orare pro vobis ad Dominú.

THEOLOG. Chrysost.

2 *Absit autem a me hoc peccatum.* Idem. Hom. 1. in 1. Epist. ad Thessal. tomo 4. Quid Samuel profuit Israelitis? Num non dicebat: *Mihi vero absit ita delinquere, vt cessem pro vobis orare? Non omnes perierunt? Nihil prosunt, inquis, preces? Prosunt plurimum: sed quando & nos aliquid satagimus; adiuuant enim, & auxiliantur.*

TROPOL. Greg. *Inimici etiã amandi.*

3 *Absit autem à me hoc peccatum, &c.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 2. Ille ista loquitur cui superiùs de his, quibus loquitur, Dominus ait: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos* suprà cap. 8. Ecce abiicitur Propheta, & abiicientibus se loquitur, dicens: *Absit à me hoc peccatum, &c.* Equidem si secundùm legis præceptum hoc discutitur, peccatum non esset, si pro abiicientibus se non oraret. Nã lex Moysi præcipit, dicens: *Diliges proximum tuum, &*

Leu. 19. *odio habebis inimicum tuum.* Leu. 19. Sed & qui Prophetam abiiciebant, non amici, sed inimici extiterant. Quid ergo est quod dicit. *Absit à me hoc peccatum*, nisi quia Vir sanctus ad charitatis verticem sublimatus, non solùm diligebat amicos, sed ipsos etiam amplectebatur inimicos. Legis quidem veteris mandato instructus, sed nouæ legis fulgoribus illustratus licentiam vetustatis Euangelica perfectione reprehendit. Quo nimirùm in facto nos nobiscum facere ratione cogimur. Hinc enim per Euangelium subditur: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.*

Luc. 6. Luc. 6. Quantum ergo nunc inimici diligendi sunt, cùm præcipimur, si tunc amari potuerunt, cùm odio haberi iubebantur.

TROPOL. Gregor. *Samuelis charitas.*

4 *Absit autem à me hoc peccatum, &c.* Idem. Hom. 15. in Ezech. Samuël in cogitationem deducatur, qui de principatu deiectus à populo, cùm idem populus peteret, vt pro eo Domino preces effunderet, respondit dicens: *Absit à me hoc peccatum, vt cessem orare pro vobis.* Culpam quippe Vir sanctus perpetrare se credidit, si eis, quos aduersarios pertulerat vsque ad deiectionem, benignitatem gratiæ non reddidisset in prece.

TROPOL. Idem. *Oratio pro inimicis qualis?*

5 *Absit autem à me hoc peccatum, &c.* Idem Hom. 17. in Euang. Quid est, quod Moyses, & Samuël cæteris Patribus in postulatione præferuntur, nisi quòd hi duo tantummodo in cuncta Tementi veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? Vnus à populo lapidibus impetitur.

Exod. 17. 4. *Exod.* 17. 4. & tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur: alter ex principatu eiicitur, & tamen petitus vt exoraret, faretur dicens: *Absit à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis.*

LITERAL. TROPOL. Greg.

6 *Absit autem à me hoc peccatum, &c.* Idem lib. 9. Moral. cap. 9. *Si steterit Moyses, & Samuel, &c.* Ierem. 15. 1. Quid est in difficultate deprecandi Moysem, & Samuëlem deducere, nisi apertius indicare, quia eius iræ neque illi, si adstarent, obsisterent, qui idcircò pro amicis interuenire citiùs possent, quia apud hunc intercedere & pro inimicis solerent?

TROPOL. Chrys. *Amor in subditos clarus.*

7 *Absit autem à me hoc peccatum, &c.* Chrysost. Hom. 15. in Epist. 2. ad cor. tom. 4. Nihil ita præclarum facit gerentem Magistratum, atque dilectionis studium erga subditos. Etenim patrem non solum facit, quòd genuit, sed quod diligit, postquam genuit. Si autem hic natura tantã opus habet dilectione, multo magis gratia. Sic veteres omnes, quotquot apud Hebræos insignes fuerunt, claruerunt. Sic Samuël magnus monstratus est, dicens: *Absit autem, vt peccem Deo, cessans orare pro vobis.* Sic Dauid, sic Abraham, sic Elias, sic omnes iusti in noua, & veteri Lege.

TROPOL. Idem. *Samuelis charitas.*

8 *Absit autem à me hoc peccatum, &c.* Idem lib. 3. de Prouident. ante medium. Post hæc tamen Samuel parcebat illis, & ita miserebatur, vt diceret: *Mihi autem absit, vt peccem, & desistam pro vobis orare.* Istos igitur ita dilectos à se, cùm opprimi conspiceret, atque à bellis superari; Deúmque contra se prouocare, quam sentire voluptatem poterat.

TROPOL. Beda. *Samuelis benignitas.*

9 *Absit autem à me hoc peccatum.* Beda lib. 2. Exposit. Allegor. cap. 5. O eximium fraternæ dilectionis exemplum. De ducatu innocens, immò & sanctissimus Propheta, & Sacerdos eiicitur, & peccatum ducit in Dominum, si ipsos suos electores ad æterna gaudia subleuare orando, pariter & admonendo non satagat.

TROPOL. S. Antioch. *Samuelis, & Ieremiæ charitas.*

10 *Absit autem à me hoc peccatum; &c.* S. Antiochus Hom. 71. tom. 2. Biblior. PP. Vt hunc admirabilem è pristinæ dignitatis gradu deiecerint Iudæi, immò exinaniuerint petito super se Rege, nulli arbitror non perspicuum. Sed & Ieremias insignis etiamnum Propheta per Iudæorum ingratitudinem tanta passus, pro eisdem nullo non tempore precabatur.

LITERAL. Lira.

11 *Absit autem à me hoc peccatum, &c.* Lira. ibi. Quamuis enim eum populus abiecisset, vt patet ex supradictis cap. 8. tamen peccatum reputabat sibi, si non oraret pro eis. Et hoc est intelligendum quantum ad bona gratiæ, & gloriæ consequenda.

LITERAL. Abul.

12 *Absit autem à me hoc peccatum; &c.* Abul. ibid. quæst. 15. Idest non committam tale peccatum, vt desistam ab oratione, quam pro vobis fundere soleo.

TROPOL. Idem. *Prælatus orare pro suis tenetur.*

13 *Absit autem à me hoc peccatum, &c.* Idem ibi. quæst. 16. Samuël erat ad hoc obligatus dupliciter. Primò quia erat Prælatus, scilicet constitutus iudex à Deo super Israël, & ante hoc fuerat Prælatus quantum ad omnia, tam spiritualia, quàm temporalia: nunc autem constituto Saüle in Regem, erat Prælatus saltem quantum ad spiritualia, ideo tenebatur orare pro Israëlitis. Secundò tenebatur, quia erat Propheta; tenentur autem Prophetæ annuntiare populo ea, quæ à Deo audiunt, & de iis intelligitur, quod dixit Ezechiel c. 3. 18.

LITERAL. TROPOL. Carthus. *Inimicorum amor quanto efficacia.*

14 *Absit autem à me hoc peccatum, &c.* Carthus. ibi. art. 24. Nempe ex quo pœnituerunt, atque milites petierunt orari pro se, peccaret vtique Samuël, si propter præteritam eorum improbitatem, iniuriamque sibi ab ipsis illatam, remitteret orare pro ipsis; nec iam erant inimici ipsius. In hoc tamen Samuël specialiter commendatur, quòd tam fideliter orauit pro his, à quibus eiectus erat è principatu, immò vt infra habetur, orauit quoque pro Saüle sibi

sibi inimicante; ideò *efficaciam* orationis Samuëlis Dominus tangit apud Ieremiam.cap.15.dicens: *Si steterint Moyses, & Samuël coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ierem.15.

LITERAL. Caietan. 15 *Absit autem à me hoc peccatum.* Caietan.ibi. Vide iustitiam Samuëlis Prophetæ: Peccare se fatetur coram summo Deo, si cessaret orare pro populo. Debitorem siquidem se agnoscit, tum ad orandum pro populo: tum ad docendum eos viam bonam, ac rectam. Et dixit hoc ad tollendum à populo suspicionem vindictæ.

LITERAL. Author Catenæ. *Samuel peccaret non orando pro populo.* Abul. Mendoza. 16 *Absit autem à me hoc peccatum, &c.* Author Catenæ. Non pro populo orare peccatum dicit piissimus Samuel, ex quodam (vt aiunt aliqui) feruore charitatis, quo quæ minùs perfecta sunt, Sancti pro peccatis ducunt. Abulensis tamen quæst.16. Mendoza, & alij verum peccatum, & grauem esse potuisse affirmant. Primò quia ex iustitia eis hoc debebat, tanquam spiritualis Prælatus, & Propheta da populi salutem à Deo instructus. Secundò ex necessitate, quæ vel extrema erat, mortem procellâ minitante, vel quasi extrema. Nam si temporale subsidium talia patientibus debetur, quanto magis spirituale, quod & necessarium est, & præstitu facilius. Quibus ego libenter subscribo. Rogas an tempestas ad Samuelis orationem, quæ supponitur, sedata fuerit? Innuit Iosephus suprà, dum dicit: *Pollicitus est ille rogaturum se pro eis Deum, & exoraturum simul. Exorare* enim, est orando impetrare, vt docet Ambros. Calepinus, & probatur ex Terentio in Phor. *Nequeo te exorare, vt maneas triduum hoc.* Affirmat verò expressè Augustinus, vel illius operis Author, lib.1. de Mirabilib. Sacræ Scripturæ tom.3. his verbis. *Quos fragores per Samuelis iterùm Dominus deprecationem compescuit, postquam populi de hac re pœnitudinem intus aspexit.* Et Antoninus Florentin. 1.part.tit.2.cap.6.ibi. *Oranie tamen pro eis cessauerunt.* Quibus accedit Mendoza ad Vers.18. eorúmque sententiam libenter amplectimur, quamuis, vt assolet, breuitatis gratiâ Scriptura præterierit. Ioseph. Ambros. Calepi. August. Antonin. Mendoza.

LITERAL. Sanctius. 17 *Absit autem à me hoc peccatum, &c.* Gaspar Sanctius ibid. num.25. Licet iure posset populo succensere Samuel, quòd ab illo esset ignominiosè repulsus, nunquam tamen committurum se dicit, vt pro illo solitum precationis officium intermittat. Quod peccatum in Deum esse dicit: neque sine causa in Deum affirmat illud esse peccatum, cùm sciamus peccatum omne, quodcumque fuerit, esse contra Deum.

HISTOR. Ioseph. 18 *Vt cessem orare pro vobis.* Ioseph.lib.6. Antiquitat.cap.6.aliàs 5. Pollicitus est ille rogaturum se pro eis Deum, & exoraturum, simúlque consilium dedit, vt probi ac iusti esse perpetuò studerent. Nec vnquam obliuiscerentur in quantas clades, & calamitates ob neglectum virtutis incidissent.

TROPOL. Angelom. *Via bona & recta quæ?* 19 *Vt cessem orare pro vobis.* Angelom.in Stromatib. Hinc perfecta benignitas sanctorum olim in Samuele demonstrata est; illa videlicet, de qua Dominus ait: *Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Matt.5.

MORAL. Greg. 20 *Et docebo vos viam bonam & rectam.* Gregor. lib.5.Variar. cap.2. Cur viam diuini obsequij bonam dicit, & rectam, cùm bona non sit, si non sit recta? Sed bona fuit via, quâ populus ab Ægypto ad terram promissionis ascendit, & tamen dum per eremum circuiuit, recta non fuit. Bona ergo via est, quâ ad supernam patriam tenditur: recta, quâ facilè peruenitur. Via ergo bona, & recta est, cùm ad religiosam vitam conuertimur, diuina obsequia cum instanti feruore magnæ deuotionis exercemur.

MYSTIC. Anselm. Laudun. *Via recta quæ?* 21 *Et docebo vos viam bonam, & rectam.* Anselm. Laudun. in Gloss. Interlin. Christum Dei Verbum.

Mend. 22 *Et docebo vos viam bonam, & rectam.* Franc. Mend. ibi.§.4. Notandum est, Samuelem non solùm ad Deum orandum, sed etiam ad populum docendum paratissimum se præbere. Vtrumque enim præstare debet optimus Pastor, vt & Deum suis orationibus imploret, & populum suis admonitionibus exhortetur. Vnde Paulus, qui Deum iugiter implorabat, populum & iugiter exhortabatur, iuxta illud. *Va mihi est, si non euangelizauero.* 1.Cor.9. 16. Et Propheta alius grauiter dolebat, se aliquando à docendi, ac prædicandi munere abstinuisse: *Va mihi*, inquit, *quia tacui* Isaiæ.6.5. 1.Cor.9.16. Isai.6.5.

VERSVS XXIV.

Vulg. *Vlg.* Igitur timete Dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro: vidistis enim magnifica, quæ in vobis gesserit.

Benedict. *Benedictina.* Igitur timete Dominum, &c. & videte quam magnifica vobiscum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Verumtamen timete Dominum, & seruite ei in veritate in toto corde vestro: Videte enim quòd magnificè fecit vobiscum.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Modò timeatis Dominum, & seruiatis ei in veritate in toto corde vestro; etenim considerate quàm magnifica vobis fecerit.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Verùm timete ab-ante Dominum, & seruite ante illum in veritate in toto corde vestro, nam videte, quòd multiplicauit facere vobiscum.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Verumtamen timete Dominum, & seruite ei in veritate, & in toto corde vestro, quia vidistis quæcumque magnificauit Dominus vobiscum.

Sixtin. *Græca ex Septuagin. in Sixtian.* Tantummodo timete Dominum, & seruite ei in veritate, & in toto corde vestro, quoniam videtis quæ magnificauit vobiscum.

Greg. *Gregor.lib.5.Variar.cap.2.* Igitur seruite Domino, & timete eum in veritate, & ex toto corde vestro.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Tantum timete Iehouah, & seruite ei in veritate in toto corde vestro, vidistis enim quæ fecit grandescere vobiscum.

PP. ET AVCTORES.

TROPOL. Chrysost. *Preces alitena an prosint?* 1 *Igitur timete Dominum.* Chrysost. Hom.in 1. Epist.ad Thessalon. tom.4. Si desides fuerimus, nemo nos iuuare poterit. Quid profuit Ieremias Iudæis? Annon tertiò Deum pro illis interpellauit, & vicissim tertiò audiuit: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te?* Ierem.7. 16. Quid Saülem iuuit Samuel? An non ad extremum vsque diem lugebat illum, non tantum obiter precabatur 1.*Reg.*15.35. Quid profuit Israelitis? Num dicebat: *Absit verò absit ita derelinquere, vt cessem pro vobis orare.* Num omnes perierunt? Nihil profunt, inquis, preces? Profunt plurimum, sed 1.Reg.15.35.

sed quando & nos aliquid sategerimus; adiuuant enim, & auxiliantur. Sed si deses, & otiosus manseris, non magnoperè iuuaberis.

Tropol. Gregor. 2 *Igitur timete Dominum.* Greg.lib.5.Variar.c.2. Hæc quidem via bona,& recta est,quia ad æternam vitam tendit, & velociter peruenit. Per timorem quippe Domini deuitantur mala seruiendo ei,eius mandata complentur; cui nimirùm in veritate seruimus, quando eius præcepta superna retributione perficimus. Nam qui de bono opere temporalem mercedem expetit,Deo in veritate non seruit,quem falso proposito in sua operatione,non diligit. Qui autem in veritate Deo seruire cupiunt, totum cor in diuinis obsequijs ponere iubentur, vt sic quæ Dei sunt, agant, vt in mente aliquid, quod contra Deum sit, non retineant.

Histor. Ioseph. 3 *Igitur timete Dominum.* Ioseph. lib.6. Antiq. cap.6. aliàs 5. Samuel consilium dedit,vt probi,ac iusti esse perpetuò studerent, nec vnquam obliuiscerentur in quantas clades, & calamitates ob neglectum virtutis incidissent. Meminissent præterea prodigiorum Dei,legúmque per Moysem latarum, si charam haberent vel suam ipsorum, vel legis incolumitatem.

Literal. Lira. 4 *Igitur timete Dominum.* Liran. ibid. Timore filiali, & seruite ei absque fictione, ex toto corde vestro absque diminutione.

Literal. Caiet. 5 *Igitur timete Dominum.* Caiet.ibid.Tertiò repetit necessitatem timoris diuini, neque aliud ab eis exigit, quàm timere summum Deum,& seruire illi in veritate,ex toto corde.

Tropol. Mendoza. 6 *Igitur timete Dominum.* Franc.Mend.ibid.6.5. Satis non erat,vt Samuel pro populo oraret,sed vlteriùs requirebatur, vt populus cooperaretur. Idcircò Samuel postquam suam orationem promisit, populi cooperationem exigit.

Literal. Abul. 7 *Et seruite ei in veritate.* Abul.ibid.quæst.16. Facere secundùm veritatem,opponitur huic, quod est facere secundum apparentiam, & hoc, quia Israelitæ quantum ad verbum, dicebant se nimis diligere Deum,& velle colere eum: tamen secundùm veritatem nihil faciebant.Sic dixit Isaias de eis c.29. Isa.29. scilicet *Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me: cor autem eius longè est à me.* Maximè autem conueniebat hoc quibusdam Hypocritis,qui vocabantur Pharisæi inter Iudæos, de quibus Matt.23. Matt.23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ,&c.*

Literal. Interl. 8 *Et ex toto corde vestro.* Glossa Interl.Non ex necessitate.

Literal. Abul. 9 *Et ex toto corde vestro.* Abul.ib.q.16. Scilicet vt Deum solum adorarent,& non simul Idola.

Literal. Gregor. 10 *Vidistis enim magnifica, quæ in vobis gesserit.* Greg.suprà. Quasi dicat: ex his, quæ vidistis, colligite omnipotentem Deum quàm terribiliter metuere,quàm deuotè ei semper seruire debeatis.Quæ profectò verba si ad nos trahere volumus, tantò nobis est, & venerabiliùs metuendum, & deuotius Deo seruiendum, quantò in Redemptore nostro mirabiliora perspeximus.

VERSVS XXV.

Vulgat. *Vulgata.* Quòd si perseueraueritis in malitia: & vos, & Rex vester pariter peribitis.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Si autem malefaciendo malefeceritis etiam vos, etiam Rex vester peribitis.

Hebr. ex Franc. Vatab. Quòd si pergitis malefacere, & vos, & Rex vester peribitis. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et si deprauando deprauaueritis facta vestra,etiam vos, etiam Rex vester perdimini. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut.& Regia. Et si malè facientes,malefeceritis,& vos,& Rex vester peribitis. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtina. Et si maleficio malefeceritis,& vos,& Rex vester opponimini. Sixtina.

Caiet. in Comment. Et si malignando malignabimini,& vos,& Rex vester peribitis. Caiet.

Chrys. hom.24.in Epist.posterior.ad Cor.tom.4. Si audieritis vos,& Rex vester hæc, & hæc erunt vobis bona,si verò non audieritis,contraria omninò. Chrysost.

PP. ET AVCTORES.

1 *Quod si perseueraueritis in malitia.* Gregor. lib.5. Variar. cap. 2. Quia quod boni audiunt, audacter mali contemnunt, subiunxit, dicens: *Quòd si perseueraueritis.* Literal. Greg.

2 *Quòd si perseueraueritis in malitia.* Abul.ibi. q.16. Hoc potest intelligi dupliciter: Vno modo pro ingratitudine, scilicet quòd Deus multa beneficia contulerat Israelitis,ipsi autem ingrati fuerant, scilicet excludendo Deum à se, & petentes Reges; quam iniquitatem Deus remisit, & permisit quòd haberent Regem; si tamen vlteriùs committerent aliquam ingratitudinem,dicit,quòd peribunt. Aliter potest intelligi, quòd non permaneant in malitia sua,scilicet colendo Idola; nam ante hoc Iudæi non coluerant Deum in toto corde suo,sed partim Deum, partim Idola. Literal. Abul.

3 *Quod si perseueraueritis in malitia.* Caiet.ibi. Iuxta Hebræum habetur: *Et si malignando malignabimini*: vt primum referatur ad animum: alterum ad opus. Literal. Caietan.

4 *Quòd si perseueraueritis in malitia.* Author Catenæ. Vt ad honestum inuolent, duplici eos Samuel instruit alâ,amoris videlicet,& timoris; priùs enim diuini subsidij, & assistentiæ spe solicitat. *verf.* 22. Deinde quia rudes adhuc & imperfecti erant, supplicij timore comprimit, si in præterita malitia persistant, quod grauius quoddam,turpiúsque delictum est: labi enim hominum est; sed ruinam amare, & peccato immobiliter adhærescere, Dæmonum irreparabilis proteruia,qua in Spiritum sanctum peccatur, & vix veniæ, aut miserationis capax, de quo plura diximus ad *c.5.v.9.init.*10. Literal. Moral. Author Catenæ.

5 *Quòd si perseueraueritis in malitia.* Fr.Mend. ibid. §.8. Quia nullum est detestabilius hominum genus,quàm in suo peccato perseuerantium. Vnde Paulus non tam peccantes, quàm in suo peccato perseuerantes lamentatur. *Timeo*, inquit, *ne lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.* 2.Cor.12.21. Moral. Mend. 2.Cor.12.21.

6 *Et vos, & Rex vester pariter peribitis.* Chrys. hom.24.in 2. Epist. ad Cor. tom.4. Illis parcit, instituítque Regem, vt mansuetus fiat. Et ideireò se testem producit; neque enim quis illum tunc coluerat, neque quis arguerat, vt defensione haberet opus,sed vt illum faceret meliorem hæc dicebat. Ideò & subdit deprimens illius supercilium: *Si audieritis vos, & Rex vester hæc, & hæc erunt vobis bona: si verò non audieritis, contraria omninò.* Literal. Chrysost.

7 *Et vos,& Rex vester pariter peribitis.* Abul.ib. q.16. Concluditur hic ex omnibus superioribus, quòd quanquam Israelitæ peccassent, verendo Regem; tamen non debebant eum dimittere. Nam si habendo Literal. Abul.

habendo Regem, vellent audire vocem Domini, prosperarentur, velut si nunquam peccauissent, eligendo Regem: si autem manerent in malitia sua, non gratulantes quòd eis remisisset hoc peccatum, tam ipsi, quàm Rex eorum, scilicet qui tunc erat, vel quicunque alius postea veniret,

HISTOR. Ioseph. 8 *Et vos, & Rex vester pariter peribitis.* Ioseph. perirent.

lib. 6. Antiq. c. 6. aliàs 5. Quòd si hæc negligerent, prædixit grauem vltionem tam ipsis, quam Regi non defore; atque ita denuò confirmato in regno Saulo, conuentum missum fecit.

LITERAL. MORAL. Author Catenæ. *Rex pro subditis punitur.* 9 *Et vos, & Rex vester pariter peribitis.* Author Catenæ: Non ipsi solùm, si contumaces essent, sed & Regi quoque supplicium comminatur, quod dupliciter intelligi potest: primo, si & illi, & coram Rex male se apud Deum gererent. Secundo, si ipsi solùm delinquerent, nam sæpè propter populi peccata gubernator quoque pœnam subiit, nec immeritò, cum ad ipsum, & subditos instituere, & à peccatis supplicio arcere pertineat.

METAPHRASIS

CAP. XII.

Ex superiori Interpretum doctrina.

AVLE ergo in Regno confirmato, antequam populus in sua discederet, hanc Samuel apud eos orationem habuit. Ego quidem vobis morem gessi, & quem petiistis, constitui Regem, ipsoque iam potiti estis: vestro regimine occupatus ad canos vsque peruenì: filij etiam mei, quales quales illi sint, vestris etiam officiis sunt addicti, eorúmque operà, si qua est, vtimini; patre me prolis vsibus priuato. Quod si diuturnam in rebus vestris intentionem fateamini, negetis verò in obeundo munere probitatem, ac rectitudinem, iudicium etiam vestrum non detrectabimus; quin potius coram Deo omnium rerum inspectore, & coram nuper à vobis electo Rege, cuius magni mihi, & vobis est authoritas, libenter ipse subibo; ergo omni abdicato timore liberè dicite: An potestate abusus, bouem, aut ouem, aut iumentum ex armentis vestris, aut gregibus, vel in rem meam, vel in vsum vsurpauerim? Verùm etiam fucatis coloribus quempiam vestrum per calamniam pressérim, aut vim intulerim, aut demum muneribus corruptus, iustitiam violauerim? Præsto sum enim, vt suum cuique restituam. Tunc populus: Nihil horum commisisti. Quod cùm iureiurando confirmassent, & Samuel libenter accepisset: Deus, inquit deinde, Patrum nostrorum Moysis, & Aaronis formator, & illustrator magnificus, testis sit. Et mea interim innocentia vobis ipsis probata, modò ad vestram veniamus. Hic ergo animis adstate, & contendam vobis, tam de immensis Dei beneficiis erga vos, quàm de vestra aduersus Deum ingratitudine. Ille quippe clamantes Patres vestros sub tyrannica Ægyptiorum seruitute Moysi, & Aaroni ministris, eripuit; & tandem terræ, quam incolitis lacte, & melle manantem, possessores fecit, illi verò tantæ indulgentiæ ingrati, Dei per idololatriam, & peccata obliti, ita ab eo castigati fuerunt, vt subiugari eos fecerit ab Eglon Rege Moab, deinde à Sisara bellicoso Chananæorum Imperatore, postremò à Philisthinis non semel: eosdem verò factì sui pœnitentes, veniámque petitæ postulantes, & in hostes auxilium continuò exoratus audiuit; nam missis Gedeone, Samsone, & nec etiam ab ipsis liberauit; & quietè degere perfecit nullo ad hoc Rege creato. Vos autem his ex mente depulsis, nihilque soliciti, cùm Ammonitarum Regem Naas cum exercitu venientem vidissetis, Regem à me vobis præficiendum inclamastis, Deum ipsum, qui sempiternus est Rex, à vobis expuentes, eiúsque operà, quæ toties vos saluauerat, contemptà. Is autem, quam intolerabilis error fuerit, iam videtis; morem vero Deo vobis gerente, obtinuistis votum, & Regem iam habetis. Reliquum est, vt concepiti compotes effecti, quandoquidem, quæ peracta iam sunt rescindere non licet, grati aduersus Deum, & erga Regem obsequentes efficiamini; sic tantum commissum malum honestari iam datur. Qui si Deum benignum Regis donatorem per mandatorum eius obseruantiam tumueritis, nec prauè commissis prouocauerit is ad iracundiam, debitum ei obsequium impendere videbimini: sin aliter non exauditis Dei consiliis contumaces fueritis, pœnam vtique ab eius iustitia sentietis, quam olim similiter delinquentes Maiores vestri subierunt. Vt autem ad præteritum redeam, & vos perperam egisse demonstrem in Regis postulatione, huc agite, & in sermonis mei confirmationem videte prodigium singulare, quod vestris Dominus oculis manifestum peraget. Modò vt videtis tempus est messis triticeæ, quo pluuiæ apud nos tonitrua, lapides, aut fulmina non contingunt, ergo in præsenti, cùm sudum est aër, & serenum cœlum, orabo Dominum, & nullâ aliâ adhibitâ industriâ, pluuias, fulgura, & grandinem excitabo. Tunc demum consilij vestri turpitudinem, & perniciem deprehenderis, qui in ipsis Dei oculis deliquistis. Vt promisit Samuel, sic præstitit; vix enim orauerat, cùm nubibus repentè cœlo obductò, pluuiâ, grando, fulgura, tonitrua, nec non & fulmina subitò ingruerunt. Quibus inspectis populus exhorruit, Deum potentissimum, & Samuelem tantæ apud eum authoritatis ministrum, veriti, quem submissi exorant, vt Deum sibi propitium, & placatum reddat; quandoquidem errorem ipsi suum, & agnoscerent, & detestarentur. Quos ille bono animo esse iubet; neque enim illa, quamuis ex eorum culpa profecta, ad ipsorum excidium, sed disciplinam acciderant. Ergo, inquit, Dominum depulsis Idolis penitùs sequimini, eidémque obsequium impendite, nusquam verò falsis Deorum simulachris, quæ vt inania sunt, nec vobis prodesse possunt, nec à periculis liberare. Hoc vnum præstabit Dominus, qui ne saltem malè apud gentes audiat, populum suum fouebit: vos verò in populum accepturum non semel iuramento etiam adhibito promisit. Quoad me autem secuti etiam estote, non enim leue crimen ducerem, cùm Prælatus vester sim, preces ad Deum pro vobis intermittere, & obortam sedare tempestatem. Libenter egero, & totius honestatis viam vos docebo. Igitur, si quidem tot Dei mirabilia nostis, precibus meis cooperamini, ipsum timete, & ex toto corde colite; si secùs enim effeceritis, & præterita extenderitis facinora, pœnam nusquam effugietis; imò cum Rege vestro miserè peribitis.

LIBRI

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS.

SAVL exercitu comparato reliquos in ſua dimittit. Ionathas verò eiuſdem Saülis filius primogenitus, cùm hoſtium præſidium aggreſſus fuiſſet, periculoſum bellum excitauit. Iſraëlitæ Philiſthinis impares in antra, & ſpeluncas ſeſe abdunt, partim domus ſuas apertâ fugâ repetunt. Saul tardante Samuële ſacrificium ante tempus offert, vt Deum conſulat, & ab eo, qui ſtatim peruenit, acriter reprehenditur, & de regni amiſſione, & reprobatione fit certus.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

1 FILIVS vnius anni erat Saül cum regnare cœpiſſet: duobus autem annis regnauit ſuper Iſraël. 2. Et elegit ſibi Saül tria millia de Iſraël: & erant cum Saül duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Ionatha in Gabaa Benjamin. porro ceterum populum remiſit vnumquemque in tabernacula ſua. 3. Et percuſſit Ionathas ſtationem Philiſthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audiſſent Philiſthiim, Saül cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi. 4. Et vniuerſus Iſraël audiuit huiuſcemedi famam: Percuſſit Saül ſtationem Philiſthinorum: & erexit ſe Iſraël aduerſus Philiſthiim. Clamauit ergo populus poſt Saül in Galgala. 5. Et Philiſthiim congregati ſunt ad præliandum contra Iſraël, triginta millia curruum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus, ſicut arena quæ eſt in littore maris plurima. Et aſcendentes caſtrametati ſunt in Machmas ad orientem Bethauen. 6. Quod cum vidiſſent viri Iſraël ſe in arcto poſitos, (afflictus enim erat populus) abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in ciſternis. 7. Hebræi autem tranſierunt Iordanem in terram Gad & Galaad. Cumque adhuc eſſet Saül in Galgala, vniuerſus populus perterritus eſt, qui ſequebatur eum. 8. Et expectauit ſeptem diebus iuxta placitum Samuëlis, & non venit Samuël in Galgala, dilapſuſque eſt populus ab eo. 9. Ait ergo Saül: Afferte mihi holocauſtum, & pacifica. Et obtulit holocauſtum. 10. Cumque compleſſet offerens holocauſtum, ecce Samuël veniebat: & egreſſus eſt Saül obuiam ei vt ſalutaret eum. 11. Locutuſque eſt ad eum Samuël: Quid feciſti? Reſpondit Saül: Quia vidi quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porro Philiſthiim congregati fuerant in Machmas. 12. Dixi: Nunc deſcendent Philiſthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui. Neceſſitate compulſus, obtuli holocauſtum. 13. Dixitque Samuël ad Saül: Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum. 14. Sed nequaquam regnum tuum vltra conſurget. Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum: & præcepit ei Dominus vt eſſet dux ſuper populum ſuum, eo quod non ſeruaueris quæ præcepit Dominus. 15. Surrexit autem Samuël, & aſcendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. Et reliqui populi aſcenderunt poſt Saul obuiam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Benjamin. Et recenſuit Saül populum, qui inuenti fuerant cum eo, quaſi ſexcentos viros. 16. Et Saul & Ionathas filius eius, populuſque qui inuentus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin: porro Philiſthiim conſederant in Machmas. 17. Et egreſſi ſunt ad prædandum de caſtris Philiſthinorum tres cunei. Vnus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Saül.

18. Porro alius ingrediebatur per viam Beth-horon. tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum. 19. Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël: cauerant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. 20. Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum. 21 Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium, vsque ad stimulum corrigendum. 22. Cumque venisset dies prælij, non est inuentus ensis & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saüle & Ionatha, excepto Saül & Ionatha filio eius. 23. Egressa est autem statio Philisthiim, vt transcenderet in Machmas.

VERSVS PRIMVS.

Vulgata. *Vulgata.* Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israël.

Benedict. *Benedict. in marg.* Per annum Saül fuit in Regno: *subintelligo, cum hæc fierent, scilicet ante confirmationem suam in Galgala.*

Gloss. *Textus Gloss. in margine.* Veluti filius vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpisset, *vel*, Saül regnauerat vnum annum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Veluti filius vnius anni, *erat innocens*, Saül quando regnauit, & duobus annis regnauit super Israël.

Vatab. *Hebraica ex Francisc. Vatab.* Saül fuit in regno suo (quemadmodum) puer (vnius) anni: sicque regnauit duobus annis super Israelem.

Ariasm. *Chaldæus. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Sicut filius anni, in quo non sunt culpæ, Saül erat quando regnauit: & duobus annis regnauit super Israel.

Complut. Regia. *Græc. ex Septuag. in Complut. & Regia.* Filius anni Saül, cùm regnaret ipse, & duobus annis regnauit in Israel.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtia.* Nihil habet.

Simmach. Theodor. Simmach Procop. Idem. Chald. Vatab. *Simmach. apud Theodor.* quæst. 28. Filius vnius anni Saül, dum regnaret ipse. *Idem apud Procop.* Sicut puer anniculus.

Procop. ibid. Cùm Saül regnaret, filius vnius anni erat.

Chaldæus Paraph. apud Vatabl. in Scholiis. Saul sicut puer vnius anni erat, in quo nulla sunt peccata, cùm regnare cœpit.

Caietan. *Caietanus ex Hebræo.* Filius anni Saul in regnare suo, & duobus annis regnauit super Israel.

Author Catenæ. Flamin. Cantap. *Author Catenæ. Aliqui apud Cantap. ipsa relatum.* Vir vigesimi primi anni erat. *Alij apud Flamin. in notis Sixtinæ*: Filius trigesimi primi anni erat Saul, cùm ipse regnauit, & duos annos regnauit in Israel.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Hieron. Angelom. Rupert. 1 *Filius vnius anni erat Saül.* Hieronymus vel potius Author Tradit. Hebraicar. in lib. Reg. ad cap. 10. vers. 24. Non de Iboseth filio Saulis sed de eodem Saule dictum est hoc; sic enim erat innocens, quando regnare cœpit, sicut filius est vnius anni, & in eadem innocentia duobus regnasse annis dicitur. *Eadem verba habent* Rupertus, & Angelomus.

Literal. Tropol. Gregor. 2 *Filius vnius anni erat Saul.* Gregorius lib. 5. Variar. Expos. in 1. Reg. cap. 5. Superiùs cùm ordinandi Regis negotium tractaretur, de eo, qui diuino iudicio præferendus erat cæteris, dictum est, quia *erat electus, & bonus* suprà: cap. 9. Item de eo iam electo in regnum, & in medio populi statuto Samuel ait: *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non est ei similis in omni populo.* suprà cap. 10. De eodem item Rege nunc dicitur: *Filius vnius anni erat Saül.* Vt dum attentè laudatur, à Domino bonus electus fuisse teneatur. Cur ergo vnius anni esse dicitur, cùm regnare cœpisset, nisi vt eius innocentia prædicetur? Nam ad litteram vnius anni, quomodo esse filius potuit, qui vniuerso populo ab humero, & sursum eminebat? Quod ergo secundùm litteram intelligi non potest, intelligi per internæ intelligentiæ rationem debet. Vnius itaque anni Rex esse describitur, vt donum pueritiæ in persona Regis innocentiæ bonum significet. Vnde & æterni Regis filiis iubetur: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* 1. Corinth. 14. Quod certè & Ecclesiarum Pastoribus ipsa Veritas comminatur, dicens: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Matthæi, cap. 18. *Iudicium vt puer.* 1. Cor. 14. Matth. 18.

Literal. Rabbi Dauid. 3 *Filius vnius anni erat Saul.* Rabbi Dauid. Dicitur filius vnius anni, quòd vnum annum tam regnasset, antequam confirmaretur in Galgala.

Literal. Eucher. 4 *Filius vnius anni erat Saul.* S. Eucherius vel potiùs Author Commentariorum in Reges. Vno anno postquam electus est Rex à Samuele in domestica domo sedens, dissimulauit se esse Regem, reliquis duobus annis publicè indicauit omnem Israel tenens obedientiam cum humilitate, & hoc fuit illud tempus antequam mandatum Domini transgrederetur in Amalech: reliquo verò tempore, quo vixit, & imperauit, transgressor mandati Domini extitit.

Literal. Seder Olam. 1. Reg. 10. 5 *Filius vnius anni erat Saul.* Hebræi in Seder. Olam Rabba capite 13. Nempe quando Samuel dixit Sauli post illum in Regem consecratum, *Et descendes ante me in Galgala.* 1. Regum 10. annus cœpit primus; quando autem Saul percussit Naas Regem Ammonitarum, atque ab Israele victus fuit, secundus: quando autem descendit in Galgal, neque promissum seruauit, audiens ex Samuele: *stultè egisti, &c.* tunc certè victus est Dauid dicente Domino ad Samuelem (sic enim memorat Scriptura): *vsquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, nè regnet super Israel.* Et paulò post: *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit Dauidem in medio fratrum suorum.*

Literal. Isidor. 6 *Filius vnius anni erat Saul.* Isidorus Clar. in Scholiis. Sunt qui sic interpretentur: Cùm hæc fierent, Saul vnum annum in regno exegit; quando scilicet Regnum eius in Galgalis renouatum fuit.

7 *Filius*

Mystic. Beda.

7 *Filius vnius anni erat Saul.* Beda lib.2. exposit.Allegor. cap.6. Filius est vnius anni populus fidelium siue in Synagoga, siue in Ecclesia, cùm regnare incipit, quia hic quisque ad Regnum fidei pertinere, Regisque æterni potest membris incorporari, cùm primò didicerit, quia *vnus Dominus, una fides, vnum baptisma, vnus Deus, & Pater omnium.*

Literal. Idem.

8 *Filius vnius anni erat Saul.* Idem ibid. Postquam electus est Saül, & oleo sancto peruncțus in Regem, toto anno primo humilis, & priuato similis, nec Regis habitu indui, cæteráque Regni insignia curauit. Secundo autem, & tertio anno regiam quidem mentem induit, & regali cum populo præfuit, sed necdum milites ex populo, qui suo lateri familiarius adhærerent, vsque ad quartum annum principium elegit.

Literal. Theod.

9 *Filius vnius anni erat Saul.* Theod. ibi. q.28. Hoc significat quam tener esset eius animus, quando fuit Rex electus, illo autem non diu est vsus, vnde subiunxit Historiographus: *Et duos annos regnauit super Israelem*, nempe cum ea simplicitate regnat duos annos, deinde declinans ad vitæ improbitatem, nudatus fuit diuina gratia. Vnde reliquum tempus, quo perrexit regnare, reputatum est administrationis Samuelis.

Literal. Procop.

10 *Filius vnius anni erat Saul.* Procop. ibi. Simmachus exponit, *Sicut puer anniculus*, quo verbo simplicitas animi ipsius ostenditur, quam in regno habuit, qua tamen non longo tempore vsus est: Quocirca additur: *Et duobus annis regnauit super Israel*, nempe cum illa morum simplicitate, postea ad prauitatem declinans, diuina gratia destitutus est. Inde reliquum etiam tempus, quo Saül regnum administrauit, gubernationi ipsius assignatum est.

Literal. Comest.

11 *Filius vnius anni erat Saul.* Comest. in Histor. Schol. cap. 12. Idest cùm regnasset per annum, & post duos annos, quasi post tres annos elegit sibi tria millia virorum.

Literal. Rabban.

12 *Filius vnius anni erat Saul.* Rabban. in Gloss. Per anticipationem dicitur de Isboleth filio Saül, de quo in sequentibus dicitur: *Quadraginta annorum erat Isboseth cum regnare cœpisset super Israel, & duobus annis regnauit.* Si autem à morte Heli omne tempus concluditur, quo Samuel, & Saül regnauerunt, inuenientur quadraginta anni vsque ad mortem Saül. Quando ergo Saül regnare cœpit, filium habebat vnius anni, qui post mortem patris regnauit in Israël duobus annis, & à latronibus occisus, regnum dimisit Dauid. Continuatur autem tempus Samuelis cum tempore, & regno Saülis.

Literal. S. Anselm.

13 *Filius vnius anni erat Saul.* S. Anselm. in c. 3. Luc. Quòd pars annorum in Scripturis sanctis aliquando ponatur, & pars omittatur, ostendit liber Regum dicens: *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset: duobus autem annis regnauit super Israel.* Numquid enim vnum tantummodo ætatis annum habebat, qui ab humero, & sursum altior cunctis erat? Et numquid duobus tantùm annis regnauit, qui tam longo tempore regnum tenuit? Sicut igitur pars annorum Saül est prætermissa; sic & pars annorum Arphaxad, & Chainam.

Literal. Hugo Vict.

14 *Filius vnius anni erat Saul.* Hugo Victor. in Annotat. Elucidator. tom. 1. Hebræi dicunt, Saül duobus tantùm annis regnasse, Samuelem viginti annos iudicasse Israël. Secundùm hanc existimationem sic intelligitur. Saul duobus annis regnauit super Israël, qui cùm regnare cœpisset, & esset filius vnius anni, idest vnum annum iam habuisset in regno, fecit quod sequitur: *Elegit sibi tria millia de Israel.* Nam & Dauid postea secundùm eandem loquendi formam *filius triginta annorum* dicitur: Idest habens triginta annos, cùm regnare cœpisset. Quod Idioma in Hebræis frequens, & vsitatum est, vt filius iniquitatis: filius pacis: filius vnius anni: filius triginta annorum.

Literal. Damian.

15 *Filius vnius anni erat Saul.* Petrus Damian. epist. 41. quæ est vigesima in lib. 2. Hoc nonnulli intelligi sic arbitrantur, quia Regi Saül in exordio regni sui filius erat anniculus, qui teneram adhuc vnius anni vagiebat infantiam, scilicet Iboleth, & hic duobus annis post mortem patris regnauit super Israel. Sed quoniam hic à doctioribus Viris sensus exploditur, à nobis etiam alius inquiratur, quod ita Beatus Hieronymus docet intelligi: quoniam sic erat innocens, tanquam puer vnius anni, cùm regnare cœpit, & duobus annis in eisdem innocentiæ simplicitate permansit. Sed qui tunc ex humilitate filius, postmodum per superbiam factus est seruus.

Hieron.

Literal. Lira.

16 *Filius vnius anni erat Saul.* Lira ibi. Idest ita innocens & purus à peccato, sicut puer vnius anni, cuius rationem assignant Hebræi, & probabiliter dicentes: quòd quando homo promouetur ad aliquod officium magnum à Deo, sicut Saül fuit electus in Regem, ab ipso, vt patet in præcedentibus simul sibi datur à Deo gratia iustificans, & ipsum disponens ad suum officium exercendum, nisi ipse ponat obicem: Saül autem in sua electione non potuit obicem gratiæ diuinæ; quia secundùm quod dicitur suprà cap. 9. *Erat electus, & bonus.*

Literal. Abul.

17 *Filius vnius anni erat Saul.* Abulens. ibi q. 1. Aliqui volunt, quòd iste esset Ionathas filius eius, sed non constat, quia in principio regni Saulis erat Ionathas iam vir fortis, potens ad bellum; nam patet, quia dedit ei mille viros, vt maneret in Gabaa, & ibi manens pugnauit contra stationem Philisthinorum, vt patet infrà in littera; ideo in principio regni Saulis, iste esset plurium, quam triginta annorum.

Literal. Genebr.

18 *Filius vnius anni erat Saul.* Genebrard. lib. 1. Chronographiæ. ann. Mundi 3066. Horum talis est sensus. Post annum à sua electione, de qua cap. 10. regnare cœpit cum autem regnasset duobus annis, elegit sibi tria millia. Nempe duobus primis regni annis sat habuit vitare inuidiam, & se aduersùs malignas linguas modestiâ, & autoritate Samuëlis tueri. Postea dum se satis confirmasset, cœpit more regio se se stipare satellitibus. Non quòd alioqui duobus tantum annis regnarit.

Literal. Carth.

19 *Filius vnius anni erat Saul.* Carthusian. ibi art. 25. Quidam exponunt sic: Idest viginti, & vnius annorum erat Saül, cùm regnare cœpit, quia vt *libro Numer. cap. 1.* habetur; à vinginti annis, & suprà eligebantur ad prælia, sicque fuit vnius anni, idest vnum habuit vltra viginti; quod stare non valet; quia filius Saül præfatus Isboleth erat quadragenarius, cùm regnare exorsus est, & Saül præfuit annis viginti.

Literal. Vatabl.

20 *Filius vnius anni erat Saul.* Vatabl. in Schol. Hebraïsmus, idest ex quo regnare cœpit; idest iam regnauerat anno vno ab vnctione sui, vsque ad innouationem Regni sui, & annum alterum ab ipsa innouatione Regni vsque ad delectum horum trium millium virorum.

LITERAL. Canus. 21 *Filius vnius anni erat Saul.* Canus lib. 11. de Locis de Humana Hist. cap. 4. ad 12. argum. Verisimile est Autorem libri Regum, filium eum viginti, & vnius anni scripsisse; sed scriptorum vitio, maiorem numerum in Hebræis exemplaribus omissum; quem deinceps errorem in Græca, Latinâque exemplaria, aut alij quilibet, aut etiam Interpretes transfuderunt. Quod idem 2. *Paralipom.* 15. 16. & 36. accidit, sicuti paulò anto demonstrauimus.

LITERAL. Cantap. 22 *Filius vnius anni erat Saul.* Martin. Cantap. lib. 8. Hypotyp. c. 8. §. *deficit.* Aliqui dicunt legere oportere: *Vir viginti vnius anni erat Saul*, quando regnare cœpit, sed nullo sunt fulti testimonio. Nos dicimus, (sicut) vir vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpit, hoc est vir simplex, ac si esset vnius anni.

HISTOR. Naucler. 23 *Filius vnius anni erat Saul.* Ioann. Naucler. volum. 1. Generar. 32. Saül Iudæorum Rex de Tribu Benjamin duodecimo Sacerdotij Samuelis anno in Regem electus fuit. Hic à principio vir bonus erat, Deóque dilectus, qui imperio susceptо duobus primis annis populum optimè rexit; at post duos annos magnanimitatis, quæ Regibus pro dignitatis cumulo maximè conuenit, expers factus, Dei mandata contemnens, de Rege Tyrannus, & subditorum oppressor euasit.

LITERAL. Mendoza. 24 *Filius vnius anni erat Saul.* Francisc. Mendoz. ibi §. 4. Non ætate, sed probitate cùm regnare cœpisset. Hunc sensum, & propter autoritatem, & propter rationem cæteris antepono.

LITERAL. Cornel. 25 *Filius vnius anni erat Saul.* Cornel. in Comment. Est hebraismus. Hebræi enim tempori, diei, mensi ex anno tribuunt nomen *filius*: vt filius huius anni, diei, vel temporis dicatur, qui hoc anno, die vel tempore natus est. Tempus enim, annus, & dies dicuntur generare eos, qui illo tempore, anno, & die nascuntur; quia scilicet annus, & dies adducit causas secundas, puta parentes, qui hunc filium generant. Est methonimia. Sic *Ione* 4. Hedera in Hebræo vocatur *filia noctu*, quia illa nocte orta, & nata est.

LITERAL. Author Catenæ. *Saulem fuisse vnius anni puerum, quid?* Rabban. Comest. Serar. Angelom. Hier. Lira. Rupert. Abul. Carthus. Charens. Damian. 26 *Filius vnius anni erat Saul.* Autor Catenæ. Vides, in quàm varias opiniones Interpretes abierint. De quibus, vt meam proferam, breuissime indicabo. In primis ergo alij nomen Saül in Datiuo intelligendum censent, hoc modo: *Filius vnius anni erat Saulis, cùm regnare cœpisset.* Ita Rabbanus, & Comestor, licèt hic priùs eam interpretationem impugnasset. Et Serarius credibilem eam esse fateatur, nec improbat Angelomus. Eam nihilominùs respuunt reliqui pene omnes, Hieronym. Lira, Rupert. Abul. Carthus. Charensis, & alij. Petrus Damianus epist. 20. in lib. 2. affirmat à doctioribus explodi, & quidem meritò. Nam rogo, quisnam hic filius? An Ionathas? Sed hic tum temporis vir bellator erat, *infrà vers.* 3. An Isboseth? Sed hic etiam maior erat, nam attingebat annum vigesimum. Mortuo enim Saüle patre, qui quadraginta annos regnauit. *Actor.* 13. 21. (in quibus includitur etiam tempus præfecturæ Samuelis, nempe viginti annorum) & post hoc præsens tempus saltem viginti (vt docent communiter Interpretes ex Iosepho lib. 6. Antiq. c. vltimo) paternum ambiens regnum quadraginta annorum describitur 2. *Reg.* 2. 10. Ergo cum hæc agebantur, viginti iam annos habebat, siquidem post viginti annos paterni regni, quadraginta annorum tunc erat; non ergo modo vnius anni esse poterat, sed viginti. Deinde quortum Isbosethi ætas, dum patris regnandi exordia referuntur? Extra rem quidem id fieret; cùm potissimum de Isboseth nulla in toto hoc libro mentio fiat. Dicunt ergo alij Saülem ipsum intelligi debere prædictæ ætatis esse; prætermissum autem à Scriptore alium maiorem numerum, nempe vigesimum, aut trigesimum. Horum suppresso nomine meminerunt Carthusian. Charens. Cantap. & Flaminius, quibus in tantum fauet Canus, vt Scriptorum incuria, aut imperitia in Hebraico textu omissum suspicetur, vnde & in alios Græcos, & Latinos error irrepserit. Sed assertum Cani fundamento potiùs, quàm confidentia caret; nam Vulgatam corrigere ab Ecclesia approbatam, vel potiùs corrumpere neutiquam licet; quod si liceret, nihil certum esset, sed pro Interpretum libidine omnia incerta, & varia forent. Impugnatur secundò quia si vt nuper diximus, Saüli filium iam habebat annorum viginti, nempe Isboseth, primogenito Ionatha, natu etiam minorem, quæro, Cane, cuiúsnam ætatis pater eos genuerit. Nam si Saül cùm regnum cœpit vigesimum primum, vel etiam trigesimum primum annum agebat, & regnauit viginti solus, ergo filios genuit, dum ageret annum vnicum, vel ad summum vndecimum. Nam cùm Saül occiditur iuxta horum computationem quadragesimum primum agebat, aut quinquagesimum primum; ergo si tunc Isboseth habebat quadraginta, pater eum genuit agens vnicum, aut vndecimum. Quid absurdius? Cùm ergo Regnum iniit, non vigesimi primi, nec trigesimi primi, sed maioris ætatis necessariò erat. Alij verò & numero, & autoritate maiores, sic interpretantur. *Filius vnius anni erat Saul.* Idest tam innocens & purus, ac puer anniculus. Sic inprimis Paraphrastes, Chaldæus, & in sua versione Pagninus. Sic deinde Augustin. lib. 7. locut. in Iudic. Hieron. seu Autor Tradition. Hebraicar. Gregor. Rupert. Theod. Procop. Angelom. Damian. Charens. Lira, Abulens. Cantap. Rangol. Salmero tom. 1. in Euang. Prolog. 14. Formula 27. Ribera in cap. 5. Amos vers. 6. Torniel. ann. Mundi 2960. Becanus lib. de Analog. cap. 16. n. 9. Delrius Adag. 179. Saa & alij apud Mendozam in præsenti §. 4. pro qua refertur etiam Rabbi Seh. hanc sententiam veterum Rabbinorum fuisse affirmans. Pro qua etiam luculentissimè, vt moris illi est, pugnat ipse Mendoza, & rationibus multis confirmare procurat. Sed salua pace tanti Doctoris non assentior. Primò quia, quidquid alij dicant, hic sensus litteralis, & historicus non est; Phrasis enim obscuritas, & comparatio sine particula similitudinis à stylo historico abhorret, quod confirmari licet à simili; nam dum Dauid regnum iniit, ætas eius similiter computatur. 2. Reg. 5. 4. *Filius triginta annorum erat Dauid cùm regnare cœpisset, & quadraginta annis regnauit.* Similiter de Sedecia: Ierem. 52. 1. *Filius viginti, & vnius anni erat Sedecias, cùm regnare cœpisset, & vndecim annis regnauit super Israel.* Inquiro ergo an hæc vt sonant, accipi debeant? Affirmabis. Cur igitur de eorum innocentia, aut improbitate non exponas? Aut quare ad tem nostram de Saule, prout etiam sonant, non capias, quin ad eius simplicitatem verba deflectas, vt benè argumentatur Canus lib. 11. de Locis cap. 4. Credo equidem, vt verborum difficultatem effugias. Arguentor secundò. Dicis, Saulem ita esse tunc innocentem, & candidum, ac puerum anniculum, quæ comparatio ita strictè sumpta vera non est. Nam cùm Saul sorte in Regem eligitur, & à filiis Belial delpicitur, &

Ioseph. 1. Reg. 2. 10. Actor. 13. 21. Carth. Charen. Cantap. Flamin. Canus. *Impugnatur Canus.* Paraphr. Chald. Pagn. Augustin. Hieron. Gregor. Rupert. Theodor. Procop. Angelom. Damian. Charen. Liran. Abul. Cantap. Rangol. Salmero. Ribera. Torniell. Becan. Delrius. Mendoza. Rabbi Selo. 2. Reg. 5. 4. Ierem. 52. 1. Canus.

& muneribus non colitur; *ille dissimulabat se audire.* supra cap. 10. 27. quæ dissimulatio callidita-
Abul. Mendoza. tem sapit; cum potissimùm probabile credat Abu-
lensis ibi quæst. 28. & cap. 11. quæst. 10. vindictam
ex tunc in aliud tempus commodius meditatam
reservasse. Tertiò ad hominem contra Mendo-
zam, qui nostram (quam statim dicemus) sen-
tentiam impugnans art. §. 3. *Quorsum enim di-
cere oportebat. Saulem unum annum iam regnasse.
cùm id ex ipsa rerum serie facilè colligeretur?* Con-
tra: Saulis probitas non semel, sed sæpius relata à
Scriptura fuerat, *cap. 9. 2. cap. 10. 23. & 24. c. 11.*
13. Quorsum ergo tam ex professo modò com-
memoretur? Quorsum puero comparetur anniculo? Displicet etiam in hac sententia, quia sequentium verborum sensui, (quem infrà exponam) ægrè & malè accommodetur, vt statim videbimus. Nec me terret prædictorum pro hac sententia Patrum & Interpretum autoritas. Primo enim Quæstiones illas Hebraicas, Hieronymi non esse, communis, & certa opinio est. Rupertus verò, & Angelomus eius verba vt sæpe alias, ad verbum, quod aiunt, transcripserunt. Citat etiam Mendoza §. 4. Augustinus libr. 7. Locut. in Iudic. tomo 3. sed immeritò; nam ibi Augustinus nihil ad rem habet. Gregorius de sensu litterali parum curat in suis expositionibus, & ad Mysticos, & Tropologicos libentius dilabitur. Vnde ad præsens confitetur hæc verba litteraliter exponi non posse: *Quod ergo*, inquit, *secundùm litteram intelligi non potest, intelligi per interna intelligentiæ rationem debet.* Reliqui verò, vel cùm illam doceant, aliàs etiam non excludunt: vel maioris autoritatis non sunt, quàm ij, quos pro nostra opinione referemus. Ea autem est, verba
Autorii sententia? hæc, *Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset*, tempus, seu spatium continere, quod inter prima Saulis regnandi auspicia, & pacatam, ac quietam eius dominationem intercesserint, in hunc sensum: Annum iam (incæptum pro completo, iuxta Scripturæ morem) Saul regnauerat, quasi suppressâ eius dignitate, vsque ad præsentem concionem, & regni innouationem: annus etiam alius, vel duplex (si mauis) excurrit, vsquedum exercitum comparauit. Ecce sensus planus, & simplicissimus, & maximè ad rem spectans, quo regno, & noui Regis actionibus suum cuique tempus assignatur. Optimèque respondet Textui Vulgatæ, quem habent aliqua vetusta Exemplaria: scilicet: *Per annum Saul fuit in regno*, vel, *Saul regnauerat per annum*, vt est
Gloss. Ordin. Sed. Olam. Eucher. Comest. Beda. Vatab. Brixian. Genebr. Cornel. Serar. Vatab. Genebrar. in margine Glossæ Ordinariæ. Hanc sententiam expressè tenent Rabbi Dauid suprà relatus, idémque quoad substantiam docent alij Rabbini in Seder-Olam cap. 13. Sanctus Eucherius, vel illius Commentarij Autor, Magister Historiæ Scholast. cap. 11. Beda in præsenti. Vatablus, Brixianus, Genebrardus, Cornelius, & alij quos refert, & sequitur Serarius his verbis: *Illa verò Textui congruentior videtur* (expositio) *quam Hebræi quidam, & Vatablus sequuntur, & Genebrardus, fuisse vnius anni filium ab eo tempore, quo Rex vnctus est, vsque ad Regni innouationem, vel vt alij, de quibus sequitur vsque ad hoc tempus, quo milites delegit.* Hanc ipse litterariorem, & simpliciorem libenter amplector; quam & prædictorum Interpretum autoritas, & aliarum opinionum impugnatio facta persuadet. Qua sequentium etiam verborum sensus fit clarus: *Duobus autem annis regnauit super Israel*, hoc est, vno anno regnauit supprelle vsque ad Regni innouationem; post regnauit alium, vel alios duos, vt exponunt aliqui; tum denique militiam collegit.
Mendoza. Arguit Mendoza expositionem temporis, quo Saul nondum confirmatus regnauerat, necessariam non fuisse, cùm id ex ipsa rerum serie facilè colligeretur. Sed argumentum hoc omnes epilogos, & recapitulationes æque impugnat, & inde parum viget. Respondeo secundo ideò necessariam fuisse, vt spatium, quod intercesserat, intelligeretur; dictum enim fuerat: *Et factum est, quasi post mensem, ascendit Naas, &c.* suprà, cap. 11. 1. Reg. 11. a
1. ex quo credi posset inter Saulis vnctionem, & eius confirmationem vnicum mensem excurrisse; quod falsum esse hic monstratur, sed annum potiùs, vel maximam eius partem intercessisse, videlicet quamdiu Saul domi suæ tanquam priuatus degit; post sorte eligitur: deinde Naas ciuitatem obsedit, deditionis conditiones tractantur, monetur Saul, exercitum comparat, bellum infert, hostem delet, victor cuadit, à labore quiescit, prædam capit, & tandem ad Samuelis adhortationem in regno confirmatur. Vnde respondetur secundo argumento Mendozæ, verentis Eucherij & Genebrardi assertum verum non esse, de anno, quem intercessisse affirmant inter electionem Saulis, & regni eius innouationem, fretus prædicto testimonio: *Et factum est quasi post mensem.* Respondetur ergo non tantum mensem, sed pene annum intermedium extitisse, dum prædicta agerentur, quo-
Liran. Caiet. Ioseph. vsque omnium calculis probatus Regnum pacifice iniuit. Quid etiam si Liræ, & Caietano crederemus verba illa, *quasi post mensem*, non esse de textu, sed à Iosepho mutuata, quibus etiam pluria exemplaria carent.

LITERAL. Greg. *Saul quamdiu regnauit?* TROPOL. *Tempus vitæ quod?*
27 *Duobus autem annis regnauit super Israel.* Gregorius libr. 5. Variarum, cap. 3. Licet enim multis annis regnauerit, illis solis regnare dicitur, in quibus innocens, & humilis fuisse perhibetur. Nam postea superbus, & inobediens audiit: *Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus ne sis Rex* infrà, cap. 15. Se quidem à regno proiectum cognouit, & tamen proiectus regnare non timuit. Quanta postea fortiter egerit? Sed ecce omnia illa tempora ad Regnum eius deputata non sunt. Illo ergo solùm tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter, & humiliter vixerimus. Nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate, & fluxa carnis vita consumpsimus, quasi perdita minimè memorantur.

TROPOL. Rupert. *Superbia qualis vermis?*
28 *Duobus autem annis regnauit super Israel.* Rupert. libr. 1. Comment. cap. 20. Arbor magna, & fertilis valdè citò inueterauit, quæ tantùm duobus annis fructificandi gratiam retinens, statim corruptâ radice, frondium venustatem simul, & fructuum honorem perdidit. Qualis, putas vermis intrinsecus radicem eius momordit? Vtique vermis superbiæ, quo etiam ille vitiatus computrescere potuit.

LITERAL. Comest.
29 *Duobus autem annis regnauit super Israel.* Comest. ibi. cap. 11. Ideò iustè rexit populum, in reliquis annis regni, quasi tyrannus fuit, & non Rex.

MORAL. Liran.
30 *Duobus autem annis regnauit super Israel.* Liran. in Morali. Ex quo patet, quòd Rex malus tempore malitiæ suæ non est secundùm veritatem Rex dicendus, sed tantum æquiuocè; sicut oculus lapideus, aut depictus, & idem dicendum de Prælato malo.

Literal. Carth.

31 *Duobus autem annis regnauit super Israel.* Carth. ibi. art. 25. Quidam scribit: Potest dici quòd post duos annos regni Saülis ipse Dauid in Regem à Samuele est vnctus, & ex tunc Saül non regnauit de iure, sed tantùm vsurpatiuè, idest sequentes anni Regni ipsius hic resecantur.

Literal. Caietan.

32 *Duobus autem annis regnauit super Israel.* Caiet. ibi. Hic non supputantur regni Saulis anni absolutè, sed anni antedictæ qualitatis regnandi; descriptus enim fuerat Saül regnans, tanquam filius vnius anni: Subiungitur consequenter quanto tempore durauit, & dicitur, quod duobus annis regnauit (subaudi tanquam filius vnius anni) super Israel.

Literal. Vatabl.

33 *Duobus autem annis regnauit super Israel.* Vatab. in Schol. Hebraismus: Et duobus (postea vel tantum) annis regnauit super Israel. Per parenthesim, post quos scilicet priuatus est quidem dignitate regia; manlit tamen apud eum administratio Reipublicæ pluribus annis.

Literal. Torniell.

34 *Duobus autem annis regnauit super Israel.* Torniel. ann. Mund. 2960. n. 3. Saulis reprobationem credimus contigisse sub finem anni secundi, vel circiter inchoante anno regni eius tertio, & propterea dici in sacro Textu, quòd Saul regnauit duobus annis super Israel, nimirum ante eius reprobationem.

Literal. Sanct. Ariasm. Gerard. Mercat. Adricom. Sed. Olam. Rabbi Abraham.

35 *Duobus autem annis regnauit super Israel.* Gaspar Sanct. ibi. n. 6. Mihi verisimilius est regnasse Samuelem octo, & triginta annos, Saulem verò tantùm duos. Quam sententiam sequitur Ariasm. in lib. de Sæculis, & super Acta Apostol. Gerardus Mercator in Chronico, Adrichom. in ann. Mundi 2850. Quæ sententia est Hebræorum in Seder Olam cap. 53. & Rabbi Abraham in Histor. Cabbala. Quod meo iudicio clare indicat illud: *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset, & duobus annis regnauit super Israel.* Vbi cùm reliqua quæ adiacent, proprie dicantur, non est, cur existimemus hæc esse dicta figuratè; neque cùm primum de Saüle iam Rege scribi cœptum est, obscuris, & impropriis verbis actum oportebat. Sed neque Samuelem minus triginta & octo annis regnasse, neque Saulem plus duobus multæ, & graues coniecturæ sunt.

Literal. Author Catenæ. Abul. Ariasm. Mercat. Adricom. Sanctius. Tirin. Actor. 13. 21 Clarius. Charens. Lira. Abul. Vatab. Pineda.

36 *Duobus autem annis regnauit super Israel.* Autor Catenæ. Rabbini aliqui apud Abulensem, Ariasm. Mercator, Adricom. Sanct. & Tyrinus duos tantum annos Saulem regnasse asserentes minimè audiendi sunt, cùm ægrè Paulum interpretari possint, asserentem *Actor.* 13. 21. Saulem regnasse annos quadraginta his verbis. *Et exinde postulauerunt Regem, & dedit illis Saul filium Cis virum de Tribu Beniamin annis quadraginta.* Miror autem vehementer virum optimi iudicij, & eruditionis Sanctium nostrum in tam singularem, & paradoxam opinionem incidisse, quam vt tueatur nullum non deuorat inconueniens. Quorum illud non minimum est tot bella, tot casus, & actiones à Saule biennij vnius spatio peragi potuisse penè impossibile videri, moraliter loquendo. Alij legitimè Saulem imperasse duos annos, tyrannicè alios post Dauidem scilicet electum, & à Samuele inunctum. Sic Clarius, Charensis, Liran. Abul. Vatabl. & Pineda lib. 8. de Reb. Salom. c. 2. n. 2. Verumenimvero cum Paulus, vt dixi, quadraginta annos Saulem regnasse testetur, non est, cur dicamus duos tantum legitimè regnasse. Secundo, quia Dauid iamdudum vnctus à Samuele, Saulem tamen tanquam legitimum reuerebatur, dum chlamydis eius oram scidisse dolebat, nec in eum manus iniicere aulus ex reuerentia est. 1. *Reg.* 24. 6. vt notauit Carthus. art. 25. denique Amalechitam, Saulem se occidisse confingentem, gladio percuti iussit. 2. *Reg.* 1. 15. addens: *Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Domini.* ibid. vers. 14. Vnde tyrannum non fuisse colligitur, quod etiam expressè docet S. Thomas in 2. distinct. vlt. Tandem alij, quibus libenter accedo, docent, duobus annis regnasse, scilicet à tempore, quo vnctus primò in Ramatha à Samuele fuit ad tempus, quo milites elegit, quibus stiparetur, vel quibus hostem læderet; quo totius Versiculi planus, ac simplex sensus redditur. Hi sunt Beda, Comestor, Charensis, Carthus. Cornel. Genebrard. Pined. in Salomone Præuio lib. 8. cap. 2. num. 2. Barrad. tom. 1. Concord. lib. 5. cap. 10. & approbat Abulens. & Mendoza ipse 9. 8. fatenturque esse hunc sensum historiæ sequenti commodiorem. Alij verò qui de recta eius gubernatione, & morum probitate exponunt, nempe Autor Quæst. Hebraicar. Gregorius, Rupert. Anselm. in cap. 3. Luc. Damian. Theod. Torniel. Becan. & alij consequenter docent ad ea, quæ dixerant de innocentia Saülis primo regnantis in hunc sensum exponentes: *Et duobus annis regnauit*, hoc est, illam puerilem innocentiam duos duntaxat annos conseruauit in publica populi administratione.

1. Reg. 24. 6. Carthus. 2. Reg. 1. 15. S. Thom. Beda. Comest. Charen. Carthus. Cornel. Genebr. Pineda. Barrad. Abul. Mendoza. Hieron. Gregor. Rupert. Anselm. Damian. Theodor. Torniell. Becan.

VERSVS II.

Vulgata. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel: & erant cum Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin: porro cæterum populum remisit vnumquemque in Tabernacula sua.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagnin. Elegit autem sibi Saul tria millia ex Israel: & fuerunt cum Saul duo millia in Michmas, & in monte Bethel: mille verò fuerunt cum Ionathan in Ghibhah Biniamin: residuum vero populi remisit vnumquemque in tabernacula sua. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Elegit autem sibi Saul tria millia ex Israele: duo millia fuerunt cum Saule in Mihmas, & in monte Bethel: mille verò fuerunt cum Ionathan in Gibea-Beniamin: reliquum verò populum amandauit quemque ad tentoria sua. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et delegit sibi Saul tria millia ex Israel; & fuerunt cum Saul duo millia in Michmas, & in monte Beth-el, & mille fuerunt cum Ionathan in Gibgha-tha Biniamin: & reliquum populum misit quemque ad vrbes suas. Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et elegit sibi Saul tria millia virorum de filiis Israel: & erant cum Saule duo millia in Machmas in monte Bethel, & mille erant cum Ionathan in Gabaa Beniamin: & reliquum populi remisit vnumquemque in tabernaculum suum. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtia. Et elegit sibi Saul tria millia virorum ex viris Israel, & fuerunt cum Saul bis mille, qui in Machmas in monte Bethel, & mille fuerunt cum Ionathan in Gabaa Beniamin; & residuum populi dimisit vnumquemque in tabernaculum eius. Sixtian.

Vatablus

Vatab. *Vatablus in Scholiis.* Tum delegit Saül tria millia, &c.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. 1 *Et elegit sibi Saül duo millia de Israël.* Gregor.lib.5. Variar.cap.3. Millenarius numerus, quia centenario decies collecto perficitur, summam perfectionis intimat; qui profecto cum ter repetitur, in eo electorum perfectiones variæ designantur. Saül ergo tria millia virorum de Israël eligit, quia Prædicator veritatis ad defensionem sanctæ Ecclesiæ non infirmos, & debiles, sed robustos, & validos bellatores ducit.

Histor. Ioseph. *Et elegit sibi Saul duo millia de Israel.* Ioseph. lib.6. Antiquitat. cap.6. alias 5. Rex autem delectu habito, conscriptisque tribus millibus, duo millia sibi voluit esse satellitum, cum quibus ad habitandum Bethela se contulit; reliquos Ionathæ filij satellites esse iussit, quem misit in Gaban.

Mystic. Beda. 3 *Et elegit sibi Saul duo millia de Israel.* Beda lib.2. Expositi. Allegor. cap.6. Populus fidelium sibi de Israël tria millia eligit, quia dum vnitati fidei sociandam spem, & delectionem cognouerit; mox sibi Doctores, qui eandem fidem, spem, & charitatem diligentius se suosque doceant, atque ab hostium irruptione tutentur, elegit.

Mystic. Rabban. 4 *Et elegit sibi Saul duo millia de Israel.* Rabban. ibi. Bene tria millia Israelitarum electa sunt ad pugnandum contra Philisthæos; hi enim solum apti sunt ad pugnandum contra hostes Ecclesiæ, qui habent perfectam fidem Trinitatis, in qua existant superiores hostibus suis. Philisthiim hæretici, qui parti consensu aduersus Ecclesiam conspirantes, eam depopulari conantur. *Eadem verba habet* Hugo Victor.

Hugo Vict.

Literal. Abul. 5 *Et elegit sibi Saül duo milla de Israel.* Abul. ibi. quæst.2. Istud fuit immediate post confirmationem Regni. Nam Saül sciuerat, quòd Israëlitæ petiuerant Regem ad hoc, vt liberaret eos de manu hostium *supra, cap.*8.20. Deus quoque ad hoc elegerat Saülem, vt patet *supra cap.*9.16. Samuel quoque hoc ei commendauit, quando vnxit eum secretè dicens: *Ecce vnxit te Dominus, &c.* supra cap.10.1.

Tropol. Carthus. *Prælatorum Laterones.* 6 *Et elegit sibi Saül duo millia de Israel.* Carthus. ibi. Quia superiores Prælati debent seipsos inprimis vallare auxiliariis multis, qui sint contiliatij iusti, prædicatores idonei, pastores deuoti. Quòd si contigerit superiorem Prælatum tentari, nutare, deficere, debet eorum orationibus, exhortationibusque fulciri, ac erigi, immò & modestè redargui.

Literal. Caietan. 7 *Et elegit sibi Saul duo millia de Israel.* Caiet. ibid. Electio ista facta videtur tunc, quando erat Galgalis post victoriam contra Hammonitas; nam subiungitur, quòd reliquum populum remisit ad propria. Oportuit autem habere iugiter tria millia virorum electorum in promptu propter Philisthinos adhuc remanentes præsidia in pluribus locis Israelitarum.

Literal. Author Catenæ. *Electio militum quando facta?* Abul. Caietan. 8 *Et elegit sibi Saul duo millia de Israel.* Author Catenæ. Docent Abul. & Caietan supra, ex iis, qui concioni aderant, tria hæc virorum millia tunc electa a Saule fuisse; quorum assertum non congruit iis, quæ versu præcedenti diximus. Dicendum potiùs post duos, vel post vnum annum subsequentem electionem fuisse factam. Quod etiam non improbat Abulensis, & Textus satis indicat, dum ait: *Duobus autem annis regnauit super Israel, & elegit sibi Saul tria millia*, videlicet cùm duos annos tam regnasset; quam sententiam tenent Beda, Charentis, Carthus. Genebrad. Pineda, & alij, quos versu præcedenti retulimus, quibus & Mendoza subscribit in præsenti §. 2. Credendum ergo est post duos annos, quos regnauit Saül, vel tres, si à prima vnctione fiat computatio, vel omnem populum conuocasse, vt ex eis eligeret aptissimos; vel ex vicinioribus locis eos dumtaxat, quos secum, & cum Ionatha haberet, selegisse. Beda. Charen. Carthus. Genebr. Pineda. Mendoza.

9 *De Israel.* Author Catenæ. Quæris an Israël sumatur, prout condistinguitur à Iuda, an verò pro toto Dei populo supponat? Hoc vltimum potiùs credo, quia ad prius nulla cogit ratio, vt cogebat suprà *cap.*11.8. Nulla autem ratione cogente, non est cur distinctione vtamur. Literal. Autor Catenæ.

10 *Et erant cum Saul duo millia in Machmas.* Euseb. lib. de Loc. Hebraic. apud Hieron. tomo 3. Machmas vsque hodie vicus grandis ostenditur in finibus Æliæ, antiquum nomen retinens, nouem ab ea millibus distans iuxta villam Rama. Literal. Euseb.

11 *Et erant cum Saul duo millia in Machmas.* Gregor. suprà. *Gabaa* sublimis interpretatur: *Machmas* humilitas: *Bethel* domus Dei: *Saul* petitio: *Ionathas* columbæ donum dicitur. Mystic. Gregor.

12 *Et erant cum Saul duo millia in Machmas.* Beda lib.2. Expositi. Allegor. cap.6. Fortiores quosque, & millenario numero dignos Ecclesia sibi, quorum gladio verbi, & fidei scuto muniatur, eligit. Porro infirmiores in fide, ad tuenda propriæ conscientiæ, in quibus peregrinantur a Domino, tabernacula remittit. Mystic. Beda.

13 *Et erant cum Saul duo millia in Machmas.* Abul. ibid. quæst.2. Morabatur tunc Saül in Machmas, & Bethel, quia ista loca erant propinqua terræ Philisthiim, & contra Philisthinos erant præcipue insultus. Sunt autem duæ istæ vrbes, scilicet Bethel, & Machmas; est enim Bethel in sorte Beniamin, vt patet *Iosue.*18. De Machmas non apparet, an esset in eadem Tribu, quia non ponitur inter vrbes Beniamin. Et cùm dicitur, quòd erat Saül in his vrbibus, est intelligendum, quòd aliquando erat in vna earum, & aliquando in alia, quia ipsæ inter se modicùm distant. Literal. Abul.

14 *Et erant cum Saul duo millia in Machmas.* Adricom. in suis Tabul. Magnas, & Migmas ciuitas magna satis, cuius multa in Scripturis mentio, terminus Tribus Ephraim contra Austrum. In hac Ionathas Machabæus habitauit, atque hic Beata Virgo percepit puerum IESVM non esse in comitatu, sed remansisse in Ierusalem, quamobrem regressa est in Ierusalem ad quærendum eum. Nunc Byra dicitur, & est in dominio fratrum militiæ Templi, vt Brocardus, & Breid. tradunt. Literal. Adrico. *Machmas quæ.* Brocard. Breid.

15 *Et in monte Bethel,* Gregor. suprà. Bethel, idest Dei domum custodiunt, qui verbi autoritate sanctam defendunt Ecclesiam, cùm quibusque Tyrannis voce liberæ autoritatis obuiant: cùm contra huius sæculi potentes se erigunt. Mystic. Greg.

26 *Mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin.* Rabban. ibi. Gabaa vrbs est Phinees, filij Eleazar, vbi ipse Eleazar sepultus est, & interpretatur *Collis præputij.* Literal. Rabban.

17 *Mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin.* Abul. ibi. quæst.2. Ponitur hoc ad differentiam, quia aliquando Gabaa reperitur in aliis Tribubus, vt patet supra cap.7. *in domo Aminadab in Gabaa*: & sic ponitur Gabaa in Chariathiarim; est tamen Chariathiarim in sorte Iudæ. *Iosue.*15. Literal. Abul. *Gabaa quæ?* Iosue.15.

18 *In*

LITERAL. Author Catenæ. 18 *In Gabaa Beniamin.* Autor Catenæ. Vtrùm Gabaa in præsenti nomen sit proprium loci, an appellatiuum, dubium est. Nam Hebraicè Gabaa collem sonat *suprà c.7.1.* cui fauent aliqua exemplaria, quæ versu subsequenti habent: *Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in colle*; ita etiam Hebræus, & Græcus. Coniunctio cum nomine Bethel, & Machmas, quæ propria vrbium sunt nomina, proprium quoque innuit, ne significatio sit æquiuoca; obstat tamen, quia Gabaa, vt notat Dionysius art.25. non erat in Tribu Beniamin, vti Bethel, & Machmas, sed in Tribu Ephraim, quæ Gabaa Phinees dicebatur. Dixerim ergo, vel Gabaa nomen appellatiuum esse, vel pro Gabaa supponere, quæ in Tribu Benjamin sita erat, vt hic exprimitur, & *Iosue* 18. 28. quæ *Gabaa Saulis dicitur*, suprà cap.11.4. Vnde non audiendi sunt Rabbanus, & Comestor asserentes eam esse Gabaa Phinees, quæ in Ephraim erat. *Iosue* 24 33.

Hebræi. Chald. Dionys. Iosue 18.28. Iosue 24.33.

TROPOL. Greg. 19 *Remisit vnumquemque in tabernacula sua.* Greg. suprà. In tabernacula sua populus remittitur, quia ad summa, & fortia opera infirmi, & imperfecti producendi non sunt; nam nec continentes, nec Virgines, nec Martyres fieri debiles possunt. Quasi enim vnumquemque in Tabernacula sua dimittebat beatus Paulus Apostolus, cùm dicebat: *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat; & vnaquaque suum virum.* 1.Cor.7. Velut enim peritus magister interne militiæ, & coronas victoriæ, & pugnæ considerans grauitatem, militum vires in belli pondere librabat, optimum iudicans infirmis, vt in vrbibus viuerent, ne acerbo marte perirent.

Non omnia possumus omnes? 1.Cor.7.

LITERAL. Abul. 20 *Remisit vnumquemque in tabernacula sua.* Abul. ibi quæst.2. Intelligitur hoc de tempore, quo venerunt Israëlitæ de bello contra Ammon; nam ibi veniebat multus populus de Israël, scilicet 330. millia virorum, vt patet *suprà cap.*11. Qui omnes cum Samuële confirmauerunt regnum Samuëlis in Galgala? quo facto accepit immediatè Saül tria millia virorum, quæ elegit ex tota illa multitudine. Vel posset intelligi de toto exercitu Israel. Nam ante Saülem erant Israëlitæ habentes exercitum; vnde quando ipse recessit de Maspath in vrbem suam, dicitur, quòd pars exercitus, quorum Deus tetigerat corda, fuit cum eo, reliqua autem pars contempsit illum *suprà cap.*10.

MYSTIC. Carthus. 21 *Remisit vnumquemque in Tabernacula sua.* Carthus. ibi. Per cæteros, qui remittuntur ad propria, denotantur, qui à Catholica fidei syncritate elongantur.

VERSVS III.

Vulgata. VVlgata. Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cùm audissent Philisthiim, Saül cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi.

Benedict. *Benedict. in marg.* Stationem Philisthinorum, quæ erat in *colle*.

Gloss. *Textus Glossa in marg.* Et percussit Ionathas *Præfectum*, aut *ducem* Philisthinorum, *qui* erat in Gabaa.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Percussit autem Iohonatham Præsidem Peliştim, qui erat in Ghebah: Et audierunt Peliştim: Saül autem clanxit tuba per totam terram, dicendo: Audiant Hebræi.

Hebraica ex Francisc. Vatabl. Et Ionathan percussit stationem Palæstinorum, qui erant in colle: audierúntque id Palæsthini, & Saül cornu classicum canebat per vniuersam terram, dicens: Audiant (hoc) Hebræi. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasmontano in Regia. Et percussit Ionathan ducem Pelisthæorum, qui in Gibghtha, & audierunt Pelisthæi, & Saül clanxit in cornu in omni terra dicens: Audiant Iudæi. Atiasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et percussit Ionathan stationem Philisthinorum, quæ in colle, & audierunt Philisthiim; & Saül cecinit tuba in omni terra, dicens: Inobedientes fuerunt serui. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et percussit Ionathan Nasib. alienigenam, qui in colle, & audierunt alienigenæ, & Saül tuba clangit in omni terra, dicens: Spreuerunt serui. Sixtia.

Aquila apud Procop. Et exposuit Ionathas stationem, &c. Audiant serui. Aquila. Procop.

Scholion ex Simmacho apud Flamin. Audiant qui trans fluuium. Simmac. Flamin.

Mendoza ex Hebræo. Percussit Ionathas statuam, *seu* titulum Philisthinorum. Mendoz.

PP. ET AVCTORES.

1 ET *percussit Ionathas stationem Philisthinorum.* Greg. lib.5. Variar. cap.3. Satio Philisthinorum percutitur in Gabaa, quando ab electis Virginibus carnis desideria penitùs eneruantur, & pacem triumphi obtinent, dum solita bella non habent. MYSTIC. Greg.

2 *Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum.* Ioseph. lib.6. Antiquit. c.7. alias 6. Ionathas expugnauit castrum quoddam Palæsthinorum non longè inde distans. Qui enim Gabam tenebant, perdomitis Iudæis arma ademerant, & occupatis opportune locis, præsidiis ea communierunt, & omni prorsùs ferri vsu eis interdixerunt. HISTOR. Ioseph.

3 *Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum.* Theod. quæst.28. Alienigenæ victis Hebræis collocauerunt præsidia in locis munitioribus, quod præsidium funditùs deleuit Ionathas. LITERAL. Theodo.

4 *Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum.* Liran. ibi. Quod erat signum manifestum rebellionis filiorum Israël ad Philisthæos. Per Ionatham, qui *donum columbæ* interpretatur, Dominus IESVS CHRISTVS significatur, super quem Spiritus sanctus apparuit sub specie Columbæ, cùm baptizaretur. Ipse verò stationem Philisthinorum percussit, quando descendens ad inferum, inde Patres potenter liberauit. Philisthiim autem interpretantur *cadentes*, ideò significant Dæmones, qui de cœlo per suam superbiam ceciderunt. LITERAL. MYSTIC. Liran. *Christus Sanctæ figuratus.*

5 *Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum.* Abul. ibi q.2. Erat Ionathas vir fortis, & animosus valdè, aggrediens semper res magnas. Vnde nondum facto aliquo bello contra Philisthinos tempore Saulis, ipse cum mille viris suis ausus est aggredi, & percutere Philisthinorum stationem; maiora autem postea ausus est. LITERAL. Abul. *Ionathæ virtus?*

6 *Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum.* Idem ibid. q.3. Ista Philisthinorum statio non venerat ad pugnandum contra Israël, sed manebat ab antiquo in terra illa, & hoc quia Philisthiim erãt domini Israëlitarum, & premebant eos tributis, imponebántque eis leges, quas volebant. Ad faciendum autem hæc omnia seruari, & vt non rebellarent Israëlitæ contra Philisthinos erat posita acies LITERAL. Idem.

eorum

eorum in Gabaa,quæ propriè vocatur statio à stando dicta, eo quòd illa non veniebat ad bellum.

Literal. Mend. 7 *Et percussit Ionathas Stationem Philisthinorum.* Francisc. Mendoza ibid. §.2. Difficultas est, cur potiùs Ionathas, quàm Saül stationem percusserit:Responderi potest primò, quia vicinior erat. Secundò,quia sicut corpore erat iunior, ita animo audentior. Tertiò quia cùm esset minori militum præsidio munitus, minùs ab hostibus timebatur;& proindè,vt sæpe sit,vnde minus timoris, inde plus periculi contingebat.

Literal. Sanctius. 8 *Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum.*Gaspar.Sanctius ibi.num.3.Hæc statio,& plures aliæ,quæ fuerunt,vt est verisimile, in Israelitide regione dispositæ,id fecerunt, ne qua ibi cuderentur arma,nec aliquod fieret instrumentum e ferro etiam rusticum; quod miseræ, atque extremæ subiectionis argumentum est. Quod ferre non potuit Ionathas vir fortis, & audax, quique abolere cupiebat dedecus illud ex Israelis nomine. Quare aggressus est stationem, quam habebat infestam, & proximam,quam ita percussit fœliciter,& fortiter, vt partim cælis, partim fugatis hostibus offensionem illam, & ignominiam è patria ciuitate depulerit.

Literal. Vermil. 9 *Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum.*Petrus Vermil. ad cap.10.vers.5. Dubitari potest, quomodo Palæsthini habere potuerint præsidium in Iudæa cùm Samuel iampridem hos ex omnibus finibus expulerit. Responderi potest bifariam:vel illos tractos,& subactos à Samuele, ciuitatibus quidem cessisse, arces autem aliquot, & præsidia retinuisse. Vel cùm iam Samuel consenuisset,& filij eius perditè, ac flagitiosè viuerent, & populus ad Idola deflecteret, Palæsthinos excitatos à Domino impressionem fecisse in Iudæam, & loca quædam munita occupasse.

Literal. Moral. Ioan. Euseb. *Ionathalaus.* 10 *Et percussit Ionathas Stationem Philisthinorum.* Ioann.Eusebius Nierembergius lib.6. Stromatum.cap.1. Priùs narratur victor Ionathas, quàm explicetur natus; introducitur in sacram Paginam sine patre,ac sine matre, cùm Scripturæ mos sit excellentium Virorum parentes explicare, cùm primum de illis sermo nectitur. Priùs tamen Ionathæ gesta prædicat, quàm cuius filius fuerit, declaret. Ionathas duntaxat nominatur, quippe scipio est clarissimus, & regius, nec gloria egeret parentis licèt Regis, ad regiam, & maximam gloriam.

Literal. Author Catenæ. 11 *Et percussit Ionathas Stationem Philisthinorum.*Autor Catenæ.Quibus armis, aut quibus instrumentis:Constat enim infrà *vers.*19. nullis Hebræos instructos esse, vtpote quibus omnis ferri vsus à Philisthæis, qui eis despoticè dominabantur, interdictus fuisset. Credendum est lapidibus,fudibus, & aliis quibusque instrumentis imparatos,& secutos Philisthinos cæsos facilè ab Hebræis fuisse,iuxta Maronianum illud.

Iamque faces, & saxa volant, furor arma ministrat.

Virgil. Et alibi.

Stipitibus duris agitur, fudibúsque præustis.

Mendoza. Quam quidem quæstionem Mendoza noster excitauit,& responsum præbuit.

Literal. Vatabl. 12 *Qua erat in Gabaa.* Vatab. in Schol.*Præsidium Palæstinorum,quod erat in colle.*subaudi Chariathiarim,vbi erat Area Domini.Istud intelligitur exprædicenti 10.cap.*Venies in collem Dei, vbi sunt præsidia Philisthinorum.*

Literal. Mari. 13 *Qua erat in Gabaa.* Ioan. Marian.ibidem in Schol. Gabaa pars erat Chariathiarim, vbi Area erat,& vbi Philisthim præsidium obtinebant.

14 *Qua erat in Gabaa.* Gaspar.Sanctius ibidem num.50.Hæc Gabaa fuit patria Saülis, quæ proximè fuerat appellata Beniamin, in qua statio erat Philisthinorum,idest præsidium. Literal. Sanctius.

15 *Quod cùm audissent Philisthim.* Heron.seu Author Tradit. Hebraicar. Subauditur: Conturbati sunt. Literal. Hieron.

16 *Quod cùm audissent Philisthim.* Author Catenæ. Hoc est,Saül non immediate, vt cæsum est Philisthinorum præsidium classicum cecinit, sed vt audiuit,aut credidit, ad aures aliorum Philisthinorum,qui alibi degebant, & populi Principes,seu Satrapæ dicebantur, expulsæ stationis famam peruenisse; tunc enim præmonendos suos censuit,ne imparatos, & incurios læsi hostis furor occuparet. Clangi ergo vbique iussit tubis, sacrisne,an profanis, non constat, sed in posterius hoc potiùs inclino,nam sacræ duæ tantùm erant.*Num.* 10.2.& vt vbique festinanter clangeretur, pluribus opus erat. Literal. Author Catenæ.

17 *Saul cecinit buccina in omni terra.* Hieron. seu Autor Tradit.Hebraicar. Hæc buccina signum victoriæ,& exhortationis fuit,vt audirent, & nossent Hebræi conturbatos, & superatos esse Philistinæos. *Eadem verba habet* Angelomus. Literal. Hieron. Angelom.

18 *Saul cecinit buccina in omni terra.* Gregor. suprà. Percussa Philisthinorum statione Saül buccina canit,& post Saül populus clamat; quia auditas electorum virtutes sancti Prædicatores prædicant, & subditorum corda ad exemplum boni operis inflammant.Buccina quidem canere, est, & victoriam nunciare, & exemplo victorum aliorum mentes ad spiritualis belli propositum excitare. Notandum est, quia Ionathas stationem Philisthinorum percussit, sed Saül tuba canens se percussisse eandem stationem perhibuit. Quia nimirùm electorum Prædicatorum triumphis adscribitur quod à subditis occulti aduersarij superentur. Sed quoties alios hostes vincimus, necesse est, vt ad aliorum deuincenda certamina præparemur. Omnipotens enim Deus, quia electos suos copiosiùs remunerat, eos semper vult in pugna consistere,vt ipsi semper possint, sibi æterni muneris bona præparare. Tropol. Greg. *Victoria deo tribuenda*

19 *Saul cecinit buccina in omni terra.* Abulens. quæst.4. Credens Saül, quòd Israëlitæ confestim obedirent ei ad omnia, quæ iuberet, non misit particulas boum, sicut priùs timorem inculturus, sed fecit vocari clangore buccinæ, quod est signum bellicum. Literal. Abul.

20 *Buccina.* Idem ibid. Istæ buccinæ erant argenteæ, & sacræ, scilicet quæ erant in Sanctuario custoditæ. Nam Deus iusserat Moysi facere duas buccinas argenteas. *Numer.* 10. Et iussit, quòd Israëlitæ clangerent illis in bello, vt Deus recordaretur eorum; ipsi autem fecerunt multas, vt patet *Iosue.*6. Secundum tamen, quòd si istæ; quibus fecit Saül vocari populum; erant sacræ, oportebat, vt clangerent eis Sacerdotes, sic patet *Numer.*10. Literal. Idem. *Buccina quales.* Num.10. Iosue.6. Num.10.

21 *Audiant Hebræi.* Liran. ibidem. Hoc fecit Saül proclamari, vt filij Israel præcauerent sibi ab insultu Philisthinorum in hoc facto contemptorum. Literal. Lira.

22 *Audiant Hebræi.* Vatabl. in Schol. Nempe præsidium Palæsthinorum esse cæsam à Ionatha: hoc dicebat, vt se accingerent bello. Literal. Vatab.

23 *Audiant Hebræi.*Francisc.Mendoza ibi.§.5. Literal. Mendoza.

Quo

Quo pacto statio Philisthinorum percussa est, & eorum iugum de Hæbræorum ceruicibus excussum. Ad quem sensum respicientes Septuaginta in Regia, & Complutensi transtulerunt: *Inobedientes fuerunt* serui, seu vt est in Sixtiana: & Theodoret. ac Procop. sequuntur. *Spreuerunt Serui.* Facilè autem fuit pro Hebræis transferre seruos, propter similitudinem litterarum, quibus vtrumque nomen scribitur. Sensus est: Audiant Hebræi omnes, quo pacto illi, qui in Gabaa Philisthini seruiebant, aduersus Dominos suos rebellarunt, & se ab eorum seruitute exemerunt. Hoc fuit præconsum, quod Saul euulgandum censuit; in quo & Regis erga populum modestia, & populi erga Regem obseruantia enituerunt.

LITERAL. Author Catenæ. Plutarc. Celsus. Eutim.

24 *Audiant Hebræi.* Autor Catenæ. Quidnam audituri sunt? non exprimitur, sed satis intelligitur rem à Ionatha gestam, & commotos Philisthinos. Aposiopesis est subticentia, seu dictio defectiua, de qua Plutarc. in Quæstionib. *Dat*, inquit, *aposiopesis orationi vim atque emphasim maiorem.* Celsus obticentiam; Alij interruptionem appellant, quâ frequenter vtitur Scriptura, & vt notauit Euthimius in Psalm. 51. ad finem his verbis. *Solent ij, qui vlciscuntur, defectiua quædam verba proferre, veluti præ gaudio reliqua in eis verba intercidãtur; vt illud*: Viderunt oculi nostri, *subintelligitur enim, vindictam, vel quid simile &c.* Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti *Psalm. 118. 126. intellige vindictam. Et alibi*: Tempus faciendi Domine, *scilicet vltionem.* Idem etiam notat in Psalm. 125. & Ps. 74. Et Augustin. lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 8. ante med. tom. 5. & Salmeron. tom. 1. in Euangel. Prologom. 13. Formula 27. & Liran. 2. Reg. 23. ad illa verba: *Cuncta enim salus mea, & omnis voluntas.* Eadem etiam figura apud profanos insolens non est. Huc illud Poëtæ in persona Æoli ad procaces ventos, qui Ænææ classem turbauerant: *Quos ego?* Huc etiam alia exempla apud Ludouic. Pontan. ad præfat. Virgil. locum, apud Aquilam Rothanum Rhetorem, & eruditum Ludouicum Lacerdam nostrum ex Plauto, Terent. Demosthene, & aliis. Per quam figuram aliquid necessariò subintelligendum non sine emphasi reticetur.

Pf. 118. 126. Psalm. 125. Psalm. 74. August. Salmer. Lira. Virg. Pontan. Aquila. Cerda. Plaut. Terent. Domosth.

VERSVS IV.

Vulgata.

VVlgata. Et vniuersus Israel audiuit huiuscemodi famam: Percussit Saul stationem Philisthinorum, & erexit se Israel aduersus Philisthiim. Clamauit ergo populus post Saul in Galgala.

Benedict.

Bened. in marg. Et vniuersus Israel audiuit à dicente huiuscemodi famam: Percussit Saul stationem Philisthinorum, & malè audire cæpit Israel apud Philisthæos, & congregatus est populus post Saul in Galgala.

Glossa.

Text. Glossa in marg. Et vniuersus Israel audiuit huiuscemodi famam: Percussit Saul Præfectum, *aut* Ducem, *siue* Præsidem Philisthinorum. Et abominabilis fuit, *vel* fœtuit Israel inter Philisthæos, *vel* coram Philisthæis. Clamauit ergo populus post Saul in Galgala.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraïc. ex Xante Pagn. Et omnis Israel audierunt dicendo: Percussit Saul Præsidem Pelistim, & etiam abominatus est Israel Pelistim; & congregati sunt populus post Saul in Ghilghal.

Hebraïc. ex Franc. Vatabl. Et omnes Israelitæ audierunt, quod diceretur: Percussit Saul stationem Palæsthinorum: & etiam quod fœteret Israel apud Palæsthinos. Conuocatus est itaque post Saulem in Gilgal. Vatab.

Chaldaic. ex Benedicto Ariasm. in Regia. Et omnis Israel audierunt dicendo: Percussit Saul Ducem Pelistæhhorum, & etiam concitatus est Israel in Pelistæhos, & congregati sunt populus post Saul ad Gilgela. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et vniuersus Israel audiuerunt, dicentes, quod percussit Saiil stationem Philisthinorum, & contempsit Israel Philisthiim: & ascendit populus post Saulem in Galgala. Complut. Regia.

Græc. ex Septuag. in Sixt. Et omnis Israel audiuit, dicentes: Percussit Saul Nasib alienigenam, & puduit Israel in alienigenas, & ascenderunt filij Israel post Saul in Galgala. Sixtia.

Interl. Reg. Et fœtuit Israel in Philisthiim. Interl. Reg.

Caiet. ex Hebræo. Et etiam fastidierunt Israelem Pelisthini. Caiet.

Mend. ibi. §. 5. Verti etiam potest: Odiosus factus est Israel Philisthinis. Mendoz.

Isidor. Clar. ibi. Congregatus est ergo populus post Saul. Clar.

PP. ET AVCTORES.

HISTOR. Ioseph.

1 *ET vniuersus Israel audiuit.* Iosephus libr. 6. cap. 7. aliàs 6. Vt audierunt Palæsthini expugnatum castrum, indignari, & non ferendam contumeliam dictantes, armantur contra Iudæos trecenta millia peditum, curruum triginta millia, & castrametati sunt ad oppidum Mahamam. His cognitis Rex Saulus profectus est Galgala, & dimissis præconibus per totam ditionem edicit, vt qui saluam vult libertatem populi, contra Palæsthinos arma capiat, dissimulans interim eorum potentiam, & negans tales esse, vt timeri debeant.

MYSTIC. Greg.

2 *Percussit Saul stationem Philisthinorum.* Greg. lib. 5. Variar. c. 3. Ionathas stationem Philisthinorum percussit, sed Saul tubâ canens, se percussisse perhibuit, quia nimirum electorum Prædicatorum triumphis adscribitur, quòd à subditis occulti aduersarij superantur.

LITERAL. Abul.

3 *Percussit Saul stationem Philisthinorum.* Abul. ibi. q. 4. Istud est, quod canebant tibicines, & est exhortantium ad bellum; & quanquam non ponitur per modum præcepti, sed per modum indicationis; tamen præceptum erat, quòd congregarentur omnes Israelitæ. Dicitur quòd percussit Saul stationem Philisthinorum, quanquam secundum veritatem non percussit ipse, sed Ionathas, vt patet suprà; quia tamen Ionathas erat constitutus sub Rege, & fecit hoc authoritate illius, dicitur ipse fecisse, & ex nomine suo mittebat illud denunciare per totum Israel.

LITERAL. Mendoza.

4 *Percussit Saul stationem Philisthinorum.* Franc. Mend. ibi, §. 2. Vt maior esset victoriæ auctoritas, potiùs Sauli, quàm Ionathæ fuit tribuenda, ne temerè, aut iuueniliter parta crederetur.

LITERAL. Euseb.

5 *Percussit Saul stationem Philisthinorum, &c.* Ioan. Euseb. 6. Stromat. c. 5. Ecquis Israel se erexit? planè nonnisi Ionathas. Sed Ionathas vnus pro vniuerso Israel: illud mendacissimum, percussisse Saulem Philisthæos, qui tam aberat ab hac cogitatione, vt nec cum duplo maiori satellitio, quàm Ionathas, imò cum exercitu trecentorum millium

non

non est ausus tentare, licet alioqui fortissimus Vir, nec timidus. Nihilominùs gloriam sibi arrogat, quam alius meruit; scilicet tanta patientia, obedientia, modestia Ionathæ abusus est, quanta fuit in illo iuuene, virtutum omnium floribus venusto, quæ non potuêre maximè non elle, cùm laudes non quæreret, sed victorias.

LITERAL. Author Catenæ. 6 *Percussit Saül stationem Philisthinorum.* Autor Catenæ. Philisthinorum percussionem non Ionathæ filio, sed sibi Saul adscribit, quia gloriæ non mediocriter erat cupidus, de qua dum agitur inter homines nec filius patri, nec pater filio defert, sed sibi quisque præsumit. Vnde mirandum non est eundem Saulem Dauidis laudem adeò impatienter tulisse, cùm reuertentibus de bello, & prostrato Philisthæo mulieres choros agentes canerent: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* 1. Reg. 18. 7. Quod benè annotauit Abulensis in præsenti quæst. 4. dicens: *Volebat Saul sibi gloriam, & propter hoc omnia gesta magnifica, quamquam essent aliorum, volebat sibi attribui, alioquin irascebatur. Sicut patet cùm reuerteretur Saul de bello contra Philisthæos. Mulieres namque tunc exeuntes canebant*; Percussit Saul mille, & Dauid decem millia; iratúsque est Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste, dixítque: *Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt*, infrà cap. 18. 8. Sed de his plura diximus ad *cap. 6. vers. 5. Inst. 11.*

1 Reg. 18. 7. Abul.

LITERAL. Hieron. Angelom. 7 *Et erexit se Israël aduersùs Philisthiim.* Hieron. vel Autor Tradit. Hebraic. Idest viriliter cœpit agere contra Philisthæos. *Eadem verba habet* Angelomus.

LITERAL. Vatabl. 8 *Et erexit se Israël.* Vatab. in Schol. Hebraicè: *Et etiam quod fœteret Israël apud Palæstinos.* Palæstini abhorrebant ab Israelitis, tanquam à re malè olente, & putrida. Quasi dicat: Oderant maximè Israëlitas.

LITERAL. Abul. 9 *Et erexit se Israël.* Abul. ibi quæst. 4. Istud etiam denunciabant tibicines; quanquam enim Israëlitæ non se erexissent contra Philisthiim, quia ipsi nihil horum sciebant; tamen quia Rex erexit se, dicitur, quòd ipsi se erexerant; nam quod Rex agit, totum regnum agere dicitur.

LITERAL. Author Catenæ. 10 *Et erexit se Israel aduersùs Philisthiim.* Autor Catenæ. Planum Vulgatæ sensum obscurum reddit translationum varietas. Est ergo sensus: Et auditâ hâc famâ, quòd Saul percussisset Philisthinos, ipsosque percussos in magnum Israëlitarum odium concitatos, Israëlitarum populum, ad Regis sui monita, ad arma confluxisse in Galgala, vbi iuxta Samuëlis præceptum eiusdem aduentum præstolaturus Saul erat. Hebræus autem, & alij translatores non solum effectum, sed & causas huius confluxus ad arma significant, nempe quòd Israëlitæ cognouerunt ex hac sua defectione, hostium suorum odium incurrisse. Vnde suum agnoscentes periculum, arma corripuêre; hoc enim Hebræus indicat, dicens: *Et abominatus est Israël Philisthim*, seu: *Fœtuit Israël apud Palæstinos*, in quem sensum trahendus est Græcus.

LITERAL. Abul. 11 *Clamauit ergo populus post Saul in Galgala.* Abulens. ibi quæst. 4. Idest clamabant inter se, vt in Galgalam descenderent, quia Saul in Galgalam descenderat.

LITERAL. Idem. 12 *In Galgala.* Idem ibid. quæst. 5. Quæret aliquis, quare Saul descendit in Galgala, annunciato bello, & ibi congregauit exercitum: Dicendum est, quòd non faciebat hoc Saul, vt magis accederet ad hostes, sed potiùs, vt impleret mandatum Samuëlis *suprà cap. 10. 8.*

LITERAL. Caiet. 13 *Clamauit ergo populus post Saul in Galgala.* Caietan. ibi. Dictio interpretata *congregati*, significat congregationem cum clamore; ad sonum enim buccinæ congregatos fuisse significatur.

LITERAL. Sanct. 13 *Clamauit ergo populus post Saul.* Sanct. ibi. Clamauit, pro *conuenit*, scilicet clamore vocatus.

VERSVS V.

VULGATA. Et Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israël, triginta millia curruum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus sicut arena quæ est in littore maris plurima: Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad Orientem Bethauen. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Philistim autem congregati sunt ad pugnandum cum Israël triginta millia currus, & sex millia equites, & populus sicut arena, quæ est iuxta littus maris in multitudine; & ascenderunt, & castrametati sunt in Michmas ad Orientem Bethauen. Pagn.

Hebraica ex Francisc. Vatab. Et Palæsthini quidem congregati sunt, vt pugnarent cum Israelitis, triginta scilicet millia curruum, sex millia equitum, & populus (multus) quasi arena, quæ est in littore maris præ multitudine, ascenderúntque & castrametati sunt in Michmas ex opposito Beth-auen. Vatab.

Chald. ex Reuel. Arias. in Regia. Et Pelisthæi congregati sunt ad ineundum bellum cum Israël, triginta millia currus, & sex mille equites, & populus vt arena, quæ super littus maris, ad multitudinem, & ascenderunt, & posuerunt castra in Michmas ad Orientem Beth-auen. Arias.

Græc. ex Sept. in Complut. & Regia. Et Philisthiim congregantur in prælium ad Israel, & ascendunt contra Israel in bellum triginta millia curruum, & sex millia equitum, & populus vt arena, quæ est in labio maris, multitudine; & ascendunt, & castrametantur in Machmas è regione per dorsum Beth-auen. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtia. Et alienigenæ congregantur in prælium super Israël, & ascendunt super Israël triginta millia curruum, & sex millia equitum, & populus tanquam arena, quæ iuxta mare, multitudine, & ascendunt, & castrametantur in Machmas ex aduerso Bæthoron contra Austrum. Sixtian.

Abul. ibi quæst. 5. & aliqua exemplaria. Sexcenta millia equitum. Abul.

Fosterius apud Pined. lib. 5. de Reb. Salomon. c. 10. Sex millia equorum militarium. Fosterius. Pineda.

PP. ET AVCTORES.

1 ET *Philisthiim congregati sunt ad præliandum.* Beda lib. 2. expos. Allegor. cap. 6. Crescente in bonis ardore virtutis agendæ, crescit & in immundis spiritibus ardor eiusdem impediendæ, ac refringendæ virtutis. Qui videntes contra se fidelium amicos erectos, hos colles insidiarum, deceptionumque variarum copis expugnare contendunt. Mystic. Beda.

Hector. Ioseph.

2 *Et Philisthiim congregati sunt ad præliandum.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. aliàs 6. Vbi audierunt expugnatum castrum, indignati, & non ferendam contumeliam dictantes, armant contra Iudæos trecenta millia peditum, curruum triginta millia, equitum sex millia, & castrametati sunt ad oppidum Machmam.

Mystic. Tropol. Carth. *Dæmones impugnant fortiores?*

3 *Et Philisthiim congregati sunt ad præliandum.* Carthus. ibi art. 26. Quemadmodum Philisthæi audita suorum strage se collegerunt ad impugnandum acerrimè filios Israël: sic inuisibiles hostes victis quibusdam ex suis vehementiùs insaniunt, & insurgunt contra fideles victores. Ideò debet Prælatus buccina prædicationis suos super hoc admonere, eosque informare de modo, & constantia fortiter resistendi.

Mystic. Greg.

4 *Triginta millia curruum.* Greg. lib. 5. Var. c. 3. Superiùs Rex Saül tria millia virorum sibi electa describitur. Si ergo partes vtriusque exercitus conferre volumus, contra vnumquemq; virorum Saul, decem currus Philisthinorum, & duo equites deputantur; decies enim tria millia, triginta millia sunt. In senario quoque numero ternarius geminatur. Quo nimirùm bello occultorum hostium tam multitudo, quàm feritas designatur. In curribus quidem & equis contra nos veniunt, quia modo malas cogitationes electorum cordibus, modo eorum corporeis sensibus rerum visibilium blandimenta noxia offerre moliuntur. Equi namque ad cursum celeres sunt, ad impetum fortes, quibus nimirùm cogitationes malæ aptè comparantur, quæ ad cor velociter veniunt, & fortiter pungunt.

Literal. Lira.

5 *Triginta millia curruum.* Liran. ibi. Non est verisimile, quòd tot essent currus, sed accipitur hìc numerus hominum in curribus existentium; quia tunc temporis in curribus pugnabant pro magna parte, vt habetur in pluribus locis sacræ Scripturæ.

Literal. Abul.

6 *Triginta millia curruum.* Abul. ibi quæst. 5. De curribus istis non videtur, cur non debeamus confiteri tot currus fuisse in terra Philisthiim in isto bello; ideò non debemus diuertere ad alium sensum. Nam posset dici, quòd Philisthini erant nimis bellicosi, & laborabant pro copia armorum. Vel aliter potest dici, quòd omnes isti currus venerunt in bellum, non tamen erant omnes de terra Philisthinorum, sed volentes Philisthini penitùs delere Israëlitas congregauerunt exercitum magnum partim de terra sua, & partim ab amicis, & confœderatis, & partim habuerunt milites conductos, sicut mos est Regibus, vel populis habentibus paruam militiam.

Literal. Carthus.

7 *Triginta millia curruum.* Carthus. ibi art. 25. Mirum quòd tot currus habebant, cùm de Pharaone legatur in *Exod.* 14. quòd tulit secum sexcentos currus electos, quando videlicet insecutus est filios Israël. Hinc aliqui dicunt, quòd ponatur hìc continens pro contento, videlicet numerus curruum, pro numero bellatorum, qui erant in curribus, & pugnabant ex eis, vt erat tunc moris.

Literal. Mendoza.

8 *Triginta millia curruum.* Francisc. Mendoz. ibi §. 2. Satius est, vt proprietas Vulgatæ conseruetur. Vt autem difficultas, aut incredibilitas rei tollatur, dic cum Abulensi illos currus non fuisse omnes Philisthinorum, sed sociorum, ac finitimorum Regum, qui magnam illorum partem in Philisthinorum auxilium submisêrunt: aut certè non fuisse tantæ molis, vt vulgares currus, sed inferioris pretij, ac magnitudinis, qui proinde pollent omnes à Philisthinis comparari: cùm præsertim Philisthini essent studiosissimi rei bellicæ curatores. Quod minus incredibile videbitur, si aduertas quod refert Suetonius in Nerone cap. 30. Neronem Cæsarem nunquam minùs mille carrucis iter fecisse, longo semper agmine impedimentorum incedente. Quid mirum igitur si Philisthini semel tantum eam curruum multitudinem comparârint? Sueton.

9 *Triginta millia curruum.* Ioann. Eusseb. 6. Stromat. cap. 10. Sunto singulis curribus bini, aut quaterni equi: centum, & viginti millia complebunt, quot vix Oriens daret, nedum perangusta terræ lacinia. Sed Tyrij, & Sidones, & alij populi Philisthæis adiuncti erant fœdere, & viribus. Quare non cum Philisthæis modo, sed cum Oriente conflicturus prodiit vnus inuenis; non aduersus exercitum, sed penè aduersus vniuersam Asiam. Accedens multitudini hostili æqualitas loci, ne dicam difficultatem, sed impossibilitatem auxit victoriæ. O! nouum duelli genus, vbi vnus vocat in certamen omnes, miles exercitum, & leges certandi contrariis concedit, pro gustu hostium pugnaturus. Literal. Moral. Ioann. Eusseb. *Ionatha animositas?*

10 *Triginta millia curruum.* Autor Catenæ. Prodigiosus, & inauditus militarium curruum numerus torquet Interpretes. Vnde enim tanta curruum, & equorum copia potuit citissimè colligi? Et quidem militares currus, vel duobus saltem equis instruebantur, vel quatuor. Hoc postremum credit Abulensis in præsenti, & 2. *Reg.* 8. 4. *quæst.* 10. & ibidem Lira conuincit; & quidem insolitum non erat, nam & Latinus Rex apud Poëtam Ænead. 12. curru quadriiugo contra Troianos vehebatur Literal. Author Catenæ. *Quot currus fuerint.*

Interea Regem, ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru. —— Virg.

hoc est quatuor equis tracto, vt notauit Ascensius, & Lacerda imitationem Homeri fuisse affirmat 5. Iliad. Vnde equorum numerus ad centum viginti millia excrescat opus est. Si verò primum dicas: ad sexaginta millia: quibus si iungas sexcenta millia equitum, vt habent aliqua exemplaria, quæ sequitur Abul. vel saltem sex millia immensus equorum numerus est; Quibus Philisthæi vti non poterant, cùm Pharao Rex Ægypti potentissimus, qui & equis, quorum ferax est regio, abundabat, & curruum copia gloriabatur, cùm Israëlitas excedentes insequeretur, sexcentos tantum currus secum extulit *Exod.* 14. 7. & Salomon, qui Regum omnium opulentissimus fuit, mille quadringentos currus solùm habuerit 2. *Reg.* 10. 26. Adde Philisthinorum ditionem admodùm angustam fuisse, & quinque potissimum vrbes, totidemque Regulos, seu Satrapas continebat, vt vidimus suprà *c.* 6. & *Iosue* 13. 3. Et confirmatur inde, quia in terræ diuisione tota fere Philisthinorum Regio vni Iudæ obtigit. *Iosue* 13. & 15. vt notat hic Abul. & ad præfatum Iosue locum. Quo ergo modo tot equos, & currus parare potuit, præsertim breuissimo temporis spatio, quod Textus innuit? Respondes primò cum Abulensi quæst. 5. Currus præfatos à vulgaribus differri, erant enim minoris valoris, & sumptus. Sed rogo quo fundamento hæc dicas? Nullo quidem, nisi vt difficultatem effugias; nec tamen effugies nam saltem duobus equis instruendi erant, & licèt curruum fabrica difficilis non sit, equorum verò copia vnde apparanda? Respondes secundò cum eodem Abulensi, & Mendoza, & quidem aptiùs præfatos currus non fuisse omnes Philisthino Exod. 14. 7. 2. Reg. 10. 26. Iosue 13. 3. Iosue 13. & 15. Abul.

Isthinorum, sed sociorum, ac finitimorum Regum, seu populorum, qui magnam eorum partem in id bellum suiomisissent. Sed contra primò, quia cùm Textus innuat bellum hoc post stationis percussionem, contestim contigisse, non datur spatium, quo tantus equorum, & currium apparatus colligi ex amicis posset, non enim exiguum tempus tantæ rei impendendum erat. Contra secundò, quia parum etiam credibile videtur, vt finitimæ etiam gentes tantam currium, & equorum copiam in promptu haberent. Contra tertiò, quia totus hic exercitus in Machmas castrametatus fuisse dicitur, qui locus minimè tantus erat, vt tam immensam currium, equorum, & peditum multitudinem, vel capere posset, vel alere, cùm nec pastus bestiis, nec locus etiam sufficeret, nec pabula aliunde repente asportari possent. Dico ergo primò equos, seu equites tantùm sex millia fuisse, vt habet Vulgata nouissimè correcta, & omnes Versiones, Exemplaria verò illa, quæ habent *sexcenta millia*, repellenda esse, quidquid contendat Abulensis.

Abul. Dico secundò triginta millia currium ita esse accipienda, vt contentum pro continenti per Metonymiam, seu Hypallagem intelligatur; hoc est, currus significent duos, vel tres, aut plures milites, qui ex vnoquoque currium pugnarent, eo modo, quo equi pro equitibus vsurpantur, quod infrequens non est etiam in Scripturis. Sic enim Dauid dicitur *septingentos currus de Syria occidisse*. 2. Regum cap. 10. vers. 18. Currus autem occidi non possunt, sed viri qui ex eis præliantur, vel equi, qui eos trahunt, & Iudic. cap. 4. vers. 15. *Perterruitque Dominus Sisaram, & omnes currus eius.* & 3. Regum cap. 9. vers. 19. de Salomone: *Et omnes vicos, qui ad se pertinebant, & erant absque muro munitæ, & ciuitates currium, & equitum*; vbi vrbes quas incolebant ij, qui in curribus, & in equis pugnabant, *ciuitates currium, & equitum* appellantur. Hanc sententiam habet expresse Lyranus suprà relatus, & Iacobus noster Salianus, nec displicet Carthusiano. Sed obstes Hanon Regem Ammonitarum, cùm bellum aduersus Dauidem meditaretur, currus non minus triginta duobus millibus præparasse. 1. *Paralipom. cap.* 19. *vers.* 7. Ibi: *Conduxerúntque triginta duo millia currium.* Ergo & Philisthæos prædictum numerum comparasse incredibile non est. Cuius loci non recordabatur Abulensis, cùm in præsenti dixit quæstion. 5. *Nunquam legitur tantus numerus currium ab aliquo congregatus.* Sed respondeo Ammonitas non solum ex suis, sed ex variis gentibus, & populis currium tantum numerum comparasse, nam missis argenti mille talentis conduxerunt de Mesopotamia, & de Syria-Maacha, & de Soba currus, ipsosque earum gentium Reges secum auxiliares adduxerunt, vt ex Historia patet, & vt omnia pararent, sufficiens tempus habuerunt, dum Dauid cognitâ legatorum iniuriâ expeditionem in vindictam faceret: Philisthini verò nec tantum habuerunt temporis, nec tam diuites fortassis erant. Dico tandem tertio prædictum numerum arenæ maris comparatum per Hyperbolem, copiosissimum significari, quâ phrasi frequenter vtitur Scriptura. *Genes.* 22. 17. & *cap.* 32. 12. & alibi passim, de quo Delrius Adag. 15.

11 *Et sex millia equitum.* Glossa Ordin. ibi. Equites potentia tumidi, qui Hæreticos iuuant vulgus, sicut arena, multitudo hæretica persuasione congregata.

12 *Et sex millia equitum.* Abulens. ibi. q. 5. Magnus exercitus erat, sed an totus esset de terra Philisthim, vel pars eius aliunde ducta, non multum constat, nec multum differt; in Hebræo autem solùm ponuntur hîc Sex millia equitum; credendum tamen quòd magis sit error inter Hebræos.

13 *Et sex millia equitum.* Carth. ibi. art. 25. Aliqui textus habent: sexcenta millia equitum, sed melius dicitur: sex millia.

14 *Et reliquum vulgus sicut arena, &c.* Greg. suprà. Quid est, quod reliquum vulgus, sicut arena, quæ est in littore maris, esse plurima memoratur, nisi quia ad ducatum malorum spirituum innumerabilis fœuit contra nos turba vitiorum? Velut enim subiectum vulgus currus, & equites sequitur, quando Dæmonum insidiæ mentem impugnando præueniunt, vt à subsequentibus vitiis, quasi ab irrationabilis vulgi multitudine deuastetur. Quibus etiam verbis innuitur quàm cauta, & circumspecta semper esse debeat vita sanctorum. Nam si vulgus reliquum arenæ maris plurimæ comparatur, innumerabilis, & fere incurabilis est multitudo stultorum. Quamuis enim peritis fidelibus omnia nota sint vitia, quantis tamen cor moribus pulsent; quibus modis, aut quibus causis semper ad cor veniant, omninò scire non possunt. Apertas quidem tentationum tenebras potenter abiecerunt, sed sæpe caliginem ignorantiæ in rebus leuioribus quasi arenæ minutias non euadunt.

15 *Et reliquum vulgus sicut arena, &c.* Lira. ibi. Hyperbolica locutio est ad designandam magnam populi multitudinem.

16 *Et reliquum vulgus, sicut arena, &c.* Abulens. ibi. quæston. 5. Isti pedites vocantur vulgus, propter duo. Primò propter multitudinem; nam sicut vulgus est ipsa multitudo populi, ita pedites in bellis sunt in maiori numero, quàm alij armati. Secundò vocantur vulgus propter paucitatem apparitionis, & defectum doctrinæ bellicæ, nam sicut vulgus dicit quandam multitudinem indoctam, & rusticam, ita pedites in bellis habent leuissimum genus armaturæ, & plurimi eorum inexperti sunt.

17 *Castrametati sunt in Machmas.* Gregorius suprà. Benè ergo in Machmas castra ponere Philisthim perhibentur, quia per iniqua consilia in eis Dæmonia habitant, qui alta virtutum culmina tenere non curant; nam dum terrena non quærunt, velut plena & humilia incolunt; vbi mutabiles hostes castra ponere libenter possunt.

18 *Castrametati sunt in Machmas.* Abulens. ibi. quæstion. 5. Ascenderunt de terra sua, quæ est occidentalis iuxta mare, & terra, in qua castrametati sunt, est orientalis, & altior; ideò dicitur, quod *ascenderunt*. Fuerunt autem castrametati in Machmas, quia Philisthini veniebant contra Regem Saul, & ipse morabatur in Machmas, & in Bethel, ideo posuerunt castra apud locum ipsum; Rex tamen Saul non erat ibi tunc; iam enim descenderat in Galgala.

19 *Castrametati sunt in Machmas.* Hieronym. Lauret. in Sylua. Machmas, id est perditior, vel pauper ablatus, aut perditor, vel pauper palpans, siue tangens, vel auferens; erat oppidum in Tribu Ephraim. Vel interpretatur *humilitas*, vbi mille

Gen. 22. 17. Delrius.

Literal. Gloss. Ordin.

Literal. Abul.

Literal. Carthus.

Mystic. Gregor.

Literal. Lran.

Literal. Abul.

Mystic. Gregor.

Literal. Abul.

Mystic. Lauret. *Machmas quid?*

viri fortes erant cum Saule, ideſt continentes. Deſignat etiam Machmas eos, qui parvuli ſunt in Eccleſia. Machmas autem vbi Philiſthæi, hoc eſt Dæmones, ponunt caſtra, ſunt terreni, & nihil alcum ſapientes.

LITERAL. Abul. *Bethauen qua?*

20 *Ad Orientem Bethauen.* Abulenſ. ibi. q. 5. Aliqui exiſtimant quòd Bethauen, & Bethel ſunt idem locus; ſed falſum eſt, quia *Ioſue* 7. ponuntur iſta tanquam diſtincta loca, cùm dicitur: *Cùmque mitteret Ioſue de Ierico viros contra Hai, quæ eſt iuxta Bethauen, ad Orientalem plagam oppidi Bethel.* Si tamen eſſent vnus locus non poterat dici, quod vnus eſſet ad orientalem plagam alterius, vt in eo capite declaratum eſt.

LITERAL. Vatab.

21 *Ad Orientem Bethauen.* Vatabl. in Schol. Sic eam vocat ob Idolorum cultum: aliàs dicitur Bethel, quòd ibi Dominus apparuit ipſi Iacob.

LITERAL. Saa.

22 *Ad Orientem Bethauen.* Emanuel Saa in Schol. Sic dicta, vt putant quidam, Bethel ob Idolorum cultum. Significat autem domum vnitatis, ſeu iniquitatis; id quod alibi verum puto; ſed hîc ipſam intelligo Bethauen diuerſam à Bethel.

LITERAL. Author Catenæ. *Bethauen qua?* 3. Reg. 12. 29 Oſeæ 4. 15.

23 *Ad Orientem Bethauen.* Autor Catenæ. Aduerte duplicem eſſe Bethauen: aliam ſic propriè dictam, de qua hîc, quæ erat iuxta Bethel in Tribu Beniamin: alteram ſic myſticè & accommodatitiè appellatam, eo quòd ibi à Ieroboamo collocatum, & cultum Idolum fuerit. 3. *Regum* 12. 29. Bethauen enim *domus vanitatis*, ſeu *iniquitatis* ſonat: ſic autem dicta eſt Bethel, quæ priùs dicebatur Luza in Tribu Ephraim, vt patet *Oſeæ* 4. 15. & *cap.* 10. 5. Philiſthini ergo, quia audierant Saulem apud Machmas, & iuxta Bethauen Beniamin cum ſuis copiis commorari, eò cum exercitu venerunt: ille verò, quia iuxta Samuelis præceptum, inſtante periculo in Galgalam migrauerat, ab hoſte, obedientiæ beneficio, liberatus eſt, vt notauit Mendoza §. 5. Vide Riberam ad cap. 4. Oſeæ 19. Vatablus verò Lauretus in Sylua, Mariana, Saa, & alij, qui hanc vrbem Bethauen Benjamiticam cum alia Ephramitica, quæ Luza, & Bethel prius dicebatur, confundunt, audiendi non ſunt.

Mendoz. Ribera. Vatab. Lauret. Marian. Saa.

VERSVS VI.

Vulgata.

Vulgata. Quod cùm vidiſſent viri Iſrael ſe in arcto poſitos (afflictus enim erat populus) abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in ciſternis.

Bened.

Benedict. in margine. Quod cùm vidiſſent viri Iſrael *coangustati ſunt, obtinuitque metus populum*, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in abditis, in petris quoque, & in *turribus*, vel, *in excelſis*, & in ciſternis.

Gloſſa.

Textus Gloſſ. in margine. Coarctatus enim erat populus. In ſpeluncis, & in munitioribus, & in petris.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et viri Iſrael viderunt, quòd anguſtia eſſet ſibi, quia coarctatus erat populus, & abſconderunt populus ſe in ſpeluncis, & in munitionibus, & in petris, & in turribus, & in ciſternis.

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Viri autem Iſraelitæ videntes ſe ſe in anguſtias redactos (populus enim preſſus erat) abſcondit ſe populus in ſpeluncas, in ſpineta, in petras, in arces, atque in foueas.

Chaldaica ex Benedict. Ariaſmont. in Regia. Et homines Iſrael viderunt, quòd afflictio eis, quia oppreſſus eſt populus, & abſconditi ſunt populus in ſpeluncis, & in munitioribus, & in foraminibus petrarum, & in ſpeluncis rupium, & in foueis.

Ariaſm.

Græc. ex Sept. in Compl. & Regia. Et vir Iſrael vidit, quòd affliguntur & receſſit populus, & abſconditus eſt in ſpeluncis, & in abditis, & in petris, & in foueis, & in ciſternis.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixt. Et vir Iſrael vidit, quia anguſtè ſibi, ne ipſe accedat, & occultauit ſe populus in ſpeluncis, & in abditis, & in petris, & in foueis, & in ciſternis.

Sixtia.

Abulenſ. ibi. quæſt. 5. Quod cùm *audiſſent* viri Iſrael, &c.

Abul.

Caietan. ex Hebræo. Et viri Iſrael viderunt, quia fuit oppreſſus populus, & abſcondit ſe populus in ſciſſuris, & in rupibus, & in acutis, & in ciſternis.

Caiet.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor.

1 *Quod cùm vidiſſent viri Iſrael, &c.* Gregor. libr. 5. Variarum cap. 3. In arcto quidem ſumus, quando ab immundis ſpiritibus intus tentamur, & foris malorum hominum exempla conſpicimus. Contra internam ergo malorum ſpirituum tentationem dictum eſt *afflictus eſt populus*; & contra exteriora exempla impiorum hominum *abſconderunt ſe*, quia blanda, & læta nobis appetenda callidus aduerſarius ſuggerit, qui nunquam meliùs vincitur, quàm ſi tentati ad deuotæ orationis lamenta curramus, & exempla prauorum vitare citiùs poſſumus, ſi ea etiam reſpicienda non eſſe iudicemus.

LITERAL. Caiet.

2 *Quod cùm vidiſſent viri Iſrael ſe in arcto poſitos.* Caiet. ibi. Multi videntes tantum Philiſthinorum exercitum bene armatum. Iſraelem verò abſque vllo gladio, aut lancea, vt inferiùs ſubiungitur, conſuerunt populum anguſtari, & opprimi à Philiſthinis, & propterea timuerunt.

LITERAL. Sanct.

3 *Quod cùm vidiſſent viri Iſrael, &c.* Gaſpar Sanctius ibi, num. 33. Libenter ad imperium Saulis vndecumque Iſraelitæ conuenerant; magnos enim animos, & audaces ſpiritus indiderat Ammonitarum cædes; ſed cùm eas copias viderent à Palæſtinis eſſe coactas, quas contrahi poſſe non putabant, neque contra tam inſtructas acies ſatis ſibi eſſe virium, deſponderunt animos, neque exiſtimarunt in patriis ſedibus, & domibus effugere ſe poſſe hoſtile ferrum, atque ideo latebras quærunt, ſpeluncas, & occultos ſinus, quos putabant occultos eſſe Palæſtinis, aut illos non curaturos de illis, quorum timere poterant occultas inſidias.

LITERAL. Author Catenæ. Abul.

4 *Quod cùm vidiſſent viri Iſrael, &c.* Autor Catenæ. Non indicatur quòd oculis ſuis Iſraelitæ hoſtium copias viderint, diſtabant enim nimis; ſed quod eorum aduentum, & irruptionem vel ex Speculatoribus, vel ex aliis cognouerunt. Vnde Abulenſis quæſtion. 5. tranſcripſit: *Cùm audiſſent*, & ſenſus idem eſt. Tantæ ergo armatæ, & furentis multitudinis, cùm ipſi potiſſimùm inermes eſſent, timore perculſi, in latebras quacumque locus eſſet, ſe ſe abdere ſtuduerunt, vni ſilentio & tenebris ſalutem confidentes. Regionem autem illam ſpeluncis, antriſque abundare docet Ioſephus oculatus teſtis lib.

Ioſeph.

lib.1.de bello Iudaico cap.12.& apertè etiam colligitur *Isaiæ* 2. 10. 1. *Reg.* 24. 4. *Iosue* 10. 16. & aliàs sæpè.

Isaiæ 2.10. 1 Reg. 24. 4. Iosue 10.16.

5 *Afflictum enim erat populus.* Abul. ibi quæst. 5. Quod erat ex defectu confidentiæ ipsorum, nam si ipsi confiderent in Domino, poterant sperare, quòd Deus contereret hostes coram facie ipsorum, nihil eis laborantibus: sic enim multoties accidit.

LITERAL. Abul.

6 *Abscondérunt se in spelunciis.* Gregor. suprà. Quia quinque sensus corporis à reproborum imitatione custodiunt, quinque etiam latibulorum genera describuntur. Speluncæ scilicet, abdita, petra, antra, & cisternæ. Speluncæ verò montium occulta sunt, quia verò alta in cœlestium desiderio sunt corda Sanctorum; & malignis spiritibus clausa, & inaccessibilia sunt. Speluncas ergo ingredimur quando ad mentium secreta recurrimus, ne vagantibus oculis foris concupiscenda videamus. In abditis abscondimur, quando clausi oris silentia occulta seruamus. Petras ascendimus, quando actum corporis in robusta operatione locamus. Antra, & cisternas intramus, quando & olfactum ab obscœnitatibus mundi, & aures ab audiendis vaniloquiis custodimus; cisternæ namque aquarum sanctarum Scripturarum verba sunt. In cisternis ergo abscondimur, quando ad sacri eloquij aquas ingredimur, vt per aurium officium mentium prata rigemus.

MYSTIC. Gregor.

7 *Abscondérunt se in spelunciis.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. aliàs 6. Vbi certò compertum est maximum esse hostium numerum, metus omnes Saulis subditos occupar, & pars in speluncas, ac loca subterranea se abdunt; plures verò vltra Iordanem fugiunt.

HISTOR. Ioseph.

8 *Abscondérunt se in spelunciis.* Beda lib. 2. exposit. Allegor. cap. 6. Cùm viderent fideles antiqui hostis insidias, præsidia mox necesse est lectionum spiritualium, ieiuniorum, eleemosinarum, orationum, cæterarúmque virtutum, quibus defendantur, adeant, abscondantúrque in eis *à contradictione linguarum, vt pater, qui videt in abscondito*, misereatur, & adiuuet.

MYSTIC. TROPOL. Beda. *Arma contra tentationes.*

9 *Abscondérunt se in spelunciis.* Petrus Berchorius lib. 9. Moral. cap. 9. Reuera filij Israël, ideſt Christiani ita hodie per istos hostes spirituales diuersis tentationibus impugnantur, quòd quidam eis consentientes ad eos transfugiunt: alij per auaritiam in cauernis terræ, & in bonis temporalibus se abscondunt, ita quòd in die belli, & tentationis cum Christo Rege pauci remaneant. Psalm. 77. *Filij Ephrem intendéntes arcum, conuersi sunt in die belli.*

TROPOL. Berchor.

Psalm. 77.

10 *Abscondérunt se in spelunciis.* Abul. ibi q. 5. Hìc ponitur quòd Iudæi diffidentes ac deficientes prætimore, aliqui fugiebant, scilicet, quorum terra erat propinqua terræ Philisthinorum, & abscondebant se, vt patet hìc; & quidam in speluncis, scilicet in locis obscuris, & magnis terræ, quæ non possent inueniri à Philisthinis: alij autem in abditis, scilicet in locis secretis tam vrbium, quàm domorum, quæ non sunt speluncæ magnæ, sed quædam alia receptacula: alij autem abscondebant se in petris, scilicet in foraminibus, vel fixuris petrarum; sunt enim quidam lapides concaui, vel diuisi, & in locis illis ad latendum adminiculum præstatur. Alij autem erant in antris, quæ sunt loca defossa in terra, & vocantur cauernæ. Alij autem erant in cisternis, & in puteis, & in quibuscumque latibulis, quoniam nullum sibi remedium superesse putabant, nisi latère à facie tantæ multitudinis.

LITERAL. Abul.

11 *Abscondérunt se in spelunciis.* Carthusian. ibi art. 26. Sic aliqui Christiani cernentes se vndique à Diabolo, mundo, & carne tentari, in foramine petræ, in fossa, humo, ideſt in Christi vulneribus, & in Dominicæ passionis memoria salubriter se occultánt, & in proprio humiliationis profundo se celant, atque in tantum parui pendunt, & quasi nihil se reputant, quòd à Dæmonibus nequeunt tangi.

MYSTIC. Carthus. *Arma contra tentationes.*

12 *Abscondérunt se in spelunciis.* Franc. Mend. ibi §. 4. Dubitabis an hic timor Hebræorum à prudentia, an potiùs à diffidentia regeretur. Dicet aliquis à prudentia: quia cùm aperte iudicarent se esse in congrediendo impares, nec aliam periculi effugiendi rationem inuenirent, prudenter sibi latitando consulebant. Et propterea fortasse dicet appellatos *viros Israël*; vt significarentur abscondendo se, à virorum nomine, ac virtute non degenerasse. Neque desunt exempla, quibus id prudenter factum confirmetur, vt patet in Dauide 1. *Reg.* 22. 1. & *cap.* 24. 4. *&c.* Nihilominùs Abulensis non immeritò mihi videtur eorum diffidentiam taxare. Nam inconsulto Saule, & Samuële, quorum auspiciis non ita pridem experti fuerant res bellicas feliciter processisse, non debuerunt tam citò de victoria desperare.

LITERAL. Mend.

1. Reg. 22. 1. Abul.

13 *Abscondérunt se in spelunciis.* Ioann. Euseb. 6. Stromat. cap. 7. Sic languet citissimè audacia, quam aliena fortitudo dedit: qui ausi fuère virtute amica, timent vehementiùs hostilem. Nec tanta timoris diligentia tuti sub terra credebantur, nam vbi semel metus occupat hominem, confingit in ipsa securitate pericula. Transmigrauère Iordanem, vt intercedentibus aquis munirentur, qui muris, licet terra, & saxa fuissent, non se putabant securos. Ideò præ timore exanimes, vt sepulti paurent, exulare maluerunt in terram Gad, & Galaad, quàm timere in patria.

LITERAL. Ioann. Euseb.

VERSVS VII.

VVlgata. Hebræi autem transierunt Iordanem in terram Gad, & Galaad. Cúmque adhuc esset Saul in Galgala, vniuersus populus perterritus est, qui sequebatur eum.

Vulgat.

VERSIONES.

Hebr. ex Xante Pagn. Hebræi autem transierunt Iarden in terram Ghad, & Ghilhad: Saul autem adhuc erat in Ghilghal, & omnis populus moti sunt post eum.

Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Porro trans Iordanes traiecerunt Iordanem in terram Gad, & Gilead. Saul autem adhuc erat in Gilgal: omnisque populus secutus eum, territus est.

Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et Iehudæi transierunt Iordanem ad terram Gad, & Gilghad: & Saul vsque huc in Gilgala, & omnis populus congregati sunt post illum.

Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et transeuntes transierunt Iordanem in terram Gad, & Galaad; & Saul adhuc erat in Galgalis, & vniuersus populus perterriti sunt post eum.

Complut. Regia.

Græc. ex Septuagint. in Sixtia. Et transitores transeuntes Iordanem in terram Gad, & Galaad; & Saul adhuc erat in Galgalis, & vniuersus populus expauit post eum.

Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Hieron.

1 *Hebræi autem transierunt Iordanem.* Hier. vel potiùs Author Tradit. Hebraicar. in lib. Reg. tom. 3. Si se abscondit Israël in præfatis locis, quid est, quod ait: *Hebræi autem transierunt Iordanem?* Absconsis enim quibusdam Israëlitis, qui Saul & populum, qui cum eo erat, reliquerant, quædam pars eorum, qui Hebræi vocantur, timore perterriti defecerunt à Saul, & ab illis, qui cum eo erant, & descenderunt in castra Philisthiim, quem locum ad intelligendum clariùs, & manifestiùs sequentia demonstrant, in eo loco, vbi ait: *Sed & Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim ab heri & nudius-tertius, ascenderántque cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cum Israel, qui erant cum Saul, & Ionatham.*

LITERAL. MYSTIC. TROPOL. Greg.

2 *Hebræi autem transierunt Iordanem.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 3. Hoc profectò si prius iuxta litteram scire volumus, Hebræi isti & timore perterriti, & ad hostes suos confugisse sentiuntur. Nam non multo post *cap.* 14. in aperta Ionathæ victoria scribitur: *Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim heri, & nudius-tertius, ascenderúntque cum eis in castra, reuersi sunt, vt essent cum Israel.* Quid verò in hoc facto significatur, nisi quòd quotidie in sancta Ecclesia fieri cernimus bonorum esse tutam, & cautissimam vitam: negligentium præcipitem impatientiam. Infirmi quidem & audaces sunt: curiosi ad actiones sæculi, debiles ad tolerandum bellum tentationis. Et si in his nostra discutimus, in Monasteriis plerique tales inueniuntur; intra portus quidem tranquilla inhabitant, sed aperti pelagi procellas, & tempestatum turbines nequaquam pensant. Cúmque foris quasi fortes agere se magna æstimant, ad grauissima tentationum prælia faciles exeunt: ad fortes aduersarios imporentes, ratione quidem improuidi, robore infirmi.

MYSTIC. Idem.

3 *Transierunt Iordanem.* Idem ibidem. Iordanem transeunt, quia ad perpetranda carnis flagitia incurruantur. Iordanis quidem *descensus eorum* interpretatur. Qui ergo iustitiam deserunt, ab alto monte virtutum cadunt; Quia ergo infirmi quique libenter appetunt mundi blandimenta, quæ cernunt, in eorum typo Hebræi non trans Iordanem perlati, sed Iordanem transire perhibentur. Transire quidem volentis est, Iordanem itaque transeunt, qui ad carnales delectationes voluntariâ, & festinâ deliberatione flecturitur. Possunt etiam intelligi Iordanem transire, qui nouiter peccare incipiunt, sed aliorum peccatorum hominum nequitias, peccando, transcendunt. Ad descensum quippe eorum desinendo, non transiendo pertingerent, si aliis æqualia mala facerent, & non ea audendo superarent.

HISTOR. Ioseph.

4 *Transierunt Iordanem.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. aliàs 6. Plures vltra Iordanem fugiunt, quæ regio à Gadis, & Rubeli Tribubus tenebatur.

LITERAL. Comest.

5 *Hebræi autem transierunt Iordanem.* Comest. in Histor. Schol. cap. 12. Quidam erant in Israël sic appropriato vocabulo dicti, qui præ timore dicuntur descendisse in castra Philisthiim ad obsequendum eis. *Eadem verba habet* Nauclerus.

Naucler.

LITERAL. Lira.

6 *Hebræi autem transierunt Iordanem.* Lira. ibi. Alij transierunt Iordanem, qui est in parte Orientali terræ Promissionis. Terra autem Philisthinorum, vnde venichant super filios Israel, erat in parte oppolita, scilicet Occidentali, quia super mare Mediterraneum, quod est terminus terræ Promissionis à parte Occidentis, & ideò Hebræi fugientes transibant Iordanem, tum vt fugerent ad partem oppositam: tum, quia tenebant quòd Philisthiim non transirent Iordanem, eos insequendo.

LITERAL. Abul.

7 *Hebræi autem transierunt Iordanem.* Abul. ibi. quæst. 5. Id est quidam de Hebræis, scilicet illi, qui erant de Tribu Ruben & Gad, & dimidia Tribu Manasse, nam isti habebant habitationem distinctiorem à terra Philisthinorum, quàm omnes alij Hebræi, cùm habitarent ad Orientalem partem Iordanis in terra duorum Regum Amorrhæorum. Isti enim transierunt Iordanem, scilicet fugiendo, quia sic recedebant à Philisthinis, nam terra eorum est magis distans à terra Philisthinorum, quàm Galgala.

LITERAL. Hugo Vict.

8 *Hebræi autem transierunt Iordanem.* Hugo Vict. in Alleg. Populus, qui erat cum Saüle afflictus est, & descenderunt Hebræi in castra Philisthinorum.

LITERAL. Carthus.

9 *Hebræi autem transierunt Iordanem.* Carthus. ibidem. art. 25. Vt aliqui scribunt ideò dicebantur Hebræi, quia frequenter transibant Iordanem. Nam Heber interpretatur *victor*, seu *transiens*, inde Hebræi, quasi transeuntes. Veruntamen hi Hebræi videntur potiùs à Philisthinis fugisse, quàm ad ipsos confugisse, quia Iordanis erat à plaga Orientali, respectu terræ promissionis, terra autem Philisthinorum à parte occidentali.

LITERAL. Mendoza. Hieron. Rabban. Lira. Caiet. Vatab. Abul.

10 *Hebræi autem transierunt Iordanem.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Particula aduersatiua *autem* videtur hos ab illis discriminare; solo igitur nomine dicuntur Hebræi. Nihilominùs potiùs dicendum cum Iosepho, Hieronymo Rabbano, Liran. Caietanus, Vatabl. & Abul. hos fuisse non solùm nomine, sed etiam natione Hebræos. Vnde etiam Chaldæus transfert: *Et Iudæi transierunt.* Ratio sufficit negatiua, quia nulla ratio nos cogit, vt Hebræos pro externis, & non Israëlitis interpretemur. Nam aduersatiua *autem* discrimen non nationale, sed numericum constituit.

LITERAL. Rangol.

11 *Hebræi autem transierunt Iordanem.* Rangol. ibid. Porrò fugientes is mihi fluuius accusare visus est, cùm ratibus aut vado transmittendus esset, qui olim conscius diuini consilij, cum eos Deus in possessionem mitteret terræ promissæ, cessérat, & collectis aquis iter siccum præbuerat, nunc verò fugam exprobrat, & vndarum ripariúmque manifesto murmure diffidentiæ, ac timiditatis increpat.

LITERAL. Sanctius.

12 *Hebræi autem transierunt Iordanem.* Gaspar Sanct. ibid. num. 34. Omnes quotquot erant cum Saüle, Hebræi erant; neque omnes transiêre Iordanem, cùm eorum aliqui latuissent in latebris, montiúmque cauernis; alij aliò, provt se commodior ostendebat ad salutem via, dilaberentur; cut qui transmisso Iordane ad Gad, atque Galaad sese fuga corripuêre, *Hebræi* dicantur, explorandum est. Cùm Hebræi sic appellati sint, quasi transeuntes, vel quia ex Abrahamo prognati, qui transmisso Euphrate migrauit in Chananæum solum, vel quia mare traiecerunt rubrum, aut aliquandiu post Iordanem vtrumque sicco alueo; nunc iuxta nomen suum traiecisse iterùm dicuntur Iordanem, & in regiones trans Iordanidas excellisse, quasi in ea fuga verè fuerint Hebræi, & id reipsa præstiterint, quod Hebræorum nomen portendit, & sonat. Propter hoc existimo cùm omnes Hebræi fuerint, hos speciatim Hebræos nominari, quia fluuio transmisso salutem sibi longiori fuga quæsierunt.

13 *Hebræi*

LITERAL. Author Catenæ. Hier. Gregor. Rabban. Comest. Angelom. Hugo. Vict. Naucler.

13 *Hebræi autem transierunt Iordanem.* Author Catenæ. Plures vt sunt Autor Tradit. Hebraicar. Rabban. Gregor. Comest. Angelom. Hugo Victor. Naucler. & alij, sic istam Hebræorum fugam accipiunt, vt ad hostes ipsos defectionem interpretentur. Quorum præcipuum fundamentum est, quod infrà cap. 14. 21. dicitur, nempe: *Sed & Hebræi, qui fuerant cum Philisthim heri & nudiustertius, ascenderántque cum eis in castris, reuersi sunt, vt essent cum Israël.* Cùm enim legant Hebræos fugisse, & iterum partâ victoriâ Hebræos ad suos refugisse, eosdem fuisse homines, & fugientes, & refugientes facilè credunt. Quorum tamen salua pace sententiam non sequar, nam & fundamentum eius firmum non est, & in contrarium vrget fortis ratio, ita vt potiùs ab hostibus lõgiùs fugisse, quàm ad eos commigrasse, credendum sit. Textus enim non solum eorum discessum, sed viæ, & consilij rationem & terminũ expressit, scilicet *in terrã Gad, & Galaad*; ast terra Gad & Galaad cùm sit orientalis respectu Palestinæ, quæ occidentalis est, recedit potiùs à Philisthinis, quàm approximatur, vt benè arguit Abulensis, ergo qui ab exercitu discedentes, qui erat in Galgala, ad terram Gad, & Galaad confugiunt, non ad hostes recurrunt, sed ab eis, quam longissimè possunt, discedunt. Dices cum Mendoza §. 3. transfugas forte simulatâ in regionem Gad viâ, vt suos fallerent, notis sibi ambagibus tandem ad Philisthinos remigrasse. Verùm hoc diuinare est, non sine malitia, absque sufficienti fundamento. Dicendum potiùs cum Lirano, Abul. Caietan. Carthus. & Mendoza ipso aliquot ex filiis Israël, quos à frequenti Iordanis transitu Hebræos specialiter dicebant, (Hebræus quippe transitorem sonat) metu perculsos ad propria transmeasse, scilicet ad regionem Gad, & Galaad, quæ eis olim obtigerat; erant enim eorum plures ex Tribu Ruben, & Gad, & ex dimidia Manasse, iuxta Abul. nusquam verò ad Philisthinos transfugisse. Cùm autem dicitur *cap. sequenti, vers.* 21. Hebræos, qui cum Philisthinis fuerant, transisse ad Israël, de iis exponendum est, vel qui cùm essent fabri ferrarij à Philisthinis extracti fuerant; vel potiùs aliis, qui propter facinora, quæ commiserant, vel propter contingentes casus, & opportunitates, ad eos, vt ibi morarentur, aliquando transmigrauerant; sæpe enim contingit, vt Galli, & Lusitani, & aliæ similes gentes apud nos, quibuscum bellum gerimus; ipso etiam belli tempore pacificè commorentur.

Mendoza.

Abul. Caietan. Carth. Mendoza.

LITERAL. Abul.

14 *Cúmque adhuc esset Saul in Galgala.* Abul. ibi. quæst. 5. Ideò antequam inciperetur aliquod bellum, nequedum venissent Israëlitæ ad videndum Philisthinos, sed cùm essent in Galgala, timuerunt nimis, ita vt fugerent, nec voluerunt consistere etiamsi hortaretur istud Saül; nec etiam poterat eos per iussionem suam tenere in castris.

LITERAL. Vatab.

15 *Cúmque adhuc esset Saul in Galgala, &c.* Vatab. in Schol. A tempore scilicet innouationis Regni. Omnis populus trepidans secutus est eum, ideò cum magna trepidatione recepit se se ad illũ.

LITERAL. Caietan.

16 *Cúmque adhuc esset Saul in Galgala, &c.* Caietan. ibid. Quamuis priùs descripta fuerit sparsio populi sequentis Saülem, non tamen fuit priùs dispersio populi, quàm fuerit res, quæ subiungitur gesta, sed (vt subiuncta testantur) Saül existente in Galgalis, & expectante Samuelem, prænarrata sparsio populi facta est.

LITERAL. Mendoz. *Saulis laut.*

17 *Cúmque adhuc esset Saul in Galgala, &c.* Franciscus Mendoza ibidem §. 4. Emphaticum est illud: *Cúmque adhuc esset Saul in Galgala, &c.* Vt ostendatur non Saül, sed populus, suo officio defuisse. Non Saül: quia in loco, in quo Samuël stare præceperat, constitebat: populus verò, quia ne ipsius quidem præsentiâ Regis animatus retineri poterat, quin huc illuc territus dilaberetur. Quòd si Rege strenuè constitente populus deficiebat; quid si Rex ipse tutiora capesseret, aut aliquod timoris signum exhiberet?

Regũ exemplum.

LITERAL. MORAL. Vermil.

18 *Vniuersus populus perterritus est.* Petrus Vermil. Hæretic. in Comment. Causa timoris videtur fuisse duplex; & quòd tanta esset multitudo hostium, & quòd ipsi essent exarmati à Palæsthinis. Hic videre potuit populus vanitatem consilij sui. Volebat habere Principem sub quo securè, ac tranquillè ageret; atqui hoc nullus Rex præstare potest; immo Propheta ait: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.*

HISTOR. Sabellic.

19 *Vniuersus populus perterritus est, qui sequebatur eum.* Sabellic. Enead. 1. lib. 7. Nec Saülus in tanto rerum motu defecit, quin & ipse ad instaurãdum bellum conuersus, vndique auxilia contrahit. Sed Philisthæi, qui priores belli partes occuparant, omnium opinione celeriùs tumultuosè circa vrbem Machmam confederant. Quibus copiis inspectis tanto sunt terrore perculsi, qui erant circa Regem, vt eorum plerique altiores specus metu subierint: alij trans Iordanem occulta fugâ se se proripuerint. Hunc suorum metum cum Saul maiorem esse cerneret, quàm pro autoritate sisti possit, mittit qui celeri curiu Samuëli nuntiarent in quo discrimine Israëlitica res esset: actum dicerent non modo de Regno, sed de totius gentis statu, nisi diuino res semel inclinata præsidio sisteretur.

VERSVS VIII.

Vulgata.

Vulgata. Et expectauit septem diebus iuxta placitum Samuelis, & non venit Samuël in Galgala, dilapsúsque est populus ab eo.

Benedict.

Benedict. in margin. Et expectauit iuxtà tempus, quod constituerat Samuel septem diebus.

Glossa.

Text. Gloss. in margine. Et expectauit septem diebus secundum tempus, quod dixerat Samuel.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagn. Et expectauit septem dies secundùm tempus, quod dixerat Semuel, & non venit Semuel in Ghilghal, & dispersus est populus ab eo.

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Et expectauit septem dies vsque ad tempus constitutum à Samuele: sed non venit Samuel in Gilgal, defluxítque populus ab eo.

Arias.

Chaldaica ex Benedict. Arias. in Regia. Et produxit septem dies post tempus quod dixit Semuel, & non venit Semuel in Gilgala, & dispersus est populus desuper eum.

Complut. Regia.

Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et distulit septem dies testimonio, vt dixit Samuel, & non venit Samuel in Galgala, & dispersus est populus eius ab eo.

Sixtia.

Græc. ex Septuagint. in Sixtia. Et distulit septem dies testimonio, sicut dixerat Samuel, & non adueniebat Samuel in Galgala, & dispersus est populus eius ab eo.

Vatab.

Vatab. in Schol. Cùm autem non veniret Samuel in Gilgal, dilapsus est populus ab eo.

Aquila. *Aquila apud Flamin.* Et expectauit septem dies ad constitutionem Samuel.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Gregor. 1 *Et expectauit septem diebus.* Gregor. lib.5. Variar.cap.3. Vbi Saül ceciderit, attentè considerandum est. Superiùs namque ei dixerat Samuël: *Descendes ante me in Galgala, &c.* cap.10. vers.8. Ideircò igitur per inobedientiam cecidit, quia integris septem diebus, sicut iussus fuerat, non expectauit. Nam in eodem loco repente subiungitur: *Cúmque complesset, offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat*; quo in loco trementi corde considerandum est, quam breuissimi temporis expectatione neglecta repulsus sit.

Moral. *Obedientia exactè seruanda.*

Histor. Ioseph. 2 *Et expectauit septem diebus.* Ioseph.lib.6. Antiquitat.cap.7. aliàs 6. Saülus autem accersit Prophetam, vt de communi consilio res gerat. Ille renuntiat debere eum eodem loco manentem comparare victimas; se enim post septem dies venturum, vt immolatis sabbatho victimis, cum hoste prælio decernatur. At ille expectauit quidem quantum Propheta iusserat, sed non per omnia fuit obediens. Cùm enim cunctari Prophetam cerneret, & se paulatim à militibus deseri, victimas ad Altare obtulit.

Literal. Abul. 3 *Et expectauit septem diebus.* Abul. ibidem. quæst.8. Secunda expositio erat Andreæ, scilicet, quòd expectaturus esset septem dies ad hoc, quòd veniret Samuel, & ostenderet ei quæ facturus esset.

Andreas. Secundùm istam expositionem dicit Andreas, quòd Saül peccauit in hoc, quia non expectauit Samuelem septem diebus, sed solùm sex, nam debebat expectare Saül Samuelem septem diebus, postquam recepisset eius nuntium. Itaque illa dies, in qua Samuel recepisset nuntium, non erat de numero septem dierum expectationis Saulis. Ista expositio satis conueniens est.

Literal. Carthus. *Saul non sacerdos sacrificat.* 4 *Et expectauit septem diebus.* Carthus. ibidem art.25. Peccauit in hoc, quòd non expectauit septem integros dies; & item quòd sacerdotale absumpsit officium, sicut Ochozias Rex Israel, quibus duobus excelsibus adiecit & tertium, excusando seipsum.

Literal. Serar. 5 *Et expectauit septem diebus.* Serar. in Comment. Saül præ metu præpropere sacrificauit, matutino scilicet tempore diei huius septimi, quod dum facit, interuenit Samuel, & eum grauissimè obiurgat, quò totum istum diem septimum non expectarit, hocque peccatum esse principium ruinæ regni ipsius, maxime quoad posteros.

Histor. Seuer. *Saul sacrificauit.* 6 *Iuxta placitum Samuelis.* Seuer. Sulpit.lib.1. Histor. Sacræ. Cùm per septem dies Samuelem oppertus esset, vt sacrificium Domino fieret, tardante illo cùm populus dilaberetur, illicita præsumptione Rex ad vicem Sacerdotis holocaustum obtulit, multúmque à Samuele increpitus.

Literal. Theodor. 7 *Iuxta placitum Samuelis.* Theodoret. ibidem. quæst.29. Denunciauit Samuel Saüli, vt eum expectaret sex dies, & deinde cùm ritè sacrificasset, ac litasset, instrueret aciem; Saül autem cùm vidisset congregatos alienigenas, non expectauit Prophetam, vt præceperat. Vnde cum eum sacrificantem deprehendisset Propheta, vehementer eum increpauit, & ei prædixit Regni priuationem.

Literal. Procop. 8 *Iuxta placitum Samuelis.* Procop. ibi. Samuel Saüli præceperat, vt septem diebus ipsum expectaret; eumque sacrificiis ritè peractis, ordines instrueret. At ille cùm vidisset Palæstinorum copias collectas esse, non expectauit Prophetam, quemadmodùm præceperat; quare reiectio ei nuntiatur.

Literal. Comest. 9 *Iuxta placitum Samuelis.* Comest. in Histor. Schol.cap.12. Dici potest Samuelem sic mandasse, vt cùm vellet Saül immolare, ad consulendum Dominum citaret ipsum, vt ostenderet ei quid facturus esset, & post citationem, si moram faceret, expectaret eum septem diebus: Saül verò diem citationis annumerauit in his septem, & non expectauit eum, nisi sex diebus.

Literal. Lira. 10 *Iuxta placitum Samuelis.* Liran. ibi. Benè dicitur *iuxta placitum*, quia non totaliter, & completè expectauit, vt videbitur postea.

Literal. Abul. 11 *Iuxta placitum Samuelis.* Abul. ibi. quæst.5. Accipitur hìc placitum, idest pactum, vel conuentio; erat enim conuentum inter Samuelem, & Saülem, quòd expectaret Saül septem diebus Samuelem in Galgala *suprà cap.* 10. Et illis diebus expectauit, scilicet quod quanquam haberet exercitum paratum ad pugnandum, tamen non ibat ad bellum, quia expectabat Samuelem.

Literal. Idem. 12 *Iuxta placitum Samuelis.* Idem ibidem. quæst.7. Peccatum fecit, quia non expectauit completè illis septem diebus, nam debebat expectare toto septimo die, quoad vsque transiret hora Sacrificiorum, sed non expectauit, nam Samuel venit tempore debito, & Saül iam compleuerat Sacrificium suum, vt patet infrà in littera.

Literal. Caietan. 13 *Iuxta placitum Samuelis.* Caietan. ibi. Aduerte quòd si hic ad litteram commemoratur dictum Samuelis *cap.*10. oportet consequenter fateri, quòd illud mandatum fuerit mandatum generale, nam res hæc, quæ modò narratur gesta in Galgalis, gesta est post biennium à regno Saülis, vt patet ex eo quòd modò in hac re Saül peccauit, ita vt mereretur reiici à regno: per biennium autem sine crimine regnauit.

Literal. Sanct. 14 *Iuxta placitum Samuelis.* Gaspar. Sanctius ibid.num.35. Iam ante præuiderat Samuel venturum Saülem in Galgala, quo tempore omnes ditionis suæ vires contra nouum Regem armarent Philisthæi; aut certè quod *cap.*10. potius notabamus, monuit vt in Galgala secederet, ibíque expectaret septem dies, vt propitiato Domino ab ipso disceret, quid facto opus esset.

Literal. Author Catenæ. Andreas. Abul. 15 *Iuxta placitum Samuelis.* Author Catenæ. In his ad mandatum Samuelis Saüli intimatum *cap.*10. *vers.*7 alludum esse quis neget? Vide quæ ibi diximus. Septem igitur dies integros debuerat ex hoc Samuelis præcepto Saül eius aduentum præstolari; quod ille minime præstitit, vel quia diem ipsum, quo ad eum nuntium misit, computauit, vt credidit Andreas apud Abulensem; vel quòd ante Solis occasum sacrificauit, cùm Samuelis aduentui adhuc locus esset; quod mihi potiùs probatur.

Tropol. Mend. *Principis absentia pernitiosa.* 16 *Et non venit Samuel in Galgala.* Francisc. Mendoza ibi.§.3. Obserua quàm sit pernicioſa populo diuturna Principis absentia, siquidem hæc Samuelis mora nec diuturna quidem, sed solùm horaria tantum attulit Sauli detrimentum.

Literal. Abul. 17 *Dilapsúsque est populus ab eo.* Abulens. ibid. quæst.8. Cùm manserunt in Galgala expectantes diebus septem, quotidie insidebat populo maior timor ex propinquitate Philisthinorum: & quia audiebant semper terribilia de eis, ideò fugiebant continuò viri à Saüle, ita vt in fine septem dierum solùm sexcenti viri inuenti fuerint cum eo.

VERSVS IX.

Vulgata. *Vulgata.* Ait ergo Saul, Afferte mihi holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Dixitque Saül: Afferte ad me holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et dixit Saül: Afferte ad me holocaustum, & pacifica Sacrificia. Et sacrificauit holocaustum.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit Saul: Afferte ad me holocausta, & oblationem sanctitatis, & ascendere faciam holocausta.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagin. in Complut. & Regia.* Et ait Saul: Afferte, vt faciam holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtiana.* Et dixit Saul: adducite, vt faciam holocaustosim, & pacifica. Et obtulit holocaustosim.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Afferte mihi holocaustum, & pacifica.* Abul. ibid. quæst. 9. Saul obtulit hic illa duo genera Sacrificij, scilicet holocaustum, vt Deum laudaret: hostiam verò pacificam, vt Deum placatum sibi redderet ab victoriam impetrandam: Sacrificium autem pro peccato non obtulit, quia illud non conueniebat ei pro tunc; offeretur enim istud, cùm quis peccauit.

Literal. Moral. Ignatius. *Sacerdoti reuerentia quanta.* 2 *Et obtulit holocaustum.* S. Ignatius Epist. ad Manesiam. Saül dignitatis honore priuatus est, quòd non expectasset Samuëlem Principem Sacerdotum. Oportet igitur & vos reuereri Superiores.

Literal. S. Clem. Roman. 3 *Et obtulit holocaustum.* S. Clemens Roman. lib. 2. Constit. Apostolicar. cap. 31. Si quis sine Episcopo faciat aliquid, frustra illud facit, non enim in opus ipsi imputabitur. Vt enim Saul cùm sine Samuele obtulisset, audiuit, *Quoniam frustra fecisti*: si Laicus omnis sine Sacerdote perficiens aliquid, frustra facit.

Literal. Areop. 4 *Et obtulit holocaustum.* Dionys. Areopag. epist. ad Demophil. Si quis gentis præfecturam non sibi à Rege mandaram attentat, iure in eum animadverteretur, quamuis æqua statuerit. Quid verò absurdius Ozias facit, cùm odores Deo incendit? Quid Saul cùm Sacrificium fecit.

Literal. Tertull. 5 *Et obtulit holocaustum.* Tertul. lib. 2. contra Matt. c. 23. Adlegitur Saul, sed nondum detpector Prophetæ Samuelis.

Histor. Ioseph. 6 *Et obtulit holocaustum.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 7. aliàs 6. Cùm cunctari Prophetam cerneret, & se paulatim à militibus deseri, victimas ad Altare obtulit.

Literal. Rabbi Leui. 7 *Et obtulit holocaustum.* Rabbi Leui. Saul istis Sacrificiis elicere voluit spiritum Prophetiæ, vt ipse sibi esset Propheta, & sine Samuele intelligeret voluntatem Dei.

Literal. Angelom. *Rex contra obedientiam nulla.* 8 *Et obtulit holocaustum.* Angelom. in Stromatib. cap. 13. Meritò culpatur, & stultitiæ elogio denotatur indiscreta Saulis oblatio ob hoc, quòd obedientiæ præceptum præuaricatus est, & à Deo accepta non est. Quia enim Prophetæ præceptum parùm perpendit, Deum, qui loquebatur in Propheta, contemptit, dicente Domino: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. Luc. 10.

Literal. Rupert. 9 *Et obtulit holocaustum.* Rupert. lib. 2. Comment. in Apocalyps. circa init. Ab hac humilitate Saul excidit, quando contra legem holocaustum obtulit, cùm non esset Sacerdos de stirpe Aaron, sed homo de Tribu Benjamin.

Literal. idem. *Saulis peccatum in sacrificando.* 10 *Et obtulit holocaustum.* Idem. lib. 1. Comment. in Reg. cap. 20. Homo non de Tribu Leui, sed de tribu Benjamin regio fastu nihil sibi non licere arbitratus; *Afferte*, ait, *mihi holocaustum.* Hoc nimis grande fuit Regis supercilium dignè superno iudicio feriendum. Quid enim tale fecit Ozias Danidici generis de tribu Iuda? Tantum ingressus templum Domini adolere voluit incensum Domini super Altare thymiamatis, at verò statim cœlestis vltio superbiam eius loco competenti percussit. Orta est enim lepra in fronte eius in domo Domini coram Sacerdotibus; vnde & leprosus vsque ad diem mortis suæ habitauit secundùm legem leprosi in domo separata, plenus lepra, ob quam electus erat de domo Domini. Quanto magis iste proiiciendus fuit, qui totum sibi Sacerdotis officium vsurpauit?

Chrysol. 11 *Et obtulit holocaustum.* Chrysol. Serm. 109. tremens regali vertice dum putat sibi, & de Sacerdotio quid licere, regnum quod acceperat Altaris temerator amisit.

Literal. Beda. 12 *Et obtulit holocaustum.* Beda lib. 2. Exposit. Allegor. cap. 7. Auxit Saül peccatum non solùm de promissis Prophetæ titubando, sed etiam ipse holocaustum, quod Sacerdotem decebat, offerendo.

Literal. Lira. 13 *Et obtulit holocaustum.* Liran. ibi Peccauit, quia officium sibi illicitum, scilicet offerendi per se ipsum, vsurpauit, quod est graue peccatum. Quod paret ex hoc, quòd Rex Ozias volens offerre incensum, quod non pertinebat ad Regis officium, percussus sit leprâ à Domino. 2. *Paralip.* 26. 2. Paral. 26

Literal. Abul. 14 *Et obtulit holocaustum.* Abulens. ibid. q. 10. Non obtulit per se, quia si per se obtulisset, Deus inflixisset ei magnam pœnam, tanquam transgredienti legem Dei, & vsurpanti officium alienum, sicut factum est in Rege Ozia. Item si per seipsum obtulisset, cùm istud esset maius peccatum, quàm quòd non expectauerit Samuëlem, quando Samuël increparet eum, Saül excusaret se de hoc; sed nullo modo se excusauit, nisi de hoc, quòd ante tempus obtulerit. Item si per se obtulisset; Samuël magis increpasset eum de hoc, quàm quòd non expectasset eum diebus septem: tamen non increpuit, nisi solùm quòd non expectauit. Item nulla erat ratio, vel occasio, quæ impelleret Saulem ad offerendum per seipsum; habebat enim multos Sacerdotes secum in castris, & non solùm Sacerdotes, sed etiam Arcam, vt patet sequenti capite.

Literal. Idem. 15 *Et obtulit holocaustum.* Idem ibidem. Scilicet Saul obtulit intelligendo offerre, idest præsentare Sacerdoti ad offerendum Altari. Vel obtulit, idest fecit cæremonias Sacrificij; non quidem, quòd ipse eas perfecerit; sed fecit, quòd alius pro eo ageret.

Literal. Caietan. *Saul non per se obtulit.* 16 *Et obtulit holocaustum.* Caietan. ibid. Intellige iuxta solitum loquendi morem in Scriptura, quòd Saul obtulit holocaustum, non vt Sacerdos sed vt Laicus. Nam & de Helcana patre Samuëlis scriptū est in primo huius libri capitulo, quòd Helcana immolauit, & tamen non intelligitur, quòd Sacerdotis officium vsurpauerit, sed quòd immolauerit vt Laicus; & de Salomone scriptum est, quòd obtulit super Altare in holocaustum mille

hostias

hostias. 3. *Reg.* 3. & tamen non intelligitur, quòd
3 Reg. 3. obtulerit, vt Sacerdos, sed vt Laicus.

Literal. Mendoza. 17 *Et obtulit holocaustum.* Franc. Mend. ibi. §. 4. Vnum mihi certum; non constare ex Scriptura, quòd Saül Sacerdotis officium vsurparit: & quoad hoc huic posteriori explicationi subscribo. Quamuis si effrænata Saülis licentia, & temeritas spectetur; prior illa explicatio sua carere probabilitate non videatur. Sed demus non sacrificasse per se: adhuc nihilominùs peccauit sacrificando per alios, quia Samuël præceperat, vt expectaret septem diebus, & ad sacrificandum, & ad discendum, quid facto opus foret. Quod præceptum tripliciter violari poterat, aut recedendo ab eo loco, aut offerendo Sacrificium, aut certum aliquod decretum circa illud bellum statuendo ante completos dies, & aduentum Samuelis.

Literal. Adric. 18 *Et obtulit holocaustum.* Adricom. in Chronica Anno mundi 2888. Rex ipse illicita præsumptione Sacerdotis vsurpans officium, offert holocaustum Deo.

Literal. Author Catenæ. 19 *Et obtulit holocaustum.* Author Catenæ. Quamuis non dicatur obtulisse nisi Sacrificium, hostias quoque pacificas obtulisse subintelligendum est, sæpe enim vt suprà inculcauimus, Scriptura illa in particulari non exprimit, quæ iam antea aliquo modo significauerat. Non tamen ea per seipsum, sed per Sacerdotem, qui aderat, immolauit, iuxta probabiliorem sententiam, quam docent, & probant sufficienter Authores suprà relati Abul. Caietanus & alij.
Abul. Caiet.

VERSVS X.

Vulgat. *Vulgata.* Cúmque complesset offerens holocaustum: Ecce Samuel veniebat: & egressus est Saül obuiam ei, vt salutaret eum.

Benedict. *Benedict. in margine.* Obuiam ei, vt *benediceret ei.*

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Et fuit, cùm complesset offerre holocaustum: Ecce Semuel venit: & egressus est Saul in occursum eius ad salutandum eum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Cúmque iam confecisset holocausta. Samuël venit, & egressus est Saül ei obuiam, vt gratularetur aduentui eius.

Atiasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et fuit, cùm absoluisset ille offerre holocaustum, ecce Semuel venit: & exiuit Saul ad occursum eius, vt rogaret in pace eius.

Complut. Regia. *Graca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et factum est, vt complenit offerens holocaustum, & ecce Samuel veniebat; & egressus est Saül in occursum Samuëli, vt benediceret ei.

Sixtia. *Grac. ex Septuagint. in Sixtian.* Et factum est, vt consummauit offerre holocaustosun, & Samuel aduenit. Et exiit Saül in occursum ei ad benedicendum eum.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Cúmque complesset holocaustum.* Abul. ibid. quæst. 10. Deo Cùm dicitur hîc de holocausto, intelligendum est etiam de hostia pacifica, scilicet, quia non solum completum erat holocaustum, sed totum Sacrificium.

Literal. Moral. Greg. 2 *Cúmque complesset holocaustum: ecce Samuel veniebat.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 3. Si ergo cum solo temporis breuissimo interuallo expectasset, quo obtulit holocaustum, securus iam regni sui robur obtinere potuisset. Itaque si tanta pœna est, quando Propheta despicitur, quid putamus de pelago illo diuinæ animaduersionis incurratur, cùm ipsa diuina præcepta dissipantur?

Moral. Idem. *Item expectandus.* 3 *Ecce Samuel veniebat.* Idem ibidem. Sic nimirùm, & cùm tentamur, diuina gratia iuxta est, quæ sustinentes adiuuet: iuxta & diuina iustitia, quæ deficientes damnet.

Literal. Abul. 4 *Ecce Samuel veniebat.* Abul. ibidem quæst. 10. Idest iam consummatum erat Sacrificium, & modicum tempus elapsum fuerat post hoc, & tunc venit Samuel. In quo est sensus, quòd Samuel venit in tempore debito, quia oblatio illa facta est in die septimo, in quo finiebatur tempus conuentum inter Saulem, & Samuelem. Supererat tamen adhuc tempus ad offerenda Sacrificia die illo, quia per totum diem poterant offerri vsque ad Solisoccasum, cùm incipit offerri Sacrificiũ vespertinum.

Literal. Sanctius. 5 *Ecce Samuel veniebat.* Gaspar Sanctius ibid. num. 36. Non distulit Samuel promissa: adfuit enim, antequam septimus clauderetur dies vixdum peracto Sacrificio; cui obuius cùm occurreret Saul, cúmque lætus de more salutasset, rogatus ab illo quid fecisset, rem totam simpliciter edocuit.

Histor. Sabelli. 6 *Ecce Samuel veniebat.* Sabellic. Eneade 1. lib. 7. Samuel trepidissimis excitus nuntiis, Regem suorum verbis hortatur, vt hosti in aduentum suum resisteret: adnixurum se, vt supra ætatis vires intra paucos dies adesset, vnáque de summa rei in castris ambo consulerent; pararet modò hostias, quas in aciem descensuri immolarent. Comparat studio Saulus quæ ad Sacrificium pertinebant; sed cùm omnium spe tardiùs Samuel veniret, hostias Aræ admouit, Sacrificioque vix bene perpetrato, alatum est Samuelem adesse, à quo ille obuiam progressus increpitus dicitur, quòd se non expectato, tam diuinam facere maturasset.

Histor. Ioseph. 7 *Et egressus est Saul obuiam ei.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 7. aliàs 6. Cùm nuntiatum esset Prophetam aduentare, honoris causâ obuiam ei prodiit.

Literal. Abul. 8 *Et egressus est Saul obuiam ei.* Abul. ibid. q. 10. Scilicet ad honorandum eum: erat enim Samuel honorabilis super omnes filios Israel, & Saul honorabat eum nimis, eo quòd ipse fecerat eum Regem.

Literal. Abul. 9 *Vt salutaret eum.* Idem ibidem. Forte exiuit obuiam ad salutandum, vt eum sibi placaret, nam cùm audiuit Saul, quòd veniret Samuel, timuit, quia putabat eum non euenturum, & ob hoc eo absente obtulerat: Nunc autem videbat eum venire tempore debito; ideò timuit, quòd increparet eum.

Literal. Author Catenæ. Rangol. 10 *Vt salutaret eum.* Author Catenæ. Vrbanitatis, & officij ergo obuius Samueli Saul exiit: tum quia eum satis obseruabat: tum quia credebat eum tanquam Prophetam, Deo reuelante facinus suum iam cognouisse; ideò vt se excusaret, & ne alius præueniret, occurrit. Probabilius tamen mihi prius est; est enim antiquũ, & familiare Regibus, ac Principibus, Sacerdotibus, (vt à pluribus Samuel creditur,) reuerentiam & honorem impendere, de quo fusiùs Deo dante dicemus tom. 2. ad cap. 22. v. 19. institutione Morali. Interim vide Rangolium in præsenti plura huius instituti eruditè congerentem.

VER

VERSVS XI.

Vulgata. *Vulgat.* Locutúsque est ad eum Samuel: Quid fecisti? Respondit Saul: Quia vidi, quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porrò Philisthiim congregati fuerant in Machmas.

Benedict. *Bened. in marg.* Et tu non veneras ad certum dierum tempus.

Glossa. *Text. Glossa in marg.* Et tu non veniebas ad tempus dierum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Dixítque Semuel; quid fecisti? Dixitque Saul: quia vidi quòd dispergebatur populus à me, & tu non veniebas ad tempus dierum; Peliſtim autem congregati erant in Michmas.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Samuel ergo ait: Quid fecisti? Respondit Saul; quandoquidem vidi, quod populus à me dilaberetur; nec tu venires ad tempus dierum, & quòd Palæstini congregati essent in Michmas.

Ariasm. *Chald. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit Semuel: Quid fecisti? Et dixit Saül: quia vidi quòd dispersus est populus de-super me; & tu non venisti ad tempus dierum, & Pelisthæi congregati sunt in Michmas.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Compl. & Regia.* Et dixit Samuel quid fecisti? Et dixit Saül, quia vidi quòd dilaberetur populus à me, & tu non veneras in testimonio dierum, vt constituisti, & Philisthim congregati fuerant in Machmas.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et dixit Samuel quid fecisti? Et dixit Saul: Quoniam vidi, quia dispersus erat populus à me, & tu non aduenieba s, sicut constitueras in testimonio dierum, & alienigenæ congregati erant in Machmas.

Author Catenæ. Gregor. Abul. *Autor Catenæ.* Alia plura Exemplaria, quæ sequuntur Gregorius, & Abulensis; habent: *Locutúsque est.*

PP. ET AVCTORES.

Literal. Mendoz. 1 *Locutusque est ad eum Samuel.* Franc. Mendoza ibi, §. 1. Processerat obuius Saul ad salutandum Samuelem, neque tamen dicitur salutasse, vel quia Prophetam ita sensit iratum, vt prior eum alloqui non auderet; vel quia Samuel præiusta ira totius moræ impatiens, salutationem obiurgatione præoccupauit, vel forte quia Scriptura, de more suo id, quod faciendum prædixerat, postea factum non exprimit, sed supponit.

Literal. Tropol. Gregor. *Peccator quam improbus?* Gen. 3. 2 *Quid fecisti?* Gregorius libr. 5. Variarum, cap. 3. Sciebat quidem Propheta quid fecerat; sed interrogando inobedientiæ factum reprobat. Vnde & ad peccantem Adam in Paradiso à Domino dicitur: *Adam vbi es.* Genes. 3. Potest etiam per hanc interrogationem magnitudo reatus intimari, ac si apertè dicat: Parum tibi videtur, quòd inobediendo deliqueris, sed à sublimi gloriæ tuæ culmine delinquendo cecidisti. Nonne ergo plerique intra sanctam Ecclesiam se flagitiis obruunt, & quasi qui nulla, aut minima perdant, securi sunt. Dicatur ergo lapso, dicatur: *Quid fecisti?* Parum tibi videtur, quòd te peccati sorde pollueris; quia quam æternitatis gloriam perdideris, quam gehennæ pœnam merueris, non attendis?

Histor. Ioseph. 3 *Quid fecisti?* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 7. aliàs 6. Samuel malè factum dixit, quòd neglectis suis mandatis, se absente, preces, & sacrificia, quæ Dei voluntate facienda erant, pro populo temerè occupasset. Saiilo verò excusante expectasse se ad statutum dierum numerum, sed cùm milites, audito hoste relicta Machma petere Galgala, metu se deserere nt, necessitate cogente properasse ad Sacrificium, &c.

Moral. Simon. 4 *Quid fecisti.* Simon de Cassia. lib. 5. cap. 13. Nec peccatum Dauid Prophetam potuit latere Nathan, qui per similitudinem ad eum reprehensurus aduenit: Et peccatum Saul factum est cognitum Samueli. Terreantur igitur hominum corda, quoniam Propheta magnus surrexit in nobis, quem latere nihil potest.

Literal. Author Caten. *Conscientia mille testes.* 5 *Quid fecisti?* Autor Catenæ. Mirum quidem ad hanc interrogationem commotum fuisse Saiilem, statimque de peccato se argui cognouisse, vt sedulus excusationem prætenderet. Mille quidem testibus conscientiæ testimonium præualet, quo inobediens Rex stimulatus culpam (necessitatis tamen colore fucatam) declarauit.

Literal. Greg. 6 *Quia vidi quod populus dilaberetur à me.* Greg. supra. Interrogatur quidem peccator, quid fecerit, vt ad cor per lamenta perducatur, vt magna se incurrisse sciat, & parum non doleat. Sed quia ex radice superbiæ ipsa culpa inobedientiæ nascitur, solent inobedientes reatus sui magnitudinem obiurgantibus doctoribus audire, sed non humiliter confitendo satisfacere. Nam cùm sublimes videri appetunt, lapsus suos ostendere dedignantur; & ideò excusationes proferunt, iustitiam prætendunt, quia apparere peccatores erubescunt.

Literal. Abul. 7 *Quia vidi quòd populus dilaberetur à me.* Abul. ibi. q. 10. Incipit Saul se excusare; vidit enim quòd Samuel venerat, quem iam non expectabat venturum, ideò credidit se malè egisse offerendo. Etiam vidit Samuelem in verbis suis durum, tanquam iam increpantem eum pro peccato. Dicit: *Vidi quòd dilaberetur populus à me*, ideſt ferè totus populus recesserat, ita vt de toto Israele, qui conuenerat, soli sexcenti relicti essent, qui & breuiter recessuri erant, nisi Saul offerret holocaustum, & inde castra moueret, ideò obtulit.

Literal. Idem. Iosue 7. 8 *Porrò Philisthiim congregati fuerant in Machmas.* Idem ibid. Non multum distat locus à Galgala, quia Machmas est apud Bethel, vt suprà declaratum est in littera; Bethel autem est contra Iericho & Galgalam, vt declaratum est *Iosue 7.* Ideò cùm esset Saul in Galgala, & Philisthiim in Machmas, timuit, quòd subitò irruerent super eum, & quia conueniens non erat eum non esse paratum præmisso diuino Sacrificio, obtulit.

VERSVS XII.

Vulgata. *Vulgata.* Dixi: Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui: necessitate compulsus, obtuli holocaustum.

Bened. *Bened. in marg.* Et cùm mihi vim fecissem, obtuli holocaustum Domino.

Gloss. *Text. Glossa in marg.* Et faciem Domini non sum precatus, roboraui me, vel fortem animum sumens, obtuli holocaustum Domino.

VERSIO

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Dixi: nunc descendent Philistæi ad me in Ghilghal & faciem Domini non oraui: & roboraui me, & obtuli holocaustum.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Cogitaui: Descendent nunc Palæsthini ad me in Gilgal, nec dum Dominum consulueram: audus ergo fum (vel inuitus) faciam cæremoniam holocaustum.

Arias. *Chaldaica ex Benedict. Arias. in Regia.* Et dixit: Nunc descendent Philisthæi ad me ad Gilgala, & ante Dominum non oraui, & roboratus fum: & accendere feci holocaustum.

Compl. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et dixit: Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non deprecatus fum. Et confortatus sum, & obtuli holocaustum.

Sixtia. *Græc. ex Septuagint. in Sixtia.* Et dixi: Nunc descendent alienigenæ ad me in Galgala, & faciem Domini non fum deprecatus. Et vim feci, & obtuli holocaustofim.

Simmach. *Simmach. apud Procop. ibi.* Priùs faciem Domini deprecatus, compulsus sum.

Procop. *Procop. ibi.* Faciem Domini non rogaui, sed victus sum.

Isidor. Clar. *Isidor. Clar. ibi.* Faciem Domini non *oraui.*

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul. 1 *Dixi: Nunc descendent Philistæum ad me.* Abul. ibidem quæst. 10. Dicitur: *descendent*, quia Galgala erat locus humilior, quàm Machmas, quia Galgala est apud Iericho in valle magna, per quam transit Iordanis.

LITERAL. Procop. 2 *Et faciem Domini non placaui.* Procop. ibi. Sacrificium vero non oblatum adhibitis precibus Prophetæ, non agnouit Dei sacrificium esse.

LITERAL. TROPOL. Abul. *Ante omne negotium Deus placetur.* 3 *Et faciem Domini non placaui.* Abul. ibi. q. 10. Quasi diceret: vidit quòd iniustum erat, quod iret ad bellum, antequam placatem Dominum: placare autem erat per Sacrificia. Ideo voluit prius offerre, quàm ire ad bellum. In hoc autem habebat rectam doctrinam Saül, quia in omni operatione pertinente ad nos, præmitti debet diuina placatio, & primum quod est in operibus nostris, debet esse respectus ad Deum: deinde ad nostra progrediamur.

LITERAL. Caietan. 4 *Et faciem Domini non placaui.* Caietan. ibi. Iuxta Hebræum habetur: *Non precatus sum.* Insinuatur enim hinc, quòd holocaustum obtulerat ad supplicandum Deo, vt teneretur quid esset agendum.

LITERAL. Saa. 5 *Et faciem Domini non placaui.* Emanuel Saa. in Schol. Quasi dicat: Dominum non consului.

LITERAL. Mendoza. 6 *Et faciem Domini non placaui.* Francisc. Mendoza ibid. §. 2. Hæc posterior propositio certa erat, quia nulla obtulerat Sacrificia, nullas preces ritu publico effuderat, quibus Deus olim placabatur, & consulebatur. Ex his internis præmissis, quam internam conclusionem intulerit, non exprimit: quia euidentem credebat, nempe ego debeo ante pugnam, Deum per Sacrificia placare. Quare postquam suam ratiocinationem retulit; tunc credens se non modo euasisse audaciæ pœnam, sed meruisse prudentiæ laudem, subiunt: *necessitate compulsus*, &c.

LITERAL. Greg. *Saulis triplex excusatio.* 7 *Necessitate compulsus, obtuli.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 3. Ecce qui de magnæ transgressionis temeritate arguitur, magnas causas iustitiæ afferre non veretur. *Videbam*, inquit, *quod dilaberetur populus à me.* Ecce hic asseritur destitutus à populo. *Porrò non veneras iuxta placitos dies.* Hic se ostendit Prophetæ promissione fraudatum. *Porro Philisthiim congregati fuerant in Machmas.* Hic pariter obtinet imminens periculum congressionis. Quare ex actione sua verbum subinferens, ait: *Necessitate compulsus, obtuli holocaustum.* Quasi dicat: Tu me de magno reatu arguis, cum reatus tantò sit leuior, quantò non temeritate constat, sed necessitate.

LITERAL. Abul. 8 *Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* Abul. quæst. 10. Accipitur hic holocaustum generaliter, tam pro holocausto, quàm pro hostia pacifica. Quia quando venit Samuel, iam Saül obtulerat omne Sacrificium, quod oblaturus erat.

LITERAL. Caietan. 9 *Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* Caietan. ibi. Iuxta Hebræum habetur: *Et roboraui me, & obtuli holocaustum. Roboraui*, inquit, *me*; hoc est animæquiorem me reddidi ad consulendum Deum, te absente.

LITERAL. Saa. 10 *Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* Saa in Schol. Hebraicè: *Vim mihi feci.* Quasi dicat: feci reclamante conscientia, vincens animum dictantem non faciendum.

LITERAL. Mendoza. 11 *Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* Francisc. Mendoza ibi. §. 3. Chaldæus vertit: *Et roboratus sum*: Procopius: *Et victus sum.* Quasi diceret: nam mea mihi conscientia dictabat te expectandum esse, sed obiecta pericula monebant, immò & cogebant ad sacrificandum. Quare dum inter se confligerent voluntas, & necessitas, tandem vicit necessitas, & mea repugnante voluntate propter instantem necessitatem, tandem sacrificaui. En Saülis excusatio, sed plane falsa: quia nulla tunc sacrificandi necessitas occurrebat.

LITERAL. Author Catenæ. 12 *Necessitate compulsus obtuli holocaustum.* Author Catenæ. Necessitatis prætextu excusat Saül factum suum, quæ dum vrget, leges quoque cedere honestum est, caret enim lege necessitas, & vt aliud etiam ferè proloquium: *nihil necessarium turpe est hominibus.* Verùm ex Samuëlis reprehensione constat inanem fuisse excusationis prætextum. Satis enim nouerat Propheta, quòd quando instaret necessitas, & quando Samuël aduenit, locus adhuc dabatur reliquus Sacrificio, vt patet; nec enim Philisthini adhuc post Samuëlis aduentum impetum fecerunt, sed immotis adhuc castris perstiterunt, donec Ionathas ipsos prior adortus est.

LITERAL. Chrysost. 13 *Necessitate compulsus.* Chrysost. Hom. 87. in Matt. post med. tom. 2. Quoniam Samuëli non obtemperauit, & holocausta offerri properauit, illo absente accusatus, ait: *Necessitas hostium facta est maior*, Cúmque fiere oportuisset, quasi nihil mali fecisset, lætabatur.

VERSVS XIII.

Vulg. *Vulgata.* Divitque Samuël ad Saül: Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini, Dei tui quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum.

Benedict. *Benedict.* Quæ *præcepit* tibi. *Et in margine.* Dixitque Samuël ad Saül: *Insanasti*, &c. Quòd si non fecisses, tamnunc *stabiliuisset* Dominus regnum tuum.

Gloss. *Text. Glossa. in margine.* Nec custodisti præceptum Domini Dei tui.

VER

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Dixítque Semuël ad Saül: Stultè egisti, & non seruasti præceptum Domini Dei tui, quod præcepit tibi. Quia nunc præparauerat Dominus regnum tuum super Israël vsque in sæculum.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et ait Samuël ad Saül: Stultus factus es: non obseruasti præceptum Domini Dei tui, quod ille tibi præcepit. Equidem parauerat Dominus regnum tuum super Israëlem perpetuò.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit Semuël ad Saül: Stultè egisti, & non custodisti iussionem dicti Domini Dei tui, quam præcepit tibi: Nam nunc firmaret Dominus regnum tuum super Israël vsque in sæculum.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et dixit Samuël ad Saülem: Stultè actum est à te, quoniam non custodisti mandatum meum, quod præcepit tibi Dominus, vt præparasset regnum tuum super Israël vsque in sæculum.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et dixit Samuël ad Saül: Stultè actum est tibi, quoniam non custodisti mandatum meum, quod mandauit tibi Dominus, quia nunc præparauerat Dominus regnum tuum super Israël vsque in sæculum.

August. *August. lib. 17. de Ciuit. Dei c. 6. tom. 5.* Quoniam non seruasti mandatum meum quod mandauit tibi Dominus, quemadmodum nunc parauerat Dominus regnum tuum vsque in æternum super Israël.

Caietan. *Caiet. ex Hebræo.* Dixítque Semuël ad Saul: Desipuisti, non custodisti mandatum Iehouah Elohe tui, quod præcepi tibi, quia nunc fecit dirigere Iehouah regnum tuum super Israël vsque semper.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Seuer. 1 *Stultè egisti.* Seuer. Sulpit. lib. 1. sacræ Histor. Multum à Samuële increpitus, sera peccatum pœnitentia fatebatur. Igitur ex peccato Regis metus omnem exercitum peruaserat: castra hostium haud longè sita præsens periculum ostendebant, neque cuiquam exeundi in prælium animus: plures lachrymas, & latebras petiuerant, nam præter imbecillitatem animorum, qui alienum à se Dominum delicto Regis arbitrabantur, in maxima ferramentorum inopia exercitus erat.

Literal. Tropol. Gregor. 2 *Stultè egisti.* Greg. lib. 5. Variar. c. 3. Superbi quia per tumorem supra homines se esse arbitrabantur, competenter arguuntur, cum eis diuina voluntas obiicitur, quam offendunt. Saul ergo superborum more arguitur, qui Domini Dei sui mandata contempsisse perhibetur; quod tale est, ac si superbientem, & contemnentem terreat dicens: & si homines despicis, nunc non consilia hominum, sed Domini Dei tui mandata dissipasti. Rectè ergo tuum reatum pensas, si illum, quem contemnis, trementi corde consideras. Et notandum, quia non ait: Non custodisti mandata Dei tui, sed: *Non custodisti mandata Domini Dei tui*; ac si apertè dicat: ausus magnæ transgressionis esset, si ille, cuius mandata despicis, tantum Dominus tuus, non etiam Deus existeret. Quantum ergo est, quod contemnitur, cùm Dei, & Domini mandata negliguntur?

Hector. Ioseph. 3 *Stultè egisti.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 7. aliàs 6. Consultiùs, inquit Propheta, feciss̃es, si mihi paruisses, & præ nimia festinatione Deum, cuius ego mentis interpres sum, non contempsisses; nam per obedientiam, & tibi diuturnitatem regni, & posteris successionem parare poteras.

4 *Stultè egisti.* Liran. ibi. Tertiò peccauit in hoc, quod peccatum suum non recognouit humiliter, cùm argueretur à Samuële dicente sibi: *Quid fecisti?* Sed se voluit excusare ex necessitate imminentis belli, quæ excusatio nulla erat penitùs, quia talis oblatio Sacrificij non est Dei placatio, sed magis offensio. Literal. Lira.

5 *Stultè egisti.* Autor Catenæ. Possit quidem Samuel vetus illud vsurpare Ouid. in epist. Didonis. Author Catenæ.

Pone Deos, & quæ tangendo sacra profanas
Non benè cœlestes impia dextra colit.

6 *Stultè egisti.* Abul. ibi quæst. 10. Ideò nesciuisti quid te agere oporteret: melius enim erat complere præceptũ, exponendo te ad omne periculum. Literal. Abul.

7 *Stultè egisti.* Caiet. ibi. Arguitur internæ imprudentiæ. Deinde externæ inobedientiæ: *Nec custodisti mandata Domini Dei tui.* Literal. Caiet.

8 *Stultè egisti.* Petrus Vermil. Hæretic. in Comment. Pulchrè rem gerit Samuël. In eo ipso, in quo Saül videri volebat prudenter fecisse, Samuël eum appellat stultum. Vtinam hæc omnibus Christianis semper essent ob oculos; se tum demum esse sapientes, cùm sequuntur verbum Dei: cùm autem sequi volunt inuenta sua, esse fatuos, & stultos. Nam sapientia vera est, quæ sequitur rectam rationem. Ratio autem recta non est, nisi informata verbo Dei, quod nos fide complectimur. Fides ergo nostra, quamuis mundo stultitia videatur, sola est, & vera sapientia. Tropol. Vermil. *Prudentia vera qua?*

9 *Stultè egisti.* Ioann. Euseb. Nieremberg. lib. 6. Stromat. c. 7. Stultè egit, quia breuissimi impatientia temporis æternitate regni sui caruit: stultè egit, qui prudentia humana diuina peruertit consilia: stultè egit, qui post cunctationem intempestiuè festinauit. Literal. Moral. Ioann. Euseb.

10 *Nec custodisti mandata Domini Dei tui.* Greg. suprà. Quia non dixit: Domini Dei mei, aut Domini Dei nostri; diuinæ familiaritatis gratiam cum offendisse redarguit: quasi dicat: Eius præcepta contempsisti, qui dum te de imo extulit, dum super alios te constituit, dum Regem fecit, per impositionem tantorum munerum velut specialiter tuus fuit. Tropol. Gregor.

11 *Nec custodisti mandata Domini Dei tui.* Glossa Interl. ibi. Samuël ex præcepto Domini iusserat, vt expectaret se, donec veniret ad vngendum illum Regem, & offerendas victimas septem diebus, sicut in consecratione Sacerdotis; quod quia non recte custodiuit, rectè arguitur. Literal. Interl.

12 *Nec custodisti mandata Domini Dei tui.* Abul. ibi q. 10. Nimis enim Deus abominatur inobedientiam; & quia Saül peccauerat per inobedientiam, meruit priuari regno. Et non peccasse contra aliqua præcepta, quæ essent de lege communi, sed peccauit contra ea, quæ specialiter fuerant data sibi, ideò erat magis inobediens. Literal. Abul.

13 *Quæ præcepit tibi.* Greg. suprà. Quæ Dei præcepta sunt, communia omnium, non specialia aliquorum. Vt ergo audacem reum temeritatis suæ parenti obiectione conuincat, non eum præcepta communia, sed propria, & singularia contempsisse demonstrat. *Quæ*, ait, *præcepit tibi*, ac si dicat: illa Dei, & Domini tui mandata contempsisti, quæ non velut communia omnibus, sed velut propria, & soli tibi singulariter credita obseruare debuisti. Literal. Gregor.

14 *Quæ præcepit tibi.* Autor Catenæ. Non est sermo de vniuersalibus, & communibus præceptis, vt notauit Gregorius modo relatus, sed de speciali, & proprio Sauli in particulari facto suprà c. 10. 8. *Ac si dicat*, inquit Gregorius: *Illa Dei, & Domini tui mandata contempsisti, quæ non velut communia omnibus, sed velut propria, & soli tibi singulariter* Moral. Author Catenæ. Gregor. *Peccator quando nihil intelligere?*

credita obseruare debuisti. In quo grauior culpa Saulis apparet; communia enim, & vniuersalia mandata facilius contemnuntur, quia non sibi singulariter, sed sub ratione communi dicta transgressor existimat: illa verò, quæ vnicuique nominatim, & in particulari committuntur, libentiùs accipiuntur, & cautiùs obseruantur. Quocirca quæstio est apud Philonem Hebræum lib. de Decalogo cur diuinæ leges, quæ omnibus essent communes, sub secundæ tamen personæ nomine scribantur, & promulgentur, nimirùm *Non occides, non mœchaberis,*

Philo. *non falsum testimonium dices, &c.* Vbi Philo: *Quærat,* inquit, *& illud aliquis non immerito, cur in concione tam multorum millium, quodque oraculum, singulos appellat, non plures. Non mœchaberis, non occides, non furaberis, & ad eundem modum cætera.* Cuius styli triplicem rationem reddit; sed illa ad nostrum institutum, quæ secunda est. Nempe: *Altera causa est, quia qui concionem alloquitur, non semper inter dicit, aut præcipit: cum autem singuli admonentur, quid agere debeant, omnes docentur eadem opera, & quisque redditur obsequentior, sibi dictum existimans; qui verò cum cætera turba comprehenditur, eodem eloquio surdescit, turbam ipsam præbet sua contumacia.* Similes huius generis homines dixeris pigris cuiusquam domini seruulis, qui interdum vocitante hero, nisi quempiam nominatim exprimat, inuicem excusantur, comparere renuunt, & se nullatenùs, sed socium, & conseruulum accersiri iactant. Ne ergo malitiosè surdescant

Idem. homines, vt ait Philo, lex vnicuique in particulari obiicitur, nec tanquam res communis, sed singularis vnicuique meritò intimatur. Nec absimiles quoque eos dixeris Eclipsium Solis, aut Lunæ, vel cometarum Astronomicis obseruatoribus, qui vtplurimùm nec sibi, nec suis minacis prodigij euentus, effectúsque fatidicè prænuntiant, sed externis lubenter, & longinquis amandant. Hispanus Germanis, aut Turcis, Gallus Poloniis, Italus Anglis, & in hunc modum securis omnibus nemo sibi consulit, sed alieno, & distanti confidenter miseretur. Vnde nec mores corripi, nec placari Numen, nec plangi vnquam crimina videris, nam generales Dei voces nullius exaudit, vixque singularibus etiam, & specialissimis prædatur fides. Viduæ vrbis Naim filium Christus Dominus à mortuis excitaturus: *Accessit,*

Luc.7 14 *& tetigit loculum.* Luc.7.14. deinde ait: *Adolescens tibi dico, surge.* Quid quæso tam specialiter, & immediatè agit cum mortuo suscitando, vt & feretrum manibus terat, & ad ipsum se dicere affirmet? Sanè inuenis hic emortui peccatoris figuram præ se ferebat, qui specialissima, & singulari ad eum potissimè terminatâ Dei vocatione indiget, vt à peccati morte suscitetur. *Adolescens tibi dico, surge. Tibi,* inquam, non alij; tuum vnice negotium est, tua res agitur, surge. Puellæ item Archisynagogi

Marc.7.41. filiæ: *Puella, tibi dico, surge.* Marc.7.41. Lazarus similiter proprio vocabulo à Domino accitur, cùm

Ioan.11.43. ad vitam reuocatur. *Lazare veni foras.* Ioan.11.43. Rationem aptam reddit Michael Palatius ibi. *Forsan,*

Palatius. inquit, *in eodem sepulchro alia iacuerant cadauera, ideo ex proprio nomine Lazarum vocauit, quia non alios, sed solum Lazarum excitare intendebat.* Quæ ad mysticum sensum trahi possunt. Nam vt inueteratus peccator exciteretur, non generalis, sed specialissima proprij nominis vocatio requiritur; ad communem enim vocem malitiosè obsurdescunt. Clamat continuo pro rostris diuini verbi Interpres: Auaros reprehendit; ambitiosos damnat, adulteros condemnat: vltionis studiosos ad charitatem hortatur. Quotus verò est, qui hæc sibi dicta existimet? Qui secum agi autumet, qui hæc ad se pertinere credat? Certè vix vllus. Omnia enim proximo, & amico, vel inimico accommodat, nec se, sed reliquos taxari, instrui, vel excitari sibi persuadet. Structoribus, qui mensæ dapes scindunt, & accumbentibus diuidunt, pertimiles eos esse dixeris. Is enim cuiratum gallum, aut perdicem diserte findit, partem vnicuique ministrat, alteri ex conuiuis armum porrigit, pectusculum alteri; alij crus, aut collum; & qui cunctis dispertitur, sibi nec minimum reseruat. Sic & hi dominicæ mensæ structores ex concionatorum disciplina communium non sibi, sed aliis parant. Si de castitate fit sermo: vtinam, inquit, amicus adesset, qui his omninò indiget. Si de rapinis: audiant hæc, ait, iustitiæ ministri, qui Rempublicam depopulantur. Si de periurio, aut falso testimonio: O quàm hoc, inquit, suo nostro pulchrum, ex quo veritas exulauit; & in modum hunc sibi nihil, plurimum reliquis tribuit, nec quæ omnibus exponuntur, sibi censet accipienda. Ergo illi vtique dicatur: *Tibi dico surge,* & vt Ioannes quondam incestuoso Regi: *Non licet tibi, &c.* Nec fortè sufficerit hæc opera, nam & Saùl mandatum Domini sibi potissimum factum, & singulari lege sanctum omnino contempsit, vnde à Samuele obiurgatur: *Stultè fecisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.*

15 *Quòd si non fecisses, iam nunc, &c.* Greg. suprà. Ecce quàm magna perdidit, qui vt putabat, nulla contempsit. Ecce septem diebus Prophetam sustinuit, sed vt præstolari eum in fine diei desiit, gloriam tantæ dignitatis amisit. Vnde & per Prophetam dicitur: *Væ iis, qui perdiderunt sustinentiam.* Sustinentiam quidem perdunt, qui bona, quæ inchoant, non consummant; quibus nimirùm ea esse dicitur, quia non solùm incepti laboris mercedè perdunt, sed etiam apostatæ sui pœna feriuntur. LITERAL. TROPOL. Gregor. *Perfectum antia necessaria.* Eccles.2.

16 *Quòd si non fecisses, iam nunc, &c.* Augustin. lib.17. de Ciuit. Dei cap.6. tom.5. Non sic accipiendum est, quasi Dominus Saulem in æternum paraturus regnaturum, & hoc noluerit seruare peccanti; sciebat enim peccaturum. Sed præparauerat regnum eius in quo esset figura regni æterni. Vnde additur: *Et nunc regnum tuum non stabit tibi.* Stetit ergo, & stabit, quod in illo significatum est, sed non huic stabit, quia non fuerat regnaturus in æternum, nec progenies eius, vt saltem per posteros, alterum alteri succedentes, videretur impleri, quod dictum est *in æternum.* LITERAL. Aug. Beda. Eucher.

17 *Quòd si non fecisses, iam nunc, &c.* Liran. ibi. Hoc videtur falsum, quia præordinatio diuina certa est, & infallibilis. Præordinatum autem erat à Deo regnum concedendum tribui Iudæ, vt habetur Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda.* Dicendum, quòd ordinatio diuina de aliquo futuro, aliquando accipitur, prout est in diuina præscientia, & sic immutabilis est. Aliò modo accipitur secundùm dispositionem causarum secundarum, idest, secundùm merita, & demerita hominum, ex quibus disponit, vt per hoc puniantur, vel remunerentur secundum ordinationem diuinam; & talis ordinatio mutabilis est, sicut merita, & demerita hominum. LITERAL. Lira.

18 *Quòd si non fecisses, iam nunc, &c.* Abul. ibi q. 11. Quasi dicat: si non commisisses hanc inobedientiam, nunc Deus firmasset regnum tuum, ita quòd in æternum Posteri tui succederent tibi, sed tunc non fiet. LITERAL. Abul.

19 *Quòd si non fecisses, iam nunc, &c.* Hugo Char. in LITERAL. Hugo.

in Postil. Quod si non fecisses, non fuisset in te propter quod esses amouendus à regno.

LITERAL. MORAL. Sanct. *Primum crimen grauius mulctandum.*

20 *Quod si non fecisses, iam nunc, &c.* Gasp. Sanct. ibi. n. 40. Primus fuit Saül Rex in Israël: primum præceptum quod accepit à Domino fuit, vt expectaret septem dies, donec à Samuele immolarentur hostiæ. Expediebat maximè, vt reges quotquot futuri erant in Israël intelligerent in administranda Republica à Dei ducis, & auspicis præscripto discedendum non esse, atque ideò peccatum illud primum inobedientiæ regni iactura mulctatum est, quod supplicium posteriorum Regum nemini ignotum esse poterat, tum quòd graue: tum etiam quòd primum regium nomen afflixit.

LITERAL. Author Catenæ. *Saul propter quod amisit regnum.*

21 *Quod si non fecisses, iam nunc, &c.* Autor. Catenæ. Verba hæc hunc planum sensum efficiunt: nisi Deum per inobedientiam læsisses, ipse regnum tuũ per posteros tuos stabilisset in æternum, seu in longissima tempora: modo verò aliter tecum agetur, quia *regnum tuum nequaquam vltra consurget*: hoc est, firmum non erit, nec stabile; læsa enim grauiter Maiestas Virum alium æquiorem inuenit, nempe Dauidem, cui iam in sua dispositione regnum commisit, & in æternum confirmauit: *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus, vt esset dux super populum suum, eo quòd non seruaueris quæ præcepit Dominus* infrà v. 14. Qui sensus cùm planus sit, & causalis, nempe propter actualem Saülis inobedientiam, eius posteros à Deo regno priuatos fuisse, & in eorum locum Dauidem, eiusque filios successisse, nescio cur Abul. q. 21. quem sequuntur Salian. & Sanct. n. 42. totis viribus contendat non propter hoc peccatum Saülem regno sempiterno spoliatum fuisse, licèt spoliari meruerit, sed propter aliud subsequens *cap.* 15. nempe Regis Agag, & armentorum eius reseruationem. Rationes verò, quibus nititur Abul. solidæ non sunt. Nam licet *cap.* 15. illi regni amissio intimetur à Samuele, & scillum eius imperium esse dicatur, non id dicitur, quòd tunc primò regno priuatus fuerit, sed est quædam prioris sententiæ confirmatio, & redintegratio propter recentes rationes, & inobedientiæ alterius reiterationé. Sic ergo contra Abul. ergo ex illis verbis: *Si non fecisses, &c.* & ex illis: *Sed nequaquam regnum tuum vltra consurget.* Si Saül intempestiuè, & contra obedientiam non sacrificasset, regnum eius à Deo confirmaretur, seu stabiliretur; hoc enim significat *præparare*, vt benè probat Sanct. hìc n. 43. Ergo ex eo quòd in eo transgressus est Domini præceptum regnum eius caruit firmitate, & perpetuitate, nullo alio considerato peccato subsequenti. Secundò idem expressius declaratur iis verbis: *Sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget*, quæ sententia absoluta est, & ante secundam transgressionem lata, nec propter peccatum futurum Deus anticipata pœna castigat, vt contra Pelagianos definitur, ergo hoc quod est, non consurgere Saülis regnum, quod eius defectum significat, fuit ante omne aliud subsequens peccatum; non autem datur aliud, nisi intempestiua sacrificatio, ergo ob hanc regno priuatus fuit. Tertiò, quia dicitur Dauidem ad regnum non solùm iam quæsitum à Deo fuisse, sed etiam illi ab ipso imperatum de præterito, hoc est in absoluta Dei dispositione, vt regeret populum Israël, *eo quòd non seruaueris quæ præcepit Dominus*, ergo ex Saülis priori inobedientia originem habuit Dauidis imperium, & propter eam Saül regno priuatus est. Hinc tamen grauior forte exoritur difficultas. Nam Deus Tribui Iudæ regale sceptrum absolutè promiserat: *Non auferretur sceptrum de Iuda.* Gen. 49. 10. quomodo ergo, nisi Saul trangressus fuisset, qui erat de Tribu Benjamin regnum eius in æternum duraret in ipsa Tribu Benjamin? Respondetur: præuidisse quidem Deum Saulis inobedientiam, ex qua regnum amitteret, quâ præscientiâ antecedenti potitâ, sine vllo frustrationis periculo, potuit regnum Sauli sub conditione promittere: Tribui verò Iudæ absolutè reseruare. Gen. 49. 10.

VERSVS XIV.

Vulgata. Sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus, vt esset dux super populum suum, eo quòd non seruaueris quæ præcepit Dominus. Vulg.

Textus Gloss. in margine. Sed nequaquam regnum tuum vltrà stabit. Gloss.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et nunc regnum tuum non stabit: quæsiuit Dominus sibi virum secundùm cor suum: & præcepit ei, vt sit dux super populum suũ, quia non seruasti quod præcepit tibi Dominus. Pagn.

Hebr. ex Franc. Vatab. Sed iam non firmum erit regnum tuum. Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, cui præcepit Dominus, vt dux sit super populum suum, quoniam tu non obseruasti quæ præcepit tibi Dominus. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et nunc regnum tuum non firmabitur. Firmauit Dominus ante se virum facientem voluntatem suam, & iubebit eum Dominus esse Regem super populũ suum, quia non custodisti id, quod iussit Dominus. Ariasm.

Græc. ex Sept. in Compl. & Regia. Et nunc regnum tuum non stabit, & quæret Dominus sibiipsi hominem iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus in Ducem super populum suum, quia non seruasti quæ præcepit tibi Dominus. Compl. Regia.

Græca ex Sept. in Sixt. Et nunc regnum tuum non stabit tibi, & quæret sibi Dominus hominem secundùm cor suum, & mandabit Dominus in Principem super populum suum, quoniam non custodisti quæcumque mandauit tibi Dominus. Sixtia.

August. lib. 17. de Ciuit. Dei c. 6. tom. 5. Et nunc regnum tuum non stabit tibi, & quæret Dominus sibi hominem secundùm cor suum, & mandabit ei Dominus esse in Principem super populum suum, quia non custodisti quæ mandauit tibi Dominus. August.

Theodo. ibi. quæst. 29. Quæret sibi Dominus hominem secundùm cor suum, & mandabit, vt sit sibi dux super populum suum. Theodo.

PP. ET AVCTORES.

1 *Sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget.* August. lib. 17. de Ciuit. Dei. cap. 7. tom. 5. Et nunc regnum tuum non stabit tibi. Stetit ergo, & stabit, quod in illo significatum est. Sed non huic stabit, quia non in æternum ipse fuerat regnaturus, nec progenies eius, vt saltem per posteros alterum alteri succedentes, videretur intelligi, quod dictum est *in æternum*. LITERAL. August.

2 *Sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget.* Greg. lib. 5. Var. c. 3. Quasi dicat: Dum à temporali rectitudine deficit, ad æternitatis cellitudinem LITERAL. MYSTIC. Greg.

non pertingit. Vel idcircò ad Litteram, non consurgere dicitur, quia cum ipso corruit, & post ipsum in eius filiis non remansit.

LITERAL. Theodor.

3 *Sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget.* Theodor. ibi. q. 29. Vehementer eum increpuit, & ei prædixit regni priuationem. *Quæret* enim, inquit, *sibi Dominus hominem secundùm cor suum*, &c. Hinc pulchram, & gloriosam victoriæ imposuit coronam, dicens: *Inuenì Dauid filium Iesse virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Hæc enim prophetice prædixit diuinissimus Samuel.

TROPOL. Damian. *Vera pœnitentia quæ?*

4 *Sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget.* Petrus Damian. Epist. 114. Dauid adulterium, homicidiúmque commisit: Saul verò inobediens extitit. Sed quid, quòd ille, nullo intercedente, vel in puncto veniam meruit: alterum verò nec propria confessio, nec Prophetæ tam lugubris, & amara, atque prolixa supplicatio reconciliauit? Planè si Scripturæ series vtrobique discutiatur, copiosior Saul, quàm Dauid in verbis pœnitentiæ reperitur; iste siquidem dùtaxat id, quod præmissù est: *Peccaui Domino*: Ille autè, *Peccaui*, inquit, *quia præuaricatus sù sermones Domini, & verba tua, timens populù, & obediès voci eorù.* 1. Reg. 15. 24. atquid ipsi postmodù repetens, ait: *Peccaui.* Accessit autem & longanimis valdè Samuelis oratio, de quo videlicet dicitur: *Contristatus est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte illa.* Sed diuina voce responsum est: *Vsquequo*, ait, *tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel?* Quid ergo est, quòd alterius pœnitẽtia pie suscepta: alterius autem sub districtæ seueritatis est examine reprobata, nisi quòd ille scelus inobedientiæ spiritu superbiæ paruipendens, nequaquam pleno corde pœnituit: hic autem pauca quidem protulit, sed eius viscera diuini timoris gladio transfixa, veri luctus amaritudo repleuit.

1. Reg. 15. 24.

LITERAL. Lira.

5 *Sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget.* Liran. ibi. Idest vltrà te, quia filius eius Iboseth non regnauit super totum Israel, nec etiam super illud pacifice, & cum hoc paruo tempore.

LITERAL. MORAL. Mendoz.

6 *Sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget.* Francisc. Mendoza. ibi. §. 2. Dubitabis cur statim Saul adhuc viuens regno non priuetur, sed illud gerere permittatur. Ratio planè nó aliunde melius, quàm ab ipsa misericordia diuina eruetur. Solet enim Deus minas intendere, sed non statim pœnas ingerere: vt homo dato ad pœnitentiam intervallo resipiscat. Dubitabis secundò, quare sicut superiori numero præparatio, seu confirmatio regni, si Saul non peccasset, tribuitur Deo: *Nunc*, inquit, *præparasset Dominus regnum tuum*; ita modò destructio, seu translatio eiusdem regni, peccante Saule, ipsi Deo non tribuatur, sed tantum dicatur, nullo indicato autore. *Nequaquam regnum tuum vltrà consurget.* Ratio quidem etiam ex ipsa misericordia diuina petenda est. Deus enim potius se vult beneficiorum autorem, quàm suppliciorum profiteri. Dubitabis tertiò cur Saul inobedienti non alia pœna, quàm priuatio regni infligatur. Optima planè ratio est: quia qui parere nescit, indignus est, qui permittatur imperare.

LITERAL. August. G'off. Eucher.

7 *Quæsiuit Dominus sibi virum.* Augustin. suprà. Siue Dauid siue ipsum Mediatorem significas Testamenti noui, qui figurabatur in chrismate etiam quo vnctus est ipse Dauid, & progenies eius; non autem quasi nesciat vbi sit, ita Deus hominem quærit; sed per hominem, more hominum loquitur, qui & sic loquendo nos quærit. Non solum enim Deo patri, verùm etiam ipsi quoque Vnigenito eius, qui *venit quærere, quod perierat*, vlque adeo iam eramus noti, vt *in ipso essemus electi ante constitutionem mundi.* Quærit sibi ergo dixit, pro eo, ac si diceret, quem suum esse iam nouit, sibi esse familiarem, aliis ostendet. Vnde in Latina lingua hoc verbum accipit præpositionem, & acquirit dicitur, quod satis apertum est, quid significet. Quanquam & sine additamento præpositionis *quærere* intellagitur acquirere, ex quo lucra vocantur, & quæstus.

LITERAL. Greg.

8 *Quæsiuit Dominus sibi virum.* Gregor. suprà. Vt liuoris pœnâ feriatur, non solùm repulsionem suam, sed etiam electionem alienam audire compellitur, nam subiungens Propheta, ait: *Quæsiuit Dominus, &c.* Per omnia verba hæc superbus illiditur. Quasi dicat: ideò eum quæsiuit, quia iuxta cor suum esse noluisti. Quasi dicat: talem virum populi sui ducem constituit, qui præceptum diuini consilij exequatur virtute deuotionis; quia enim corde ea, quæ agere volumus, deliberare solemus, dum vsu nostræ locutionis cor Dei in sacro eloquio ponitur, per eum voluntas eius intima designatur, quæ à nobis tunc foris agnoscitur, quando inobedientiæ præcepta reuelantur. Iuxta eam verò sumus, quando hanc & per intellectum agnoscimus, & per amorem custodimus.

LITERAL. THEOLOG. Idem.

9 *Quæsiuit Dominus sibi virum.* Idem ibid. Quid est, quod quasi de præterito dicitur: *Quæsiuit Dominus sibi virum, & præcepit ei, vt esset dux, &c.* cũ non fuerit quæsitus nec ei, vt populo suo præesset iniunctum? Nam postquam Saül percussit Amalech, eidem Prophetæ Dominus ait: *Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te ad Isai Bethlehemitem* infrà cap. 16. Sed quæstio facilè soluitur, si omnipotentis Dei præscientia, & prædestinatio videatur. Ei quidem prædestinare, facere est, & apud ipsum iam facta sunt, quæ ab ipso fieri præordinata sunt. Vnde & de eo scriptum est: *Facit quæ futura sunt.* Eccles. 3.

1. Reg. 16.

Eccles. 3.

TROPOL. Greg. *Prælatus eligendus qualis?*

10 *Quæsiuit Dominus sibi virum.* Idem ibi. Quæsisse virum Deus dicitur, vt eligendorum Antistitum forma hominibus præbeatur. Quærere enim solemus quæ aut præsentia non cognoscimus, aut absentia non videmus. Deus autem cui nihil est absens, nihil latens, non dicitur quæsisse virum vt absentem, aut absconditum, sed quæsisse dicitur, vt omnis, qui ad sanctæ Ecclesiæ culmen eligitur, discutiendus ab hominibus esse doceatur. Sed quæri debet secũdùm cor Dei, vt videlicet non solũ diuinã voluntatẽ intelligat, sed bonis operibus obtẽdat.

LITERAL. MYSTIC. Beda.

11 *Quæsiuit Dominus sibi virum.* Beda lib. 2. Expositi. Alleg. cap. 7. Sub persona Dauid Christum, & Christiani populi duces significat. Vnde signanter *populum suum* dicit: Non addit Israel, vt etiam præputium ad huius ducis imperium pertinere demõstret. Non autem quasi nesciens Dominus quæsiuit sibi; sed humano more loquẽs hominibus, etiam sic loquendo nos quærit; *Venit enim filius hominis quærere, & saluare quod perierat.* Luc. 19. cui adeò iã eramus noti, vt *in ipso essemus ante mũdi cõstitutionem.*

MYSTIC. Angelom.

12 *Quæsiuit Dominus sibi virum.* Angel. 1. Stromat. c. 13. Reprobatio Saulis futuram præfigurabat ablationem Regni Iudæorum; quod autem Dauid superstes ei factus est, hoc indicat, quòd Dominus IESVS CHRISTVS per nouum Testamentum in Ecclesia regnaturus populo Iudæorum succesurus erat. *Eadem verba habet* Rabbanus.

Rabban.

LITERAL. Procop.

13 *Quæsiuit Dominus sibi virum.* Procop. ibid. Hoc testimonium explicat Stephanus, dicens: *Inuenì Dauidem filium Iesse, virum iuxta cor meum.*

14 *Quasi*

LITERAL. Sanctius.

14 *Quæsiuit Dominus sibi virum.* Gaspar Sanctius ibi. num.45. Nondum depositus est e regno Saul; adhuc regium retinet honorem,& nomen,& tanquam Regi aliæ à Domino regię curæ mandantur. Tantùm dicit Propheta quæsitum esse, non constitutum Regem alium pro Saule. Sed illud videtur huic cogitationi incommodare, nonnihil; quod etiam Deus præcepisse dicitur illi viro,vt esset dux super populum suum; quod indicare videtur non solùm designatum in posterum, sed etiam constitutum esse Regem Dauidem. Huic obiectioni occurrit satis Scripturæ consuetudo, quæ id factum dicit,quod proximum est,vt fiat. Quomodo Christus *Matt.9.*de puella iam mortua dixit:*Non est mortua puella,sed dormit*, quia mors illi, quasi somnus fuit.

LITERAL. Ioann. Euseb.

15 *Quæsiuit Dominus sibi virum.* Ioan. Euseb. Nierembergius.6.Stromat.c.7.Hactenùs Rex Saul, ideſt biennio iuxta Scripturam;deinceps Exrex,aut Prorex,quippe abdicato regno non Rex Israel, sed vicarius pro Dauide,aut administrator regni.

LITERAL. Author Catenæ. Psal.109.6. Luc.1.52. 1.Reg.2.7. Iob 34.24.

16 *Quæsiuit Dominus sibi virum.*Author Catenæ. Iuxta consuetudinem suam Dominus implet ruinas. Psal.109.6. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Luc.1.52. & iuxta Annæ Cantic. *Dominus pauperem facit,& ditat, humiliat, & subleuat* 1.Reg.2.7.Saulem quidem inobedientem, & superbum deposuit de sede;sed ne eius locus vacuus remaneret,in eum pium, & humilem Dauidē suffecit,iuxta Iobi sententiam 34.24. *Qui conterit multos,& innumerabiles,& stare facit alios pro eis*, vt latiùs diximus ad c.2.v.18. Instit.5.Moralit:ideò enim successoris personam diuturnâ anticipatione prouidit. Vnde Abulensis in præsenti. q.14. *Quasi ante tempus voluit quærere, quem acciperet in Regem illo tempore,quo Saul priuaretur.*

Abul.

LITERAL. MORAL. Chrysost. *Dauid iuxta cor Dei quid?*

17 *Iuxta cor suum.*Chrysost. Hom. de Dauid.& Goliath. O beatum Dauidis Sanctissimi meritum, quod laudat Deus,prædicat Dominus, Iudex præfert summus! Dum enim Dauid sanctissimus homo secundùm cor Dei, quidquid Deus cogitat,gerit: Quidquid mente concipit,perficit; dum inquam Dauid cordi Dei cor proprium iungit, & menti Dei mentem suam adnectit, hoc est, vt quæ vult Deus,velit;& quæ non vult,similiter nolit,sic eum Dominus individuo amore, & coniuncta charitate dilexit.

TROPOL. Gregor. *Prælatus qualis eligendus.*

18 *Virum iuxta cor suum.*Gregor. suprà. Potest intelligi Vir pro fortitudine:secundùm cor Dei,pro interna charitate. Quando igitur necessitas exigit ad curam sanctæ Ecclesiæ, quæratur Vir,vt sit conuersatione fortis:quæratur secundùm cor Dei,vt per affectum magni amoris, quasi vnitus sit diuinæ voluntati.Præcipiatur ei,vt sit dux, quatenùs sublimitatis ordinem conscendere ex cupiditate non ambiat, sed ex humilitate pertimescat; sicque sibi humilis meruat; vt subdi præcepto Dei deuotus agnoscat.

LITERAL. Areopag. *Dauid iuxta cor Dei.*

19 *Virum iuxta cor suum.* Dionys.Areop.Epist. ad Demophil.Quid Dauidem illum Dei parentem fecit diuinâ amicitiâ dignum? Nempe cùm esset bonus,atque in hostes benignus. *Inueni*, inquit ille summè bonus, ac benignitatis amator:*hominem secundum cor meum.*

LITERAL. MORAL. Hilar. *Dauid iuxta cor Dei.*

20 *Virum iuxta cor suum.*Hilar.in Psal.53. Sanctus Dauid non ignarus,sed vt Propheta Euangelicæ doctrinæ,& in tempore licet legis,hanc corporalem agens vitam:tamen quantum in se est, Apostolici mandati præcepta consummat testimonio de se Deo fidem præstante,cùm dictum est: *Inueni Dauid secundùm cor meum.* Non enim inimicos bello persequitur;nec insidiantibus sibi decertando armis restitit,sed exemplo Domini cuius & nomen & lenitatem præfigurabat,præditus erat.

MORAL. Damian.

21 *Virum iuxta cor suum.*Petrus Damian.Epist. 3.in lib.5. Quid prodest quidquid homo faciat, si hoc non placet Deo? Sic de Dauid dicitur: *Quæsiuit sibi Deus virum iuxta cor suum.* Nam si nunc Conditor non delectatur in homine, homo postmodùm delectari non poterit in Conditore.

LITERAL. Sanct.

22 *Virum iuxta cor suum.*Gasp. Sanct.ibi.n.48. Ideò Dauid secundùm cor Dei esse dicitur,quia ea, quæ volebat cor Dei,volebat cor Dauidis,& exequebatur ea. Et hanc opinor sententiam esse propriam,atque germanam;quia Sauli,qui minùs Deo obsequens fuit, opponitur Dauid diuinæ voluntati obsequentissimus: & ostendit ipse Dominus, qui statim subdit: *Qui faciet omnes voluntates meas.* Quæ verba iuxta sacræ Scripturæ morem fortasse per epexegesim sunt explicatio verborum præcedentium.Ille enim est secundùm cor Domini, qui totum se ad eius voluntatem finxit.

TROPOL. Greg. *Prælatio ex obedientia subeunda.*

23 *Et præcepit ei Dominus,vt esset dux.* Gregor. suprà. Quia electi viri ad honorem primatus non ex ambitione veniunt,sed coacti perducuntur,benè dictum est: *Et præcepit ei,&c.*Quasi dicat:in honorem prælationis non per ambitionem subiit, sed coactus ascendit.

Lira.

24 *Et præcepit ei Dominus, vt esset dux.* Liran. ibi.Licèt hoc esset adhuc futurum, tamen loquitur per modum præteriti propter certitudinem diuinæ Prouidentiæ, provt est in mente diuina, quia est certa de futuro,ac si iam esset in actu præsenti, vel fuisset de præterito.

LITERAL. Abul.

25 *Et præcepit ei Dominus, vt esset dux.* Abul. ibi.q.14.Non est sensus, quòd Deus iam reuelasset Dauid, quòd esset futurus Rex, & iussisset ei hoc, nam ad istud non oportebat esse præceptum.Etiam ad Dauid non fuit facta reuelatio aliqua,quousque victus est in Regem.Sed est sensus:*Præcepit ei, vt esset dux*,ideſt ad hoc inquisiuit eum, vt præciperet ei,vt esset dux.Ista tamen præceptio postea fuit, scilicet quando Dauid institutus est in Regem.

LITERAL. Caiet.

26 *Et præcepit ei Dominus,vt esset dux.*Caiet.ibi. dicitur præcepit ei,& non dicitur,nunciauit ei,quia præceptum quidem decreuit, sed præceptum non promulgauit; nihil enim sciebat Dauid de huiusmodi dispositione diuina. Et hinc habes prudens Lector, quòd multo tempore regnauerat Saul, quando hæc gesta sunt: vel Dauid paruulus erat, quod minùs quadrat laudi Dauidis, scilicet quod erat vir secundùm cor Dei.

TROPOL. Author Catenæ. *Votum Societatis de non ambitendo.* Greg.

27 *Et præcepit ei Dominus,vt esset dux.* Author Catenæ. Præcepto Domini ad regni culmen fuisse Dauidem erectum significatur,non propria opera, aut ambitione,vt rectè obseruauit Gregorius suprà relatus dicens: *Quia electi viri ad honorem primatus non ex ambitione veniunt, sed coacti perducuntur, benè dictum est*: Et præcepit ei, vt esset dux, *Quasi dicat: In honorem Prælationis non per ambitionem subiit, sed coactus ascendit. Præcipiatur ei, vt sit dux, quatenus sublimitatis ordinem conscendere ex cupiditate non ambiat, sed ex humilitate pertimescat.* Ita Gregorius: cuius quidem doctrinam,& exhortationem Societatis IESV Religio ad viuum apprehendit; cuius professi inter alia vota, quæ emittunt, illud potissimum est,nullam se ambituros dignitatem, sed ne se accepturos quidem nisi Romani Pontificis obedientia coactos; quotùm pauci,qui Ecclesiasticas dignitates acceperint, nó ex ambitio

ambitione, sed ex obedientia Dauidis æmulatores ad eas peruenerunt.

LITERAL. Mendoza. 28 *Eo quod non seruaueris quæ præcepit Dominus.* Franc.Mend.ibi.§.16. Sicut illa,quæ proxime dicta sunt,de commendatione Dauidis,obliq; quodammodò spectabant ad condemnationē Saulis, Gregor. vt rectè Gregorius obseruat:ita nunc latæ sententiæ conclusio directiùs fertur ad ipsum Saulem perstringendum. Quasi diceret:Vide quò tua te inobedientia abripuit. De culmine tuæ potentiæ te deiecit. Nam diutius imperares, si Deo præcipienti promptiùs pareres.

VERSVS XV.

Vulgata. *Vulgat.* Surrexit autem Samuel, & ascendit de Galgalis in Gabaa Beniamin.Et reliqui populi ascenderunt post Saul obuiam populo,qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa,in colle Beniamin. Et recensuit Saul populum,qui inuenti fuerant cum eo,quasi sexcentos viros.

Author Catenæ. Caiet. Glossa. Vatic. *Autor Catenæ.* Glossa.in margin. Caietan. & alij contendunt illam clausulam nempe: *Et reliqui populi ascenderunt post Saul obuiam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Beniamin.* Excludendam à Textu esse, vtpote quæ ab Hebraico fonte desit, ex quo superfluam dicit Caietanus. Cæterùm cùm in Bibliis à Sixto V. nouissimè correctis inueniatur;& apud Septuaginta in Vaticana,saluâ pace Caietani,& aliorum, retinenda est.

VERSIONES.

Pagn. *Hebræic. ex Xante Pagn.* Surrexit autem Samuel, & ascendit de Ghilghal in Ghibhah, & recensuit Saül populum,qui inueniebatur secum fermè septingentos viros.

Vatab. *Hebraic.ex Franc.Vatabl.* Et surgens Samuel ascendit de Gilgal in Gibea Benjamin,& Saul recensuit populum,qui (adhuc) inueniebatur apud eum ferè sexcentos viros.

Ariasm. *Chaldæus. ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et surrexit Samuel, & ascendit de Gilgela ad Gibgha-tha domus Beniamin.Et numerauit Saul populum, qui inuenti sunt cum illo,quasi sexcentos viros.

Complut. Regia. *Græc.ex Sept. in Complut. & Regia.* Et surrexit Samuel,& recessit de Galgalis in collem Benjamin, & recensuit Saul populum inuentum cum eo quasi sexcentos viros.

Sixtian. *Græc. ex Septuag.in Sixt.* Et surrexit Samuel, & abiit de Galgalis,& residuum populi ascendit post Saul in occursum post populum bellatorem ipsis aduenientibus è Galgalis in Gabaa Beniamin. Et recensuit Saul populum qui inuentus erat cum eo circiter sexcentos viros.

Abul. *Abul.ibi.q.14.* Surrexit autem Samuel, & descendit de Galgalis in Gabaa Benjamin.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. 1 *Surrexit autem Samuel,& ascendit de Galgalis.* Greg.lib.5. Variar.c.3. Quasi ab alto ad planum sanctæ Ecclesiæ Doctor venit, quando peccatorum culpas redarguit,& status sui sublimitatem curuat, cùm ad discutienda malorum crimina se per affectum charitatis humiliat. Surgit electus Prædicator, quando ad altitudinem suæ spiritualis conuersationis se per intentionem erigit: ascendit autem quando ad arduam eiusdem vitæ suæ celsitudinem, per consuetum opus venit. Plerique alios increpant, qui semetipsos validissimo iræ bello perturbant. Post increpatas vero culpas surgere,& ascendere nequeunt,quia in semetipsis turbidi, ad alta intimæ quietis progredi nequaquam permittuntur. Quidam coërcendas aliorum turpitudines audiunt;sed cùm ad cogitanda ima descenderint,noxia eorum delectatione sordidantur, infirmi quidem,& tanti ministerij impares, dum soluere inferius aliorum nodos gestiunt, illos non liberant,sed semetipsos ligant. TROPOL. *Correctio qualis*

LITERAL. Idem. 2 *Surrexit autem Samuel,&c.* Idem ibid. Potest & secundùm historicum sensum simpliciùs intelligi hoc,quod dicitur:*Surrexit,& ascendit*, quia videlicet in Rege,quem arguerat, humilitatem pœnitentiæ,qua manere cogeretur,minimè cognouit. Idem tamen Rex in ministerio relinquitur, vt ipsa Prophetæ separatione corrigatur;quia plerumque quos Prædicatoris verba non corrigunt, diuidi à Prædicatorum familiaritate, vel à sanctæ Ecclesiæ vnitate pertimescunt. Iuxta Prædicatores duri sunt sed separati resipiscunt. TROPOL. *Peccatoris correctio qualis?*

LITERAL. Beda. 3 *Surrexit autem Samuel,&c.* Beda lib.2. expos. Allegor.c.7. Eandem regni mutationem Propheta, quam verbo prædixerat, etiam ipsæ locum mutando demonstrat.Et ipse enim Dominus,qui de incredulis ait: *Surgite,eamus hinc.* Ioan.14. relicta Synagoga,collem filij dexteræ ad altiora quæque, ac sacratiora Christi & Ecclesiæ ministeria perfectos docendo subiit. Ioann.14.

HISTOR. Ioseph. 4 *Surrexit autem Samuel, &c.* Ioseph. libr.6. Antiq.c.7. aliàs 6. Itaque Samuel offensus Regis facto domum est reuersus. Saulus autem cum sexcentis tantum militibus, & Ionatha filio venit in vrbem Gabaonem.

LITERAL. Lira. 5 *Surrexit autem Samuel, &c.* Liran.ibi. Quò ibat populus Israel contra Philisthæos inermis, & paruo numero,vt patet ex sequētibus,vt ex præsentia Samuelis cōsolaretur.Vel iuit in collē Domini, vbi erat congregatio Prophetarum,quæ erat prope Gabaa,vt ibi vacaret orationi pro populo Dei.

LITERAL. Abul. 6 *Surrexit autem Samuel,&c.* Abul.ibi.q.14.Scilicet nunc erat Samuel in Galgala,quādo increpuit Saulem,inde autem descendit in Gabaa,scilicet noluit amplius morari in loco illo.Nam ad ipsum cōuenerant Israelitæ, vt Samuel consuleret Dominū pro Saule,& pro eis; & quia Saul transgressus est præceptū Domini,offerendo ante rēpus; noluit Samuel consulere Dominum;existimans quòd iam nihil esset prosperum,sed recessit mox in Gabaa.

LITERAL. Idem. 7 *Surrexit autem Samuel,&c.* Idem ibid.q.15. Samuel non consuluit Dominum pro Saule, sed non fuit hoc, tanquam iratus euaderet ab eo, sed quia videbat, quod iam nihil esset prosperum, vel fortè quòd Deus nollet respondere.

LITERAL. Idem. 8 *Surrexit autem Samuel,&c.* Idem ibi.q.16.Hoc fuit, quia iam populus non erat mansurus in Galgala,sed iturus in Gabaa. Aliter potest dici, quòd Samuel venit in Gabaa, quia ipse erat vir Propheta & vacabat diuinis laudibus in prophetando; & quia in Gabaa erat congregatio Prophetarum,venit ad locum ipsum, vt ibi cum eis Deum laudaret. Quòd autem in Gabaa essent Prophetæ, apparet *suprà cap.10. 5.*

LITERAL. Mend. 9 *Surrexit autem Samuel, &c.* Franc.Mend.ibi. §.1. Crediderim Samuelem quidem, & Saulem de Galgalis in Gabaa pariter ascendisse; sed vtrumque alio,atq; alio inter se itinere dissociatum absq; vllo commercio ad tempus habitasse in Gabaa.

Moueor

Moueor ad illud priùs, quia sic exprimitur in littera: ad hoc posterius, quia in sequenti bello contra Philisthinos nulla fit mentio Samuëlis; immò cùm Saül *cap. sequenti* semel, atque iterùm Deum consuluerit, nunquam dicitur per Samuelem consuluisse.

LITERAL. Sanct. 10 *Surrexit autem Samuël, &c.* Gasp. Sanctius ibi num. 50. Hinc constat, nondum fuisse Saulem reprobatum à Domino quando illum Samuël non deserut, sicut fecit postea in causa Amalech; sed cum illo de Galgalis, profectus est in Gabaa.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. 11 *Surrexit autem Samuel, &c.* Autor Catenæ. Cùm omnia exemplaria etiam Hebraica legant *ascendit*; nescio cur Abulensis legat *descendit*, cùm potissimùm Galgala locus depressus, & humilis in valle fuerit, respectu Gabaa Beniamin; quæ non solùm excelsum significat, sed locus ipse, seu ciuitas sita in colle erat. Vnde via ex Gabaa in Galgalam descensus vocatur *cap.* 10. 8. ibi: *Descendes ante me in Galgala.* Saul autem morabatur in Gabaa eiusdem patria. Deinde cum discessus Saulis, & populi à Galgalis ad Gabaa hoc etiam versu describatur, vocatur etiam ascensus: *Et reliqui populi ascenderunt post Saul obuiam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa.* Quæ Abulensis lectio nisi ex typographiæ vitio irrepserit, non satis mihi probatur.

LITERAL. Hieron. Euseb. 12 *De Galgalis in Gabaa Beniamin.* Hieron. de Locis Hebraic. ex Euseb. tom. 3. Est & alia Gabatha, seu Gabahaa in Tribu Beniamin, vbi fuit domus Saul.

MYSTIC. Gregor. 13 *De Galgalis in Gabaa Beniamin.* Greg. suprà. Quia cùm sancti Prædicatores subditorum sollicitudinem deserunt, in æternæ vitæ contemplatione sublimantur, in Gabaa Beniamin Samuël ascendere dicitur. Gabaa denique Beniamin *collis filij dexteræ* interpretatur; quis ergo est filius dexteræ, nisi quem sancta Euangelia confitentur ad cœlos ascendere, & ad dexteram Dei patris sedere? Collis igitur filij dexteræ, æterna est celsitudo Redemptoris; quando enim animam nostram sancti Prædicatores deserunt, in alta illa diuina Redemptoris per intentionem surgunt, & per visionem conscendunt.

LITERAL. Theod. Aquila. 14 *De Galgalis in Gabaa Beniamin.* Theod. ibi quæst. 29. Gabaa terram, quæ est in Sabaim, Aquila interpretatus est terram, quæ est in valle Caprearum.

TROPOL. Gregor. 15 *Et reliqui populi ascenderunt post Saul.* Gregor. suprà. Nonnulli sic in peccato corruunt, vt in nullo bono opere teneantur: nonnulli verò dum mala se perpetrasse recolunt, agere bona instantiùs conantur; agendo quippe bona, mala, quæ relinquunt operiunt, ne ab æterno iudice detecta iudicentur. Hoc nimirùm si factum Saul in bonam partem deducimus, hoc inuenimus, quia qui priùs in Sacrificio metuens Prophetæ mandata contempsit, postea verò ad eos, quos metuerat conterendos, populi Dei aduersarios festinauit. Quo in loco etiam hoc notandum est, quia quem Propheta deseruit, ad experienda bella hostium de Galgalis ascendit, plerosque etenim peccatores iusta Prædicatorum seueritas proiicit, quos tamen diuina memoria non relinquit.

LITERAL. Abul. 16 *Et reliqui populi ascenderunt post Saul.* Abul. ibi quæst. 18. Saul non venerat in Galgala propter aliud, nisi quia iusserat Samuël *suprà cap.* 10. & hoc erat, vt Samuël consuleret Dominum pro Saule; & quia iam non consulebat, sed recelit indè, superfluum erat manere in Galgala, potissimùm quia non erat locus fortis Galgala.

17 *Et reliqui populi ascenderunt post Saul.* Gasp. Sanct. ibi n. 51. Diximus suprà eos, qui ad Saulem vndequaque conuenerant, post stationem Philisthinorum à Ionatha percussam, timore perculsos aliò atque aliò fuisse dilapsos. Nunc dicit, eos, qui ex illa fuga reliqui fuerunt, qui non fuerunt plures sexcentis, ascendisse de Galgalis in Gabaa, vt occurrerent populo, nempe Palæstinorum, qui in ipsos acies effuderant infensas; qui collem tenebant Beniamin; & cùm è superiore loco dimicarent, non dubia videbatur futura victoria. Fuerunt autem hi, qui adhuc erant in statione, quæ statio dicitur Collis Beniamin, qui locus, vt nomen ipsum præ se fert, munitus erat à natura, & aptus, vt in eo esset militare præsidium. LITERAL. Sanct.

18 *Obuiam populo, qui expugnabant eos.* Abul. ibi quæst. 17. Iste populus erat populus Philisthinorum, qui erant in Machmas, & quia Gabaa non multùm distabat à Machmas, & Israëlitæ venturi in Gabaa, transire debebant non longè à castris Philisthinorum, Philisthini egressi sunt obuiam Israëlitis, & expugnabant eos, dum venirent de Galgala in Gabaa. LITERAL. Abul.

19 *Venientes de Galgala in Gabaa.* Liran. ibi. Hoc refertur ad populum sequentem Saül. LITERAL. Lira.

20 *Quasi sexcentos viros.* Greg. suprà. In sexcentis viris, qui alij designantur, nisi qui opere, & cordis deliberatione robusti sunt? Nam quidam fortia proponunt, sed quia quæ proponunt, non faciunt, ad sexcentorum virorum numerum non pertingunt. MYSTIC. Gregor.

21 *Quasi sexcentos viros.* Caiet. ibi. Perpende quod recesserant à Saüle non solùm qui conuenerant in Galgala, sed etiam tria millia, quæ priùs elegerat, ita quòd ex omnibus non nisi sexcenti remanserunt cum eo, & Ionatha. LITERAL. Caiet.

VERSVS XVI.

Vulgata. Et Saül & Ionathas filius eius, populúsque qui inuentus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin: porrò Philisthiim consederant in Machmas. Vulgata.

Benedict. in margin. Qui inuentus fuerat cum eis, manserunt in Gabaa. Benedict.

Text. Gloss. in marg. Porrò Philisthiim castrametabantur in Machmas. Glossa.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Saül autem, & Ionathas filius eius, & populus, qui inuentus est cum eis, manebant in Ghebah Biniamin: Pelistim autem castrametati sunt in Michmas. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Manserunt ergo Saül, & Ionathan filius eius, atque populus, qui sibi erat, habitantes in colle Benjamin: Palæsthini verò castrametati sunt in Michmas. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et Saül, & Ionathan filius eius, & populus qui inuentus est cum eis, sedebant in Ghilghatha domus Binjamin: & Pelisthæi posuerunt castra in Michmas. Ariasm.

Graca ex Septuag. in Complut. & Regia. Et Saül, & Ionathan filius eius, & populus, qui inuenti fuerant cum eis, sederunt in Gabaa Beniamin: & Philisthiim castrametati sunt in Machmas. Complut. Regia.

Graca ex Septuag. in Sixtina. Et Saül & Ionathan filius eius, & populus, qui inuenti sunt cum eis, sederunt in Gabaa Benjamin, & plorabant, & alienigenæ castrametati erant in Machmas. Sixtina.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor.

1 *ET Saül, & Ionathas filius eius, &c.* Gregor. lib. 3. Variar. cap. 3. Vt quid separatim Rex, & eius filius nominatur, nisi quia actio boni Præsulis claret esse singularis: Et quia omnium fidelium subditorum non est vniformis æqualitas, sequitur: *Et populus, qui inuentus in Gabaa Beniamin.*

Histor. Ioseph.

2 *Et Saul, & Ionathas filius eius, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. aliàs 6. Saülus autem cum sexcentis tantum militibus, & Ionatha filio suo venit in vrbem Gabaonem.

Literal. Abul.

3 *Et Saul, & Ionathas filius eius, &c.* Abul. ibi quæst. 18. Isti omnes erant simul, venerant enim simul de Galgala in Gabaa, quia licet à principio esset Ionathas in Gabaa, & Saül in Bethel, vt patet supra in Littera, tamen postquam percussit Ionathas stationem Philisthinorum, conuenerunt omnes tam ipse, quàm Saül, & reliquus populus in Galgala; nunc autem redibant simul.

Literal. Caiet.

4 *Et Saul, & Ionathas filius eius, &c.* Caiet. ibi. In eundem itaque locum iuerunt Samuel, & Saül, & Ionathas.

Histor. Sabian. *Saul mille sexcentos habebat.*

5 *Et Saul, & Ionathas filius eius, &c.* Iacob. Sabian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 2964. n. 37. Peruenerunt ergo in Gabaa locũ natura, & arte munitũ erat enim in colle, & ibi diu steterant in præsidio Philisthæi, donec nuper à Ionatha de sua statione deuicerentur, & videlicet studiosè communiuerant, vt qui probè intelligerent se in hostium medio viuere, quique semper in eorum perniciem intenti essent. Propterea ergo & Saül, & Ionathas filius eius, populusque, qui inuentus fuerat cum eis, erat in Gabaa Beniamin. Sexcentos viros deduxerat Saül, & millenos iam habebat Ionathas, qui iuncti ciuibus poterant non infestis quidem contra Philisthæos signis in acie concurrere, sed obsidionem sustinere.

Mystic. Gregor. *Virginum digitus?*

6 *Erat in Gabaa Beniamin.* Gregor. supra. Dum spiritualia prælia describuntur, populus inuentus in Gabaa Beniamin specialiter recenetur, quia Virginum chorus contra immundorum spirituum ferocitatem tantò violentior est, quantò nullo eorum vulnere saucius, nulla eorum suggestionis sorde pollutus. Liber quippe integer, & expeditus est ad occursum, fortis ad ictum. An non in colle filij dexteræ sunt, quos integritatis suæ merito dilectus IESV respicit, dicens: *Vidi supra montem Sion Agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia?* Sed & nisi valdè fortes essent, ad tantam celsitudinem fatigati ascendere nequaquam possent.

Tropol. Author Catenæ. Sixtia. *Lachrymarum vis.*

7 *Erat in Gabaa Beniamin.* Autor Catenæ. Addit his Sixtiana: *Et plorabant:* scilicet præsentem calamitatem; vel potius sua deplorabant delicta, quorum maleficio, eò discriminis, & extremæ miseriæ deuenerant, vt infensum Numen placarent lachrymarum holocausto: nec sua eos fefellit spes, aut votum euanuit, quam breui enim diuinus furor singultuum consopitus melodia, locum benignitati, & misericordiæ fecit, vt patet ex capite sequenti; in tantum lachrymarum scyphus, tanquam Circæum quoddam poculum Deum ipsum mirabili commutat metamorphosi, & ex Leone conuertit in agnum. Sed de lachrymarum dignitate plura ad *cap. 1. vers. 10. Initio. 1.*

Literal. Abul.

8 *Consederant in Machmas.* Abul. ibi quæst. 18. Erat Gabaa circa Machmas, quod patet sequenti capite, quia quando erant Saül & Ionathas cum exercitu in Gabaa, Ionathas dixit ad armigerum suum: *Veni transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum;* & sic ad oculum videbat locum, vbi erant castra.

Literal. Mend.

9 *Consederant in Machmas.* Franc. Mend. ibi. Erant in Machmas iam inde ex quo Israëlitæ in Galgala descendetunt *supra vers. 3.* Vbi hucusque perseuerauerunt, maiora in singulos dies belli præsidia, ac munimenta, vt credi potest, sibi comparantes.

VERSVS XVII.

Vulgata. VVlgata. Et egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei. Vnus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Sual.

Benedict. *Benedict. in margin.* Et egressus est vastator de castris Philisthinorum cum tribus turmis. Vnus cuneus pergebat supra viam Ophra ad terram Saül.

Gloss. *Text. Gloss. in marg.* Et egressi sunt, qui vastarent de castris Philisthinorum.

Author Catenæ. *Autor Catenæ.* Aliqua exemplaria habent *ad prædandum*, & loco Ephra habent *Ephraim.*

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et egressus est vastator è castris Pelistim cum tribus capitibus. Caput vnum respiciebat ad viam Ophrah ad terram Suhal.

Vatab. *Hebraic. ex Francisc. Vatabl.* Et egressus est vastator ille ex castris Palæsthinorum (cum) tribus agminibus: Vnum agmen vergebat versùs Aphra ad terram Sual.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et exiuit vastator ex castris Pelisthæorum per tres turmas: Turma vna respiciebat ad viam Ghophra ad terram australem.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et egressus est, vt perderet ex agro Philisthinorum in tribus cuneis: cuneus vnus aspiciens viam Goptura ad terram Sogal.

Sixtia. *Græc. ex Septuagint. in Sixtia.* Et egressus est vastator ex agro alienigenarum tribus principiis: Principium vnum spectans viam Gophera ad terram Sogal.

Simmach. *Simmachus.* Egressi sunt vastatores ex castris, & acie Palæsthinorum.

Biblia Gothica. *Biblia Gothica.* Contra viam Ephrata.

Procop. *Procop.* Egressus est depopulator ex agro Palæstinorum.

Abul. *Abul. ibi quæst. 18. ex Hebræo.* Egressus est damnificans.

Caietan. *Caietan. ex Hebræo.* *Legendum est* ad viam Ophrah.

Vatab. *Vatabl. in Schol.* Vnus cuneus vertebat se se, vel pergebat, siue gradiebatur.

Clar. *Isidor. Clar.* ibi. Et egressi sunt ad *vastandum.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. *Tres cunei, quid?*

1 *ET egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei.* Greg. lib. 5. Variar. c. 3. Quid est quòd Philisthæi tres cuneos faciunt, nisi quia malignis spiritus cordi nostro, linguæ, & operi inferere peruersa molliuntur? Quia enim cogitando, vel loquendo, siue faciendo, omne peccatum committitur; tres sunt Philisthinorum cunei, quia maligni spiritus impellere ad peccandum animas satagunt

satagunt negligentiâ cordis, effrænatione oris, audacia peruersi operis.

Hister. Ioseph. 2 *Et egressi sunt, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 7. aliàs 6. Diuiso trifariam exercitu per totidem vias regionem Hebræorum ingressi omnia populabantur, spectante Saulo Rege cum filio, nec valente prohibere hostem.

Mystic. Beda. 3 *Et egressi sunt ad prædandum, &c.* Beda lib. 2. expositi. Allegor. cap. 8. His tribus cunei, Ecclesiam quotidie tentari omnis, qui in castris illius legitimè militat, sentit. Tres enim ad prædandum de castris Philisthinorum egrediuntur cunei, cùm immundi spiritus interioris nostri hominis custodiam tentantes, aut rationabilem eius partem, aut irascibilem, aut concupiscibilem, vel singulis singulas, vel in vno omnes virtutum diuitiis nudare conantur. Quibus profectò partibus etiam ipsorum locorum, atque præfati cunei, qui egressi sunt, nomina conueniunt.

Mystic. Berchor. *Tentationes præcipuæ tres?* 4 *Et egressi sunt ad prædandum, &c.* Petrus Berchor. lib. 9. Moral. cap. 9. Philisthini, idest peccata, quæ contra filios Israël, idest fideles pugnant ad tres cuneos, idest ad tria capitalia peccata, & vitia generaliter reducuntur. Vnum enim eorum est auaritia, & illa tendit ad Ephraim, qui interpretatur *frugifer*, idest ad mundi fructus. Et secundus cuneus est superbia, & illa tendit Bethoron, quod interpretatur *domus vanitatis*, significans mundi diuitias, honores, atque glorias. Tertius cuneus est luxuria, & ista tendit ad iter termini, idest ad carnales delectationes, & delitias, caro enim iter termini dicitur.

Literal. Liran. 5 *Et egressi sunt ad prædandum, &c.* Liran. ibi. Sciebant enim esse filios Israël sine armis, & paucos, ideò per tria loca intrauerunt terram eorum ad prædandum, quia non timebant de resistentia eorum.

Literal. Mendoza. Lipsius. Hæbr. 6 *Et egressi sunt ad prædandum, &c.* Franc. Mendoz. ibi §. 1. Peruetus disciplina militaris non solùm apud Romanos, vt videre est in Lipsio lib. 4. de Milit. Roman. Dial. 6. & apud Hebræos, vt *suprà cap. 11. num. 11.* iam ostendi, sed etiam apud Philisthinos, aliósque externos hostes erat, vt acies in tres partes diuideretur, quas Hebræus vocat *tria capita*: Chaldæus, *tres turmas*, &c. Igitur Philisthini castris suo loco immotis, in quibus totius roboris exercitus integrum seruabatur, vt notat Abulensis, tres cuneos in agros vicinos summiserunt.

Chald. Abul. Literal. Sanctius. 7 *Et egressi sunt ad prædandum, &c.* Gaspar. Sanct. ibi num. 53. Cùm vis maxima bellici apparatus, & magnus bellatorum numerus esset in castris Philisthinorum, & exiguæ essent Hebræorum vires, illæque inermes, & pauidæ, ausi sunt Philisthini vires distrahere, variisque modis vexare Hebræorum fines. Quare in tres partes egressæ sunt totidem Philisthinorum acies, quæ prædas agerent, & hostium vires, & facultates attererent.

Literal. Author Catenæ. Glossa. Varab. Robert. Benedict. Complut. Vulg. Greg Beda. Carthus. Charens. 8 *Et egressi sunt ad prædandum, &c.* Autor Catenæ. In hoc versu vna lectionum, & exemplarium varietas annotatione indiget. Quædam enim legunt: *ad præliandum*, vt Textus Glossæ, Varabli, Roberti, & Benedicti, quibus concinit Complutensis. Sed vulgatæ correctæ lectio præferenda: *ad prædandum*, quia nec Philisthini præliari sunt de facto, nec hostes esse, cum quibus dimicarent, ipsi credebant, cùm fugatos, & cauernis absconditos audissent, vt patet ex *cap. 14. vers. 11.* Secundò aliqua exemplaria legunt: *Contra viam Ephraim.* Sic Greg. Beda, Carthus. Charens. & alij. Sed tenenda est lectio correcta, quæ concordat cum Hebræo, Fuit autem Ephra patria Gedeonis, vt patet *Iudic. 8. 27. 3.* Pro *Sual* aliqui Codices habent *Saul*, & ita nuper relati legunt; sed corrigendi omninò sunt, vt probat Abul. Quis autem locus fuerit Sual non satis constat, nec eius loci meminerunt Eusebius, aut Hieron. de Loc. Hebraicis. Iud. 8. 27. 3. Abul. Euseb. Hieron.

Mystic. Greg. 9 *Vnus cuneus pergebat contra viam Ephra.* Greg. suprà. Primus cuneus contra viam Ephraim pergere dicitur, quia expugnare innocentiam a corde incipiunt; via quippe Ephraim, idest frugiferi cordis bona est cogitatio. Contra viam ergo Ephraim primus Philisthinorum cuneus pergit, quia occulti aduersarij, si prius vsum bonæ cogitationis à mente non auferunt, ad eradicandos virtutum eius fructus peruenire non possunt. Contra Ephraim igitur viam veniunt, quando bonæ cogitationi insidiantur.

Literal. Lira. 10 *Vnus cuneus pergebat contra viam Ephra.* Liran. ibi. In Hebræo habetur *Contra viam Ephrathæ ad terram Saul*, & ideò translatio nostra videtur hîc corrupta vitio Scriptorum, propter similitudinem dictionum.

Mystic. Beda. *Prælati magis tentati?* 11 *Contra viam Ephra.* Beda suprà. Benè de primo cuneo, cùm diceret: *Pergebat contra viam Ephraim*, addidit: *Ad terram Saul*, quia prima nimirùm maximáque nequissimis spiritibus intentio est ipsos sacri certaminis duces concupiscentia, vel animæ, vel carnis à virtutum cœptis auertere, quo deprauatis iustitiæ Principibus liberius

Dira per incantum serpant contagia vulgus.

Literal. Abul. 12 *Contra viam Ephra.* Abul. ibi quæst. 18. Differunt Ephraim, & Ephra. Satis autem est verisimile, quòd Scriptores nostri peruerterint propter facilem similitudinem. Habetur tamen istud nomen Ephra *Iudic. 6.* Scilicet *venit Angelus Domini, & sedit sub quercu, quæ erat in Ephra.* Iudic. 6.

VERSVS XVIII.

Vulgata. Vulgata. Porrò alius ingrediebatur per viam Beth-horon: tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum.

Benedict. Benedict. Ad iter termini in terra Sabaa. *Et in marg.* Ad iter termini, qui respicit contra vallem. *Sic etiam Greg. & Varabl.* Greg.

Varab. Glossa. *Textus Glossæ in marg.* Verterat se ad iter termini, qui respicit contra vallem, vel regionis, vergens in vallem.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Et caput aliud respiciebat ad viam Bethchoron: & caput aliud vertebat se ad viam termini, quæ respicit contra vallem Sebohin ad desertum.

Varab. *Hebraic. ex Franc. Varabl.* Aliud agmen vergebat itinere Bethhoron: porro tertium agmen vertebat ad viam termini, qui conspicitur suprà vallem Zeboim versùs desertum.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasmontano in Regia.* Et turma vna respiciebat ad viam Beth-hhoron; & turma vna respiciebat ad viam termini, qui spectat ad vallem Aphghaia ad desertum.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et cuneus vnus aspiciens viam Bæthoron: & cuneus vnus aspiciebat viam termini, quæ vergit in vallem Sabaim desertum.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et principium vnum spectans viam Bæthoron: & principium vnum spectans viam Gabaë vergentem ad Gæ Sabim.

Theodot.

Theodot. *Theodor.* Viam termini prospicientis ad vallem Caprearum.

Abul. *Abul.ibi quæst.* 18. Tertius autem vertebat se in terra Soba.

Anonim. Flamin. *Anonimus apud Flamin.in Schol. Sixtia.* Et caput vnum declinabat in viam prospicientis in conuallem Hiænarum.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. TROPOL. Gregor. 1 *Per viam Beth-horon.* Greg.lib.5. Variar.c.3. Beth-horon *domus iræ* interpretatur: domus verò iræ, est mens vlui seruiens linguæ litigiosæ. Quam certè domum Sapiens ille instituat, qui ait: *Ira requiescit in corde stulti.* Eccles.7. Per hanc quidem ad cor stulti hostes ingrediuntur, quia maligni spiritus, dum ad effrænata verba linguâ soluunt, iras accendunt, & mutuam fidelium charitatem ferunt.

Eccles.7.

MYSTIC. Beda. 2 *Per viam Beth-horon.* Beda lib.2.expositi. Allegor.cap.8. Via Bethoron, idest *domus iræ*, ad quam secundus cuneus ingrediebatur ipsam, quam signat pallionem, mentis etiam nomine demonstrat.

MYSTIC. Lauret. 3 *Per viam Beth-horon.* Lauret. in Sylua Beth-horon, idest diuisio, siue in exploratione ipsis aut filia Cantici, seu iuxta Gregorium domus iræ.

MYSTIC. Liran. 4 *Per viam Beth-horon.* Liran.in Moral.Beth-horon *domus excelsa* interpretatur, ideò per ipsâ superbia vitæ intelligitur, quæ semper ascendere conatur.

LITERAL. Abul. *Beth-horon qua?* 5 *Per viam Beth-horon.* Abul. ibi quæst.18. Inclinabat ad partem Septentrionalem, quia Beth-horon est in terra Ephraim, vt patet *Iosue* 16. Sors autem Beniamin est meridiana; ideò cùm veniatur ab ea versùs Beth-horon, quæ est in terra Ephraim, & Septentrionalis respectu Beniamin, venietur à Meridie in Aquilonem. Est autem duplex Beth-horon, scilicet superior, & inferior, vt patet *Iosue* 16. & 18, vtraque autem est in sorte Ephraim, vt patet *Iosue* 16.

Iosue 16.

LITERAL. Mendoz. 6 *Per viam Beth-horon.* Francisc.Mend.ibi §.4. Alius cuneus ingrediebatur per viam Beth-horon: superiorisne, an inferioris, non exprimitur. Ad vtramuis perrexerit, Aquilonaris ibat, quia Ephraim, vbi erat Beth-oron respectu Beniamin ad Aquilonem spectabat.

LITERAL. Author Catenæ. Iosue 16. 3. & 5. 1.Paral.7.24 *Beth-boron qua?* Abul. 7 *Per viam Beth-horon.* Autor Catenæ. Duplicem fuisse vrbem Beth-horon constat *Iosue* 16. 3. & 5. Primò *Paralip.*7.24. & 2. *Paralip.* 8. 5. vbi Salomon dicitur struxisse Beth-horon superiorem, & inferiorem. Vnde intelligi datur illas teardificasse semel diruras, quia 1. *Paralip.*7.24. earum erectio Saræ filiæ Ephraim adscribitur. Vtraque autem erat in Tribu Ephraim, vt notauit Abulensis.

MYSTIC. Gregor. 8 *Ad iter termini.* Greg. suprà. Tertius cuneus vertit se ad iter termini. Quis est terminus cogitationis, & verbi, nisi consummatio boni operis? Nam idcircò bona cogitamus, & loquimur, vt ea ad finem operis perducamus. Sed cùm antiquus hostis verbis, & cogitationibus nocere non præualet, in finem laqueos tendit, & bonum opus fidelium euacuare, vel impedire appetit.

MYSTIC. Idem. 9 *Ad iter termini imminentis valli Seboim.* Idem ibid. Hæc nomina locorum ad designandum situm termini, quem dixerat, posita sunt. Sabaa verò (sic legit Gregorius) in lingua nostra *captiua* dicitur. Seboim *Capræ* nuncupantur. Quæ est autem ista captiua, nisi humana natura, quæ in paradiso fuit posita, & nunc ad perferendas huius mortalitatis ærumnas in hoc sæculo est ligata? Quæ est autem terra captiuæ huius, nisi peregrinatio vitæ temporalis? Benè igitur dum vertit cuneus dicitur, terra captiuæ commemoratur, quia maligni spiritus in hac terra captiuitatis nostræ peregrinationis nostræ prælia contra nos mouere possunt: illa verò vita nostra non possunt.

MYSTIC. Beda. 10 *Imminentis valli Seboim.* Beda suprà. Vallis Seboim idest Caprearum, siue Damarum, ad quam tertius se verterat cuneus, rationabilem mentis intuitum figuratè denuntiat. Namque hæc animalia oculorum acie perhibentur excelluere.

LITERAL. MYSTIC. Lira. 11 *Imminentis valli Seboim.* Liran. ibi. Seboim interpretatur *capra* propter quod significatur concupiscentia carnis, per quam homines assimilantur animalibus brutis. Vnde 1.Ethic.or. Vita voluptuosa dicitur *vita pecudum.*

LITERAL. Abul. Genes.13. Deuter.29. 12 *Imminentis valli Seboim.* Abul. ibi quæst.18. Est Seboim nomen vrbis vnius, de quatuor vrbibus, quæ submersæ sunt in valle Sodomorum, de quibus *Genes.*13. & *Deuter.*29. Aliqui dicunt, quòd Seboim est nomen commune apud Hebræos, significans pictores, & dicunt quòd quædam vallis vocabatur vallis Pictorum, & contra eam tunc vnus cuneus prædantium.

LITERAL. Abul. 13 *In terra Soba (sic, vt dixi, legunt Greg. Abul. & alij.)* Abul.ibi quæst.18. An ista terra sit in terra Israël, vel extrà, non patet. Certum est, quòd terra, quam prædabantur Philisthini, erat Israël; sed illa contra quam ibant, poterat non esse terra Israël, sed aliqua coniuncta ei.

LITERAL. Vatab. 14 *Imminentis valli Seboim.* Vatabl. in Schol. Idest Regulorum, seu Basiliscorum.

MYSTIC. Lauret. 15 *Imminentis valli Seboim.* Lauret.in Sylua. Seboim, idest capra, designat Sanctos, qui per magna merita, quasi per magnos saltus cœlum ascendunt.

LITERAL. Mendoz. Theodot. Aquila. Theodor. Greg. Beda. MORAL. *Deliciæ viperæ.* 16 *Imminentis valli Seboim.* Franc.Mend.ibi §.5. Aduerte Vallem Seboim interpretari à Theodotione, & Aquila, quem refert Theodoret. quæst.29. & quem Gregorius, & Beda, pluresque alij sequuntur, Vallem caprearum, ab aliis, Vallem Regulorum, seu Basiliscorum: ab aliis, Vallem Hyænarum, seu Viperarum: ab aliis tandem, Vallem Pictorum, seu discolorum. Occasionem dedit tam multis versionibus nomen Hebraicum צבעים *Seboim* à radice *Sabah*, idest tingere, seu pingere. Vnde quia prædicta animalia multis maculis varia sunt, & quodammodo picturata appellantur Seboim. Et fortasse non sine magno mysterio, Seboim, quæ erat Ciuitas deliciarum, interpretatur *ciuitas Hyænarum, & Viperarum*, aliarúmque similium ferarum; nam vbi molles delitiæ efflorescunt, ibi truculentæ bestiæ grassantur.

MYSTIC. Gregor. 17 *Contra desertum.* Gregor.suprà. Quid deserti nomine hoc loco, nisi infernum accipitur? Desertum quidem rectè intelligitur, vbi lectorum nullus inuenitur. Desertum etiam dicitur, in quo ærumnarum solatia nulla sentiuntur.

LITERAL. Abul. 18 *Contra desertum.* Abul.ibi quæst.18. Idest erat ista vallis contra desertum Edon, quia Seboim, & omnis regio Sodomorum erat in extremitate Israël apud solitudines magnas.

VERSVS XIX.

Vulgata. *Vulgat.* Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël: cauerat enim Philisthim, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Faber autem non inueniebatur in tota terra Israël: dixerant enim Philistim:

Philistim : ne fortè faciant Hebræi gladium, aut lanceam.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Nec inueniebatur per totam terram Israel faber : dixerant enim Palæsthini : ne fortè faciant Hebræi gladium, aut lanceam.

Ariasm. *Chaldæica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et artifex faciens arma, non inuentus est in omni termino terræ Israel, quia dixerunt Philisthæi : fortassis facient Iehudæi gladios, aut lanceas.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Et faber ferri non inueniebatur in omni terra terræ Israel, quia dixerunt Philisthiim : Ne fortè faciant Hebræi gladium, aut lanceam.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixt.* Et faber ferri non inueniebatur in omni terra Israel, quoniam dixerunt alienigenæ : ne faciant Hebræi gladium aut lanceam.

Angelom. *Angelom. in Stromatib.* Curauerant enim Philisthiim, ne &c.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Eucher. 1 *Porrò faber ferrarius.* Eucher. vel potiùs Autor Comment. in Reg. Sicut tunc Philisthæi cauerant, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam, & ne haberent fabros ferrarios, qui arma ad repugnandum facerent : ita Chaldæi destructâ Ierusalem, & vastatâ omni terrâ repromissionis fatagebant, vt nullus in ea maneret artifex, nullus cluiior, qui vel fœdata vrbis mœnia componere, vel posset refarcire dirutas.

Literal. Moral. Gregor. *Dei victoriarũ autor.* 2 *Porrò faber ferrarius.* Greg. lib. 5. Variar. c. 3. Hæc profectò omnia describuntur, vt modus subsecutæ victoriæ insinuetur : armati quippe ab inermibus victi sunt, vt totum quod vincitur, omnipotentis Dei laudibus tribuatur.

Tropol. Idem. 3 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Idem ibidem. Quid est, quod dicitur, nisi quia ad spiritualia bella non per seculares litteras, sed per diuinas instruimur. Faber quippe ferrarius non inuenitur in Israel, quia fideles Domini videntes artem secularis scientiæ contra malignos spiritus nequaquam præliantur. Fabri namque arte adiuti vincerent, si sæcularis eloquentiæ iaculis, occultis hostibus prævalerent. Quæ profectò secularium librorum eruditio, etsi per semetipsam ad spiritualem Sanctorum conflictum non prodest, si diuinæ Scripturæ coniungitur, eiusdem Scripturæ scientia subtilius eruditur. Ad hoc quidem tantùm liberales disciplinæ discendæ sunt, vt per institutionem illarum diuina eloquia subtilius intelligantur. A nonnullorum cordibus discendi desiderium maligni spiritus tollunt, vt & seculania nesciant, & ad sublimitatem spiritualium non pertingant.

Humaniores litteræ Scripturæ inseruiant.

Histor. Ioseph. 4 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Ioseph. libr. 6. Antiq. c. 7. aliàs 6. Horum maior pars non erat armis instructa, quòd ea regio nec ferrum haberet, nec armorum fabros, quod cura Palæsthinorum cautum fuisse diximus.

Mystic. Beda. *Faber ferrarius, quid?* 5 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Beda lib. 2. expolit. Allegor. c. 8. Patet profectò causa, quæ maximè hostibus terram repromissionis populandi, idest Ecclesiæ virtutes vitandi spatium tribuat : videlicet si defit ei Doctor, & spiritualium fabricator armorum, quæ Apostolus aduersum nequissimi tela ignea docet esse tenenda. Cauent enim, quantum valent, improbi tentatores, ne induamus arma Dei : ne gladij ancipites in manibus nostris ad faciendam in eis vindictam, appareant.

6 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Rabb. in Glossa. Diabolus quoque per Paganos, per Hæreticos, & per falsos Chrustianos studet prohibere, ne sint Doctores in Ecclesia, qui spiritualia arma faciant, & nobis ad pugnandum tribuant. Pagani enim prohibuerunt, ne Christiani liberalibus imbuerentur artibus : Hæretici quoque persuaserunt Principibus, vt Catholici Ecclesiæ defensores in exilium pellerentur, vt desolatam plebem facilius seducerent. Nunc quoque antiquus hostis ab instantia eruditionis Prælatos auertit, vt & ipsos, & subditos facilius decipere possit. *Eadem verba habet* Hugo Victor.

Mystic. Rabban. *Diabolus studium?* *Prælati polleant doctrina?* Hugo. Vict.

7 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Petr. Damian. epist. 106. Philisthæi de terra Israel fabros ferrarios tollunt, cùm maligni spiritus, falsæ pietatis obtentu, zelum correctionis de fratrum labiis auferunt. Vnde & illic subditur : *Cauerant enim Philisthæi, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* Vnde paulò post : *Retusa itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium, vsque ad stimulum corrigendum.* Dum Philisthæi timent gladios, tollunt fabros, vt dum armorum fabricatura compescitur, non sit etiam qui cætera exercendi laboris vtensilia fabricetur. Apostolo quippe testante Ephesior. 6. *Gladius spiritus est verbum Dei.* Hunc gladium quia peruersi timent spiritus, fabros de terra Israel auferunt, dum eos, qui redargiere delinquentium errata debuerant, à tenenda disciplinæ censura compescunt. Et hac negligentiæ dissolutione contingit, vt in seruorum Dei quibuscumque conuentibus non modò sacræ prædicationis sermo cesset audiri, sed & honestarum artium exercitia desinant frequentari. Nam quia districta magisterij eos disciplina non reprimit, propriis voluptatibus dediti, scribere nesciunt, artis honestæ, vel manuum exercitia nulla condiscunt : cùm Apostolus dicat : *Qui non laborat, non manducet.* Vides ergo quia si in sacro conuentu correptionum censura subtrahitur, disciplinæ vigor funditus enervatur, & religio tota destruitur ; quia dum vnusquisque propriæ sequitur voluptatis arbitrium, ad seculania rediens, spiritualis obseruantiæ violat institutum.

Mystic. Petr. Damian *Correptionis necessitas.*

8 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Petrus Berchor. lib. 9. Moral. c. 9. In ciuitate animæ faber est discretio, quam Philisthæi, idest Dæmones ante omnia tollunt, & sic populi illius ciuitatis, idest motus, & affectus sibi penitus seruiunt, & obediunt. Vnde in Prouerbiis dicitur : *Vbi non est gubernator, populus corruet.*

Mystic. Berch. *Prudentia quam necessaria?*

9 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Lira. ibi. Huiusmodi fabri sunt Doctores, & Prædicatores, qui contra Dæmonum insultus fideles armant, suis sanctis exhortationibus ; propter quod illi, qui eos impediunt in tam bono actu, ministri sunt Dæmonum.

Morali. Lira. *Prædicatorũ necessitas.*

10 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Abul. ibid. q. 19. Quia quanquam Philisthini iuberent ne fierent aliqua arma in terra Israel, dum tamen manerent ibi fabri, facerent aliqua, licèt occultè, ideò vt securius esset Philistinis traduxerunt omnes fabros, qui olim erant in terra Israel, in terram suam.

Literal. Moral. Abul. *Occasio tollenda.*

11 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Idem ibidem. q. 20. Rabbi Dauid Kimhi dicit, quod Samuele perueniente ad sensum, prævaluerunt contra Israelitas Philisthini, & imposuerunt eis hoc iugum,

Literal. Idem. Rabbi Dauid. *Hoc iugum quando impositum?*

ugum, & alia iugi tributorum. Sed dicet aliquis contrà, quia supra c. 7. *Liberauit Samuel Israel de manu Philisthiim & fuit manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus Samuelis.* Dicendum est, quod ista seruitus fuit posita à longo tempore; nam Philisthini dominabantur continuè Israelitarum ab antiquitate, scilicet antequam esset iudex in Israel Samson, & fortè tunc, vel tempore Heli fuit posita eiusmodi seruitus, quæ nunquam postea ablata est, vsque ad tempus Saulis, in quo aliquatenus respirauerunt Iudæi de iugo Philisthinorum: nec tamen prorsus liberati sunt. Cùm autem dicitur, quod *fuit manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus Samuelis*, hoc fuit quantum ad hoc, quòd non adderent quotidie nouum iugum, sicut facere soliti erant, cùm Israelitæ non haberent defensorem.

Mystic. Hugo. Charen. *Dolim quotiès?*

12 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Hugo Charensis in Postilla. Multi sunt Doctores, & multi Prædicatores, sed pauci fabri ferrarij, quia pauci sunt, qui ob studium, & amorem verbi Dei sustineant ardorem, aut laborem, vt faber ferrarius facit.

Literal. Marian.

13 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Ioan. Marian. in Biblia trium PP. Probabile est fabros ferrarios fuisse inter Hebræos, sed ex Philisthinorum genere, exortoque bello, ad suos profugisse eos fabros.

Literal. Mendoza.

14 *Porrò faber ferrarius non inuenichatur.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Philisthinorum scopus erat vt omnia armorum genera de toto Regno ablegarent. Hoc autem vt efficerent, non satis esse iudicarunt vsum prohibere, quia clam fabricarentur: sed fabricandi potestatem penitus auferre. Et propterea omnes fabros de terra Chanaam exulare voluerunt, & fortasse in suam Palæstinam conuigrare, vt ibi cautiùs detenti nullam repatriandi occasionem inuenirent. Atque hæc fuit ratio ex parte Philisthinorum, cur Hebræos ita suis annis denudarent. Nam ex parte diuinæ Prouidentiæ longè alia ratio fuit, quam Gregorius attigit: *Armati*, inquit, *ab inermibus vicli sunt, vt totum, quod vincitur, omnipotentiæ Dei laudibus tribuatur.*

Greg.

Literal. Sanct. *Deus victoriæ autor.*

15 *Porrò faber ferrarius non inueniebatur.* Centumpurcolanus, n. 54. Quo magis appareat quemadmodum omnis à Deo victoria sit, quàmque expediat illius tutelæ, ac curæ, bellorum administrationem, & pondus esse commilà, ostendit, quam infirmæ fuerint Hebræorum vires, cùm ex magno militum numero sexcenti tantummodò relicti fuerint; cùm starent contra triginta millia currium, & ea equitum, ac peditum multitudo, vt cum arena maris conferri posset.

Mystic. Eucher. *Prædicatores seruatoribus ne impediantur.*

16 *Cauerant enim Philisthiim, &c.* Eucher. vel potiùs autor Comment. in Reg. Arma, quibus contra Diabolum repugnantes, libertatem à Domino nobis donatam defendamus, quæ sunt alia, nisi eloquia Scripturarum, in quibus & ipsius Domini, & Sanctorum eius exemplis, quo ordine bella vitiorum superari debeant, luce clariùs discimus? Sed Philisthæi filiis Israel fabris armorum priuant, cum maligni spiritus animos fidelium à meditatione sacræ Lectionis, sæcularia illis negotia inserendo, retardant; ne vel ipsi per huius exercitium resistendi fiduciam sumant: vel alij forte, qui legere nesciunt, ad resistendum vitiis, exhortando, aut corripiendo accedant.

Histor. Seuer.

17 *Cauerant enim Philisthiim, &c.* Seuer. Sulpit. lib. 1. sacræ Histor. In maxima ferramentorum inopia exercitus erat, adeò vt præter Saul, & Ionathan filium eius, nemo gladium, aut lanceam habuisse tradatur; nam Allophili superiori bello victores vsum Hebræis ademerant, nec cuiquam conficiendi teli bellici, aut rustici ferramenti potestas fuerat.

Literal. Theodor.

18 *Cauerant enim Philisthiim, &c.* Theodoret. ibi. quæst. 3. Cùm eos vicissent alienigenæ, vniuersum ferrum acceperunt, & prohibuerunt, ne possiderent aliud; quamobrem apud eos fiebant agri colendi instrumenta. *Eadem verba habet* Procopius.

Procop.

Literal. Lira.

19 *Cauerant enim Philisthiim.* Liran. ibi. Quia Philisthiim dominantes Hebræis, transtulerant fabros de terra Israel in terram suam, ne fabricarent eis arma.

Literal. Author Catenæ.

20 *Cauerant enim Philisthiim, &c.* Autor Catenæ. Displicet lectio Angelomi *cranerant*, neque enim solùm curauerant, sed lege, & sanctione cauerant, vtpote Hebræis dominantes tanquam seruis, nimirum, ne aliquando rebellarent, & seruitutis iugum armati excuterent. Quæ consuetudo seruos armorum vsu priuandi, insolens non fuit apud alias etiam gentes; de quo plura eruditè noster Mendoza in præsenti. Plures etiam Reges, & Tyranni subditis quibus parum fidebant, arma interdixerunt, sic enim præstitit Dionysius Siciliæ tyrannus, & Nabuchodonosor apud Iudæos ipsos: Traianus quoq; Dagis: Probus Imperator Germanis, vt Autor est Dio Cassius. Sed & Iustinianus Imperator *Nouell.* 85. c. 4. iussit, ne se inscio, nec annuente, quis arma fabricari præsumeret.

Mendoza. Dio Cass. Iustin.

VERSVS XX.

Vulgat. Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum.

Vulgata.

Benedict. Ligonem, & securim, & tridentem, & sarculum. *Et in marg.* Securim, & instrumenta fabrilia.

Benedict.

VERSIONES.

Hebraïc. ex Xante Pagn. Descendebántque omnis Israel ad Pelistim, vt acuetet vnusquisque vomerem suum, & ligonem suum, & securim suam, & sarculum suum.

Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatab. Quin omnes Israelitæ descenderunt ad Palæsthinos: quisque scilicet ad reficiendum cultrum suum (aratri,) vomerem suum, securim suam, & sarculum suum fossorium.

Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et descenderunt omnis Israel ad terram Pælisthæorum ad acuendum vir stimulum suum, & paxillum iugi sui, & securim suam, & ferramenta sua.

Ariasm.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et descendebat omnis Israel in terram Philisthiim, vt fabricaret quilibet falcem suam, & instrumentum suum, & vnusquisque securim suam, & falcem suam.

Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtia. Et descendebant vniuersus Israel ad terram alienigenarum, fabricari vnusquisque melsorium suum, & vas suum, & vnusquisque securim suam, & marram suam.

Sixtian.

Simmach. Vomerem, & ligonem suum, asciam, & dolabram suam.

Simmac.

Aquila

Aquila. *Aquila* pro *falce*: tridentem suum.
Theodot. *Theodot.* pro *falce*: stimulum bouis.
Procop. *Procop. ibi.* Falcem, instrumenta, & arma sua, & quisque securim suam.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. *Humana littera ad diuinas.*

1 *Descendebat ergo omnis Israël ad Philisthiim.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 3. Ad Philisthæos descendimus, quando ad discendos seculares libros animum inclinamus; & descensus dicitur, quia Christiana simplicitas in alto est. Hanc secularem scientiam omnipotens Deus in plano anteposuit, vt nobis ascendendi gradum faceret, qui nos ad diuinæ Scripturæ altitudinem leuare debuisset. Idcircò eam præmittere voluit, vt in ipsa nos instrueret ad spiritualia transire. Vnde Moyses, qui nobis diuinorum eloquiorum principia edidit, non priùs diuina didicit, sed vt capere, vel exprimere diuina posset, in omni Ægyptiorum scientia rudem animum informauit. Isaias etiam Prophetis aliis eloquentior extitit, quia nec vt Ieremias Anathothites, nec vt Amos armentarius, sed nobiliter instructus, atque vrbanus fuit. Paulus quoque vas electionis ante ad Gamalielis pedes instruitur, quàm rapiatur in Paradisum, vel ad Cœli tertij altitudinem subleuetur. Et ideò fortasse per doctrinam aliis Apostolis excellit, quia futurus in cœlestibus, terrena priùs studiosus didicit.

Mystic. Beda. *Profana scientia non vtendum?*

2 *Descendebat ergo omnis Israel, &c.* Beda lib. 2. exposit. Allegor. cap. 8. Descendunt & hodie nonnulli relicta altitudine verbi Dei, ad quod audiendum ascendere debuerant; auscultántque fabulis secularibus, ac doctrinis Dæmoniorum, & legendo Dialecticos, Rhetores, Poëtásque Gentilium ad exercendum ingenium terrestre, quasi ad fabros Philisthiim, pro exacuendis syluestris, siue ruralis culturæ ferramentis, inermes, hoc est spirituali scientia priuati conueniunt.

Mystic. Damian. *Religiosi ad seculares ne descendat?*

3 *Descendebat ergo omnis Israel.* Petrus Damian. epist. 106. Descendebat Israël ad Philisthæos. Non ascendit, sed descendit, vt vtensilia suæ necessitatis exacuat, cùm sancti ordinis viri ad secularium ima declinant, vt ab eis commodum cuiuslibet vtilitatis acquirat.

Literal. Abul.

4 *Descendebat ergo omnis Israel.* Abul. ibi q. 20. Iste descensus erat ad paranda rustica instrumenta, dum Philisthinis, & Iudæis pax fuit. Postea autem nec Philisthini impunè hoc permisissent, nec etiá Israëlitæ, permittentibus Philisthinis, hoc voluissent.

Literal. Mendoza.

5 *Descendebat ergo omnis Israël.* Franc. Mend. ibi §. 1. Omnis Israël descendebat, idest, per Synecdochen, magna pars Israël descendebat, idest descendere solebat in Palæstinam, quæ sicut erat mari vicinior, ita erat & situ inferior, & propterea descensu adeunda, vt eiusmodi instrumenta exacuerent, & intellige etiam cum Abulensi, vt si opus esset, emerent, aut denuò fabricanda curarent.

Literal. Sanctius.

6 *Descendebat ergo omnis Israel.* Gaspar. Sanct. ibi num. 57. Non est credibile in regionem Philisthinorum, quæ à multis partibus Israëlitidis regionis longè distabat, descendisse Hebræos: vt vomerem, aut ligonem acuerent, sed habuisse Philisthinos variis in locis Israëlis stationes suas, & in his ferratas officinas, ad quas cùm retusi essent ligones, vomeres, & secures, recuderentur ad rurale negotium.

Literal. Ioann. Eusseb.

7 *Descendebat ergo omnis Israël.* Ioann. Eusseb. Nieremberg. 6. Stromat. cap. 3. Sic Natio effera dominabatur populo Dei, vt arma interdixisset ipsi, nec officinam ferrariam suis permittebat vsibus inusitatâ tyrannide, nec vomeris, aut sarculi acuendi copia fuit, nisi ad hostium peregrinam itinerantibus reglouem.

Tropol. Greg. *Vita contemplatiua cum actiua?*

8 *Vnusquisque vomerem suum, & ligonem.* Greg. suprà. Quid in vomere, qui præcuntibus bobus trahitur, nisi affectus geminæ charitatis insinuatur? Et quid in ligone, quo solus quisque in agricultura exercetur, nisi priuatæ vitæ studium ostenditur? Quidam namque diuites, & fortes ruricolæ in bobus arant, quia & Dominum fortiter diligunt, & per fraternum amorem animarum lucris diligentius intendunt. Vomerem igitur apud Philisthinorum fabros acuunt, quia sanctæ prædicationis studium de seculari eruditione componunt. Nonnulli verò vt pauperes ligone vtuntur, quia qui ad lucrandas aliorum animas se non posse sufficere arbitrantur, sibi solis non desinunt præparare de æternitate, quod possunt.

Mystic. Angelom.

9 *Vnusquisque vomerem suum, & ligonem.* Angelom. in Stromatib. Vomeres, atque ligones, seu cætera ferramenta, spiritualiter testimonia, seu sententias indicant sacræ Legis. Quibus testimoniis Sacerdotes Ecclesiæ in pace eiusdem Ecclesiæ ad eruditionem tantummodò populi fidelis, quasi ad agriculturam iuxta Historiæ simplicitatem vtuntur. Hoc non absurdè intelligi datur, quia controuersia Hæreticorum exercitia sunt Catholicorum, & malorum contentio bonum acuit sensum; & aduersitas impiorum, sinistra sunt arma iustorum.

Mystic. Gregor.

10 *Ligonem, & securim.* Greg. suprà. Securi non terram fodimus, sed ramos arborum detruncamus. Quid ergo aliud insinuat securis, nisi zelum bonæ æmulationis? Nam quando ad imitanda bonorum exempla succendimur, velut ramos nobis incidimus, quibus ignem de pellendis negligentiæ nostræ frigoribus, nutriamus. Hanc securim nos tenere Paulus Apostolus præcipit, dicens: *Bonum æmulamini in bono omnes.* Galath. 4. Quæ nimirùm securis acuitur, quia eruditi fideles, sicut melius agnoscunt exempla fidelium, ita & feruentiùs imitari concupiscunt. Galath. 4.

Literal. Abul.

11 *Ligonem, & securim.* Abul. ibi quæst. 20. Ligo, & sarculum sunt rustica: securis autem ad opera carnium magis pertinet, quanquam potest transferri ad alia opera sectionis. Ligo ad fodiendum est, sarculum autem ad scindendum vepres, & resecandũ omnia arbusta, quę impedunt agriculturam.

Literal. Caiet.

12 *Ligonem, & securim.* Caietan. ibi: Non sis sollicitus de nominibus instrumentorum ad colendum terram, quæ in littera numerantur, quoniam vna est ratio omnium.

Literal. Author Catenæ. Caiet.

13 *Ligonem, & securim.* Autor Catenæ. Hæc nomina variè ab Interpretibus leguntur, vt suprà in versionibus ostendimus. Quare Caietano consentiens non multùm de illis laborandum censeo, cùm in exemplum solum adducantur. Hæc ergo quæcumque illa fuerint, emebant Hebræi à Philisthinis, apud quos fabri ipsorum detinebantur, vel ad ea apparanda, & acuenda eos agricolæ conuenichant.

Mystic. Gregor.

14 *Et sarculum.* Greg. suprà. Sarculum, siue tridens subtiliùs terram fodit, ita vt non tam fodere, quam scalpere, & glebas confringere cognoscatur. Quid per hoc tridens sarculum, nisi virtus discretionis exprimitur per quam certè, dum acta, vel agenda subtili consideratione discutimus, velut serendæ terræ nostræ glebas, internum puluerem contemplamur?

VERSVS XXI.

Vulgata. *Vulgata.* Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium, vsque ad stimulum corrigendum.

Benedict. *Bened. in marg.* Vsque ad stimulum acuendum.

Gloss. *Text. Gloss. in margin.* Ruptæ itaque erant acies vomerum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et erat lima vomeribus, & ligonibus, & tridentibus, & securibus, & ad acuendum stimulum.

Vatab. *Hebraica ex Francisc. Vatab.* Quandoquidem acies cultrorum (aratri,) vomerum, furcarum, tridentium, & securium obtusæ erant, & ad reficiendum stimulum.

Ariasm. *Chald. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et fuit eis lima ad acuendum in ea fracturam omnis vasis ferri ad fabrilia, & ad paxillum iugorum, & ad instrumentum fullonum, cui tres dentes, & ad secures, & ad stabilimentum stimuli.

Complut. Regia. *Grac. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et erat vindemia parata ad metendum, instrumenta autem erant tres sicli in dentem, & securi, & falce, & ad corrigendum stimulum substantia erat eadem.

Sixtia. *Grac. ex Septuagint. in Sixtia.* Et erat vindemia parata ad metendum: vasa autem erant tres sicli in dentem, & securi, & falci, substantia erat eadem.

Caietan. *Caiet. ex Hebræo.* Et erit multiplicatum os vomeribus, & ligonibus, & securibus, & ad rectificandum stimulum.

Marian. *Ioann. Marian. Hebræo.* Et erat lima dentata vomeribus.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Retusæ itaque erant acies vomerum.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 3. Non dicuntur acies replicatæ, aut attritæ, sed retusæ; nam si replicatæ essent, aut attritæ omninò, nihil inciderent: retusa verò acies, etsi celeriter non incidit omnia quædam obiecta, in mora laboris secat. Sic nimirùm corda simplicium, quæ si subtiliter spiritualia non intelligant, dum tam tardè quædam intelligunt, acuitatem ingenij non acutam habent, sed retusam, sæpè enim discutere obscura volunt, sed dum vix diu cogitando, ad ea etiam, quæ sunt aperta, perueniunt, velut retusâ acie morando incidunt.

Mystic. Damian. *Correctio necessaria?* 2 *Retusæ itaque erant acies vomerum.* Petrus Damian. epist. 135. Retusæ sunt acies vtensilium, cùm zelus, & feruor extinguitur magistrorum, nec stimulus est, qui pungat, cùm deest, qui delinquentium peccata corripiat. Hunc pungentem se Paulus stimulum sentire cœperat, cùm vox illa diuina dicebat: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Actor. 9. 5.

Literal. Abul. Arbr. 3 *Retusæ itaque erant acies vomerum.* Abul. ibi quæst. 24. In Hebræo dicitur: *Duplex erat lima vomerum, & ligonum*, quod intelligunt Iudæi, scilicet quòd erant duæ limæ ad parandum omnia instrumenta, scilicet quòd per limaturam fieret apparatio. Sed istud non stat, quia vomeres & ligones & reliqua, quæ exprimuntur, non exacuuntur limando, sed alijs modis. Nihil ergo ista littera prodesset, si sic intelligeretur, quia non esset ad propositum. Littera autem nostra cõuenienter transtulit sensum ex sensu, licet non verbum ex verbo. Est autem modus intelligendi; quoniam lima vocatur hic acies gladij, scilicet quia acies est ad secandum, vel limandum. Dicitur autem, quòd lima erat duplex, idest duplicata, scilicet quia ex diuturnitate operationis, acies, vel lima instrumentorum erat duplicata, scilicet conuersa à rectitudine, itavt non posset secare; & hoc sonat istud nomen *Retusa* quoniam ex tunsionibus, scilicet percussionibus fit retusio.

Literal. Caiet. 4 *Retusæ itaque erant acies vomerum.* Caiet. ibi. Duplex sensus potest esse: alter vt significetur effectus subsecutus ex percussione prædicti Philisthinorum acti à Ionatha; videlicet quòd ex tũc Israelitæ tanquam rebelles Philisthinis non ausi sunt ire ad terram Philisthæorum ad acuendum huiusmodi instrumenta agriculturæ, & propterea narratur, quòd in huiusmodi instrumentis effecta sunt ora multa, quod nos diceremus effectos in eis dentes multos. Alter sensus est, vt significetur remedium adinuentum in tali necessitate, videlicet, quòd vtebantur limis ad acuendos vomeres, ligones, & stimulos; lima enim infinita habet ora.

Literal. Author Catenæ. Hebræi. Pagn. Abul. 5 *Retusæ itaque erant acies vomerum.* Author Catenæ. Cùm sententiæ huius facilis sensus sit, ex Textu Hebraico difficilis redditur, vbi iuxta Pagninum *erat lima vomeribus*, & iuxta Abulensem *erat duplex lima vomeribus.* Quod ita Hebræorum magistri interpretantur, vt dicant in iis iudicari remedium, quo Israelitæ fabris priuati ad acuenda rustica, aut domestica instrumenta vtebantur, lima videlicet, qua illa exacuebant, cùm cotes quoque non haberent. Sed quorsum hæc? Cùm de armorum indigentia, & instrumentorum penuria agatur, quid ad rem remedium, quo ad ea exacuenda Hebræi vtebantur? Deinde ad ea instrumenta apparanda inepta lima est; incúsque, malleus, & cos necessaria erant. Si etiam limis eis vti liceret, liceret & cotibus: neutrum autem permittebatur, ne ad arma fabricanda, aut apparanda pateret aditus. Est ergo sensus, quem Abulensis exprimit supra, scilicet ruralia instrumenta diuturno vsu obtusa esse, & in modum limæ hebetia, & inæqualia; neque enim ex primo prælio, quod mouit Ionathas, ad Philisthinos descendere Israelitæ audebant. Vnde armorum penuria innuitur, siquidem necessarijs etiam ad humanam vitam instrumentis vix dabatur vti, cùm ea exacuere, & apparare non liceret. Idem.

Septuag. Textus vero Græcus ita obscurus, & difficilis est, vt à nullo satis explicetur: scilicet: *Et erat vindemia parata ad metendum*, cui quidem typographiæ mendum irrepsisse, mihi habeo. Si vero diuinare potiùs, quam interpretari liceat, ita potest exponi, vt instrumentorum penuria sic expendatur, siquidem instante iam, vel præsente vindemiæ tempore, instrumenta ad vindemiam necessaria & ad putandas vites, & fodiendas vineas, quod vindemiam subsequitur, requirebantur. Reliqua autem quæ addunt Septuaginta: *Vasa autem erant tres sicli in dentem, &c.* nec satis capio, nec ab vllo Interpretum explicari satis video.

Literal. Abul. *Tridens quid?* 6 *Et tridentum, & securium.* Abul. ibi quæst. 24. Tridentes possunt hic vocari rastri, qui dentes habent, & pertinent ad rusticum opus; vel vocatur tridens fasciculum, quia aliquando falcatum est, idest curuum, in modum falcis, & dentatum. Vel propriè potest accipi tridens pro instrumento coquinario, scilicet, pro fuscinula, quæ in ollam mittitur ad exponendas carnes, & in quadam extremitate

mitate dentata est ad arripiendas carnes, & leuandas de olla.

Mystic. Moral. Gregor. *Reprehensio stimulus.* Eccles. 12.

7 *Vsque ad stimulum corrigendum.* Greg. suprà. Stimulus dicitur increpatio Prælatorum, vnde & scriptum est: *Verba sapientum sunt quasi stimuli.* Eccles. 12. Stimulus quidem increpatio dicitur, quia dum culpas arguit, mentem pungit. Sed retusus est stimulus, quando Prælati languet intellectus, vt subditorum culpas, nec cognoscendo reperiat: nec inueniendo reprehendat.

Literal. Abul.

8 *Vsque ad stimulum corrigendum.* Abul. ibi. q. 24. Ista littera non continuatur immediatæ litteræ, sed superiori, ad illud verbum: *Descendebat* scilicet *vnusquisque*, descendebat, vt exacueret in terra Philisthiim vomerem, & ligonem, & securium, & vsque ad stimulum corrigendum, idest etiam vsque ad hoc, quod minimum est.

Literal. Comest.

9 *Vsque ad stimulum corrigendum.* Comest. in Histor. Schol. c. 12. Idest ad emendandum, & exacuendum. Vel ita: ad stimulum, qui est ad corrigendum, subaudi Boues.

Literal. Author Catenæ. Abul.

10 *Vsque ad stimulum corrigendum.* Author Catenæ. Verba hæc subiungenda credit Abulensis illis superioribus v. 20. scilicet: *Descendebat ergo omnis Israel, &c.* & tandem: *Vsque ad stimulum corrigendum.* Sed non assentior, cùm ibi superior periodus concluſa fuerit, & suppositus punctus, quo sensus perfectus significetur. Potiùs ergo construi cum consequentibus debent in hunc sensum: Retusa quidem adeò vniuersaliter instrumenta ruris erant, vt stimulus ipsi bouis, quod minimum quidem est, apparatione, & politione indigeret.

VERSVS XXII.

Vulgata. *Vulgata.* Cúmque venisset dies prælij, non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule, & Ionatha excepto Saul, & Ionatha filio eius.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagnin.* Et fuit in die prælij non est repertus gladius, & lancea in manu omnis populi, qui erat cum Saul, & cum Ionathan; & repertus est ipsi Saul, & Ionathan filio eius.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Quando igitur imminebat dies prælij, non inueniebatur nec gladius, nec lancea in manu totius populi, qui fuit cum Saul, & cum Ionathan: Sauli tamen, & Ionathan filio eius inueniebatur.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et fuit in die belli, & non inuentus est gladius, & hasta in manu totius populi, qui cum Saul, & cum Ionathan. Et inuentus est Sauli, & Ionathan filio eius.

Complut. Regia. *Graca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et factum est in diebus belli, & non est inuentus ensis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saül, & Ionathan, & inuentus est Saul, & Ionathan filio eius.

Sixtian. *Græc. ex Septuagint. in Sixtian.* Et factum est in diebus prælij Machmas, & non est inuentus gladius, & lancea in manu vniuersi populi, qui cum Saul, & cum Ionathan, & inuentus est Sauli, & Ionathan filio eius.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Et erit in die belli, & non fuit inuentus ensis, & lancea, &c.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Moral. Beda.

1 *Cumque venissent dies prælij.* Beda lib. 2. expos. Allegor. c. 8. Cùm quotidie instet dies prælij contra aduersarias potestates, plurimis sua rusticitate contentis, pauci admodum idonea lectione, vel auditione Scripturarum, ad hoc prælium ritè armati procedunt. Vnde nostro torpore adiutus quotidie facit nobis spiritualis, quod tunc Israeli carnalis aduersarius fecisse describitur.

Mystic. Greg. *Lancea, & ensis quid?*

2 *Non est inuentus ensis, aut lancea.* Gregorius libr. 5. Variarum, cap. 3. Quid per lanceam, nisi Sanctorum Prædicatorum acuta prouidentia accipitur? Et quid per ensem nisi eorum intelligentiæ subtilitas demonstratur. Per lanceam quippe longè nobis ante obiecta perfodimus, per ensem verò vicini, & ferè coniuncti nobis hostes trucidantur. Bene ergo in lancea, prouidentia electorum ostenditur, per quam occultos hostes percutiunt, antequam vicinum eorum impetum patiantur. Dum enim futuras Dæmonum insidias coeundo præueniunt, velut à longe lanceâ feriunt, quorum vicinos excipere ictus nolunt. Bene etiam per ensem intellectus exprimitur, quia qui prauas maligni spiritus suggestiones in præsenti tempore cognoscit, & abiicit, velut vicinum, & iuxta se positum hostem ferit.

Literal. Abul.

3 *Non est inuentus ensis, aut lancea.* Abulens. ibi. quæst. 24. Dicit Rabbi Dauid, quòd habuerunt alia genera armaturæ, scilicet tela, arcus, & fundas. De fundis enim, & arcubus satis accipi posset, quia sine fabris ista fieri possunt: de telis tamen eadem ratio est, quoniam arma ferrum habentia sunt. Non est intelligendum, quòd in toto populo nullus erat, qui haberet arma, aliqua enim erant arma, sed in comparatione tanti populi, quasi nulla erant; alioquin non solùm hìc, sed etiam in bello Ammonitarum dictum fuisset, quòd non est inuentus ensis, aut lancea in manu totius populi; sed nihil dicitur, quasi intelligatur, quòd haberent arma, vt patet *suprà cap.* 11. Hic autem dicitur, quòd non est inuentus ensis, aut lancea, quod intelligendum est, quantum ad sexcentos viros, qui erant cum Saul, & Ionatha; accidit enim quòd isti nulla arma haberent, quanquam aliqui alij de Israel haberent arma. Hoc patet, quia dicitur hìc: *In manu totius populi, qui erat cum Saule, & Ionatha.*

Literal. Carthus. Ioseph.

4 *Non est inuentus ensis, aut lancea.* Carthus. ibi. art. 25. Contra hæc argui potest, quoniam filij Israel iamdudum interfecerunt filios Ammon, quod sine armis, & gladiis facere non valebant; imò & occisorum illorum arma diripuisse videntur, sicque abundasse armis. Ad hoc Iosephus ait, quòd Philisthiim abstulerunt arma dumtaxat illis, qui erant in Gabaa iuxta eos, & hi soli manserunt cum Saul, & Ionatha, cæteris in fugam versis, atque latentibus. Porrò in prælio contra Ammonitas vniuersæ Tribus fuerunt, inter quas multi gladios habuerunt, & lanceas.

Literal. Caiet.

5 *Non est inuentus ensis, aut lancea.* Caiet. ibi. Admiratione non caret, quòd ante istum conuentum populi in Galgalis ad bellum præcesserat victoria contra Hammonitas. Mirum enim videtur, quòd ex tanta victoria non retulerint Israelitæ multitudinem ensium, & lanceatum ex Hammonitis; iam enim habebant Regem ad respirandum contra Philisthinos.

LITERAL. Vatab.

6 *Non est inuentus ensis, aut lancea.* Vatabl. in Schol. Vtebantur fundis, & arcubus, & fudibus præustis.

LITERAL. TROPOL. Mendoza. *Mortis prælium præueniendum.*

7 *Non est inuentus ensis, aut lancea.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Mihi videtur hoc loco non solùm ostendi armorum penuria, sed etiam reprehendi Hebræorum incuria, qui prælium instare sentientes eorum defectum armorum aut non videbant, aut non curabant: Quos illi mystice imitantur, qui diem mortis (quem meritò dixeris diem prælij) sibi quamcitissimè affuturum non dubitantes, nulla sibi comparant spiritualia præsidia, quorum se inopia sentiunt laborare: quæ tamen prælio iam vrgente sibi non fuisse antea comparata, frustrà ingemiscent.

LITERAL. Sanctius.

8 *Non est inuentus ensis, aut lancea, &c.* Gasp. sanct. ibi. num. 62. Difficile videtur duos tantùm in Saulis exercitu hastam, & gladium habuisse, cùm proximè percussisset Ionathas stationem Philisthinorum, & paulò antè Saul Ammonitarum exercitum, vnde armorum satis comportari potuit. Quidam respondent, non illam in Israele toto armorum esse penuriam, sed tantùm in sexcentis viris, qui de exercitu toto reliqui fuêre cum Saule. Ergo in eo exercitu multò plures fuisse arbitror: Saul enim sexcentos secum milites adduxit in Gabaa, vbi aderat Ionathan cum suo exercitu: De vtroque autem iam in vnum coacto dictum esse duos tantùm inuentos esse gladios, ex eo constat, quia tantùm duo illorum agminum duces Saul, & Ionathas gladio, & hasta armati esse dicuntur. Ego hoc primum verum esse arbitror in eo exercitu hastas tantùm, & gladios esse duos; in toto verò Israel esse plures alios.

LITERAL. Menoch.

9 *Non est inuentus ensis, & lancea.* Stephan. Menoch. in sua Biblia. Crediderim plerosque milites, qui Sauli adhæserant, fuisse ex Gabaa, quæ illis cum Saule communis erat patria. Gabitæ autem fundâ iaciendis saxis plurimum valebant *Iudic. c.* 20. 16. Quare non improbabile eos alia armorum genera neglexisse, vt postea Dauid cum Goliath pugnaturus.

LITERAL. Author Caten.

10 *Non est inuentus ensis, & lancea.* Autor Catenæ. Ratio huius præsignata iam est, videlicet quòd Philisthini Iudæis armorum vsum interdixerant, fabrosque, ne ea cuderent, à prouincia pepulerant. Vnde facile quidem fuit, vt sexcenti, qui cum Saul, & Ionatha permanserant, armis carerent: alij verò, qui ad latebras, & cauernas confugerant, aliqua fortè haberent, quæ clam, & quasi furtiuè aliunde traxerant, vel quæ ex Ammonitarum, quos nuper vicerant, spolio reseruauerant. Hæc verò cùm respectu tanti populi, tantique belli perexigua essent, tanquam nulla reputantur. Sudibus ergo, fundis, & lapidibus prælium peragendum erat, vt bellum etiam contra Ammonitas gestum creditur. Cui quidem existimationi consentiunt Rabbi Dauid, Vatabl. Isidor. Clarius, & alij nuper relati; arma enim solùm quæ ferro constant, ab alienigenis prohibebantur.

Rabbi Dauid. Vatab. Isidor. Clar.

TROPOL. Author Catenæ. Abul. Torniell. Sanctius.

11 *Non est inuentus ensis, & lancea.* Autor Catenæ. Hæc sententia, quam mihi probaram habeo Abulensis, Tornielli, & Sanctij constat, sexcentos illos, qui cum Saule durauerant, armis caruisse, non verò illos etiam, qui aufugerant, vnde adnotes velim primò eos, qui armis instructi fortiores esse debuerant, turpiter fugæ commissos, inermes verò strenuè perstitisse: alterum, eos, qui totius spei auxilio diffiderant, vtpote commilitonibus, & armis spoliati, constantissimè locum suum retinuisse: illos verò, qui humani auxilij, & armorum virtuti confiderant, ignominiosis latebris abditos fuisse. Vbi etiam Dei digitum agnoscit Salianus noster, cuius moderante Prouidentiâ, per inermes viros munitissimas Philisthinorum copias debellandas esse decreuit.

MYSTIC. Gregor.

12 *In manu totius populi.* Greg. supra. Nonnulli præsentia mala apertè conspiciunt, sed hæc vitare minimè conantur. Hi nimirum ensem, & lanceam habent; sed in manu non habent. Benè ergo in die prælij in manu Saul, & Ionathæ, ensis, & lancea inuenitur, quia solùm electi viri sunt, qui & præsentia, & futura mala intelligant, & ea cordis intentione vincere ardentiùs concupiscant.

LITERAL. Lira. *Rabbinorum commentum.*

13 *Excepto Saul, & Ionatha filio eius.* Lira. ibi. Dicunt Hebræi, quòd miraculosè dati sunt eis gladij. Sed non est verisimile, quòd Scriptura tantum signum tacuisset: nec oportet ad hoc inducere miraculum, quia Reges, & filij Regum multa habent, & maximè de armis, quæ vulgares non habent.

TROPOL. Carth. *Prælatorum debitum?*

14 *Excepto Saul, & Ionatha filio eius.* Carth. ibi. art. 26. Per hoc, quòd prælio imminente non sunt inuenti ensis, & lancea nisi in manibus Saul, & Ionathæ, præfigurabatur, quòd Prælati, & eorum Vicarij debeant tantæ esse perfectionis, quòd quantumcumq; subditi spiritualibus armis priuentur, & passionum immoderantiis agitentur; ipsi tamen in omni virtute, in rationis splendore, in luce sapientiæ perseuerent firmissimè, & mala vincant in bono, suâque bonitate, ac probitate aliorum defectuositates reprimant, & reforment.

VERSVS XXIII.

Vulgata. *Vulgat.* Egressa est autem statio Philisthiim, vt transcenderet in Machmas.

Bened. *Bened. in marg.* Vt transcenderet vltra Machmas.

Gloss. *Text. Glossa in margin.* Egressi sunt Principes exercitus, &c.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et egressus est Præfectus Pelisthim ad transitum Michmas.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Egressa est statio Palæsthinorum ad transitum Michmas.

Ariasm. *Chald. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et exiuit dux Pelisthæorum ad vadum Michmas.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Compl. & Regia.* Et egressus est de statione Philisthiim trans Machmas.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et exiit de statione alienigenarum trans Machmas.

Vatab. *Vatabl. in Schol.* Exiuit autem præsidium Palæsthinorum.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Greg. 1 *Egressa est autem statio Philisthiim.* Greg. lib. 5. Variar. c. 4. Philisthinorum statio egreditur, quando malorum spirituum turba electis mentibus per suggestiones noxias demonstrantur. Quæ nimirùm idcircò statio dicitur, quia electorum bella describuntur. Stare quippe malignis spiritibus, est in electorum pugnas magnas vires exercere, nam stando validiùs vnusquisque, quàm sedendo conari ad aliquid faciendum potest.

2 *Egressa*

Mystic. Beda.

2 *Egressa est autem statio Philisthim.* Beda lib. 1. Exposit. Allegor. cap. 8. Arma quippe non habendo Israel hostibus patriam prodidit, & nos desidiâ, vel legendi, vel magistros spirituales interrogandi, quasi incuria fabricandi, arma, vel Israelitas fabros petendi, occasionem damus hostibus, quò post oppressam humilitatem, quam Machmas obsessa significat, etiam cæteris virtutibus quasi tertæ sanctæ finibus arma impietatis inferant.

Literal. Vatabl.

3 *Egressa est autem statio Philisthim.* Vatabl. in Schol. Exiuit præsidium, idest in vlteriorem partem, quæ erat inter Michmas, & Gabaa-Beniamin, præsidium transtulerunt.

Mystic. Gregor.

4 *Vt transcenderet in Machmas.* Gregorius suprà. In Machmas ascendere gestiunt, quando paruulorum corda decipere tentando moliuntur.

Literal. Abul.

5 *Vt transcenderet in Machmas.* Abulens. ibi. quæst. 24. Idest exierunt de loco illo, in quo erant vt irent vltra Machmas, vel ad ipsum locum. Et non intelligitur hoc de illis tribus cuneis, qui egrediebantur ad prædandum, de quibus suprà dicitur, sed de ipsis castris totalibus Philisthinorum.

Literal. Hugo Cha.

6 *Vt transcenderet in Machmas.* Hugo Charens. in Postilla. Sic construe: statio Philisthim existens, supple in Machmas, egressa est, vt scilicet alibi ascenderet.

Literal. Mendoz.

7 *Vt transcenderet in Machmas.* Franc. Mend. ibi, §. 1. Duplex esse potest expositio: vna statio Philisthinorum, quæ erat in Machmas, moueri cœpit, vt inde transcenderet, ita vt illud in Machmas non cum verbo *transcenderet*, sed cum nomine *statio Philisthinorum* construatur: altera, vt illud *in Machmas* sit idem atque *vltra Machmas*. Erat antea in Machmas, sed modò progressa est vlterius versus Saulem.

Literal. Sanct.

8 *Vt transcenderet in Machmas.* Gasp. Sanct. ibi. num. 63. Erat Machmas non procul à Gabaa Beniamin, vbi erat statio Philisthinorum, quam Ionathas paulò ante percusserat, qui cùm attriti iam essent Ionathæ victoriâ, neque resistere se posse considerent, vtriusque ducis viribus iam proximè coniunctis, statione relictâ, ad sociorum castra se receperunt, quibus vtilem aliquam operam nauaturi videbantur.

Literal. Author Catenæ. Abul. Charens. Vatab. Cornel. Mend. Hieron. Sanct.

9 *Vt transcenderet in Machmas.* Autor Catenæ. Cùm suprà cap. 5. dicti fuerint Philisthini castrametati fuisse in Machmas, seu consedisse, quæris quomodò dicantur modò in Machmas transcendisse? Respondent Abulensis, Charensis, Vatablus, Cornelius, & Mendoza sensum esse iuxta Hebræum, & Chaldæum: *Vt transcenderet vltra Machmas*, vel vt locum ipsum Machmas occuparet, nam antea campestria tenebant, est autem Machmas, vt docet Hieron. de Locis Hebraic. vicus grandis in finibus Æliæ. Cæterùm potiùs assentior Sanctio nostro, qui stationem non pro castris Philisthinorum, sed pro illa cohorte, quæ fuerat in præsidio in Gabaa, & quam armis labefactauerat Ionathas, sermonem esse existimat, quod mihi quoque certum est; Hi enim vt iam erant ad resistendum impares, cùm suorum exercitum potentissimum proximum conspicerent, ad eos loco relicto sensim dilapsi sunt.

* * *

METAPHRASIS

CAP. XIII.

Ex superiori Interpretum doctrina.

ANNVM iam Saul regnauerat, suppressâ eius dignitate vsque ad Regni eius innouationem: duplex etiam annus excurrit, vsquedum exercitum comparauit; tum demum publicè imperauit tribus hominum millibus ex Israele delectis, quorum duo apud se in Machmas, & in monte Bethel retinuit: mille verò apud filium Ionatham locari iussit in Gabaa Benjamin, quibus hostem contineret, aliis in sua dimissis. Ionathas autem ardore quodam iuuenili correptus præsidium Philisthinorum sibi in Gabaa proximum aggressus, expugnauit. Saul verò patet, vt facti famam ad hostium aures peruenisse credidit, vbique classicum cani iubet, ne læsi hostis furor imparatos Israelitas præoccuparet; illi re cognitâ, & imminentis belli periculo excitati, ad arma confluentes ad oppidum Galgala ex Saulis præscripto conueniunt. Nec minùs interea Philisthini recenti iniuriâ commoti, arma corripiunt; triginta enim militum millibus, qui in falcatis curribus pugnarent, congregatis; & sex millibus equitum, peditum quoq; turba innumerabili, ad vrbem Machmas, in qua Saulem adhuc immorari credebant, confluxére. Validus hinc Israelitarum pectora timor occupat; hostium enim auditâ multitudine sui ipsi diffisi, relictis vnusquisque castris, & abiurata Regis fide ad quæcumque latebrarum receptacula confugiunt. Alij verò, qui à frequenti Iordanis transitu Hebræi potissimum dicebantur, domos suas transacto flumine, vt ab hoste longiùs absint, citissimè repetunt. Tunc Rex qui citatum Samuelem iuxta eiusdem præscriptum septem dies expectauerat, vt eius moras videt, & se à militibus timore perculsis in dies deseri, in fine diei septimi ante occasum solis, vt Deum consuleret, ac placatum redderet, legitimo ad id muneris ministro vsus, holocaustum obtulit, & victimas pacificas mactauerat. Vix ea peregerat, cum Samuel aduentat; occurrenti vero Sauli honoris, & salutationis gratia, facinus obiicit, ac detestatur. Ille vero vt factum excuset, necessitatis se imperio paruisse testatur. Quidnam, inquit, aliud egisse licuit, cùm proximi adessent hostes; mei verò fugâ sibi cõsuluissent: prudenter ergo extimui subitò ab aduersarijs opprimi, cùm potissimũ nec Numen consuluissem, nec reddidissem propitiũ. Cui Samuel: Stultè, inquit, egisti, nec Dei imperio acquieuisti; qui quidem nisi eius mandatum rescidisses, regnum tuum in longissima secula firmasset. Secùs verò iam res agetur; corruet enim breui, nec ad nepotes perueniet; præparauit enim iamdiu Virum sibi concordem, cui Israelitici populi regimen committat. His dictis excessit Samuel Gabaa Benjamin additurus: Saul quoque sexcentis militibus residuis annumeratis, eundem conscendit locum, obuiis quibusdam ex hostibus, viámq; impedientibus expugnatis; ibiq; constiterat, adhuc Philisthæis iuxta Machmas oppidũ commorãtibus. Hinc triplex eorundẽ cuneus, vt Hebræorũ regionem penè desertam prædarentur, egressus est; quorum primus contra viam Ephra tendebat: alius per viam Bethoron declinabat ad partem Septentriona

trionalem: tertius denique contra desertum Edon ad extremam Israelitarum ditionem. Hi verò omni armorum genere spoliati tunc erant, nam ex præscripto Philisthinorum, fabri ferrarij omnisque armorum artifex exulabat, ita vt ad rustica etiam, aut domestica instrumenta apparanda ad hostium prouinciam accurrendum necessariò esset; cùm verò post Ionathæ irruptionem eos vererentur, nec adire auderent, obtusa ferramenta, & pene inutilia erant. Instante ergo die prælij vnus Saül, & filius eius Ionathas armis erant instructi. Sexcenti vero milites iis omninò carebant; ita vt fundis, hastis, seu fudibus agenda res esset. Tum denique Philisthinorum præsidium, quod fuerat in Gabaa, ad suorum exercitum loco relicto transierunt.

LIBRI PRIMI REGVM

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS.

MIRACVLOSAM Ionathas à Philisthinis victoriam comparat, mutuis hostibus vulneribus confossis. Eos Saül insequitur cum exercitu, sed eiusdem Jonathæ, & populi maleficio non omninò delet; Ionathas enim patris præscriptum transgreditur: populus verò Dei legem infringit cum sanguine comedens.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

ET accidit quadam die vt diceret Ionathas filius Saül ad adolescentem armigerum suum: Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicauit. 2. Porro Saül morabatur in extrema parte Gabaa, sub malo granato, quæ erat in Magron: & erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum. 3. Et Achias filius Achitob. fratris Ichabod filij Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo portabat ephod. Sed & populus ignorabat quò isset Ionathas. 4. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc & inde prærupti, nomen vni Boses, & nomen alteri Sene: 5. Vnus scopulus prominens ad aquilonem ex aduerso Machmas, & alter ad meridiem contra Gabaa. 6. Dixit autem Ionathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile saluare, vel in multis, vel vel in paucis. 7. Dixitque ei armiger suus: Fac omnia quæ placent animo tuo: perge quo cupis, & ero tecum vbicumque volueris. 8. Et ait Ionathas: Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis, 9. Si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. 10. Si autem dixerint: Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: hoc erit nobis signum. 11. Apparuit igitur vterque stationi Philisthinorum: dixeruntque Philisthiim: En Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus absconditi fuerant. 12. Et locuti sunt viri de statione ad Ionatham, & ad armigerum eius, dixeruntque: Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem. Et ait Ionathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Israël. 13. Ascendit autem Ionathas manibus & pedibus reptans; & armiger eius post eum. Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat sequens eum. 14. Et facta est plaga prima, qua percussit Ionathas & armiger eius, quasi viginti virorum, in media parte iugeri, quam par boum in die arare consueuit. 15. Et factum est miracu-

lum

lum in castris, per agros: sed & omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, & conturbata est terra: & accidit quasi miraculum à Deo. 16. Et respexerunt speculatores Saül, qui erant in Gabaa Benjamin, & ecce multitudo prostrata, & huc illucque diffugiens. 17. Et ait Saül populo, qui erat cum eo: Requirite, & videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Ionatham, & armigerum eius. 18. Et ait Saül ad Achiam: Applica arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israël.) 19. Cumque loqueretur Saül ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum: crescebatque paulatim, & clarius resonabat. Et ait Saül ad Sacerdotem: Contrahe manum tuam. 20. Conclamauit ergo Saül, & omnis populus qui erat cum eo, & venerunt vsque ad locum certaminis: & ecce versus fuerat gladius vniuscuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis. 21. Sed & Hebræi qui fuerant cum Philisthim heri & nudius-tertius, ascenderantque cum eis in castris, reuersi sunt vt essent cum Israël, qui erant cum Saül & Ionatha. 22. Omnes quoque Israëlitæ qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philisthæi, sociauerunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saül, quasi decem millia virorum. 23. Et saluauit Dominus in die illa Israël. pugna autem peruenit vsque ad Bethauen. 24. Et viri Israël sociati sunt sibi in die illa: adiurauit autem Saül populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem: 25. Omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. 26. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus iuramentum. 27. Porro Ionathas non audierat cum adiuraret pater eius populum: extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius. 28. Respondensque vnus de populo, ait: Iureiurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie. (defecerat autem populus.) 29. Dixitque Ionathas: Turbauit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustauerim paululum de melle isto: 30. Quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? nonne maior plaga facta fuisset in Philisthiim? 31. Percusserunt ergo in die illa Philisthæos à Machmis vsque in Ajalon. Defatigatus est autem populus nimis. 32. Et versus ad prædam, tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra: comeditque populus cum sanguine. 33. Nuntiauerunt autem Saüli dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Præuaricati estis: voluite ad me iam nunc saxum grande. 34. Et dixit Saül: Dispergimini in vulgus, & dicite eis, vt adducat ad me vnusquisque bouem suum & arietem, & occidite super istud, & vescimini, & non peccabitis Domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus vnusquisque bouem in manu sua vsque ad noctem: & occiderunt ibi. 35. Ædificauit autem Saül altare Domino, tuncque primùm cœpit ædificare altare Domino. 36. Et dixit Saül: Irruamus super Philisthæos nocte, & vastemus eos vsquedum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait Sacerdos: Accedamus huc ad Deum. 37. Et consuluit Saül Dominum: Num persequar Philisthiim? si trades eos in manus Israël? Et non respondit ei in die illa. 38. Dixitque Saül. Applicate huc vniuersos angulos populi: & scitote, & videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie. 39. Viuit Dominus saluator Israël, quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo. 40. Et ait ad vniuersum Israël: Separamini vos in partem vnam, & ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera. Respondit que populus ad Saül: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac. 41. Et dixit Saül ad Dominum Deum Israël: Domine Deus Israël, da indicium: quid est quòd non responderis seruo tuo hodie? Si in me, aut in Ionatha filio meo, est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Ionathas & Saül, populus autem exiuit. 42. Et ait Saül: Mittite sortem inter me, & inter Ionatham filium meum. Et captus est Ionathas. 43. Dixit autem Saül ad Ionatham: Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei Ionathas, & ait: Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego moriar. 44. Et ait Saül: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha. 45. Dixitque populus ad Saül: Ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israël? hoc nefas est: viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius

in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberauit ergo populus Ionatham, vt non moreretur. 46. Recessitque Saül, nec persecutus est Philisthiim: porro Philisthiim abierunt in loca sua. 47. Et Saul, confirmato regno super Israël, pugnabat per circuitum aduersum omnes inimicos eius, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & reges Soba, & Philisthæos: & quocumque se verterat, superabat. 48. Congregatoque exercitu, percussit Amalec, & eruit Israël de manu vastatorum eius. 49. Fuerunt autem filij Saul, Ionathas, & Iessui, & Melchisua: & nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol. 50. Et nomen vxoris Saul, Achinoam filia Achimaas: & nomen principis militiæ eius Abner, filius Ner, patruelis Saul. 51. Porro Cis fuit pater Saul, & Ner pater Abner, filius Abiel. 52. Erat autem bellum potens aduersum Philisthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

VERSVS PRIMVS.

Vulg. *Vulgata.* Et accidit quadam die, vt diceret Ionathas filius Saül ad adolescentem armigerum suum: Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicauit.

Benedict Gloss. *Benedict. & alij.* Et accidit in quadam die.

Textus Glossæ in margine. Transeamus ad aciem, aut Præfectum, siue duces exercitus.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Fuitque dies, & dixit Ionathan filius Saül ad puerum armigerum suum: Veni, & transeamus ad Præfectum Pelistim, qui est trans locum illum. Patríque suo non indicauit.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Accidit verò quadam die, vt diceret Ionathan filius Saul ad puerum suum, qui ferebat arma sua: Veni, penetrabimus præsidium Palæsthinorum, quod est è regione huius (loci, hoc verò patri suo non indicauit.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et fuit dies, & dixit Ionathan filius Saul ad puerum portantem arma sua: Veni, & transibimus ad stationem Pelisthæorum, qui illic vltra. Et patri suo non indicauit.

Compl. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et fuit dies, & dixit Ionathan filius Saulis puero ferenti arma eius: Veni, & transeamus in stationem Philisthinorum, qui sunt trans locum illum. Et patri suo non dixit.

Sixtia. *Græc. ex Septuagint. in Sixtia.* Et fuit dies, & dixit Ionathan filius Saul puero portanti vasa ipsius: veni, & transeamus ad Massab alienigenarum, quæ trans locum illum. Et patri suo non annunciauit.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Angelom. 1 *Et accidit quadam die.* Angelom. in Stromatib. cap. 14. Ionathas cuius nomen sonat *Columba donum*, Sanctorum Virorum spiritualium, qui in Ecclesia dono Spiritus Sancti repleti sunt, gestauit figuram, per quos Dominus Hæreticorum conuentus disturbat, dissipat, atque in fugam vertit. Armiger autem eius, eorum Sanctorum Virorum præfigurauit Discipulos, qui illorum exemplis, atque doctrinam sectantes, & individuè illis adhærentes quasi eorum arma portant. *Eadem verba habet* Glossa.

Gloss.

Mystic. Liran. 2 *Et accidit quadam die.* Liran. in Morali. Per Ionatham, qui *Columba donum* interpretatur, Dominus Iesvs Christvs significatur, nam ad modum columbæ caret amaritudinis felle.

Literal. Caiet. 3 *Et accidit quadam die.* Caietan. ibi. Parui refert quòd hebraicè habetur, *Et fuit dies*, fortè enim significatur dies proximus aduentui eorum in collem Benjamin.

Histor. Salian. 4 *Et accidit quadam die.* Salian. tom. 3. Annal. Ann. Mundi. 2964. num. 48. Ionathas Regis primogenitus, cui & sua dignitas, & ætas, & conscia virtus, & seruitutis metus, & quod caput est, singularis Numinis afflatus animos facibant, vndique circumspiciebat opportunitatem nobilis cuiuspiam facinoris, cum quanta maxima posset hostis clade, perpetrandi. Itaque animaduerso loco in castris hostilibus aditus propter saxa prærupta difficillimi, sed hanc ipsam ob causam minùs suspecti, minúsque custoditi, illac ad Philisthæos penetrare statuit.

Mystic. Tropol. Greg. *Doctrina cum exemplo:* 5 *Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Quid est quòd ad bella armiger ducitur, nisi quia per scientiam eruditi subditi ad internorum certaminum victoriam promouendi sunt? Quidam enim artem Physicam sciunt, qui medendi experientiam nesciunt; sic nimirùm in sancta Ecclesia quidam sunt, qui artem interioris pugnæ didicerunt, sed ad districtas necessitates certaminum adhuc perducti non sunt. Quia electi Doctores subditos suos docent, non solùm artem, quâ dimicent, sed etiam ad bella pertrahunt, quò triumphent. Et quia remissi Pastoris bella, quæ insinuant, suscipere nequaquam curant, non dicit: Vade & transeamus ad stationem Philisthinorum: sed *Veni, & transeamus.* Alios quidem ad certamen prouocant, sed eadem certamina idem priores tentant.

Histor. Ioseph. 6 *Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. aliàs 6. Filius Saulis cum armigero suo conspirat, vt clam ingressi castra hostium, tumultum aliquem, & trepidationem in eis excitarent.

Mystic. Beda. 7 *Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum.* Beda lib. 2. Expos. Allegor. c. 8. Hortatur die quadam Ionatham armigerum, vt ad Philisthiim transeat, cùm magister quisque perfectus, à cœlesti subitò gratia respectus, ad deuincendos vitiorum incursus piorum præcordia concitat auditorum.

Literal. Abul. 8 *Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum.* Abul. ibid. quæst. 2. Ionathas non peccauit, quia à Deo motus est, vt hæc faceret, cùm autem aliquis à Deo mouetur, non solùm pugnare poterit contra aciem Philisthinorum, contra quam pugnauit Ionathas, sed etiam contra totum orbem, & non peccabunt illi talia aggredientes.

9 *Veni,*

TROPOL. Mendoza. *Vera fortitudo non terretur.*

9 *Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum.* Franciſc. Mendoza tom. 3. Commentar. in Reg. Annotat. 16. ſect. 1. Vanum timorem de illius pectore abigebat vera fortitudo, quæ nullis caſibus cedit, nullis periculis terretur: cæde, & ſanguine paſcitur, bellis, & flammis ſaginatur, & ab ipſo ducit opes, animúmque ferro.

HISTOR. Sanct. Ioſeph.

10 *Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum.* Gaſpar. Sanctius ibid. numer. 1. Exierant è Philiſthinorum caſtris tria agmina, vt ex circumfuſis locis prædas agerent, quod vt Ioſephus tradit lib. 6. Antiquit. cap. 7. videbat Saül, & Ionathas ex oppido Gabaa, dolebántque quòd diripi viderent miſerorum bona, neque tamen illis poſſent eſſe ſubſidio. Tunc autem Ionathas inſcio parente, neque vllo conſcio præter adoleſcentem armigerum, ſtatuit aliquid eſſe tentandum, quo viam ſibi, ac populo aperiret ad ſalutem, de qua actum iam eſſe videri poterat.

LITERAL: Autor Catenæ. Abul. Salian. *Ionathas non peccauit.*

11 *Veni, & transeamus, &c.* Author Catenæ. Magno quidem fundamento diſputant Abulenſis quæſt. 2. & Salianus iam relatus, vtrùm in tam audacis, & periculoſi facinoris molitione peccauerit grauiter Ionathas Saulis filius; vix quippe à temeritatis nota abſolui poſſe videtur. Sed communis, & vera eſt quæſtionis ſolutio negatiua: ſcilicet diuino afflatu, & inſpiratione præmotum, & excitatum fuiſſe, qua nullum quantumcumque facinus peruium non eſt: immò Deo mouente id non aggredi peccatum eſſet, & Diuinæ voluntati contradicere.

LITERAL. Vatab.

12 *Ad stationem Philisthinorum.* Vatabl. in Schol. Vox hebræa ſignificat congregationem militum fortiſſimorum, & armatorum egregiè collocatorum in prima acie, vt excipiant impetus.

TROPOL. Greg. *Virtutes occultandæ.*

13 *Patri autem suo hoc ipsum non indicauit.* Gregor. ſuprà. Tacendæ quidem ſunt electorum virtutes, ne per iactantiam dicantur. Sed aliquando ad Dei gloriam eas manifeſtare culpa non eſt.

TROPOL. Beda. *Propositum obscelandi.*

14 *Patri autem suo, &c.* Beda ſuprà. Quia ſicut ſpiritualium conſilio ſemper vti aptiſſimum eſt; ita aliquando carnales meditata, vel etiam inchoata virtutum maiorum opera celari vtile eſt, ne vel eorum trepidatio tenerum adhuc, vt ita dicam, noſtræ mentis deſiderium terrendo refringat; vel certè fauor imperfectè laudantium integritatem ſpiritalis noſtri propoſiti corrumpat.

TROPOL. Stephan. Tilman. *Virtus occultanda.*

15 *Patri autem suo, &c.* Stephan. Cantuar. apud Tilman. in Allegor. Hoc eſt, *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Hoc eſt quòd neſcien- Laban fugit Iacob.

LITERAL. Lira.

16 *Patri autem suo, &c.* Liran. ibi. Ne per ipſum impediretur.

HISTOR. Salian. *Ionathæ prudentia.*

17 *Patri autem suo, &c.* Salian. ſuprà. Rem non ad patrem defert, aut militare conſilium, quos minimè probaturos tam audax, támque periculoſum facinus, ſed impedituros potiùs, totúmque negotium diſturbaturos credebat, raros, quod res erat id eſſe aureo hamo piſcari: ſed ad adoleſcentem ſuum factum, fictúmque ad Principis ſui mores, atque voluntatem, certus quod omnia probaret, vt iſti ſolent, nec vſquam vlla ratione contradiceret: *Veni, inquit, &c.*

VERSVS II.

Vulgata.

Vulgata. Porrò Saul morabatur in extrema parte Gabaa, ſub malogranato, quæ erat in Magron: & erat populus cum eo quaſi ſexcentorum virorum.

Author Catena. Plura Exemplaria vt Benedict. Text. Gloſſæ adiunctus, & Vatabli excludunt verbum *Magron*, cuius loco habent *in agro Gabaa.* Cæterùm ex correctis patet accipiendum, & in aliorum margine reſcribitur: Hebræus, Chaldæus, & Græcus admittunt. Alij verò apud Bedam legunt: *Mageddon.*

Author Catenæ. Benedict. Gloſſa. Vatab. Beda.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Saul verò manebat in extremo Ghibhah ſub malo-granato, quod eſt in Mighron: populus autem qui erat ſecum, erant fermè ſexcenti viri.

Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Saul autem habitabat in extremitate Gibea ſub Rimon, quæ eſt in Migron; & populus, qui cum eo erat, circiter ſexcentos viros.

Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariaſm. in Regia. Et Saul ſedebat in finibus collis planitiei granati, quæ eſt in Migron: & populus qui cum eo quaſi ſexcenti viri.

Ariaſm.

Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et Saul ſedebat ſuper collem ſub malo-granato, quæ in Magdon, & populus qui cum eo, quaſi ſexcenti viri.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et Saul ſedebat ſuper ſummitatem collis ſub malo-granato, quod in Magdon, & erant cum eo, quaſi ſexcenti viri.

Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

1 *Porrò Saül morabatur, &c.* Beda lib. 2. Expoſit. Allegor. cap. 8. Ad indicium quidem virtutis pertinet, quòd in Gabaa, ideſt colle morabatur, quòd ſub malogranato, quòd ſexcentos habebat comites. Collis enim celſitudinem virtutum: maligranati tegmen protectionem Dominicæ crucis: ſexcentenarius militum numerus perfectos ſpe, & operatione demonſtrat.

MYSTIC. Beda. *Crucis ſymbolum.*

2 *Porrò Saul morabatur, &c.* Abul. ibid. quæſt. 2. Sedebat Saul in Gabaa, videns terræ ſuæ deſolationem, & impotentiam ſuam, expectans, ſi quando Deus miſereretur. Deus autem videns afflictionem populi dedit in corde Ionathæ, vt faceret hæc.

LITERAL. Abul.

3 *Porrò Saul morabatur, &c.* Salian. tom. 3. Annal. Ann. Mundi. 2964. num. 55. Iuuabat tacitum Ionathæ conſilium patris abſentia, propterea enim eius meminit Scriptura, aſtque eum moratum in extrema parte Gabaa ſub malogranato, quæ erat in Magron. Hoc nimirùm erat loci nomen in extrema vrbis parte, vbi Saul erat, & videlicet Ionathas alteram non incomitatus partem tutabatur.

HISTOR. Salian.

4 *Sub malogranato.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Sub malogranato Rex reſidet, quia in vmbra Redemptoris prædicator requiem habet. Magno quidem labore fatigatur, ſed verborum Dei conſolatione reficitur.

MYSTIC. Greg.

5 *Sub malogranato.* Abulenſ. quæſt. 2. Ideſt Saul poſuerat tentorium ſuum ſubmalogranato. Erat autem ibi aliqua malogranatus ſpecioſa, & ardua ſub qua poſſet Regis tentorium collocari. Ex hoc autem apparet meliùs dicendum quòd Saul erat extra vrbem Gabaa, quia dicitur hîc, quòd erat ſub malogranato.

LITERAL. Abul.

6 *Que erat in Magron.* Idem ibid. Eſt nomen proprium

proprium. Hebræi autem intelligunt, quòd in valle vrbis Gabaa erat aliquis locus dictus Migron, in quo tunc fixerat castra Saül.

LITERAL. Mendoza. 7 *Quæ erat in Magron.* Franc. Mend. ibid. §. 1. Morabatur igitur Saül in proximo vrbis agro, nomine Magron, cuius meminit Isaias *cap.* 10. 28. sub malo-granato: ita, vt vel ibi figeret tentorium, cui arbor illa impenderet, vt vult Abulensis, vel potiùs ita, vt illius arboris diffusis ramis pro tentorio vteretur.

LITERAL. Sanctius. 8 *Quæ erat in Magron.* Gaspar. Sanct. ibid. n. 2. Non hic laboro de malo-granato, & quomodo sub illius vmbra consedisse dicatur, aut tabernaculum fixisse Saül. Neque enim aliquid aliud esse puto, quàm locum qui à malogranato, seu ab illius planta, quæ eo in loco insignis aliquando fuit, nomen accepit; sicut alia multa loca tum in profana, tum in sacra Historia.

LITERAL. Author Catenæ. Rabbi Dauid. Abul. Sanct. Salian. *Milites cum Saul quot?* 9 *Et erat populus cum eo, quasi sexcentorum virorum.* Author Catenæ. Totus scilicet Israëlitarum exercitus tantùm sexcentis militibus constabat. Rabbi verò Dauid Kimhi apud Abulensem q. 2. & Sanctius noster mille sexcentos connumerant; credunt enim Saülem sexcentis stipatum fuisse, Ionatham verò mille, nam *suprà cap.* 13. *vers.* 2. hic bellatorum numerus ipsi adscribitur in Gabaa Benjamin. In eadem mente est Salianus modò relatus, & expressiùs num. 37. ibid. *Sexcentos viros deduxerat Saül, & millenos iam habebat Ionathas.* Hæc illi, sed immeritò, nam licèt prius verum hoc fuerit, certum tamen est post percussam à Ionatha stationem Philisthinorum, patrem, filiúmque, & populum vna in Galgala coiisse. *cap.* 13. *vers.* 4. inde in Gabaa Benjamin *ibid. vers.* 15. & 16. ibi verò militibus computatis, idem numerus est inuentus, ergo tota Saülis, & Ionathæ Manus sexcentos non excedebat. Arguit pro me secundò Abulensis, quia cùm vidit postea Saül turbatas Philisthinorum acies dixit: *Requirite, & videte quis abierit ex nobis. Cúmque requisissent, repertum est non adesse Ionatham, & armigerum eius.* infrà vers. 17. ergo ante hoc cum viris Saulis erat Ionathas, alioquin non dicerent eum abesse. Arguo tertiò & totam rem confirmo: Cùm totus Israelitarum populus esset cum Saule, & Ionatha in Galgalis, audito innumerabili properantium hostium exercitu vniuersus populus perterritus est. *cap.* 13. *vers.* 7. Vnde alij fugæ se dedederunt, alij latebras, & secretissimos recessus penetrarunt. Inquiro ergo qui ibi à Rege suo defecerunt? Omnesne ex Saülis militibus fuerunt, an etiam ex Ionathæ bellatoribus. Incredibile prius est, & sine fundamento assertum; cùm nec fortiores isti, nec imbecilliores illi, pauor autem vniuersos occupauerat. Credendum potiùs ex toto populo, & ex vtraque Saulis, & Ionathæ acie, seu manu omnes præter sexcentos relatos terga vertisse, & solos eos cum Saüle in Gabaa perduraſſe, hostium incursum subituros.

VERSVS III.

Vulgata. *Vulgata.* Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filij Phinees, qui ortus fuerat ex Heli Sacerdote Domini in Silo, portabat Ephod. Sed & populus ignorabat, quòd isset Ionathas.

Benedict. *Benedict. in margine.* Filij Phinees, filij Heli erat Sacerdos.

Gloſſa. *Textus Gloſſa in margine.* Sed & populus ignorabat, *quòd isset Ionathas.*

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Achiiah autem filius Achithub fratris Ichabod filij Pinchas filij Heli Sacerdotis Domini in Siloh portabat Ephod: populus autem nesciebat, quod abiisset Ichonathan. Pagn.

Hebraica ex Franciſc. Vatablo. Et Ahias filius Hhitob frater Ichabod filij Pinhas filij Eli erat Sacerdos Domini in Silo, ferebátque Ephod: nec sciebat populus, quòd abiisset Ionathan. Vatabl.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et Ahhia filius Ahhitob fratris Ichabod filij Pinhhazz filij Gheli Sacerdos ministrans ante Dominum in Silo vestitus Ephoda. Et populus non nouit, quod iuisset Ionathan. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et Achias filius Achitob fratris Icabet filius Finees filij Heli Sacerdos Domini in Silo portans Ephod. Et populus non sciuit, quòd abiisset Ionathan. Complut. Regia.

Græc. ex Septuag. in Sixtia. Et Achia filius Achitob fratris Iochabed filij Phinees filij Heli Sacerdotis Dei in Selon portans Ephud, & populus non sciebat, quia iuit Ionathan. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

1 *ET Achias filius Achitob.* Abul. ibid. quæst. 2. Ponitur hic de isto Achia Sacerdote propter ea, quæ habentur infrà. Nam dicitur, quòd Saül iuit consulere Dominum, & consuluit; ista tamen consultatio sciri debebat per Sacerdotes. Dicitur autem iste Achias filius Achitob; fuit enim Achitob nepos Heli summi Sacerdotis, quod patet, quia fuit filius Phinees, vt apparet hic. LITERAL. Abul.

2 *Et Achias filius Achitob.* Emanuël Saa in Schol. Achias hîc *infrà cap.* 2. vocatur Achimelech, vide cap. 22. LITERAL. Saa.

3 *Et Achias filius Achitob.* Centumputeolanus ibidem num. 3. Sicut antea sub Heli cùm res Israelitica premeretur, angustè adducta fuit in castra contra Philisthæos Arca Domini ex Silo *suprà c.* 4. sic etiam nunc secum adduxerat Saül ex Chariathiarim *vers.* 18. Atque ideò summum Sacerdotem habebat in castris, qui astaret Arcæ, & Deum in re quauis ambigua consuleret. Erat autem eo tempore Sacerdos Achias, qui alio nomine dicebatur Achimelech, filius Achitob filij Phinees, qui tunc cecidit, quando capta fuit à Philisthæis Arca; quare hic pronepos fuit Heli, & pater Abiathar, qui vltimus ex genere Heli, & ex familia Ithamar summum obtinuit Sacerdotium. LITERAL. Sanct.

4 *Et Achias filius Achitob.* Autor Catenæ. Achias, qui *infrà cap.* 21. *vers.* 9. vocatur Achimelech, pronepos erat Heli Sacerdotis maximi; filius enim erat Achitob; hic verò filius Phinees filij Heli. Ex eo autem quòd vestem pontificiam gestabat, & Dominum consulebat, verè Sacerdos magnus credendus est, quia vt probabiliùs apparet, pater eius Achitob mortuus iam erat; si enim superstes esset pater, nusquam filius pontificio munere fungeretur. Quod verò suspicatur Abulensis, quæstione secunda fortè patrem, senio impediente, filio suam vicem detulisse, credibile non est, cùm pater Achitob, nepos Heli admodùm senis esse non posset; duo enim & viginti ad summum anni excurrerant ab Heli Sacerdotis obitu, ille verò decessit nonagesimum octauum annum agens *suprà cap.* 4. *num.* 15. Ergo eius nepos Achitob filius Phinees in tantum senio premi non poterat, vt computanti patebit. LITERAL. Author Catenæ. Abul.

5 *Fratris*

LITERAL. Abul. 5 *Fratris Ichabod.* Abul.ibi quæst. 2. Hoc refertur ad Achitob, scilicet qui erat frater Ichabod,& erat maior Achitob. Nam Ichabod post mortem patris sui natus est.Nominatur autem hic Ichabod ad notincandum,quia iste erat famosus ex eo,quod accidit in natiuitate eius. An autem iste puer superuixerit, non constat; satis enim videtur, quòd non, quia immaturè erupit ab vtero, de quo *suprà cap.* 4.

LITERAL. Liran. 6 *Portabat Ephod.* Liran. ibi. Vestem Sacerdotalem, cui coniunctus est Rationale iudicij, vt habetur *Exod.* 27. vt in ea consuleret Dominum coram Arca Domini, quæ erat ibi cum exercitu, vt habetur *infrà eodem capite.*

LITERAL. Abul. 7 *In Silo.* Abul. ibi quæst. 2. Istud potest determinare immediatè dicta,scilicet quòd Heli erat Sacerdos in Silo. Vel potest referri ad illud verbum, *ortus fuerat*, scilicet quod Phinees natus fuerat in Silo; & vtrumque verum est, nam ministrabat in Silo Phinees scilicet, dum ibi pater suus ministrabat.

LITERAL. Idem. 8 *In Silo portabat Ephod.* Abul. suprà. Scilicet Achias portabat Ephod. Istud est Ephod summi Sacerdotis,cum quo est coniunctum Rationale.Ita *Exod.* 28. & ponitur quòd portabat Ephod, quia *infrà* dicitur, quod consuluit Dominum. Sacerdotes autem magni non poterant consulere Dominum,nisi in Ephod,scilicet portando Ephod,& Rationale in pectore suo. Dici potest, quod Achias fuit summus Sacerdos mortuo Achitob. Deinde Achias cùm non haberet liberos, qui possent suscipere Sacerdotium, transmisit illud in fratrem suum Achimelech. Vel potest dici quod Achimelech, & Achias sunt idem, sicut interdum aliqui habent multa nomina.

TROPOL. Gregor. *Virtutes occultandæ.* 9 *Sed & populus ignorabat, quòd isset Ionathas.* Gregor.lib.5. Variar.expositi.cap.4. Quid est, quod populus quò eat Ionathas nescit, nisi quia electus Doctor, quæ intendit agere, studet per humilitatem celare? Vnde in Euangelio Dominus dicit: *Nesciat sinistra tua,quid faciat dextera tua.* Matth.6. Si enim per dexteram æterna, per sinistram verò præsens vita figuratur,homines in sinistra,Angelos ad dexteram habemus. Quando autem per bona opera ad consortium superiorum Ciuium tendimus, dextera manus nostra operari perhibetur. Sinistra verò manus nostra opera nescit dexteræ, si cooperatores nostros fideles videlicet sanctæ Ecclesiæ adiutores habemus in opere, & laudatores habere nolumus ad elationem.

TROPOL. Mend. *Secreta celanda?* 10 *Sed & populus ignorabat.* Franc. Mend. ibi §.3.Mirum non est ignorasse populum,quòd Ionathas isset. Nam si ille suum patri consilium occultauit; quo pacto adduci posset, vt illud populo manifestaret? Secreta enim consilia non pluribus communicanda,iuxta illud: *Multi pacifici sint tibi:* Eccles.6.6. *& consiliarius sit tibi vnus de mille.* Ecclesiast.6.6.

VERSVS IV.

Vulg. *Vulgata.* Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc & inde prærupti, nomen vni Boses, & nomen alteri Sene.

Glossa. *Text. Gloss. in marg.* Ad stationem Philisthinorum dens petræ in transitu hinc, & dens petræ in transitu inde.

VERSIONES.

Hebr.ex Xante Pagn. Et inter transitus per quos quærebat Ionathan transire ad Præfectum Philistim, erat dens petræ in transitu hinc: & dens petræ in transitu inde: nomen vnius Boses,& nomen alterius Sennah. Pagn.

Hebraic.ex Franc.Vatabl. Erat autem inter transitus, vbi Ionathan conabatur penetrare ad præsidium Palæsthinorum, prærupta petra in transitu hinc, & petra prærupta in transitu isthinc: nomen vnius erat Bozez: nomen alterius Sene. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasmontano in Regia. Et inter vada, quæ quæsiuit Ionathan ad transeundum super stationem Philisthæorum, dens petræ à transitu hinc, & dens petræ in transitu hinc; & nomen vnius Lubricatio: & nomen alterius Conculcatio. Arias.

Græca ex Sept.in Complut.& Regia. Et in medio transitus, vbi quærebat Ionathan transire in stationem Philisthinorum eminens pars lapidis hinc, & eminens pars lapidis hinc. Nomen vni Bozes, & nomen alteri Sena. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtia. Et in transitum vbi quærebat Ionathan transire ad stationem alienigenarum,& dens petræ hinc,& dens petræ hinc. Nomen vni Bases, & nomen alteri Senna. Sixtia.

Greg.lib.5. Var.expos.c.4. Nomen vni Bores. Gregor.
Isidor.Clar.ibi. Erat autem inter *transitus.* Clar.

PP. ET AVCTORES.

1 *Erant autem inter ascensus, &c.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Quia ad expugnandos malignos spiritus à peccatorum cordibus plures difficultates obuiant, petræ inter ascensus esse memorantur. Quid enim per istas duas petras videlicet Bores, & Sene, nisi concupiscentia, & peccatum designatur? *Bor* quippe in primam dicitur. Sene Sol,siue auditio. Bene autem concupiscentiæ primatus nomen conuenit, quia ipsa priorem mentem occupat, quàm se mens peccato substernat. Solis etiam nomine rectè peccati delectatio figuratur, quia à veritatis intuitu mentis oculos claudit,& ad vanitatem aperit. MYSTIC. Greg.

2 *Erant autem inter ascensus,&c.* Ioseph.lib.6. Antiq.c.7.aliàs 6. Hostium castra sita erant in loco prærupto,qui tribus angulis in longum excurrebat rupe circumquaque cincta, seu munimento contra insultus hostium, quapropter negligentiùs custodiebantur, quia propter naturam loci non solùm ascendere, sed ne accedere quidem tutũ videbatur. HISTOR. Ioseph.

3 *Erant autem inter ascensus, &c.* Beda lib. 2. exposit.Allegor.c.8.tom.4. Sunt ascendere nitentibus aduersus malignorum spirituum versutias doctoribus sanctis, imminentes à dextris, & sinistris, ideſt in gloria, & ignobilitate, in prosperis, & in aduersis,insidiæ frequentes. TROPOL. Beda. *Pericula vbique.*

4 *Erant autem inter ascensus,&c.* Angelom. in Stromatib.cap.14. Quod Ionathas,& armiger eius aduersus Philisthim non per planiora, leniáque loca, sed per saxosa, & ardua iter arripiunt, illud allegoricè significat, quòd non illi Sacerdotes, qui intra Ecclesiam latam,& spatiosam viam per dissolutam vitam ambulant, hostibus fidei contraire queunt,nec cum illis spiritualiter dimicare, sed illi potius,qui per arctam, & angustam viam gradientes,inter vtrumque Testamentum,atque inter prospera,& aduersa,quasi inter duos scopulos dextrâ, læuáque incedunt. TROPOL. Angelom. *Ministri Dei quales?*

5 *Eminen*

Tropol. Hugo Vict.

5 *Eminentes petra ex vtraque parte.* Hugo Victor.lib.5.Allegor.cap.16.tom.1.Armiger eius spirituales sunt Discipuli, qui non planam, sed arduam viam arripiunt, quia Sacerdotes hostibus contraire nequeunt, nisi per arctam viam gradientes inter vtrumque Testamentum, & inter prospera,& aduersa,quasi inter duos scopulos,dextrâ,lævâque incedant: & ad alta contemplationis tota mente tendant.

Literal. Abul.

6 *Eminentes petra ex vtraque parte.* Abul.ibid. quæst.2. Scilicet quòd essent duo scopuli altissimi, per nullum autem eorum posset quis ascendere. Sed inter eos erat quidam locus aliqualiter declivis, & acerimus,per quem Ionathas ascendit.

Literal. Sanct.

7 *Eminentes petra ex vtraque parte.* Gaspar. Sanct.ibi.num.4. Qui aliquid sibi metuunt ab hoste vicino illa maximè obsident loca,quæ hosti siue in vrbem,siue in castra aditum aperiunt.Si quid præterea est aut præruptum,aut incisum salebris,id satis putant naturâ suâ habere præsidij, neque opus esse sibi ab hominibus siue ab aggere, & vallo munimentum opponere. Quæ res vt ex antiquis, atque etiam recentibus constat annalibus, fraudi multis,& exitio fuit.Multi enim relicto aditu, qui nisi obstarent hostes,aut oppositæ moles, esset expeditus,& facilis, per illa loca sibi ad securos hostes iter expediunt, quæ natura sic videbatur obstruxisse,vt nullâ vi prærumpi,nullo artificio superari posse viderentur. Hoc igitur consilium inuenit Ionathas, qui cùm non posset tutò Philisthinorum agmen adoriri, locum elegit scopulosum, & arduum, qui existimabatur nulli peruius fore mortalium.Neque illum sua spes, aut cogitatio fefellit, nam turbauit exercitum, & fauente Deo sic perculit securum hostem inopinato impetu,vt penè perdiderit.

Tropol. Greg.

8 *In modum dentium.* Gregor. suprà. Quia dicitur *in modum dentium*, quid dat intelligi, nisi quod sæpe videmus, quia qui Prædicatorum hortamenta despiciunt, eorum vitam mordere detractionibus conantur.

Mystic. Beda.

9 *Nomen vni Boses.* Beda lib.2.Exposit.Allegor. cap.8.tom.4.Boses *in ipso floruit.* Sene *angustia* dicitur. Quorum in promptu est interpretatio, quia non minùs florente, quàm aduersante mundo Sanctorum ascensus impeditur.

Mystic. Interl.

10 *Nomen vni Boses, & nomen alteri Sene.* Gloss.Interlin.ibi.Boses *flore*:Sene *angustans eum.*

Literal. Abul.

11 *Nomen vni Boses, & nomen alteri Sene.* Abulens. ibid. quæst. 2. Quia nimis famosi erant, nomen susceperunt.

VERSVS V.

Vulgat.

Vulgata. Vnus scopulus prominens ad Aquilonem ex aduerso Machmas, & alter ad meridiem contra Gabaa.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xante Pagn. Dens vnus stabat ab Aquilone contra Michmas,& alter à meridie contra Gebah.

Vatab.

Hebraica ex Franc.Vatab. Scopulus vnus stabat ab Aquilone è regione Michmas:alter verò à meridie è regione Gabaa.

Ariasm.

Chaldæica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Dens vnus respiciens à Septentrione contra Michmas;& alter à meridie contra Gibhatha.

Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Compl. & Regia. Scopulisque ab Aquilone adhærens Machmas, & scopulus alter à meridie adhærens Gabaa.

Sixtin.

Græca ex Septuagint.in Sixtian. Via vna ab Aquilone venienti Machmas, & via altera ab Austro venienti Gabae.

Isidor. Clar.

Isidor.Clar.ibi. Ad meridiem contra *Geba.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg.

1 *VNus scopulus prominens ad Aquilonem,* Greg.lib.5.Variar.c.4.Ad Aquilonem primus scopulus prominet, alter ad meridiem, quia per concupiscentiam feruor charitatis extinguitur, & per peccatum ardor concupiscentiæ augmentatur.Mens enim reproba, dum concupiscentiæ subditur, charitate spoliatur: & dum peccare non metuit, acriora in se valdè peccandi desideria accendit.

Histor. Salian.

2 *Vnus scopulus prominens ad Aquilonem.* Iacobus Salian. tom.3.Annal. Ann. Mundi.3964.n.56. Apparet ex his hanc fuisse loci positionem, ac situm, vt oppidum Machmas esset ad Septentrionem:Gabaa verò illi à meridie responderet. In medio vtriusque castra erant Palæstinorum, quæ præ grandibus, ac præruptis scopulis muniebantur, quorum duo inligniores propriis nominibus appellabantur. Et is, cuius vertex prominebat ad Aquilonem, & intuebatur oppidum Machmas ab Adricomio,vocatur Sene:alter autem, qui vertice suo vergebat in meridiem,& respiciebat Gabaa,dicebatur Boses:inter hos autem duos minores erant scopuli per quos reptandum erat.

Literal. Author Catenæ.

3 *Vnus scopulus prominens ad Aquilonem.* Autor Catenæ.Quia famosi,& prægrandes erant scopuli, eorum nomina,& situs notantur,vt etiam Ionathæ virtus,& fortitudo pandatur, qui horrentes scopulos non exhorruit.

Mystic. Beda.

4 *Et aduerso Machmas.* Beda lib.2.Exposit. Allegor.cap.8.tom.4.Gabaa collem, id est sublimitatem virtutum: Machmas humilitatem mentis, ex qua virtutes prodeant, indicat. Et rectè Machmas ad Aquilonem: Gabaa à meridie posita refertur,quia in frigore tentationum maxime humilitas & dicitur, & probatur: in luce autem inuantris se gratiæ spiritus prosperata perficitur.

VERSVS VI.

Vulgata.

VVlgat. Dixit autem Ionathas ad adolescentem armigerum suum: Veni transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si fortè faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile saluare vel in multis,vel in paucis.

Glossa.

Textus Gloss.in margine. Alij:si fortè faciat Dominus virtutum salutem per nos.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagn. Dixitque Ionathan ad puerum armigerum:Veni,& tranſeamus ad Præfectum incircumcisorum istorum, fortè faciet salutem Dominus per nos, quia non est Domino prohibitio seruandi cum multis,vel paucis.

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Dixit itaque Ionathan ad adolescentem armigerum suum: Age, penetrabimus ad præsidium incircumcisorum istorum; si fortè Dominus faciat pro nobis,quoniam non fuerit Domino difficile seruare in multitudine,aut paucitate.

Chaldæica

Aniasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit Ionathan puero portanti arma : Veni, & transibimus ad ducem præputionum horum : fortè faciet Dominus nobis signum, quia non ante Dominum difficile seruare in multitudine, aut exiguitate.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et dixit Ionathan ad puerum gerentem arma eius : Veni, & transeamus ad stationem incircumcisorum horum ; si fortè faciet aliquid Dominus nobis, quia non est Domino continentia saluare in multis, vel in paucis.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtia.* Et dixit Ionathan ad puerum portantem vasa ipsius : Veni transeamus ad Messab incircumcisorum horum ; si quid faciat Dominus nobis : quoniam non est Domino restrictum saluare in multis, vel in paucis.

Theodor. *Theodor. quæst.* 31. Si quomodo aliquid nobis faciet Dominus, quoniam non est coarctatum Domino, vt seruet in multis, aut in paucis.

Caietan. *Caiet. ex Hebræo.* Quoniam non Iehouah retentor ad saluandum in multo, vel in pauco.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Dixit autem Ionathas ad adolescentem.* Abulensis ibidem quæst. 2. Scriptura hoc posuit, quia fuit interrupta narratio, nam suprà dictum fuerat, quòd irent ambo ad aciem Philisthinorum ; & quia immediatè subiectum est de quibusdam aliis incidentibus, & non fuit facta repetitio, vt continuarentur omnia verba Ionathæ ad armigerum suum.

Literal. Idem. 2 *Ad adolescentem armigerum suum.* Idem ibi. Vocatur adolescens, quia forte erat nimis iuuenis, & nondum vocabatur vir ; vnde non duxit eum secum, vt præcipuè adiuuaret ad pugnandum, sed vt portaret arma eius.

Mystic. Greg. *Pugna Ionathæ, quid?* 3 *Veni & transeamus ad stationem incircumcisorum horum.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Quæ est statio Philisthinorum, nisi robur malignorum spirituum ? Sancti enim Viri cùm ad peccatorum correctionem se præparant, apertè sciunt, quia cum de cœlo lapsis Angelis pugnant. Pugna ergo hæc, quæ Angelorum est, & hominum, pugnatur à fortibus cum infirmis : cum simplicibus ab astutis.

Literal. Abul. 4 *Ad stationem incircumcisorum horum.* Abul. ibid. q. 2. Dixit autem hic Ionathas *ad stationem incircumcisorum*, ad significandum opprobrium, nam hostes ex odio inuicem conuitiantur sibi : Ionathas autem credebat, nullum maius conuitium dici posse contra Philisthinos, quàm quòd incircumcisi essent.

Literal. Mendoz. 5 *Ad stationem incircumcisorum horum.* Franc. Mend. ibi. §. 2. Ionathas suum armigerum adhortatur, primò se illi in socium offerendo ; non enim dicit, transi, sed *transeamus*, vt suo exemplo militis timorem pelleret, & torporem, si quis esset, excitaret. Secundò hostium vilitatem, & iniquitatem proponendo, dum illos vocat Incircumcisos. Nam sicut Ethnici Hebræos per contemptum, & ludibrium Apellas, hoc est circumcisos nuncupabant, iuxta illud Horatianum lib. 1. Ser. Satyr. 5. in fin. *Credat Iudæus Apella*, ita vice versa Hebræi Ethnicos per opprobrium, & contumeliam vocabant Incircumcisos.

Horat.

Mystic. Greg. 6 *Si fortè faciat Dominus pro nobis.* Greg. suprà. *Si fortè* dicit, quia de plena criminosorum salute adhuc plenius non præsumit.

Literal. Abul. 7 *Si fortè faciat Dominus pro nobis.* Abul. ib. q. 2. Istud *fortè* aliquando ponitur, vt non finat dubium, sicut frequenter vtitur Aristoteles ; hîc autem aliquale importat dubium.

Literal: Carthus. 8 *Si forte faciat Dominus pro nobis.* Carth. ibid. art. 27. Quod dicit *si fortè*, non dicit, quasi volens tentando experiri, an Dominus eos iuuaret, sed ex confidentia diuini auxilij, cui tamen confidentiæ inest incertitudo ex consideratione propriæ culpæ, per quam redditur homo frequenter indignus diuino subsidio. Idcircò ad excludendam præsumptionem locutus est : *Si fortè.*

Literal. Author Catenæ. 9 *Si fortè faciat Dominus pro nobis.* Author Cat. Hæc Ionathæ dubitatio diuinam eius motionem, & excitationem ad facinus aggrediendum dubiam, & incertam reddere videtur ; nam qui à Deo mouentur, & excitantur, minimè hærent, sed certissimè, & securissimè operantur. Respondeti tamen facilè potest primò aduerbium *fortè* non semper dubitationem, & ancipitem euentum significare, vt notant Abulensis, & Salianus, sed dubitationis signo rem certam sæpè notare ; vnde idem interdum valet, quòd *vtique* ; cuius non rara sunt exempla : *Ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ.* Genes. 3. 22. de quo tamen Deus minimè dubius erat, sed euentus futuri, aut non futuri certus, quia omnes humanos actus liberos, etiam sub conditione futuros, per scientiam, quam mediam dicimus, intimè, & optimè cognoscit. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.* Ioan. 5. 46. *Tu forsitan petisses ab eo aquam.* Ioan. 4. 10. Respondetur secundo faciliùs, non omnem Dei præmotionem, & excitationem ita efficacem, & vehementem esse, vt omnem expellat timorem, aut cerritudinem omnimodam importet ; compatitur enim interdum aliquam hæsitationem, quam vt Ionathas vinceret, signis certior de Dei voluntate fieri voluit.

Abul. Salian. Gen. 3. 22. Ioan. 5. 46. Ioan. 4. 10.

Literal. Theodor. 10 *Quia non est Domino difficile, &c.* Theod. ib. q. 31. Hæc verba sunt animæ, quæ in Deo confidit ; cùm autem sic confidisset, non fuit spe frustratus.

Moral. Damian. 11 *Quia non est Domino difficile, &c.* Petr. Dam. serm. de S. Matthæo. Sicut vera est illa Scripturæ sententia, quâ dicitur, quia non est diuinæ virtuti differentia siue in multis, siue in paucis vincere : ita etiam diuinæ pietati nihil differt, siue minimis quibusque peccatis, siue grauibus indulgere.

Moral. Caiet. 12 *Quia non Domino difficile, &c.* Caietan. ibid. Magna fiducia, sed non imitanda ; euentus siquidem testatur diuinitùs fuisse inspiratam.

VERSVS VII.

Vulgata. *Vulgata.* Dixitque armiger suus : Fac omnia, quæ placent animo tuo : perge quo cupis, & ero tecum vbicumque volueris.

Benedict. *Benedict. in marg.* Et ero tecum *iuxta cor tuum.*

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Dixitque armiger eius : Fac omne, quod est in corde tuo : diuerte : Ecce sum tecum secundùm cor tuum.

Vatabl. *Hebraica ex Franc. Vatablo.* Respondit ei armiger eius : Fac quidquid est in corde tuo, indulge tibi : en adsum tibi pro voto tuo.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Reg.* Et dixit illi portans arma eius : Fac omne, quod in corde tuo : Prospice tibi : ecce ego tecum, vt voluntas tua.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Compl. & Reg.* Et dixit ei gerens arma eius : Fac omne, quod cor tuum voluerit ; inclina teipsum : ecce ego tecum sum. Sicut cor tuum, cor meum.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et dixit ei ille, qui portabat vasa eius: Fac omne quodcumque est cor tuum inclinauerit: ecce ego tecum: sicut cor tuum, cor meum.

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Greg. *Obedientia commendatur.*

1 *Fac omnia, quæ placent animo tuo.* Greg. lib. 5. c. 4. Quid in huius armigeri voce nobis ostenditur, nisi quia relinquenda est Præpositis dispositio libera: tenenda est subditis virtus obedientiæ non remissa? Vt enim liberam disponendi autoritatem Prædicatoribus adsignaret, ait: *Fac omnia, quæ placent animo tuo*: & vt subditorum plenam voluntatem ad omnia seruitia ostenderet, subdit: *Perge quò cupis, & ero tecum, quocumque volueris.* Nec ibi quidem dicit: Quædam fac quæ sunt in animo tuo: quædam non fac: vel aliter fac: nec hîc perge illuc, & ero tecum, & illuc non ero tecum; omnia, inquit, fac, quia dispositione Prælatorum disponenda sunt omnia.

Literal. Abul. 2 *Fac omnia, quæ placent animo tuo.* Abul. ibid. q. 2. Vidit enim armiger, quòd rectè loquebatur Ionathas, ideò etiam ipse sperauit in Domino, & voluit illuc ire.

Literal. Moral. Mendoza. *Armigeri Ionathæ laus.* 3 *Fac omnia, quæ placent animo tuo.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Singularem armiger promptitudinem ad exequendum expressit. Primò quia ad plura se obtulit, quam postulabatur. Nam Ionathas solùm rogabat, vt transiret ad stationem Philisthinorum: armiger autem ad quodcumque facinus ille vellet, se iturum promittebat. Secundò quia parendi ratio, quam armiger spectabat, non erat ipsa rei imperatæ dignitas; sed sola ipsius imperantis voluntas, vt patet ex Latinis verbis. Non dubito totam hanc parendi alacritatem, quam Ionathæ armiger præ se tulit, non solùm ex affectu amicitiæ; sed etiam ex obedientia erga Principem, & ex charitate erga patriam, & ex obseruantia erga Deum processisse, vt proptered ad superiorem ordinem translata, multò laudabilior videatur.

Literal. Moral. Ioan. Euseb. *Armigeri fides.* 4 *Fac omnia, quæ placent animo tuo.* Ioan. Euseb. Nierembergius 6. Stromat. cap. 18. Planè summa Ionathæ fortitudo, pietas, suauitas (prorsus delitium Israëlis erat) ita obstrinxit hominem, vt plùs amaret vnum Ionatham, quàm timeret omnes Philisthæos; hoc est præ vita illum diligeret. Mira fides famuli! Mira Domini suauitas! Potuit hæc pericula lenire: illa non formidare.

Histor. Ioseph. 5 *Perge quò cupis, & ero tecum.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 7. aliàs 6. Famulo omnem operam in quemuis euentum pollicente, etiamsi mori oporteret: soli à colle descendentes versus hostium castra iter faciunt.

Literal. Abul. *Armigeri laus.* 6 *Perge quò cupis, & ero tecum.* Abul. ibid. q. 2. Animosus enim iuuenis erat iste, qui non formidabat totam aciem Philisthinorum, cùm non immutatus fuisset à Deo, sed solus Ionathas, ex amore tamen nimio faciebat, diligebat enim Ionatham, sicut animam suam. Ideò gratissimum erat sibi eum quocumque euntem, comitari, etiam in mortem certissimam; est enim dilectio fortior omni passione, ipsámque mortem contemnit. *Amoris vis.*

Tropol. Author Catenæ. *Obedientiæ promptitudo.* 7 *Vbicumque volueris.* Author Catenæ. Omnimodam iuuenis indifferentiam, & promptitudinem commendat meritò Gregorius suprà. Verus enim obediens non ad hæc, aut illa paratus esse debet, sed ad omnia, quæ cùm illa sint, obeunda alacriter dispositus. De quo differtè Sanctissimus Patriarcha noster Ignatius Epist. de Obedient. Virtute ad Lusitan. sic fatur. *Itaque diligenter illud etiam cauendum est, ne Superioris vllo vnquam tempore voluntatem (quam ducere pro diuina debetis) ad vestram detorquere nitamini: id enim esset, non vestram diuinæ conformare; sed diuinam vestræ voluntatis normâ regere velle; eiusdem diuinæ sapientiæ ordinem inuertentes.* Concinit Bernard. Serm. de Trib. Ordin. Eccles. *Quisquis*, inquit, *vel apertè, vel occultè satagit, vt quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater iniungat, ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur; nec enim in ea ipsi Prælato, sed magis ei Prælatus obedit.* Hanc ad quæuis peragenda animi promptitudinem ideam Ignatius aptissimis similitudinibus commendat; p. 6. Constit. c. 1. §. 1. *Quisque*, inquit, *sibi persuadeat, quòd qui sub obedientia viuunt, se ferri, ac regi a diuina Prouidentia, per superiores suos sinere debent, perinde ac si cadauer essent, quod quoquouersus ferri, & quacumque ratione tractari se patitur; vel similiter atque senis baculus, qui vbicumque, & quacumque in re velit eo vti, qui eum manu tenet, inseruit.* Hæc Ignatius æquissimus obedientiæ ponderator. S. Ignat. S. Ignat. Bernard.

VERSVS VIII.

Vulgata. *Vulgata.* Et ait Ionathas: Ecce nos transimus ad viros istos: cúmque apparuerimus eis.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Dixitque Ionathan: Ecce nos transimus ad viros, & aperiemus nos eis.

Vatab. *Hebr. ex Franc. Vatab.* Et dixit Ionathan: Ecce nos transibimus ad viros, istos rebellabimúrque eis.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et dixit Ionathan: Ecce nos transeuntes ad viros, & manifestabimur eis.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et dixit Ionathan: Ecce nos transimus ad viros, & voluemur ad eos.

Sixtia. *Græc. ex Sept. in Sixt.* Et dixit Ionathan: Ecce nos transimus ad viros, & deuoluemur ad eos.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. *Vbi prædicandum.* 1 *Ecce nos transimus ad viros.* Greg. lib. 5. Variar. c. 4. Certa, & indubitata sanctæ Ecclesiæ sententia est, quia electi Prædicatores non solùm quid, quantum, & quando loquantur, considerare debêt, sed quibus etiam loquantur. Vnde & Dominus a quorundam notitia verbum recondês, Discipulos prohibet, dicens: *Nolite ponere margaritas ante porcos.* Matt. 7. Hinc item Scriptura, inutiliter effundi verbum vetat, & dicit: *Vbi non est auditus, non effundas sermonem.* Eccli. 32. Matt. 7. Eccli. 32.

Literal. Mend. 2 *Ecce nos transimus ad viros.* Fr. Mend. ibi. §. 2. Ionathas suo armigero, cui paulò ante arduum illud facinus, vtpote fideli, & strenuo socio communicarat, nunc iam exequendum; modum, quo executioni erat mandandum, exponit.

Literal. Author Catenæ. Abul. Caietan. *Ionathas primus erauit* 3 *Ecce nos transimus ad viros.* Author Catenæ. Antequam consilium hoc Ionathas moliretur, dicitur Deum orasse, quod licet non constet, probabile tamen est, & affirmatur à pluribus, ab Abulense, Caietano, Serar. Lira, & Saliano. Indicatur etiam a Theodoreto. quæst. 31. pro eo etiam refert Lira Iosephum; sed locus in exemplaribus Lugdunensibus, quibus vtimur, nusquam comparet. Rogas quanam dici hora hæc contigerint? Iosepho, Sabellico,

Sabellico, & Saliano subscribo sub primo mane peracta, cùm antelucanum tempus primúmque mane consilij expeditioni aptissimum videatur, quo vix hostes somno experrecti maiorem turbationem, & timorem conciperent.

Literal. Abul. 4 *Cúmque apparuerimus eis.* Abulensis ibi. q.6. Erant enim Philisthini in castris suis inter duos scopulos, vt patet *suprà*, & non videbat Ionathas, & armiger eius illos, nec ipsi videre poterant Ionatham, quousque appropinquaret ad eos, obicibus petrarum.

VERSVS IX.

Vulgata. *Vulgata.* Si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Si ita dixerint nobis, expectate donec attingamus; stemus in loco nostro, & non ascendamus ad eos.

Vatab. *Hebraica ex Francisco Vatab.* Quòd si dixerint hæc nobis: consistite, donec venerimus ad vos: tunc consistemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos.

Arias. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Si sic dicent: moramini, vsquequo appropinquemus nos ad vos; & stabimus in loco nostro, & non accedemus ad illos.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Si hæc locuti fuerint ad nos: stare ibi, donec appropinquemus vobis, & stemus apud nosmetipsos, & non ascendamus ad eos.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Si hæc dixerint ad nos: recedit illuc, donec annunciemus vobis; & stabimus super nos ipsos, & non ascendemus ad eos.

Theodo. *Theod. ibid. quæst.* 31. Sin autem dixerint, abscedite illuc; non ascendamus ad eos.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Theodor. 1 *Si taliter locuti fuerint ad nos.* Theod. ib. q. 31. Non dedit symbolicè, sed vt fidelis, volens nosse Dei voluntatem, vt si ab ipsis quidem essent vocati, in eos irruerent, tanquam Deo opem ferente.

Histor. Ioseph. 2 *Si taliter locuti fuerint ad nos.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 7. aliàs 6. Ergo postquam eò accesserunt, Ionathas confortabat armigerum suum ad hostem aggrediendum: Si nos, inquit, viderint, iusserintque ascendere, omen victoriæ accipiendum est: quod si tacuerint, nec nos vocauerint, reuertamur.

Literal. Abul. 3 *Si taliter locuti fuerint ad nos.* Abul. ibid. q. 3. Licèt antiquis Iudæis mos fuit, vt, quando bella inituri erant, enarrarent subiectis suis aliqua à Deo, vel si somnia accepissent. Sic patet de Iuda Machabæo, quando pugnaturus erat contra Nicanorem vidit per noctem apparentem sibi Oniam Sacerdotem, & Ieremiam Prophetam, qui dederunt ei clypeum missum à Deo 2. *Machabæor.* 15. Iudas autem commilitonibus suis nocturna visa narrans, ad bellum alacres reddidit. Fecit etiam hoc Ionathas, vt sibi faceret concordem iuuenem; nam cùm accederent ad castra Philisthinorum, si Philisthini dicerent, *Manete, donec transeamus ad vos*, Ionathas propositerat non ascendere; poterat autem accidere, quòd iuuenis, qui erat animosus ascendere vellet, & sic discordarent sibi.

2. Mach. 15.

4 *Si taliter locuti fuerint ad nos.* Idem ibid. q. 4. Dicendum, quòd Ionathas non obseruauit augurium in verbis illis; sed cùm Deus incitasset eum ad eundum contra Philisthinos, & ipse non erat certus, an Deus hoc vellet, petiuit à Deo, vt daret ei certitudinem, an vellet, quòd inuaderet eos, vel non; & tunc incidit ei consilium à Deo, scilicet quòd acciperet sibi istud signum, & sic erat signum inspiratum, & propter hoc licebat.

Literal. Abul. *Ionathas non peccauit.*

5 *Si taliter locuti fuerint ad nos.* Caiet. ib. Et decernere sibi omen hoc sine diuina inspiratione illicitum quoque fuisset, nam fuisset nonnullum diuinationis peccatum, sicut & illud fuisset tentare Deum.

Literal. Caietan.

6 *Si taliter locuti fuerint ad nos.* Centumputeolan. ibi. n. 7. Hoc signum Hebræorum more statuit Ionathas, quia videbat similia facta ab illius populi Principibus, & Deum illorum votis, & postulatis annuisse, sic sanè seruus Abraham. *Gen.* 24. 13. Et *Iudic.* 6. Gedeon signa petiit, quibus imperij sui authorem esse Deum agnosceret, & *cap.* 7. *v.* 9. & signum habuit. Hæc Ionathæ non videntur incognita, quorum exemplo incitari potuit, vt experiretur eadem, & talia signa, aut proponeret sibi, aut oraret ad Dominum. Hîc addendum Deum sæpe his hominum cogitationibus respondere, & temperare sortes, quæ mittuntur in signum.

Literal. Sanct.

7 *Si taliter locuti fuerint ad nos.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 2964. n. 59. Deus optimus maximus, cuius voluntas est regula iustitiæ, & æquitatis, cùm voluntatem Ionathæ permouisset ad inuadendum totum Philisthinorum exercitum, nec tamen eis satis clarè constaret, an Deus id vellet, petiit à Domino sibi aliquo signo declarari diuinam voluntatem, qui illicò inspirauit, vt ad verba hostis attenderet, & talibus verbis auditis, certum haberet se à Deo mitti, & victoriam certò consecuturum.

Literal. Salian.

8 *Si taliter locuti fuerint ad nos.* Author Catenæ. Cùm verba, quæ ab hostibus audire expectabat Ionathas nullam cum effectu naturalem, nec intrinsecam connexionem haberent (quam enim ad victoriam efficiendam, aut significandam oratio illa: *Ascendite ad nos*, aut illa: *Manete donec veniamus ad vos*, ad eam prohibendam, habere poterat?) sequitur alterum è duobus, scilicet: vel Ionatham in morem gentium omen superstitiosè obseruasse, vel à Deo excitatum tale signum elegisse. Quod ad prius attinet, omnia augurja, diuinationes, & superstitiosæ obseruationes intrinsecè malæ sunt, quia continent, vel tacitam cum Diabolo pactionem, vel manifestam tentationem Dei. Prohibentur autem *Deuter.* 18. *Luc.* 19. & alibi sæpè, & vtroque iure, vt probauimus *suprà cap.* 11. *vers.* 11. *Institut.* 24. *Morali*, de quo etiam latissimè Franc. Picus lib. 6. de Prænotionibus cap. 5. Petrus Blesensis Epist. 65. Wimpina lib. de Diuinat. cap. 13. Pererius Genes. 14. Disputat. 6. Michaël Medina de Recta in Deum fide, lib. 1. cap. 2. Iulius Sirenius lib. 9. de Pato, cap. 21. Ioan. Salisberiensis lib. 1. de Nugis Curialibus cap. vltim. Delrius lib. 3. Disquisition. Magicar. p. 2. sect. 4. quæst. 4. Torreblanca lib. 1. de Magia Diuinatrice cap. 16. & 17. Wlengetius tom. 1. Opuscul. lib. de Ominibus. Suarius tom. 1. de Relig. lib. 2. de Superstit. cap. 10. Ionathan verò superstitiosum non fuisse, nec in signo obseruando deliquisse affirmant communiter Vulgati Interpretes Abulensis & alij, præter quos, Scholastici Suar. loco relato, Picus Mirandula. Delrius, Valentia tom. 3. disp. 6. q. 12. de Diuinat. Puncto 3. & 4.

Literal. Author Catenæ.

Deuter 18. Luc. 19. Picus. Petrus. Blesens. Yvimpin. Pererius. Medina. Sirenius. Salisber. Delrius. Torreblan. VVlenger. Suarius. Abul. Picus. Delrius. Valentia. S. Thom.

Valent. S. Thom. & plures Interpretes S. Thomæ 2.2.q.5. art.7. ipsum secuti. Ratio autem est, quam Valentia dilucidè reddit his verbis. *Ex parte rei non intentionis contingit non esse ad superstitionem, si quis non ita expectet, aut quærat cognitionem ex re inutili, quasi illa sufficiat ad cognitionem pariendam, sed ex Deo, à quo expectet talem cognitionem per aliquod signum, alioqui sua natura insufficiens ad cognitionem rei; hoc enim existente rationabilis causa licitum est.* Ionathas ergo à Deo excitatus præfatum signum, vt totum rei euentum cognosceret, à Deo petiuit, & obtinuit sine aliqua superstitionis suspicione, & persimilis extitisse creditur Eliezer Abrahæ seruo, qui non dissimili signo virginem domini sui filio coniugio iungendam explorauit, & inuenit *Gen.24.14.*

Gen.24.14

Mystic. Tropol. Gregor

9 *Manete donec veniamus ad vos.* Gregor. lib.5. Variar.c.4. Ad Prædicatores peccatores transeunt, quando his, quibus verba exhibent, non solùm verbo, sed etiam vita placent. Ad Prædicatores peccatores transire gestiunt, quando tam profunda cæcitate merguntur, vt ad imitandæ suæ prauitatis exemplum ipsos etiam Prædicatores conuertere nitantur; proni quippe ad malum sunt, corde impœnitentes, & peccati lepram, quam induunt, maculare alios non expauescunt.

Literal. Clar.

10 *Donec veniamus ad vos.* Isidor. Clar. in Scholiis. Hoc signum erat audacis, & constantis animi; ideò Ionathas illud malum omen futurum iudicabat: At cùm dicerent, Ascendite ad nos, signum erat stupidi animi, & quo hostem aggredi formidabant; ideò Ionathas corroboratus virili animo, manibus, pedibúsque reptabat ad eos, non dubitans de diuino auxilio.

Literal. Procop.

11 *Manete donec veniamus ad vos.* Procop. ibi. Si ad nos dixerint: state ibi, non ascendamus; non per coniecturas, sed certò volens agnoscere voluntatem Dei.

Moral. Berchor. *Aggressio tutior.*

12 *Manete, donec veniamus ad vos.* Petrus Berchor. lib.9.c....In factis bellicis *Audaces fortuna iuuat*, & melius est inuadere, quàm expectare; hic enim ascensus, & inuasio signum fuit victoriæ, & salutis: expectare signum erat perditionis. Vel dic quòd diuina Prouidentia libentiùs iuuat hominem prouocatum, quàm illum, qui prouocat.

Histor. Zonar.

13 *Donec veniamus ad vos.* Ioan. Zonaras tom. 1. Annal. Aggrediamur, inquit, castrum hostium; qui si nobis dixerint: Descendite: non ascendemus ad eos; sin ascendere iusserint: ea verba victoriæ tessera habenda erunt.

Tropol. Greg. *Obstinatis quomodo prædicandū.*

14 *Stemus in loco nostro.* Gregor. suprà. Tale est, ac si dicat: Si illos lucrari non possumus, nosmetipsos in bona conuersatione seruemus; Locus enim noster bona conuersatio est; de quo nimirùm loco aliàs scriptum est: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne deseras.* Si verò locus noster Dominus est, cùm mali se nobis obiiciunt, in loco nostro persistamus, quia cùm incorrigibiles Prædicatorum monita non recipiunt, solerter debent ipsi circumspicere, vt ad se nulla possint eorum exempla peruenire.

Literal. Abul.

15 *Stemus in loco nostro.* Abul. ibi. q.6. Non est sensus quòd starent in loco suo, sed etiam quòd rediret, vnde venerant; nam si Philisthim hoc eis dixissent, non erat eis tutum manere in loco illo, nam descenderent ad eos Philisthini, & percuterent, cum Deus noller tradere illos in manus Iudæorum.

VERSVS X.

Vulg. *Vlgat.* Si autem dixerint: ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris, hoc erit nobis signum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Si verò dixerint: ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manu nostra, & hoc nobis signum.

Varab. *Hebraica ex Franc. Vatabl.* Sin autem ita dixerint: Ascendite ad nos: tunc ascendamus, quoniam tradidit eos Dominus in manus nostras, sitque hoc nobis signum.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et si sic dicent: Ascendite ad nos: & ascendemus, quoniam tradidit eos Dominus in manu nostra, & hoc nobis signum.

Compl. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et si hoc dixerint ad nos: Ascendite ad nos: & ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris, & hoc nobis signum.

Sixtin. *Græc. ex Septuagint. in Sixtina.* Si autem dixerint: Ascendite ad nos, & ascendamus, quoniam tradidit eos Dominus in manus nostras: hoc nobis signum.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Tropol. Greg. 1 *Ascendite ad nos: ascendamus.* Gregor. lib.5. Variar.c.4. Qui sunt, qui dicunt: ascendite ad nos, nisi hi, qui deuotionis signa proferunt, quia salutis verbum, & venerabiliter audiant, & retinere foris concupiscant? Ad istos itaque ascendendum est, in quibus etsi magnus labor est in opere ministerij, sunt & magna lucra salutis.

Mystic. Tropol. Angelom. 2 *Ascendite ad nos: ascendamus.* Angel. in Stromatib. cap.14. Illud iter, quod Ionathas armigero suo proposuit, vt nisi ipsi priùs ab hostibus prouocati forent, nequaquam ad eos transirent; sed quieti subsisterent; hoc nobis per eiusmodi iter signum Sacra Scriptura typicè innuit; vt ne quis ex Catholicis aduersùs Hæreticos prior contentionis arma commoueat, nisi ab ipsis priùs ad certamen prouocatus fuerit, quia non per Catholicos, sed potiùs per Hæreticos contentionis bella in Ecclesia exordium sumunt.

Literal. Vatab. 3 *Quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.* Vatab. in Schol. Hoc dixit spiritu prophetico, aut quòd ita præsagiret animus eius.

Histor. Ioseph. 4 *Hoc erit nobis signum.* Ioseph. lib.6. Antiquit. cap.7. aliàs 6. Quod si tacuerint, nec nos vocauerint, reuertamur.

Literal. Carthus. 5 *Hoc erit nobis signum.* Carthus. ibid. artic.27. dandæ victoriæ, & forsitan reuelatum hoc fuerat Ionathæ, vel ex occulto instinctu hoc protulit.

Histor. Salian. 6 *Hoc erit nobis signum.* Iacob. Salian. tom.3. Annal. Ann. Mundi 2964. n.60. Orauit Ionathas Deum, vt cum de sua voluntate signo aliquo redderet certiorem; qui exoratus ea verba excubitoribus suggessit, aut cùm præuidisset quid illi dicturi essent, ea reuelauit Ionathæ, vt iis confirmatus, etiam armigerum suum confirmaret.

Literal. Author Catenæ. Abul. 7 *Hoc erit nobis signum.* Author Catenæ. Disputat Abulensis quæst. 7. si Philisthini neutrum quod proposuerat Ionathas, dicerent, sed vel aliud loquerentur, vel omninò tubticerent, quid tunc Ionathas, cùm alteram ex illis orationibus

expectaret

Ioseph. expectaret vt signum. Et primo si Iosepho credendum foret, locus quæstioni non esset, qui ait hoc etiam tertium à Ionatha prouisum fuisse; *Quòd si tacuerint*, inquit, *nec nos vocauerint, reuertemur*. Ce-

Abul. terum id Scriptura non exprimit, & responsione opus est. Respondet ergo Abul. casu, quo vel aliud excubitores dicerent, vel tacerent, deficiente proposito signo, Ionatham euentus dubium ad suos reuersurum, nec impetum in hostes facturum. Respõdet secundo q. 8. casum non admittendum, quia cùm esset in Dei voluntate, quod Philisthiim illa, aut illa verba facerent, ipse eos cogeret ad ea, quæ à Ionatha sub dicta dilunctione expectabantur, ita vt, si Deus vellet Ionathæ victoriam dare, non possent hostes illa verba, *Ascendite ad nos*, non facere; cùm ergo Deus victoriam concedere decreuisset, necessario ad prædictam propositionem cogebantur. His ego nusquam assentior, destruunt enim eorum hominum liberam arbitrij facultatem, quam Deus semper consultissimè conseruat. Dicendum potiùs Deum certo prænouisse viros illos ea verba facturos per suam infinitam scientiã: tum Ionathæ menti suggessisse per tacitam quandam inspirationem; vnde excubitores prædictam propositionem prolaturos erat certum, & infallibile, certitudine, & necessitate consequenti, non quòd à Deo cogerentur, sed quòd illi liberè eam proferre vellent. Dei enim scientia non præcedit, sed subsequitur liberam operationem.

VERSVS XI.

Vulgata. *Vulgat.* Apparuit igitur vterque stationi Philisthinorum, dixeruntque Philisthiim: En Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus abscõditi fuerant.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Apparuerunt autem ambo Præfecto Pelistim, dixerúntque Pelistim: Ecce Hebræi egrediuntur de foraminibus in quibus se absconderant.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Ambo ergo illi reuelati sunt stationi Palæsthinorum, dixeruntque Palæstim: En Hebræi prorepunt è cauernis, in quibus se se absconderant.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et manifestati sunt ambo illi stationi Pelisthæorum; & dixerunt Pelisthæi: Ecce Iehudæi exeuntes ex foueis, in quibus abscõditi sunt.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et ingressi sunt ambo in stationem Philisthinorum, & dixerunt Philisthiim. Ecce egrediuntur Hebræi de cauernis, vbi abscõditi fuerant ibi.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtia.* Et intrarunt vtrique in Metlab alienigenarum, & dicunt alienigenæ: Ecce Hebræi egrediuntur è cauernis suis, vbi abscõditi erant illic.

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Gregor. *Doctor debet esse exẽplo?*

1 *Apparuit igitur vterque stationi.* Greg. lib. 5. Variar. c. 4. Quidnam est, quod apparere Ionathas Philisthæis cum armigero dicitur, nisi quia Doctor ipse prior debet bonum ostendere, quod alios contendit edocere? Non potest in prædicatione venerabiliter recipi, si priùs in se honorem ministerij non præfert luce bonæ conuersationis. Vnde & egregius Prædicator confidenter allerit, dicens: *Quandiu quidem sum gentium Apostolus, ministerium meum honorifico.* Roman. 11. Rom. 11.

Literal. Mendoza. 2 *Apparuit igitur vterque stationi.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Vbi Ionathas, & armiger eius obfirmato animo arduum illud facinus aggredi sunt ausi, statim inter noctis tenebras viam capessunt, tandémque appulsi, illico ab iis, qui in statione hostium excubias agebant, sunt conspicati. Vnde meritò colligunt Iosephus, & Abulens. eos iam luce erumpente eò appropinquasse. Tale verò tempus elegit Ionathas ad inuadendos hostes, in qua esset lux aliqua qua via ad locum accliuem conspiceretur: ea tamen ita dubia, & exigua, vt obscuritas aggredientibus ausum, aggressis terrorem ingereret, præsertim inopinatò præoccupatis. Existimare enim poterant Philisthiim tota nocte Hebræorum copias in eum locum conuenisse, & sub lucis crepusculum in eo subitò irruisse.

Literal. Author Caten. 3 *Apparuit igitur vterque stationi.* Autor Catenæ. Scilicet summitatem aliquam proclruis viæ vincentes, in conspectum excubitorum venerunt, qui primo etiam dilinculo cuigilantes, eosque videntes, ex latitantium grege crediderunt, nec sine irrisione dixerunt: *En Hebræi egrediuntur de cauernis, &c.*

Mystic. Gregor. 4 *En Hebræi egrediuntur de cauernis.* Gregor. suprà. Quid est, quod Philisthæi apparentes despiciunt, & tamen eis *Ascendite ad nos* dicunt, nisi quia plerumque illi Prædicatorum optimam vitam despiciunt, qui eorum prædicatione ad pœnitentiæ lamenta curruri sunt?

Histor. Ioseph. 5 *En Hebræi egrediuntur de cauernis.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 7. alias 6. Cumque propiùs ad hostilia castra accederent, apparente iam die, Palæsthini vbi hoc viderunt, inter se dicebant: Ex antris, & cuniculis proripiunt Hebræi.

Mystic. Beda. 6 *En Hebræi egrediuntur de cauernis.* Beda lib. 2. Expos. Allegor. c. 8. Quamuis irridendo Philisthiim vera mystice loquuntur. Quia videlicet Hebræi spirituales, hoc est virtutum trantitores in tutissimis Scripturarum præsidiis ab hostium defenduntur incursibus, & harum consolatione recreati, ad superandos eosdem nequissimos aduersarios, vbi tempus arriserit, publica procedunt in opera virtutum.

Literal. Abul. 7 *En Hebræi egrediuntur de cauernis.* Abul. ibi. q. 8. Audierant enim quòd Hebræi à facie eorum abscõditi erant quod verum erat, vt patet præcedenti capite, v. 6. Nunc autem quia viderunt illos duos viros inter petras in loco prærupto, ac commodo ad latendum, putauerunt, quòd egrederentur de latibulis, & potissimum quia erat aurora, vt dictum est, putauerunt, quod tunc recedere vellent indo.

Literal. Mendoz. 8 *En Hebræi egrediuntur de cauernis.* Francisc. Mendoz. ibi. §. 2. At cur è latebris eos exire dicunt? Triplici ex causa opinor. Prima, quia fortè locus, in quo videbantur, plurimis abundabat antris, & speluncis, è quibus tunc egredi sibi videbantur: Palæstinam verò huiusmodi latebris esse plenam, in eisque solitos Israelitas delitescere passim ex Scriptura liquet. *Iosue cap.* 10. 1. *Regum* 24. *&c.* Secunda, quia licèt ibi, vbi conspiciebantur Ionathas, & eius armiger, latebræ non essent, e quibus egrederentur; eos tamen aliunde e latebris egressos, illac fugam ad suos capescere suspicabantur. Tertia & præcipua: cauernarum meminere per irrisionem, & contemptum; cunditatis, & ignauiæ illos taxantes

qui non pugnam, sed fugam ad latebras meditarentur. Quasi dicant: En pauidi illi, & vecordes, qui præ timore non iam in vtribus degunt vt homines; sed in latebris, tanquam mures meticulosi includuntur. Cùm ergo fugam ad cauernas exprobrant, eos mures timidos tacitè per contemptum appellant.

LITERAL. Sanct. 9 *En Hebræi egrediuntur de cauernis.* Gaspar Sanct. ibi. n. 10. Hoc primum commodè accidit Ionathæ viam illam arduam, & insuetam tentasse, ne cùm apparerent hosti Palæstino, existimarentur adoriri castra; sed potiùs egredi de cauernis necessitate compulsi, vt hosti se dederent, aut alias ob causas, quæ procul aberant ab hostili congressu.

VERSVS XII.

Vulgata. VVlgata. Et locuti sunt viri de statione ad Ionatham, & ad armigerum eius, dixerúntque: Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem. Et ait Ionathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Israël.

Benedict. *Bened. in margine.* Et ait Ionathas ad armigerum suum: Ascende post me, tradidit enim Dominus, &c.

Glossa. *Text. Gloss. in marg.* Et locuti sunt viri Præfecti, vel aciei ad Ionatham.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Et locuti sunt viri Præfecti ad Ionatham, & armigerum eius, & dixerunt: ascendite ad nos, & scire faciemus vos rem: dixítque Ionathas ad armigerum suum: Ascende post me: Tradidit enim eos Dominus in manus Israel.

Vatab. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Respónderunt itaque viri, qui erant in statione ipsi Ionathan & armigero eius dixerúntque: Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem. Atque Ionathan ad armigerum suum: Ascende post me, quoniam Dominus tradidit eos in manum Israelis.

Arias. *Chaldaic. ex Benedicto Arias. in Regia.* Et respónderunt viri custodiæ Ionathan, & portanti arma eius, & dixerunt: Ascendite super nos, & docebimus vos verbum. Et dixit Ionathan portanti arma sua: Ascende post me, nam tradidit illos Dominus in manu Israel.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagin. in Complut. & Regia.* Et respónderunt viri stationis Philisthinorum ad Ionatham, & ad gerentem arma eius, & dicunt: Ascendite ad nos, & ostendemus vobis verbum. Et ait Ionatham ad gerentem arma eius: Ascende post me, quia tradidit eos Dominus in manus Israel.

Sixtin. *Græc. ex Septuag. in Sixt.* Et respónderunt viri Mesiab ad Ionatham, & ad eum, qui portabat vasa eius, & dicunt: ascendite ad nos, & notum faciemus vobis verbum; & dixit Ionathan ad portantem vasa eius: ascende post me, quoniam tradidit eos Dominus in manus Israel.

Vatab. *Vatabl. in Schol.* Et indicabimus vobis aliquid. Quoniam traditurus est eos Dominus in manu Israelis.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. MYSTIC. Gregor. 8 *Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem.* Greg. lib. 5. Variar. c. 4. Hoc ad literam minas significat; quod tale est, ac si dicant: Si huc ascenderitis, quantum valeamus, patiendo sentietis. In malorum verò conuersatione item facile est colligere, cùm iustos expellunt, quantum soleant nocere.

MYSTIC. Idem. 2 *Et ostendemus vobis rem.* Idem ibidem. Dum Sancti Doctores erumpentibus quibusdam signis, peccatorum conuersionem considerant, res etiam ab eis promittitur, quia ad verum esse se redire pollicentur. Res quidem aliquid habet esse: peccatum verò esse nullum habet. Vnde & Paulus Corinthiis dicit: *Scimus, quia nihil est idolum in mundo* 1. Cor. 8. peccator autem quia peccando ad nihilum tendit, cùm nihil illud, cui inhæsit, deserit, quasi ad esse redit. 1. Cor. 8.

HISTOR. Ioseph. 3 *Et ostendemus vobis rem.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 7. alias 6. Ionathæ cum armigero inclamabant: Venite huc datuti pœnas audaciæ. Quam vocem Saulis filius cupide arripiens, vt indubitatum omen victoriæ, tunc quidem recessit è loco, in quo conspecti fuerant, &c.

MYSTIC. Beda. 4 *Et ostendemus vobis rem.* Beda lib. 2. expos. Allegor. c. 8. Superba hostium irritio, & despectio fidelibus fiduciam nanciscendæ virtutis tribuit. *Ante ruinam enim exaltatur spiritus: & ante gloriam humiliatur.* Prou. 6.

LITERAL. Abul. 5 *Et ostendemus vobis rem.* Abul. ibid. q. 8. Ideft ibi erratis: ascendite ad nos, & dabimus id, quod quæritis. Hoc potest intelligi irrisoriè, quia Philisthini videbant Ionatham, & armigerum eius euntes hinc inde ad quærendum transitum inter prominentes petras, loquebantur eis, ac si quærerent rem perditam dicentes: *Ostendemus vobis rem.*

LITERAL. Caietan. 6 *Et ostendemus vobis rem.* Caiet. ibi. Mos loquendi in confuso significans, quod clarè intelligitur ratione materiæ, de qua agitur.

LITERAL. Mendoza. 7 *Et ostendemus vobis rem.* Franc. Mend. ibi. §. 1. Eadem phrasis ac loquendi modus in nouo Testamento passim vsurpatur: nam *Luc.* 1. 37. Angelus Gabriel beatissimam Virginem alloquens: *Non erit*, inquit, *impossibile apud Deum omne verbum.* Hoc est, non erit impossibilis apud Deum omnis res, seu nulla res erit Deo impossibilis. Item Luc. 2. *Transeamus vsque ad Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est*, ideft videamus hanc rem miram, quæ facta est. Ita igitur hoc loco iuxta proprietatem vocabuli Hebræi transtulerunt *verbum*; Latinus verò Interpres attendens ad significatum verbi *rem* transtulit. Luc. 2. Hebræ. Hieron.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. 8 *Et ostendemus vobis rem.* Author Catenæ. Modus est ironicè loquendi, qui minas continet, vt ait Gregor. Quasi dicerent: negotium nobis vobiscum, accedite, & audietis. Vnde non placet Abulensis expositio, scilicet tanquam errantibus, & quidquam inquirentibus ironicè promisisse, rem, quam quæritabant, monstraturos.

TROPOL. Gregor. Gloria vni Deo. 9 *Tradidit enim Dominus eos in manus Israel.* Greg. suprà. Quisquis nititur magna agere, hoc benè pensare nouit, si semper studuit, diuinis laudibus imputare. Bene ergo Ionathas de consequenda victoria confidens, non in manus suas, sed in manus Israel tradendos inimicos asseruit, vt triumphum ostenderet, & qualis esse debeat triumphator, pariter designaret; *Israel* quippe Videns Deum interpretatur, cui ergo in manus hostes tribuuntur Videns Deum dicitur, vt non ei ea, quibus in manu data sunt; doceatur attendere, sed tenens datum, ad largitorem munerum cor leuare. Aliud enim tenet manibus; aliud oculis videt.

10 *In*

LITERAL. Abul. *Ionatha modestia.*

10 *In manus Israel.* Abul.ibid.q.8. Non dixit: tradidit eos Dominus in manus nostras, sed in manus Israel,quia Ionathas satis credebat, quòd non poterat per eos totus exercitus cædi, aut fugari; sed putauit, quòd eis percutientibus Philisthinos, viderent Israelitæ, qui erant in castris Saulis, & succurrerent eis; & sic factum est, vt patet *infrà.*

LITERAL. Salian. *Ionatha modestia.*

11 *In manus Israel.* Salian. tomo 3. Annal. ann. Mund.2964.n.63. Non dixit: In manus meas, modestiæ causâ, & reuera ipsi pugnam susceperuri erant,quam victoria consecuta est;sed totius populi pugna fuit,atque victoria. Quia tamen magnum momentum ad victoriam in hoc audaci Ionathæ conatu, & quasi bellitatione positum fuit, ideò illi victoriam Iudas Machabæus attribuit,cùm pugnaturus contra Lisiam,Dominum orabat in hæc verba: *Benedictus es Saluator Israel,qui contriuisti impetum potentis in manu serui tui Dauid, & tradidisti castra alienigenarum in manu Ionathæ filij Saul,& armigeri eius.* 1. Machab.4.

1. Mach. 4. 30.

TROPOL. Mendoza. *Ionatha modestia.*

12 *In manus Israel.* Francisc. Mendoza ibi,§.6. Totum pondus prælij, & periculi sibi reseruauit: totum verò victoriæ honorem populo adscripsit. Cæteri enim milites cùm postea accessserunt, non tam expugnandos, quàm spoliandos hostes inuenerunt. Longè aliter cæteri duces, ac Principes.

MORAL. Euseb. *Ionathæ virtutes.*

13 *In manus Israel.* Ioann.Eusebius Nieremb.6. Stromat. c.16. Victoriæ indubitatum omen ex superbia hostili accepit Ionathas;plerisque enim faustè accidit ab inimico contemni; cùm iam meruit vinci,qui non posse vinci putauit: indignus prorsus ope diuina, qui sibi tantum præsidij tribuit, quantum cupit dici aliis. Quantus concentus virtutum Ionathæ nostro! Quanta omnium laudum, & gloriæ concordia? vt nihil magnanimitati eius modestia detraheret: nihil prudentiæ simplicitas: nihil maiestati comitas: nihil fortitudini diffidentia sui. Nullo vitiorum contimo eius virtutes sunt læsæ, quæ plaga infestare maximas solet virtutes.

VERSVS XIII.

Vulgat.

Vulgat. Ascendit autem Ionathas manibus & pedibus reptans,& armiger eius post eum.Itaque alij cadebant ante Ionatham,alios armiger eius interficiebat sequens eum.

Benedict. Glossa. Vatab. Greg.

Bened. Itaque cùm vidissent faciem Ionathæ: alij cadebant ante Ionatham: *Et in marg.* Et viderunt illi coram Ionatha,armiger autem eius interficiebat post eum.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraïc. ex Xant. Pagn. Et ascendit Ionathan manibus suis, & pedibus suis, & armiger eius post eum, & ceciderunt coram Ionathan, & armigero eius interficiente post eum.

Vatab.

Hebraica ex Franc. Vatab. Ascendit itaque Ionathan manibus suis, & pedibus suis, sequebaturque eum armiger eius: quique coram Ionathan ceciderunt, hos armiger eius trucidabat post eum.

Ariasm.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et ascendit Ionathan super pedes suos,& super manus suas,& ferens arma eius post eum,& ceciderunt debilitati ante Ionatham,& ferentem arma eius occidentem post eum.

Complut. Regia.

Græc. ex Sept.in Compl.& Regia. Et ascendit Ionathan per manus suas & per pedes suos,& gerens arma eius post eum,& viderunt Philisthim contra faciem Ionathan,& percussit in eis, & gerens arma eius porrigebat post eum.

Sixtia.

Græca ex Sept.in Sixt. Et ascendit Ionathan super manus suas,& super pedes suos, & portans vasa eius cum eo, & inspexerunt ad faciem Ionathan,& percussit eos, & portans vasa eius procedebat post eum.

Caiet.

Caietan. in Commentar. ex Hebræo. Et ceciderunt in faciebus Ionathan,& armigeri eius interficientis post eum.

Gregor.

Gregor. lib.5. Variarum, cap.4. Ascendit Ionathas reptans manibus & armiger eius post eum.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Lira. *Ionathas ascendès quid?*

1 *Ascendit autem Ionathas.* Lira.ibi.in Moral. Per hoc, quod Ionathas ascendit per scopulos ad destruendam Philisthinorum stationem, significatus fuit ascensus Christi in cruce per clauos, & sic destruxit stationem Dæmonum, frangens infernum,& inde liberans Collegium Sanctorum Patrum.

HISTOR. Ioseph.

2 *Ascendit autem Ionathas.* Ioseph.lib.6.Antiq. c.7.alias 6. Tunc quidem Sauli filius recessit è loco in quo conspecti fuerant,sed ex alia parte,ad rupem accedentes propter situm, incustoditam, magno labore difficultate loci superatâ, euaserunt ad hostem, aggressique sopitos viginti ex his interfecerunt.

LITERAL. Caiet.

3 *Ascendit autem Ionathas.* Caiet.ibi.Quamuis verum sit Ionatham sic ascendisse, non tamen dicitur, quòd sic ascenderit videntibus Philisthinis; rationi enim consentaneum est, quòd ascenderint per viam inopinatam à Philisthinis, hoc enim insinuat descripta via immeabilis, & propterea more quadrupedum,à Ionatha pertransita.

TROPOL. S.Nilus. *Habitus bellus interdum affectandus.*

4 *Manibus & pedibus reptans.* S.Nilus Abbas in Ascetico tomo 5. Biblioth. PP. Ionathas cum Naas Ammonita pugnans, super quatuor pedes incedens illum vicit, quoniam soli naturæ necessitati paruit; oportebat enim,vt qui cum serpente, qui super pectus graditur, decertabat, paulisper speciem ipsius assumeret, atque ita super quatuor incedens, & mox impropriam se se formam erigens cum magna felicitate superaret. *Credidit S. Pater hoc bellum idem esse cum priori contra Ammonitas, vitio, vt creditur, memoria.*

Author Catenæ.

MYSTIC. Gregor.

5 *Manibus, & pedibus reptans.* Gregor. lib.5. Variar.cap.4. Quid est reptare manibus, nisi corpus omne curuare, nihil in se sublime relinquere: superiora membra ad inferiora officia peragenda inclinare? Quid autem in hoc facto nobis insinuatur, nisi quia multa Prædicatorum compassione indiget conuersio peccatorum? Quid enim aliud quàm reptare manibus videbatur Redemptor noster, cùm publicanorum amicus fieret, & peccatores reciperet, & cum ipsis manducaret? Manibus quidem reptabat; cùm dicebat: *Non habent opus sani medico,sed male habentes.* Matt.9.

TROPOL. *Cõpassio peccatorum.* Matth.9.

6 *Manibus, & pedibus reptans.* Idem ibidem. Hanc etiam ineruationem reptandi in sacrò eloquio Cameli appellatio designat, quia ad hoc Saluator vsque ad imm nostra se voluit humiliare, vt

TROPOL. Greg. *Peccatorum compassio Pauli zelus.*

nos ad alta suæ Diuinitatis extolleret; hunc namque reptantem manibus Paulus sequi se infirmans ait: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* 1. Cor. 9. Sed & quia in manibus opera solent significari, reptat manibus Pastor, quando peccatoribus viam, quam tenere conuerti debeant, non profert sapientia verbi, sed exemplo conuersationis.

1.Cor.9.

TROPOL. Beda. 7 *Manibus, & pedibus reptans.* Beda libr. 2. Exposit. Allegor. cap. 8. Manifestum quidem est maiora tentationum obstacula maiori virtutum nisu debere transcendi, quod tunc ritè perficitur, cùm armatus contra hostem humilis auditor spiritalis, per omnia sequitur exempla Præceptoris.

LITERAL. Vatab. 8 *Manibus, & pedibus reptans.* Vatab. in Schol. Super manus suas, & pedes suos; idest repens manibus, & pedibus. Vel vt alij: totis viribus conatus est ascendere.

LITERAL. Author Catenæ. 9 *Manibus, & pedibus reptans.* Autor Catenæ. Ob asperitatem loci reptare potiùs, quam ambulare opus erat, quod præstitit Ionathas, Armigero, qui reptabat etiam, comitante, quia vtique eadem erat reptandi necessitas; arma verò aut suspensa collo, aut lateri affixa, aut forte mordicus apprehensa secum simul asportabant.

LITERAL. Lira. 10 *Et armiger eius post eum.* Lira. ibi. Per Armigerum eius intelligitur Beatus Franciscus, qui arma Christi non solùm in mente per fidem, sed etiam in corpore per expressam similitudinem portauit, & per Crucem pœnitentiæ, post Christum incedens, frequenter Dæmones fugauit non solùm de corporibus obsessis, sed etiam de ciuitatibus, & locis.

LITERAL. Abul. 11 *Itaque alij cadebant ante Ionatham.* Abulens. ibi. q. 9. Cùm Ionathas, & armiger eius ascenderunt in castra Philisthinorum, illi qui viderunt eos, conterriti sunt nimis, ita vt præ stupore efficerentur immobiles, quasi lapides, sic vt Ionathas, & armiger eius sine difficultate occidere possent, quos vellent. Tantus autem terror inuaserat Philisthinos, vt non solùm non auderent resistere Ionathæ, sed etiam fugere non auderent: quod patet, quia si fugissent à facie eorum, non potuissent isti duo occidere viginti viros, nisi persequerentur eos magno terræ spatio; dicitur autem infrà, quòd occiderunt istos viginti viros *in media parte sulci.*

HISTOR. Cedren. 12 *Alij cadebant ante Ionatham.* Georg. Cedren. in Annal. Ionathas solo armigero comitatus, ad stationem Barbarorum perrupit, tesseráque armigero datâ, excubitores adortus ad viginti viros interfecit.

LITERAL. Theodot. 13 *Itaque alij cadebant ante Jonatham.* Theod. ibi. q. 31. Cùm sic Ionathas confidisset, non fuit ipse frustratus; nam cùm primùm irruisset, & iaculum emisisset, & lapides eiset iaculatus, fudit castra hostium.

LITERAL. Vatabl. 14 *Itaque alij cadebant ante Ionatham.* Vatab. in Schol. Ionathan iter faciebat ente per hostes.

HISTOR. Sabell. 15 *Itaque alij cadebant ante Ionatham.* Sabell. Encad. 1. lib. 7. Ionathas Regis filius, doloris impatiens, vno dumtaxat comite speculatorio amictus habitu, hostium castra noctu ingreditur quæ munitissimo etant loco sita, & ob id fortasse nullo maiore præsidio, stationéve nocturnâ retento; eam occasionem ferox iuuenis nactus, hostes passim somno, & quieti deditos ferro adoritur, tetram cædem tacite in iacentes grassatus per multam noctem perpetrauit, quoad morientium gemitus tumultum excitauit. Tum verò creditum est castra ab hoste teneri, simúlque præceps fuga exorta est.

16 *Itaque alij cadebant ante Ionatham.* Claudius Rangol. ibi. tom. 1. Quidam putant eos ad solum conspectum Ionathæ cecidisse. Targum autem ait, Ionatham eos tantum strauisse, occidendos autem armigero suo reliquisse.

LITERAL. Rangol. Targum.

17 *Itaque alij cadebant ante Ionatham.* Ioan. Eusebius Nieremberg. 6. Stromatib. cap. 3. Ionathæ reseruabatur hæc gloria, qui amore non gloriæ, sed patriæ intrepidus, penè dixerim ebrius, non modò timorem excutit hostium, sed ipsos hostes, & per pericula priuata irruens: damna pepulit publica, pauco, & exermi milite executus, quod Saul cum tercentum millibus nec cogitare ausus. Vicit vnius iuuenis ardens spiritus omnium Hebræorum timores: omnium Philisthinorum terrores.

MORAL. Euseb. *Ionatha virtus.*

18 *Itaque alij cadebant ante Ionatham.* Franc. Mendoza ibi. §. 4. Tota quæstio recurrit, quo pacto duo milites contra innumeros hostes præualerent, & duo fugarent decem millia; sed facilè dissoluetur, si ad diuinum præsidium recurramus, vt planè recurrendum esse non solùm Interpretes docent, sed etiam Littera testatur, dum appellat hanc euentum semel, atque iterum miraculosum. Itaque diuinâ virtute animabantur hi duo milites: hostes verò frangebantur. Vnde hi fracti tremebant, & cadebant, illi animati audebant, & irruebant tam prospero successu, vt ab his duobus celeberrimæ victoriæ principium duceretur.

LITERAL. Mendoz.

19 *Itaque alij cadebant ante Ionatham.* Centumputeolanus. ibid. num. 12. Minus est quod Virgilius fabulosè, ac falso Æneid. 9. finxit de duobus adolescentibus in Tyrrhenorum castris, quàm quod verè de Ionatha, atque armigero, quamverissimè in Philisthinorum acie facta prodit Historia. Quod sanè eiusmodi est, vt nisi sacra intercessisset authoritas, alicui fortasse fabulosum Poëtarum figmentum videretur. Quærunt Autores, quomodo hæc strages tanta primùm à duobus, deinde ab ipsis Philisthinis in se ipsos mutuo sæuientibus, contingere potuerit? Alij aliter coniectant, & iudicant, sed diuinant omnes; quod necesse est, quando eius rei nullum apparet in Scriptura vestigium.

LITERAL. Sanctius. Virg.

20 *Itaque alij cadebant ante Ionatham.* Autor Catenæ. Hanc viginti militum percussionem miraculosam fuisse satis constat, & in eo conueniunt Interpretes: in modo verò, quo miraculum acciderit, non item. Liranus, Iosephum referens, ait, nebulâ quadam circumfusos se se percutientes non vidisse. Cæterùm locus Iosephi, quo id asserat, non inuenitur, vt notauit Abulensis, quæst. 9. nec saris scio quibus exemplaribus vteretur Liranus, qui sæpe alienas sententias Iosepho imponit. Alij, quibus consentit Sanctius, numer. 15. percussos fuisse cæcitate, quæ à Græcis *ἀμαυρὼσις* dicitur, quâ tollitur visio, seu cognitio illius, quod esset alicui expediens, quâ etiam percussi olim viri Sodomitæ, ne Loth domus ostium inuenirent. *Gen.* 19. referuntur ex Augustino, libr. quæstion. in Genes. q. 43. & lib. 22. de Ciuit. Dei c. 19. Sic idem Liran. & probabiliter; non tamen id excogitare necessarium est, cùm sufficiat immissam illis fuisse à Deo mentis concussionem, & turbationem, quâ infrà dicitur exercitus concussus: *Obstupuit, & conturbata sunt castra* v. 15. Hac ergo conturbatione perciti

LITERAL. Author Catenæ. Liran. Ioseph. Abul. Augustin. Lira.

perciti Philisthini nec defensioni, nec fugæ locum inuenerunt, vnde facilè à Ionatha,& armigero cædebantur, qui duo tantum numero diuinæ gratiæ præsidiis instructi innumerabili hostium exercitu fortiores erant, quod quasi vidisset olim Xenophon lib.3. expedit. Ciri Minoris, sic disserte scripsit: *Id planè omnibus perspicuum est non numero, aut corporum robore victoriam comparari, sed viri in hostem, Diis vtique iuuantibus, animo firmiori impressionem fecerint, eos esse, quorum illi impetum sustinere non possint.* Xenophon.

MYSTIC. Greg. 11 *Alios armiger eius interficiebat.* Greg. suprà. Sed & dum ad remedium pœnitentiæ plures veniunt, alij in magnorum, alij in minorum exempla confugiunt. Aptè igitur dictum est: *Alios armiger eius interficiebat.*

LITERAL. Marian. 22 *Alios armiger eius interficiebat.* Ioann. Marian. in Schol. Itaque quos Ionathas prosternebat, armiger eius iugulabat.

LITERAL. Author Catenæ. *Autor Catenæ.* Aliqua exemplaria verbis huius versus addunt aliquid, quod de Textu non est, nempe: *Et cum vidissent faciem Ionathæ:* ante illa verba: *Alij cadebant ante Ionatham,* quod etsi de Textu non sit, quia tamen Gregorius admittit, eiusdem Commentarium supponere non piget, lib. 5. Variar. cap. 4. in hæc verba. *Facies Ionathæ cernitur, quando qui verbum prædicationis audiunt, charitatem etiam mentis eius agnoscunt, cùm videlicet hunc audiunt, & cœlestia prædicare, & eos, quibus ipsa pandit cœlestia, mira charitate deligere. Benè autem ante faciem cadere dicuntur, quia dum bona, quæ sunt in mente Prædicatoris agnoscunt, statum pranitatis deserunt.* TROPOL. Gregor. *Doctoris exemplum.*

VERSVS XIV.

Vulgata. *Vulgata.* Et facta est plaga prima, qua percussit Ionathas, & armiger eius, quasi viginti virorum, in media parte iugeri, quam par boum in die arare consuevit.

Benedict. *Benedict.* Et facta est plaga prima, *quam* percussit Ionathas, & armiger eius, quasi viginti virorum in media parte *iugeris* quam par boum in die arare consuevit. *Et in marg.* In media parte iugeris spatio agriculturæ duorum boum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et fuit plaga prima, qua percussit Ionathan, & armiger eius ferè viginti virorum; fere in medio iugeris in agro.

Vatab. *Hebraica ex Francisc. Vatabl.* Fuit hæc prima strages, in qua Ionathan vna cum armigero suo percussit circiter viginti viros, idque fermè in dimidio sulco iugeri (in) agro.

Arias. *Chaldaica ex Benedict. Arias. in Regia.* Et fuit percussio prima, quam percussit Ionathan, & ferens arma eius quasi viginti virorum circiter spatium dimidiæ ambulationis iugi boum in agro.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et facta est plaga prima, quam percussit Ionathan, & ferens arma eius, quasi viginti viros in iaculis, & in lapidum iaculatione, & silicibus campi.

Sixtin. *Græca ex Septuag. in Sixtina.* Et fuit plaga prima, quam percussit Ionathan, & portans vasa eius circiter viginti viri in iaculis, & lapidum iactu, & silicibus campi.

Marian. *Ioann. Marian. in Schol.* Lege *iugeri*, vti in Romana, non iugeris, nam iugerum latinè dicitur.

PP. ET AVCTORES.

1 *Et facta est plaga prima.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Plaga prima hæc dicitur, qua Sancti percutere noxios post etiam in vltimo iudicio describuntur. Vnde & Paulus Corinthios excitans, dicit: *An nescitis, quia Angelos iudicabimus?* 1. Cor. 6. Hinc Psalmista vaticinans, ait: *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exultationes Dei in gutture eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Psalm. 149. Plaga prima ista conuersionis est: secunda damnationis, quia modò Sancti conuerti nos ad Dominum rogant; sed non conuersos tunc durius damnabunt. MYSTIC. Gregor. *Sancti iudices reproborum.* 1. Cor. 6. Psalm. 149.

2 *Et facta est plaga prima.* Abul. ibi quæst. 9. Dicitur plaga prima, quia hic fuerunt factæ tres plagæ. Prima fuit, quam fecit Ionathas, & armiger eius: secunda fuit, quam fecerunt Philisthiim mutuo se cædentes: Tertia fuit, quam fecerunt Israëlitæ persequentes Philisthinos. LITERAL. Abul.

3 *Et facta est plaga prima.* Ioann. Euseb. Nieremberg. 6. Stromat. cap. 2. Prior Ionathas Philisthæum imperium ab Israële arcuit, prior, immò solus cladem intulit potentissimo hosti: nec ausus tantum, vt Aristomenes trecentos Lacones obtruncare, cùm trecenta hominum millia ipse solus aggressus, vt inter mortales omnes omnium fortissimus Ionathas declarandus sit. MORAL. Ioann. Euseb. *Ionatha fortitudo.*

4 *Qua percussit Ionathas, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. alias 6. Magno labore difficultate loci superata euaserunt ad hostem; aggressique sopitos viginti ex his interfecerunt, & totum exercitum stupore, ac consternatione repleuerunt, vt abiectis armis in fugam se darent. HISTOR. Ioseph.

5 *Qua percussit Ionathas, &c.* Petrus Comest. in Histor. Schol. cap. 14. Exterruit eos Dominus ante Ionatham, & percussit Ionathas cum puero ex eis viginti viros in media parte iugeri. *Eadem verba habet* Nauclerus. HISTOR. Comest. Naucler.

6 *Qua percussit Ionathas, &c.* Antonin. Florentin. 1. part. tit. 2. cap. 6. Ionathas filius Saül insciо patre accessit cum armigero suo ad stationem Philisthinorum, per viam difficillimam, & occidit arcu viginti Philisthæos in modico spatio. HISTOR. Antonin.

7 *Et armiger eius.* Carthus. ibi art. 27. In fine præcedentis Capituli dictum est, quòd non fuit inuentus ensis, aut lancea, nisi in manu Saülis, & Ionathæ. Quid ergo gestauit in manu armiger Ionathæ? Dici potest, quòd fustem, aut clauam, & forsan alicui occisorum abstulit gladium. LITERAL. Carthus.

8 *Qua percussit Ionathas, & armiger eius.* Autor Catenæ. In quæstionem non immeritò vocari posset Ionathæ & armigeri eius strenua virtus, vtra videlicet maior fuerit? An Principis arduum facinus arripientis, an serui Domini obsequentis imperio? Ex mea tamen, si qua est sententia, armigeri fortitudo præferenda est. Primò quia Ionatha, Regis primogenitus, cui & sua dignitas, *& ætas, & conscia virtus* nutriebant animos, mentémque ad ardua quæque erigebant, & quod caput est, singularis Numinis afflatus sollicitabat ad facinus, minus quid præstitisse videbitur. Secundò, quia ea etiam nos libentiùs, & auidius aggredimur, quæ proprio nos marte, & voto excogitauimus: ea verò tardiùs, & segniùs quæ alienæ sunt mentis, & imperij. Pueri ergo militarem virtutem, & animi vigorem ipsius Ionathæ fortitudini præponere non pudet, qui nec regio sanguine cretus, nec propriæ LITERAL. Author Catenæ.

dignita

dignitatis conſcius, ſed vna Domino ſuo obſequendi alacritate, alienæ cogitationi confidenter acquieuerit, vt innumerum armatorum hoſtium cuneum inuadere exermis etiam non dubitauerit. Rogas tamen qua induſtria, aut quibus inſtrumentis viginti ex hoſtibus occidere cum Ionatha potuerit? De hoc enim dictum eſt *ſuprà* enſe, & lancea inſtructum fuiſſe; de illo verò vtroque, ſicut & cæteros caruiſſe? Placet Dionyſij reſponſio, aut clauâ aliquâ vſum, aut præuſtis ſudibus, vel potiùs funda, & lapidum iactatione. De ipſo etiam Ionatha Septuaginta, quos Theodoretus, & Antoninus ſequuntur, iaculis, & lapidibus dimicaſſe dicunt. Deinde prioribus occiſis, enſes, aut haſtas arripuerunt, quibus rem peragerent.

Dionyſ. Septuag. Theod. Antonin.

HISTOR. Seuer.

9 *Quaſi viginti virorum.* Seuer. Sulpit. lib. 1. ſacræ Hiſtor. Igitur Ionathas audaci conſilio ſolo armigero ſuo comite, caſtra hoſtium ingreſſus viginti fere ex hoſtibus interemptis, vniuerſum exercitum terrore perculerat.

LITERAL. Abul.

10 *Quaſi viginti virorum.* Abul. ibi quæſt. 9. Iſta plaga fuit facta, cùm nondum Philiſthiim conturbati eſſent, & pugnarent inter ſeinuicem erant tunc ſtupidi, quia fortè alij Philiſthiim non videbant hoc, quia iſta occiſio fuit in prima parte acici; quo viſo ſurrexerunt alij conturbati ſe mutuo lacerantes.

MYSTIC. Beda.

11 *In media parte iugeri.* Beda lib. 2. expoſit. c. 8. tom. 4. Media pars iugeri arandi Eccleſia eſt, quæ in terris adhuc inter reprobos conuerſata, correptione Prædicatorum gaudet ad gignendos vitæ fructus exerceri.

MYSTIC. Angelom.

12 *In media parte iugeri.* Angelom. in Stromatib. cap. 14. Quòd Ionathas & armiger eius prima congreſſione aduerſus Philiſthiim non alio in loco, quàm in agro culturæ dedito confligentes, viginti numero prima fronte ex hoſtibus proſternunt; illud figuraliter ſignificare videtur, quod his Doctoribus Hæretici cedunt, atque ſuccumbunt, qui intra limites Eccleſiæ poſiti à meditatione legis, velut ab agricultura non recedunt.

LITERAL. Abul.

13 *In media parte iugeri.* Abul. ibi quæſt. 9. In quo ſignificatur, quòd non ſunt occiſi illi per fugam, quia tunc ad hoc, quòd duo occiderent viginti, magnam partem terræ excurrere oportebat. Occiderunt tamen illos in media parte iugeri, quod eſt parua terra, ſcilicet quòd illi nimis conterriti non mouebantur ad vulnera.

LITERAL. Caietan.

14 *In media parte iugeri.* Caiet. ibi. Vt hinc appareat magnitudo facti, quòd non vage longeque ſparſos illos viginti occiderint, ſed in tam paruo ſpatio terræ, vt eſſent quaſi ſimul.

LITERAL. Marian.

15 *In media parte iugeri.* Ioann. Marian. in Schol. Iugerum longum eſt pedes 240. latum 120. pedes quadratos, continet viginti octo millia octingentos. Seruntur in iugero quatuor, aut quinque tritici modij. Columella lib. 2. cap. 9.

Columel.

LITERAL. Sanct.

16 *In media parte iugeri.* Centumpureolanus ibi num. 17. Iugerum ſpatium eſt in agro, quod vno die quaſi legitimo dimenſo par boum arat. In hoc ſpatio edita eſt illa viginti virorum cædes, quæ Palæſtinorum caſtra turbauit. Neque ſuſpicor aliquid præterea aut tentaſſe, aut curaſſe Ionathan, cùm iam ſecurus eſſet, quod volebat; neque iudicaret rutum eſſe in caſtris ea ratione confuſis diutius permanere, cùm arderent omnes, & furerent inſania, neque ab vllo abſtinerent armatas manus, quem obuium habuiſſent.

MYSTIC. Gregor.

17 *Quam par boum in die arare conſueuit.* Greg. ſuprà. Boues ſunt Prædicatores Eccleſiæ, qui dum prædicant, arant: qui dum verbis cœleſtibus corda auditorum aperiunt; quaſi in bona terra ſemen ſpargunt; ſed in die arant boues, quia Dominus comminatur dicens: *Veniet nox, quando nemo poteſt operari.*

Prædicatores boues ſunt? Ioann. 9.

17 *Quam par boum in die arare conſueuit.* Beda lib. 2. expoſit. Allegor. cap. 8. tom. 4. Par boum in die arans concordia Doctorum eſt de legis, & Euangelij diſciplina ſub eodem fidei iugo conuenientium: In Luce præceptæ ſcientiæ ſubditorum corda caſtigans, & ad ferendum Deo fructum Spiritus excolens.

MYSTIC. Beda.

Boues concordia Doctorum?

VERSVS XV.

VVlgata. Et factum eſt miraculum in caſtris, per agros: ſed & omnis populus ſtationis eorum, qui ierant ad prædandum, obſtupuit, & conturbata eſt terra; & accidit quaſi miraculum à Deo. Vulgata.

Benedict. in margin. Et factus eſt horror in caſtris, & ſuper agros. Sed & omnis populus ſtationis eorum, qui ierant ad prædandum, obſtupuit, *& tremuit terra ob Dei horrorem.* Et reſpexerunt, &c. Benedict.

Textus Gloſſa in marg. Et fuit pauor in caſtris per agros. Sed & omnis populus *princeps exercitus, & vaſtator expauerunt etiam ipſi.* Et conturbata eſt terra, *& fuit terror à Deo.* Gloſſ.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Et fuit pauor in caſtris, & in agro, & in omni populo, præfectus & vaſtator expauerunt etiam ipſi, & commota eſt terra, & fuit in pauore grandi. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Factus eſt autem pauor in caſtris, tum in agro, tum in omni populo, qui erat in præſidio: quin & hi, qui graſſabantur, territi ſunt, terráque ipſa tremuit, & incidit pauor Dei. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariaſm. in Regia. Et fuit turbatio in caſtris, in agro, & in omni populo ſtationis; & vaſtatores turbati ſunt etiam illi, & turbata eſt terra, & fuit in turbatione ab ante Dominum. Ariaſm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et factus eſt ſtupor in caſtris, & in campo, & omnis populus, qui in ſtatione, & qui occidunt, obſtupuerunt & ipſi, & obſtupuit terra, & factus eſt ſtupor à Domino. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtia. Et factus eſt pauor in caſtris, & in agro, & vniuerſus populus, qui in Meſab, & qui vaſtabant, obſtupuerunt, & ipſi nolebant facere, & obſtupuit terra, & factus eſt pauor à Domino. Sixtia.

Vatabl. in Schol. Et accidit miraculum à Deo, & fuit in trepidatione Dei. *Vel*, fuitque (correpta) trepidatione Dei, ideſt immiſſa à Deo, vt magna. Vatab.

PP. ET AVCTORES.

1 *ET factum eſt miraculum in caſtris.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 4. Quoties præter quotidianum vſum noua quædam accidunt, quæ carnales, ac ſimplices admirentur, miraculum per agros fieri dicitur. In comparatione namque Sanctorum velut agreſtes homines ſunt, quia & Conditoris antiqua opera, tot diſpoſitiones temporum, & tot ordines creaturarum mirari neſciunt. ALLEG. Gregor.

2 *Et*

Mystic. Beda. 2 *Et factum est miraculum in castris.* Beda lib. 2. expos. Allegor. cap. 8. tom. 4. Miraculum fit reprobis constantia, virtúsque iustorum, quasi castrametantibus per agros, cor exercitatum, malitia pariter, & deliciarum affluentia resolutum habentibus.

Literal. Abul. 3 *Et factum est miraculum in castris per agros.* Abul. ibi quæst. 9. Quia ista turbatio non solùm facta in eis, qui erant intra castra; sed etiam in illis, qui erant dispersi per agros, nam fortè aliqui de Philisthinis castrametati fuerant extra loca aliorum. Vel potest intelligi de illis, qui erant in castris, scilicet de illis, qui manebant, & non ibant ad prædandum; nam etiam illi cùm redierunt, turbati sunt, & incœperunt pugnare, vt cæteri; sicut patet immediatè.

Literal. Salian. 4 *Et factum est miraculum in castris per agros.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mund. 2964. num. 67. Dicendum videtur geminum hic contigisse miraculum: alterum in personis: in terra verò alterum, idque tam Textui Latino, quàm Hebræo consentaneum est. Prius illis verbis significatur: *Et factum est miraculum in castris per agros*, & in omni populo, *qui ierant ad prædandum.* Posteriùs miraculum habent illa verba: *Et conturbata est terra, & accidit, quasi miraculum à Deo.* Vel vt Hebræus: *Et fuit in trepidationem Dei*, idest prodigiosam, & longè maximam. Alterum de terræ commotione miraculum apertè habetur in Hebræo Textu, & Chald. Paraphrasi, cui consentit editio Vulgatæ. Quin & terræmotum hic agnoscit Caietanus. Vatabl. & Versio Pagnini, & Tigurina.

Caiet. Vatab. Pagn. Tigur.

Literal. Abul. 5 *Sed & omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit,* Abulens. ibi quæst. 9. Nam illi inter se pugnauerunt, & contra eos, qui erant in castris.

Mystic. Beda. 6 *Qui ierant ad prædandum.* Beda suprà. Sed & spirituales aduersarij, quamuis humanæ salutis acerrimi prædones, & ipsi perfectorum virorum obstupescere facta perfectarum precum, cæterarumque virtutum solent cedere deuotioni.

Allegor. Greg. 7 *Obstupuit.* Greg. suprà. Quid est, quòd Philisthiim admirantur, nisi quia aliquando conuersionem peccatorum alij peccatores obstupescentes aspiciunt; & dum bonitatem Dei in illorum visitatione intelligunt, ad simile conuersationis propositum accenduntur.

Mystic. Idem. 8 *Et conturbata est terra.* Idem ibid. Terra turbatur, quando carnalis mens à sua soliditate concutitur, & cogitare fluctuando inchoat inter mala, quæ respuit, & bona, quæ amat; turbari enim, menti tunc est serenitatem malæ dilectionis proposito Christianæ religionis obducere.

Mystic. Beda. 9 *Et conturbata est terra.* Beda suprà. Vt terrena sapientes ad cœlestium virorum facta conturbentur. Vt Dæmones ab hominibus attentandis fractâ suarum virium malignitate trementes, gementes resiliant, non humanæ virtutis opus, sed miraculum est diuinæ pietatis.

Literal. Caiet. 10 *Et conturbata est terra.* Caiet. ibi. Quoniam distinctæ hominum species narrauerat, tremuisse, adiungendo tremorem terræ, significare videtur corporalem tremorem ipsius terræ, vt intelligamus fuisse tremorem, & internum in animis, & externum in ipsa terra.

Literal. Marian. 11 *Et conturbata est terra.* Ioann. Marian. in Schol. sic lege. Sic Gotthica, & Romana, sic Hebræa, Sept. & Chaldæus. Fortè terra ipsa repente tremuit, aut terram posuit pro habitatoribus terræ illius.

Literal. 12 *Et conturbata est terra.* Autor Catenæ. Hanc terræ conturbationem ita Caietan. Vatabl. & Marian. intelligunt, vt credant solum ipsum contremuisse materiali concussione, & motu. Probabile id iudicat Salianus. Affirmat etiam Vulgata non correcta Ioannis Benedicti, & Versio ex Hebræo Vatabli. Cæterùm id certum non iudico, quia cùm Vulgata non exprimat, & terræ commotio pro eius habitatoribus rectè intelligatur, non video cur tantum miraculum confingi opus sit.

Author Catenæ. *An terra tremuerit.* Caiet. Vatab. Marian. Salian. Ioan. Ben.

Literal. Gregor. 13 *Et accidit quasi miraculum à Deo.* Greg. suprà. Miraculum à Deo est, quod sine homine facit Deus; quòd enim manna in deserto filiis Israel pluerit, Dominus; quòd concupiscentibus volatilia præbuerit, miraculum vtique sine homine Deus fecit. Sed dum mare diuidere voluit, virgà hoc Moysem tangere præcepit, vt miraculum ostenderet, quod per hominem populo demonstraret.

Literal. Abul. 14 *Et accidit quasi miraculum à Deo.* Abul. ibi quæst. 9. Ista est repetitio præcedentis sententiæ. Et non dicitur hic *quasi miraculum* eo quòd non fuerit verum miraculum, sed habens similitudinem. Nam verum miraculum erat, sed dicitur, *quasi miraculum*, quia frequenter sic Scriptura loquitur. Quod tamen istud *quasi* nihil operetur, patet, quia suprà dicitur: *Et factum est miraculum in castris.* Sic autem aliquando ponitur *quasi*, & nihil operatur, vt patet *Numer.* 9. scilicet: *Per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis.* Constat tamen, quia non erat ibi quasi species, sed vera species ignis.

Numer. 9.

Literal. Marian. 15 *Et accidit quasi miraculum à Deo.* Ioann. Marian. in Schol. Hebraicè: Et fuit in trepidationem Domini, idest magnam. *Mons Dei, mons pinguis*, idest mons magnus.

Literal. Sanctius. 16 *Et accidit, quasi miraculum à Deo.* Gaspar. Sanct. ibi num. 20. Ex vsu Scripturæ, quæ magna sunt, Dei esse dicuntur, vt Montes Dei, Cedri Dei, aut quia talis erat stupor, & motus, quasi foret à Deo desuper immissus, nisi mauis illud *quasi* significare non tam similitudinem, quàm veritatem, quomodo dicitur, *Aristoteles loquitur, quasi Philosophus*, idest vt Philosophum decet, qualis ipse fuit. Tale est illud Ioan. 1. *Quasi vnigeniti à patre*, & illud 1. Petri 2. *Sone Regi quasi præcellenti.* Sic igitur sensus esse posset: Fuit miraculum, quale esse solet à Deo.

Ioann. 1. 1. Petri 2.

Literal. Author Catenæ. Abul. Sanct. 17 *Et accidit, quasi miraculum à Deo.* Autor Catenæ. Quod nuper miraculum simpliciter dictum fuerat, modo *quasi miraculum* dicitur. Ad litteram placet responsio Abulensis, quam confirmat ex cap. 9. Numer. quæ placuit etiam Sanctio. Ad tropologiam verò ex eo non miraculum, sed *quasi miraculum* vocari crederem impiorum hominum conturbationem, & tremorem, quòd adiacet prauæ conscientiæ timor, & impietatis comes est turbatio; namque vt canit ille

Frangit, & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor

Discordia item inter coniuratos etiam impios ita frequens, & communis est, vt non miraculosa, sed naturalis credenda sit; ea verò inter Philisthinos exorta ad alternas neces, & mutua in se ipsos vulnera suscitauit.

VERSVS XVI.

Vulg. *Vulgata.* Et respexerunt speculatores Saül, qui ierant in Gabaa Beniamin, & ecce multitudo prostrata, & huc illúcque diffugiens.

Bened.

Benedict. *Bened. in marg.* Ecce multitudo *dissoluebatur*, & eundo concutiebatur.

Gloss. *Text. Gloss. in margin.* Et ecce multitudo dissoluebat se.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et respexerunt speculatores Saül in Ghibhah Biniamin, & ecce multitudo dissoluebatur, & abibat, & frangebatur.

Vatab. *Hebraica ex Francisc. Vatab.* Speculatores autem Saülis viderunt in Gibea Beniamin, & ecce defluxit multitudo vltrò citrò que discurrens.

Ariasm. *Chald. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et indicauerunt speculatores Saüli in Gibhatha domus Biniamin, & ecce turba castrorum Philisthæorum confracta est, procedebat confractio eius, & crescebat.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et viderunt speculatores Saülis in Gabaa Beniamin, & ecce castra conturbata hinc & hinc.

Sixtia. *Græc. ex Septuag. in Sixtia.* Et viderunt speculatores Saülis in Gabaa Beniamin, & ecce castra perturbata hinc, & hinc.

Vatab. *Vatabl. in Schol.* Et ecce multitudo vltrò citrò que discurrens, & abibat, & frangebatur; idest subinde augebatur strages.

Caietan. *Caiet. ex Hebræo.* Et ecce tumultuans liquefactus est, & fugit, & fregit se.

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Greg. *Prælati officium?* 1 *Et respexerunt speculatores Saül.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 4. Pugnam Ionathæ Saül speculatores aspiciunt, quia Summi Pontifices non solùm subditorum facta discutiunt, sed doctrinam Prælatorum. Istos quidem explorant, si benè agant: illos autem an rectè doceant, sæpè conuersionem aliorum audiunt; sed ne sint bene eruditi pertimescunt.

Tropol. Idem. 2 *Et respexerunt speculatores Saul.* Idem ibid. Qui summi culminis & ministerio, & legatione funguntur, in alta vitæ, & scientiæ se se sublimantur. Vnde & benè, & iidem speculatores in Gabaa Beniamin esse memorantur. Gabaa quidem Beniamin Collis filij dexteræ nuncupatur. In colle quidem filij dexteræ sunt, qui iam per sublimem vitam, & per altam scientiam ad conformationem videntur pertingere Redemptoris.

Tropol. Beda. *Inquisitores fidei quales?* 3 *Et respexerunt speculatores Saül.* Beda lib. 2. exposit. Allegor. cap. 8. tom. 4. Respiciunt præ cæteris hi, qui Scripturæ sanctæ speculam contendebant, & sunt in colle filij dexteræ, idest in sublimi cœlestium operum arce constituti, & scientia videlicet pura, & simplici actione præclarius, ac primi ruinam vident instantem, fugámque prauorum. Non enim omnium est Catholicorum, lectis Hæreticorum, gentiliúmve libellis, mox quid in eis erroris contineatur, agnoscere: Auditis Dialecticorum versutiis illicò ruinosos deceptionum laqueos acutæ mentis sagacitate discernere, sed eorum, qui diutina, vel meditatione Scripturarum, vel virtutum gratiâ promerente, exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali.

Literal. Abul. 4 *Et respexerunt speculatores Saul.* Abulens. ibi quæst. 9. Speculatores Saülis viderunt castra Philisthinorum, & quid fiebat in eis; eò quòd ipsi erant in loco valde eminenti disposito ad speculandum.

Literal. Author Catenæ. 5 *Et respexerunt speculatores Saul.* Autor Cat. Saülis exercitus licèt modicus, & timore perculsus, militarem tamen disciplinam obseruat, & superiori parte exploratores & speculatores constituerat, qui de hostium actibus, & dispositione cogitarent: hi nimirùm officij non immemores, vt turbatas acies, & mutuas cædes speculari sunt, Regem impigri admonent, vt quid in causa fuerit, consultiùs discutiat, & in promptu sit ad ea, quæ casus dederit. Tunc ille Deum consuli iubet, & interea temporis decursu tumultu succrescente, hostium conturbatio, & consternatio apparuit.

Literal. Caiet. 6 *Et ecce multitudo prostrata.* Caiet. in Comment. Iuxta Hebræum habetur: *Ecce tumultuans liquefactus est, & iuit, & fregit se.* Et est ordo Litteræ, quòd tumultuans turba iuit, & fregit se, & fuit liquefacta. Hebræi siquidem maius præponunt minori. Dispersi itaque Philistiæi viri sunt tanquam ea, quæ liquefiunt.

Literal. Ioann. Eusseb. 7 *Et ecce multitudo prostrata.* Ioann. Euseb. Nieremberg. 6. Stromat. cap. 19. Clamor vndique, strepitus, fuga, pauor, confusio, fragor, cædes, prodigiosæ strages, non mirum paucis hominibus, ipsa credo tremuisse saxa, & stupuisse audaciam vnius iuuenis in tot hostium non modò agmina, sed examina (innumeri erant) grassantis.

VERSVS XVII.

Vulgata. Vulgata. Et ait Saül populo, qui erat cum eo: Requirite, & videte, quis abierit ex nobis. Cúmque requisissent, repertum est non adesse Ionatham, & armigerum eius.

Glossa. *Text. Gloss. in marg.* Numeratè & videte: Quis abierit ex nobis, cúmque numerassent.

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Dixítque Saül ad populum, qui erat secum. Numerate nunc, & videte, quis ierit ex nobis. Et recensuerunt, & ecce non erat Ionathan, & armiger eius.

Vatab. *Hebraice ex Francisc. Vatabl.* Dixit ergo Saül ad populum, quem secum habebat: Recensete quæso, & dispicite, quisnam ex nobis abierit. Quúmque recensuissent: en aberat Ionathan, & armiger eius.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit Saül ad populum, qui cum eo: Recensete nunc, & videte, quis abierit à nobis: & numerauerunt; & ecce non erat Ionathan, & ferens arma eius.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et ait Saül populo, qui cum eo: Requirite iam, & videte, quis abierit ex nobis; & requisierunt: & ecce non repertus est Ionathan, & gerens arma eius.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et dixit Saül populo, qui cum ipso: Recognoscite nunc, & videte quis iuit ex nobis. Et recognouerunt: & ecce non inueniebatur Ionathan, & portans vasa eius.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Ioseph. 1 *Et ait Saul populo.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 7. Cúmque renunciatum esset Regi per speculatores, tumultum esse in castris Palæsthinorum, interrogauit Saülus: Num aliquis ex suis abesset, & audito, filium cum armigero abesse, iubet Pontificem sumpto Sacerdotali habitu de futuris vaticinari.

Tropol. Gregor. *Prædicator qualis?* 2 *Quis abierit ex nobis.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Quid est aliud, quòd quis abierit? quæritur, nisi quia qui ad prædicandum mittitur, talis esse debet, vt onus ministerij ei securè imponatur, vt mens mittentis nulla dubitatione fluctuet, quod rectè doceat, & doctrinæ verba operibus ostendat?

3 Quis

LITERAL. Abul. 3 *Quis abierit ex nobis.* Abul.ibi quæst.9. Putauit Saül, quòd aliqui de suis iuerant ad castra Philisthinorum, & pugnabant contra eos Philisthini; ideò voluit scire quis deficeret de castris ipsorum; arbitratus est enim, quòd Philisthini non pugnarent inter se ipsos; erat enim hoc inopinabile,nam Dei miraculo factum fuerat, vt patet *suprà*.

LITERAL. Idem. 4 *Repertum est non adesse Ionatham.* Idem ibid. Erat enim certus numerus virorum in castris, scilicet sexcenti viri solùm, vt *suprà* patet, & isti essent constituti per duces suos, secundum quod in aliis exercitibus fieri solet, ita vt facilè inueniri possit,si quis deficeret. Solus autem Ionathas cum armigero repertus est defuisse,quia vt suprà dictum est,Ionathas locutus fuerat soli armigero suo, nam etiam patri suo non indicauerat.

LITERAL. Author Catenæ. 5 *Repertum est non adesse Ionatham.* Autor Catenæ.Patet hinc etiam Ionatham apud patrem non commorari, sed diuersa exercitus parte locatum. Cùm verò ille nulli discessum suum indicasset, sed clam se subduxisset, nondum desideratus à suis fuerat,fortasse quòd noctu aufugisset.Cùm etiam Princeps esset, & alter castrorum Imperator quæreretur, absentia eius manifesta facta est.

VERSVS XVIII.

Vulgata. *Vulgata.* Et ait Saül ad Achiam: Applica Arcam Dei. (Erat enim ibi Arca Dei in die illa cum filiis Israël.)

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagnin.* Dixitque Saül ad Achiah: Applica Arcam Dei, erat enim Arca Dei in die illa cum filiis Israël.

Vatab. *Hebraica ex Franciſc. Vatab.* Aitque Saül ad Achiam: Applica Arcam Dei (fuit enim eodem die Arca Dei cum filiis Israël.)

Ariasm. *Chaldaica ex Benedicto Ariasmontano in Regia.* Et dixit Saül ad Achhiam: Accedere fac Arcam Domini,nam fuit Arca Domini in die illo cum domo Israel.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et dixit Saul Achiæ: Applica Ephud, quoniam erat Arca Domini in die illa coram Israël.

Sixtia. *Græca ex Sept.in Sixtina.* Et dixit Saul ad Achia: Applica Ephud, quoniam ipse tulit Ephud in die illa coram Israël.

Vatab. *Vatabl.in Schol.* Admoue Arcam Dei. Ideſt afferhuc Ephod, in quo sunt Vrim, & Thumim.

Caiet. *Caiet.in Comment.* Legendum est: *Applicate ad Arcam Elohim.* Sæpe enim Hebraica littera omittit præpositiones, *erat enim ibi Arca.* Non habetur in Hebræo *ibi*.

PP. ET AVCTORES.

TROPOL. Gregor. 1 *Applica Arcam Dei.* Greg.lib.5.Variar.cap.4. Cur Achiam Sacerdotem Saul applicare Arcam præcipit, nisi quia modum certaminis à speculatoribus audiunt? Quod quidem à Summis Sacerdotibus benè spiritualiter agitur, cùm ea, quæ à relatoribus audiunt, non ante diiudicant, quàm eorum rationem in consilio internæ meditationis quærant. Et quia sæpè alienæ etiam mentis consilia sequuntur, Achias Arcam applicare iubetur. Arcam quippe Sacerdos habet, qui scientiâ spirituali mentem vacuam non habet. Saul ergo Arcam applicare Achiam iubet, quando summus Doctor consilium à minoribus suis, & eruditis quærit.

HISTOR. Ioseph. 2 *Applica Arcam Dei.* Ioseph. lib.6. Antiquit. cap.7.Saulus iubet Pontificem sumpto Sacerdotali habitu de futuris vaticinari.

LITERAL. Comest. 3 *Applica Arcam Dei.* Comest.in Histor.Schol. cap. 13. Ideſt: præpara Arcam Domini ad consulendum Dominum.

LITERAL. Liran. 4 *Applica Arcam Dei.* Liran.ibi.Ideſt:applicate ad consulendum Dominum, si debeamus ire ad illud bellum.

LITERAL. Abul. 5 *Applica Arcam Dei.* Abul. ibi quæst.9. Ideſt duc huc Arcam Domini, scilicet,vt coram eo consulas.Vel applica Arcam,ideſt:applica te ad Arcam ad consulendum.

LITERAL. Idem. 6 *Applica Arcam Dei.* Idem ibid. quæst. 10. Quæret aliquis quid consulturus erat iste Sacerdos? Respondendum est, quòd consulturus erat de duobus: primò, de statu Ionathæ, & armigeri eius, nam isti duo iuerant ad castra Philisthinorum, & videbat Saul, quòd erat magnum bellum in castris eorum, crederet igitur, quòd ista in exitium Ionathæ vergerent. Consuluit ergo pro salute eius, an viueret,an hostes interfecturi essent eum? Secundò consulturus erat de statu suo, quantum ad hostes, scilicet an aggressurus esset eos? nam cùm vidisset eos turbatos,desiderauit ire contra eos.

LITERAL. Idem. 7 *Applica Arcam Dei.* Idem ibid.quæst.11.Sacerdos erat Achias, quem Saul iubebat consulere Dominum,ideò ipse consulere debebat induto Rationali,& Ephod,quod significatur suprà in littera, dum dicitur: *Et Achias filius Achitob portabat Ephod*,& in illo consuluit Dominum. Arca autem ad consulendum Dominum non erat sibi necessaria, sed quia erat ibi in castris, & Deus repræsentabatur specialiter in ea,dixit Saul quòd applicaret se ad Arcam.

MYSTIC. Beda, 8 *Applica Arcam.* Beda lib.2.exposit.Allegor. cap.8. Achias Frater illius, siue frater eius dicitur: aiunt ergo boni duces Ecclesiæ, aiunt quippe fideles quotidiana contra potestates aëreas bella gerentes, fratribus suis Scripturæ sacræ lectione præditis, & maiore virtutum exercitio seipsos quotidie per Sacerdotium regale Deo hostiam viuam offerentibus; aiunt, inquam talibus hi,qui per semetipsos adhuc tentationibus agitari, vel Ecclesiam generaliter Hæresibus turbari conspiciunt, vt patefactis diuinorum eloquiorum arcanis testimonia sibi manifestiora, quibus contra Hæresum fabricatores vti debeant, quibus cætera tentationum certamina deuincere possint, apertà ratione dilucident.

LITERAL. Vermil. 9 *Applica Arcam Dei.* Petrus Vermill.Hæretic. in Comment.Hæc indicant Samuëlem non adhuisse,aut certè Saulem eum consulere noluisse.Maluit Saul adhibere istum Sacrificulum, qui pro ipsius nutu,& arbitrio,aut consuleret Dominum, aut desisteret; nam Samuëlem vt nimis seuerum,& rigidum non potuit ferre.

LITERAL. Sanct. 10 *Applica Arcam Dei.* Centrumputeolanus ibi num.22. Applicare Arcam,non est illam adducere de loco suo ad eum, vbi tunc erat Saul: nimis enim id esset superbum, & odiosum piis iubere adduci ad se augustum illud, venerandúmque Sacrarium, & non potiùs Sacerdotem ipsum, & Regem ad Arcam accedere. Dicitur autem applicari Arca, quomodo dicitur adhiberi consiliarius, aut testis, cum illorum consilium, aut testimonium adhibetur, seu applicatur; cùm non illi ad nos, sed nos ad illos contrà veniamus. Non legimus quomodo consultus

consultus fuerit, aut quomodo Deus ad interrogata responderit.

LITERAL. Author Catenæ. Ioseph.

11 *Applica Arcam Dei.* Autor Catenæ. Recèdiùs dixisset Saul: Sume Sacerdotalem habitum, vt supposuit Iosephus, secutus Septuaginta. Sed cùm prope Arcam essent Sacerdotales vestes, hoc idem indicauit; vel rei nouitate turbatus vnum pro altero posuit; nam Sacerdos Summus non per Arcam, nisi semel in anno in die Propitiationis, *Leu.* 16. & *Hebræor.* 9. sed per Vrim & Thumim Deum consulebant, vt patet *infra cap.* 23. vbi Dauid ad Sacerdotem, seu Pontificem Summum Abiatar, *Applica*, inquit, *Ephod.*

§ Leuit. 16. Hebr. 9. 1. Reg. 23.

TROPOL. Gregor.

12 *Erat enim ibi Arca Dei, &c.* Greg. suprà. Quasi dicat, hoc applicare præcipit, quod esse cognouit. Ab irreligiosis quidem religionis consilium, aut sapientiæ à stultis petere, non est consilium accipere, sed præcipitare.

LITERAL. Abul. *Arca vnde allata?*

13 *Erat enim ibi Arca Dei, &c.* Abul. ibi q. 13. Saul fecit Arcam duci de Cariathiarim, vbi custodiebatur in domo Aminadab; & credendum est, quòd Eleazarus filius eius, qui præpositus fuerat ad custodiendam Arcam, venit tunc cum illa. De hoc *supra, cap.* 7. Postquam autem illud bellum finitum est, dicendum est, quòd non fuit reducta Arca in Sanctuarium, quod tunc erat in Nobe; sed fuit reducta in Cariathiarim, vbi priùs fuerat posita, & ibi mansit toto tempore Saulis, quousque transtulit eam inde Dauid 2. *Reg.* 6.

LITERAL. Caietan.

14 *Erat enim ibi Arca Dei, &c.* Caietan. ibi. Non habetur in Hebræo *ibi*, quod ideò annotauerim, vt intelligamus, quòd Arca Elohim non erat allata, vt esset ibi, sed vt esset cum exercitu filiorum Israël.

LITERAL. Author Catenæ. Iosue 6.

15 *Erat enim ibi Arca Dei in die illa, &c.* Autor Catenæ. Aderat Dei Arca, quam in præsidium sui omni alia spe destituti attulerant in castra; meminerant enim Hiericuntini belli *Iosue* 6. Et licèt in superiori proximo bello, de quo *cap.* 4. & Arcam amisissent, & ingentem suscepissent cladem, occulto id Dei iudicio, & suis etiam commissis adscribentes, de diuina per Arcam præsentia iam mitiora cogitabant. Rogas tamen vnde allata? Sunt, qui de Galgalis affirment, complures eius translationes confingentes. Autor scilicet Tradit. Hebraicar. suprà cap. 7. Liran. & alij: hæ verò Abulensi, & mihi, & alij non probantur, vt diximus ad cap. 7. Constitit enim in Cariathiarim ab ipso die, quo eò inducta est, vsquequo eam inde transtulit Dauid, vt constat 1. *Paralip.* 13. & 2. *Reg.* 6. Hoc ergo feliciter peracto bello suum in locum restituta est, licèt non fuerit ibi tabernaculum. Fateor tamen iterùm Arcam fuisse in castra deductam, cùm Dauid ab Absalone fugiens, illam in suum locum referri iussit 2. *Reg.* 15. 24.

Hieron. Lira. Abul. 1. Paral. 13. 2. Reg. 6. 2. Reg. 24.

VERSVS XIX.

Vulgata.

Vulgata. Cúmque loqueretur Saul ad Sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum: crescebatque paulatim, & clariùs resonabat. Et ait Saul ad Sacerdotem: Contrahe manum tuam.

Glossa.

Textus Glossa in marg. Cúmque loqueretur adhuc Saul ad Sacerdotem, tumultus magnus *reboabat* in castris Philisthinorum, & multiplicabatur paulatim, & clariùs resonabat.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Et fuit adhuc loquente Saul ad Sacerdotem, multitudo, quæ erat in castris Pelisthim, ibat eundo, & multiplicabatur: dixitque Saul ad Sacerdotem: recollige manum tuam. Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Factúmque est loquente adhuc Saule cum Sacerdote, vt tumultus, qui erat in castris Palæstinorum augesceret, increscerétque vehementer: dicebat ergo Saul ad Sacerdotem. Reduc manus tuas. Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et fuit cùm adhuc locutus est Saul cum Sacerdote, & turba, quæ in castris Pelisthæorum ambulans ambulabat, & multiplicabatur, & dixit Saul ad Sacerdotem: Affer Ephoda. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et factum est, vt locutus est Saul ad Sacerdotem, & tumultus in castris Philisthinorum vadens ibat, & multiplicabatur, & dixit Saul ad Sacerdotem: Contrahe manus tuas. Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtia. Et factum est, vt loquitur Saul ad Sacerdotem, & sonus in castris alienigenarum pergens, & multiplicabatur, & dixit Saul ad Sacerdotem: Collige manus tuas. Sixtia.

Vatabl. in Schol. Factúmque est tantisper, dum loqueretur Saul cum Sacerdote. Vatab.

Caiet. ex Hebræo. Et fuit vsquequo locutus est Saul Sacerdoti, & tumultus, qui in castris Pelisthinorum, & iuit eundo, & multiplicando. Et dixit Saul Sacerdoti: Congrega manum tuam. Caiet.

Isidor, Clarius ibi. Et factus est pauor in castris. Clar.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul.

1 *Tumultus magnus exortus est.* Abulens. ibi quæst. 14. Iste tumultus cœpit exaudiri, cùm loqueretur Saul ad Sacerdotem. Ideò nondum desierat loqui ad eum, vt consuleret Dominum, & iam oriebatur clamor. Vnde ista fuit causa, quòd Sacerdos non consuleret Dominum, nam audito clamore dixit Saul: *Contrahe manum tuam*, ideò cessa iam ab hoc; est enim iste modus loquendi, scilicet, contrahere manum, ideò colligere, pro, diuertere velociter ad alios actus.

MYSTIC. Gregor.

2 *Crescebatque paulatim.* Greg. lib. 5. Var. cap. 4. Prædicatori tumultum crescentem paulatim audire, est conuersorum peccatorum deuotionem cognoscere, quod paulatim crescere dicitur, quia dum mentem nostram ad bona opera spiritus dirigit, hanc ad meliora per quotidianos profectus leniter ducit.

TROPOL. Idem.

3 *Contrahe manum tuam.* Idem ibid. Quid aliud significat, quòd priùs Saul applicare Arcam petit, deinde Sacerdotem contrahere manum iussit, nisi quia & obscura debemus consulendo disponere, & quæ clariùs innotescunt, cum festinatione complere?

HISTOR. Ioseph.

4 *Contrahe manum tuam.* Ioseph. lib. 6. Antiq. cap. 7. Saulus iubet Pontificem sumpto Sacerdotali habitu de futuris vaticinari; quo respondente, victoriam Deum, & hostium, & cladem promittere, ducit militem in Palæstinos.

MYSTIC. Beda.

5 *Contrahe manum tuam.* Beda lib. 2. expos. Alleg. c. 8. tom. 4. Sæpè contingit tot, ac tantas inter se hostes Ecclesiæ (hostes hæreticos dico, vel Gentiles, habere pugnas, conflictúsq; verborum, seu dogmatum, vt meliùs sua dispensatione altrinsecùs; assertione spiritualiú Paginarum conuincantur esse falsa

quæ

quæ docent,& quæ agunt, immunda;faciendúmq; sit cœlestis militiæ ductoribus,quod Saul fecisse describitur, qui exorto in castris Philisthinorum tumultu, & in maius ac maius augescente, non amplius Deum per Sacerdotem consulere, sed ipse arrepta militum manu hostes, quos inuicem desidere compererat, insequi,atque ad fugã vrgere festinat.

LITERAL. Lira. 5 *Contrahe manum tuam.* Lira. ibi. Extenderat enim Sacerdos manus in oratione;& quia non habebat citò responsum, & Saul erat sollicitus pro filio suo absente;ideò dixit Sacerdoti,vt quiesceret à petitione,quia volebat statim filio suo succurrere.

LITERAL. Abul. 6 *Contrahe manum tuam.* Abul.ibi.q.14. Saul à principio volebat consulere Dominum, & intendebat expectare quousque reciperet responsum pro filio suo,& pro statu suo contra hostes:nunc autem videns quòd oriretur magnus clamor inter Philisthinos; vidénsque filium suum esse inter eos, credidit istum clamorem in illius exitium verti; non sustinuit ergo expectare responsum Domini, siue de prospero,siue de aduerso,quia etsi aduersum sibi euenturum esset, non formidabat illud subire pro filio,& hoc modo non oportebat expectare diuinum responsum, quia siue de prospero, siue de aduerso responderetur, nihilominus erat iturus ad liberandum filium suum.

LITERAL. Charen. Andreas. 7 *Contrahe manum tuam.* Hugo Char.in Postil. Idest fac citò,vel secundùm Andream:contrahe,idest retrahe, idest consumma opus tuum;quo consummato retrahitur manus. Vel retrahe, à præparatione Arcæ,quasi dicat: Dimitte præparationem Arcæ, ne hostes effugiant.

LITERAL. Vatab. 8 *Contrahe manum tuam.* Vatab.in Schol. Vel retrahe;quasi dicat: sine illic Ephod,noli illud capere, non enim est mihi otium consulendi Dominum.

LITERAL. Caietan. 9 *Contrahe manum tuam.* Caiet.ibi. Saul percipiens Deum iam facto respondisse,dixit Sacerdoti, vt desisteret à consulendo Deum,volens tunc progredi ad persequendos Philisthinos.

LITERAL. Marian. 10 *Contrahe manum tuam.* Ioan.Marian.in Sch. Quasi dicat:res moram non patitur, desiste ab incœpto,ne modò Deum consulas.

LITERAL. Serar. 11 *Contrahe manum tuam.* Serar.ibi.Contrahere manum Vatablo,est retrahere, quasi dicat:noli accipere Ephod, mihi otium non est. Sicque etiam Lira.& Abul. sed Chaldæo est:Accipere seu afferre Ephod, quod probat Iosephus, cùm Sacerdoti Dominum respondisse ait.

LITERAL. MORAL. Vermil. 12 *Contrahe manum tuam.* Petrus Vermil. Hæretic. in Comment. Quasi diceret: Satis iam scio quid sit agendum;nihil opus est,vt Deum consulas. Ita hodie multi Principes quamdiu commodum est,& è re ipsorum, videri volunt fautores religionis:at vbi res benè,& ex sententia successit, statim incipiunt & ministros,& ministerium contemnere.

LITERAL. Author Catenæ. Theodo. Ioseph. Naucl. 13 *Contrahe manum tuam.* Autor Catenæ. Duplicem sensum phrasis hæc potest efficere:prior est: *contrahe manum tuam*, hoc est, insta, agedum, ne moreris, maturitate opus est. Huic fauent Paraphrastes vertés: *Affer Ephoda.* Theod.q.31. Ioseph. & Naucler. affirmantes respondisse Dominum;non ergo Sacerdos destitit ab incepto, sed properauit, & intentiori oratione Deum obsecrauit: posterior sensus est:desiste ab incepto:deficit me expectationis tempus: responso opus non est: ipsi se hostes produnt, & per eorum tumultum satis Dominus respondet,iubetq; hostem opprimi tumultuantem, & turbatum.Hic sensus,& litteræ,& rationi,& Interpretum menti congruentior est: Litteræ, quia Hebræus, imò & Chaldæus particulam *adhuc* huius significatui addunt:*loquente adhuc Saule*; nec dissonat Græcus in Sixtianis:*Vt loquitur Saul*, quo significetur;cùm adhuc ad Sacerdotem Saul verba faceret,tumultũ percrebuisse,& insonuisse clamorem;non ergo diuinum responsum expectatum est, imò nec vestes adhuc Sacerdotales arreptæ:Rationi,quia si Abul.fides:*contrahere manum*,hebraismus est, quo ab incepto quispiã reuocatur:Interpretum denique; menti quia præter Theodor.Ioseph. Naucl. & Andream, sic omnes alij accipiunt; quos inter Salianus noster meritò Iosephum reprehendit;primò,quia scribit Sacerdotem à Saule de futuris vaticinari iussum;cùm potiùs de præsentibus consulendum esset,nimirùm de Ionathæ statu,déque hostium conturbatione. Secundò,quia nullo adiutus fundamento Deum affirmat victoriam Sauli per Sacerdotem promisisse. Sed Iosepho vt suos commendet,mentiri nouum non est. Hebr. Chald. Abul. Andr. Salian.

VERSVS XX.

VVlgata.Conclamauit ergo Saul,& omnis populus,qui erat cum eo,& venerunt vsq; ad locum certaminis:& ecce versus fuerat gladius vniuscuiusq; ad proximum suum, & cædes magna nimis. Vulgata.

*Bened.in marg.*Et congregatus est Saul,& omnis populus,&c. Et tumultus magnus nimis. Benedict.

VERSIONES.

Hebraic.ex Xante Pagn. Et congregatus est Saul, & omnis populus,qui erat secum,& venerunt vsq; ad prælium, & ecce erat gladius vniuscuiusque in proximum suum,contritio magna valdè. Pagn.

Hebraic.ex Franc.Vatab. Clamore itaq; conuocatus est Saul,& omnis populus, qui cum eo erat, venerúntque in prælium, & ecce gladius cuiusque stringebatur in proximum suum,erátque tumultus valdè magnus. Vatab.

Chald.ex Bened. Ariasm. in Regia. Et congregatus est Saul,& omnis populus,qui cum eo,& venerunt vsq; ad prælium;& ecce erat gladius viri in socium suum,conturbatio magna nimis. Ariasm.

*Græc.ex Sept.in Compl.& Regia.*Et ascendit Saul, & omnis populus,qui cum eo,& veniunt vsque ad bellum, & ecce fuerat gladius viri ad proximum suum,& confusio magna nimis. Complut. Regia.

Græca ex Sept.in Sixtia. Et ascendit Saul,& omnis populus,qui cum eo, & veniunt vsque in prælium;& ecce factus est gladius viri super proximum suum,confusio magna valde. Sixtia:

Caiet.ex Hebræo. In proximum suum,& attonitio magna valdè. Caiet.

*Isidor.Clarius ibi.*Congregatus est ergo Saul, & omnis populus. Clar.

PP. ET AVCTORES.

1 *Conclamauit ergo Saul.* Ioseph. lib.6. Antiq. c.7. Sacerdote respõdente victoriam Deum, & hostium cladem promittere,ducit militem in Palæsthinos, & perturbatos adoritur, iam antè ipsos inter se depugnantes. HISTOR. Ioseph.

2 *Conclamauit ergo Saul.* Caiet.ibi.Dictio interpretata *conclamauit* significat congregationem cum clamore,seu sonitum buccinæ ad congregandum populum. LITERAL. Caiet.

3 *Conclamauit ergo Saul.* Ioan.Naucl. in Histor. Consulto Domino exclamauit Saul,& cum populo cœpit persequi fugientes. HISTOR. Naucler.

Histor. Salian.

4 *Conclamauit ergo Saul.* Salian.tom.3.Annal. ann.Mundi 2964. num.73. Saul & diuinæ victoriæ cooperari voluit; siue paternus amor in filium, quę periclitari in hoc nouo clamore suspicabatur, rumpere coegit omnes moras, conclamauit buccina; scilicet per castra sua.imò & latiùs per vicinam regionem bellicum cani iussit, vt omnes repente ad arma concurrerent.

Literal. Author Catenæ.

5 *Conclamauit ergo Saul.* Author Catenæ. Non quidem diuino responso per Sacerdotem, sed vel interno instinctu,& militari prudentia,ac prudenti coniectura hostium deinde cognitis,vel etiam filij periclitantis amore percitus signum belli edidit, classicum canens: exercitus verò, & Regis hortatione excitus, & spe victoriæ commotus,quantium more,clamorem excitauit,quasi pæana canentes,& in hostem effusis castris concito gradu properarunt.

Literal. Abul.

6 *Et omnis populus,qui erat cum eo.* Abul.ib.q.14. Scilicet omnes clamauerunt,vt irent ad bellum,vel separatos ad eundum ad bellum; sic enim est in omnibus exercitibus, vt cùm castra mouenda sunt, datur signum mouendi illa. Erant autem isti, qui tunc erant cum Saül, sexcenti viri.

Histor. Salian.

7 *Et omnis populus,qui erat cum eo.* Salian.suprà. Nouo spiritu,ac feruore concepto,militari clamore se excitauit ad prælium,vt parieti inclinato incumbentes ciuissima cum ruina præcipitarent.

Mystic. Gregor.

8 *Et venerunt vsque ad locum certaminis.* Greg. lib.5.Variar.cap.4. Locus certaminis cor est verbum Dei audientis. Certaminis verò locus dicitur, quia verbum quod recipitur, cum præterita conuersatione præhatur: placent enim ei iam cœlestia,quæ audit, sed vetus consuetudo consurgit, & vt audita contemnat, suggerit. Fit pugna item grauior, quia quod Prædicator laudat, hoc maligni spiritus dissuadendo vituperant, & quasi præliando,se contra Sanctos erigunt, dum illud bellando destruunt, quod istorum voce prædicatur. Vel locus certaminis est, vbi crebra fama magnæ religionis est, illuc quippe dum ab innumeris curritur, qui & viram deponere veterem, & induere nouam conspiciunt, certaminis locus rectè nuncupatur.

Literal. Abul.

9 *Et venerunt vsque ad locum certaminis.* Abul. ibid.q.14. Ad locum,in quo erant tunc Philisthini pugnantes, scilicet vsque Machmas.

Mystic. Gregor.

10 *Et ecce versus fuerat gladius,&c.* Greg.suprà. Gladius vnius cuiusque ad proximum vertitur, quando hi, qui in Monasteriis conuersi sunt,vicissim se verbo Dei perforant, & carnalitatem in se penitùs necant.Velut enim alterutro vulnere interficiuntur,dum alter alterum verbo Dei percutit, & quid in se carnaliter viuit, extinguit. Vel gladius alterius ad proximum suum vertitur, quando per conuersorum exhortationem, nondum conuersi pecatores ad Dominum conuertuntur.

Mystic. Beda *Infinitum discordiæ.*

11 *Et ecce versus fuerat gladius,&c.* Beda.lib.1. Exposit. Allegor. cap.8. tom.4. Iudæi,Gentiles, & Hæretici, cùm sint hostes Ecclesiæ, cuncti alterum se singuli verbi gladio feriunt. Ipsi Iudæi per Phariæos, & Saducæos inuicem pugnant. Item Hæretici, & Pagani tanta variorum dogmatum, sacrorumque diffonantia, non minora sibimet,quam Ecclesiæ bella inferunt. *Vna est* autem, inquit, *Columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ.*

Histor. Ioseph.

12 *Et ecce versus fuerat gladius.* Ioseph. lib.6. Antiq.c.7. Plerique non se noscitantes inter se,quod ex multis gentibus constati essent, pro hostibus se inuicem inuadebant. & cùm non putarent duos tantum Hebræos in castra penetrasse, mutuo marte cadebant: quidam metu vulnerum in præcipitia aut ipsi ruebant, aut, vt fit in turba tumultuantes, alij ab aliis protrudebantur.

Histor. Theodo.

13 *Et ecce versus fuerat gladius,&c.* Theod.ibi quæst.31. Illi ignorantes se,inter se interimebantur; vt qui essent collecti ex diuersis ciuitatibus, & se inter se inuicem habuerunt pro hostibus.Hoc Saül eminùs conspicatus, cùm per vestem Sacerdotalem didicisset victoriam, ipse quoque impetum fecit in alienigenas.

Histor. Procop.

14 *Et ecce versus fuerat gladius,&c.* Procop.ibi. Ignari mutuis vulneribus ceciderunt, permixti enim erant.

Histor. Salian.

15 *Et ecce versus fuerat gladius.* Salian. suprà. Sic renouato clamore dementatos magis,magisque perturbant, atque confundunt; & partim eminùs missilibus petunt, partim cominùs correptis prostratorũ hastis,& gladiis instant infesti fugientibus.

Mystic. Gregor.

16 *Et cadæ magna nimis.* Greg.suprà. Cædi vtique peccatoribus,est ad tempus à turpi vita separari.Vehementer ergo,siue nimis cædi,est temporalis vitæ illecebras perfectè deserere, & futuris gaudiis inhiare.

Literal. Abul.

17 *Et cadæ magna nimis.* Abul.ibi.q.14. Quia cadauera multa iacebant super faciem terræ, quia acriter in seipsos conflixerant Philisthini.

VERSVS XXI.

Vulgata.

VVlgata. Sed & Hebræi,qui fuerant cum Philisthiim heri & nudius-tertius,ascenderántque cum eis in castris, reuersi sunt vt essent cum Israel, qui erant cum Saül,& Ionatha.

Benedict.

Benedict. Vt essent cum Israel, & iis, qui erant cum Saül, & Ionatha.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraica ex Xante Pagn. Et Hebræi,qui fuerant cum Philistæis, sicut heri & nudius-tertius, qui ascenderant cum eis in castra per circuitum, etiam ipsi reuersi sunt, vt essent cum Israël, qui erant cum Saül, & Ionathan.

Vatab.

Hebraica ex Franc. Vatabl. Porrò Hebræi, qui cum Palæsthinis erant, nempe qui heri, & nudius-tertiùs vndequaque ascenderant cum eis in castra; & hi etiam (reuertebantur) vt essent cum Israelitis, qui fuerunt cum Saül, & Ionathan.

Ariasm.

Chald.ex Bened. Ariasm.in Reg. Et Iehudæi fuerunt cum Pelisthęis,vt ab heri,& ab ante ipsum,qui ascenderunt cum eis in castra circumcirca,& etiam illi redierunt cum Israel,qui cum Saül,& Ionathan.

Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Complut.& Regia. Et serui existentes heri, & nudius-tertius cum Philisthiim, qui ascenderunt in castra,reuersi sunt & ipsi, vt essent cum Israel,qui erant cum Saül,& Ionathan.

Sixtia.

Græca ex Sept.in Sixtia. Et serui, qui erant heri, & nudius-tertius cum alienigenis, qui ascenderant in castra, reuerterunt & ipsi esse cum Israel iis, qui cum Saül, & Ionathan.

Vatab.

Vatabl.in Schol. Porrò Hebræi, qui fuerant pro Palæsthinis heri, & nudius-tertius, (&) qui ascenderant cum illis in exercitu, (erant) in circuitu & etiam ipsi (conuersi sunt,) vt essent cum Israel, qui erant, *&c.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg.

1 SEd *& Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim.* Greg.lib.5. Variar.c.4. Qui sunt Hebræi, qui fuerant

fuerant cum Philisthæis, nisi peccatores à religiosa conuersatione lapsi: De quibus non valdè suprà dictum est: *Hebræi transierunt Iordanem?* Hebræi quidem sunt ordine religionis, sed cum Philisthæis sunt, & cum eis ascendunt, quamdiu per suggestiones noxias illuduntur, & in prauâ operatione proficiunt. Cum malignis quidem spiritibus sunt proposito, & voluntate peccati, sed cum eis ascendunt, quia ipsis impellentibus in audaciam se extollunt iniquæ operationis. Vel cum eis sunt, cum peccata sua operando perficiunt, cum eis verò ascendunt, cùm prauitatis suæ exemplo aliis imitanda proferre non metuunt.

LITERAL. Comest. 2 *Sed & Hebræi, qui fuerant cum Philisthiim.* Comest. in Histor. Schol. cap. 13. Sed & Hebræi, qui transierant ad castra Philisthiim, reuersi sunt, vt essent cum Israël. *Eadem verba habet* Nauclerus.

Naucler.

LITERAL. Abul. 3 *Sed & Hebræi, qui, &c.* Abul. ibi. quæst. 16. Isti Hebræi erant fabri, quos abstulerant Philisthini de terra Israël. Nam dicitur præcedenti capite, quòd *cauerant Philisthini, ne facerent Hebræi gladium, aut lanceam*, & quòd non inueniebatur aliquis faber ferrarius in tota terra Israël. Hoc autem fuit, quia Philisthini duxerant eos secum in terram suam. Isti autem nunc ascenderunt cum Philisthinis in castra, scilicet ad pugnandum contra Israël, vel ad parandum arma.

Qui fuerant hi Hebræi.

HISTOR. Antonin. 4 *Sed & Hebræi, qui, &c.* Antonin. 1. p. tit. 2. c. 6. Multi ex Israël, qui confugerant, reuersi sunt in adiutorium eis.

LITERAL. Sanct. 5 *Sed & Hebræi, qui, &c.* Centumputeolan. ibi. num. 30. Multi, vt apparet, ad felicem inclinauêre fortunam ex Hebræorum genere, qui apud suos videbant rem esse periculo propositam, neque satis esse ad resistendum, virium. Quare cùm appareret subitò tanta rerum inclinatio ad castra, quæ transfugæ reliquerant, reuertuntur. Idem quoque fecerunt, qui in latebras se abdiderant, & quo suam tuerentur salutem, publicam prodiderant.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. Hieron. Comest. Lira. Charen. Antonin. Sanct. 1. Reg 13. 7. 6 *Sed & Hebræi, qui, &c.* Author Catenæ. Hieronymus, vel potius Autor Tradit. Hebraicar. Hos Hebræos transfugas, qui ab Israëlitis defecerant, fuisse supponit, cui contentiunt Historia Schol. Liran. Charen. Antonin. Sanct. & alij, eandemque mentem insinuat Gregorius, sub mystagogia, & allegoria. Ex iis verò, quæ diximus suprà ad *cap.* 13. *v.* 7. dicendum potiùs fuisse plures Israelitas, qui propter specialia sua commoda, aut marcaturam exercentes apud Philisthæos morabantur, & pacificè apud eos degebant, vt modò complures Galli, & Lusitani sæuienti etiam in dies bello apud Hispanos viuere videmus, suis commodis, aut lucris studentes, cum potissimum diuturna inter Israëlitas, & Philisthæos pax intercessisset ampliùs perstitura, nisi à Ionatha rescissa fuisset. In eorum etiam

Abul. numero aliquot milites, qui à Philisthinis superioribus præliis capti forte fuerant, computantur. Quibus etiam fabri ferrarij, qui ab Israelitarum vrbibus sublati à Palæsthinis fuerant, accesserunt; hoc vltimum vulgarius est, affirmatur ab Abulensi, & aliis.

LITERAL. Abul. 7 *Qui fuerant cum Philisthiim heri, & nudiustertius.* Abul. ibi. q. 15. Per heri, & nudiustertius intelliguntur hîc multa tempora, quibus manserant isti Hebræi in terra Philisthinorum.

LITERAL. Idem. 8 *Ascenderántque cum eis in castris.* Idem ibid. Ideò non fuerunt nouiter connecti Philisthinis, sed ascenderunt cum eis in castris, ideò; ascenderunt de terra eorum, in qua habitabant cum ipsis Philisthinis, vt venirent ad castra pugnandum contra Israël; & licèt hoc non haberent isti Hebræi gratum, tamen coegerunt eos.

9 *Ascenderántque cum eis in castris.* Idem ibid. quæst. 18. Philisthini duxerunt secum Israëlitas, quia nihil mali suspicari potuerunt, erat enim tanta multitudo Philisthinorum, vt nequaquã crederent, quòd Israelitæ eis resistere vellent. Vnde securi sibi videbantur.

LITERAL. Idem.

10 *Ascenderántque cum eis in castris.* Caiet. ibi. Deficit *in circuitu*; insinuatur enim per hoc, quòd Hebræi venerant cum Philisthinis non pugnare, sed seruituri, vehendo opportuna ad victum exercitus, & propterea dicitur, quòd erant in circuitu castrorum tanquam ad commoditatem omnium; & ne putares istos Hebræos esse transfugas ex Israël ad Philisthinos, describuntur Hebræi Philisthinorum, *sicut heri, & nudiustertius*, hoc est, soliti seruire Philisthinis, qui videlicet habitabant inter Philisthinos.

LITERAL. Caietan.

11 *Ascenderántque cum eis in castris.* Author Catenæ. Vel libenter ascenderant pugnaturi, vel potiùs inuiti, & à Philisthinis coacti; ipsis enim Philisthæis vrbibus suis in bellum excedentibus, domi Israelitas relinquere turum non erat; militiæ verò in tanto exercitu pauci Israëlitarum suspecti non essent. Hi autem vt Philisthæos conturbatos, & inuicem depugnantes viderunt, ne cum eis ab Israëlitis iugularentur, ipsis victoribus accessêre, credentes Philisthinos omninò deletum iri, quo filios, & vxores facilè ab ipsorum reliquiis extrahi posse videbant.

LITERAL. Author Catenæ.

12 *Reuersi sunt, vt essent cum Israel.* Gregor. suprà. Quid est, quòd reuerti, & esse cum Israële dicitur, nisi, quia tales etiam plerumque resipiscunt? Reuerti enim, amorem religiosæ vitæ resumere est, & cum Israële esse, est intra sanctam Ecclesiam in charitatis vnitate persistere. Ad hoc quippe reuertendum, vt cum Israële esse proponantur, quia nulla est conuersio peccatoris, si conuersus perseuerantia careat boni operis, & vnitate charitatis.

MYSTIC. Greg.

13 *Reuersi sunt, vt essent cum Israel.* Beda lib. 2. Expos. Allegor. cap. 8. tom. 4. Multi seducti ab Hæreticis, impugnantéque cum eis Ecclesiam, vbi dissonantiam dogmatis eorum cognouêre, & Catholica simplicitate, quasi opere Ionathæ Dialecticas eorum cautes transcendi, atque expugnari viderunt, reuersi sunt, vt impositione manus Sacerdotalis, Catholicæ reconcilientur Ecclesiæ.

MYSTIC. Beda. *Hæreticorum conuersio.*

14 *Reuersi sunt, vt essent cum Israel.* Liran. ibi. Aliqui enim Hebræi timore ducti coniunxerant se aduersariis; sed videntes debellationem eorum, & conuersionem ad fugam ad suos reuersi sunt.

LITERAL. Lira.

15 *Reuersi sunt, vt essent cum Israel.* Abulens. ibid. quæst. 17. Sciebant, quòd si conuerterentur ad Israëlitas perderent omnia, quæ habebant in terra Philisthinorum, insuper tota eorum cognatio acriter periret. Quare ergo volebant conuerti ad Israëlitas? Respondendum est, quòd hoc fecerunt propter duo. Primò, propter victoriam, quam videbant dari Israëlitis. Crediderunt ergo quòd cùm tanta multitudo Philisthinorum, quanta nunquam congregata fuerat, nunc quasi sine hoste vinceretur, tota terra Philisthinorum funditus delenda erat. Vnde ipsi nihil perderent de his, quæ habebant in terra Philisthiim omnia occupantibus Iudæis. Secundò quia putabant sibi de præsenti imminere periculum vitæ, nisi hoc facerent.

LITERAL. Abul.

Literal. Vatab. 16 *Reuersi sunt, vt essent cum Israël.* Vatabl. in Schol. Qui Palæstinis priùs fauebant, & qui cum ipsis ascenderant, vt pugnarent contra fratres suos. *Erant in circuitu,* hoc est: subduxerant se à reliquo exercitu non pugnantes, & tandem relictis Palæsthinis, secuti sunt Saülem, & Ionatham.

VERSVS XXII.

Vulgata. *Vulgata.* Omnes quoque Israëlitæ, qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quòd fugissent Philisthæi, sociauerunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saül, quasi decem millia virorum.

Benedict. *Benedict. in margine.* Quòd fugissent Philisthæi, insecuti sunt, & ipsi eos in illo prælio.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et omnes viri Israël, qui absconderant se in monte Ephraim audierunt quòd fugerent Peliſtim, & persecuti sunt etiam ipsi illos in prælio.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Omnes quoque Israëlitæ, qui se se absconderant in monte Ephraim audientes quòd Palæsthini fugerent, insecuti sunt & ipsi eos in prælio illo.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et omnes homines Israël, qui absconditi sunt in monte domus Ephraim audierunt, quòd conuersi sunt Peliſthæi, & adiunxerunt etiam ipsi se post illos in bello.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et omnes viri Israël absconditi in monte Ephraim audierunt, quòd fugerunt Philisthæi, & coniunguntur & ipsi post eos in prælio.

Sixtia. *Græc. ex Septuag. in Sixtia.* Et omnis Israël, qui se absconderant in monte Ephræm, & audierunt, quia fugerunt alienigenæ, & adhærent etiam ipsi post eos in prælium.

Author Catenæ. Abul. Caietan. *Author Catena.* Vltima versiculi verba: *Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum* contendunt Abulens. Caietan. & alij de Textu non esse, cùm in nullo exemplari Hebræo, aut Græco inueniantur; cæterùm cùm in Vulgata nouissimè correcta legantur, expungi nullatenùs debent.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Omnes quoque Israelitæ, qui se absconderant in monte Ephraim.* Abulens. ibidem quæst. 18. Non quod Israëlitæ non se abscondissent etiam in aliis locis; sed quia isti, qui latebant in monte Ephraim venerunt in auxilium Saülis. Causa fuit, quia cùm fugerent Philisthini à facie Israël, erat transitus per montem Ephraim, sicut ait Iosephus, in ipso enim inuentum est mel, de quo infrà dicitur, quòd erat super faciem agri. Israëlitæ igitur ibi latentes hoc confestim sciuerunt, & surgentes de latibulis suis, persecuti sunt Philisthinos.

Ioseph.

Mystic. Greg. 2 *Audientes quod fugissent Philisthæi.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Præclara quidem victoria non est, fugientes insequi, sed resistentes effugare. Quid est ergo quod dicitur: *Audientes quod fugissent, &c.* nisi quia his verbis remotæ vitæ conuenientia lucra signantur? Mos namque illorum virorum esse solet, vt verbum potius consulentibus se, quàm sibi obsistentibus proferant, quia nisi deuotum cor auditoris cognoscunt, prædicationem suam quasi in vacuum perituram emittere dedignantur. Priùs ergo quàm se suis in prælium socient, Philisthæos fugisse audiunt, quia non tam scelestis conuertendis inuigilant, quàm conuersis ad perfectioris vitæ fastigia subleuandis.

Literal. Abul. 3 *Audientes, quod fugissent Philisthæi.* Abulens. ibid. quæst. 18. Scilicet in quantum transitus hostium fugentium fuit per montem Ephraim. Ideò illi, qui latebant audientes tumultum, & videntes quod fiebat, cito de latibulis surrexerunt.

Author Catenæ. 4 *Audientes, quòd fugissent Philisthæi.* Author Catenæ. Hoc vel ex abditis, & speluncis viderunt, fugientium tumultum notantes, vel potiùs, vt congruit Litteræ, audierunt ab iis, qui eos insectabantur, qui clara voce, vel tubarum signo ipsis latentibus indicarunt, solet enim in prælijs tubarum ministerio, quidquid libet, pronunciari, ita vt apertè percipiatur. Vnde depositio timore, latebras, & specus relinquentes, tot hominum ad Saülem concurrêre, vt ad decem millium numerus bellantium incresceret; licèt autem hic numerus à pluribus excludatur è Textu, vt nuper dixi, admitti tamen debet, quia in Græco legitur paulò inferiùs, tum quia est in Bibliis correctis nouissimè à Sixto V.

Histor. Ioseph. 5 *Sociauerunt se cum suis in prælio.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 7. Quo audito, qui ante in speluncas, & subterranea se abdiderant, & ipsi prorumpentes, militibus Saüli se agglomerant, iámque ad decem millia creuerant, hostémque tota ea regione palantem insectabantur.

Mystic. Beda. 6 *Sociauerunt se cum suis in prælio.* Beda lib. 2. Exposit. Allegor. cap. 8. tom. 4. Sunt qui ad deprehendêdam, expugnandámque versutiam Hæreticorum, cæteráque antiqui hostis insidias idonei non sunt; sed has per alios expositas iuxta vires insequi, & odio habere non cessant: & hoc est, quòd fugatos audientes Philisthæos absconsi priùs in monte Ephraim, id est frugifero, Israëlitæ suis se confestim in acie iungunt, nec suo tamen nisu, sed diuino semper Ecclesia saluatur auxilio.

Anagog. Gregor. 7 *Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum.* Gregor. suprà. Non sit decem millia, sed quasi decem millia; huius denique numeri perfecta perfectio in terra non inuenitur, sed in cœlo, quia enim nouem sunt ordines Angelorum, & ad illorum societatem electorum illa hominum multitudo sustollitur, decem millia virorum illa sunt, quæ in sanctis Angelis, & electis hominibus in illa æternæ gloriæ sede gratulantur. Quasi ergo decem millia virorum illa sunt, quæ in istius adhuc seculi exilio posita, illius beatæ societatis formam in moribus susceperunt.

Histor. Salian. 8 *Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum.* Salian. tomo 3. Annalium, Ann. Mundi 2964. numero 76. Increscente vndique multitudine, quam pudor nunc ad officium, serum licèt, stimulabat, factum est, vt quam primùm essent cum Saüle, quasi decem millia virorum.

Literal. Sanct. 9 *Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum.* Centumputeolan. ibi. num. 30. Idem quoque fecerunt, qui in latebras se abdiderant, & quo suam tuerentur salutem, publicam prodiderant. Quare breui tempore ea facta est accessio castris Hebræorum, vt ad decem hominum millia peruenerint. Ea verò die respirare cæpit Israëlis fortuna, & à metu, quo contracta fuerat, recreari.

VER

VERSVS XXIII.

Vulgata. *Vulgata.* Et saluauit Dominus in die illa Israel: Pugna autem peruenit vsque ad Bethauen.

Benedict. *Benedict. in margine. Pugna* peruenit *vltra* Bethauen.

Glossa. *Textus Glossa in margine.* Bellatores autem transierunt vsque ad Bethauen.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et seruauit Dominus in die illa Israel: bellatores autem transierunt Bethauen.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et seruauit Dominus Israëlem in die illa; pertransiitque pugnans (vsque) Beth-auen.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et liberauit Dominus in die illo Israelem, & facientes prælium attigerunt vsque Bethauen.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et saluauit Dominus Israël in die illa: & pugna peruenit Bethauen.

Sixtian. *Græc. ex Sept. in Sixt.* Et saluauit Dominus in die illa Israël, & prælium transiit ipsam Ramoth.

Clar. *Isidor. Clar. ibid.* Et saluauit *Deus* Israël.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 *Et saluauit Dominus in die illa Israël.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 4. Contemplatio quidem internæ lucis splendida valdè, atque clarissima dies est, in qua Dominus Israelem saluat, quia quorum corda luce intimi splendoris irradiat, in celsitudinem perpetuæ salutis leuat; Saluare quippe in die illa Dominus dicitur, quia ad æternæ vitæ amorem nemo succenditur, cui intimæ lucis splendor occultatur.

Histor. Seuer. 2 *Et saluauit Dominus in die illa Israël.* Seuer. Sulpit. lib. 1. Sacræ Histor. tom. 5. Biblioth. PP. Tunc vero nutu Dei in fugam versus, non imperia exequi, non ordines obseruare, omne præsidium in pedibus habere. Quod vbi Saül animaduertit, suis properè eductis, fugientes persecutus, victoriâ potitus est.

Mystic. Greg. 3 *Pugna autem peruenit vsque Bethauen.* Greg. suprà. Bethauen dicitur, Domus inutilis: pugna peruenit vsque Bethauen, quia sæpè inutiles personæ, dum sermonis Dei bello capiuntur, in eius redactæ seruitium, vtiles fiunt. Pugnatur quidem cum cæcis, vt videant: cum claudis, vt subsistant: cum pauperibus, vt morum thesauros accipiat: cum debilibus, vt ad robur boni operis conualescant.

Mystic. Beda. 4 *Vsque Bethauen.* Beda lib. 2. Expos. Alleg. c. 8. *Bethauen,* Domus Idoli, vel Domus inutilis dicitur; & vsque, ergo Ecclesia persequitur Hæreticos arguendo, donec eos in plenitudine Paganorum dementiæ æqualia blasphemantes connincat.

Literal. Abul. 5 *Vsque Bethauen.* Abul. ibid. quæst. 18. Est quidam locus Bethauen in sorte Benjamin; vsque ad quem durauit pugna. Non est autem intelligendum, quòd vsque ad illum locum solùm durauit pugna Israëlitarum contra Philisthinos, nam tota die vsque ad vesperum persecuti sunt Israëlitæ Philisthinos; ideò poterant vsque ad longum spatium peruenire; & hoc etiam necesse est cùm tota die Philisthini fugerint; Bethauen tamen erat apud castra Philisthinorum, vt patet præcedenti capite, scilicet: *Castramutati sunt Philisthini in Machmas ad Orientem Bethauen,* id est, ista duo loca sunt coniuncta, & Machmas est ad Orientalem partem Bethauen. Dicendum est, quòd durauit pugna vsque ad Bethauen, scilicet pugna, quam Philisthini inter se gerebant.

Literal. Abul. 6 *Vsque Bethauen.* Idem ibid. Potest intelligi, quòd peruenit pugna vsque Bethauen, scilicet pugna, quam gesserunt Israelitæ cum Philisthinis. Nam primò fuit pugna inter Israelitas, & Philisthinos, & postea fuit persecutio. Pugna fuit, dum Philisthini aliqualiter resisterent Iudæis: persecutio autem fuit, cùm iam penitùs terga verterunt, & tunc non pugnabant. Primum autem durauit vsque Bethauen, qui erat locus propinquus castris eorum. Aliter potest intelligi scilicet; quòd Saül habuit duas pugnas cum Philisthinis: vnam, antequam congregarentur ad eum viri Israel: aliam autem postquam congregati sunt. Prima earum durauit vsque ad Bethauen, qui locus erat prope castra.

Literal. Salian. 7 *Vsque ad Bethauen.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 2964. num. 77. Erat hoc oppidum versùs Bethel, & Galgala, ad Orientalem plagam, ipsi castrorum loco, quod est indicium turbatorum hostium, & fugitantium; quocumque illos ferret impetus: nam quærentibus euadere certam perniciem, iter flectendum erat ad Occidentem, vbi erat Palæstina.

Literal. Author Catenæ. 8 *Vsque ad Bethauen.* Autor Catenæ. Cùm Bethauen, quæ ciuitas est in sorte Benjamin, parùm distet à Machmas, vbi Philisthinorum castra constiterant, pugnam eo vsque peruenisse ita intelligendum est, vt vsque ad eum locum Philisthini Israelitis restiterint. Inde verò in fugam effusi contentionem reliquerint, vt ait Abulensis inter alia: Abul. Quis verò locus fuerit Bethauen, & an cum Bethel confundi debeat, diximus suprà *cap. 13. vers. 5.* Vide etiam Hier. de Loc. Hebraic. Verbo *Bethel.* Hieron.

VERSVS XXIV.

Vulgat. *Vulgata.* Et viri Israel societati sunt sibi in die illa: adiurauit autem Saül populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam; donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem.

Benedict. *Bened. in marg.* Et *cum viri Israel in die illa premerentur fame,* adiurauit Saül populum, dicens, &c.

Glossa. *Textus Glossa in margine.* Et viri Israel *afflicti,* vel *coarctati erant.* Adiurauit autem Saül.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et Israel coarctatus erat in die illa; & adiurauerat Saül populo, dicendo: Maledictus vir; qui comederit panem vsque ad vesperam, vt vlciscar de inimicis meis. Et non gustauit omnis populus panem.

Vatab. *Hebraica ex Francisc. Vatablo.* Coactis eodem die Israelitis, iussus est Saül populum iuramento adstringere, hisce verbis: Quicumque panem comederit vsque ad vesperam, donec vltionem sumpsero de inimicis meis, sit execratus. Populus itaque vniuersus non gustauit panem.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et homo Israel angustatus erat in die illo. Et adiurauit Saül populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperum, quoad vlciscar de authoribus inimicitiarum mearum. Et non gustauit omnis populus panem.

Compl. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et Israël erat cum Saül quasi decem millia virorum, & fuit bellum sparsum in tota ciuitate in mõte Ephraim. Et Saül ignorauit ignorantiam magnam in die illa; & maledicit populo, dicens: Maledictus homo qui comederit panem vsque ad vesperam, & vlciscar de inimico meo. Et non gustauit vniuersus populus panem.

Sixtia. *Græca ex Septuagin. in Sixtian.* Et omnis populus erat cum Saül circiter decem millia virorum; & erat prælium dispersum in tota ciuitate in monte Ephræm. Et Saul ignorauit ignorantiam magnam in die illa, & maledicto obstringit populum, dicens: Maledictus homo, qui comederit panem vsque ad vesperam; & vlciscar inimicum meum. Et non gustauit omnis populus panem, & vniuersa terra prandebat.

Septuag. Gloss. *Græca ex Sept. apud Glossam.* Et omnis terra *prandebat.*

Tertul. Chrysost. Heron. *Tertul. lib. aduersus Physicos.* Et omnis terra prandebat. *Sic etiam Chrysost. Homil. 14. ad Populum tom. 5. & Hier. lib. 2. contra Iouinian.*

Isidor. Clar. *Isidor. Clar. ibi.* Et viri Israël *premebantur fame* in die illa: adiurauit autem Saül populum.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Greg. *Vir quis?* 1 *ET viri Israel sociati sunt sibi.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Qui Saül sociantur, viri dicti sunt, quia qualescumque in seculo sumus, in Dei omnipotentis seruitio esse fortes admonemur. Nisi viri etenim Prædicatoribus nequaquam sociantur, quia cum eis non conueniunt, nisi fortia ipsi agant; quæ illi docendo laudant.

Mystic. Beda. 2 *Et viri Israel sociati sunt sibi.* Beda lib. 2. Exposit. Allegor. cap. 8. tomo 4. Fugatis per diuersa hostibus, Ecclesia toto terrarum orbe diuisa, vno, eodémque semper fraternitatis amore lætatur.

Literal. Marian. 3 *Et viri Israel sociati sunt sibi.* Ioan. Marian. in Scholiis Hebraice: *Arctati sunt*, scilicet fame, vel imprudenti voto Saulis adstricti sunt, vel obligati.

Histor. Seuer. 4 *Adiurauit autem Saul populum.* Seuer. Sulpit. lib. 1. Sacræ Histor. Eo die Rex edixisse traditur, ne quis nisi confectis hostibus cibum caperet.

Histor. Ioseph. 5 *Adiurauit autem Saul populum.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 7. Rex siue nimio gaudio parùm sibi compos, quòd difficile sit eximiam felicitatem moderato animo ferre, per inscitiam dignum quiddam reprehensione admisit. Volens enim meritas pœnas à Palæstinis ad satietatem repetere. Diris deuouit eum, quicumque intermissa cæde ante noctem cibum caperet, nolens ante tenebras insequendi, & cædendi finem facere.

Tropol. Chrysost. *Nullatenùs iurandum.* 6 *Adiurauit autem Saul populum.* Chrysost. Hom. 14. ad Popul. Antiochen. tom. 5. Volens Saul ampliùs contra reliquos exercitum excitare, & facere ne priùs absisteret, quàm omnes opprimeret, contrarium, quàm voluit, fecit, iuratus neminem vsque ad vesperam panem comedere, vsque ad hostium vltionem suorum. Quid nempe hac re stultius fieri posset? Fatigatos enim, & labore multo pressos milites, cùm refocillare debuisset, & recentiores hostibus immittere; hostibus grauius ipsos habuit; per iuramenti necessitatem fami grauissimæ ipsos tradens; periculosum quippe dese ipso quempiam iurare; sæpiùs enim à rerum circumstantia cogimur; aliorum autem sententiam iuramentorum suorum necessitate comprehendere multò periculosius, & maximè cùm non de vno, aut de duobus, vel tribus, sed de multitudine quis infinita iuret. Sed hæc omnia ille despiciens, tanquam de solo tantum seruo iurans, quem facile cohibere posset, sic de omni ratiocinatus est exercitu.

Tropol. Ambros. *Abstinentia laus. Saulis pietas.* 7 *Adiurauit autem Saul populum.* Ambros. serm. 25. de Quadrag. tom. 5. Legimus in libris Regnorum, cùm Saul Rex Israël bellum contra Allophilos gereret, vniuerso eum exercitui indixisse ieiunium, & abstinentibus cunctis, eum contra aduersarios pugnare cæpisse. Bonus planè Rex, qui hostes suos non tam armis, quàm deuotione vincebat, & plus dimicabat religione, quam telis.

Mystic. Beda. 8 *Adiurauit autem Saul populum.* Beda suprà. cap. 9. Præcepit Magister egregius, vt quisquis in agone fidei contendit, ab omnibus se mundi abstineat illecebris, & suo cæteros accendens exemplo: *Castigo*, inquit, *corpus meum, & seruituti subiicio.* 1. Cor 9.

Histor. Comest. 9 *Adiurauit autem Saul populum.* Comest. in Histor. Schol. cap. 13. Videns Saul moram damnosam, si comederet, adiurauit populũ, dicens: *Maledictus vir*, ideſt dignus erit morte, *qui comederit panẽ vsque ad vesperam. Eadem verba habet* Naucl. Naucler.

Literal. Theod. 10 *Adiurauit autem Saul populum.* Theodoret. ibi. quæst. 31. Stultè, & insipienter subiecit anathemati eum, qui cibi, & potûs ante vesperam esset particeps.

Literal. Lira. 11 *Adiurauit autem Saul populum.* Liran. ibid. Videns Saul suos aduersarios fugere, omninò voluit eos persequi, & ideò ne populus impediretur à persecutione aduersariorum, præcepit, vt nullus de populo suo aliquid gustaret, donec inimicos percussisset; & hoc præcepit sub pœna mortis, & obseruationem præcepti iuramento firmauit. Indicto iuramento Saul peccauit dupliciter, primò quia malè iurauit, secundò quia peiùs implere voluit.

Histor. Antonin. 12 *Adiurauit autem Saul populum.* Antonin. 1. p. tit. 2. cap. 6. Saul autem persequens eos, edictum fecit sub pœna mortis, quòd nullus de exercitu comederet vsque serò.

Literal. Abul. 13 *Adiurauit autem Saul populum.* Abul. ibid. quæst. 19. Sauli licuit hoc facere quod fecit, & aliqualiter visum est sibi meritorium. Saul enim non iurauit hîc, nec coëgit aliquem iurare, sed imposuit legem populo, tanquam princeps, quod quidem facere potuit. Lex autem, quam posuit, iusta erat. Etiam ponebatur ex bono motiuo; erat enim intentio sua persequi hostes.

Literal. Abul. *Saul an iurauerit.* 14 *Adiurauit autem Saul populum.* Idem ibid. Hîc nullum iuramentum fuit, scilicet, quia ipse nihil iurauit. Etiam non coëgit populum iurare, sed solùm dixit: *Maledictus, qui gustauerit panem vsque ad vesperam.* Ista autem non erat iuratio, sed imprecatio; ponitur tamen per modum legis, & mandati, cùm verè mandatum esset: occasio tamen errandi est, quia dicitur hîc: *Adiurauit Saul*, & infrà dicitur: *Iureiurando constrinxit Saul populum.* vers. 28. Nam secundùm modum loquendi Hebraicum, adiuratio ponitur pro similibus imprecationibus. Sic etiam patet *Gen. 24. vers. 3.* de adiuratione, quam fecit Abraham super seruum suum.

Literal. Caietan. *Præceptum Saulis bonũ.* 15 *Adiurauit autem Saul populum.* Caiet. ibi. Nihil inordinati præceptum istud in se continet, quoniam recti ordinis ratio exigit, vt præsentanea persecutio hostium tam necessaria præponetur cibo illius diei; pro minoribus liquidem causis indicitur quandoque ieiunium vsque ad vesperam.

16 *Adiura*

LITERAL. Vatab. 16 *Adiuranit autem Saül populum.* Vatabl. in Schol. Potest hoc factum esse, cùm irent in locum certaminis de Gabaa Benjamin; nam hoc Ionathas non audiuit. Alij aiunt hoc dixisse Saülem inter persequendum.

LITERAL. Sanct. 17 *Adiuranit autem Saül populum.* Gasp. Sanct. ibid. num. 31. Hæc pugna, qua Philisthini, & suis se gladijs conficiebant, & Hebræorum ferro obtruncabantur, ad medium vsque diem videtur producta, ex quo omnes se conuerterunt in fugam. Quare cùm persequi victoriam cuperet Saül, & spem totam in celeritate posuisset, edixit toti populo adiuratione, & execratione interposita; ne quis ad vesperum, id est ad noctem cibum caperet, ne quod spatium hostibus præberetur ad fugam. In hac adiuratione pœna capitis videtur esse proposita ei, qui contrà fecerit; quod ex eo constat, quia capitali pœna punire voluit Saül filium Ionatham, quia cibum sumpsit ante tẽpus ab adiuratione definitum.

LITERAL. Author Catenæ. 18 *Adiuranit autem Saul populum.* Author Cat. An hæc Saülis adjuratio, seu iusiurandum, seu potiùs execratio, prudens, & recta in genere moris fuerit, disputant Interpretes. Quocirca paucis mentem meam, seu iudicium proferam. Dico igitur primò Saülem non potum, sed esum tantum interdixisse, contra Theodoretum, & Procopium perpetuum eius assecla, seu transcriptorem; qui & potum prohibitum referunt. Sed cùm nec ex Vulgata, nec aliqua ex Versionibus, nec ex antiquioribus hoc constet, audiendi non sunt; cùm potissimùm sitis atrociùs crucier, quam fames, eique absque longo interuallo, & mora satisfieri possit. Dico secundo Saülis adiurationem nullum continuisse iusiurandum, aut votum pro se, nec pro suis, sed iuxta Hebraicam phrasim execrationem quandam, seu maledictionem cum pœna temporali, vt probat à simili Abulensis suprà, & notarunt Serarius, & Salianus ex nostris. Dico tertio prædictam execrationem habuisse vim legis, quæ omnes Saülis subditos obligaret ex æquo, ipsumque Principem Ionatham. Dico quarto Saulis legem, aut sanctionem prudentem, rectam, & iustam fuisse. Primò ex persona præcipientis, seu ferentis, qui, vtpote legitimus Princeps eam, si opus esset, ferre poterat. Secundò ex materia, quæ bona erat, est enim abstinentia multipliciter bona. Tertiò ex obiecto minimè aspero, aut insuperabili inedia, sed militibus familiari. Quartò ex intentione, & fine præcipientis, qui de totali hostium deletione fuit, quod in ipsius populi bonum maximè vergebat. Assertum hoc latiùs probant Abulensis quæst. 19. Serarius in Comment. Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 2964. num. 82. Caiet. Cornel. & alij. Impugnari tamen potest authoritate, & ratione: authoritate, quia Septuag. hanc Saülis adiurationem vocant *ignorantiam magnam.* Secundò ipse Saül *parum sui compos* in ea proferenda à Iosepho dicitur. Theodoretus etiam & Procopius stultitiæ, & insipientiæ Saülem insimulant. Lira temerè iurasse, & grauiter peccasse asserit; in quod etiam inclinari se fatetur Centumputeolanus in Comment. num. 35. Chrysostomus quoque, qui vnus pro centum valet, suprà relatus, *quid ea stultius fieri posset?* interrogat. Denique eam nouissimè reprehendit non inefficacibus rationibus Illustrissimus Dominus Ioannes Palafoxius Episcop. Angelitan. lib. 3. Sacræ Histor. Regal. In eam quoque acriter inuehitur Petrus Vermilius Hæreticus in Comment. huius libri, cuius verba inferiùs apponam. Nec his contentus, mordaciter reprehendit Episcopos Catholicos, qui propter vrgentes quasque necessitates publica ieiunia subditis indicunt. Impius tamen hic nebulo abstinentiæ potiùs odio, vt credo, quàm ratione aliqua prudenti ducitur, vt notauit Valerius Rangolius in eius impugnatione. Impetitur etiam nostra conclusio multiplici argumento à Lirano, & alijs. Primò, quia inepta, & supernacanea fuit hæc Saülis cum execratione sanctio, cùm diuinitus concessa, amplaque satis victoriâ potitus iam fuisset. Secundò, quia casum necessitatis, vt debuit, non excepit. Tertiò, quia præposterum hoc erat vincendi hostis medium, cùm refectus cibo aliquo, populus ad triumphum consequendum aptior esset, vt ipse etiam Ionathas aduertit. *versu* 29. & Chrysostomus grauiùs cùm suis se eum egisse, quàm possent ipsi etiam hostes, testatus est: *Hostibus grauius ipsos habuit.* Quartò, quia ea execratio occasio fuit toti populo peccandi, & cum sanguine, præ cibi auiditate, comedendi. Hæc verò me iudice parùm vrgent. Et quidem primò authoritati sic facilè satisfit. Septuaginta enim dum legem hanc *magnam ignorantiam* dicunt, id vnum indicant, nimirùm Saülem euentum futurum ignorasse, scilicet filium Ionatham illi execrationi, & mortis pœnæ obnoxium fore, quod si præuidisset, minimè eam cauisset legem. De Iosephi authoritate non multùm satago, quæ apud me vix vlla est, propter ingentes errores, cui Theodoretus, & Procopius malè crediderunt. Plus me solicitat Chrysostomus sapientiæ, doctrinæ, & sanctitatis gymnasium, licet tamen cum debita reuerentia vnus alios magnæ etiam doctrinæ, & probitatis ex aduerso ponere, qui nobis consentiunt; ex his est Ambrosius suprà relatus Saulis consilium, & pietatem in ea re pro viribus commendans. Tertullianus etiam lib. de Ieiunio cap. 10. ait *præstitam Sauli à Deo authoritatem.* Hieronym. verò lib. 2. contra Iouin. tom. 2. populi Israelitici ieiunio asportatam victoriam adscribit, eámque cum aliis antiquioribus, ieiunij quoque beneficio comparatis, confert in hæc verba. *In Exodo aduersus Amalech, Oratione Moysi, & totius populi vsque ad vesperam ieiunio dimicatum est. Iesus filius Nave stationem imperauit Soli, & Lunæ, & medium plusquàm vnius diei victoria exercitus protelauit. Saul, sicut in Regnorum primo libro scribitur*: Maledictus, *inquit*, qui ediderit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar me de inimicis meis, & non gustauit omnis populus eius, & tota terra prandebat. *Tantique fuit authoritas stationis semel Domino destinatæ, vt Ionathas qui causa victoriæ extiterat, deprehenderetur forte, & ignorantiæ crimen declinare non posset; patrisque in se contiliaret manum, & vix populi precibus liberaretur.* Eadem etiam repetit Hieron. lib. 2. contra Pelagian. tom. 2. quæ supponemus infrà. v. 45. Vnde ad authoritatem satis patet. Argumentis verò à ratione sic respondetur. Primò nego Saulis consilium supernacaneum fuisse, cùm victoriam à Deo oblatam nefas esset deserere imperfectam, sed congruentiùs insequi, & ad extremum perducere. Secundò respondeo nullum necessitatis casum excipi debuisse; quæ enim necessitas in tantum vrgere poterat, vt non vnius integri diei vinedam populus, & exercitus labori assuetus ferre non posset; cùm potissimùm Hebræorum ieiunia ad noctem vsque vulgò protenderentur? Ad tertium negandum est præposterum vincendi medium, indictum ieiunium fuisse, aptissimum enim erat hostem sine vlla mora persequi, ne dum apparenter, & absumerentur cibi, hostis excederet, & è manibus

Rangol.

Tertul.

Hieron.

Hieron.

Caietan. Cornel.

Procop. Theodor. Lira. Sanct. Chrysost.

Ioannes Palafox. Vermil.

nibus, comparatâ fere victoriâ, laberetur; Ionathas verò vt suum errorem defenderet, nimiumque patrem accusauit. vers. 29. Quarta verò impugnatio manifesta, Saul enim nullam occasionem immediatam, & proximam militibus præbuit, vt famelici cum sanguine postea comederent; aliter Deum iure accusasset Adamus in Paradiso, aptéque sui criminis authorem, vt volunt, reddidisset, qui vxorem sibi ab eo datam, suæ transgressionis occasionem causabatur. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen. 3. 12. Fateor denique Regium edictum infelicem euentum consecutum, nempe Ionathæ transgressionem, & periculum; sed consiliorum probitas euentuum qualitate metienda non est, vt latiùs probauimus ad c. 12. vers. 1. Nec Saul, quia sæpe aliàs peccauit, semper reus habendus est; modò quippe iuxta militarem disciplinam rectè se gessit, rectiùs vero iuxta pietatis, & religionis legem, qui ad profligandos hostes, ieiunij, & abstinentiæ medium aptissimum adhibuit, vt ponderauit Ambrosius.

Gen 3.12.

Ambros.

TROPOL. Gregor. *Inanis gloria fugienda.*

19 *Maledictus vir qui comederit panem.* Greg. suprà. Notandum est, quia iam deuictis hostibus, ita loquebatur. Quid verò est comedere victoribus, nisi peracto virtutis opere, cibos vanæ laudis delectanter excipere? *Maledictus*, inquit, *omnis, qui ante vesperum comederit*; quia qui modò vanas laudes gratanter excipit, tunc æternas Creatoris laudes amittit. Adiuratur ergo populus, ne comedat, quia Doctorum præcepto constringitur, vt de bono opere inaniter nunquam glorietur.

HISTOR. Cedren.

20 *Maledictus vir qui comederit panem.* Georg. Cedren. in Annal. Ibi tum Saul ignoratione adductus, mortem vouerat ei quicumque cibum priùs gustasset, quàm hostes essent deleti. Omnis autem terra prandebat.

LITERAL. Abul.

21 *Maledictus vir, qui comederit panem.* Abul. ibi. quæst. 18. Scilicet à Deo maledicatur, vel Deus ei omnia aduersa inferat, qui panem comederit. Non est autem intelligendum, quòd solùm orabat Saül mala prouenire à Deo ei, qui comedisset; sed etiam ipse potiturus erat pœnam, si quis erraret. Sic patet infrà. v. 44.

HISTOR. Sabell.

22 *Maledictus vir, qui comederit panem.* Sabellic. Eneade 1. lib. 7. Rex veritus, ne Philisthæus à vano illo noctis terrore aliquo modo respiraret; diris execrationibus eorum capita deuouit, qui à persequendo hoste desisterent, aut quamdiu lux teneret, cibum vllum caperent. Quod patris edictum Ionathas per inscitiam transgressus est, quippe qui in examen apum vago cursu delatus, mellis fauum cuspide hausit.

LITERAL. Vermil.

23 *Maledictus vir, qui comederit panem.* Petrus Vermil. Hæret. in Comment. Quasi verò ea victoria constiterit humanis viribus. Certè Deus dare potuisset victoriam etiam prandis. Non debuit pluris facere eadem hostium, quàm salutem suorum.

TROPOL. Greg. *Vetus bonus quando?*

24 *Vsque ad vesperam.* Gregor. suprà. Qui ante vesperum populum manducare prohibuit, ad vesperum vtique esse comedendum concessit. Et quia in vespere finis diei est, in vesperum comeduntur, qui abstinere ante vesperum possunt; quia qui laudari modò de magna actione despicit, cùm ad vitæ finem ducitur, æternis dignus laudibus inuenitur.

LITERAL. Author Catenæ. Septuag. Aldina. Basileen.

25 *Et non manducauit vniuersus populus panem.* Author Catenæ. Extremis huius Versiculi verbis addunt Septuag. in Sixtia, Aldina, & Basileensi: *Et vniuersa terra prandebat.* Sic etiam Tertul. Hieron. Chryl. Pamelius, & alij; quæ vt Pamelius ipse exponeret, addidit negationem, scilicet: *Et vniuersa terra non prandebat*; credidit enim sermonem de Israëlitis esse, qui ex Regio edicto prandere ausi non sunt. Displicet tamen primò, quia litterum tot exemplaribus expressam, & firmatam, corrumpit. Secundò quia non est hic sermo de Israëlitis non prandentibus, sed de reliquis populis eadem horâ comedentibus. Estque Anthithesis aptissima, quæ Israëlitici exercitus parsimoniam, & obedientiam commendat, qui nimirùm, dum aliæ quæuis gentes eò temporis, prandiis, & mensis indulgerent, illi contrà constanter abstinebant, ne Regium edictum violarent.

Tertul. Hieron. Chrysost. Pamel.

VERSVS XXV.

VVlgat. Omnéque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri.

Vulgat.

VERSIONES.

Hebraica ex Xanto Pagn. Omnis autem populus terræ venerunt in syluam, erátque mel in superficie agri.

Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Et vniuersa terra venit in syluam, & erat mel in superficie campi.

Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et omnes incolæ terræ intrauerunt in syluam, & fuit mel super facies agri.

Ariasm.

Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et omnis terra venit in saltum; & saltus erat apiaris super faciem agri.

Complut. Regia.

Græc. ex Septuagint. in Sixtia. Et Iaal Sylua erat apiarij ad faciem agri.

Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

1 O*Mnéque terra vulgus venit in saltum.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Quid est, quòd *Terra vulgus venit in saltum*, nisi quia religiosi, & simplices viri per exempla bonorum operum sæpe ad notitiam secularium deducuntur? Vbi mel in agro apparet, quia de exemplo boni operis apud seculares inueniunt, & deuotionis latitudinem, & fructū venerationis. Quid enim est ager in saltu, nisi deuotio in inculto, & in expurgato corde secularium? Et quid mel super faciem agri, nisi dulcedo fauoris? Qui meritò post ingressum vulgi, apparere dicitur, quia videlicet aspera secularium corda, si priùs Religiosorum exempla non vident, nec latitudine deuotionis se valent distendere: nec alienæ sanctitatis gloriam prædicare. Ante ingressum quidem tantum saltus est, nec agrum habet, nec fluens mel. Post ingressum verò, & latitudinem agri habet, & dulcedinem mellis, quia sæpe mundum diligunt, Sanctorum exempla feruenti amore recipiunt, vt bonum, quod vident, sibi non solùm placeat, sed etiam prædicare attentiùs concupiscant.

MYSTIC. Gregor.

2 *Omnéque terra vulgus venit in saltum.* Abul. ibid. quæst. 19. Ideò totus populus, qui ibat cum Saule, quod vocatur vulgus, quia erant omnes fere inermes. Dicitúrque: *venit in saltum* scilicet persequendo Philisthinos. Iste saltus erat in monte Ephraim, vt ait Iosephus. 6. Antiquitat. Et hoc quia cùm Philisthini fugerent à facie Iſrael, transierunt per montem Ephraim, & per illum persecuti sunt eos Hebræi.

LITERAL. Abul. Ioseph.

3 *Omne*

LITERAL. Author Caten. 3 *Omnéque terra vulgus venit in saltum.* Autor Catenæ. Exercitus scilicet, qui largo modò vulgus dicitur, vel quia ita imparati ad bellum erant, vt vulgus potiùs, quàm instructa manus videretur.

MYSTIC. Gregor. 4 *Venit in saltum.* Greg. suprà. Saltus syluosus, atq; cliuosus locus est; quo nimirùm nomine apertè corda secularium designantur, quia dum tota intentione curis exterioribus seruiunt, velut syluosa loca culta ad fructum operis prædicationis vomere non sunt. Qui verò Vulgus nomine hoc loco significantur, nisi religiosi viri, & simplices? Terræ quidem vulgus dicitur, quia in bono opere magni sunt, sed tamen altissima contemplatione magni non sunt. Nobiles quidem actione, sed vulgus summorum virorum comparatione.

LITERAL. Lira. 5 *In quo erat mel super faciem agri.* Liran. ibi. Apes enim mellificabant in arboribus in tanta copia, quòd mel inde manabat ad terram; & propter talem copiam terra Promissionis dicitur, manans lacte, & melle in pluribus locis.

VERSVS XXVI.

Vulgata. *Vulgata.* Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullúsque applicuit manum ad os suum, timebat enim populus iuramentum.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et ingressus populus in syluam, & ecce decurrebat mel, & *non* attingere fecit manum suam ad os suum. Timebat enim populus iuramentum.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Et venit populus in syluam, & ecce fluxus mellis, nullus autem reducebat manum suam ad os suum. Reuerebatur enim populus iuramentum.

Ariasm. *Chald. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et venit populus ad syluam, & ecce fluxus mellis, & non erat, qui referret manum suam ad os suum, quia timuit populus à iuramento.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Compl. & Regia.* Et ingressus est populus in apiarium, & ecce fluebat mel; & non fuit conuertens manum in os suum, quia timuit populus iuramentum Domini.

Sixtia. *Græc. ex Septuag. in Sixto.* Et intrauit populus in apiarium, & ecce ibat, dicens: Et ecce non fuit conuertens manum suam ad os suum, quoniam timuit populus iuramentum Domini.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Berchor. 1 *Et apparuit fluens mel.* Petrus Berchor. lib. 9. Moral. c. 10. De illo melle credo, quòd erat manna, scilicet impressio aëris dulcis, pinguis, & alba; qualis nuper circa Abinionem cadebat, ista enim in regno Georgínico dicitur in tanta quantitate super herbas, arbores, & lapides in æstate cadere quòd multas sarcinas solent quotidie colligere.

LITERAL. Abul. 2 *Et apparuit fluens mel.* Abul. ibi, q. 19. Non solùm erant ibi faui, sed etiam mel fluens, quod maiorem opportunitatem comedere volentibus exhibebat, scilicet, quia non deberent comprimere fauos compressuri mel, sed ipsum per se fluens erat.

3 *Et apparuit fluens mel.* Nicol. Serar. in Comment. De melle, quod interdum hinc inde in Iudææ agris inueniebatur, agunt Conimbricenses tract. 7. c. 9. Metheo. Et hodie in Arabia inueniri docet Bernardus Rauuolfius part. 2. Nauigat. vbi eo melle vsum D. Ioannem Baptistam negatur Hæreticus, cùm ad mellis huius esum aliquot butyri globulos requirat, quos vnde D. Ioannes accipiebat? LITERAL. Serar. Conimbr. Rauuolf.

4 *Et apparuit fluens mel.* Centumpureolan. ibi. n. 38. In cauis enim arborum truncis, aut in petrarum scissuris, aut in ipsis etiam terræ cauernis passim familiares illi regioni apes fauos fingebant, qui redundantes stillant melle, illúdque latè, varieque diffundunt. Quod etiam nos interdum in Hispania videmus in syluestris, ac confragosis locis, ad quorum radices mellis riui copiosi decurrunt. Quare sine vllo labore, aut temporis dispendio parari mensa poterat, cùm vltrò cibus ipse paratus occurreret. LITERAL. Sanctius.

5 *Nullúsque applicuit manum ad os suum.* Chrys. Homil. 14. ad Popul Antioch. ante med. tom. 5. Syluam præteribat exercitus fauum habentem, & fauum ante faciem populi, & ingressus est populus ad fauum, & transibat laqueus. Vidisti, quanta vorago? Mensa extemporanea, vt & accedendi facilitas, & nutrimenti suauitas, & latendi spes in iuramentorum præuaricationem ipsos alliceret. Nam fames, & labor, & tempus (*omnis*, inquit, *terra prandebat*) tunc ad præuaricationem impellebant; fauorum verò aspectus quoque intentionem soluens extrinsecùs ipsos inuitabat. Mensæ enim tum iucunditas, tum facilis apparatus, & deprehendendi furti difficultas, omnẽ sapientiam fallere poterant. Si nempe carnes fuissent quas elixare, vel torrere oportebat, non tam ipsorum animos allexissent, cum in ipsis coquendis, & ad escam præparandis cessare, & tardare, et deprehendi, expectare oporteret. Nunc verò nihil erat tale, sed mel solum; vbi occupationis nullius talis opus erat. Sufficiebat autem summis digitorum intingentem nutrimenti partem capere, & latere. Verumtamen illi cupiditatem continuerunt; nec intra se dixerunt: Quid autem nobis curæ est? Numquid enim quisquam nostrum hoc iurauit? Ille inconsideratorum pœnas dabit iuramentorum. Quare namque iurabat? Sed nihil huiusmodi cogitarunt; sed cum multa transibant reuerentia, & cum tot essent ipsos allicientia, disciplinam seruabant, & *transibat populum loquens.* Quid est *transibat loquens?* Dolorem verbis consolantes inter se loquebantur. TROPOL. Chrys. *Militaris disciplina vtil.* *Israelitarum continentia, & obedientia.*

6 *Nullúsque applicuit manum ad os suum.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Cautè expressum est, quia fluens mel super faciem agri apparuit, & tamen manum cum melle ad os nemo applicuit. Mel quidem fluit, quia dulcis fama Sanctorum dulciter, velociterque fluit, sed manus ad os nullus ducit, quia de opere bono dulcedinem laudis non accipit. Manum quidem cum melle ad os applicare, est laudem operis sui gratanter accipere. Decurrat ergo mel, & nemo ad os manum applicet, vt Sanctorum fama dulciter fluat, & ipsos, à quibus defluit, non extollat. Fluat, vt alios saties, sed ne fumatur, ne mortem propinet. TROPOL. Gregor. *Vana gloria fugienda.*

7 *Nullúsque applicuit manum ad os suum.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mund. 1964. num. 98. Eximia plane militum abstinentia: egregia in Deum religio, Numinisque violandi timor, & præcepti Regij obseruatio, quam omnes Patres, tam qui Saulem TROPOL. Salian. *Militaris abstinentia vtil.*

Saulem reprehendunt, quàm qui laudant, vehementer commendant.

Tropol. Greg. *Inanu gloria fugienda?*

8 *Timebat enim populus iuramentum.* Gregor. suprà. Iuramentum Regis est: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.* Item iuramentum Regis est, quod contra Hypocritas profert, dicens: *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Iuramentum ergo populus timet, quia ne æternas amittat, temporales recipere laudes cauet.

Tropol. Author Catenæ. *Excommunicatio timenda?*

9 *Timebat enim populus iuramentum.* Autor Catenæ. Timebat scilicet execrationem, quam Rex in præuaricatores sui edicti impegerat, timebant pœnas spirituales, quas transgrediendo incurrebant. Vnde effrontium Hæreticorum petulantia venerat reprehendenda, qui excommunicationis Ecclesiasticæ vim naucifaciunt, & spirituales pœnas quas non vident, irrident, militibus profanis licentiores.

VERSVS XXVII.

Vulgata. *Vlgat.* Porrò Ionathas non audierat cùm adiuraret pater eius populum: extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.

Gloss. *Text. Gloss. in marg.* Confortatus est, & hilarior apparuit vultus eius, qui deficiens corde, humilior, & tristis apparebat.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Ionathan autem non audierat, quando adiurauit pater suus populum: misitque extremitatem virgæ, quæ erat in manu sua, & intinxit illam in fauum mellis, & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.

Vatabl. *Hebraica ex Francisc. Vatab.* Ionathan autem non audierat quum pater eius populum Sacramento iurisiurandi adstrinxerat? extendit itaque extremitatem virgæ, quam manu gestabat intengens eam in fauum mellis, admouitque manum suam ori suo, clarioresque redditi sunt oculi eius.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et Ionathan non audiuit, quando adiurauit pater suus populum; & extendit caput baculi, qui in manu eius, & intinxit illud in nido mellis, & retulit ipsum ad os suum, & illuxerunt oculi eius.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et Ionathan non audierat, cùm adiuraret pater eius populum, & extendit summitatem sceptri sui, quod erat in manu eius, & intinxit ipsum in fauum mellis, & conuertit manum suam in os suum, & viderunt oculi eius.

Sixtin. *Græca ex Septuag. in Sixtia.* Et Ionathan non audierat, cùm adiuraret pater eius populum, & extendit summitatem sceptri sui, quod in manu sua, & tinxit illam in fauo mellis, & conuertit manum suam ad os suum, & suspexerunt oculi eius.

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Gregor. *Iudex scipsũ coerceat?*

1 *Extenditque summitatem virgæ.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Quos in hoc loco Ionathas, nisi illos insinuat, qui verbo, & opere magni sunt; sed tamen studio circumspectionis magni non sunt? Alta quidem prædicant, fortia exercent, sed in humilitatis circumspectione se non viriliter tenent. Quid est enim, quod virgam tenet in manu, nisi quia disciplina, qua peccare alios prohibet, semetipsum non coercet?

Literal. Beda. *Quænã virga.* Tropol. *Gentilium libri.*

2 *Quam habebat in manu.* Beda lib. 2. Expos. Allegor. c. 9. tom. 4. Intinxit Ionathan fauo syluestri virgam, qua vel ad equum, vel ad viandi præsidium vtebatur, & sic eam manu ad os conuertit suum. Et magister quilibet nonnunquam auctoritate potentiæ, vel subditos regere, vel seipsum sine offensione gerere curans, argumentis, siue sententiis Gentilium credit adiuuandum; melliróque, vt ita dixerim, ex his ore illuminantur quidem, quasi fauo à compositione verborum oculi mentis ad enunciandum, quæ rectè nouerint acutius; sed retardantur plerumque mentis eiusdem incellus recordatâ sensuum vanitate, à persequendis prauorum siue actuum, siue dogmatum cultoribus.

Allegor. Berch.

3 *Et intinxit in fauum mellis.* Petrus Berchor. libr. 9. Moral. cap. 10. Mel est sacra Scriptura, in qua cum virga intellectus intingitur, & per illustrium comeditur, oculi mentis per discretionem illuminantur.

Tropol. Chrysost. *Dæmon adstruit contra Ionathan.*

4 *Et conuertit manum suam ad os suum.* Chrys. Hom. 14. ad Popul. Antioch. tom. 5. Ionathas, qui non audierat patrem suum iurantem, extendit summitatem sceptri, quod habebat in manu sua, & intinxit in fauum mellis; & conuertit manum suam in os suum, & respexerunt oculi eius. Vide quem ad periurium impulit, non vnum militem, sed ipsum iurati filium; nec enim periurium patrasse tantum volebat; verùm & filij cædem Diabolus componebat, & hoc à longe moliebatur, & naturam ipsam contra seipsum diuidere festinabat, & quod olim Hiethe fecerat, hoc postea facere sperabat. Ideóque Ionathan ad præuaricationem impulit.

Tropol. Ambro. *Ieiunij præsidium?*

5 *Et conuertit manum suam ad os suum.* Ambrosius sermon. 25. Cùm Saul abstinentiam suis omnibus indixisset, & Ionathas eius filius, præcepti nescius, inter medias acies hostium victor incedens fauum mellis gustasset, tanta indignatio repente commota est, vt differretur victoria, & diuinitas læderetur. Denique nec bello finis imponitur, nec Regi responsum propheticum datur; vnius ergo culpa cunctis confertur ignauiæ, & vnius delicto omnibus generatur infirmitas. Deficit virtus in exercitu, vbi deficit in obseruatione ieiunium.

Tropol. Greg. *Inanu gloria fugienda?*

6 *Et conuertit manum suam ad os suum.* Greg. suprà. Quid est virgam extendere, & manum ad os cum melle reuocare, nisi tam de prædicationis verbo, quàm de studio boni operis vani fauoris gustum recipere? Sed quia more electorum peccat, non virgâ, sed extremitate virgæ mel leuare dicitur; virgam quippe, & manum melle plenam ad os conuertunt, qui iuxta veritatis vocem *omnia opera sua faciunt, vt ab hominibus videantur*, dum enim suis laudibus saturantur, mel non ad tenuem gustum habent in summitate virgæ, sed vel in tota virga, vel in manu ad plenam refectionem.

Tropol. Beda. *Gentilium libri qualiter legendi.*

7 *Et conuertit manum suam ad os suum.* Beda suprà. Ionathas qui priùs scopulorum dentes, & ictus denicerat ensium, qui hostis audaciã compressa, suis victoriæ causam, salutisque præbuerat, improuisa subitò blandientis gastrimargiæ culpa consternitur, & nobiles sæpe Magistri Ecclesiæ, magnorúmque victores certaminum ardentiore,

riore, quàm decet, oblectatione libros Gentilium lectitantes, culpam, quam non prouidere, contrahebant.

HISTOR. Ioseph.

8 *Et conuertit manum suam ad os suum.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. c. 7. Filius Sauli, qui non exaudierat patris imprecationes, eâque consensu populi ratas habitas, fauum fortè nactus, expressum inde mel edebat.

TROPOL. Richar. Laurent. *Pietas, & deuotio erga beatam Mariam Virginem.*

9 *Et conuertit manum suam ad os suum.* Richard. de S. Laurent. lib. 12. de Laudib. Beatæ Mariæ. Ionathas interpretatur *donum Columbæ*, quæ habet gemitum pro cantu, & est pœnitens ex dono Spiritus Sancti pro peccatis ingemiscens. Virga mellea, Virgo Maria mellita pietate, charitate, benignitate. Apponas ergo faucibus oris tui virgam istam, ipsam orando, laudando, benedicendo: eius magnalia prædicando, & illud fauciissimè recitando: *O clemens, O pia, O dulcis virgo Maria*; & sic quandoque sentire poteris mellis eius dulcedinem, & illuminabuntur oculi tui interiores, ideòt intellectus, & affectus ad diligendum matrem, & filium. Sed nota, quòd in summitate virgæ gustauit Ionathas illud mel, quia in Matutinis, & Completorio quæ sunt quasi dno extrema seruitia, quæ impenduntur matri, & filio in die naturali, frequentiùs quæri solet, & inueniri deuotio.

LITERAL. Lira. *Ionathas non peccauit.*

10 *Et conuertit manum suam ad os suum.* Lira. ibi. Ionathas comedendo mel, non peccauit, tum quia præceptum patris non audiuit, vt dicitur in Textu; tum quia positus in necessitate comedit, ex labore enim prælij, & ieiunio, & calore Solis ita erat fatigatus quòd oculi eius, & alij sensus erant nimis depressi, propter quod dicitur in Textu, quòd gustato modico mellis, illuminati fuerint oculi eius, quia corde confortato, & resumptis viribus facies eius fuit exhilarata, & viuacitas sensuum redit.

LITERAL. Abul. *Ionathas non peccauit.*

11 *Et conuertit manum suam ad os suum.* Abul. ibi. q. 20. Ionathas non peccauit hic, quia ignorabat positum esse istud præceptum. Si tamen cognouisset, verè peccasset, & ad excusandum eum Littera dixit: *Porro Ionathas non audierat.*

LITERAL. Salian.

12 *Et conuertit manum suam ad os suum.* Salian. tom. 3. Annal. Ann. Mundi 2964. n. 85. Certè si Ionathæ excutiamus innocentiam, in hoc facto eam non planè illibatam reperiemus, quod & Serario nostro visum est, quamuis dissentiente Abul. & Lira. Nam & diuina sors eum culpabilem ostendit, & Dei non respondentis silentium, & totius populi abstinentis exemplum: & publica filij de patris lege coram populo obmurmuratio, cùm eius esset potiùs patris mandatum obseruare, & illud populo verbis, exemplóque commendare.

Abul. Lira. *In quo Ionathas peccauit.*

LITERAL. Sanct.

13 *Et conuertit manum suam ad os suum.* Centumputeolan. ibi. n. 40. Coniunxerat se sc Ionathas cum parente, cúmque his, qui victoriam persequebantur, & hostilem fugum, & vt alij pedites gradiebantur, quod verisimile facit loci natura contragosa, & aspera: sic etiam credo illorum cursum peditem quoque Ionatham comitatum fuisse. Porrò virga, quam gerebat manu, aut erat hasta, quam portabat, vt bellator, & miles; aut sceptrum, seu baculus, quem vt dux exercitus de more ferebat in manu.

LITERAL. Author Catenæ. *Ionathas an peccauerit ia esu mellis.* Lira.

14 *Et conuertit manum suam ad os suum.* Autor Catenæ. An Ionathas ingustato melle peccauerit, vulgaris quæstio est. Eum à peccato excusant Liran. & Abul. & Ioann. Palafox. Damnant verò plerique; deliquisse enim innuunt Greg. & Ambrof. Insuper Tertul. lib. 4. contra Marcion. c. 10 ubi: *Lego Nathan Prophetam agnoscentem Dauid delictum suum in Vriam, & Achaz reum idololatriæ, & sanguinis veniam meruisse pœnitentiæ nomine. Ionathan filium Saulis resignatis ieiunij culpam deprecatione deleuisse.* Item lib. de Ieiunio c. 10. *Quia licèt simplicis Ionathan reus fuerit.* Chrysostomus quoque *præsumptionem* id vocat Hom. 14. ad Popul. tom. 5. Et deinde: *Nec ita quidem iuramentum seruatum est, sed temeratum, Ionathas enim, &c. Vide quem ad periurium impulit non vnum militum, sed ipsum iurati filium.* Idem innuit Iosephus dicens: Populum vota fecisse Deo, vt Ionathan *immunem à peccato faceret.* Ipse denique Ionathas in eo se non insontem agnouit, dum dixit: *Ecce ego morior.* v. 43. pro quo Chaldæus habet: *Morti obnoxius sum.* Peccasse autem probatur ratione. Primò, nam diuina sors, qua captus tandem est *vers.* 41. reum eum ostendit. Secundò, negatio diuinæ responsionis propter eius factum. Tertiò, quia culpabilis videtur eius ignorantia, cùm videret totius exercitus exemplum, & continentiæ, & ieiunij. Quartò, quia paternam legem iustam reprehendit, & coram multitudine, de patre, & Rege murmurauit. Propter quas rationes Carthus. Serar. & Salian. non eum ab omni culpa immunem credidere. Quibus accedit, quòd non sine culpa patris edictum ignorauit, vt notauit Carthus. art. 27. cùm eo ignorante, & insalutato ad hostes clam deuenisset; nam si patrem adiisset, vel postea incalescente iam pugna conuenisset, de eius ordinatione fieret certior. His tamen non obstantibus Abulensi, Liræ, & Palafoxio assentior, & in mellis gustu Ionatham à peccato alienum credo, quia cùm præceptum Regis inculpabiliter ignorauerit, in eius transgressione peccare non potuit; ignorantia enim reddit inuoluntarium: inuoluntarium verò peccatum esse non potest. Nec rationes in contrarium allatæ conuincunt. Ad primam enim respondetur cum Abulensi sortes quidem immissas non fuisse ad deprehendendum quis peccasset, sed per quem malum diuini silentij illud euenisset; potuit autem Ionathas causa eius fuisse sine peccato. Immò sortitionis factæ finis à Deo intentus fuit, vt qui Ionatham comedisse nouerant, eius ignorantiam, & innocentiam in eo agnoscerent, eius audientes aptam satis excusationem. Ad secundam respondetur, cùm diuina responsa ex mera gratia procedant, potuisse quidem Deum eam negare sine Ionathæ culpa. Ad tertiam dico, eius ignorantiam inuincibilem fuisse, nec in ardore bellico ad alienum exemplum attendere debuisse. Ad quartam fateor aliqualiter malè de patre loquendo deliquisse, leuiter tamen, quia eius solum militarem peritiam, seu disciplinam damnauit. Causa denique huius ignorantiæ iniusta non fuit, nempe sine patris venia ad hostes peruenisse: tum quia Imperator & ipse erat, & Dei instinctu actus fuisse communiter creditur. Patres autem, qui eum peccasse indicant, loquuntur de culpa materialiter sumpta, quia si paternum sanctionem audiuisset, grauiter peccasset transgrediendo (nisi vt par est, excusaretur paruitate materiæ.) Quia verò prorsus ignorauit, materialiter solùm deliquit, & inuoluntariè; eius tamen etiam materiale delictum, ob Regiæ maiestatis, & legis latæ reuerentiam, expiandum erat; cùm transgressoris ignorantia, quæ interna est, omninò probari non posset.

Ioan. Palafox. Greg. Ambrof. Tertul. Chrysost. Ioseph. Carthus. Serar. Salian.

15 *Et illuminati sunt oculi eius.* Chrysost. suprà. Multum & hinc accusat Regis stultitiam, demonstrans, quod milites cunctos ferè fames obcæcauerat,

LITERAL. Chrysost.

cauerat, & multam ipsorum oculis infuderat caliginem.

TROPOL. Gregor. 16 *Et illuminati sunt oculi eius.* Gregor. suprà. Quid est, quod ex gustu mellis illuminati sunt oculi Ionathæ, nisi quia qui vani fauoris auram recipiunt, ex eodem ad agenda fortia roborantur?

LITERAL. Beda. 17 *Et illuminati sunt oculi eius.* Beda suprà. Illuminatos dicit oculos recreatos, & renouatos ad intuendum, qui longâ, vt solent inediâ, vel labore tabere iam cæperant.

MYSTIC. Patchas. 18 *Et illuminati sunt oculi eius.* S. Patchas. Abbas. lib. 2. Comment. in Matt. Fortitan & Ionathas filius Saül in hunc saltum (*gentilitatis*) deuenerat, vbi ad superficiem mel istud manabat, quo gustato paululum illuminatus legitur, vt per hoc apertiùs designaretur gratia Redemptoris in Ecclesiam de gentibus confluxisse, quam quisque attigerit, non solùm illuminatur, verùmetiam interius refectus corroboratur.

LITERAL. Angelom. *Quomodo illuminati oculi Ionathæ.* Gen. 3. 19 *Et illuminati sunt oculi eius.* Angelom. in Stromat. cap. 14. Numquid ante cæcus erat? Minimè, sed illuminati sunt vtique non ad videndum, quia ante videbat, sed ad discernendum, quia vetita tetigerat; sicut de primis hominibus legitur, qui mox vt prohibita gustauerunt, apertos habuisse oculos referuntur ad discernendum videlicet inter bonum, quod amiserant, & malum, ad quod ceciderant. Cæterùm aliqui aliter intelligi volunt: aiunt enim quòd ex nimio calore, oculi & exercitio prælij, ac itineris reuerberati erant, & nimio ieiunio fatigatus non solùm corpore, sed & mente fortassis defecerat, vbi sunt oculi interioris hominis, & ideò cùm gustasset gustum mellis, illuminatus dicitur, quia non solùm oculi ex refectione corporis, inquiunt, clariùs videre cæperant, sed & interiùs mens clarior confortata dulcedine mellis, ac promptior resumptis viribus ad persequendos aduersarios extitit.

LITERAL. TROPOL. Isidor. Hispal. 20 *Et illuminati sunt oculi eius.* Isidor. Hispal. in Quæst. in 1. Reg. cap. 6. Non vtique ad videndum illuminati, quia antea videbat, sed ad discernendum, quia vetita tetigerat. Tunc enim casus ille sicut & Adam fecit illum attentum, reddiditque confusum. Quo facto admonemur omnes illecebras voluptatum in seculo debere contemnere, qui Deo nitimur militare. Non enim potest contra Allophylos spirituales, idest aduersùs Principes tenebrarum viribus animi concurrere, qui adhuc huius mundi negligit dulcedinem declinare. *Mel enim distillans, labia meretricis*, quod est delectatio voluptatis carnalis. *Eadem verba habent* Eucherius, Rabban. & Angelomus.

Eucher. Rabbah. Angelom.

LITERAL. Caietan. 21 *Et illuminati sunt oculi eius.* Caietan. ibidem. Præ labore multo debiles effecti spiritus, refocillati sunt ita, vt sensibiliter immutatio appareret in oculis tanquam restaurati fuerit visus.

MYSTIC. Richard. Laurent. *Maria mel illuminans* 22 *Et illuminati sunt oculi eius.* Richard. de S. Laurent. lib. 4. de Laudib. Beatæ Mariæ. MARIA est illud mel, quo gustato illuminati sunt oculi Ionathæ, idest iusti, ideò salutat eam sic Catholica Ecclesia: *Salue Regina, mater misericordiæ; Vita dulcedo, & spes nostra salue.*

LITERAL. Delrrius. 23 *Et illuminati sunt oculi eius.* Martin. Anton. Delrrius in Adagiis. Adag. 180. Mel oculorum vitia corrigere, & prodesse oculorum claritati sciunt Medici ex Galeni libro de Simplicib. medicam.

LITERAL. Ioann. Eusseb. 24 *Et illuminati sunt oculi eius.* Ioann. Eusseb. 6. Stromat. cap. 19. Lassos artus, & fatigatas cædendo manus infatigabilis sustinebat spiritus. Corruisset iam exanimis, & exhaustis viribus; quales essent manus, qualia genua, cùm oculi defecissent?

LITERAL. Marin. Mersen. Rangol. 25 *Et illuminati sunt oculi eius.* Marian. Mersenus apud Rangol. ibi. Quòd Ionathas non caruerit prorsus lumine oculorum, satis, vt opinor, compertum est. Attamen cùm non parùm defatigatus esset ob laboriosissimum, diuturnúmque certamen deficiebat animo; & cùm ad illud quoque inedia accederet, oculis caligo, & tenebræ suffundebantur, sed delibato melle recreatus est, & discussâ obscuritate, visum recepisse visus est.

TROPOL. Author Catenæ. *Ministri iustitiæ quales esse debeant.* 26 *Et illuminati sunt oculi eius.* Author Catenæ. In facto hoc Ionathas malos illos iustitiæ ministros adumbrat, qui iustitiæ virga, seu calamo propria lucra, & commoda expiscari student, quâ ad vnam sui ipsorum vtilitatem aburuntur, iis etiam Christi Domini tortoribus persimiles: qui, vt refert Matthæus 27. cùm Dominum diris opprobriis, & doloribus oppressum apud se haberent, regni quasi ambitioso illudebant: *Acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Iniqui nimirùm diuinæ, aut humanæ iustitiæ administratores vel à Deo æquitatis virgam accipiunt, vel malis mediis extrahunt, ipsúmque, quo vtuntur calamo, in ipsius Dei iniuriam conuertunt, iustitiam corrumpentes, & opprimentes innocentiam, vt suis consulant cupiditatibus. Matt. 27. De quibus Drogo Hostiens. Episcop. *A talibus*, inquit, *Rectoribus miluus eorum potestatem accipiunt nocendi, & deuorandi pauperes.* Drogo. Duplici Moyses occasione, vt aquam eliceret ex silice, virga percussit: prius *Exod.* 17. 6. posterius *Numer.* 20. 8. Exod. 17. 6. Num. 20. 8. Ex secunda tamen lapidis percussione, Dei stomachum mouit, & iram accendit, cùm ex prima nihil sibi incommodi aut detrimenti peperisset. Ratio autem ea est, quia vice prima, vt lapidem percuteret, præceptum à Deo acceperat: *Percutiéque petram, & exibit ex ea aqua*: vice autem posteriori nihil tale Deus in mandatis dederat. Vnde eius indignationem meritò commouit. Percutiat quidem iustitiæ minister virgâ fontes, *non enim sine causa gladium portat*, & ex ipsorum substantia viuat; dum tamen id & Deus, & ciuiles leges iusserint: minimè tamen, cum eisdem legibus denegatur. Ionathas igitur, qui renuente patre, & repugnante lege, vt oblectetur melle, fauos virgâ, quæ iurisdictionis signum est, vel sceptro percutit, meritò non innocens reputatur ad, mysticam disciplinam quod annotauit Gregorius suprà relatus. Gregor. *Quid est quod virgam Ionathas tenet in manu, nisi quia disciplina, qua peccare alios prohibet, semetipsum non coercet?*

VERSVS XXVIII.

Vulgata. *VVlgata.* Respondénsque vnus de populo, ait: Iureiurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie; (defecerat autem populus.)

VER

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et respondit vir de populo, & dixit: Adiurando adiurauit pater tuus populum, dicendo: Maledictus vir, qui comederit panem hodie, & defecit populus.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Respondens autem quidam è populo, dixit: Omnino iureiurando obstrinxit pater tuus populum, dicens: Execratus sit vir, qui comederit cibum hodie. Populus autem labore delassatus erat.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et respondit vir de populo, & dixit: adiurando adiurauit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comedet panem hodie. Et fatigatus est populus.

Complut. Regia. *Graeca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et respondit vnus de populo, & ait: Adiurans adiurauit pater tuus populum, dicens: Maledictus homo, qui comederit panem hodie. Et defecit populus.

Sixtia. *Graec. ex Sept. in Sixt.* Et respondit vnus de populo, & dixit: adiurans adiurauit populum pater tuus, dicens: Maledictus homo, qui comedet panem hodie. Et defecit populus.

Chrysost. *Chrys. hom. 14. ad Popul. tom. 5.* Et dissolutus est populus.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Ioseph. 1 *Respondénsque vnus de populo ait.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 7. Admonitus Ionathas, quòd pater additis execrationibus interdixisset, ne quisquam cibum ante solis occasum sumeret, edere quidem destitit.

Literal. Abul. 2 *Respondénsque vnus de populo ait.* Abul. ibid. quæst. 19. Dicitur respondens, more improprio loquendi, quia nihil locutus fuerat Ionathas, vel aliquis alius ad quod iste responderet; sed quia iste locutus fuit, propter ea, quæ Ionathas faciebat, dicitur quasi respondisse ad illa.

Tropol. Gregor. *Prælati qui admonendi.* 3 *Iureiurando constrinxit pater tuus populum.* Greg. lib. 5. Variat. c. 4. Patrem adiurasse populum, & maledictum protulisse retulit, quia cùm minor errantem vult Prælatum dirigere, non debebat aspere obiurgare, sed dulciter, atque humiliter ad Maiorum statuta memoranda reducere. Vnde dicit: *Iureiurando constrinxit pater tuus.* Vt enim eum dulciter admoneat; eum, qui iureiurando populum constrinxit, patrem eius esse asseruit.

Literal. Abul. 4 *Iureiurando constrinxit.* Abul. ib. q. 19. Accipitur hic iusiurandum pro imprecatione maledictionis, quia non erat hic aliud iuramentum.

Literal. Idem. 5 *Maledictus vir, qui comederit panem hodie.* Idem ibi. Non dixit sic Saül, sed *maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam*: pro eodem tamen accipiuntur ista, quia vesperum erat Solis occasus, & post Solis occasum nihil est de illa die.

Literal. Author Catenæ. 6 *Maledictus vir, qui comederit panem hodie.* Author Catenæ. Nusquam hoc edixerat Saül, sed *vsque ad vesperam* suprà vers. 24. cùm verò naturalis dies vsque ad mediam noctem protendatur, mentitus hic est, quod in mediatis relationibus sæpe contingit. Nam primus qui gestam rem aliquando refert, nonnihil imminutat, seu addit, secundus verò similiter, & sic deinceps. Vnde post multorum relationes, rei gestæ veritas obscuratur; ad modum enim, quo immisso in lacum lapide excitantur circulariter vnde, priores verò seruata proportione, à posterioribus in magnitudine exceduntur: ita mirarum gestarum rerum narrationes, vt ab origine discedunt, in immensum excrescunt, & à veritate dilcrepant. Sic olim antiquus serpens totius ligni Paradisi prohibitum esum primis parentibus protulit, cùm vnici interdictus eius fuisset. Sic Cruci Domini adstantes inimici, dum audiunt: *Eli Eli* referunt mendosè: *Elium vocat iste.* Matt. 27. 46. 47. Sic denique vno occiso Ammon: *Fama pervenit ad Dauid, dicens: Percussit Absalon omnes filios Regis.* 2. Reg. 13. 30. Gen. 3. 2. Matt. 27. 46. 47. 2 Reg 13. 30.

Tropol. Greg. *Vanus prædicator deficit.* 7 *Defecerat autem populus.* Gregor. suprà. Qui laudes transitorias de verbi prædicatione requirunt, deficiunt, cùm non laudant, quia nullo vigore verba proferunt, quæ non laudari cernunt, velut enim lassescentes deficiunt, dum despecti obmutescunt.

VERSVS XXIX.

Vulgat. Vulg. Dixitque Ionathas: Turbauit pater meus terram: Vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quòd gustauerim paululùm de melle isto.

Benedict. *Benedict. in marg.* Videte, quæso, quomodo, &c.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Dixitque Ionathan: Turbauit pater meus populum terræ: videte nunc quòd illuminati sunt oculi mei, quia gustaui paululum mellis huius.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et dixit Ionathan: Pater meus turbauit populum terræ: Videte, quæso, vt illuminati sunt oculi mei, quod parum mellis istius gustauerim.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit Ionathan: Turbauit pater meus populum terræ: vide nunc quid illuxerunt oculi mei, quod gustaui pauxillum mellis hoc.

Complut. Regia. *Graeca ex Sept. in Complut. & Regia.* Et cognouit Ionathan, & dixit: Conturbauit pater meus terram. Vide quia gustaui paululum quidquam mellis huius, viderunt oculi mei.

Sixtia. *Graec. ex Sept. in Sixt.* Et cognouit Ionathan, & dixit: Perturbauit pater meus terram: Vide quia viderunt oculi mei, quoniam gustaui breue quid de melle hoc.

Chrysost. *Chrysostomus hom. 14. ad Popul. Antioch. tom. 5.* Dissoluit pater meus terram.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Tropol. Chrysost. 1 *Turbauit pater meus terram.* Chrys. hom. 14. ad popul. Antioch. tom. 5. Dissoluit pater meus terram. Quid est dissoluit? Perdidit, corrupit omnes. Temerato igitur iureiurando omnes tacebant, & reum nemo in medium agere audebat. Non modicum autem & hoc aliud crimen factum est; non enim solùm peierantes, sed & conscij, & obtegentes criminibus communicant.

Mystic. Tropol. Greg. 2 *Turbauit pater meus terram.* Greg. lib. 5. Variat. cap. 4. Quid est, quod turbasse terram patrem reprehendit, nisi quia Maiores statuta sua per imperitiam confudisse redarguit? Terræ quidem nomine subditorum humilitas designatur, quæ nimirùm turbari cernitur, quando errante Pastorum iudicio tranquillæ veritatis ordinem deserere viderit. Et quia dum fauores hominum arrogantes inhianter ambiunt, & hoc licitum esse asserere conantur, profectus suos in testimonium perducunt. *Vidistis enim*, ait, *quia illuminati sunt oculi mei.*

LITERAL. TROPOL. Beda. *Ionathas peccauit.*

3 *Turbauit pater meus terram.* Beda lib.2.Exposit.Allegor.c.9.tom.4. Turbauit, quia totum interdixit;quòd si ex parte interdixisset,commodius res videretur exacta. Verùm quia in huiusmodi rebus spiritualium Patrum sit iussis obsequendum, Ionathan sorte deprehensus, & oraculum Domini die illa consulendi Saüli subductum,manifestissimè declarat.Si enim tanti apud Deum valuit terreni Regis imperium, quanti putas valere Magistri spiritualis?

TROPOL. Idem. *Secularium litterarum lectio quale?*

4 *Turbauit pater meus terram.* Idem ibid.In typica parte turbat terrena præcordia,si quis hæc tola cœlestia gerere præcipiat, cùm Dominus vinum nouum in vtres veteres mittendum non esse testetur. Turbat acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legendis secularibus litteris omnimodè æstimat prohibendos, quibus vbilibet inuenta vtilia quasi sua sumere licet.Alioquin nec Moyses, & Daniel sapientia, vel litteris Ægyptiorum, Chaldæorúmque paterentur erudiri, quorum tamen superstitiones simul, & delitias horrebant; nec ipse magister gentium aliquot versus Poëtarum suis vel scriptis indidisset, vel dictis.Sed multò cautius necesse est,acutis rosa in spinis, quàm mollibus liliũ colligatur in foliis; multò securius in Apostolicis, quàm in Platonicis quæritur consilium salubre pagellis.Nam & apes ipsæ, quæ huiusmodi mella faciunt, ore quidem prætendunt dulcia, quæ mulceant,sed in posterioribus seruant venenata gesta, quæ feriant.

HISTOR. Ioseph.

5 *Turbauit pater meus terram.* Ioseph.lib.6.Antiquit.c.7.Edere quidem destitit:negauit tamen rectè id à patre factum;maiore enim vi, & alacritate hostem persecuturos fuisse, si corpora cibo recreauissent, & longe plures assecuturos fuisse, ac trucidaturos.

LITERAL. TROPOL. Angelom. *Ionathas victoria inuasit.*

6 *Turbauit pater meus terram.* Angelom.in Stromatib.c.14.Partâ victoriâ intumuit, & ideò de indicto ieiunio patrem reprehendit.

LITERAL. Salian.

7 *Turbauit pater meus terram.* Salian. tom.3. Annal. Ann.Mund.2964.num.92. Non contempsit præceptum patris Ionathas,edere enim desiit,vt ait Iosephus:improbauit tamen,& negauit rectè id factum fuisse,idque non rectè, interim enim dum cibum sumerent,hostes omnes euaderent:nec decuit, aut rectum fuit,Regis mandatum à filio palam improbari.

LITERAL. Estius.

8 *Turbauit pater meus terram.* Guillierm. Estius in Bibl.magna Parisiensi. Non omninò Ionathas culpa carere videtur, non enim Regia, aut Superiorum mandata temerè sunt reprehendenda, præsertim apud multitudinem. Potest etiam causa aliqua Diuinæ iræ poni in ipso Saüle, quòd ædificasset Altare extra locum Tabernaculi.

LITERAL. Author Catenæ.

9 *Turbauit pater meus terram.* Author Catenæ. Ac si diceret:rem totam euertit præpostero cõsilio, nam refectus aliquali cibo celeriter arrepto exercitus omninò lassatus, alacriùs hostem insequeretur, & funditus deleret. In quo non admodùm erraisset Ionathas,si ita citissimè cibus apparari, & gustari posset; cæterùm cùm copiosum populum decem millium virorum ita festinanter refici penè impossibile sit,sanius fuit Saülis consilium, & à filio Ionatha perperam improbatum.

TROPOL. Greg. *Inani gloria capiditas.*

10 *Vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei.* Gregor. suprà. Quasi dicat;ex laude subiectorum creui,dum non esse minor laudibus studui; nam & electorum Prædicatorum mos esse solet, vt dum se laudari considerant,hoc quod de se foris auditit, esse viribus contendant,& idcircò paululum mellis se Ionathas comedisse retulit,quia arrogans linguæ fauores se excipere libenter putat ad vitæ profectum, non ad intentionem vanitatis. Sed omninò aliud est laudis præconia moribus adæquare contendere:aliud laudes appetere, vt eisdem laudibus profectum vitæ possit inuenire.

VERSVS XXX.

Vulgat. Quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? Nónne maior plaga facta fuisset in Philisthiim? Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Quanto magis si comedendo comedisset hodie populus de spoliis inimicorum suorum,quæ reperit nunc?Nonne creuisset plaga in Pelistim? Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Quanto verò magis si comedendo, comedisset populus hodie de præda hostium suorum,quam inuenit?An verò non maior strages edita esset in Palæsthinos? Vatab.

Chaldaic. ex Benedicto Ariasm.in Regia. Verũ enimvero si comedendo comedisset hodie populus ex præda autorum inimicitiæ, quam inuenit, etenim nunc non magna percussio Pelisthæorum. Ariasm.

Græc. ex Sept.in Compl.& Regia. Quantò magis si & comedisset populus hodie vescens de spoliis inimicorum suorum,quæ reperit;nunc maior facta fuisset plaga in Philisthiim? Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Vtinam comedisset comedens hodie populus de spoliis inimicorum suorum,quæ inuenit,quoniam nunc maior fuisset plaga in alienigenas. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Greg. *Inanis gloria exitus.*

1 *Quantò magis si comedisset populus.* Gregor. lib.5.Variar.c.4.Mellis parum in virgæ summitate gustare, est de doctrinæ facundia qualitercumque gloriari. Prædam verò inimicorum comedere,est virtutis opera per memoriam repetere, & recolendo gaudere. Quasi enim prædam inimicorum facit,dum ea,in quibus occultis hostibus quis præualuit, ad memoriam ducit.Ea quoque ad saturitatem comedit, qui quasi sua virtute has fecisse se inaniter, & vehementer extollit. Dicit ergo: *Quantò magis, &c.* quasi dicat: cùm ex breui gustu fauoris tantus profectus sit, quid electi Prædicatores facerent,si plenas operum laudes licitas, ac iustas haberent.

TROPOL. Beda. *Humana litera quatenùs edisceuda.*

2 *Quantò magis,si comedisset populus.* Beda lib.2. Exposit.Allegor.c.9.tom.4. Hæc illis verba conueniunt,qui Doctis in Ecclesia, siue etiam Doctoribus lectionem Litterarum gentilium non autumant esse nocuam.Videtis,inquit, quia efficacior sum factus,& acutior, promptiórque ad perorandа, quæ decent, eo quòd gustauerim paululum de flore Tullianæ lectionis; quantò magis si didicisset populus Christianus Sectas, & doctrinas Gentilium? Nónne multò confidentiùs, & certiùs eorum derideret, simul & conuinceret errores; multò deuotiùs de sua sana fide gauderet, Patríque luminum pro hac gratias redderet? Neque enim aliam ob causam putandum est Moysem,vel Danielem sapientiam voluisse discere secularem,vt cognitam destruere melius, & deuincere possent.

Literal. Abul.

3 *De præda inimicorum suorum.* Abulens. ibid. quæst. 21. Adhuc præterea, quæ habebant Philisthini parata in castra ad cibũ, habebant pecora multa, scilicet oues, & boues apud castra, & vltra de quibus poterant comedere Israëlitæ, sicut patet infrà.

Literal. Author Catenæ.

4 *De præda inimicorum suorum.* Author Catenæ. Scilicet de iis, quæ fugientes hostes toto agro reliquerant, non enim solùm ad exercitus copiosissimi alimoniam, quamplura cibaria haberent necesse erat, sed ea etiam pecora, quæ tres illi cunei, qui ad prædandum exierant, vndique attulissent.

Literal. Abul.

5 *Nónne maior plaga facta fuisset?* Abul. ibidem quæst. 21. Hoc dictum Ionathæ non videtur simpliciter verum; quoniam si populus declinasset ad cibos, cùm Philisthini non declinarent ad discumbendum, sed indesinenter fugerent, antequam eos postea Israëlitæ consequi valuissent, nulla fieret plaga.

Literal. Caietan.

6 *Nónne maior plaga facta fuisset?* Caietan. ibidem. Bene dicit, si mora comedendi non fuisset impedimento præsentaneæ persecutioni. Iuuenilis sententia videtur.

VERSVS XXXI.

Vulgat.

Vulgat. Percusserunt ergo in die illa Philistæos à Machmis vsque in Aialon. Defatigatus est autem populus nimis.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et percusserunt in die illa Peliſtim à Michmas, vsque ad Aialon. Et fatigatus est populus valdè.

Vatab.

Hebraica ex Franc. Vatab. Percusserunt itaque eodem die Palæsthinos à Michmas vsque Aialon, defatigatúsque est populus vehementer.

Arias.

Chaldaica ex Benedict. Arias. in Regia. Et occiderunt in die illo in Peliſthæos à Machmas vsque ad planitiem Aialon. Et fatigatus est populus nimis.

Complut. Regia.

Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et percussit in die illa ex Philisthiim plures quàm in Machmas. Defatigatúsque populus nimis.

Sixtia.

Græc. ex Septuag. in Sixtina. Et percussit in die illa de alienigenis in Machmas: & laborauit populus valdè.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor.

1 *Percusserunt ergo in die illa, &c.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 4. Machmas *humilitas*, Aion (pro *Aialon*) verò *frater meus mœrens* interpretatur. In die illa à Machmis vsque in Aion Philisthæos arrogantes percutiunt, quia vt lucem gloriæ secularis accipiant, non solùm paruulis parua prædicant, sed alta, quæ perfectiores agnoscant. Et quia cùm sibi per intentionis peruersitatem obsunt, nonnullis in Christo paruulis, pluribus etiam perfectioribus prosunt loquendo, à Machmis, vsque in Aion non pugnare, sed percutere dicuntur. Philisthæos quidem percutere, est Dæmonum insidias, vel vitiorum tyrannidem ab electorum corde perimere.

Histor. Ioseph.

2 *Percusserunt ergo in die illa, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. c. 7. Itaq; cæsis Palæstinorum multis millibus, sub vesperam demum eorum castra diripiunt.

Histor. Sulpic.

3 *Percusserunt ergo in die illa, &c.* Sulpic. Sever. Annal. Ann. Mund. 2964. n. 94. Inclinante itaque in vespertinum tempus die, & Israëlitis præ labore pugnæ, & itinere vehementer defatigatis, percusserant enim in die illa Philisthæos à Machmas vsque in Aialon, quod iter octo horarum esse vult Adricomius in sua Topographia in Tabulis Ephraim; & præ inedia, & lucis inopia deficientibus à pugna, & persequendis hostibus cessatum est; statimque versus est ad prædam obuiam scilicet à latrunculis, ac prædonibus Philisthinorum occupatam. Non enim peruenerant in regionem Philisthæorum, ab illa enim plurimum abest Aialon, vt indicauit mox Saiil, qui tota nocte volebat hostem insequi, vtique ad proprios lares properantem. Adricom.

Mystic. Beda.

4 *A Machmis vsque in Aialon.* Beda lib. 2. Exposit. Allegor. c. 9. Machmas humilitatem: Aialon campos significat. In omnibus autem, quæ rectè gerit Ecclesia, Philisthæos percutit, quia per bona, quæ facit, malorum spirituum vires minuit; quia percutiendi sunt ab humilitate inchoatæ vsque ad latitudinem consummatæ virtutis: ab initio fidei vsque ad fructiferam charitatis amplitudinem, de qua dicitur: *Latum mandatum tuum nimis.* Psalm. 118. Psalm 118.

Literal. Abul.

5 *A Machmis, vsque in Aialon.* Abul. ibi. q. 21. A Machmas, vbi erant castra Philisthinorum, ibi enim cæpit pugna Iudæorum cum Philisthinis, vsque in Aialon, qui est quidam locus satis distans à Machmas, est enim in sorte Tribus Dan, vt patet *Iosue. 19. cap. 19.* De isto loco dicitur cap. 10. *Sol contra Gaboon ne moueris, & Luna contra vallem Aialon.* Iosue. 19. Ibid. 10.

Mystic. Lauret.

6 *A Machmis, vsque in Aialon.* Hieron. Lauret. in Sylua Verbo *Ahilon.* Aialon, idest *frater meus mœrens*, figura est perfectorum, de quibus dicitur Matt. 5. *Beati, qui lugent.* Perfecti enim proximorum miserias lugent. *Aialon quid.*

Mystic. Author Catenæ.

7 *Vsque in Aialon.* Author Catenæ. Vsque in Aialon, hoc est, vsque ad mœrentem fratrem meum debet vltio protendi; viso enim patientis fratris mœrore, ne eo conficiatur debet cessare supplicium, seueras manus fraterna compassione colligante. Vnde dum ad Aialon Israëlitæ perueniunt, tanquam eius nomine admoniti vlteriori vltioni parcunt, & ab hostium desistunt prosecutione. *Compassio debetur martyribus.*

Tropol. Greg.

8 *Defatigatus est autem populus.* Gregor. suprà. Sæpe elati Doctores per verbum prosunt, & eiusdem verbi laudes nullas accipiunt, quas concupiscunt. Vnde & frequenter accidit, vt dum laudari, & efferri se non considerant, velut fatigati magnis laboribus obmutescant, quare & subditur: *Defatigatus, &c.*

VERSVS XXXII.

Vulgata.

Vulgat. Et versus ad prædam, tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra: comedítque populus cum sanguine.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xant. Pagn. Et diuertit populus ad spolia, & tulerunt oues, & boues, & filios bouis, & mactauerunt in terra; comedítque populus cum sanguine.

Vatab.

Hebraica ex Franc. Vatab. Et irruit populus in prædam, acceperúntque oues, & boues, & vitulos, mactauerúntque in terram, comedítque populus cum sanguine ipso.

Arias.

Chaldaic. ex Benedict. Arias. in Regia. Et respexit populus super prædam, & ceperunt oues, & boues, & filios boum, & iugulauerunt super terram, & comederunt populus super sanguinem.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et irruit populus super spolia, & accepit populus ouilia, & armenta boum, & filios boum, & mactauerunt in terra, & comedit populus cum sanguine.

Sixtian. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et diuertit populus ad spolia; & cepit populus greges, & armenta boum, & filios boum, & iugulauit super terram, & comedit populus cum sanguine.

Vatab. *Vatab. in Schol.* Alij: *Comedit iuxta sanguinem*, vt idololatræ, quod erat prohibitum. Alij: *Nondum sanguis effusus fuerat.* Ostendit, quanta fame pressi essent.

PP. ET AVCTORES.

Histor. Hieron. *In quo peccauit populus.*

1 *Et versus ad prædam, tulit oues, & boues.* Hier. seu Author Tradit. Hebraic. ad cap. 14. Non fecit populus irritum iuramentum, quo eos Saul adiurauerat, quia victoriam potiti erant; sed peccasse Domino, & cum sanguine comedisse dicuntur, quia contra legis præceptum, antequam sacrificium vespertinum perageretur, comederunt. Sic itaque vsus erat, vt, quando homicidium ab eis, aut in suis, aut in exteris fiebat, non comederent, antequam Sacrificium vespertinum pro eis fieret; aliter peccasse Domino, & cum sanguine comedisse dicuntur, quia mactatis victimis, non obtulerunt ad Sanctuarium Sacerdotibus, iuxta legis præceptum, adipem, & sanguinem: cùm videlicet Sanctuarium secum haberent. Quando locus Sanctuarij procul erat, iubetur sanguis victimarum in terram fundi: de iis videlicet victimis, quas ad suos vsus præparabant. Quando verò Sanctuarium præsenterat, sanguis hostiarum super Altare Domini iubetur fundi, sicut & illud in libro Deuter. *Sanguinem hostiarum tuarum fundes in Altari: Carnibus autem ipse vescetis*, quod præfatus tamen non fecit populus: peccasse idcircò dicitur Domino, & cum sanguine comedisse. *Eadem verba habent.* Angelom. & Rabbanus.

Angelom. Rabban.

Mystic. Tropol. Greg. *Inanis gloria fugienda.*

2 *Et versus ad prædam tulit oues, & boues.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 4. Oues quidem tollit, qui innocentiæ suæ causas multiplices ad elationem recolit. Boues in prædam tollit, quando labores prædicationis suæ cogitat, & quidquid aliis loquendo, velut terram excolendo proficit, memorando coacerua. Vitulos tollit, cùm de eo extollitur, quòd compressi motus lasciuiæ ad mentem reducuntur, quia enim duo in magna iustorum laude præcepta sunt, videlicet splendor charitatis cum laude boni operis, cum æstimatione sua quisquis arrogans sit, & oues, & vitulos tollere perhibetur: oues quidem in innocentia bonorum operum: vitulos verò in mortificatione corporalium passionum.

Histor. Ioseph.

3 *Et versus ad prædam, tulit oues, & boues.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. Itaque cæsis Palæsthinorum multis millibus, sub vesperam demum eorum castra diripiunt, & inter cæteram prædam, magnâ pecudum copiâ repertâ, mactant, carnibúsque nondum à cruore purgatis vescuntur.

Literal. Abul. *Non peccauit populus comedendo ante noctem.*

4 *Et versus ad prædam, tulit oues, & boues.* Abul. ibid. quæst. 22. Solus Ionathas visus est deliquisse contra præceptum patris. Sed an ipse solus comederit ante horam constitutam, non apparet; poterat namque populus comedere ante horam illam, & non peccare; & hoc de communi consensu, quia illa impositio erat remissibilis, scilicet non fuerat præstitum aliquod iuramentum de non comedendo vsque ad vesperum; nec fuerat factum aliquod votum, per quod Israëlitæ Deo obligari manerent; sed solùm fuerat positum præceptum Regis, ne quis comederet; quia ergo cum solùm tangebat illud præceptum, poterat relaxare illud, & sic comederent ante horam constitutam. Aliter potest dici, quòd sine vlla concessione Regis poterant comedere ante noctem, & quòd non peccarent, quia non dixerat Rex: Maledictus, qui comederit panem vsque noctem, sed vsque ad *vesperum*: vesperum tamen non est nox, sed hora Nonæ.

Literal. Lira.

5 *Et mactauerunt in terra.* Liran. ibi. Sic peccauit faciendo contra mandatum legis. Hæc tamen littera diuersimodè exponitur: vno modo, sic: *Mactauerunt*, id est in quolibet loco, vbi erat commodius eis indifferenter; cùm tamen priùs deberent adducere ante Sanctuarium, quod erat ibi præsens: vel *Mactauerunt*, in terra, non super lapidem, vel locum taliter eleuatum, quòd posset benè sanguis exprimi de carnibus, & effluere; & sic comederunt cum sanguine, id est carnes non sufficienter depurgatas à sanguine. Tertio modo exponitur; quia antequam comederent de præda hostium, debebant Deo priùs facere Sacrificium, quod tamen non fuit factum.

Mystic. Gregor.

6 *Et mactauerunt in terra.* Greg. suprà. In terra oues boues, & vitulos mactare, est de virtutum conscientia, ima, & carnali lætitia exultare. Vnde & per Oseam de elatis, & arrogantibus dicitur: *Victimas demergebant in profundum.* Oseæ 5.

Osee 5.

Mystic. Greg.

7 *Comeditque populus cum sanguine.* Idem ibid. Mentis cibus interna eius lætitia est: Quid est ergo comedere cum sanguine, nisi ab interno appetitu mentis intentionem vani fauoris nequaquam remouere? Velut enim sanguis abiicitur, cùm mens à gaudio boni operis intentionem remouet vanitatis.

Literal. Tropol. Beda. *Gentiles benè instruendi.*

8 *Comeditque populus cum sanguine.* Beda lib. 2. Exposit. Allegor. cap. 9. Quòd dicitur populus comedisse cum sanguine, non est putandum cruentam eum carnem, crudámque comedisse; quod nequaquam humanæ, sed est naturæ bestialis: sed occisis pecoribus, antequam sanguis benè diluueretur, nondum purgatas coxisse, vel assasse, & sic comedisse. Significat autem Magistros inertes, qui sicut hodie cernimus, longo sæpè catechizandi labore defatigati, nonnullos, quos demoniacis erroribus prædicando eruerant, à Gentilibus quidem ritibus eruditos mactant, imitari conati illum, cui, destinatis de cœlo cuncti generis, animantibus, dictum est: *Macta, & manduca.* Actor. 10. Sed quasi in terra mactant, & cum sanguine manducant, quos à terrenis sensibus, carnisque, & sanguinis illecebris minùs perfectè, vel docendo, vel ipsi viuendo, non subtrahunt, assuetósque adhuc vitiis, nedúmque agendis virtutibus institutos accelerant Ecclesiæ membris incorporare.

Actor. 10.

Literal. Comest.

9 *Comeditque populus cum sanguine.* Comest. in Histor. Schol. cap. 13. In vespera populus fessus animis, & præ fame moram non sustinens, pecora mactauit in terra, & comedit cum sanguine. Hoc est, quocumque modo occidit, & coxit, antequam sanguis benè diluueretur, nondum purgatis carnibus vescens, non secundùm morem Patrium guttura cultro laniauit, & eliquauit sanguinem. Dicunt quidam quòd de præda hostium nemini licebat edere, donec immolasset victimam Domino, aliter edens, cum sanguine edebat.

Literal. Abul. *Comedere cū*

10 *Comeditque populus cum sanguine.* Abul. ibi quæst. 23. Comedere cum sanguine peccatum erat, quia istud fuit primum præceptum, quod datum

fuit

sanguine, quid?

fuit hominibus post diluuium, & pertinebat ad obseruationem Iudæorum. De hoc patet *Genes.9.* scilicet: *Tanquam olera virentia tradidi vobis cuncta; præter hoc, quòd carnem cum sanguine non comedetis.* Comedere cum sanguine multipliciter intelligitur: vno modo, quòd aliquis comedat membrum alicuius animalis adhuc viuentis, scilicet abscindendo illi membrum. Aliter intelligitur: *Non comedetis carnem cum sanguine*, id est carnem, & etiam sanguinem. Aliter scilicet quòd aliquis comedat carnem cum sanguine, nondum euacuato sanguine, vt si quis iugulauerit animal extentum super planum, & sic illud reliquerit, sanguis eius manet intra ipsum, non potens defluere, & congelatur ibi. Quolibet autem istorum modorum, erat illicitum comedere carnem cum sanguine. Dicendum ergo, quòd tertius modus comedendi sanguinem fuit, quando populus peccauit hîc, scilicet quia cùm occiderent animalia, nondum erat sanguis eorum benè purgatus, & comedebant; hoc autem erat, quia immolabant super terram in plano. Hoc autem apparet, quia dicitur: *iugulabant* in terra. Item quia Rex ad hoc prouidit, faciens quòd omnes immolarent super lapidem, quasi sic sanguis effluereret.

Genes.14.

Literal. Carthus.

11 *Comeditque populus cum sanguine.* Carth.ib. art.27. Carnes illas non satis purgatas à suo cruore comedunt quoque cum sanguine, id est illicitè,

Deuter.20.

& contra legem *Deut.*20. secundum quam debebãt primò Sacrificia Deo offerre de hostium præda.

Moral. Carthus.

12 *Comeditque populus cum sanguine.* Idem ibi. art.28. Sic frequenter contingit, quòd fideles ieuniis, & spiritualibus actibus fatigati excedunt in refectione, & repastinatione carnali, & manducant cum sanguine.

Literal. Hugo.

13 *Comeditque populus cum sanguine.* Hugo Charensis in Postilla. Hebræi dicunt, quòd populus peccauit, quia simul interficiebant vitulum, & matrem, quod prohibitum est ibi: *Non coques hædum*

Exod.13.

cum lacte matris Exod.23.

Literal. Sanctius.

14 *Comeditque populus cum sanguine.* Gaspar Sanct.ib.num.42. Ego nullum hîc aliud peccatum interceßisse video, quàm populum comedisse cum sanguine, quod ne fieret, cautum est lege. Gen.9.4. *Carnem cum sanguine ne comederis.* Idem *Leu.*17.14. *Deuter.*12. Cúmque commodè sanguis ex animali exprimi non posset, si in terra, aut æquo loco iugularetur animal; aut lapis erigebatur, vt fecit hoc loco Saül, aut sublimior aliquis locus, vt pendente animalis iugulo, è superiori loco defluente sanguine, carnes ab illo plenè depuratæ adhiberentur in cibum. Sed vrgebat fames, quæ non tantum populo permisit spatij, vt tumulum erigeret, vbi cæderetur bos, aut aries, & exangue fieret animal, iuxta legis præscriptum.

Literal. Author Catenæ. Gen.9.4. Deut.12.16. Leuit.3.17. Ibid.7.26. Ioseph. Paraphr. Comest. Beda. Abul. Caiet. Interl. Sanct. Liran. Vatabl.

15 *Comeditque populus cum sanguine.* Author Catenæ. Præ festinatione, & cibi auiditate non sustinuerunt, dum appensis carnibus sanguis effluereret; sed citißimè apparatas, & semicrudas vorabant; peccabant autem in eo, quia carnes à sanguine malè repurgatas, seu depuratas edere prohibitum sæpè fuerat. *Gen.*9.4. *Deut.*12.16. *Leuit.*3.17. & *ibid.* 7.26. Cum sanguine ergo, qui non totus effluxerat, sed potius hæserat carnibus, vescentes, deliquerunt. Hic planus, & simplex huius loci sensus est, quem sequuntur Ioseph. Paraphrastes, Comest. Beda, Abulens. Caietan. Interl. Sanct. Lira, Vatabl. Serar. Salian. & alij. Quem etiam euidentem fecit remedium à Saüle prouisum, videlicet, vt elato in saxo hostiæ iugularentur, ex quo sanguis facilè effluereret in declinia terræ. Quod cùm ita sit, mirum est, quantas Hebræi apud Authorem Traditionum, Angelom. Abulens. & Charensem ineptias texant, vt simplicem, & historicum sensum corrumpant; quorum etiam deliria non respuunt Rabbanus, Angelom. & Dionysius. Dicunt ergo militum peccatum in eo constitißse, primò quod comederint ante Sacrificium vespertinum, quod interdictum fuerat *Deuter.*12.15. non intelligentes Legem illam solùm de hostiis Domino offerendis loqui; non verò de iis, quæ in communem vsum, & esum deputabantur, de quibus nulla erat Lex, vt coram Sanctuario priùs offerrentur. Quòd si in hoc deliquißent, ineptè quidem prouidißet postea Saül, vt super elatum saxum pecora iugularentur, cùm potiùs, vt coram Sanctuario, aut Arca offerrentur, prouidere, & cauere debuißet. Dicunt secundò peccatum sterißse in eo, quòd adipem & sanguinem Sacerdotibus non obtulere; quod eidem impugnationi manifestè subest; nam si in eo peccaßent, id potißimùm Saül ordinatione sua præuenißet, nec de saxo cogitaßet. In eo etiam quod supponunt, scilicet, Sanctuarium apud se tum temporis habuißse, ipsi potiùs Rabbini peccant, cùm non esset nisi in Noue. Nec etiam Arca, quæ nuper in Gabaa Benjamin fuißse refertur, apud eos esse iam poterat, qui celerrimo cursu per spatium octo horarum, vt ait Adricomius, hostem fugientem insecuti fuerant. Dicunt tertiò, in eo peccauisse, quòd vitulos cum matribus mactabant. Quid igitur inde? Prohibitum, inquit, hoc erat Exod. 23. *Non coques hædum cum lacte matris.* Nugæ. An matrem & filium occidere in lacte matris, vitulum coquere est? Dicunt quartò ibi constitißse delictum, quòd victimas Dæmonibus obtulißent, & gentilico ritu adipem cum carne & sanguine comedißent. Apage, nullum tibi mendacij fundamentum, nam si verum hoc faßet, minimè populus innocens ex Dei oraculo, cum sortes Saül mitit. *vers.* 41. declaratus faßet. Denique de hoc potiùs idololatriæ crimine expiando, quàm de pecoribus super saxum iugulandis Saül cogitaßet, & prouidißet, quod nusquam præstitit. Facessant ergo inepti confabulatores, & planum, simplicem, & historicum Scripturarum sensum ne deprauent. Nec audiendus etiam Ioseph. est, qui hæc in Philisthinorum castris accidißse putauit, dum ait: sub vesperam demum eorum castra direpta fuißse, cùm Philisthinorum castra octo horarum spatium distarent ab Aialon, fuerant enim in Machmis; milites verò famelici, & impasti minimè ad castra recurrißent, nec dies tantæ moræ, nec itineri locus erat. Nugatur ergo Iosephus, vt aliàs sæpè. Maior quæstio est, an etiam in Ecclesiæ temporibus licitum fuerit sanguinem comedere, quem prohibuisse videntur Apostoli. Act.15.20. ibi: *Sed scribere ad eos, vt abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocato & sanguine.* Vnde certum est prioribus Ecclesiæ temporibus interdictum fuisse esum sanguinis, quod duraße ait Vernilius ad tempus vsque Tertul. Origenis, & Irenæi; cauetur quoque in libro Constit. Apostol. 62. sed & Leo Imp. Const. 58. inter alias aliorum Imperatorum. ibi: *Perlatum enim ad aures nostras est, quod intestinis, tanquam tunicis, sanguinem infertum, velut consuetum aliquem cibum ventri præbeant*, vbi obtonium illud reprehenditur, quod Hispani vocant *Morcillas.* Temporibus autem decurrentibus, & necessitate cessante, lex hæc obsoleuit, immò eius obseruatores

Serar. Salian. Hieron. Angelom. Abul. Charen. Rabban. Angelom. Dionys.

Exod.23.

1. Reg.41.

Act.15.20. & 29.

Leo Imp.

Euantus Abbas. Canisius. Rangol.

tores ex titulo religionis reprehendit Euantus Abbas epist. sua apud Henricum Canisium tom. 5. Antiquæ lectionis, vt testatur Rangolius in præsenti.

VERSVS XXXIII.

Vulgata.

Vulgata. Nuntiauerunt autem Saüli, dicentes, quòd populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis: Voluite ad me iam nunc saxum grande.

VERSIONES.

Pagn.

Hebr. ex Xante Pagn. Et nuntiauerunt Saül, dicendo: Ecce populus peccans Domino, comedendo cum sanguine; & dixit: Prævaricati estis, voluite ad me hodie lapidem magnum.

Vatab.

Hebraica ex Franciſc. Vatab. Et nunciantes Saüli, dixerunt: Ecce populus peccat Domino, comedens cum sanguine, qui ait: Prævaricati estis: voluite ad me iam lapidem magnum.

Ariasm.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et indicauerunt Saüli, dicentes: ecce populus peccant ante Dominum, comedendo super sanguinem: Et dixit: Prævaricati estis; afferte ad me hodie lapidem magnum.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et nunciauerunt Saül, dicentes: Peccauit populus Domino in comedendo in sanguine: & dixit Saül: Peccauistis: Voluite iam mihi hîc saxum grande.

Sixtia.

Græc. ex Septuag. in Sixtia. Et annunciatum est Saüli: dicentes: Peccauit populus Domino, comedens cum sanguine: & dixit Saül: de Getthæm voluite mihi lapidem huc magnum.

PP. ET AVCTORES.

Hістор. Ioseph.

1 *Nuntiauerunt autem Saüli.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. Quod è vestigio Regi à Scribis renunciatum est, vulgus militum in Deum peccare, & carnes etiam tum cruentas coquere, ac edere. Tum Saülus iubet saxum grande in medium prouolui, edicitque, &c.

Literal. Abul.

2 *Nunciauerunt autem Sauli.* Abul. ibi q. 25. Erant inter Israëlitas pugnantes quidam sapientiores in lege, qui potissimè habebant zelum legis, corrigentes omnia, quæ iniquè videbantur fieri. Isti autem vocantur Scribæ, de quibus Matth. 23. dicitur *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi.* Matth. 23.

Literal. Abul.

3 *Dicentes quòd populus peccasset Domino.* Idem ibid. Scilicet istud peccatum non erat contra aliquem, nisi contra Deum, & non contra proximos, quia hic erat transgressio cuiusdam cæremoniæ.

Tropol. Greg. *Prædicatoris officium?*

4 *Prævaricati estis.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Prædicatorum sanctæ Ecclesiæ proprium est, & perpetratas culpas reprehendere, & qualiter reprehensæ vitari debeant monstrare. Reprehensæ quidem innotescunt, sed si vitari nesciantur ostensæ repetentur. Quid in hac sanguinis comestione nisi latens elationis virus ostenditur? Latentia autem vitia, nisi expositа non curantur. Vt ergo Prædicator mores instituat, Saul prius prævaricatum fuisse populum asserit; deinde in lapidem occidi, quæ manducantur animalia, præcipit.

Literal. Abul.

5 *Prævaricati estis.* Abul. ibi quæst. 25. Hoc dixit Saül ad Scribas, qui nunciauerunt ei; & non quidem tanquam Scribæ peccassent, quia ipsi potiùs populi peccatum nunciabant, sed locutus fuit tanquam ad populum. Nisi fortè aliquis diceret, quòd dixit hoc, quia fuerant Scribæ negligentes, non corrigendo priùs peccatum populi, vel non denunciando. Sed primum est melius.

Tropol. Greg. *Christus exempla circumspicienda? 1. Cor. 10.*

6 *Voluite ad me iam nunc saxum grande.* Greg. suprà. Saxum, siue lapidem nouimus, quia hunc Paulus ostendit, dicens: *Petra autem erat Christus.* Lapis verò ad Prædicatorem voluitur, cùm coram eo Redemptoris exempla memorantur. Deuolui etiam dicitur, vt ex omni parte videatur. Grandis verò ductus est, quia per Danielem *cap. 2.* crescere perhibetur, & omnem orbis faciem implere. Non ergo quomodolibet, sed ab vtroque latere reuolutus aspicitur, vt ab arrogantibus conspiciatur Deus, & eorum arrogantia deprimatur. Videat ergo arrogans quàm potens in virtute, quàm sublimis in maiestate, quam humilis in virtute Redemptor noster apparuit; nam cæcos illuminans, ægros sanans, præcipiebat, vt quod potenter egisset, nemini diceretur. In monte resplenduit: pater testimonium suæ diuinitatis produxit. *Matth. 17.* & tamen Discipulis ait: *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Et fortasse idcirco resurgente iam Domino, ad monumentum Angelus apparuit, qui ab eius ostio lapidem reuoluit. Tum quippe reuoluendus erat lapis, quia Christus verus homo, & potens Deus post resurrectionis gloriam erat agnoscendus. Dan. 2. Matth. 17.

Tropol. Beda. *Catechumeni bene instruendi?*

7 *Voluite ad me iam nunc saxum grande.* Beda lib. 2. exposit. Allegor. cap. 9. Cognitâ perfecti quique Rectores delictâ negligentium Doctorum, quòd peccent Domino baptizantes eos, quos à carnali cogitatione nedum plena fidei institutione purgarint, continuò talis prævaricationis reos arguunt, & Catholica auctoritate vitæ cœlestis regulam palam proponi iubent, magistrisque inertibus, quos vulgaris eatenùs imperitia vexaret, imperari, vt adiuris vsque ad eam, quam ipsi à Patribus didicerant, vitæ formulam cunctis, quos imbuendos susceperint, super firmissimum Catholicæ perfectionis exemplar eos catechizando à pristina conuersatione paternæ traditionis occidant, & baptizando Ecclesiæ membris incorporent, nec vltrà peccent Domino.

Literal. Abul.

8 *Voluite ad me iam nunc saxum grande.* Abul. ibi quæst. 25. Voluit prohibere Saül ne ampliùs populus peccaret, & quia peccatum populi consistebat in hoc, quòd immolabant animalia in terra, & ob hoc non poterat euacuari sanguis, & comedebant cum sanguine, iussit, vt eleuaretur lapis magnus, super quem immolarentur omnia animalia, & pendente capite cuiusque pecoris iugulati, posset vniuersus sanguis effluere.

Author Catenæ

9 *Voluite ad me iam nunc saxum grande.* Autor Catenæ. In præsentis mali citissimo remedio apparet Saülis tum zelus, tum prudentia: zelus quidem, & pietas erga Deum, repressâ eius iniuriâ: prudentia verò maturatione remedij, ne eo dissimulante malum in totum populum succresceret, tanquam si audisset;

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuêre moras. Horatius.

VERSVS XXXIV.

Vulg.

Vulgata. Et dixit Saül: Dispergimini in vulgus, & dicite eis, vt adducat ad me vnusquisque bouem suum, & arietem, & occidite super istud, & vescimini, & non peccabitis Domino, comedentes cum

cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus vnusquisque bouem in manu sua vsque ad noctem: & occiderunt ibi.

Benedict. *Bened. in marg.* Vnusquisque bouem in manu sua *nocte*.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Dixitque Saul: Dispergimini in populum, & dicetis eis: afferte ad me vnusquisque pecus suum, & mactabitis, & vescimini, & non peccabitis Domino comedendo cum sanguine; & attulerunt omnis populus vnusquisque bouem suum in manu sua in nocte, & mactauerunt sibi.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Et rursum dixit Saül: Dispergimini in populum, & dicite eis: adducite ad me quisq; bouem suum, & quisque pecudem suam, & mactate hic, & comedite, ne peccetis contra Dominum, comedendo cum sanguine. Et adduxerunt vniuersus scilicet populus, quisque bouem suum manu sua (idque) nocte ista, & mactauerunt ibi.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et dixit Saul: Dispergimini in populo, & dicetis illis: afferte ad me vir bouem suum; & vir pecudem suam, & mactabitis hic & comedetis, & non peccabitis ante Dominum comedendo super sanguinem. Et attulerunt omnis populus vir bouem suum in manu sua in nocte, & iugulauerunt ibi.

Complut. Regia. *Graca ex Septuagin. in Complut. & Regia.* Et dixit Saül: Dispergimini in populo, & dicite eis: adducite huc vnusquisque vitulum suum, & vnusquisque ouem suam, & occidite super lapidem hunc, & comedite, & non peccetis Domino comedentes cum sanguine. Et adduxit omnis populus vnusquisque quod in manu sua nocte, & occidebant ibi.

Sixtian. *Graca ex Septuag. in Sixtia.* Et dixit Saül: Dispergimini in populum, & dicite eis, vt adducat huc vnusquisque vitulum suum, & vnusquisque ouem suam, & iugulet super hunc, & non peccetis Domino, comedendo cum sanguine. Et adduxit populus vnusquisque quod in manu sua, & iugularunt ibi.

Clar. *Isidor. Clar. ibi.* In manu sua *in nocte*.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. 1 VT *adducat ad me vnusquisque bouem suum, &c.* Greg. libr. 5. Variar. c. 4. Bos, & aries in lapide occiditur, quando exemplo Redemptoris omnis cornuta elatio condemnatur; quando electus quilibet, & benè agit, & optimè docet, sed nec vita eum eligit propria, nec eruditio aliena. In ariete quippe robur propriæ innocentiæ exprimitur, in boue autem labor, & fortitudo prædicationis, qui in petra occiduntur, vt sic electam mentem gaudendo reficiant, vt ei mixtum in se emorem carnibus non impendant.

Literal. Comest. 2 *Vt adducat ad me vnusquisque bouem suum.* Petr. Comest. in histor. Schol. c. 13. Præcepit vt omnes super illud saxum, & coram ipso secundùm morem patrium pecudes laniarent, ne forte quis aliter faceret occultè.

Histor. Ioseph. 3 *Vt adducat ad me vnusquisque, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 7. Tum Saülus iubet saxum grande in medium prouolui, edicitque vt super illud pecudes iugulent, neve carnes cum sanguine comedant; quia factum hoc Deo displicet. Cui edicto cùm omnes parerent, statuit ibi Altare.

4 *Vt adducat ad me vnusquisque, &c.* Caiet. ibi. Cernè zelum boni Regis, autoritatem præsentiæ suæ interponit ad hoc, vt efficax sit monitio, ne iugulent animalia in terra. Literal. Caiet. *Saulis zelus?*

5 *Et occidite super istud.* Angelom. in Stromat. c. 14. Plerique Sacerdotes adhuc diuersa sentientes & in variis Sectis seducti, aut illos, quos de ipsis Hæreticis, quasi oues, aut boues ad Ecclesiam reducere potuerint, baptizandos denuò decernunt, sicut quibusdam Sacerdotibus olim visum fuerat, vt de Hæresi ad Ecclesiã conuersi iterùm baptizarentur, sicut faciunt Donatistæ Hæretici; quod vtique illicitum est, eos, qui semel abluti sunt, denuò baptizare, aut certè conuersis ex gentilitate, nequaquam secundùm Ecclesiasticam regulam, rectum baptismum tradere. Quos tamen Christus Dominus, velut Saul per Ecclesiasticos viros ad vnitatem fidei reuocans, in fide sua, cuius figuram lapis ille magnus prætendebat, qui omnes credentes baptizari præcepit. Mystic. Angelom. *Donatistarũ error?*

6 *Et occidite super istud.* Carth. ibi. art. 27. Forsitan hîc ponitur singulare pro plurali, videlicet saxum pro saxis, cùm non videatur probabile, quòd in tanta famis inedia suffecerit tot millibus hominum vnum saxum ad mactandum super illud pecora manducanda. Literal. Carthus.

7 *Et non peccabitis Domino.* Beda lib. 2. exposit. Allegor. cap. 9. tom. 4. Negligentes Doctores ne vltra peccent Domino, fidei, & vitæ cœlestis ignaros vnitati sui corporis, hoc est Ecclesiæ Christi nectentes: Bouem, & arietem Philisthæis ereptos, atque à populo Dei super saxum intellectuale mactatos, stultum quemlibet, & superbum intellige à consuetudine mortifera; spiritualem renouatos in vitam, sicut & suprà oues, & vituli cum bobus ab iisdem oblati æque motibus animæ, vel carnis irrationabilibus, & lasciuiæ deditos, sed per Dominum saluatos insinuant. Mystic. Beda.

8 *Adduxit itaque omnis populus vnusquisque bouem in manu sua.* Greg. suprà. Bouem in manu sua adducere, est peccatum elationis pœnitentiæ afflictione delere. Dum enim operando delet, quod superbiendo deliquit, mactandum bouem in lapide per manum ducit. Mystic. Greg.

9 *Vnusquisque bouem in manu sua.* Abul. ibid. q. 14. Non dicitur hoc, tanquam quilibet occideret arietem, & bouem pro seipso, quia pro multis viris sufficiebat vnus bos, & vnus aries, sed dicitur, quòd quilibet, qui immolaturus esset bouẽ, vel arietem, veniret coram Saule. *In manu sua*, idest ante se, quia manifestum est, quòd nemo poterat ducere bouem in manu; iste autem est modus loquendi Scripturæ. Sic patet infrà *cap.* 16. cùm dixit Dominus ad Samuelem: *Vitulum de armento tollis in manu tua.* Literal. Abul.

10 *Vnusquisque bouem in manu sua.* Salianus tom. 3. Annal. ann. Mund. 1964. num. 99. Peccatum populi tam à Rege ipso, quàm à Scribis agnitum, atque accusatum, non fuit à Deo peculiari animaduersione punitum; venia enim, atque indulgentia vsus est erga populum ex magna corporis necessitate peccantem, & ad ea, quæ ageret in festinatione parum attendentem. Nec eadem fuit ratio Ionathæ, qui ita ex ignorantia peccauit, vt mox agnitum peccatum excusaret, atque defenderet, & vicissim legislatorem accusaret: ideoque nihil mirum si mox in sortibus Deus Ionatham reprehendit: populum autem exire permisit. Literal. Salian.

11 *Vnusquisque bouem in manu sua.* Author Catenæ. Non vnicum fuisse lapidem, sed plures à Saüle Literal. Author Catenæ.

Saüle constitutos, vel ad eius exemplum à Sacerdotibus, vel Dynastis exercitos, satis probabile iudico cum Carthusiano; alter enim vsque ad noctem, quæ iam instabat, malè possent tot oues, & boues iugulari, quousque totus sanguis excurreret, & carnes euacuarentur. Quare vero populus cum sanguine comedendo peccans punitus, nec à Deo, neque à Rege fuerit, præter rationem à Saliano redditam dicetur *infra v.41.*

Salian.

Tropol. Gregor. *Pœnitentia non differenda.*

12 *Vsque ad noctem.* Greg. supra. Quid est quod dicit vsque ad noctem, nisi quia & peccare non licet, sed delere peccata vsque ad mortem licet. Vsq; ad noctem ergo boues mactandi sunt non in nocte, quia dum viuimus, peccata delere pœnitendo possumus; post mortem fructuosam agere pœnitentiam non valemus.

Literal. Abul.

13 *Vsque ad noctem.* Abul. ibi. q. 24. Ex quo patet, quod aliquanta pars diei supererat, quando populus declinauit ad prædam.

Mystic. Glossa. Ordin.

14 *Et occiderunt ibi.* Glossa Ordin. ibi. Occisio animalium est baptisma, in quo vetus homo moritur. Ingens saxum super quod fiebat occisio, fides est sine qua non moritur vetus homo. Mactatio in terra Hæreticorum baptisma, cuius sanguinem comedunt, quando absque purificatione peccatorum sibi lotos aggregant. Hæc animalia de Philisthæis capta significant, aut de Hæreticis reductos, aut de gentilitate conuersos. Illos imperiti rebaptizant; istos aliter quam Ecclesia tradit, baptizant, quos Christus velut Saul in fide sua, quasi super saxum grande occidendos boues, & oues, idest indifferentias hominum baptizari præcepit.

VERSVS XXXV.

Vulgata.

Vulgata. Ædificauit autem Saül Altare Domino; túncque primum cœpit ædificare Altare Domino.

Benedict.

Bened. in marg. Túncque primum cœpit ædificare, *vt esset altare* Domini.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xante Pagn. Et ædificauit Saül Altare Domino, illud cœpit ædificare Altare Domino.

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Struxit quoque Saül Aram Domino, & eam quidem cœpit ædificare, vt esset Ara Domini.

Ariasm.

Chald. ex Bened. Ariasm. in Regia. Et struxit Saül Altare ante Dominum: illud cœpit ædificare Altare ante Dominum.

Complut. Regia.

Græc. ex Sept. in Compl. & Regia. Et ædificauit Saül Domino Altare, hoc incœpit Saül ædificare Altare Domino.

Sixtia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et ædificauit ibi Saul Altare Domino; illud cœpit Saul ædificare Altare Domino.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor.

1 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Greg. lib. 5. Variar. c. 4. Quia dum peccatores conuertuntur, quasi ex lapidibus cœleste ædificium fabricatur; & quia plerique Codices habent: *Túmque primum cœpit Saul ædificare.* Potest Altaris nomine compunctio cordis intelligi. Quando enim per verbum Doctoris, compunctio cordis erigitur, nimirùm Altare Domino ædificatur, & primum ædificatum dicitur, quia est compunctio amoris. Vnde & in Tabernaculo fœderis duo Altaria fieri à Domino iussa sunt, adolendis scilicet thymiamatibus vnum; alterum comburendæ carnis. Primum Altare foris erat, secundum intra Sancta Sanctorum. *Exod.* 27. Altare ergo primum compunctio timoris est: Altare secundum compunctio amoris. Illud quippe peccata lugentium est: illud verò ad æterna gaudia totis desideriis inhiantium. Exod. 27.

Histor. Ioseph.

2 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Ioseph. libr. 6. Antiquitat. cap. 7. Cui edicto cùm omnes parerent, statuit ibi Altare, & impositis victimis holocaustum à Deo incendit: idque Altare omnium primum à Saulo extructum est.

Literal. Mystic. Beda.

3 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Beda lib. 2. Expos. Allegor. c. 9. tom. 4. Ædificauit Altare, vt celebrato super illud holocausto pro peccato quoque populi, quod temerè commiserat, interueniret. Ædificat magister quisque perfectus in audientium corde fidem Dominicæ passionis, vbi in Altare Dominicæ crucis sanguis ille pretiosus in remissionem fusus est peccatorum, manifesto cunctos informans exemplo.

Literal. Lira.

4 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Litanus ibid. Ad agendum gratias de victoria concessa.

Literal. Abul.

5 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Abul. ibi. q. 27. Satis rationabiliter dicitur, quòd non esset Altare ille lapis, sed aliquod alterum ædificium, quia Altare fiebat ad offerendum ibi hostias, & cremandum super illud; sed ille lapis non erat sic expositus, vt ibi fierent Sacrificia; nam lapis ille erat declinis, & pronus vt reliquo corpore pecoris erecto in sublime caput penderet, vt sic vniuersus sanguis fluere posset. Erectio autem lapidis non conueniebat Altari, quia Altare debet esse aliquod arduum, & planum, super quod partes animalium conuenienter poni, & cremari possint. Item non potest stare, quòd ibi cremarentur adipes, quia oportebat tunc super illum lapidem esse valdè magnum ignem, vt cremarentur adipes omnium animalium, quæ immolabantur. Sed hoc non stat, quia tunc non possent super lapidem iugulari animalia: iugulabantur tamen.

Literal. Idem.

6 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Idem ibidem. q. 28. Saül acceperat victoriam insperatam à Deo, ideò pro tanto beneficio volens ei, quantum poterat, gratias agere, ædificauit Altare, vbi offerret Sacrificia. Aliter potest dici, quòd Saul fecit Altare ad memoriam victoriæ; & quanquam tunc obtulerit ibi Sacrificia, magis tamen faciebat ad memoriam posterorum; vt scirent quoniam vsq; ad locum illum Deus dederat magnificam victoriam Israelitis contra Philisthinos.

Literal. Idem.

7 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Idem ibidem. quæst. 29. Dicendum, quòd licuit Sauli construere Altare, quia Samuel, qui ibi esse videbatur, non permitteret ei hoc facere, si non liceret. Si autem non concedas, quòd ibi esset tunc Samuel, adhuc firmius patet, quòd liceret, quia erat ibi Arca Domini, & coram illa licebat cuicumque offerre in quocumque loco esse, vt patet de Dauid, qui cùm transferret Arcam in domum suam, cùm transissent sex passus illi, qui portabant Arcam, immolabant bouem, & arietem. 2. *Reg.* 6. 2. Reg. 6.

8 *Ædifi*

LITERAL. Vatab. 8 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Vatabl.in Schol.Vt scilicet qui vellent immolare, victimas pacificas offerrent.

LITERAL. Charen. 9 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Hugo Charent.in Postilla. Vt pro peccato populi interueniret.

LITERAL. Caietan. 10 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Caiet.ibi.Intellige non ædificasse dumtaxat, sed etiam sacrificasse super illud summo Deo, non enim frustra ædificauit Altare, sed ad Altaris vsum.

LITERAL. Centump. 11 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Centumputeolan.ibi,num.43.Cur ædificare voluit Saül Altare illud, Scriptura non tradit; sed est verisimile ibi offerre voluisse sacrificia pacifica pro re feliciter gesta,& vt in posterum bene res cederet cum hoste Palæstino:& vt Deum, quod statim tentauit, de reliquo consuleret: cùm Sacerdotem haberet secum, & fortasse Arcam, quam fuisse in Hebræorum castris nuper ostendimus.

LITERAL. Author Catenæ. 12 *Ædificauit autem Saul Altare Domino.* Autor Catenæ. Ex eo, quòd Altare à Saule ædificatum dicitur, manifestè apparet non esse sermonem de saxo, seu lapide grandi ab ipso erecto, quod nullatenùs ædificium est, nec sacrificiorum officiis aptum. Deinde si saxum Altare dicitur, quomodo in eo Laici immolabant? Vnusquisque enim suum iugulabat bouem, aut ouem super eum. Dicendum potiùs Altare aliud à Saule fuisse constructum super quod holocaústa, aut pacificas victimas Deo in gratiarum actionem propter insperatam victoriam obtulerit; vel etiam vt esset præteriti monumentum, vt placet Abulensi, & Sanctio, quod à Saulis genio non abhorret.

Abul. Sanct.

LITERAL. TROPOL. Angelom. *Inobedientia perdit effectum?* 13 *Tunc que primum cœpit adificare Altare Domino.* Angelom.in Stromat. cap.14. Quærendum, cùm ante legatur ædificasse Altare, quando à Samuële increpatus est, cur hic dicitur: *Tunc cœpit adificare Altare Domino?* Sed sciendum est ædificasse Altare, sed quia inobedienter illud ædificauit, non Domino ædificasse intelligitur. Hic autem quia obedienter, & rectè illud ædificauit: Domino ædificasse perhibetur. *Eadem verba habet* Autor Tradit.Hebraicar.

Hieron.

LITERAL. Comest. 14 *Tunc que primum cœpit adificare Altare Domino.* Comest.in Histor.Schol.cap.13. Vnde patet, quod non super recens Altare Saul iam bis obtulerat in Galgala. Putant tamen quidam eum, quotiescumque obtulerit, nouum Altare construxisse. Hoc verò dictum primum, quod nunc plena iuxta Dei placitum obtulit.

LITERAL. Lira. 15 *Tunc que primum cœpit edificare Altare Domino.* Liran. ibi. Licèt enim prius obtulisset sacrificium, hoc tamen fecit super Altare prius ædificatum ab alio. Vel quia illud Sacrificium Deo non placuit. Dicunt tamen aliqui, quòd illud Altare, quod hic dicitur ædificatum à Saüle, non fuit aliud, quàm lapis magnus, de quo dictum est: vbi mactabantur animalia, & exprimebatur sanguis, & ibidem adipes eorum cremabantur.

LITERAL. Abul. 16 *Tunc que primum cœpit edificare.* Abulens.ibi quæst. 29. In Galgala non construxit Altare, quia constructum erat ante hoc, cum multi de populo conuenissent ibi immolare. Dicitur autem hic de isto Altari, quia postea Saul fecit alia Altaria, & inter illa fuit primum istud.

LITERAL. Rangol. 17 *Tunc que primum cœpit edificare.* Rangol.ibi. Ego sic arbitror non aliud fuisse hoc Altare ab illo saxo grandi, de quo superiùs dictum est, quod iubente Rege milites quidem aduoluerunt; Sacerdos autem victimarum sanguine tinxit, & consecrauit.

18 *Tunc que primum cœpit adificare.* Gasp.Sanct. ibi num. 44. Cur primum dicatur hoc Altare constructum à Saule, cùm capite præcedenti legamus in Altari alio ab eodem sacrificatum esse; quod tamen non ab alio videtur esse constructum. Placet quod Liræ, etiam atque Hugoni probatur magis, & tenent omninò Abul.& Caiet. qui dicunt prius sacrificare Saulem in Altari non sua, sed alienà operà constructum.

LITERAL. Sanct. Lira. Hugo. Abul. Caiet.

VERSVS XXXVI.

VVlgata. Et dixit Saul: Irruamus super Philisthæos nocte, & vastemus eos, vsquedum illucescat manè, nec relinquamus ex eis virum. Dixítque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait Sacerdos: Accedamus huc ad Deum. Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Dixitque Saul: Descendamus post Philistim in nocte, & deprædemur eos, donec illucescat mane, & non relinquamus ex eis virum, & dixerunt: Omne quod bonum est in oculis tuis, fac. Dixítque Sacerdos: Accedamus hic ad Deum. Pagn.

Hebraic.ex Franc. Vatabl. Et ait Saul: Descendamus nocte post Palæstinos, prædabimúrque eos vsque ad lucem matutinam, nec quidquam faciemus ex iis reliquum: & dixerunt: Quod tibi videtur bonum, facito, & ait Sacerdos: accedamus hic ad Deum. Vatab.

Chald.ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et dixit Saul: Descendemus post Philisthæos in nocte, & occidemus in illis, quoad luceat aurora, & non relinquemus in illis hominem, & dixerunt: Quod statutum in oculis tuis, fac; & dixit Sacerdos: Accedemus huc, & rogabimus in dicto Domini. Ariasm.

Græca ex Sept.in Complut.& Reg. Et dixit Saul: Descendamus post Philisthiim nocte, & diripiamus eos, vsquedum illucescat mane, & non relinquamus in eis virum, & dixerunt: Omne quod placuerit in conspectu tuo, fac. Et dixit Sacerdos: Accedamus huc ad Deum. Complut. Regia.

Græca ex Sept.in Sixtia. Et dixit Saul: Descendemus post alienigenas nocte, & deprædemur in eis, donec illucescat dies, & non relinquamus in eis viuum; & dixerunt: Omne quod bonum coram te, fac. Et dixit Sacerdos: Accedamus huc ad Deum. Sixtia.

Caietan. in Comment. Et dixit Sacerdos: Accedamus huc ad Elohim. Caiet.

PP. ET AVCTORES.

1 *Irruamus super Philisthæos nocte.* Ioseph.lib.6. Antiq. c.7. Cumque eadem nocte, priusquam vires, & animos resumerent, hostium reliquias vellet conficere, & miles haud grauatim imperata faceret, magnam præ se ferens alacritatem, accito Pontifice iubet eum diuinam super hoc voluntatem quærere, an sibi reliquum hostilem exercitum delere permittatur. HISTOR. Ioseph.

2 *Irruamus super Philisthæos nocte.* Abulens.ibi quæst. 29. Credebat enim Saul, quòd Philisthini fugientes à facie Israel, videntes, quod Hebræi ante Solis occasum destitissent à persecutione, putarent quòd iam nollent vltrà persequi illos, & quia nimis LITERAL. Abul.

fatigati

fatigati erant, sic vt Hebræi fugâ totius diei, & abstinentia a cibo sederent in aliquo loco notabile illa ad sumendum aliquid de cibo, & paululum quietis. Tunc autem poterunt Israëlitæ irruere super eos subitò, & occidere, potissimè quia Philisthæi nesciebant vias terræ illius, sicut Hebræi.

TROPOL. Greg. 3 *Vsquedum illucesceat mane.* Greg. lib. 5. Vari. tr. cap. 4. Quia in nocte, & vsquequo illucesceat dies, percutere Philisthæos appetit, hoc profectò insinuat, quia ne infirmum nocere Dæmones possint, à cordibus peccatorum modo expellendi, & perimendi sunt. Nox quidem vita hæc dicitur, cùm æternæ comparatur. Num qui illam vitam contemplari digne potuerit, illius comparatione quidquid hic lucidum cernitur, noctis obscuritas esse iudicatur. Illucescet autem dies illa, quando in fine huius vitæ electis animabus se aperit.

ANAGOG.

TROPOL. Idem. 4 *Nec relinquamus ex eis virum.* Idem ibid. Omnis Philisthæus vir vastari debet: paruulus omnis nequaquam vastari potest. Nemo enim sine peccato nisi solus Deus. Viri ergo capitalia crimina, & vitia principalia sunt, sed tunc virorum, ideò sortium nomine designantur, cùm peccatorum sibi corda subiiciuntur. Benè ergo dicitur: *Non relinquamus ex eis virum*, quia conuersi peccatores Sanctorum Prædicatorum consilio, fortia quæque peccata, aut vitia deserunt, sed nullum peccatum, aut vitium habere non possunt.

Omnia peccata vitari non possunt.

LITERAL. TROPOL. Gregor. 5 *Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac.* Idem ibid. Quasi dicat: Quia nos de illuminationis nostræ ratione diffidimus, rationis tuæ luci committimus, quod nobis deesse iudicamus. Hoc quod dixit Saul: Irruamus super Philisthiim, potest intelligi, quod non deliberate protulit, sed hoc dicendo, an esset super Philisthiim irruendum consuluit. Quòd autem populus citò assensum præbuit, hoc, quod videmus, insinuat, quia nonnulli intra sanctam Ecclesiam, antequam verba Maiorum intelligant, probant.

Saulu prudentia?

LITERAL. MORAL. Verm. 6 *Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac.* Vermil. hæretic. ibi. Laudandus est populus, qui ita morem gerit Regi suo: rursùs autem vituperandus, quòd ita temerè Dei iussa contempserit, & cum sanguine comederit; nam vt hostem persequeretur fortasse inducebatur, aut studio vltionis, ac cupiditate prædæ.

HISTOR. Salian. 7 *Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mund. 2964. num. 101. Israëlitæ præsenti victoria, epulisque animosiores facti, reuerentiâ quoque in Regem, & studio illi obsequendi, gratiamque eius promerendi, omnes assensere. *Omne*, inquiunt, *quod bonum videtur in oculis tuis, fac.* Parati videlicet sumus sequi, atque obsequi Imperatori milites: Regi populus subiectus, & victori eiusdem gloriæ palmæ, manubiarumque participes, parati sumus oblatam benè gerendæ rei occasionem arripere, & implacabilem populi Dei hostem internecione delere.

LITERAL. Abul. Ioseph. 8 *Et ait Sacerdos.* Abul. ibi quæst. 19. Ioseph. 6. Antiquit. dixit, quòd ille Sacerdos erat Achitob, & verum est, quod Achitob fuit Sacerdos magnus, sed an tunc viuens esset, & dato quòd viueret, an ibi esset, non patet; magis autem credendus erat Achias, quasi ibi fuisset, non portaret Achias filius eius Ephod, quia solum portabat hoc summus Sacerdos; numquam tamen erat, nisi vnus summus Sacerdos, nisi forte dicas, quod erat nimis senex Achitob, & faciebat quod filius eius Achias ministraret pro eo.

Quis hic Sacerdos?

LITERAL. 9 *Et ait Sacerdos.* Centumputeolan. ibi n. 45. Sacerdos summus hic erat, qui priùs à Deo responsa quæsierat; vnde etiam suspicor ibi quoque fuisse Arcam, quam, credo, Sacerdos pro sua religione, ac munere non deseruisset. Hic ergo admonuit Regem, vt antequam belli illius persequeretur reliquias, Dei voluntatem, & consilium explorarent. Quare adesse iubet populum ad Aram excitatam à Rege, aut certè ad Arcam, vbicumque tunc esset (si forte esset in castris) vnde sumendum esset bellorum exordium. Sanctius.

LITERAL. Author Caten. Ioseph. Abul. 10 *Et ait Sacerdos.* Autor Catenæ. Cùm suprà *vers.* 3. dicatur Achias portare Ephod, quod proprium erat Summi Sacerdotis, & *vers. etiam* 18. iussus à Saule fuerit Arcam applicare, credendum Iosepho non est, apud Abulensem asserenti Summum Sacerdotem tum temporis fuisse Achitob, cùm in octo horarum spatio non appareat ratio, ob quam credendum sit ab vno ad alterum translatum fuisse Sacerdotium. Existimandum potiùs est Achiam ipsum Summi Pontificis munus exercentem hoc Sauli sanum quidem consilium præbuisse.

TROPOL. Chrys. 11 *Accedamus huc Deum.* Chrys. homil. 14. ad Popul. Antioch. tom. 5. Antiquitus enim Deus dux erat bellorum, & absque illius sententia nunquam attingere pugnam ausi fuissent. Et bellum ipsis pietatis materia fiebat; nec enim ex corporis infirmitate, sed à peccato vincebantur; si quando & victi fuissent, nec potentiæ fortitudine, sed superna beneuolentia vincebant, quandocumque vincebant.

TROPOL. Gregor. 12 *Accedamus huc ad Deum.* Greg. suprà. Quid est, quod consulentis Regis verba, quæ populus laudat, Sacerdos ad Dominum esse deferenda denunciat, nisi quia obscura, & magna negotia, quæ simplices latent, nunquam benè disponuntur, si eorum exitum in sacrario mentis subtili meditatione non quærimus? Ad Dominum quippe accedere, est eius voluntatem secretâ contemplatione cognoscere. Et benè accessus dicitur, quia ab exterioribus ad interna tendimus, quando operis nostri exitum in diuina voluntate cognoscere tentamus. Nam qui occulta, & intima quærit, & exteriora non deserit, ea quæ nescit adire, non inuenit. Quando ergo nobis de occultis rebus consilium quæritur, ad Dominum accedamus, vt tùm demum quod agendum est, componatur, tum in diuina voluntate cognoscatur; multa enim videntur bona esse, & non sunt: pleraque etiam facienda sunt, sed vtilius fiunt, si congruo tempori reseruentur. Quædam quoque alij facere debent, alij verò non debent.

Ardua consulendo? Orationis necessitas?

LITERAL. Abul. 13 *Accedamus huc ad Deum.* Abul. ibi quæst. 19. Quia consultatio illa debebat fieri coram Arca ad honorem quendam Dei, & tunc Saul, & Sacerdos non erant apud Arcam; dixit Sacerdos: *Accedamus huc ad Dominum*, idest ad Arcam Testamenti, in qua specialiter erat Deus. Sciendum autem quòd Sacerdotes magni non consueuerant consulere Dominum coram Arca, sed vbicumque essent induti vestibus sacris consulebant, quia tamen hic erat Arca, videbatur esse honestius, quòd coram ea consulerent Dominum, cùm ibi esset specialiter Deus.

LITERAL. Author Catenæ. Abul. 14 *Accedamus huc ad Deum.* Autor Catenæ. Aduerbium *huc*, vel *hic* vt habet Hebræus denotare videtur iuxta Abulensem ad manum esse Arcam Domini, per quam ipse consuleretur. Hoc negauimus suprà, ea ratione ducti, quòd Arialon, vbi iam tunc inerant Israëlitæ, distaret à loco castrorum Israëlis ferè octo horarum spatium, nec ea celeritate, qua

Arca an ibi fuerit?

qua insequebantur hostem, posset etiam Arca deferri. Dici tamen potest in præsenti, eos, quibus portandi Arcam cura erat, magna maturitate properasse, itavt circa noctem victorem exercitum consequerentur.

VERSVS XXXVII.

Vulgata. *Vulgat.* Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philisthiim? Si trades eos in manus Israël: Et non respondit ei in die illa.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Et consuluit Saul Deum. Num descendam post Pelisthim? Num trades eos in manu Israel? Et non respondit ei in die illa.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Et interrogauit Saul Deum. An non descendam post palæsthinos? Tradésne eos in manus Israelis? Et Dominus eo die nihil respondit ei.

Ariasm. *Chald. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et rogauit Saul indicto Domini: Num descendam post Pelisthæos? Num trades eos in manu Israel? Et non accepit orationem suam in die illo.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Compl. & Regia.* Et interrogauit Saül Deum: Si descenderim post Philisthiim? Et si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa Dominus.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et interrogauit Saul Deum: si descendero post alienigenas? Si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa.

Cajet. *Cajet. ex Hebræo.* Et consuluit Saul in Elohim, an persequar Peliſtim? An trades eos in manum Israel?

PP. ET AVCTORES.

Literal. Abul. 1 *Et consuluit Saul Dominũ.* Abul. ibi. q. 31. Dici potest hîc, quòd Saul non consulebat Dominum per se, sed Sacerdos consulebat pro eo. Cùm verò dicitur quòd Saul consuluit, & quòd non respondit ei Deus, dicitur consuluisse, quia iubebat Sacerdoti, quòd consuleret Dominum. Sicut dicitur ædificare Domum, qui eam ædificare iubet. Vel dicitur, consulere Dominum, quia quæstio, quam proponebat Sacerdos, ipsius erat. In his tamen nihil certitudinis est.

Literal. Abul. *Quomodo Deus respondebat.* Rabbi Abraham. 2 *Et consuluit Saul Dominum.* Abul. ibi. q. 32. Quidam dicunt, quòd consultationes istæ fiebant in scripto, & responsio in scriptis dabatur, non intercedente aliquo verbo; & ista est opinio Rabbi Abraham Aben Ezra, & vtplurimùm Iudæorum. Dicunt enim quod Rationale habebat quandá plicaturá panni, intra quam erant laminæ aureæ scriptæ diuinis nominibus, & cùm quis vellet cósulere Dominum, scriptá quæstione in schedula, ponebat eam Summus Sacerdos inter laminas illas in plicatura Rationalis, & post paululum manum mittens, reperiebat responsioné in schedula, & pro hoc volunt, quòd esset semper necessarium Rationale, & Ephod ad consultationes faciendas. Iste modus aliqualiter est rationabilis, magis tamen verisimile est, quòd Deus responderet in verbo.

Literal. Author Caten. 3 *Et consuluit Saul Dominum.* Author Catenæ. Non per se, sed per Summum Sacerdotem, cui hoc munus competebat, ad quod obeundum Pontificalibus vestibus, & Rationali vtebatur. Non tamen accepit Pontifex responsum. Modus verò, quo his, & similibus consultationibus responsum reddebatur, compertus adhuc non est; quidam enim cum Iosepho per insolitum splendorem lapidum Rationalis, & Superhumeralis, qui affirmatiuè, & prosperè significaret, vel per eius negationem responsum fieri consueuisse asserunt: Alij per scriptum in quadam plicatura, aut bursa Rationalis expositum, vt Rabbi Abraham: Alij sensibili voce ex Propitiatorio, dum aderat Propheta, vel in aëre sonante, dum extra Tabernaculum, & in Arcæ absentia fiebat consultatio. Tertium hoc probabilius mihi est, vt Abulensi, nam id ex variis Dei responsis Dauidi, & aliis exhibitis potiùs colligitur. Ioseph. Rabbi Abraham. Abul.

4 *Et non respondit ei in die illa.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 7. Pontifice verò negante Deum responsum velle reddere, &c. Histor. Ioseph.

5 *Et non respondit ei in die illa.* Chrys. hom. 14. ad Popul. Antioch. tom. 5. Respice benignitatem, & mansuetudinem clementissimi Dei, non enim fulmen immisit, nec terram concussit; sed quod in amicos amici faciunt, quando contumeliis affecti fuerint; hoc & in seruum Dominus facit. Tacuit tantum per silentium loquens, & omnem ipsi demonstrans indignationem. Tropol. Chrysost. *Dei benignitas.*

6 *Et non respondit ei in die illa.* Gregor. lib. 5. Variarum cap. 4. Dies est cogitatio mentis, quæ bona putatur, & non cognoscitur. Nam dum bona se esse simulat, quasi lucem portat. In die ergo illa Dominus consulenti non respondit, quia omne verbum Dei cum mala deliberatione conuenire potest. Per responsum quidem verbi patefacere solemus sensum intimæ voluntatis. In illa igitur die Dominus non respondet, quia omnipotens Deus in simulatæ cogitationis luce non cernitur qui semper in claritate veritatis inuenitur. Mystic. Gregor.

7 *Et non respondit ei in die illa.* Idem ibidem. Quod sic etiam intelligi potest, quia ita volebat Philisthæos petimere, vt eorum nullus vltrà mouere bella potuisset. Magna quidem hæc dies mentis est, qua sic æterna quæruntur, vt temporalis hostis nullus à cæde relinquatur. Sed quia nulli conceditur sic temporaliter vincere, vt non debeat omni tempore pugnare, meritò dicitur: *Non respondit ei Dominus in die illa.* Respondere ei, non solùm intimi verbi eius est, sed gratiæ, & muneris. Quando enim benigne concedit, quod piè petitur, respondere perhibetur. Non ergo respondet Dominus in die illa, quia permittit quidem electis, vt vincant, sed de hostibus quasi viuentes deserit, vt cum quibus semper pugnent, inueniant. Tropol. Idem. *Semper pugnandum est.*

8 *Et non respondit ei in die illa.* Idem ibidem. Quod si ideò dicitur, quia Ionathæ culpa celatur; magnus timor Prælatis incutitur. Filius quidem peccat, & patri eius responsionem negat. Vnus etiam deliquisse cognoscitur, sed pro vnius culpa insequi hostes suos cuncti pertimescunt. Quid in hoc facto significatur, nisi quia peccata subditorum non solùm sibi, sed etiam Prælatis, & secum communiter viuentibus nocent? Tropol. Idem. *Subditorum culpa nocent Prælatis.*

9 *Et non respondit ei in die illa.* Beda lib. 2. Expos. Allegor. c. 9. to. 4. Volentes sæpe boni Rectores cunctas Dæmonũ insidias expugnari, ac superseminata bono semini zizania funditus, si fieri possit, ab agro mundi huius expurgari, responsum Domini per Scripturas, quod hoc fieri valeat non accipiunt; causam quærentes, nullam magis, quàm humanæ fragilitatis, atque ignorationis, audiunt; quia videlicet nec ipsi Doctores eximij, decúsque Tropol. Beda. *Humanæ fragilitas.*

credentium, in bonis, quæ agunt, à peccati subreptione possint immunes existere, sed *in multis offendimus omnes.*

LITERAL. Theodo. 10 *Et non respondit ei in die illa.* Theod. ibi. q. 32. Si stultè subiecit anathemati, cùm Deus confirmauit anathematissimum. Scisciranti enim num esset bellandum, non respondit: Primum quidem eum arguit, qui præter rationem esset execratus. Deinde docet, ne eiusmodi quidem anathemata esse contemnenda. Hic autem pius quidem erat scopus, erat enim præscriptus, ac definitus ad Dei honorem. Sed oportebat considerare laborem belligerantium, & quod erat verisimile, fore vt aliqui labore cruciati premerentur siti, & cogerentur non stare decreto.

Procop. *Eadem fere verba habet* Procopius.

LITERAL. Comest. 11 *Et non respondit ei in die illa.* Comest. in hist. Schol. c. 13. Hoc est nec nocte, nec die sequenti.

LITERAL. Abul. 12 *Et non respondit ei in die illa.* Abul. ibi. q. 31. In hoc apparet quia adhuc aliqua pars diei restabat, postquam populus sedit ad sumendum cibum de præda. Nam tunc consuluit Saul Dominum, & tamen dicitur, quòd non respondit ei in die illa. Potest tamen aliter dici, quòd iam dies transierat, & ista consultatio fiebat in principio noctis. Vocatur tamen ipsa nox cum die præcedenti vnus dies.

MORAL. Euseb. 13 *Et non respondit ei in die illa.* Ioan. Eusseb. Nieremberg. 6. Stromat. cap. 21. Consulenti iterum oraculum negauit Dominus responsum, quod ille paulò ante non expectauit; & quidem iustissimè tacuit Dominus, qui non auditus fuit.

LITERAL. Vermil. 14 *Et non respondit ei in die illa.* Petrus Vermil. Hæretic. ibi. Probabilius est Deum iratum fuisse Sauli, qui sua temeritate fecisset, vt populus sanguinem comederet. Deinde etiam neglexit legem Dei; Erat enim capitale, si quis comedisset sanguinem. Verùm hoc ille flagitium satis habuit vno verbo reprehendere: sui autem edicti violatorem omnino voluit morte persequi.

HISTOR. Sabellic. 15 *Et non respondit ei in die illa.* Sabellicus Eneade 1. libr. 7. Erant suspensi animi omnium. Cæterum vulgò suspicari ex militibus aliquem contra hesternam execrationem aliquid temerè commisisse. Vnà cuncti inibi inquirendum censuere, ac de sonte supplicium sumendum. Saulus vt sæuo, crudóque erat ingenio, ne filio quidem suo parsurus videbatur, si filius se piaculo adstrinxisset. Operæ pretium est audire quanta tum eius gentis fuit religio, atque erga cœli Numen obsequium.

VERSVS XXXVIII.

Vulgata. VVlgatâ. Dixitque Saul: Applicate huc vniuersos angulos populi: & scitote, & videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie.

Gloss. *Text. Gloss. in marg.* Applicate huc vniuersos angulos maiores.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Dixitque Saul: Accedite huc omnes anguli populi, & scitote, & videte in quo sit peccatum hoc hodie.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Dixitque Saul: Adeste huc omnes anguli populi, cognoscite, & videte per quem hodie hoc peccatum commissum sit.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et dixit Saul: Accedite huc omnia capita populi, & cognoscite, & videte in quo fuit culpa hæc hodie.

Græca ex Septuagin. in Complut. & Regia. Et dixit Saul: Applicate huc vniuersos angulos populi, & cognoscite, & videte in quo factum est peccatum hoc hodie. Complut. Regia.

Græca ex Septuagin. in Sixtian. Et dixit Saul: Adducite huc omnes angulos Israel, & cognoscite, & videte in quo factum est peccatum hoc hodie. Sixtian.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Hieron. 1 APplicate huc vniuersos angulos populi. Hier. seu Autor tradit. Hebric. in lib. Reg. Angulos populi Principes populi vocat, quibus idem populus adhærebat.

MORAL. Greg. 2 *Applicate huc vniuersos angulos populi.* Greg. libr. 5. Variar. c. 4. Quibus nimirum verbis ordinatum valdè iudicij ordinem demonstrauit; quia culpa priùs inuenienda est; deinde pœna irroganda. Nam iudicij ordo confunditur, si ante inuentæ culpæ discussionem proferatur. Ne enim ante discussionem feriat, dicit: *Applicate huc, &c.* & quia cognita culpa austerius ferienda est, iurat dicens: *Vivit Dominus, quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione moriatur.*

Culpa priùs discutienda;

HISTOR. Ioseph. 3 *Vniuersos angulos populi.* Ioseph. lib. 6. Antiq. c. 7. Pontifice verò negante Deum responsum velle reddere. Non temerè est, inquit Rex, hoc Dei silentium, qui ante hac vltrò solebat, quod facto opus esset, consulere; sed oportet aliquod latens in nobis peccatum esse, quo offensus tacet.

LITERAL. Lira. 4 *Vniuersos angulos populi.* Lira. ibi. Idest totum populum ab extremitatibus castrorum.

LITERAL. Abul. 5 *Vniuersos angulos populi.* Abul. ibi. q. 32. Populus erat dispersus per agros ad sumendos cibos, vt suprà patet; nunc autem voluit, quòd omnes de populo conuenirent, vt videretur quis peccauerat. Et dixit: *Vniuersos angulos populi*, idest omnes de populo ab extremitatibus suis; extremitates enim castrorum vocantur hîc anguli.

Angulquia;

LITERAL. Caiet. 6 *Vniuersos angulos populi.* Caietan. ibi. Hoc est vniuersa capita populi, tanquam per angulos distincti.

HISTOR. Salian. 7 *Vniuersos angulos populi.* Iacob. Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 1964. n. 105. Animaduerso diuino silentio Saul vehementer commotus est, veritus ne offensus Deus præsentem lætitiam in luctum conuerteret. Itaque in eam rem statim inquiri iubet, paratus Deo, vel cum maximo sui damno, luctúque satisfacere.

LITERAL. Sanct. 8 *Vniuersos angulos populi.* Centumputeolan. ibi. num. 46. Didicerat Saul ex casu Acham de quo *Iosue 7.* vnius hominis peccatum totius exercitus communem esse labem, neque sperari posse aliquid, quod futurum speraretur ex voto, nisi peccati reus foret sublatus è medio. Notum erat illud Dei verbum horribile. Iosue 7. vers. 12. *Non ero vltrò vobis cum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* Anguli populorum dicuntur Principes ex proprio Hebræorum idiomate; quia sicut anguli continent, & sustentant domum; sic etiam Principes, & Magistratus ciuitates. De hoc loquendi genere vide, quid nos ad illud Isaiæ cap. 30. *Cum ceciderint turres.*

Isaiæ 30. LITERAL. Author Catenæ. Hieron.

9 *Vniuersos angulos populi.* Author Catenæ. Principes populi in his significari docent communiter Interpretes. Hieronym. Vatablus, Saa, Sanctius, & alij. Cæterùm Abulensi, Liræ, & Comestori potiùs subscribo, de ipsa multitudine ab

Vatab. Saa. Sanct. Abul. Lira. Comest.

ab extremitatibus, & angulis contenta. Nec enim solùm Principes, sed etiam ex plebe quisquam
Chrys. damni aut peccati autor fuisse poterat. Vnde Chrys. homil. 14. ad Popul. tom. 5. pro *angulis, Tribus* reposuit. Vel omnes ergo bellantes, vel Tribuum saltem capita, vt sortium periculum subirent, aduocauit.

Literal. Abul. 10 *Et scitote, & videte per quem acciderit peccatum hoc.* Abul. ibi quæst. 33. Quòd Deus non responderet, credidit quòd fiebat propter peccatum alicuius, vt ergo videret, quis ille esset, fecit omnes congregari, ita vt nemo deesset.

Literal. Idem. 11 *Peccatum hoc.* Idem ibid. Scilicet peccatum, propter quod non responderetur. Vel peccatum hoc, idest malum istud, vel damnum, scilicet, quòd non respondeatur; & iste est melior sensus.

VERSVS XXXIX.

Vulgat. *Vulgata.* Viuit Dominus Saluator Israël, quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.

Benedict. *Bened. in margin.* Quia si in Ionatha filio meo, morte morietur.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Viuit enim Dominus, qui saluat Israël, quia si fuerit illud in Ionathan filio meo, quia moriendo morietur. Et non respondit ei quispiam ex omni populo.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Viuit enim Dominus, qui seruat Israëlem, quòd si fuerit in Ionathan filio meo, certissimè morietur. Nemóque erat in vniuerso populo, qui responderet ei.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Nam permanens ipse Dominus, qui liberauit Israël, quòd si est illud in Ionathan filio meo, quòd occidendo occidetur. Et non erat, qui responderet illi ex omni populo.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Regia.* Quia viuit Dominus, qui saluauit Israël, quia si responderit contra Ionathan filium meum, morte morietur. Et non fuit respondens ex omni populo.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixt.* Quoniam viuit Dominus, qui saluauit Israël, quia si responderit contra Ionathan filium meum, morte morietur. Et non erat respondens de omni populo.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Chrysost. *Diaboli ars contra Ionatham.* 1 *Viuit Dominus Saluator Israël, &c.* Chrys. homil. 14. ad Popul. Antioch. tom. 5. Vidisti temeritatem? Intuitus temeratum prius iuramentum, neque sic castigatur; sed & secundum adiecit rursum. Et considera Diaboli malignitatem; quoniam enim cognoscebat, quod sæpius puer conspectus, & in medium productus ex ipso aspectu fratum patrem mitigare, & Regis iram mollire poterat, secundorum rursus iuramentorum necessitate, ipsius sententiam præoccupauit; duplici quodam vinculo cohibens ipsum; nec permittens propriæ fieri sententiæ Dominum, sed vndique in illam cædem iniquam impellens; & nondum comperto quis peccasset, iudicium fecit, & reum nesciens, latâ damnauit sententiâ. Et pater factus est filij carnifex, & ante examinationem, damnationis protulit sententiam. Quid hoc irrationabilius fieri posset?

Tropol. Gregor. 2 *Viuit Dominus Saluator Israël, &c.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Plerumque Prælati Ecclesiæ, cùm culpas audiunt, plus iusto inferuescunt, & dum vindictam metiuntur, nec vulnerum qualitatem, ne personarum delinquentium vigorem respiciunt. Qui nimirùm tolerandi sunt, cùm minantur, sed ab vltione bonorum consilio sedandi sunt. Vnde & hic subiungitur; *Ad quod nullus contradixit ei ex omni populo.* Quia enim Maiorum minæ humiliter ferendæ sunt, dicitur: *Nullus contradixit.* Et quia eorum nimietas salubri piorum consilio refrænanda est, non valdè inferiùs, cùm eandem mortem filio inferre Rex tentat, omnis populus clamat: *Ergóne morietur Ionathas, qui fecit salutem hanc in Israël? Liberauit ergo populus Ionatham, ne moreretur.*

Histor. Ioseph. 3 *Viuit Dominus Saluator Israël, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. Oportet aliquod latens in nobis peccatum esse, quo offensus tacet. Sed iuro per eum ipsum, quòd etiam si filius meus Ionathas peccatum id commisisset, vt Deum placem, capitis pœnam ab eo exigam, non secùs quàm si de quouis, nihil ad cognationem meam pertinente, supplicium sumendum sit. Tunc acclamante multitudine, vt hoc faciat, vniuersos confestim in vnum locum statuit.

Literal. Abul. 4 *Viuit Dominus Saluator Israël, &c.* Abul. ibi quæst. 33. Iste est modus iurandi, scilicet; sicut est verum, quòd Deus viuit, ita est verum, quòd ego occidam illum, qui fecit hæc mala. Vel aliter: Ego iuro per vitam Dei, quòd occidam peccatorem in hoc.

Literal. Caietan. 5 *Viuit Dominus Saluator Israël, &c.* Caietan. ibi. Præceps fuit hoc iuramentum fundatum super falsum. Nam neque peccatum oportuit esse occasionem negatæ responsionis diuinæ; & esto quòd fuisset peccatum; non oportuit fuisse peccatum morte dignum, vt rei probauit euentus.

Literal. Author Catenæ. Chrys. Abul. Caietan. Salian. *Saul non peccauit iurans contra filium?* 6 *Viuit Dominus Saluator Israël, &c.* Autor Catenæ. Iuramentum à Saüle prolatum præceps, & temerarium à Chrysostomo, Abulens. Caietan. Salian. & aliis arguitur. Cæterùm re attentiùs considerata excusari potest primò à posteriori, quia nunquam de eo, nec à Deo, nec à Samuële reprehensus est. Secundò à priori, quia Saul pro certo apud se habebat non leue, sed grauissimum quidem crimen in causa fuisse oportere, propter quod benignissimus nuper populo suo Dominus responsum subitò negaret, & fugientes, & palantes hostes penitùs deleri non permitteret, cùm ad eorum insecutionem, illius responsum prærequisitum esset. Eius ergo delictum, qui & plenam victoriam impediuisset, & Deum toti populo iratum, & implacabilem reddidisset, tanti Saul meritò faciendum censuit, vt personarum qualitate nullatenus considerata morte dignum duxerit, & vt iustum, & rationi, & militari disciplinæ consentaneum iurauerit. Quem in eo quidem commendat multis Gregorius, quia iustitiæ zelo permotus, & paternum affectum abiecisset, & consanguinitatem pro nihilo reputasset. Gregorio ergo adhæremus, saluâ Chrysostomi pace.

Greg.

Tropol. Gregor. *Cognatorum amor qualis esse debeat?* 7 *Quia si per Ionatham filium meum factum est.* Gregor. suprà. Si iuxta historiam huius paterni iuramenti pondus attendimus, & illius temporis feruorem, & huius teporem pariter contuebimur. Antiqui etenim Patres, vt Deo placerent, ad mor-

tem filiis etiam non parcebant: Nos autem eos, quos secundùm carnem diligimus, etiam tenui asperitate verborum insequi non audemus. Ecce qui ad regnum filium nutriebat, dicit, *Quia si per eum peccatum factum est, absque retractatione morietur.* Nos peccantes cernimus, & obiurgare peccantes aut nolumus, aut timemus. Cur ergo hoc facimus, nisi quia Deum, sicut illi, nequaquam diligimus.

Saulis religio.

LITERAL. Abul. 8 *Quia si per Ionatham filium meum factum est.* Abul. ibi quæst. 33. Dixit de Ionatha, quamquam habebat alios filios, quia istum præ omnibus diligebat, eo quòd erat primogenitus, & potissimè quia erat vir fortis, & dux belli. Vel quia fortè alij filij non erant tunc in bello cum eo.

TROPOL. Greg. 9 *Absque retractatione morietur.* Gregor. suprà. Quia nobis iam sub Redemptoris gratia viuentibus, etsi mors non decernitur corporis; peccati non debet vita dilatari. Absque retractatione quippe Rector interficit, cùm affectus carnis non aspicit; sed cùm crimen inuenit, velociter ferit. Retractat quidem, qui ne scelestum acriter pungat, obsequia ab eo sibi impensa, aut consanguinitatis affectum cogitat.

HISTOR Chrysost. 10 *Ad quod nullus contradixit ei.* Chrys. homil. 14. ad Popul. Antioch. tom. 5. Vidisti temeritatem? Intuitus temeratum prius iuramentum, neque sic castigatur, sed & secundum adiecit rursum. Hæc igitur Saüle dicente magis timuit populus, & omnes erant in tremore multo, & timore; Diabolus autem lætabatur omnes anxios constituens: Non enim *erat, qui responderet*, inquit, *ex toto populo.*

LITERAL. Abul. 11 *Ad quod nullus contradixit ei.* Abul. ibi q. 34. Quæret aliquis, quare postea totus populus, repugnauit, ne moreretur Ionathas, nunc autem consensit? Respondendum est, quod à principio populus putauit, quòd aliquod peccatum graue erat propter quod Deus non responderet, sicut existimabat Saul; ideò satis consenserunt. Postea autem cognitum est, quòd propter Ionatham hoc accidisset; ipse tamen erat innocens, cùm ignorans Regis edictum comedisset; ideò populus non consensit, quòd moreretur. Aliter responderi potest congruentius circa litteram, scilicet quòd populus putans quod non fecisset hoc Ionathas, consensit; si autem ante hoc cognouisset populus per Ionatham istud accidisse, non consentisset.

LITERAL. Salian. 12 *Ad quod nullus contradixit ei.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 2964. num. 108. Quod dicitur nullum ei contradixisse de omni populo, non fuit ea taciturnitas approbantium, sed alto silentio trepidantium, sibique timentium; etsi Iosephus præposterè dixerit acclamasse multitudinem, vt hoc faceret, quæ acclamatio tardius, & alia in re mox contigit.

Ioseph.

VERSVS LX.

Vulgat. *Vulgata.* Et ait ad vniuersum Israël: Separamini vos in partem vnam, & ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera. Respondítque populus ad Saül: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Dixítque ad vniuersum Israël: Vos eritis in latere vno, ego autem & Ionathan filius meus erimus in latere altero dixerúntque populus ad Saül: Quod bonum est in oculis tuis, fac.

Hebraica ex Francisc. Vatab. Dixit itaque ad omnem Israëlem: Vos eritis in latere vno, ego verò, & Ionathan filius meus erimus in altero latere. Dixerunt ergo populus ad Saülem: Quod bonum tibi visum fuerit, facito. Vatab.

Chaldaica ex Benedicto Ariasmontano in Regia. Dixit omni Israëli: Vos eritis in transitu vno, ego autem, & Ionathan filius meus erimus in transitu altero. Et dixerunt populus ad Saül: Quod statutum in oculis tuis, fac. Ariasm.

Græca ex Sept. in Complut. & Regia. Et ait vniuerso viro Israel: Vos eritis in vnam partem, & ego, & Ionathan filius meus erimus in vnam partem. Et dixit populus ad Saulem: Quod placuerit in conspectu tuo, fac. Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixtia. Et dixit omni viro Israël: Vos eritis in seruitutem & ego, & Ionathan filius meus erimus in seruitutem, & dixit populus ad Saul. Quod bonum coram te, fac. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Chrysost. 1 *Separamini vos in partem vnam.* Chrys. homil. 14. ad Popul. Antioch. tom. 5. Vos eritis in seruitutem, & ego, & filius meus Ionathas in seruitutem. Quod autem dicit, tale est: nihil aliud, inquit, studetis, quam hostibus vos tradere, & pro liberis seruos facere, Deum contra vos instigantes, reum non tradendo.

TROPOL. Gregor. 2 *Separamini vos in partem vnam.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 4. Quid est, quod Regis præcepto populus à Rege, & eius filio separatur, nisi quia dum culpa latens, & suspecta quæritur, & superiores, & inferiores personæ discutiendæ sunt? Sæpe quidem populus, sæpe eorum Rector delinquit, & aliquando ipsa subditorum culpa Prælato adscribitur, quo negligente impleri perhibetur. Cùm ergo ostensis superiùs indiciis, quia lateat in populo culpa cognoscitur, se Rex admiscear, vt an sua sit culpa, vel populi pastor sciat. Et quidem Rex Saul conscius culpæ non erat, quam ipse nec consensu, nec opere perpetrauerat; & tamen discutiendus miscetur, vt si in se etiam lateat, inueniat. Quasi enim se peccati inscium perquirebat, qui dicebat: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est.* 1. Cor. 4. 1. Cor. 4.

HISTOR. Ioseph. 3 *Separamini vos in partem vnam.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. Tum acclamante multitudine, vt hoc faciat, vniuersos confestim in vnum locum statuit, & ipse cum filio seorsim stans, sorte deprehensurus, quis in culpa sit.

LITERAL. Abul. 4 *Separamini vos in partem vnam.* Abulens. ibi quæst. 35. errore 34. Timebat Saul, quod nullo modo responderet iam Deus per Sacerdotem. Consuluit autem per sortes, quia in illis nullo modo poterat negari responsum; nam siue Deus vellet respondere, siue non, oportebat, quòd aliqua sors exiret, & illam putarent hominis peccatoris esse.

LITERAL. Idem. 5 *Separamini vos in partem vnam.* Idem ibid. quæst. 38. errore 37. Non peccauit Saul, quia quamquam Deus non iussit ei expresè ponere sortes, tamen mouit eum ad faciendum hoc, vt inueniretur innocentia Ionathæ, nam propter hoc Deus non responderat, vt haberetur occasio ad ponendum sortes, & ad inueniendum innocentiam Ionathæ.

Saul an peccauerit in sortibus?

LITERAL. Idem. 6 *Separamini vos in partem vnam.* Idem ibidem q. 34.

q.34. errore 33. Generaliter dicendum est, quòd necesse est, sortes consultorias hoc modo positas errare, nisi ille, qui peccauit, vnicus sit, quia tunc poterunt verum dicere.

Literal. Author Catenæ. 7 *Separamini vos in partem vnam.* Autor Catenæ. Videlicet, vt missis sortibus, vel per inscriptas tabellas, aut tesseras, vel per bacillos, aut paleas eum, qui deliquerat, deprehenderet. An in eo ipse deliquerit Saul, dubium est; nam sortium consultariarum vsus ex se illicitus est, continet enim vel manifestam Dei tentationem, vel tacitum, & implicitum cum Diabolo pactum, vel denique inanem, & incertam scientiam. Nisi enim à Deo sortes istæ temperentur, non est cur reus potiùs, quàm innocens sorte capiatur, cùm casu, & fortuitò hoc, vel illud eueniat. Deus quippe non tenetur eas temperare, itavt certò & infallibiliter reus deprehendatur. De quo 26. q.2. c. *sors* ibid. cap. *Non statim.* cap. *his, qui.* cap. *Non exemplo.* Si ergo Saulem in præsenti excusare velimus, vt fas est à Deo motum, & præexcitatum ad sortium immissionem, dicamus cum Abulensi: Quòd si ita peractum est, certò, & indubitabiliter sors delinquentem expressura erat, vtpote à Deo temperata. Sed de sortium natura, & vsu satis diximus suprà. *cap.* 1. *v.* 20. & *infra.* 22. *Morali.*

Abul.

Tropol. Gregor. 8 *Ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera.* Gregor. suprà. Quia electi Doctores, cùm in aliis per rectitudinis zelum sæuiunt, sibimetipsis, & suis familiaribus nequaquam parcunt, quasi enim in vna parte populum separant, & semetipsos non separant, qui subditorum culpas discutiunt, & vt semetipsos inueniant, inuestigare non curant; magnum quippe est humanæ ignorantiæ pelagus. Nam si nosmetipsos quærere, & quales sumus inuenire, vix aut nunquam possumus; alios, quando possumus?

Tropol. Rangol. *Prælatus seruet legem populi.* Digest. Vlpian. 9 *Ego cum Ionatha filio meo ero in parte altera.* Rangol. in Comment. tom. 1. Saul ne seipsum quidem vult eximere, aut sibi parcere; sortes seorsim poni iubet. Libri secundi Digest. titulus secundus talis est. *Quod quisque iuris in alterum statuerit, vt ipse eodem iure vtatur.* Et ibid. Vlpian. leg. 1. *Hoc edictum summam habet æquitatem, & sine cuiusquam indignatione iusta. Quis enim aspernabitur idem in sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit?*

Literal. Greg. 10 *Quod bonum videtur in oculis tuis, fac.* Greg. suprà. Quasi dicant: Tu melius agere nostra poteris qui lumen cordis non solùm tibi, sed etiam nostris præuidendis itineribus suscepisti.

Literal. Rangol. 11 *Quod bonum videtur in oculis tuis, fac.* Rangol. ibi. Quomodo inquies non proditur Ionathas, vel ab aliis, qui eum viderant comedere, vel etiam à seipso? Respondeo quia ipse non putauit esse peccatum, quod fecisset per ignorantiam. Populus autem non putauit illud factum esse tanti, vt eâ causâ Deus noluerit respondere. Vel fortasse populus cùm videret supplicium proponi capitale, misericordia mouebatur, ne iuuenem bonum innocentem proderet.

VERSVS XLI.

Vulgata. *Vulgata.* Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel: Domine Deus Israel da indicium: quid est, quòd non responderis seruo tuo hodie? si in me, aut in Ionatha filio meo, est iniquitas hæc,

da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Ionathas, & Saul: populus autem exiuit.

Benedict. *Benedict. in margine.* Da iudicium.

Gloss. *Text. Glossa in margin.* Da iudicium, vel da perfectionem, vel fac, quod rectum est.

Abul. *Abul. ibi. q.40. errore* 39. In Hebræo dicitur: Da complete.

Author Catenæ. Vulgata. Complut. Regia. Sixtia. Aldin. Basil. Liran. Caiet. Carthus. Brugens. *Autor Catenæ.* Omnia hæc verba, videlicet tota hæc Saulis oratio abest ab Hebræo, & Græco in Complutens. & Reg. præter illa vltima verba: *Da sanctitatem*; siue vt alij vertunt. *Da perfectionem.* Sunt tamen in Vulgata, & in Græca, Septuagint. in Sixtiana, Aldina, & Basilienti. Vnde minime à Textu expungenda sunt, cùm Vulgata verus, & vnicus Textus sit, non Hebræus, aut alius quispiam; quod Liranus, qui Concilium Tridentinum præcessit, scire non potuit; vnde etiam excusandi Carthusianus, & Caietanus, qui superflua dicit: Reprehendendus verò Lucas Brugentis, qui de Textu esse negauit.

Clar. *Isidor. Clarius ibi.* Domine *Deus* da *sortem integram.*

VERSIONES.

Pagn. *Hebraïc. ex Xante Pagn.* Dixit autem Saul ad Dominum Deum Israel: Da perfectionem. Et deprehensus est Ionathan, & Saul: Populus autem egressi sunt.

Vatabl. *Hebraica ex Francisc. Vatab.* Et dixit Saul ad Dominum Deum Israelis: Decerne integritatem, & deprehensus est Ionathan, atque Saul: Populus verò euasit.

Ariasm. *Chald. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit Saul ante Dominum Deum Israel: Venire fac eum in veritate, & comprehensus est Ionathan, & Saul: Et populus exierunt.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Compl. & Regia.* Et dixit Saul: Domine Deus Israel da manifestationes, & sorte comprehenditur Saul, & Ionathan: Et exiuit populus.

Sixtia. Aldin. Basil. *Græca ex Septuag. in Sixtia. Aldina & Basilien-si.* Et dixit Saul: Domine Deus Israel; Quid quòd non respondisti seruo tuo hodie? Si in me, vel in Ionathan filio meo iniustitia: Domine Deus Israel da manifestationem; & si hæc dixerit: da nunc populo tuo Israel, da nunc sanctitatem; & sorte capitur Ionathan, & Saul, & populus egressus est.

Caietan. Brugens. *Caiet. ex Hebræo.* Da perfectum.

Lucas Brugens. in Annotationib. Et dixit Saul, &c. Nonnulli Codices omittunt Saulis nomen, sed minus rectè, cùm & in Hebræis libris, & Græcis, & Chaldaicis addatur. Nonnulli prætermittunt *Deum Israel*: alij transfigunt: *Deum Israel Domine.* Alij rursus confodiunt: *Domine Deus Israel.* Harum lectionum priores duæ Hebræo, & Chaldæo consonant, vtrouis enim modo transferas licet. Verumenimuerò parui refert, quo istorum trium modorum legas. Pluris referunt, quæ sequuntur. Deinceps quidam Codices habent: *Da sanctitatem, & deprehensus est Ionathas.* Sic Hentenij vnus, Parisiensium duo, atque ea vetera Exemplaria, quæ Glossæ Ordinariæ margo significat. Alij: *Da iudicium*, vel, *indicium.* Sic Textus Regij operis latinus: Exemplar Societatis Iesu longum: manuscriptum insignis Ecclesiæ D. Donatiani Brugensis: Aliud præclaræ Abbatiæ Labiensis; & antiquiores Epanorthotæ Codices. Sic Græcus Regij operis Text. si *indicium*, cum Labien.

Henten. Parisiens. Glossa.

Brugensi, & aliis multis Exemplaribus legas. Vtra autem istarum lectionum Latini Interpretis translatio sit, statui non facilè potest. Posteriorem: *Da iudicium, & deprehensus est* Bibliorum Besantioris margo comprobat; eandem Lyranus, & Epanorthotes Latini Textus germanam esse lectionem docere videtur, sed prioris non meminerunt. Tertia est enim Latinorum Codicum lectio, quam minùs probant, hæc nimirùm: *Da indicium. Quid est quod non respondisti seruo tuo hodie? Si in me, aut in Ionatha filio meo est iniquitas hæc; Da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo; Da sanctitatem. Et deprehensus est, &c.* Lectio ista, quam Diuus Gregorius & habet, & interpretatur, ex superioribus duabus, multisque præterea verbis rem explicantibus conflata est. Verum cùm in Hebræis, & Chaldaicis libris, quibusdam etiam Græcis, & antiquis Latinis non habeantur, meritò ad Interpretis nostri textum non pertinere iudicantur Sumpta autem ex Græca translatione, siue Septuaginta duorum senum, siue aliorum videtur. Nam in Græco quidem Regiæ Editionis textu non habentur. Sed in aliis Editionibus hoc modo leguntur. *Et Dixit Saul: Domine Deus Israel quid quod non respondisti seruo tuo hodie? si in me, aut in Ionathan filio meo iniquitas, Domine Deus Israel: Da manifestos: & si hæc dicas: Da igitur populo tuo Israel: Da igitur sanctitatem. Et deprehensus, &c.* Notandum est autem initio Græcæ istius lectionis non haberi, quod in Latinis Codicibus habetur: *Da indicium: vel indicium*, vt eo verisimilius sit id à Latino Interprete translatum. Pars postrema productæ lectionis Græcæ non parùm ab ea discrepat, quæ in latinis Codicibus legitur. *Aut si est in populo tuo hæc iniquitas: Da sanctitatem.* Sed sunt Latina quædam exemplaria, quæ Græcam sententiam sua hac lectione redoleant: *Aut si ita est in populo tuo hæc iniquitas, da sanctitatem.*

Greg.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Greg.

1 *Domine Deus Israel da indicium.* Gregorius lib. 5. Variarum cap. 4. Quærendum est, quid sibi vult tanta verborum diuersitas? Nam in se, & filio ostensionem dari petit: *si in populo est iniquitas, sanctitatem.* Quod tamen breuiter dici potest; quia electi Doctores sciunt propriam fortitudinem; sciunt populi subiecti infirmitatem. Pro se ergo solam ostensionem culpæ petunt, quia austeritate pœnitentiæ hanc insequi sciunt. Pro populo autem sanctitatem quærunt, quia culpas subditorum non solùm scire appetunt, sed quos inueniunt prauæ agere, rogant ad veniam per lamenta peruenire. Quid est enim dicere: *Da sanctitatem*, nisi sanctifica quos demonstras? Mihi occulta eorum detegis, sed detegendo nihil agitur, si quod ostendis, gratiam refundendo, non operis.

LITERAL. Abul.

2 *Domine Deus Israel da indicium.* Abul. ibi, q. 40. errore 39. Saul fuit locutus ad Dominum, quia istæ sortes non habent aliquando certitudinem, nisi inquantum à Deo mouentur. Orauit igitur Saül, quòd Deus ostenderet per eas veritatem, & hoc est, quòd daret *iudicium*, scilicet quòd ipse indicaret, quis esset peccator.

LITERAL. Idem.

3 *Aut si hæc iniquitas est in populo, da sanctitatem.* Idem ibidem. Ideſt, si non est iniquitas in me, vel in filio meo, sed in populo tuo, *da sanctitatem*; ideſt: ostende nos esse sanctos, & mundos ab hoc crimine. In Hebræo verò non habetur hoc; quia tamen erat sententia decurtata, & necesse erat aliquid intelligi, littera nostra illud expressit.

LITERAL. Vatab.

4 *Da sanctitatem.* Vatab. in Schol. *Da integritatem*, vel, *da perfectionem*, ideſt sortem veram. Chaldæus, Paraphrastes: *Fac venire sortem pro rei veritate*: ideſt fac sors cadat super peccatorem.

LITERAL. Salian.

5 *Da sanctitatem.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mund. 2964. n. 112. Dare porrò sanctitatem, nihil aliud est hoc loco, quàm præbere testimonium innocentiæ, & sanctitatis eorum, quorum nomina in vrna remanerent.

LITERAL. Cornel.

6 *Da sanctitatem.* Cornel. in Comment. Ideſt reuela nobis sanctam veritatem. Ideſt indica nobis Domine reum, qui te offendit, vt eum iustè castigemus, & emendemus; itaque tuæ sanctitati offensæ per sanctam vindictam satisfaciamus.

LITERAL. Sanctius.

7 *Da sanctitatem.* Centumputeolan. ibi. n. 47. Hæc honesta videtur petitio, quasi sibi, ac filio nihil opter Rex clemens, ac mitis; populo verò nihil precetur durum, sed tantum, vt sanctitatem det populo, ideſt vt illi ignoscat, aut viam ostendat, qua expiari, ideſt sanctificari possit. Quid verò de se atque filio suo statuat, precetúrque, satis ostendit, dum dicit: si sors Ionatham sceleris coarguat, & damnet, illi absque vlla retractatione fore moriendum.

LITERAL. Greg.

8 *Et deprehensus est Ionathas, & Saul.* Greg. suprà. Quia sæpe stant subditi, & Prælati cadunt, sequitur: *Et deprehensus est Ionathas.*

LITERAL. Author Catenæ. Abul. Salian.

9 *Populus autem exiuit.* Autor Catenæ. Exiuit liber ex sortibus: vel tessera, in qua populi nomen inscriptum erat, exiuit prior ex vrna, quod ad innocentiæ signum statutum erat; in vrna verò remansit tessera, quæ Saulis & Ionathæ continebat nomina, vt probabile putant Abulensis, & Salianus.

VERSVS XLII.

Vulgata.

VVlgata. Et ait Saül: Mittite sortem inter me, & inter Ionatham filium meum. Et captus est Ionathas.

VERSIONES.

Pagn.

Hebraic. ex Xante Pagn. Dixitque Saul: Cadere facite inter me, & Ionathan filium meum. Et deprehensus est Ionathan.

Vatab.

Hebraic. ex Franc. Vatabl. Saül ergo ait: Iacite inter me, & inter Ionathan filium meum: Deprehensúsque est Ionathan.

Ariasm.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et dixit Saul: Iacite sortem inter me, & inter Ionathan filium meum: & comprehensus est Ionathan.

Complut. Regia.

Græca ex Septuaginta in Complut. & Regia. Et dixit Saul: Mittite sortem inter me & inter Ionathan filium meum, & quem sorte comprehenderit Dominus, moriatur, & mittunt sortes inter eum, & Ionathan, & sorte comprehenditur Ionathan.

Sixtia.

Græc. ex Septuag. in Sixt. Et dixit Saul: Iacite inter me, & inter Ionathan filium meum, quemcumque sorte ceperit Dominus, moriatur. Et dixit populus ad Saül: Non est verbum hoc. Et prævaluit

naluit Saül populo, & iacunt inter eum, & inter Ionathan filium eius, & sorte capitur Ionathan.

Caietan. *Caiet. ex Hebræo.* Et ait Saül: Facite iacere inter me, & inter Ionathan filium meum.

Author Catenæ. Roman. Aldin. Basil. Scholiast. Theodor. *Autor Catenæ.* Contentio inter Saülem, & populum, quam Septuaginta scribunt, est in Romana, Aldina, & Basilensi. Quam Scholiastes Græcus ait Theodotionis in editione solum reperiri. Alij legunt: *Non erit verbum hoc.*

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Gregor. *Sors quid?* 1 *Mittite sortem inter me, & inter Ionatham.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 4. Qui sortes mittunt per vilibilium rerum coniecturas, latentia sæpe deprehendunt. Sic nimirùm Ionas fugiens noscitur *Ione* 2. sic Matthias Apostolus Apostolica celsitudine dignus inuenitur. *Actor.* 1. Sortes ergo spirituales ponimus, quando per exteriora signa operum ad occultorum notitiam peruenimus; sors enim vniuscuiusque propria est conuersatio. Vnde

Ionæ 2. Actor. 1.

Sap. 2. in Sapientia cap. 2. reprobi dicunt: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* E contra autem Psalmista precatur dicens: *Portio mea, Domine sit in terra viuentium.*

Psalm. 141. Philip. 3. Psalm. 141. Quod etiam Paulus denuntians ait: *Nostra conuersatio in cœlis est.* Philip. 3. Doctor ergo quasi singulorum sortes tenet, dum vniuscuiusque conuersationem videt.

Literal. Abul. 2 *Mittite sortem inter me, & inter Ionatham.* Abul. ibi quæst. 41. errore 40. Confidens de innocentia sua, hoc fecit; nam aliter non accepisset sortem à principio. Vel aliter: quanquam Saül non puniretur, etiamsi deprehenderetur, voluit tamen accipere sortem, vt sic pateret, quis peccauerat. Vel aliter: quod quanquam ipse non ligaretur hac lege, quam tulerat, quia legis conditor est supra legem; ipse tamen imponeret sibi aliquam pœnam voluntariè, quam pro hoc peccato pateretur. Sed primi duo modi veriores sunt.

Literal. Salian. 3 *Mittite sortem inter me, & inter Ionatham.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 2963. num. 113. Cessit hic Saül de iure suo, non enim communi lege præfertim à se lata tenebatur. Sed conducius innocentiæ suæ hanc aleam iacere non dubitauit, ne suspicionibus vrgeretur iniustis. Aut certe si præter opinionem suam reus esset, mortem subire non recusabat.

Literal. Sanct. 4 *Mittite sortem inter me, & inter Ionatham.* Centumputeolan. ibi n. 47. fortasse de suo supplicio non cogitabat; quia ex eo tempore, quo responsum à Domino proximè acceperat, nihil videbat à se commissum esse, cur timeret; atque ideò audacter non solùm de reliqua multitudine, sed etiam de se, ac filio Ionatha sortes consuluit.

Literal. Author Catenæ. Mersen. Rangol. 5 *Mittite sortem inter me, & inter Ionatham.* Autor Catenæ. Septuaginta in Sixtiana significant quandam inter Regem, & populum contentionem intercessisse, renuente populo, vel Regis, vel Principis Ionathæ vitam sortis, aleæque periculo exponere, alteruttius enim mors in magnum populi malum vergeret, necesse erat; Regem tamen cuitisse, & ad sortes fuisse processum, quibus innocens pater, reus verò filius deprehensus est. Mersenus apud Rangolium in præsenti ex eo negat hanc sortem fuisse diuinitùs temperatam, quòd in ruinam innocentis cecidit, & quod absque diuino consilio, aut consultatione peracta est. Inde denique quòd nec populus ipse liberatus eam habuit vt diuinam, quandoquidem Ionatham sorte damnatum contentiosè vindicauit. Quem sequitur Rangolius ipse nouis superadditis rationibus contra Seratium, & alios. Cæterùm eorum existimatio non satis constans est, cùm omnia in his sortibus, quæ eas honestare possent, concurrerint, ac præcesserint, nempe necessitas, & præuia oratio. Ionathas autem innocens omninò non erat, & esto fuisset innocens, occasio tamen fuerat denegati Oraculi, cuius autorem pater indagabat. Populus denique potuit eam habere diuinam, & tamen pœnam à Rege comminatam, tanquam nimiam repellere, potissimùm in filium Ionatham primogenitum, & Regni successorem. Serar.

VERSVS XLIII.

Vulgata. VVlgata. Dixit autem Saül ad Ionatham: Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei Ionathas, & ait: Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.

Glossa. *Text. Gloss. in margin.* Ecce ego moriar? Cùm interrogatione.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Dixitque Saül ad Ionathan: Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei Ionathan, & ait: Gustando gustaui cum summitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis; ecce ego moriar?

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatab.* Dixit ergo Saül ad Ionathan: Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei Ionathan, & dixit: Gustans gustaui cum extrema parte virgæ, quam manu mea gestaui parum mellis, & en moriar?

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit Saül ad Ionathan: Indica mihi quid fecisti. Et indicauit illi Ionathan, & dixit: Gustando gustaui in capite baculi, qui in manu mea, paulum mellis: ecce ego obligatus ad mortem.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Reg.* Et dixit Saül ad Ionathan: Indica mihi quid fecisti. Et indicauit ei Ionathan, dicens: Gustans gustaui in summitate sceptri, quod in manu mea paululum mellis, & ecce ego morior.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtia.* Et dixit Saül ad Ionathan: Annuncia mihi quid fecisti. Et annunciauit ei Ionathan, & dixit; Gustans gustaui in summo sceptro, quod in manu mea breue mel, & ecce ego morior.

Vatab. Chald. *Chaldæus apud Vatabl. in Schol.* Súmne propterea reus mortis?

PP. ET AVCTORES.

Moral. Gregor. *Culpa quantum indaganda?* 1 *Indica mihi quid feceris.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Quid est, quod captus interrogatur, nisi quia culpæ, quæ signis, aut coniecturis deprehensæ videntur, ferendæ adhuc non sunt? Quasi enim iam vulnus cernitur, sed adhuc tectum est. Discooperiatur ergo, vt mederi valeat, & curari. Cogendus quidem, aut admonendus est; vt culpam, quæ iam velut palam cernitur, confiteatur.

Literal. Abul. 2 *Et indicauit ei Ionathas.* Abul. ibi quæst. 41. errore

errore 40. Etiamsi negare vellet Ionathas se peccasse, non admittebatur; dato, quòd vellet se sufficienter purgare; quia istæ sortes habebantur, tanquam diuina probatio, contra quam nulla alia admittebatur.

LITERAL. Chrys. 3 *Gustans gustaui.* Chrys. hom. 14. ad Popul. Antioch. tom. 5. Quem non flexissent, quem non in misericordiam egissent hæc verba? Considera quantum procellæ deinde Saul sustinuit, cùm ipsius viscera diuiderentur, & vtrinque profundissimum appareret præcipitium. Sed tamen nec ita correptus est.

HISTOR. Ioseph. 4 *Gustans gustaui.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. Cúmque sors Ionatham indicaret, interrogat quid fecisset, & cuius peccati sibi esset conscius. Tum ille: Equidem pater nihil aliud scio, nisi quòd heri, dum hostem persequor, edicti tui nescius de fauo gustaui.

MORAL. Gregor. *Confessio qualis esse debeat?* 5 *Gustans gustaui.* Greg. suprà. Quare non dixit superius *gustans gustaui paululum de melle isto*, cùm dixit: *Vidistis, quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustauerim paululum de melle isto?* Sed quidem cùm peccata confitentur, ea nimirum quibusdam vocibus imminuunt, dum se non ex toto animo commisisse ostendunt. E contra verò electi viri, quando se de minimis accusant, ea vtique quasi magna pronuntiant. Quid est dicere: *Gustans gustaui*, nisi quod foris peccatum exercui, magno concupiscentiæ ardore compleui?

LITERAL. Comest. 6 *Gustans gustaui.* Comest. in histor. Schol. c. 13. Cui Ionathas: Nihil mihi conscius sum, nisi quòd heri nesciens maledictum, mel comedi.

LITERAL. Theodor. 7 *Gustans gustaui.* Theod. ibi quæst. 32. Sed tamen cùm se defenderet ob ignorantiam, venit vsque ad vitæ suæ periculum.

LITERAL. Hugo Cha. 8 *Gustans gustaui.* Hugo Charens. in Postilla. Hic præter solitum morem geminatio notat diminutionem, cùm sæpius noret augmentum, vel expressionem.

HISTOR. Sabellic. 9 *Gustans gustaui.* Sabellic. Enead. 1. lib. 7. Dicitur Ionathas sponte fassus se paternæ execrationis insciùm fauo mellis inediam leuasse. Sed quanquam, inquit, rei ignoratio satis excusari posset, paratum se nihilominùs vitam pro populi incolumitate effundere. Satis se in vita habere, quod patrem Virum fortissimum, & Regem, & bis hostium victorem viderit, & quod hesterno die suo ductu feliciter gesta res esset.

LITERAL. Rangol. *Ionathæ candor?* 10 *Gustans gustaui.* Rangol. ibi. Hic operæ pretium est considerare candorem Ionathæ. Simpliciter confitetur factum. Non excusat aut ignorantiam, aut necessitatem suam, aut vtilitatem facti, quod sensisset sibi restituas vires: non accusat temeritatem patris: non iactat virtutes bellicas, non prouocat ad populum.

LITERAL. Salian. *Ionathas diminute confessus?* 11 *Gustans gustaui.* Salian. tom. 3. Annal. Mundi 2964. num. 115. Omittit autem in sua confessione Ionathas improbatum à se publicè, reprehensumque patris edictum; cuius illum propugnatorem esse oportebat, ac laudatorem; sicque ignorantiæ delictum in murmurationis crimen conuertisse.

LITERAL. Ioann. Eusseb. *Ionathæ ingenuitas?* 12 *Gustans gustaui.* Ioann. Eusseb. Nieremberg. 6. Stromat. cap. 22. Respondit sine excusatione, sine supplicatione, non quid peccasset, sed quid fecisset; ac sic exaggeretur aduersùs se, vt culpam simularet, qua seueritatem excusaret patris. Maluit haberi inobediens filius, quàm impium habere patrem. Etiamsi peccasset, hac ingenua confessione meruisset veniam. Tam abfuit, vt excusaret innocentiam, quòd simularet culpam, ingenua se accusans confessione, non aliter ac si peccauisset; pronuntiauit quasi crimen, quod necessitas fuit. Fassus est comedisse: filuit, quod ignoranter fecisset: quod necesse fuit facere, quod aliter occidere hostes non posset: quòd ipse nec aliter viuere: languerant vires: visus defecerat: periret, nisi comederet; necessitas non voluptas ieiunium soluit: tacuit ille excusationes suas, & accusationem exaggerans; non dixit: comedi, quod necessitatis erat: sed *gustaui*, quod voluptatis est.

LITERAL. Author Catenæ. Ioseph. Comest. 13 *Gustans gustaui.* Autor Catenæ. Iosephus, cui Comestor adhæsit, die victoriam consequenti hoc vitæ Ionathæ discrimen, & discussionem accidisse affirmat; ait enim in Ionathæ persona: *Nisi quod heri dum hostem persequor.* Sed eodem die cùm victoriam euenisse certum est ex ipso Textu, qui ait: Saulem nocte illa ipsa hostem insequi, & penitùs delere decernentem, diuinum responsum non accepisse; tum verò ad sortes continuò fuisse procellum. Nisi Iosephus noctem pro alio iam incipiente die vsurpare maluerit.

MORAL. Greg. *Confessio ad æqualitatem?* 14 *In summitate virgæ.* Gregor. suprà. Quid est quod ait *in summitate virgæ*, nisi quia dum nos confitendo insequimur, proferre contra nos mendacium non debemus? Peccatum quidem in confessione prodendum est, sed augmentandum mendacio non est. Tale quidem debet esse in confessione, quale fuit in opere. Vt ergo ardor concupiscentiæ benè prodatur, dicit: *Gustans gustaui*, & vt qualitas eius appareat, subditur: *In summitate virgæ*: Quasi dicat: audacter inflammatus fui, sed hoc feci.

LITERAL. Abul. 15 *In summitate virgæ.* Abul. ibi quæst. 41. errore 40. Quasi dicat: Non accepi mel in manu mea, itaue multum de eo comedere possem: sed accepi in summitate virgæ, & sic modicum comedere poteram.

MORAL. Greg. *Prædicator exeguatur, quod docet?* 16 *Quæ erat in manu mea.* Greg. suprà. Virga Ionathæ Prædicatoris doctrinam, atque disciplinam signat, quæ in manu tenetur, quando non solùm docet, sed quod docet, operando exercet. Quid est ergo, quod ait: *Quæ erat in manu mea*, non, quæ est in manu mea, nisi quia æstimationem electorum insinuat; qui etiam, cùm praua committunt, prædicationis ministerio se indignos arbitrantur. Dicit ergo: *In summitate virgæ, quæ erat in manu mea*, quasi dicat: de illo superbiens peccaui, quod peccando me indignum feci. Erat ergo in manu mea, & non est, quia etsi aliquando feci, quod docui, illud, quod operando tenui, superbiendo amisi.

TROPOL. Bernard. 17 *Et ecce ego morior.* Bernard. Apolog. ad Guillerm. Abbat. Repleti ventrem faba, mentem superbiæ cibis damnamus saginatos: quas non melius sit exiguo sagimine ad vlum vesci, quàm ventoso legumine vsque ruptum exsaturari, & præcipue cum Esau non de carne, sed de lente sit reprehensus: & de ligno Adam, non de carne damnatus: & Ionathas de gustu mellis, non carnis, morti adiudicatus. Econtra verò Helias innoxiè carnem comederit: Abraham gratissimè Angelos carnibus pauerit, & de ipsis sua fieri sacrificia Deus præceperit. Sed satius est modico vino vti, propter infirmitatem, quàm multa aqua ingurgitari per auiditatem.

LITERAL. Abul. 18 *Et ecce ego morior.* Abul. ibi quæst. 41. Quasi dicat. Cùm hoc solum fecerim, quod parum, vel nihil est, morior pro illo; scilicet durum est me occidi pro hac re.

LITERAL. Caiet. 19 *Et ecce ego morior.* Caiet. ibi. Sunt verba non affirmantis, sed conquerentis, quod pro tam leui causa sit occidendus.

20 *Et*

MORAL. Salian. *Vox damnatorum miserabilis.*

20 *Et ecce ego morior.* Salian. tom. 3. Annalium, Ann. Mund. 2964. num. 114. Hæc nimirum vox est, aiebat quidam Sapiens, perditi hominis in æternis suppliciis perpetuò morientis, post modicè gustatas huius vitæ delitias: *gustans gustans paululum mellis: & ecce ego morior.* Profectò valdè deplorandum erat ætate florentem Principem sexcentis impiorum telis nunc ereptum, & in acie, in qua glorioſus occumbere poterat, diuina Prouidentia conseruatum, vt mox ipsius parentis imperio, probroſo carnifici ceruices frangendas præberet.

VERSVS XLIV.

Vulgata. *Vulgata.* Et ait Saül: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Dixitque Saül: Sic faciat mihi Deus, & sic addat; quia moriendo morieris Ionathan.

Vatab. *Hebr. ex Franc. Vatab.* Respondit Saül: Sic faciat mihi Deus, sicque addat, quòd certissimè morieris Ionathan.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et dixit Saül: Sic faciat Dominus mihi, & sic addat, quòd moriendo morieris Ionathan.

Complut. Regia. *Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia.* Et ait ei Saül: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morietur hodie Ionathan.

Sixtia. *Græca ex Septuagin. in Sixtian.* Et dixit ei Saül: Hæc faciat mihi Deus, & hæc adiiciat, quia morte morieris hodie.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. MORAL. Chrysost. 1 *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.* Chrysostom. Hom. 14. ad Popul. Antioch. tom. 5. Ecce tertium rursus iuramentum; nec simpliciter tertium, sed etiam cum multa temporis angustia; non enim simpliciter dixit, quòd *morieris*, sed *hodie*; festinabat enim Diabolus ipsum in hanc impiam filij cædem impellere. Propterea nec sententiæ studium adhibere permittit, nè qua ex mora mali fiat correctio.

LITERAL. MORAL. Ambro. *Ieiunij obseruatio quanti?* 2 *Hæc faciat mihi Deus, &c.* Ambros. Serm. 25. de Quadrag. Saül ex ipsa diuinitatis offensione cognouit peccatum admissum effusione sanguinis expiandum. Videte quanta apud eum fuerit religionis obseruantia, qui offensum Deum optauit etiam parricidio mitigare, & quanta sit resoluti culpa ieiunij, quæ nonnisi sanguinis effusione punitur. Etsi ignorans Ionathas indictum à patre ieiunium, quia resoluerit, morti addicitur, qui sciens à Christo indictum resoluerit ieiunium, quid meretur?

HISTOR. Ioseph. *Ionatha virtus.* 3 *Hæc faciat mihi Deus.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 7. Saulus verò iurat se eum occisurum, pluris quàm genus, aut naturam, aut affectus, iusiurandum faciens. Ille ne præsenti quidem periculo territus, magno, ac generoso animo se præbuit. Nihil, inquit, deprecor pater; libenter enim hanc mortem fero, quæ te religione soluat, dum priùs tam magnificam victoriam videre contigit; maximum enim mihi fuerit solatium Palæstinorum insolentiam ab Hebræis esse perdomitam.

4 *Hæc faciat mihi Deus.* Glossa Ordin. ibidem. Iuramentum Hebræorum, quod per contrarium intelligitur, quasi dicat: Malum quod tibi debetur, mihi imputetur, si te non interfecero. LITERAL. Gloss. Ordin.

5 *Hæc faciat mihi Deus.* Abulens. ibi. quæst. 42. errore 41. Dicetur, an rectè ageret Saul volendo occidere filium innocentem propter iuramentum? Respondendum, quòd non; quia non erat periurium, quòd Saul non occideret illum; nam erraretur in hoc vno de duobus modis. Primò, quod Saul iurasset occidere illum, qui peccasset propter quod Deus non responderet; & tunc non includebatur mors Ionathæ sub iuramento Saulis; scilicet quod non tenebatur eum occidere ex viribus iuramenti, quia ipse iurauerat occisurum, qui peccaſſet; Ionathas tamen nihil peccauerat, quia ignorans fecit. Secundò modo poterat hic errari, scilicet, quòd Saul iurasset occidere illum propter quem Deus non responderet quomodocumque res se haberet; & tunc includebatur mors Ionathæ sub iuramento. Erat tamen iuramentum incautum, & illicitum. Quia quanquam Deus propter aliquem non responderet, non erat ob hoc occidendus, quia poterat hoc euenisse sine illius culpa, sicut hîc factum est. LITERAL. Abul.

6 *Hæc faciat mihi Deus.* Caietan. ibi. Inexcusabile est hoc nouum iuramentum per execrationem, quia cognitâ iam causâ non solùm leuissimâ, sed absque peccato vllo (quoniam nesciens paternum præceptum sumpserat Ionathas parum mellis) abstinere debebat à comminata morte in genere. LITERAL. Caiet.

7 *Hæc faciat mihi Deus.* Author Catenæ. Ex piæ intentionis, & religiosi erga iuramenti obseruationem affectus ratione, excusandum est temerarium aliàs, & impium Saulis de occidendo filio iuramentum, credidit enim prius à se emissum iusiurandum circa illius, propter quem Deus responsum negauisset, interemptionem, se omninò adstringere; errabat tamen, quia iuramentum de occidendo innocente, & impium, & nullius obligationis est. LITERAL. Author Catenæ.

8 *Quia morte morieris.* Origen. tract. 35. in Matt. tom. 2. Consuetudo absoluendi vincti fuit aliquando & apud Iudæos; nam cùm Saul decreuisset, vt ne quis acciperet cibum, Ionathas autem fauum mellis gustasset contrà Regis decretum, inuenit obnoxium Ionatham, & quamuis filium constitutum, tamen propter aliquod iuramentum suum, decreuerat interficere eum; sed non interfecit; omni populo Israël interueniente, & petente eum ad vitam. LITERAL. Origen.

9 *Quia morte morieris.* Procop. in Comment. Ionathan, etsi ignorantia implicatus sit, eámque ad sui defensionem præterire poterat, tamen in maximum periculum, & extremum vitæ penè discrimen venit. Iustâ verò populi defensione liberatus est. LITERAL. Procop.

TROPOL. Damian. *Regularum obseruantia.* 10 *Quia morte morieris.* Petrus Damian. Epistol. 120. Ionathas mortis sententiam meruit, quia decretum in commune prolatum edendi, tempus anticipando, mutauit. Homo quoque ille, qui per desertu prætumpsit in die sabbathi ligna colligere, quia solus excessit commune mandatum, lapidibus obrutus, solus expendit digna morte supplicium. Non quia crimen est in necessitate ligna colligere; sed quia leuis non est criminis semel admissam decreti regulam, per inobedientiam violare.

ALLEG. Berch. 11 *Quia morte morieris.* Petrus Berchor. lib. 9. Moralit. cap. 10. Sæpe fit quòd si Ionathas filius Regis,

Regis,qui causa victoriæ fuerat, ideſt aliquis religioſus valdè deuotus,qui alias multa bona fecerat, ad comedendum de tali melle,& ad guſtandum de mundi dulcedine reperitur, à patre ſuo Rege Chriſto morti adiudicabitur, niſi meritis, & precibus populi exigentibus, ideſt Sanctorum meritis liberetur.

LITERAL. Abul. 12 *Quia morte morieris.* Abulenſ.ibid.quæſt.42. errore 41.Etiam ſi Saül cognoſceret, quòd Ionathas vel parum, vel nihil peccauerat; quia tamen certiſſimè ex ſortibus nouerat, quòd propter ipſum Deus non reſpondebat,occidere volebat eum. Immò ſi comperiiſſet, quòd Ionathas nihil egerat; dum tamen propter eum Deus non reſpondiſſet, occideret illum;non quidem propter culpam, ſed propter obſeruationem iuramenti; quia iurauerat Saul,quòd occideret eum, per quem iſtud accidiſſet;& putabat ſe reum periurij, ſi non occideret.

13 *Quia morte morieris.* Sabellic. Eneade 1.lib. 7.tom.1. Nec Saulus quanquam filium cerneret alta indole præditum, minùs propterea ſæuiret. Cæterùm,vt res omnibus documento eſſet, ne regium imperium, religionémve in poſterum negligeret, Ionatham Aræ admotum, pater pro iuſtitia iugulari imperat.

14 *Quia morte morieris.* Carthuſ. ibid. art.28. Per hoc, quòd Saul proprio filio noluit parcere; Prælati,ac iudices inſtruuntur ſine perſonarum acceptione iuſtitiam exercere.

LITERAL. Vermil. 15 *Quia morte morieris.* Petrus Vermil. Hæretic.ibi. Saul iurat ſe filium Ionatham daturum necì. Quid ita? Cur potiùs non agit cum Propheris? Cur non deliberat cum Sacerdotibus? Cur non conſulit Dominum? Non oportuit eum ex ſuo tantum capite filium ſuum damnare capitis. Ita iam malè conſultus Iephte fecerat, cuius exemplo Saulem oportuiſſet ſapere. Voluit videri ſeuerè agere, nec accipere perſonam, ſed in filium etiam ſuum animaduerſurus.Sed ita ſæpe fit, vt ſummum ius ſit ſumma iniuria.Fuit Saul & ambitioſus,vt apparet,& magnus hypocrita: ambitionis erat, quod ſuis decretis nimium tribueret: hypocritæ autem erat, quod vellet videri ſtudioſus legis Dei, quam ie ipſa prorſus contempſit.

MORAL. Ioann.Euſeb. *Saulis crudelitas.* 16 *Quia morte morieris.* Ioan. Euſeb. Nieremberg.6.Stromat.cap.22.O ſeuerum patrem optimi, & amabiliſſimi filij! Potuiſti nominare Ionatham, & pronunciare mortem? extraneo, qui liberaret regnum debebas parcere, & damnas filium,qui te, qui tuos liberauit? At occidere vis natum, cuius indignus eras.

MORAL. Idem. *Saulis iniquitas.* 18 *Quia morte morieris.* Idem ibidem cap.23. Saul ſæuus erga filium ob anathema ſuum, & maledictum in edentes, pientiſſimus in Regem Amalech contra anathema diuinum, inimicum quem Deus iuſſit occidere, liberauit: at filium ſine iuſſu Dei iurat occidere:erga primogenitum iuſtior Deo: erga hoſtem clementior voluit videri.

MORAL. Idem. *Saulis immanitas.* 18 *Quia morte morieris.* Idem ibid.cap.21.Iuſſit pater, quod nec nouerca optaret quod nec hoſtis fecerat, non mirarer diriguiſſe animum Saulis, & ſublapſum intercepto ſpiritu corpus, ſi optimum natum audiret à Tyranno cæſum:ſtupeo ipſum cæſurum,& parentem ſeueriorem hoſte.

MORAL. Idem. *Saulis immanitas.* 19 *Quia morte morieris.* Idem ibid. cap.22. Ille ille flos iuuenum, ille decus Iſraëlis, ſalus patriæ, regni,delicium omnium,columen Hebræorum, ille, qui felices annos debuit viuere, iubetur mori; & quod miremur, à patre. Et quando? Cùm deberet palma, & corona donari. Si quæras quare? Sine culpa, nec ſolum cum innocentia, ſed cum egregiis factis.

MORAL. Ioan.Palafox. 20 *Quia morte morieris.* Ioan.Palafox.lib.3. Hiſtor.Sacræ Regal.Mirabilis, ſeuerúſque reſponſionis modus: *Guſtando guſtati*: igitur *moriendo moriere.* Hoc quidem grauiorem pertinet ad mortem: Guſtando contra diuinas leges hac in vita guſtamus;morientes ergo, niſi pœnitentiæ beneficio liberemur,moriemur in æterna.

MYSTIC. Author Catenæ. *Ionathas Chriſti typus.* 21 *Quia morte morieris.* Author Catenæ. Innocens Ionathas, qui pro nocenti populo ad necem deputatur, Chriſtum Dominum ſignificat, qui totius culpæ expers, pro ſontibus hominibus non ſolùm deputatur neci, ſed populo minimè reclamante,mortem ſubiit.

VERSVS XLV.

Vulgata. Vulgata. Dixítque populus ad Saul: Ergóne Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſraël? Hoc nefas eſt: Viuit Dominus, ſi ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus eſt hodie. Liberauit ergo populus Ionatham,vt non moreretur.

Benedict. in margine. Benedict. Qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſraël? Abſit.

VERSIONES.

Hebraic.ex Xant. Pagn. Pagn. Dixítque populus ad Saul:Numquid Ionathan morietur, qui fecit ſalutem magnam hanc in Iſraël? Abſit. Viuit Dominus, ſi ceciderit de capillo capitis eius in terram, quia cum Deo fecit die hac: & redemerunt populus Ionathan,& non eſt mortuus.

Hebraica ex Franc. Vatab. Vatab. Et ait populus ad Saulem:Num Ionathan morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſraële? Abſit. Viuit Dominus,ſi ceciderit de pilo capitis ſui in terram;quandoquidem cum Domino egit hodie.Liberauit itaque populus Ionathan,vt non interficerentur.

Chaldaica ex Benedict. Ariaſm. in Regia. Ariaſm. Et dixit populus ad Saul: Num Ionathan occidetur, qui fecit liberationem magnam hanc in Iſraël? Abſit. Permanens ipſe Dominus, ſi ceciderit ex capillo capitis eius ad terram, quia ante Dominum manifeſtum, quod in ignorantia fecit hodie. Et liberauerunt populus Ionathan, & non eſt mortuus.

Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia. Complut. Regia. Et dixit populus ad Saulem: Si hodie morte morietur,qui fecit ſalutem magnam hanc in Iſraël? Propitius viuit Dominus, ſi ceciderit de capillo capitis eius in terram, quia miſericordiam Dei fecit in die hac.Et orauit populus pro Ionathan in die illa, & non eſt mortuus.

Græc.ex Septuag.in Sixtia. Sixtia. Et dixit populus ad Saul: Si hodie morti tradetur, qui fecit ſalutem magnam hanc in Iſraël? Viuit Dominus, ſi cadet capillus de capite eius ſuper terram, quoniam populus Dei fecit diem hanc;& orauit populus pro Ionathan, & non eſt mortuus.

Hier.lib.2.contra Pelag.tom.2. Hieron. Quia cum Domino fecit diem hanc.

Chryſ.Hom.14.ad Popul.tom.5. Chryſoſt. Et dixit populus ad Saul:Hæc faciat nobis Deus, & hæc adiiciat, ſi morte morietur, qui fecit ſalutem magnam Iſraël. Viuit Dominus, ſi cadet capillus de capite eius in terram, quia miſericordiam Dei fecit in die hac.

Vatab.

Vatab. *Vatabl. in Schol.* Cum Deo operatus est. *Alij*: fretus ope Dei fecit hanc magnam salutem.

Caiet. *Caietan. ibi.* Quia cum Deo operatus est hodie. *Rectius legeretur* : Quia cum Heroihim fecit diem istum.

PP. ET AVCTORES.

Literal. Tropol. Gregor. *Personarum qualitati attendendum.*

1 *Ergóne Ionathas morietur?* Greg. lib. 5. Variar. cap. 4. Quibus verbis populi nobis ostenditur virtus magnæ discretionis; quia in electorum examine non solùm culparum causæ pensandæ sunt, sed etiam merita personarum; quod apertè his verbis ostenditur; quia non ideò Ionathas non moriturus asseritur, quia erat filius Regis, sed quia in Israël magnam salutem fecit. Cùm ergo magni Viri cadunt, communi iudicio tradendi non sunt, quia priora opera promerentur, vt posteriorum grauitas leuigetur. Ipsa autem culpæ leuigatio, non acceptione personæ decernenda est, sed respectu prioris vitæ; quia ad absolutionem illius sanctæ Ecclesiæ lucra pensanda sunt, non carnalis affectio admittenda. Sed quid mirum si ad absolutionem peccatoris propria merita suffragantur, quando in sacri eloquij auctoritate discamus, quia alij pro aliis liberati sunt?

Histor. Sabell.

2 *Ergóne Ionathas morietur.* Sabellic. Eneade 1. lib. 7. tom. 1. Tum multitudo, quæ locum corona cinxerat (nam ad decem hominum millia in castra confluxerant, posteaquam à Galgala Saulus venerat) sublato clamore haud laturos se vociferantur eum, per quem graui bello liberati essent, quando per insciitiam deliquisse constaret, vita periclitari; scire se mortalium delicta consilio, non euentu æstimari solere, imploraturos se polliciti pro ea culpa, si quæ sit, à Numine veniam: vel si impetrari non posset, pœnas pro eo, qui sit de communi salute meritus, libenter expensuros. Tale fuit tum in vnum Ionatham totius exercitus studium.

Moral. Hugo Vict.

3 *Qui fecit salutem hanc magnam.* Hugo Victor. lib. 5. Allegor. cap. 17. tom. 1. Multùm enim prosunt. transacta bona, nam nisi Ionatham præterita bona iuuissent, imminentia mala non euasisset; *Non enim iniustum Deus, vt obliuiscatur bonorum.*

Moral. Angelom.

4 *Qui fecit salutem hanc magnam.* Angelom. in Stromat. Nota quantum prosint transacta bona contra quælibet minima offensa. Nisi enim Ionatham præterita adiuuissent, imminentia mala nequam euadere potuisset; Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur bonorum cuiuspiam operum.

Glossa. *Eadem verba habet* Glossa Ordin.

Literal. Moral. Salian. *Principia, dimidium facti.*

5 *Qui fecit salutem hanc magnam.* Iacob. Salian. tom. 3. Annal. ann. Mund. 2964. num. 117. Salutem magnam fecisse dicitur in Israël, quasi ipse solus fuisset autor victoriæ, aut eius vnius auspiciis debellatum esset; principium enim qui dedit, arduum præsertim, ac difficile, rem confecisse videtur, quia in eo posita ferè sunt omnia. Principia enim mole parua, vi magna sunt, quod in seminibus cernimus, ait Aristoteles, quem secutus Romanus Orator ait, omnium rerum principia parua esse, sed suis progressionibus vsa vehementius augeri, vti apparet in fluminibus.

Aristot. Cicero.

Literal. Salian.

6 *Qui fecit salutem hanc magnam.* Idem ibid. num. 118. Et innocentem quidem illum non asserunt, quod erat in promptu, si in eo loco satis præsidij esse credidissent, nec ad ignorantiam venia dignam confugiunt, nec intiliurandi causantur inanitatem, sed compensatione vtendum esse contendunt; haberique volunt rationem tam præclari facinoris eiusdémque recentissimi, quò culpa omnis, præsertim contracta per imprudentiam, meritissimò obruatur.

Moral. Greg.

7 *Hoc nefas est.* Gregor. suprà. Quasi dicat: Qui magna opera fecit, absolui ex toto dignè promeruit. Quia igitur in Ecclesiastica censura, etsi non est acceptio personarum, est tamen discretio meritorum, aptè concluſit sententia, dicens: *Liberauit ergo Ionatham populus.*

Moral. Chryſ. *Iuramentorum mala.*

8 *Viuit Dominus, si ceciderit capillus, &c.* Chryſ. hom. 14. ad Popul. Antioch. tom. 5. Ecce & populus secundùm iurauit, & Regi contrarium iurauit. Nunc mihi reminiſciimini funiculum à puerulis tractum, & diſruptum, & trahentes ſupinos proicientem. Iurauit Saul non ſemel, nec bis, ſed & ſæpiùs: contraria iurauit populus, & iam contendebat. Neceſſe iam omninò iuramentum ſcindi, nam hoc omnes verè iuraſſe eſt impoſſibile. Nec mihi rei euentum dicas, ſed cogita quot mala naſcebantur, & quomodo qualem poſt per Abeſalon calamitatem, & tyrannidem hinc Diabolus ſtruebat. Si enim voluiſſet Rex reſiſtere, & ad iuramentum procedere, totus reſtitiſſet populus, & tyrannis crudeliſſima facta fuiſſet: & rurſùs ſi voluiſſet filius propriæ conſulens ſaluti, ſe ipſum exercitui dedere, parricida ſtatim extitiſſet. Vides & tyrannidem, & filij cædem, & bellum ciuile, & pugnam, & iugulationes, & cruores, & infinita cadauera, ex vno parata iuramento. Eia igitur numeremus commiſſa periuria. Temeratum eſt primum Saulis iuramentum à filio. Secundum rurſus, & tertium ipſius Saulis de filij cæde. Et viſus eſt populus verè iuraſſe. Sed ſi quis diligenter rem examinet, & hi rurſus omnes periurij criminibus obnoxij facti ſunt; ipſius enim Ionathæ patrem peierare coëgerunt, patri filium non dedentes. Vides quot homines tum volentes, tum inuitos periuriis obnoxios vnum fecit iuramentum? Quot mala molitum eſt? Quot cædes patrauit?

Literal. Comeſt.

9 *Viuit Dominus, &c.* Comeſt. in Hiſtor. Schol. cap. 13. Ideſt per viuentem Dominum. *Vel*: Sicut Deus eſt viuens, & non Dij gentium. *Si ceciderit capillus de capite eius.* Apoſiopeſis eſt: vel legitur *ſi* pro *non.*

Histor. Moral. Salian.

10 *Viuit Dominus, &c.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mund. 2964. num. 119. Has illi iactabant voces plenas animi, plenáſque ſpiritus, plenas doloris, plenas veritatis. Hæ illorum erant violentæ, & vt aiunt, armatæ preces. Nec fortè ægrè tulit Saul hanc ſibi vim ab exercitu fieri, qua ſe religione ſolutum videtur interpretatus. Sed ne hæc quidem ſolutio neceſſaria fuit. Stat enim illa regula: *In malè promiſſis reſcinde fidem; in turpi voto muta decretum.*

Literal. Sanct. Malach. 1. Iſai. 22. Pſalm. 88. Luc. 21. Act. 27. 34.

11 *Viuit Dominus.* Centumputeolan. ibi n. 53. Hic duo nobis obſeruanda: alterum eſt: *ſi*: idem interdum valere quòd, *non*; Malach. 1. *Si placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam*: ideſt neque placebit, neque ſuſcipiet. Iſaiæ 22. *Si dimittetur iniquitas hæc vobis*, & Pſalm. 88. *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar*: alterum eſt, *capillum* prouerbiali ſpecie ſumi non in frequenter, vt hoc loco, ad ſignificandum aliquem ab omni prorſus incommodo futurum immunem. Eſt enim pilus, ſeu capillus, vt apparet, res viliſſima. Sic Chriſtus Luc. 21. *Capillus de capite veſtro non peribit, &c.* Actor. 27. 34.

Literal. Abul.

12 *Quia cum Deo operatus eſt hodie.* Abul. ibi quæſt. 42. errore 41. Ideſt operatio ſua fuit ſicut hodie ex parte Dei; ſcilicet nemo agere poterat

quæ

quæ ipse egit, nisi Deus fuisset cum eo, & ex hoc inducunt quandam præsumptionem, scilicet non esse verisimile, quòd Deus vellet eum occidi, per quem tanta bona operatus est hodie, ideo nec nos patiemur eum quicquam pati nobis superstitibus.

LITERAL. Vatab. 13 *Quia cum Deo operatus est hodie.* Vatabl. in Schol. Idest autore Deo fecit salutem. Velut alij: Fretus ope Dei fecit hanc magnam salutem.

LITERAL. Caietan. 14 *Quia cum Deo operatus est hodie.* Caiet. ibi. Rectiùs legeretur: *Quia cum Elohim fecit diem istum*, & est sensus: quod non solùm fecit nobis salutem magnam, sed etiam cum Deo summo iudice, gubernatoréque nostro fecit hunc diem salutarem, & propterea tanquam ministet, & cooperator Dei seruandus est.

HISTOR. Hieron. 15 *Liberauit ergo populus Ionatham.* Hieron. lib. 1. contra Pelag. prope fin. tom. 2. Ionathan fauum mellis gustauit in sceptro, & illuminatis oculis periclitatur; quod nesciens fecerit. Hoc enim Scriptura testatur, quòd ignorauerit à patre esse præceptum ne quisquam gustaret, donec victoria Domini compleretur. In tantum autem iratus est Dominus, vt sors inueniret occultum, & ipse fateretur dicens: *Gustaui in summitate sceptri, quod est in manu mea parum mellis, & ecce ego morior.* Et postea intercessione & precibus populi liberatus est, dicentis ad Saul: *Numquid Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Absit: viuit Dominus, si ceciderit de capillis capitis eius in terra, quia cum Domino fecit diem hanc. Et liberauit Dominus Ionatham, & non est mortuus.*

LITERAL. THEOLOG. August. 22 q. 2 cap. Quæritur. 16 *Liberauit ergo populus Ionatham.* Augustin. in Quæst. in Gen. quæst. 26. & habetur 22. quæst. 2. cap. *Quæritur §. Episcopus.* Ecce Saul falsum iurauit, quia quod iureiurando se facturum decreuit, precibus populi reuocatus non fecit. Nec tamen periurij reus arguitur, quia quantum in ipso fuit, quod iurauit, impleuit, dum sententiam mortis in filium dedit, quam non carnali affectu, sed populi supplicatione reuocauit.

MORAL. Sixtus. 17 *Liberauit ergo populus Ionatham.* Sixt. Papa III. epist. de Malis Doctorib. Saulis filius ob modicam mellis degustationem reus expositus est, quem delicti nec paruitas, neque ignorantia liberasset, nisi pro eo cunctus Israël populus orasset.

HISTOR. Prudent. *Ionatham falsi pœnituit.* 18 *Liberauit ergo populus Ionatham.* Prudent. in Psychomachia

——*si pœnitet, haud nocet error*
Pœnituit Ionatham ieiunia sobria dulci
Coniugiasse fauo sumpto melliſque sapore.
Heu male gustato, Regni dum blanda voluptas
Oblectat iuuenem, iuratáque Sacra resoluit.
Sed quia pœnituit, nec sors lachrymabilis illa est,
Nec tingit patrias sententia saua secures.

THEOLOG. Gregor. 19 *Liberauit ergo populus Ionatham.* Gregor. suprà. Quo in loco notandum est, quia re bis iusiurandum intersectionis Ionathæ superiùs protulit, quem tamen victus populi instantia, non occidit. Quid est, quod iurauit, & iuramenti assertionem nequaquam seruauit? Sed ex hac re duo nobis documenta proueniunt, vt cauti scilicet, & discreti esse debeamus. Cauti quidem, ne iuremus: discreti, si agere peruersa iuremus. Qui enim iurare cauet, periurare omninò non potest. Sed cùm malè iuratur, iustiùs iusiurandum dimittitur, quàm compleantur crimina, quæ iurantur. Sit ergo vnusquisque cautus antequam iuret, vt aut ne omninò iuret: aut facturum se mala non iuret. Cautos quidem nos esse Dominus insinuat, dicens; *Sit sermo vester, est, est: non, non*: Matth. 5. *Nolite iurare neque per cœlum, neque per terram.* E contra autem reprobi, & incauti quidem sunt, & discreti non sunt; nam sæpe se acturos mala promittunt, & reuocare promissa quasi periurium incursuri non satagunt. Hinc est quod Herodes incautè iurauit, & nefarium iusiurandum, quod protulit, in præcursoris Domini morte compleuit. *Marc. 6.*

Malum iuramentum non implendum. Matth. 5.

HISTOR. Ioseph. 20 *Liberauit ergo populus Ionatham.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. Hac iuuenis indole omnis multitudo ad dolorem, & miserationem flexa est, iurántque non laturos se, vt occidatur Ionathas autor tam luculentæ victoriæ; atque ita iuuenem irato patri eripiunt, & vota Deo faciunt, vt ipsum immunem à peccato faciat.

HISTOR. Theodor. 21 *Liberauit ergo populus Ionatham.* Theod. ibi q. 32. Liberatus est autem à cæde propter iustum populi patrocinium, & seriam supplicationem.

MORAL. Simon de Cassia. *Iudicij reflitudo.* 22 *Liberauit ergo populus Ionatham.* Simon de Cassia lib. 15. cap. 1. Non punit iustitia, obliquo casu adueniente, filium, aut consanguineum, sed iniquum: Saul namque primus Rex in Dei populo non pepercisset per iustitiam filio suum imperium contemnenti, quia gustauerat ante præfinitum tempus à patre Rege, nisi populus eum de suis manibus liberasset.

LITERAL. Caiet. *Ionatha culpa qua?* 23 *Liberauit ergo populus Ionatham.* Caiet. ibi. Ionathas fuit quidem innocens sumendo mel, inscius paternæ maledictionis: sed peccauit audito mandato Regio, probando factum propriæ comestionis; arguens patrem, qui præceperat. Fuit itaque Ionathas dupliciter in culpa: primùm sumendo mel, & sic non fuit in culpa secundùm animum, sed secundùm damnatam operationem: deinde secundùm probationem facti, & secundùm animum, & secundùm verba peccauit; vnde meritò diuino testimonio deprehensus est peccasse. Verum minùs intelligentes diuinum testimonium, & Saul, & Ionathas, & populus librauerunt dumtaxat factum damnatæ comestionis, vt clarè sonat Littera, & propterea tanquam innocens iniustè vexatus redemptus est à populo.

LITERAL. Author Catenæ. Hæbr. 24 *Liberauit ergo populus Ionatham.* Autor Catenæ. In Hebræo legitur: *Redemit populus Ionatham*; vnde vt moris illis est, nugantur Hebræi. Dicunt enim primò à populo Ionatham redemptum, absoluendo Saulem à iuramento facto, quia qui malè per imprudentiam, aut ignorantiam iurauerat, à Doctoribus Legis absoluebatur; quod assertum nulla autoritate probant. Deinde in præsenti non à Doctoribus Legis, sed à populo absolutus Saul fuisset. Dicunt secundò à populo Ionatham redemptum ex eo, quòd pro illo dederit quinquefidos, vt pro primogenitis offerri consueuerat. *Num.* 3. Verum extra chorum eos saltare quis non videat? Verus & simplex sensus est, Ionatham à paternis manibus ereptum, ne occideretur, quod non impropriè redemptio dicitur. Dubitari tamen potest, an populus à Saulis manibus filium liberauerit vi, & quasi tumultuariè, an ratione, & instantibus precibus? Hoc postremum exprimit Chaldæus, innuúntque Hieronymus, Sixtus, & Gregorius suprà relati quos sequitur Marinus Mersenus apud Rangolium in præsenti, dicens: *Precibus Ionatham patris manibus extorsisse.* Illud verò prius indicant Iosephus, & Simon de Cassia, & satis videtur probabile; vel saltem dici potest precibus negotium confeciſſe, sed precibus armatis, & violentis, vt ait Salianus, & comminatione plenis, quibus Saul prudenter resistere non potuit, ne militum fidem tentare videretur.

Numer. 3. Chald. Hieron. Sixtus. Greg. Mersen. Rangol. Ioseph. Simon de Cassia. Salian.

VER

VERSVS XLVI.

Vulgat. *Vulgata.* Recessitque Saül nec persecutus est Philisthiim : Porrò Philisthiim abierunt in loca sua.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Et ascendit Saül à Pelistim : Pelistim autem abierunt in locum suum.

Vatab. *Hebraic. ex Franc. Vatabl.* Ascendit autem Saül postquam insecutus esset Palæsthinos; abierúntque Palæstini in locum suum.

Ariasm. *Chald. ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et ascendit Saül de post Pelisthæos, & Pelisthæi ierunt ad loca sua.

Complut. Regia. *Græca ex Sept. in Complut. & Reg.* Et ascendit Saül à tergo Philisthiim: & Philisthiim recesserunt in locum suum.

Sixtia. *Græca ex Sept. in Sixtia.* Et ascendit Saül à post alienigenas: & alienigenæ abierunt in locum suum.

PP. ET AVCTORES.

Moral. Gregor. 1 *Recessitque Saül.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 4. Cùm Ionathæ culpa repetitur, cùm iusiurandum Rex non perfecisse cognoscitur, cessare Philisthæos persequi perhibetur. Quia dum propria infirmitate pastores deprimuntur, lucra aliorum exquirere fortiter nequeunt. Cessare enim persequi Philisthæos, est ad tempus vitia aliorum insequi prædicando desistere. Prius enim esse intendendum iudicant ad purificationem suam; deinde purgati vigilandum ad salutem alienam; quia dum silent, semetipsos præparant, vt quasi per pœnitentiam suam ad lucra aliorum fortiter surgant.

Mystic. Beda. 2 *Recessitque Saul.* Beda lib. 2. exposit. Allegor. cap. 9. tom. 2. Recedunt quidem pastores suæ fragilitatis conscij, nec ad omnes Dæmonum versutias indagandas, vel euacuandas sufficere se posse deprehendunt. Sed væ illis cordibus, ad quæ repulsi, atque abiecti immundi spiritus quasi ad propria loca recurrunt.

Histor. Ioseph. 3 *Recessitque Saül.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 7. Saülus victor domum reuertitur cælis circiter sexaginta millibus hostium. Feliciter deinde regnauit.

Literal. Abul. 4 *Recessitque Saul.* Abul. ibi quæst. 43. errore 42. Hoc factum est propter duo: primùm quia Deus ei non respondebat, nolebat enim quidquam eo inconsulto agere, & quia non respondebat, ambiguum fuit Saüli, de euentu belli, ideò credidit securius esse desistere. Secundò destitit à bello, quia putauit Deum esse sibi iratum, quod aliqualiter cognoscebat, vel cognoscere se putabat, eo quòd respondere noluit. Ampliùs quoque manifestauit, quare hoc accidisset; ideò eo irato nihil prosperum sibi futurum esse putabat.

Literal. Salian. *Cur Saul recesserit.* 5 *Recessitque Saul.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mund. 2964. num. 120. Veritus scilicet ne Deus, qui signum offensionis in proximo silentio ediderat, victoriam victis daret: victoribus eriperet; minórque fuisset culpa non consulto Domino hostem persequi, vt Rex ante instituerat, quam Dei consulti silentium ominosum negligere, & noua culpa nouam sibi, ac familiæ suæ, aut subdito populo accersere calamitatem.

Literal. 6 *Recessitque Saul.* Centumputeolan. ibi n. 60. Coniectauit Saül, & qui illi tunc à consiliis aderant, offensum esse Deum, cùm nullum dederit ad interrogata responsum; neque irato Deo ex vsu futurum esse iudicabat quicquam tentare prorsus inauspicatum, maximè in re bellica, vbi si quid peccatum fuerit, grauissimæ fiunt rerum inclinationes. Quare statuit non esse progrediendum vlteriùs, neque inuito Deo persequi oportere quod reliquum erat victoriæ. Sanct.

Literal. Moral. Author Catenæ. 7 *Recessitque Saul.* Autor Catenæ. Periculosam nimis tunc existere hostium insecutionem, satis innuit ominosum Dei silentium : præter vulgatum illud Hispanorum proloquium; *Fugienti hosti pons argenteus.* Vnde errasset grauiter Saül, suósque manifesto exposuisset periculo, nisi Pontificis consilio Dei consulendi audiens fuisset. Temeritatis ergo nota inurendi duces illi sunt, qui arduam armis aggressuri prouinciam, rem priùs Deo, qui vnus est victoriarum autor, per orationes, & sacrificia non commendant.

Theolog. Greg. *Prædestinatus vn.* 8 *Porrò Philisthiim abierunt in loca sua.* Greg. suprà. Tacentibus quidem Doctoribus in sua loca Dæmones abeunt, quia per Pastorum silentium non pereunt, nisi qui ad vitam æternam prædestinati non sunt. Loca etenim Dæmonum sunt, quia diuina præscientia in habitaculum Dei præordinati non sunt. Hinc est, quod prædicantibus primis Doctoribus dicitur : credebant quotquot *prædestinati erant ad vitam æternam.* Actor. 13. Hinc Paulus: *Quos præscinit, & prædestinauit, & quos prædestinauit, vocauit.* Rom. 8. Actor. 13. Rom. 8.

Histor. Salian. 9 *Porro Philisthiim abierunt in loca sua.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mundi 2964. num. 120. Philisthæi obtecti tenebrarum amictu abierunt in loca sua, non nocendi studio, sed facultate tum quidem spoliati, dum vbi paululum respirassent, bellum inimicissimè atque infestissimè redintegrarent.

VERSVS LXVII.

Vulgata. *Vulgata.* Et Saül, confirmato regno super Israël, pugnabat per circuitum aduersum omnes inimicos eius, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & Reges Soba, & Philisthæos : & quocumque se verterat, superabat.

Benedict. *Benedict. in margin. Et Saul tenuit regnum regnum* super Israël. Benedict.

Glossa. *Text. Gloss. in marg.* Et quocumque se verterat *viriliter agebat*, vel, *intrepidè se gerebat.*

VERSIONES.

Pagn. *Hebr. ex Xante Pagn.* Saul autem cepit regnum super Israël, & pugnauit per circuitum contra omnes inimicos suos, contra Moab, & contra filios Hammon, & contra Edom, & contra Reges Sobah, & contra Pelistim, & in omnibus ad quæ se vertebat, viriliter agebat.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Porrò Saul nactus Regnum Israël, bella gessit aduersùs omnes hostes suos, circumcirca, contra Moab, contra Ammonitas, contra Edon, contra Reges Zoba, & contra Palæsthinos, & in omni ad quod sed vertebat, perfectè agebat.

Ariasm. *Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia.* Et Saul prosperatus est in regno super Israël, & iniuit bellum circumcirca cum omnibus autoribus inimicitiarum eius, in Moab, & in filiis Ghamon, & in Edon, & in Regibus Szoba, & in Pelisthæis, & in omni loco quocumque respiciebat, subiugabat.

Complut. Regia. *Græca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et Saul sortitus est, vt regnaret super Israel, & oppugnabat in circuitu omnes inimicos eius, contra Moab, & contra filios Ammon, & contra filios Edon, & contra Reges Suba, & contra Philisthiim. Quodcumque aspiciebat, saluabatur.

Sixtin. *Græc. ex Septuag. in Sixtia.* Et Saul sorte cepit regnare, sorte capit opus super Israel, & oppugnabat in circuitu omnes inimicos suos, in Moab, & in filios Ammon, & in filios Edom, & in Betheor, & in Regem Suba, & in alienigenas: quocumque se vertebat, saluabatur.

Chald. Vatab. *Chaldæus apud Vatab. in Schol.* Et quocumque respiciebat, perdebat (tanquam noxios scilicet) *alij*: Terrebat, perterrefaciebat.

Rabbi Kimhi. Lira. Tarquin. Vatab. *Rabbi Kimhi.* Terrebat, commouebat, & confundebat.

Liran. ex Hebr. Et quocumque se vertebat, *impiè agebat*, vel, *impius fiebat*. Sic etiam Tarquinius.

Vatabl. in Schol. Porrò Saul vendicans sibi, vel vsurpans sibi regnum.

Caiet. *Caiet. ex Hebræo.* Et in omnibus, ad quæ vertet, faciet iniquare.

Salian. *Alij apud Salian. in Schol.* Errare faciebat hostes.

PP. ET AVCTORES.

Mystic. Moral. Greg. *Peccata regnum debilitant.* 1 ET *Saul, confirmato regno super Israël.* Greg. lib. 5. Variar. cap. 4. Debilitatur quidem regnum, quando pastores in aliquibus culpis cadunt; sed debile confirmatur, cùm per satisfactionem pœnitentiæ ad opus magnæ virtutis eriguntur. Et super Israël confirmari dicitur, quia dum ad vitæ altitudinem proficit, eos, quibus præminet, ordine vincit conuersationis. Videntibus Deum prælatus est, sed suprà Deum videntibus extollitur, cùm præ cæteris in diuina assumitur contemplatione. Meritò ergo dicitur: *Pugnabat contra omnes inimicos.*

Histor. Ioseph. 2 *Et Saul, confirmato regno super Israël.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. Feliciter deinde regnauit, & contra finitimos Ammonitas, & Moabitas, Palæstinósque, & Idumæos, ac Amalecitas, & Regem Obæ multas res gessit prosperè.

Literal. Abul. 3 *Et Saul, confirmato regno, &c.* Abul. ibi q. 43. errore 42. Non est intelligendum, quòd ista, quæ dicuntur hic vsque ad finem capitis, habeant se consequenter ad præcedentia, & ad subsequentia, quia hic non narratur aliquid speciale factum Saülis, sed est quædam collectio breuis omnium, quæ pertinent ad historiam Saülis; quod patet, quia hic ponuntur bella, quæ faciebat tota vita sua, & hic sunt aliqua, quæ non distinguntur à præcedentibus bellis, nec à consequentibus. Sensus est, quòd postquam accepit regnum super Israël, pugnabat contra omnes gentes, quæ nominantur hic.

Literal. Caiet. 4 *Et Saul, confirmato regno, &c.* Caiet. ibi. Summariè colliguntur præclara Saülis gesta deinceps; quoniam autor libri non intendit scribere gesta Saülis in particulari, sed ad Dauidem properat. Propter quod illa tantum Saulis gesta subiunguntur inferiùs, quæ relationem habent admixtam ad ea, quæ sunt Dauidis, quale est bellum contra Hamalech cuius occasione reprobatus est Saul, & vnctus Dauid.

Literal. Salian. 5 *Et Saul, confirmato regno, &c.* Salian. tom. 3. Annal. ann. Mund. 2965. num. 4. Regni confirmatio, non solùm Ammonitis, sed maximè Philisthæis superatis contigit, qui Israëlitas fræno tributi, & vinculis præsidij militaris cohibitos seruire cogebant: & illis quidem deuictis Saul confirmatus est Rex; dum tamen adhuc vigeret Hebræorum misera seruitus, & Philisthæorum durissimus dominatus, ipsa regio non tam illorum regnum, quam horum prouincia bello deuicta, & Saul non tam Rex, quàm ipsius prouinciæ prætor, aut moderator sub Philisthæorum imperio dici posse videbatur. Nunc autem excuso, ac deleto prætidio armorum iure, & facultate recuperata, hoste grauissima clade prostrato, tributi pensitatione antiquata, liberum planè regnum effectum, confirmatúmque est.

6 *Et Saul, confirmato regno, &c.* Gaspar Sanct. ibi num. 61. Hâc victoriâ confirmatum fuit Saulis imperium, & Hebræorum animi ad bellorum pondus alacriores redditi. Cùm iam igitur copiosum haberet exercitum, illúmque ad pugnandum ardentem, & alacrem, vicinos hostes, qui rem Israëliticam aut affligebant, aut turbabant, summouendos, atque subiugandos statuit, quod illius consilium probauit, & promouit Deus: quamcumque enim se in partem dabat, præclaram ex hoste victoriam referebat. Literal. Sanct.

7 *Pugnabat per circuitum.* Greg. suprà. Quia pugnare in circuitu contra inimicos dicitur, magnæ laudis eius victoria esse demonstratur. Ex omni quidem parte perfectum esse Doctorem decet, qui ex omni parte fortissimos habet inimicos. Dum ergo vbique verti, & superare dicitur, quanta eius gloria prædicatur? Quid est ergo, quòd in circuitu hostes habere dicitur, nisi quia maligni spiritus omnibus sensibus nostris insidiantur? Nam loquendo alios: alios videndo decipiunt: alios per auditum: alios per gustum, vel olfactum fallunt. Qui enim quinque gentium nomina posuit, oppositas quinque sensibus corporis fraudes Dæmonum designauit. Allegor. Greg.

8 *Pugnabat per circuitum.* Beda lib. 2. exposit. Allegor. cap. 10. Sub figura crescentis regni, vel domus Saul, Christi fides per orbem propalanda describitur. Qui pugnabat per circuitum aduersùs omnes inimicos suos, quia de Iudæa, quæ in medio nationum est, missis prædicatoribus, Christus inimicas suo nomini gentes suo verbo subiuganit. Iuxta quod Psalmista dixit: *Omnes qui in circuitu eius sunt, offerent munera.* Mystic. Beda.

9 *Pugnabat per circuitum.* Abulens. suprà. Idest contra inimicos Israël, quia illud relatiuum refertur ad Israëlem, & non ad Saulem. Hoc autem Deus intulerat Sauli per Prophetam, quando vnctus est in Regem suprà *cap.* 10. *vers.* 1. Literal. Abul.

10 *Contra Moab, &c.* Gregor. suprà. *Moab* ex patre interpretatur: *Ammon* populus mœroris: *Edom*: rufus: *Soba* incensa, siue conuertens: *Philisthæus* poculo cadens. Mystic. Gregor.

11 *Contra Moab, &c.* Beda suprà. Moab, & Ammon, qui inuante ebrietate, in qua est luxuria, nocte de incesto concepti sunt, Hæreticos intellige inordinatè accepto paternæ fidei semine degeneres. Edom, qui maior natu minori fratri seruire addictus est, Iudæorum populum exprimit, qui nationibus gentium per orbem, & cæcitate perfidiæ mentis, & terrenæ seruitutis est conditione subiniissus. Reges Soba, & Philisthiim, & Amalech exteras à Patriarcharum sanguine, fide, & Sacramento nationes significat. Mystic. Beda.

12 *Contra Moab, &c.* Abul. suprà. Non legitur fecisse Saul aliquod bellum contra istos filios Ammon, nisi in principio regni, quando venit Nuas Rex Ammon super Iabes Galaad suprà *cap.* 11. Literal. Abul.

13 *Et quocumque se verterat, superabat.* Greg. suprà. Quia qui æterna altiùs conspicit, facilè conterit Mystic. Greg. *Contemplatio vincit.*

terit quidquid de infimis sibi ad pugnam venit; quia enim nulla terrena sibi iam placent, qui per magnam charitatem super Israel, ideſt in cœlestibus regnat, quocumque se vertit, superat.

LITERAL. Lira.

14 *Et quocumque se verterat, superabat.* Liran. ibi. In Hebræo habetur: *Et quocumque se vertebat, impiè agebat*, vel, *impius fiebat*: & littera immediatè sequens concordat, cùm dicitur: *Congregatóque exercitu, &c.* De qua percussione agitur capite sequenti, in qua pluribus modis incurrit offensam Domini, vt videtur.

LITERAL. Brugens.

15 *Et quocumq; se verterat, superabat.* Burgensis in Glossa. Dictio Hebraica in hoc loco posita æquiuoca est: vno modo significat idem, quod vincebat, vel superabat: alio modo communiori significat idem, quod impiè agebat. Vnde translatio nostra habet veritatem iuxta primam significationem, quæ concordat cum littera præcedenti, vbi dicitur: *Et pugnabat per circuitum aduersus omnes inimicos, &c.* Etiam constat, quòd in iis præliis non imponitur sibi peccatum in littera, sed solùm victoria. Similiter concordat cũ littera sequenti, cùm dicitur: *Et eruit Israël de manu vastatorum eius*, quod solum sonat triumphum de inimicis, & non peccatum. Secunda verò significatio, quæ est communior concordat cum processu vitæ ipsius Saül, postquam regnauit. Vnde vtroque modo littera Hebraica de ipso Saule verificatur.

LITERAL. Caiet.

16 *Et quocumque se verterat, superabat.* Caiet. ibi. Iuxta Hebræum habetur: *Et in omnibus ad quæ vertet, faciet iniquare.* Et est sensus: faciet pati pœnam iniquitatis suæ. Dixerat enim quòd Saul pugnauit cum quinque nationibus; subiungit consequenter, quòd omnes hostes fecit pati pœnam iniquitatum suarum.

TROPOL. Autor. Catenæ. *Prosperitas corrumpit pietatem.* Lira. Tarquin. Salian. Abul. Caietan. Philo Hebræus.

17 *Et quocumque se verterat, superabat.* Autor Catenæ. Ex Hebræo legunt Liranus, & Tarquinus apud Salianum: *Et quocumque se verterat, impiè agebat*, vel *impius fiebat*; cuius litteralem sensum rectè assecuti videntur Abulensis, & Caiet. Mysticum verò, & tropologicum intelliges, si prosperitatis effectus, & mala, quæ eam vulgo subsequuntur, pensites. Nihil enim frequentius est quàm felicem hominem prosperitatis præsentia, tanquam Circęo quodam poculo religionis, & pietatis expertem fieri. Vnde Philo Hebræus libro de Abraham: *Est autem ingens malorum initium, vt quidam non malè coniectans dixit, nimia bonarum rerum copia, quarum satietatem quidam non ferentes, tanquam immẽta lasciuiunt, à ceruicibus excussis naturæ legibus.* Cuius quidem ad manum est ipsius Saulis exemplum, qui cùm in oculis suis paruulus esset, pius & humanus supramodum extitit: dum verò victoriis, & potentia excreuit, ipsis abusus insolenter intumuit, pietati, & religioni Vale dixit, & diuinas leges conculcauit, vt capite sequenti continetur. Quocumque ergo se verterat, superabat, & dum superaret, impiè agebat, & impius ipse fiebat. Sed de prosperitatis malo plura *Instit. 33. morali.*

MORAL. Author Catenæ. Chald. *Regis præsentia quantum valeat?*

18 *Et quocumque se verterat, superabat.* Autor Catenæ. Chaldæus habet: *Et quocumque respiciebat, subiugabat.* Regius videlicet aspectus, & visa maiestas hostes prosternebat potiùs quàm armata suorum vis; ea enim est regij conspectus in hostes efficacia, vt ipsi potiùs, quàm copiarum virtuti, vel industriæ meritò adscribantur victoriæ. Quod quidem optimè nouerant Macedones, qui contra Illiricos, victoriis etiam recentibus insolentes, bellum adorsi, Rege suo adhuc infantulo ante hostium conspectum in cunis exposito, facilè vicerunt. Historiam venustè scribit Trogus Pompeius apud Iustin. lib. 7. penè initio, cuius hæc sunt verba: *Igitur Illiry infantia Regis populum contemnentes, bello Macedones aggrediuntur, qui prælio pulsi Rege suo in cunis prolato, & ante aciem posito, acrius certamina repetiuerunt, tanquam ideo victi fuissent antea, quod bellantibus sibi Regis sui auspicia defuissent, futuri vel propterea victores, quod ex superstitione animum vincendi ceperant. Conserto itaque prælio magna cæde Macedona Illirias fudere; ostenderúntq; hostibus suis priori bello Regem Macedonibus, non virtutem defuisse.* Quam etiam historiam pressius attigit Nazarius in Paneg. Constant. dicto ibi: *Macedones cùm bellum reficerent, Regem suum in cunis ad aciem detulerunt, cùm illos ira, hos miseratio: illos signorum cantus: hos pueri vagitus accenderet; mutata est ratio certaminis: vicerunt qui amore pugnabant.* Et licet miserationi vagientis infantis victoriam adscribat, mallem potiùs cum Iustino Regis conspectibus tribui. Sic saltem existimabat Theodoricus Rex apud Cassidor. Ep. 27. lib. 3. qui aiebat: *Regia maiestatis obtutu feruentium furor animorum in suis cunibus illidatur, & de se magis sumat pœnas proteruia, dum cohibetur innoxia.* Isaias Threu. 4. Iosiam Regem, sic enim interpretantur S. Thomas, & Liran. populi spiritum vocat: *Spiritus*, inquit, *oris nostri Christus captus est in peccatis nostris*; vti enim deficiente spiritu exanimatur corpus, & periit homo; sic deficiente Rege, Reipublicæ corpus interiit, & cadauer potiùs dicendum est. Hoc ergo Saulis spiritu suos vinificante, quocumque se verterat, superabat, & vt Chaldæus legit: *Quocunque respiciebat, subiugabat.*

Trogus. Pompei. Iustin.

Nazar.

Threu. 4. S. Thom. Lira.

VERSVS XLVIII.

Vulgata. Congregatóque exercitu percussit Amalec, & eruit Israël de manu vastatorum eius.

Vulgata.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante ⁿagn. Et congregauit exercitum, & percussit Hamalech, & eruit Israël de manu diripientis eum.

Pagn.

Hebr. ex Fran. Vatab. Parauit quoque exercitum, & percussit Amalec, vindicauitque Israëlem è manu diripientium eum.

Vatab.

Chaldaic. ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et congregauit exercitum, & percussit homines domus Ghamalek, & eruit homines domus Israël de manu direptorum suorum.

Ariasm.

Græca ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et fecit exercitum, & percussit Amalec, & eruit Israël de manu conculcantium ipsum.

Complut. Regia.

Græca ex Sept. in Sixt. Et fecit virtutem, & percussit Amalec, & eruit Israël de manu conculcantium eum.

Sixtia.

Caiet. ex Hebræo. Et fecit fortitudinem.

Caietan.

Rabbi Salomon apud Abul. q. vlt. Congregatísque diuitiis percussit Amalec.

Rabbi Salom.

PP. ET AVCTORES.

TROPOL. Greg. *Luxuria qualiter dominetur.*

1 *Congregatóque exercitu percussit Amalec.* Gregor. lib. 5. Variar. c. 4. Amalec *populus lambens* interpretatur. Quid ergo per Amalec, nisi fornicationis spiritus designantur? Lambere enim

corum, est ad peccandum mentem carnis blandimento delinire. Velut enim linguæ tactu lambere ambiunt, cum leuibus suggestionibus mentem tangunt. Quid est quod contra Moab, & Ammon quod Edom, & Regem Soba pugnasse, & vicisse dicitur, non tamen exercitum congregasse; sed vt Amalec vinceret, exercitum congregauit? Quid est quod exercitum congregauit, nisi quia ad extinguendum fornicationis spiritum virtus vna non sufficit? Abstinentia quidem ciborum contra hoc vitium fortissima est, sed sola non præualet; velut enim miles est, & pugnare potest, superare non potest; quia Amalec non vincitur, nisi exercitus congregetur.

LITERAL. Abul. 2 *Congregatóque exercitu percussit Amalec.* Abulens. ibi. quæst. vlt. Ista percussio habetur sequenti capite, in quo apparet, quòd non est hîc aliqua continuatio historiæ, sed collectio quædam omnium gestorum Saülis. Nam ea, quæ postea particulatim enarranda sunt, hic summatim colliguntur.

LITERAL. Comest. 3 *Percussit Amalec.* Comest. in Hist. Schol. c. 13. Prolepsis est. Vel fortè priùs percussit, quàm deleret ex toto, ex mandato Domini.

LITERAL. Caietan. 4 *Percussit Amalec.* Caiet. ibi. Ad differentiam aliarum supradictarum nationum, quæ non fuerunt deletæ à Saüle, dicitur specialiter quòd percussit Amalec, delendo eos.

LITERAL. Autor Catenæ. 5 *Percussit Amalec.* Author Catenæ. Quando vnumquodque bellorum confectum à Saüle fuerit: quæ item illorum causæ, incertum est; an etiam ipsa ea bella, quæ aliis in locis Scripturæ referuntur cum his, quæ hîc summatim indicantur, confundēda sint, nō satis liquet; potuit enim Amalec priùs percutere, & leuiter cum hoste illo bellitasse, quàm exprofesso & ex diuino præcepto penitùs deleuerit. Probabilius tamen est hæc per prolepsim, seu recapitulationem enarrari, quæ alibi latiùs expressa fuerint.

TROPOL. Gregor. *Luxuria altas radices habet.* 2. Petri. 2. 6 *Et eruit Israel de manu vastatorum eius.* Gregor. suprà. Benè & Israël ereptus de manu vastatorum eius asseritur; erui quidem euelli dicitur, & quod euellitur, altas radices in profundiora mersisse sentitur. Manus verò vastatorum potestas est malorum spirituum, vnde etiam scriptum est: *A quo quis vincitur, eius seruus efficitur.* 2. Petri. 2. Quid ergo colligitur, nisi quia dum fornicatores desideriis carnis assentiuntur, potestati malorum spirituum subiugantur? Quia item alrum est fornicationis blandimentum, dum in hoc anima per desiderium mergitur, quasi in profundum radicibus tenetur. Erui ergo de manu vastatorum est, à fornicationis abysso, qui in potestate Dæmonum est, liberari. Benè etiam vastatores fornicationis impetus dicuntur, quia de vitio luxuriæ per beatum Iob dicitur: *Ignis est vsque ad perditionem germinans, & omnia eradicans genimina.* Iob. 31. 12. Vastator quippe fornicationis spiritus dicitur, quia quem inuaserit, ei nimirùm nulla virtutum dona derelinquit.

Luxuria omnia vastat. Iob. 31. 12.

LITERAL. Caietan. 7 *Et eruit Israel de manu vastatorum eius.* Caiet. ibi. Ecce fructus victoriarum Saülis, non subiectio hostium, sed liberatio Israelis à vastatoribus eius.

VERSVS XLIX.

Vulgata. *Vulgata.* Fuerunt autem filij Saül, Ionathas, & Iesui, & Melchisua; & nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol.

VERSIONES.

Hebraic. ex Xante Pagn. Fuerunt autem filij Saül, Ionathan, & Iisui, & Melchisuah: nomen autem duarum filiarum eius, primogenitæ quidem Merab, nomen autem minoris Michal. Pagn.

Hebraica ex Franc. Vatabl. Fuerunt autem filij Saüil, Ionathan, Iisui, & Malchisua: nomina verò duarum filiarum eius, nomen primogenitæ Merab, nomen verò minoris natu Michal. Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et fuerunt filij Saul, Ionathan, & Isui, & Malchisuah: & nomen duarum filiarum eius, nomen magnæ Merab, & nomen paruæ Michal. Ariasm.

Græca ex Septuagint in Complut. & Regia. Et fuerunt filij Saulis Ionathan, & Iessui, & Melchisue: & nomina duarum filiarum suarum, nomen primogenitæ Merob, & nomen secundæ Mechol. Complut. Regia.

Græca ex Septuagin. in Sixtian. Et fuerunt filij Saulis Ionathan, & Iessiu, & Melchisa, & nomina duarum filiarum eius; nomen primogenitæ Merob, & nomen secundæ Melchol. Sixtia.

PP. ET AVCTORES.

MYSTIC. Gregor. 1 *Fuerunt autem filij Saul, &c.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Filij Saul, qui nonad quamlibet hæreditatem, sed ad regnum nascuntur, illo insinuant de quibus sanctæ Ecclesiæ per Psalmistam dicitur: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, &c.* Psal. 44. Quos tres esse agnouimus, quia fidem sanctæ Trinitatis prædicando defendunt. Sed quia percusso Amalec Regis filij nominantur, eorum numerum ad virtutum merita referamus. Maceratio quidem corporis: circumspectio mentis; simplicitas intentionis tria sunt; quia ergo Doctores sanctæ Ecclesiæ ad reprimendam carnis libidinem fortes sunt, ad cordis custodiam sapientes, intentionem cordis in cœlum subleuando, sublimes, tres esse Saul filij dicuntur. Tria enim sunt fortitudo operis, virtus charitatis, & affluentissima gratia prædicationis. Psal. 44.

HISTOR. Ioseph. 2 *Fuerunt autem filij Saul, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. c. 7. Habuit autem liberos mares tres; Ionathan, Iesum, Melchisum: Filiæ fuerunt ei Merob, & Michaal.

LITERAL. Comest. 3 *Fuerunt autem filij Saul, &c.* Comest. in Histor. Schol. cap. 13. Quartus tacetur Isboseth tanquam puer, & nondum militans, vel tanquam ineptus.

MYSTIC. Beda. 4 *Fuerunt autem filij Saul, &c.* Beda lib. 2. Exposit. Allegor. cap. 10. Tres filij Saul magnos fidei Catholicæ, quæ vnum in tribus personis Deum prædicat, duces exprimunt, qui quoniam non sua virtute, sed Dei gratia sunt, quod sunt; quoniam æternâ sui Conditoris, cui dicitur: *Tu autem idem ipse es.* Psal. 108. visione perfrui desiderant, quoniam per CHRISTVM IESVM verum videlicet Regem, & Saluatorem, se perpetuò saluandos, ac regnaturos confidunt, rectè primus filius *Columba donum*, & secundus *desiderans*; tertius *Rex meus salus* interpretatur. Psal. 108.

LITERAL. Abul. 5 *Fuerunt autem filij Saul, &c.* Abulens. ibidem quæst. vlt. Hic omissum est nomen Isboseth, quia interdum Scriptura non curat omnia enarrare. Ideò in lib. Paralip. vbi omnia colliguntur, ponitur nomen eius. Aliquis forte dicet, quòd Isboseth computa

computatur, hic tamen nominatur alio nomine, sicut interdum accidit in multis aliis, qui habent multa nomina, vt pater Dauid vocatus Iesse, & Isai. Sed hoc non stat, quia hic solum ponuntur tres filij Saul, & 1. *Paralip.* 8. ponuntur quatuor.

1. Paral. 8. Literal. Vatab.

6 *Fuerunt autem filij Saul, &c.* Vatab. in Schol. Omittitur Iboseth quoniam non erat aptus bello; de quibus hic sola fit mentio.

Literal. Vatab.

7 *Fuerunt autem filij Saul, &c.* Nicolaus Serar. in Comment. 1. Paralip. 8. quartus additur Hisbaal, seu vt *lib.* 2. *c.* 2. vocatus Iboseth. Cur vero hic omittatur: fortassis causa est, quia 11 numerantur filij, qui cum Saule ceciderunt. Ex vxore verò minus principali, seu concubina Respha, duo *lib.* 2. *cap.* 21. Armoni, & Mephiboseth, qui cum altero, qui Ionathę filius *lib.* 2. *c.* 4. non confundendus.

Literal. Serar.

8 *Fuerunt autem filij Saul, &c.* Author Catenæ. Quare Iboseth omittatur, nulla apparet ratio, in qua animus quietcat; nó ratio Comestoris allerétis propter pueritiam; quia verè puer tunc non erat, habebat enim ferè annos viginti, vt probat Abulensis ex cap. 2. lib. 2. Reg. Non ratio aliorum asserentium sub alio nomine expressum, quia tres tantum filij mares nominantur, cùm Iboseth sit filius quartus. Non ratio Liræ, Vatabli, Carthusiani, & aliorum respondentium propter ineptitudinem ad bellum, quia etiam filiæ, quæ bello aptæ non sunt, nominatim exprimuntur, quæ etiam ratio mystica potiùs videtur, quàm litteralis. Non ratio Serarij dicentis eos solùm referri filios, qui cum patre bello occubuerunt, quia hîc nullatenùs ad eorum mortem alluditur, nec ad rem erat. Vna remanet ratio Abulensis, quæ licet firma non sit, minùs tamen displicet, non omnia Scripturam connumerare, plura enim sæpè omittit, quia ea minùs principaliter intendit, cuius ad manu plura sunt exempla, si quidem in libris Paralip. multa, quæ silentio brevitatis causa pretta fuerint, commemorantur. Infirmam tamen hanc rationem dixi, quia Iosephus simili silentio Iboseth inuoluit, qui nec brevitati studuit, nec rationibus ab aliis assignatis attendit. Sed fortè alio in eo carens exemplari Scripturæ stylum secutus est.

Author Catenæ. Comest. Abul. Lira. Vatab. Carthus. Serar. Abul. Ioseph.

9 *Ionathas, & Iessus, & Melchisua.* Greg. suprà. Ionathas *Columba donum* dicitur: Iessui *plantatio*, siue *desiderium meum*: Melchisua *Rex meus saius.*

Mystic. Greg.

10 *Et Iessui.* Vatab. in Schol. Hic dicitur Abinadab, vbi enumerantur filij Saul, qui ceciderunt cum eo in prælio *c.* 31.

Literal. Vatab.

11 *Et nomina duarum filiarum eius.* Gregor. suprà. Quæ sunt Saül filiæ, nisi Prædicatori subditæ electorum qualitates? Alij quippe actiuæ vitæ studiis seruiunt: alij verò contemplatiuæ remotionibus abscondantur. Filiæ quidem dicuntur pro fœcunditate; illa quidem parit multitudinem bonorum operum: ista vero internorum plenitudinem gaudiorum. Meritò igitur Regis filiæ nominantur, quia dum concipiunt de verbo Dei cœlestes fructus parturiunt. Vnde benè Merob de multitudine dicitur, & Michol in lingua nostra ex omnibus dicitur.

Mystic. Gregor.

12 *Et nomina duarum filiarum eius.* Beda suprà. Duæ filiæ eius infirmiores fidelium plebes, sed corpore, & mente Deo deuotas indicant: vel certè primogenita filia Synagogæ minor Ecclesiæ speciem tenet. Quibus etiam nominum etymologia congruit. Nam quia Synagoga electorum non de cunctis latè nationibus, sed de multitudine solius est Israëliticę stirpis collecta; Ecclesia autem omnibus est ad fidem conuocata de gentibus, rectè primogenita filia de multitudine: secunda ex omnibus interpretari perhibetur.

Mystic. Beda.

13 *Nomen primogenitæ Merob.* Abulens. suprà. Non vocatur primogenita respectu omnium filiorum; sed solùm respectu alterius filiæ. Ista autem tradenda erat Dauid in vxorem, quia percussit Philisthæum, fuit tamen data in vxorem Hadrieli.

Literal. Abul.

14 *Et nomen secundæ Michol.* Idem ibid. Ista erat pulchrior filia Saulis, & hanc dilexit nimis Dauid, vt patet infrà *cap.* 18. & data est ei in vxorem. Postea tamen cùm fugisset Dauid à facie Saulis, tradidit eam in vxorem Saül Phalti nitu Laïs *cap.* 25.

Literal. Idem.

VERSVS L.

V*Vlgat.* Et nomen vxoris Saül, Achinoam, filia Achimaas: & nomen principis militiæ eius Abner, filius Ner, patruelis Saül.

Vulgata.

Benedict. in margine. Filius Ner patrui Saül.

Benedict.

Author Catenæ. Plura Exemplaria non habent Achinoam, sed Achinoe, vel Achinoem.

Author Catenæ.

VERSIONES.

Hebraica ex Xante Pagn. Nomen verò vxoris Saül Achinohan, filia Achimahas: nomen autem principis militię eius Abiner, filius Ner, patrui Saül.

Pagn.

Hebraic. ex Franc. Vatab. Nomen vxoris Saül Achinoam, quæ erat filia Ahimaaz: nomen verò Imperatoris exercitus sui Abner, filius fuit Ner patrui Saülis.

Vatab.

Chaldaica ex Benedict. Ariasm. in Regia. Et nomen vxoris Saül Ahhinoghan, filia Ahhimaghaz: & nomen magistri exercitus eius Abiner filius Ner, patrui ipsius Saül.

Ariasm.

Græc. ex Septuagint. in Complut. & Regia. Et nomen vxori Saül Achinaam filia Achimaas: & nomen principi militiæ eius Abener filius Ner, cognati Saül.

Complut. Regia.

Græca ex Septuag. in Sixtian. Et nomen vxori eius Achinoom filia Achimaas, & nomen principis militiæ eius Abenner, filius Ner, filij propinqui Saül.

Sixtian.

PP. ET AVCTORES.

1 *Et nomen vxoris Saul Achinoam.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Quæ est Prædicatoris vxor, nisi bona voluntas? Qui enim per amorem bonæ voluntati coniungitur, et vtique quasi ex nobili coniuge filij oriuntur. Nam cùm bonorum operum fructus proferre volumus, necesse est, vt priùs eos in bona voluntate seminemus. Vnde benè Achinoë *fratris requies* interpretatur; frater quippe noster ille est, qui à mortuis resurgens, Mariæ Magdalenæ locutus est dicens: *Vade, & dic fratribus meis: ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum.* Ioan. 20.

Mystic. Greg. Ioan. 20.

2 *Et nomen vxoris Saul Achinoam.* Beda lib. 2. Exposit. Allegor. cap. 10. Vxor Saulis Achinoem, quæ interpretatur *fratris decor*, totam Catholicæ Ecclesiæ perfectionem figuratè denunciat, quæ frequenter in amoris Cantico soror, & decora sui Conditoris; qui ei per Incarnationis mysterium frater fieri dignatus est, appellatur.

Mystic. Beda.

3 *Et nomen vxoris Saul Achinoam.* Abulens. ibi, quæst. vlt. Istam vxorem cepit, antequam esset Rex. Habuit tamen postea concubinam nomine

Literal. Abul.

Respha infrà *lib.* 2. *cap.* 3. & de hac genuit postea filios, qui nominantur hic infrà. *lib.* 2. *c.* 21.

MYSTIC. Gregor. 4 *Filia Achimaas.* Gregor. supra. Achimaas *fratris decor*, vel *frater decor* interpretatur; frater quippe, & decor Redemptor noster dicitur, quia humana natura per peccatum primi hominis dignitatis suæ vigorem perdidit, sed in persona Redemptoris accepto sibi splendore radiauit, decor quippe noster est.

MYSTIC. Idem. 5 *Et nomen principis militiæ eius Abner, &c.* Idem ibid. Abner dicitur, *pater meus lucerna.* Ner etiam *lucerna* dicitur. Quid ergo Ner, nisi sermo Scripturarum accipitur? Littera quidem Sanctæ Scripturæ, quasi huius lucernæ testa est; intellectus verò spiritualis claritas luminis: oleum verò eius, deuotio amoris. Filius ergo lucerna est, qui verba Scripturarum libenter audit, & sapienter intelligit; & quæ per intellectum colligit, per affectum charitatis apprehendit.

HISTOR. Ioseph. 6 *Et nomen principis militiæ eius Abner, &c.* Ioseph. lib. 6. Antiquitat. cap. 7. Copiarum imperium dedit patruelí Abenaro. Is Neri fuit filius: Nerus verò & Cis Sauli pater, germani fuêre Abeliæ filij.

MYSTIC. Beda. 7 *Et nomen principis militiæ eius Abner, &c.* Beda suprà. Abner princeps militiæ eius, qui patris lucerna dicitur; vel Ioannem Baptistam, qui erat lucerna ardens, & lucens; vel omnes, qui singulari præ cæteris Ecclesiæ propugnatoribus altitudine præfulgent, viros virtutis insinuat.

LITERAL. Abul. 8 *Et nomen principis militiæ eius Abner, &c.* Abulens. suprà. Accepit eum in principem militiæ, quia erat vir industrius, & bellicosus nimis. Iste autem cuadens de bello, in quo mortuus est Saul constituit filium eius Iboseth Regem infrà *lib.* 2. *cap.* 2.

MORAL. Author Catenæ. *Consanguinitati non attendendum, sed merito.* Abul. 9 *Et nomen principis militiæ eius Abner, &c.* Author Catenæ. Militare imperium Abnero commisit, non tamen ob cognationis vinculum, sed propter excellentem virtutem, fidem, & præstantiam viri, *quia erat vir industrius, & bellicosus nimis*, ait Abulensis suprà. Cuius exemplum si alij obseruassent Reges, & sibi implectendum censuissent, plures forsitan victorias comparassent, vel minora saltem tulissent detrimenta. Filij quidem Zebedæi Iacobo, & Ioanni, qui consanguinitatis beneficio nulla sibi deneganda crediderant, primos accubitus in Christiano regno expetentibus Dominus respondit: *Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.* Matt. 20. 22. Ac si diceret: non cognationis, nec familiaritatis merito publica munia cõmitto, sed virtuti & industriæ defero, his vos instruite, vt apti ad illa reddamini. Idem etiam Dominus morti suæ proximus, dum cuique adstantium munera distribuit, latroni nempe paradisum: patri spiritum: matrem Discipulo: non eam matrem, sed mulierem dixit. *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus.* Ioan. 19. 26. nam dum suum cuique munus impertitur, totius consanguinitatis abolendam esse rationem censuit, & docuit, nec maternis officiis, sed meritis insistendum.

Matt. 20. 22.

Ioan. 19. 26.

LITERAL. MYSTIC. Gregor. 10 *Patruelis Saul.* Gregor. suprà. Quid est, quòd patruelis Saul dicitur: Patruelis autem dicitur, qui nascitur ex fratre patris. Vnde & hic quoque subiungitur: *Cis fuerat pater Saul, & Ner pater Abner, filius Abia.* Et cùm eligendus Rex peteretur, dictum est: *Erat vir nomine Cis filius Abia.* suprà cap. 9. Quia verò ista stirpis regiæ nomina quid significent, plenius exposuimus, hoc tantummodo exprimamus, quomodo Abner patruelis Saul esse reteratur. Sed Saul filius Cis, ideſt duri esse cognoscitur; Abner autem lucernæ filius perhibetur. Durum hunc austeræ nimis conuersationis viros ostendimus designare. Ner *lucernam* interpretari. Quid est igitur, quod lucerna, & durus eiusdem patris esse filij dicuntur, nisi quia à Deo est, & quod Scriptura sancta austerum præcipit, & virtus exterior duræ conuersationis.

LITERAL. Liran. 1. Paral. 8. 11 *Patruelis Saul.* Liran. ibidem. Ideſt cognatus germanus, quia Saül, & Abner fuerunt nati de duobus fratribus, vt habetur 1. *Paralip.* 8.

LITERAL. Abul. 12 *Patruelis Saul.* Abul. suprà. Abner erat filius Ner, & iste Ner erat frater Cis, qui erat pater Saülis. Vnde Abner, & Saul attinebant sibi in secundo gradu, ideò vocatur Abner patruelis Saul, ideſt filius patrui eius; nam Ner erat patruus Saulis, vt patet *infra*.

VERSVS LI.

Vulgata. VVlgata. Porrò Cis fuit pater Saül, & Ner pater Abner, filius Abiel.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraic. ex Xante Pagn.* Chis autem pater Saul, & Ner pater Abner, filius erat Abiel.

Vatabl. *Hebraic. ex Francisc. Vatabl.* Porrò Kis (fuit) pater Saulis, & Ner pater Abner: filij fuerunt Abiel.

Ariasm. *Chaldaica. ex Bened. Ariasm. in Regia.* Et Kis pater ipsius Saul, & Ner pater ipsius Abner filius Abiel.

Complut. Regia. *Graca ex Septuag. in Complut. & Regia.* Et Cis pater Saul; & Ner pater Abner filij Abiel.

Sixtia. *Grac. ex Septuagint. an Sixtia.* Et Cis pater Saul, & Ner pater Abenner, filius Iamin, filij Abiel.

PP. ET AVCTORES.

LITERAL. Abul. 1 *Porrò Cis fuit pater Saul.* Abulens. ibidem quæst. vlt. Vt patet *supra cap.* 9. Hoc ponitur ad significandum gradum affinitatis, qui erat inter Saulem, & Abner.

LITERAL. Author Catenæ. 2 *Porrò Cis fuit pater Saul.* Author Catenæ. Nulla hæc expositione indigent, quia exposita iam manent supra *cap.* 9. *v.* 1. Vnicam tamen difficultatem Septuaginta in Sixtiana conficiunt, qui patrem Abneri Iamin vocant, auum verò Abiel; sic enim legunt: *Ner pater Abenner, filius Iamin, filij Abiel.* Vnde colligi datur vnam generationem in Abneri genealogia prætermissam fuisse, quod etiam non infrequenter inuenitur in Scripturis, & patet præsertim in Christi Domini genealogia, quam ab Abrahamo deducit Matthæus c. 1. Matt. 1. Cùm verò nec Vulgata nuper correcta, nec Hebræus, nec Chaldæus eam noterit, credendum potiùs textui Septuaginta per mendum irrepsisse, quod hæpè alias commissum est.

HISTOR. Ioseph. 3 *Et Ner pater Abner filius Aciel.* Ioseph. lib. 6. Antiquit. cap. 7. Abenarus Neri fuit filius: Nerus verò, & Cis pater Sauli germani fuêre Abeliæ filij.

LITERAL. Comest. 4 *Et Ner pater Abner, filius Abiel.* Comest. in Histor. Schol. cap. 13. Cis & Ner fratres fuerunt; legitur tamen in *Paralip.* 1. *cap.* 8. quod Ner fuit pater Cis; quod per ætatem dictum est, & quia nutriuit eum.

5 *Et*

Literal. Abul. 5 *Et Ner pater Abner filius Abiel.* Abulens. suprà. Ex hoc patet, quod Ner pater Abner, & Cis pater Saül erant fratres, quia Ner erat filius Abiel, vt patet hic ; & Cis erat filius eiusdem Abiel, vt patet suprà *c.9.* ideò Saul & Abner erant patrueles, scilicet consanguinei in secundo gradu.

VERSVS LII.

Vulgata. *Vulgata.* Erat autem bellum potens aduersùm Philisthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

Glossa. *Textus Gloss. in margine.* Virum fortem, & *robustum* ad prælium.

VERSIONES.

Pagn. *Hebraica ex Xante Pagn.* Fuit autem bellum forte contra Peliſtim omnibus diebus Saul, & vidit Saul omnem virum potentem, & omnem filium robustum, & aggregauit eum sibi.

Vatab. *Hebraica ex Franc. Vatab.* Erat autem bellum graue contra Palæsthinos cunctis diebus Saulis ; & quemcumque videlicet Saul virum fortem, & militiæ aptum, hunc sibi adiungebat.

Ariasm. *Chaldaic. ex Benedicto Ariasm. in Regia.* Et fuit bellum validum super Peliſthæos omnibus diebus Saul. Et vidit Saul omnem virum virilem, & omnem virum facientem bellum, & congregauit illum ad se.

Complut. Regia. *Græc. ex Sept. in Complut. & Regia.* Et erat bellum potens nimis contra Philisthæos omnibus diebus Saul : & videns Saul quemcumque virum fortem, & quemcumque virum filium virtutis, & congregauit eos ad seipsum.

Sixtia. *Græca ex Septuag. in Sixtia.* Et fuit bellum validum super alienigenas omnibus diebus Saul : & videns Saul omnem virum potentem, & omnem virum filium virtutis, & colligebat eos ad se.

Vatab. *Vatab. in Schol.* Filium militiæ. *Id est bellica virtute clarum, pugnacem, & robustum.*

PP. ET AVCTORES.

Tropol. Gregor. *Dolor quæ sit?* 1 *Erat autem bellum potens.* Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. Debile, & omnino infirmum bellum illorum Doctorum est, qui nec lumen habent diuinæ cognitionis, nec fortitudinem boni operis. Potens ergo bellum dicitur, quando electis plebibus duri filij dominantur ; quia ille potest aliis vtiliter bona dicere, qui consuevit verba magna operatione præire.

Histor. Ioseph. 2 *Erat autem bellum potens.* Iosephus libr. 6. Antiquitat. cap. 7. Abundabat autem Saulus & equitatu, & curribus, & cum quocumque hoste congressus semper victor reuertebatur, itavt Hebræorum res ad felicem statum perduxerit, & potentiam eorum in tantum auxerit, vt omnibus finitimis essent formidabiles. Ex iuuentutis verò numero, robore, ac specie præstantissimum quemque in suum deligebat satellitium.

Literal. Tropol. Beda. 3 *Erat autem bellum potens.* Beda lib. 2. exposit. Allegor. c. 10. Causa belli potentis aduersus Philisthæos illa maximè extitit, quia Saul fortes quosque, & aptos ad prælium viros sociabat sibi. Nam si Rex ipse nulla fortioris militiæ manu stipatetur, nequaquam vicinis hostibus terribilis eos ad bellum potenter excitaret. Sed sicut prioribus, eo vsque temporibus Israel illis turpissimè sine aliqua spe libertatis seruiret ; sic nimirum sic in Ecclesia quotquot dissoluti à bonis operibus, nec virtutum spiritualium famus militia præditi, quia desidiosi, negligentesque peccamus, hostibus infensis enerui torpore tributa sinistræ conuersationis solumus. At cum à peccati seruitute resipiscimus, spem vincendi resumimus.

Literal. Abul. 4 *Erat autem bellum potens aduersum Philisthæos.* Abul. ibid. q. vlt. Quia bellum Israelitarum contra Philisthinos fuit magis assiduum, & fortius, quàm contra alias gentes, cùm bella aliarum gentium breuiter finita fuerint ; dicitur hic specialiter de bello contra Philisthinos, scilicet quod fuit omnibus diebus Saulis ; nam ipse Saul in eo mortuus est, & tres filij sui qui nominati sunt hîc.

Literal. Author Catenæ. 5 *Erat autem bellum potens.* Autor Catenæ. Frequentibus licet cladibus confracti perdormari tamen omninò Philisthini non potuerunt, vtpote numero superiores, armis instructi, & bello fortes. Quos contra totius vitæ spatio Saul bellum gessit, armis iam & potentia audacior factus. Addit, nescio vnde Iosephus, equitatu, & curribus Saulem abundasse, cuius testimonium non omni fide dignum esse videtur, quia nunquam Scriptura, nec de Saule, nec de Dauide equorum, aut militarium curruum vsum aliquem scribit, vt notauit Abulens. 1. Reg. 8. q. 18. Et Salomon primus fuit, qui equorum, & curruum abundantia floruit : Saul autem egestate potiùs laborauit. Quin etiam equorum vsum in suo illo populo odiosum Deo fuisse satis colligitur ex eo, quòd Iosue olim præceperit currus illos, quos à deuictis Chananæis detulerat ; igne comburi, atque equos eneruari, nec illis vti permisit. *Fecitque, sicut præceperat ei Dominus, equos eorum subnervavit, currusque combussit igni* : Iosue 11. 9. Expressius verò prohibita à Deo Hebræis fuerat equorum copia. Deut. 17. 16. ibi : *Rex non multiplicabit sibi equos*, vt notauimus suprà *cap.* 8. *v.* 11. Nec video Saulem inde ab Scriptura, aut ab aliquo Interpretum reprehendi.

Ioseph. Ioue 11. 9. Deut. 17. 16.

Tropol. Gregor. 6 *Omnibus diebus Saul.* Greg. supra. Qui sunt dies Saul, nisi lucis opera ? Quod bellum Doctoris est aliud, quàm quod lingua conficitur ? Omnibus itaque diebus pugnat, qui multa alios docet, sed nihil docendo profert, nisi quod suo prius fulget opere. In die enim sua pugnat, qui verba prædicationis ex propria trahit luce virtutis. In die ergo alieno pugnare vult, qui contraire reprobis spiritibus satagit, non loquendo quæ agit, sed prædicando quæ nouit. Potest etiam per hoc, quod omnibus diebus pugnare dicitur, agonis spiritualis instantia designari ; qui enim vitam ducit plenam virtutibus, in diebus viuit.

Tropol. Idem. 7 *Nam quemcumque viderat Saul virum fortem.* Idem ibid. Quasi dicat : Ideircò bellare potenter poterat, quia congregare exercitum non cessabat. Sed quia non solùm fortes, sed etiam aptos ad prælium sibi sociare dicitur, cautus Doctor in eligendis Christi militibus demonstratur. Fortes autem ad ferenda onera quidam sunt, non ad prælia exercenda, quia præliari de fortitudine sua dum nesciunt, nequaquam possunt. Viri ergo fortes, & ad prælium apti sunt, qui sciunt expugnare, & volunt ; per voluntatem quippe fortes sunt, & per scientiam apti ad præliandum. Quid ergo isti nisi fortes, & non apti sunt, qui seculi magna faciunt ; & Christi agere leuia, & blanda non possunt ? Sæpe etiam in monasteriis conuertuntur, & qui seculi onera fortiter tulerant, in paruis

quæ agunt ; quasi inter magnos labores furdant.

TROPOL. Carth. *Prælatus quos sibi coadiutores eligat.*

8 *Sociabat eum sibi.* Carthus.ibi.art.28. Hoc ad litteram Regibus, atque Principibus est lectandum. Spiritualiter quoque Episcopi, & cæteri maiores Prælati suis collegiis, ac familiis, & numero sui Cleri debent gratis ac sapienter adiungere litteratas, & virtuosas personas, quibus dumtaxat conferre debent præbendas, dignitates, & Parochiales Ecclesias: quorúmque operatione, & consilio, opere prudentiæ, & virtute, cunctis valeant hostibus præualere. Quidam verò instar Pharaonis masculos necant, fœminásque reseruant, quia indoctos promouent, & carnales; deuotos verò, & sapientes refutant.

MORAL. Rangol. *Saulis prudentia.* Herodot.

9 *Sociabat eum sibi.* Rangol.in Comment.to.1. Prudentius quàm Ægyptij, atque Lacedæmonij, apud quos, inquit Herodotus lib.6. *Præcones, & tibicines, & coqui in paterna officia succedunt, & coquus è coquo, & tibicen ex tibicine, & præco ex præcone gignitur.*

MORAL. Sanctius.

10 *Sociabat eum sibi.* Centumputeolan.ibi.n.62. Præclarum Imperatoris consilium, quod etiam Imperatores alij cum magno rei bellicæ bono, & gloria secuti sunt. Vt enim timidi, atque imbelles homines, & ipsi plerumque impedimento sunt, & aliorum debilitant animos, neruósque dissoluunt, sic contra, qui strenui sunt, & ad omnem belli contentionem intrepidi; & ipsi rem promouent, & aliis ad rem præclarè gerendam, stimulos addunt, & ardorem.

METAPHRASIS

CAP. XIV.

Ex superiori Interpretum doctrina.

VIS autem castris vtroque exercitu consistente, Ionathas, Saulis primogenitus, qui & ipse bellicus creatus fuerat Imperator, Numinis inspiratione præmotus, inscio patre, & populo, ne forte impediretur, vnicóque adolescente armigero suo comitatus, hostium cuneos inuestigare, & si locus esset, turbare in animum induxerat. Illucescente itaque aurora, dum abesset pater, (qui in Migron sub malo quodam granato tentorium suum fixerat, cui etiam aderat Achias summus Sacerdos) binos præruptos quidem, arduósque scopulos, Boses, Seneque vulgò appellatos, impiger ascendit, media inter vtrosque via, quo incautos hostes præoccuparet. Iuuenem itaque ad facinus adhortatus: Eia, inquit, hostium castra penetremus, præsentis enim Numinis, & vincendi spebus intus alor; Deo enim leui manu, vel potenti virtute victores facere æque peruium est. Verum vt diuinum omninò placitum inuestigemus, signum ab ipsis hostibus capiamus, quod Deus ipse dirigat, exoro. Si ergo dum in eorum conspectum venerimus, se ipsos præstolari nos iusserint, ad nostros reuertamur: sin verò ad se nos accedere hortati fuerint, in eos intrepidi irruamus, quia in manus nostras sunt dediti. Annuente ergo iuuene, ac deuicto arduæ viæ supercilio, obuij Philisthæorum stationi comparent; quos illi vti ex cauernis, in quas se præ metu abdiderant, egressos credunt, ludibrio accipiunt. En Hebræi, inquiunt, egrediuntur de cauernis, suis: Huc adeste, & rei cuiusdam certiores fieris. Tum Ionathas en, ait, exoptatum, faustúmque omen, me me in eos irruentem sequere, in ditionem enim populi nostri datos prospectum habe. Pedibus igitur interdum manibúsque reptans, transcendit rupes armigero insequente; Philisthæi verò stupore perciti, & diuinitus immisso torpore obrigentes, nec defensioni, nec fugæ locum inuenientes Ionathæ dextera alij cadebant: alios armiger ipse cædebat; quasi viginti ergo ita breui occisi ab vtroque sunt, vt in spatio diurnæ arationis percussi fuerint, reliquis, qui viderant, terrore concussis, mutuísque se vulneribus confodientibus, terrá insuper ipsá diuinitus contremente. Hæc vt animaduertunt regij speculatores, qui in Gabaa, excelso loco siti, excubias agebant, occisorum cadauera considerant, diffusásque vndique & conturbatas acies Sauli deferunt; is verò an ex suis aliquis cum hoste confligat, indagaturus, omnes supputari iubet, & dum abesse Ionatham cum armigero videt, Deum per Arcam, quæ ex Chariatharim asportata fuerat, consulere Achiam iubet, quid nempe agi, vel in periclitantis filij patrocinium, vel in hostium irruptionem expediat; excrescente verò interea inimicorum tumultu, vidénsque damnosam sibi suspensionem fore, Pontificem ab incæpto reuocat, quandoquidem filio absque vlla mora subueniendum sit. Igitur in hostem fit clamor, & impetus, quos inter seipsos depugnantes, & mutuò se perimentes inueniunt. Plures tum ex Hebræis, qui apud Philisthinos commodi, aut lucri gratiá vixerant, & in prælium ab ipsis fuerant cohibiti, tum demum deficientes ad suos confugêre, quibus etiam ij accessêre, qui timore antea correpti in caueas, & subterraneos specus se absconderant. Sentiebant enim ex antris montis Ephraim, qua recessus fiebat hostium Philisthinorum cladem & fugam, itavt Saülis exercitus ad decem millia vsque virorum excresceret. Cessit igitur Sauli diuinitus victoria, qui vsque ad Bethauen cum hoste conflixit; inde ille in fugam versus omne præsidium in pedibus credidit ponendum; quem Rex, dum effusis castris sequitur, ne quaqua effugiat sub execratione seriò cauet, ne quisquam militum ante occasum Solis cibum capiat, sed hosti penitùs delendo procumbant. Cuius edicto ab omnibus obsecundatum est. Vnus tamen Ionathas, qui patris imprecationem non audierat, inuento forte ad manum super terram fauo (nam in syluam apibus refertam, quæ in arboribus nidificabant, exercitus deuenerat) virgam, quam gestabat dextera, melle intinctam, ori applicuit, quo & renouatos spiritus, & oculos inedia debiles, illuminatos, & confortatos sensit. Paternæ verò admonitus sanctionis, imprecationisque, esse quidem destitit, negauit tamen recte id à patre dispositum, refectus enim aliquali cibo exercitus, maiori alacritate hostem vsque ad internecionem persequeretur, cùm potissimum eorum præda ad manum haberetur. Quasi ergo octo horarum spario à Machmas scilicet, vsque ad Aialon cum Saul Philisthæos insecutus fuisset, & ingenti vastasset clade, substitit post vesperum fame, & labore populo deficiente. Tum demum ad prædam versus oues, & boues qualicumque modo iugulatas, & male à sanguine repurgatas miles famelicus præ cibi auiditate vorabat, & diuinam infringebat legem. Hoc vt ad Regem defertur per Scribas, vehementer indoluit, remediumque vt citissimè prouidens, multitudinem admoneri iubet,

&

& ſaxis aliquibus erectis cauet ſuper ea, & ſe coram, pecora taliter iugulétur, vt ſupinis ceruicibus totus cruor effluat in terram, ſicq; vſque ad noctem illam actum eſt. Saul verò in partæ victoriæ monumẽtum Aram ibidem erexit, qua etiam pro populi delicto litaret, vel populus ipſe grati etiam animi ergo, pacificas victimas Deo, miniſterio Sacerdotum, immolaret; quod quidem Altare prius fuit ex iis, quæ Saül ædificauit. Inſuper vt milites cibo ſumpto recreatos, & animoſiores videt, ad pugnæ inſtaurationem hortatur, vt palantes hoſtes, & timore perterritos, funditus deleret. Annuit exercitus, Sacerdos verò Achias Deum priùs per Aream, quæ tunc aderat, conſulendum monet, annuentéque Rege Deus conſulenti Pontifici non reſpondit. Hæret tunc Rex, & reſponſi negationem, ſuæ, vel populi culpæ adſcribens, iubet, Dei actus inſtinctu, ad ſe congregari copias, vt reum miſſis ſortibus deprehendat, ac puniat, addito iureiurando, nullam habendam cuiuſuis, vel filij etiam primogeniti rationem, cui populus obſiſtere auſus non eſt. Secernitur ergo hinc eius præſcripto populus, inde Rex ipſe cum filio, & præmiſſa in hunc ſenſum oratione ſic farus: Domine Deus Iſrael indica cauſam, obſecro, ob quam reſponſum denegaueris. Si ipſe, aut filius fortè deliquimus, oſtende, ſortem aduerſus nos dirigendo, vel ſi innocentes ſumus, & quis potiùs de populo peccauerit, præbe innocentiæ noſtræ teſtimonium. Sorte tandem Rex ipſe & filius Ionathas rei deprehenduntur; iterùm autem inter vtrumque immiſſa ſorte Saulis iuſſu Ionathas ſors captus eſt, quem pater in quo deliquerit, rogat; ille verò ingenuè confeſſus: equidem pater, inquit, nihil mihi conſcius ſum, niſi quod edicti tui neſcius guttulam mellis, quam virgâ ſuſtuli, ori admoui, quòd cùm leuiſſimæ culpæ ſit, iniquum erit me propterea occidi. Rex verò mortem euaſurum negat, Deúmque in eius teſtimonium iurat; neque enim leuem credebat culpam, propter quam & Deus reſponſum negaret, & victoria imperfecta remaneret. Populus verò rem moleſtiſſimè ferens apertè Regi obſtitit, iniquum, & minimè ferendum inquiens, Virum fortiſſimum, vel Regiæ ſtirpis dignitate prætermiſſa, cui ſalutem, & incolumitatem Dei populus referret acceptam, interfici, nec ſe vnquam paſſuros, vel capillum etiam eius capitis imminui, & dum eadem iuramentis obfirmat, ceſſit vel inuitus Rex, & Ionathas certum capitis diſcrimen euaſit. Deſtitit igitur Philiſthæos perſequi Saül, cæſis circiter ſexaginta millibus, nec Deo, vt ſuſpicabatur, irato, martem iterum tentare auſus eſt; illorum verò refidui ad ſua ſe, tenebrarum beneficio ſecuri, receperunt. Pugnauit deinde Saul, regno iam victoriis confirmato, contra Ammonitas, Moabitas, contra filios Edom, & Regem Soba, ac Philiſthæos ex quibus omnibus plures retulit victorias, nec victus vſquam extitit; illud tamen bellum plus fuit famoſum, quo Amalecitas vicit, ac deleuit, ſuo populo ab eorum irruptionibus liberato. Filios habuit Ionatham primogenitum, Ieſſui, Melchiſua, & Iſboſeth: filias autem Merob natu maiorem, & Michol; vxorem verò Achinoam filiam Achinaas, concubinã etiam Reſpham ex qua liberos plures accepit. Imperium militare dedit Abnero germano ſuo cognato, ſeu patrueli orto ex fratre patris ipſius Saulis Ner; erat quippe Abner filius Ner, qui Cis patris Saulis frater fuerat, vterque verò orti fuerant ab Abiel. Inter omnia verò Saulis bella, quod geſſit contra Philiſthæos potiſſimum fuit, ac potentiſſimum; ad ipſius quippe vſque necem perdurauit: habebat quoque Saul exercitum florentiſſimum, nam quoſcumque fortes viros, militiæque idoneos viderat, ſeu audierat, in ſuæ album adſcribebat.

PRÆMO

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

APPOSVERAM suis quibusque locis Institutiones quasdam tam literales quàm morales, quæ ad maiorem tum literæ tum moralis disciplinæ explanationem conducerent. Sed amicorum monitu eas ad finem huius Tomi reiicere decreui, ne Catenæ series iis videretur abrumpi, vt quem eas legere libuerit, in vnum seorsim locum congestas habeat.

INSTITVTIO I.

Moralis.

Veræ lachrymæ numquam à diuino conspectu vacuæ redeunt.

Ad illa verba Flens largiter *cap. 1. v. 10.*

1 LArgissimus Annæ fletus, prolixi gemitus, exuberantes lachrymæ, ad longam nos, & prolixam gemituum, & lachrymarum collaudationem inuitabant; in quod nos etiam opus sacrarum Scripturarum, sanctorúmque Interpretum effusæ conclamationes, & elegantes lachrymarum panegyrici pertrahebant? neque exiguum temporis spatium sibi vindicaret diues, & multiplex materia. Cæterum breuitati vt par est consulentes, oportet cuncta perstringere; eámque tantùm lachrymarum laudis partem exornare, quæ absque loci præsentis iniuria prætermitti non posset; Veras videlicet lachrymas nunquam è Dei præsentia tristes ac vacuas, vt dedecet, è conspectu Principis exisse. Cuius testimonium Annæ negotiatio persuadebit.

Lachryma interdum falsa. Abul. *Lachryma mulierum sæpe falsa.*

2 Veras dixi lachrymas, vt à meo instituto illas arceam, quæ falsæ interdum, & fucatæ, quales plerumque fœmineæ esse solent, quæ abundantes licet, ex sicco pectore, & arenti corde procedunt; vt in præsenti annotauit Abulensis quæst. 12. Veras Annæ lachrymas commendans, vtpote ex afflicto corde & amaro animo. *Videbas*, inquit, *Elcana, quòd lachryma Annæ non erant mendaces, sicut interdum lachryma fœmineæ sunt cum nullo dolore. Promptissimum enim est cuicunque fœminæ plorare; etiam si nulla causa subsit.* & Euripides. *Mulier ad lachrymas nata est.* Huic fœmineæ leuitati lepidè allusisse videntur, festiui illi paranymphi, qui cùm ad Christi Domini Sarcophagum, seu inane iam sepulchrum, Mariæ Magdalenæ largissimos fletus, non sine inuidia cótemplarentur, ignorantiam simulantes interrogant. *Mulier quid ploras?* Ioan. 20. Non vocant Mariam, quam satis nomine nouerant, *sed mulierem*, quasi per iocum, & dicterium, vt mulierum in lachrymas inanes promptitudinem carperent: quod argutè annotauit Hieronymus epist. 105. q. 5. *Vt ex eo*, inquit, *quòd appellarunt mulierem, arguant frustrà plorantem.* Et Seneca lib. de Tranquillitate animi c. vlti. *Plerique lachrymas fundunt, vt ostendant, & toties siccos oculos habent, quoties spectator defuit.* Longe ab hoc ementito lachrymarum genere Annæ lachrymas considera; quæ vt ipsa testatur infra, v. 15. Effudit animam suam in conspectu Domini. Animam, inquam, non inanem tantum humorem; ita vt toto pectore totísque viribus gemitus, ac singultus emittens, quasi colliquatam animam per oculorum fontes profuderit, cui cum Ieremia optimo flendi præceptore, liceat dicere. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Threnorum 3. cùm per eos tota cordis atque animi facultas effluxerit, vt exponit Paschasius ibi libro 3. dicens; *Oculus deprædari dicitur animam, quando omnes affectus doloris, & mœroris effuderit: quando omnem langorem & ardorem per lachrymas monstrauerit; quando omne, quod in ea est, quasi fluuius de fonte effluxerit.* Hæc ille. Thren. 3. Paschas. *Anna lachryma vtra.*

3 Veri ergo erant Annæ singultus; veræ, & non fucatæ lachrymæ. Restat vt eius exemplo quanta earum vis; quanta penes Deum sit dignitas videamus. Quámque certò quidquid intenderint allequantur. Et quidem Annam in primis lachrymarum præsidio naturam superasse, ac correxisse, eiusque auctorem in petitionem suam ac votum impulisse, sancti annotarunt Patres in præsenti, vt nuper vidimus. Ephrem Syrus. *per lachrymas*, inquit, *Anna Samuelem accepit Propheram.* Rupertus. *Largo fletu matris Samuel comparatus.* Antiochus. *Vbi lachryma, ibi exorabilis Dei clementia.* Chrysost. *Præoccupauerunt linguam lachryma, ijstu inflectere Deum sperat.* In quem loquendi modum cæteri Interpretes conspirant. Ephrem Syrus. Rupert. Antioch. Chrys.

Lachryma terrã animã fœcundant.

4 Terræ desertæ, & inuiæ, & inaquosæ, persimilis Anna fuerat, ex qua nullos vnquam sobolis fructus, pius Elcana speraret; lachrymarum verò quasi cœlestibus imbribus madefacta, vel etiam inebriata, in miram vbertatem erupit; ita vt non solùm Samuelem; sed plurium quoque filiorum fructus pareret. Sic vtique rem contemplabatur Chrysolog. ser. 73. *Anna*, inquit, *Sare consterilis lachrymis orationum suarum madefecit aridissimam*

sui

sui corporis, & natura quandiu fuerat longo vitæ tempore negata potestas. Chrysologo consonat
Chrysol. Chrysost. hom. 6. in Matthæum sic fatus. *Idcirco sterilitatem eius in fœcunditatem Deus mutauit, & quasi e duro quodam saxo agrum fertilem reddidit.* Et iterum homil. 3. de fide Annæ profutius. *Volo*, ait, *vos ad Annam introducere, atque in pratum virtutum illius inducere sermonem. In pratum*, inquam, *non quod rosaria profert aut alios flores, qui marcescunt; sed quod deprecationem ac fidem, magnamque tolerantiam; siquidem hæc sunt longè vernantibus floribus redolentiora, vt quæ non aquarum fontibus, sed lachrymarum imbre rigantur; neque enim perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, vt plantam deprecationis fontes lachrymarum irrigantes, facium in summam altitudinem excurrere; quod huic contigit mulieri, simul enim vt locuta est, subuolauit in cœlum eius deprecatio, ac fructum ipsi produxit tempestiuum, sanctum videlicet Samuelem. Hucusque Chrysost.* Lachrymarum ergo cœlestis irrigatio non solùm fœminæ, vt virtutum germina gigneret animum fœcundauit, sed & vt procrearet filios, adaptauit corpus.

5 Annæ fortè immemor non erat Psaltes cùm clamabat. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.*
Psal. 142. Psalm. 142. arida vtique sordida & sterilis. Quid ergo? Aperiantur fontes abyssi; rumpantur cataractæ cœli; vel planius ac simplicius, oculorum profluant gurgites, irrigentque sitientem animæ terram, vt flores, fructusque pariat. Audi August. ser.
August. quodam ad fratres in Eremo. tom. 10. *Fletuum imbribus debemus irrigare terram mentis nostræ, vt pariat fructus bonorum operum diuersósque flores virtutum.* Quod vt præstitit Anna, & mentis, & corporis fructus vberrimos, ac pingues generauit. Iterùm
Chrysost. Chrys. hom. 4. ad populum Antiochenum. *Non sic*, inquit, *semina delatus imber germinare & crescere facit, vt pietatis semen excitat, & vernare facit ex lachrymis ruens imber.* Petrus denique Celensis, lib. de panibus c. 12. *Cum profusione lachrymarum tota irrigatur conscientia, ligna producuntur, fructum vitæ faciemus.*

Lachryma omnia consequuntur.

6 Ita plane Anna lachrymarum beneficio, quidquid exoptauit obtinuit. Restat, vt videas, non illi singulariter tam faustè planctus cessisse industriam; sed pari quoque benignitate & felicitate cum omnibus iis agi, qui gemitum, ac lachrymarum præsidio se se instruxerint. Quocirca innumera sunt & sacræ Paginæ testimonia, & effusi quoque Patres & Interpretes. *Ingemuit* Tobias ait Scriptura, *& cœpit orare cum lachrymis.*
Tob. 3. 1. Tob. 3. 1. An votis suis cecidit? Ingemuit quoque Raguel, & exauditam se esse minimè dubitauit. *Non dubito*, inquit, *quòd preces & lachrymas meas in conspectu suo admiserit.*
Ibid 7. 13. Ibidem 7. 13. Dei indulgentiam fusis Iudith lachrymis postulauit. Iudith. 8. 14. Nonne
Iudith. 8. 14. quidquid in animo habuit, assecuta est? an verò Ezechias spebus suis elusus cùm lachrymas fudit? *Audiui*, ait Deus, *orationem tuam, & vidi lachry-*
4. Reg 20. 5. *mam tuam.* 4. Regum 20. 5. *Facilè Deus*, inquit,
Tertull. Tertullianus lib. 5. contra Marcionem *Ezechiæ fletibus flectli.* Fleuerunt Dauid & Petrus. Vter exauditus non est? Luxit Maria Magdalene, nec alia opus habuit opera; & fexcenta alia. Concludat
Chrysost. ergo Chrysostom. *Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non, quod postulauit, acceperit: nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui non impetrarit: Ipse enim est, qui consolatur flentes, dolentes curat; pœnitentes informat.* Quæ eo aperta sunt, vt ne Ethnicorum quidem notitiam, & experientiam effugerint. Athenienses enim Clementiæ aram struentes non victimarum sanguine imbuendam, sed solis lachrymarum imbribus obruendam, & suspiriorum ignibus struendam iudicarunt, atque statuerunt, vt author est Euseb. lib. 12. iis enim potius hostiis Deum promereri sibi persuaserant, ac si credidissent Cassiodoro in Psalmum 38. dicenti. *Violenta sunt in precibus lachryma, & ad clementiam medicinalem animum miserantis adducunt.*
Euseb. Cassiod. *Lachryma præstans aliis bonis operibus.*

7 Mirum quidem est, cum tot Deus clementiæ suæ conciliandæ instrumenta hominibus pitissime reliquerit, tantum lachrymas & singultus cæteris cunctis præstitisse, vt non solùm potissimum illæ sint humanarum calamitatum remedium, sed interdum singulare & vnicum; quo vno deficiente, reliqua omnia quasi inania & eneruata videantur. Vnde Ioanni Climacho apud Eliam Cretensem, in
Ioan. Clim. Elias Cret. orationem Nazianzeni de Gorgonia licuit dicere. *Lachryma nisi diuinitus data essent; pauci inuenti essent, qui salutem consequerentur.* Huc quoque referunt aliqui difficilem illum Isaiæ locum, c. 21. 2.
Isai. 21. 2. *Ascende Ælam; Obside Mede: omnem gemitum eius cessare feci.* Qui obscurus satis cùm sit, varias admittit expositiones, nam Septuaginta ita vertunt,
Sept. vt contrarius Vulgatæ sensus videatur; nempe. *Contra me Ælamita, & Legati Persarum veniunt. Nunc ingemiscam, & consolabor me.* Mirificè tamen in nostrum institutum, vtraque lectio conspirat. Nam si iuxta Septuaginta legamus, sensus erit planus. Audio aduersus me potentes hostes insurgere; nempe Ælamitas & Persas. Restat mihi tamen ad manum certum præsidium, videlicet singultuum, & lachrymarum, quo consolatus incolumitatem, & victoriam sperabo. Fauet huic sensui Hieronym.
Hieron. ibidem tom. 5. in spiritualem intelligentiam ita conuertens. *Ælamita interpretantur, Despicientes; Persa Tentantes. Veniant igitur hi, qui despicere solent, contemnere atque tentare: sed ego ingemiscam, & gemitus meus erit mea consolatio.* Ecce aduersus animæ superbissimos hostes nos pro nihilo ducentes, & tentationibus vrgentes, tutum, & singulare præsidium: fleto, ingemisco, lachrymis tanquam duplicibus armis instruere, & minimè de victoria desperato. Iuxta Vulgatam verò si legas, ita accipe, vt sensus sit: Inuitati ab irato Deo Ælamitas & Persas in Babylonis perniciem & interitum; quos vt confirmet, & certa prædæ spe ad arma concitet, prius exponit, omni iam præsidio, ac munitione destituram incursantibus exponi; cùm vnicum illud foret luctus, gemitus, & lachrymarum effusio; quæ cùm Dominus cessasse, & de medio sublata fuisse confirmet; certæ & ineuitabili ruinæ, atque excidio ciuitas misera obiacebat. Nam licet ieiuniorum, eleemosynarum, & quarumcumque aliarum virtutum præsidiis muniretur, lachrymis deficientibus totum rueret, nec vlla staret peccatrici Reipublicæ spes salutis.

Lachryma Deum placant.

8 Babylone Niniuem transeamus, cuius Princeps dum Ionæ comminationes percepisset, instaréque vrbis fata, non solùm ipse ad lachrymas, & pœnitentiam impigrè conuolauit, sed & cuiusuis ætatis & sexus homines ad eandem confugere ieiuniorum, fletuum, ac singultuum arcem præcepit. *Operiantur*, inquit, *saccis homines, & iumenta & clament ad Dominum in fortitudine*; Ionæ 3. 8.
Ionæ 3. 8. Nec infaustè successit industria. *Et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Ibidem, v. 9. Ecce pœnitentiæ prærogatiua: Ecce lachrymarum præsidium. Age tamen, & ipsi deinde Domino cum Iona secreto

creto colloquenti admoueamus auditum. Nam cùm mutati consilij, & concessæ vrbi indulgentiæ querulo Prophetæ rationem redderet; sic fatur. *Ego non parcam Ninive ciuitati magnæ, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram, & sinistram suam?* Ibid. cap. 3. 11. An, inquit, tot innocentium puerorum & infantium simplicitati ac innocentiæ non attendam? An insontes paruulos cum parentibus supplicio inuoluam? Horum quidem causa cum agatur, hæreo, concidit è manibus gladius, friget ad pœnam feruor, nec ad atrox eorum excidium fertur animus. Hæc Deus. Ex quibus insurgit difficultas. Faretur quidem se infantium considerata innocentia, torpere, nec posse se insontium sanguinem fundere; quorum respectu sontibus quoque indulgeri oportere. Contra: Num puerorum & paruulorum modo innocentia creuerat? Num numerus? Minime quidem: at qui cùm prius delendam funditus vrbem Deus statuisset, infantium eorundem caussa quoque agebatur. Nec ea tanti apud Deum sterit, vt eorum ratione parentibus, & conciuibus parcendum fore Deus credidit; quid ergo eisdem manentibus causis, se se Deus eorum innocentia præpediri, & coarctari, ad facinus omittendum fateatur? Recens quidem caussa nulla appareret, nisi ipsorum innocentium lachrymæ, singultus & miserabilis eiulatus, quorum virtute in tantum Dei furor constringitur, vt & ipse ad pœnitentiam, & resipiscentiam traharur velut inuitus; vt videas plus reis ciuibus paruulorum gemitus profuisse, quam innocentiam; maiorisque fuisse emolumenti lachrymas, quam innocuos mores; quæ nisi accessissent, ipsa etiam innocentia locum misericordiæ minime inuenisset. Nunc accipe Ambrosium in cap. 3. Ionæ. *Non sufficiebat*, inquit, *ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata paruulorum innocentia deploraret.* Non solitariè innocentia, sed innocentia deplorans: vnæ namque innocentium lachrymæ, diuinæ iræ incendia restinguere potuerunt, de quibus liceat dicere. *Extinxerunt impetum ignis.* Hebræor. 11. 34.

Ambros.

9 Nunc luctum & gemitus cum oratione & eleemosyna lubet conferre; vt simul videas has ab illis non modicam virtutem atque efficaciam mutuare, ipsisque præstantissimum decus, & splendorem acceptum referre. Cui alluserit certe Raphaël Angelus sic olim illuminato nuper Tobiæ fatus. *Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem, in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Tobiæ 12. 12. expende, & orationem, & misericordiæ opera, eleemosynas, & mortuorum sepelitionem, cum lachrymis allociatas, & exornatas, Deo, vt gratissimæ forent, referri oblatas, à quibus decorem acciperent, & dignitatem. *Holocaustum siccum*, ait Gregor. in Psalm. 50. *est bonum opus quod orationis lachryma non infundunt. Holocaustum pingue est, quando hoc, quod benè agitur, corde humili etiam per lachrymas irrigatur.* De oratione, audi Hieronymum in Isaiam dicentem. *Oratio Deum lenit, lachryma cogit; hæc vngit; illa pungit.* Hæc duo sunt brachia lachryma, & oratio; Hi validi lacerti, quibus Iacob Deum ipsum in agone superat, & quam expetit, benedictionem extorquet, vt ex Hugone Charensi infra videbimus, num. 15. De eleemosyna verò lege Ecclesiast. 11. 1. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas.* Super quasnam aquas? an in flumen proiiciat cum desperatione prouentus, & vt Hispanicum proloquium fert *Eltrio abajo?* Minime quidem, sed super aquas lachrymarum, quæ irrigant paradisum. *Aqua hæc paradisum rigat*, ait Petrus Celensis suprà relatus. De his enim aquis exponit Catena Græca, dicens. *Cum lachrymis fac eleemosynam omni transeunti.* Et meritò: nam cum illæ sint Deo pergratæ, gratum quoque munus ipsarum sit commendatione, & consortio.

Lachryma orationi & eleemosynæ præstant.

Tob. 12. 12.

Hieron.

Gen. 32. 26.

Hugo.

Eccles. 11. 1.

Petr. Cel.

Catena. Græca.

10 Nihil igitur non consequitur gemitus: nihil lachrymis impenetrabile. Ignea etiam romphea, quæ paradisi foribus viam obstruit, lachrymis cedit, vt aquæ ignis, teste Augustino sermon. 11. ad fratres in eremo tom. 10. *Paradisum simul lachryma aperit, infernum claudit. O felix tabula! ô vitalis nauicula!* Nec extrema hæc est lachrymarum potentia. Ipsas enim sempiternas Erebi flammas, tartareáque incendia, si vel modica tingerentur lachrymula, ipsa restingueret, si Chrysologo fides adhibenda, qui sermon. 93. *Quanta*, inquit, *vis est in lachrymis peccatorum! Rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam.* Accedat versio Chaldaica loci illius. Psalmi 83. 6. *Beatus vir cuius est auxilium à te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum.* Quæ verba sic Paraphrastes conuertit apud Genebrardum ibid. *Peccatorum, qui transeunt per profundum gehennæ, flentes, fletu sicut fontem ponent illud.* Quasi diceret. Si damnatis gehennam patientibus darentur lachrymæ, absque dubio non tantùm voraces flammarum globos extinguerent, sed earum beneficio ardentem quoque fornacem in locum irriguum, & amœnum, quasi ex perenni fonte conuerterent. Ex quo Hieronymus ad illa verba Lucæ 16. *Ibi erit fletus, & stridor dentium*, negat de vero fletu exponenda esse, nec doloris fletum esse, sed fumi vi lachrymas elicitas, & excussas. Hinc etiam lumen datur ad penetrandam Diuitis auari, inter gehennæ incendia, petionis naturam, cùm ad Abraham conuersus orat, vt Lazarum sibi remittat, *vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Lucæ 16. 24. Quanta enim est aquæ guttula, tot flammarum vorticibus, tot rogorum incendiis? Hæccine refrigerabit linguam, quam totus tartarus adurit? Vtique quidem si stilla sit aquæ lachrymarum, quam enixè ille optabat & deposcebat in cassum. Sic saltem meditabatur Bernard. serm. in illud Iob 5. *In sex tribulationibus.* dicens. *Vtinam nunc quis daret capiti meo aquam. Ideoque forte huius aquæ guttam ad restinguendam flammam postulauit in flammis Diues auarus.* Fauet huic existimationi; inopes, qui linteolis non abundant, Lachrymas solere digitorum extremitatibus abstergere. Iis igitur digitorum extremitatibus, quibus sæpe Lazarus ærumnis & egestate pressus ad lachrymarum tersionem vsus fuerat, impœniteos Diues inhiabat; nam lachrymas ad suam prorsus conducere salutem, & ad beatitudinem vnicè spectare iam nouerat; Nec tantum beneficas pauperis manus exposcebat, quam digitos Crystallino sæpe lachrymarum humore madentes, nectare Angelorum intinctos. Vnde mirari desino Petri Celensis exaggerationem libr. de panibus capit. 12. dicentis. *Suam tolerabilius Diabolus sustinet flammam, quàm lachrymam nostram: acriúsque contristi cordis lachrymâ, quàm flammâ infernalis incendij torquetur.* Ratio est, quia si lachrymæ damnatis

Lachryma gehennam extinguerit.

Aug.

Chryf.

Chald.

Genebr.

Luc. 16.

Hieron.

Luc. 16. 24.

Bernard.

Petr. Cel.

Lachrymæ Diabolum torquent.

damnatis concederentur, solueretur tartarus; rueret totum Dæmonis imperium. Damnati quoque in beatos earum beneficio repente transirent. Maxim. De hac vtique aqua loquebatur S. Maximus homil. 2. De eleemosyna, cùm rogitat. *Quæ est illa aqua, quæ consumit flammas, neque ipsa consumitur à peccatoribus; sed gehenna consumit incendia?*

Lachryma voces habet. 11 Alia quoque est lachrymarum dignitas, alia luctus prærogatiua, vt ipsæ solitariæ, ac tacitæ lachrymæ, nulla sermonis voce, nullo sono, aut spiritu animatæ, efficaciter clament, efficacissimè negotientur, vt in ipsius Annæ luctu videre licet, de Chrysost. qua Chrysostomus hom. 24. in epistolam ad Ephesios. *Linguam*, inquit, *præcurrebant lachrymæ.* Neque enim lingua, vel loquacibus saltem nutibus lachrymæ carent. Sed *Interdum lachryma pondera vocis habent.* Et Author Glossæ Interlin. in cap. 7. Ouid. Interl. Iudith 18. *fusis lachrymis postulemus, quæ pondera vocis habent. Quæ impetrant, non supplicant.* Ambros. verò lib. 10. in Lucam. *Lauant lachryma delictum, quod voce, pudor est confiteri, & venie fletus consulunt & verecundia. Lachryma sine horrore culpam loquuntur: lachryma crimen sine offensione verecundiæ confitentur: lachryma veniam non postulant, & merentur.* Hæc ille. Augustinus libro meditationum, cap. 36. tom. 9. Aug. *Ipsa quoque lachryma tuum in me testentur amorem: ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantum te diligit anima mea.* Hieron. Hieronymus Threnor. 2. *Quando cum gemitibus Dominum deprecamur, sic quando ad eum lachrymas fundimus, eo tempore pupilla oculi mei clamat ad Dominum.* Chrysostomus denique homilia 6. in Chrysost. Matthæum de Anna loquutus. *Labia eius mouebantur, vox autem eius non audiebatur. Sola quidem lachryma emittebant vocem ad Dominum omni buccina clariorem.* Hinc Petrus post negationem fleuisse dicitur, non orasse, aut veniam petiuisse; vocis tamen vices fletus egit, vt ponderat S. Maximus *Petrus luxit, non clamauit.* hom. 3. de Petri negatione, quæ & Ambrosio tribuitur, in hæc verba. *Inuenio quod fleuerit, non inuenio quid dixerit. Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego, quia quod fieri solet, non solet excusari, & quod defendi non potest, ablui potest, lauat enim lachryma delictum, quod est pudor cõfiteri: lachryma verecundia pariter consulunt, & saluti. Neque enim lachryma erubescunt impetrando, & impetrant in rogando: veniam non postulant, & merentur.* Et Ambros. ser. 46. de Pœnitentia Petri. Ambros. *Lachryma, tacita quodam modo preces sunt. Veniam non postulant, & merentur: causam non dicunt, & misericordiam consequuntur.* Vnde vulgaris est hæc phrasis in Scriptura. *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei*, Psal. 6. 9. Pſ. 6. 9. *Auribus percipe lachrymas meas* Pſ. 38. 9. Cùm ad oculos potius spectantium lachrymæ pertinere videantur. Pſ. 38. 9. Thren. 2. 18. *Nec taceat pupilla oculi tui* Threnor. 2. 18. Imò iuxta Maximum, Maxim. *vtiliores lachrymarum sunt quàm sermonum, vocis, quia sermo in precando fortè fallit, lachryma omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, lachryma semper totum prodit affectum.* Præstant igitur Orationi, ac precibus lachrymæ, quæ tacitæ, ac solitariæ facundæ fiunt, rogant, obtinent, persuadent.

Lachryma vinum sunt Angelorũ & Dei. 12 Inquiris tandem causas propter quas tantum Deus cedat lachrymis, flectatur luctu, gemitibus placetur, qui ieunia interdum reiicit, despicit sacrificia, preces & orationes non exaudit? Cuius quidem duplex est ratio: altera, quia ea est lachrymis vis, quæ vino; vt instar nimio bibentis, capiant sensus, opprimant potentias, mentem alienent, atque ita extrahant; vt non mens, non animus, sed lachrymæ ipsum animum possidentes operentur. Alia ratio est quam supra tradidit Hieronymus, & ex eo Interl. Iob. 3. *Oratio Deum lenit, lachryma cogit: hæc vngit, illa pungit*, ita vt Deum quoque quasi renuentem cogat, & ad vota tandem pertrahat. Bernard. Circa priorem audiendus est Bernardus serm. 30. in Cantica, vbi sic habet. *Lachryma pœnitentium, vinum sunt Angelorum, quia in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ.* Hæc ille. Nec immeritò, quia si vinum lætificat cor hominis, Ecclesiastici 20. 4. Lachryma exhilarat mentes Angelorum. *Gaudium enim est in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente.* Lucæ 15. 7. Sed certè parum diximus, cùm non solùm lachrymæ vinum Angelorum dici possint, sed & ipsius quoque Dei, quo oblectatur, & quasi inebriatur, vt Noë. Hoc ne mirum fortè, & temerariè dictum videatur, notare oportet verba illa Psalmi 55. 9. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Pſ. 55. 9. Vbi Septuaginta in Complutensi & Regia ita legerunt. *Tu pone lachrymam meam in vtre tuo.* Consonat Tigurina, *Lachrymas meas repone in lagunculam tuam*, est autem laguncula vasculum vitreum, vel fictile, quo interdum apud lautè viuentes, vel bibentes, pretiosius vinum asseruatur, Hispanicè, *Botisa* vel *Garrafa.* Quod etiam innuit, *In vtre tuo.* Quasi ad tuam ipsius specialem oblectationem, & voluptatem: vt sua paraphrasi expositit Agellius ibi. *Oro*, inquit, *vt lachrymas meas temere fundi, ac perire non sinas, sed eas per stillas quasdam modo collectas in vtre tuo condas, & in rationibus tuis digestis earum numerum habeas.* Agellius. *Deus lachrymas sibi seruat in vtre, seu phiala.* Suspicor autem in his, ad id genus vini pretiosissimum alludi, quod lachrymæ vinum vulgo vocant, quod ex vuis nondum prælo compressis, sed suo pondere, & quasi sponte guttatim stillat, & sensim liquefit, quoad lauta quæque conuiuia, & Procerum mensas, est vsus. Vinum ergo lachrymæ diuino calici, & oblectationi summa solicitudine asseruari Propheta curat, & postulat, vt qui Dei gustum optime nouerat, sciebátque lachrymarum liquorem non Angelis modò, sed Angelorum quoque Domino merum esse summæ voluptatis, cui nullum aliud genus, nec Græcum, nec Phalernum conferri possit. Hinc idem Psaltes. *Calix*, inquit, *meus inebrians quam præclarus est?* Pſ. 22. 5. Pſal. 22. 5. Vbi August. lib. Meditationum cap. 36. Aug. tom. 9. legit. *Calix tuus*, & de lachrymarum accipit poculo, per hæc piissima & deuotissima verba *Lachryma Deum inebriant.* Deum allocutus. *Da mihi gratiam lachrymarum benedicte & amabilis Deus; præcipue ex multa dulcedine amoris tui, & commemoratione misericordiarum tuarum. Prepara hanc mensam famulo tuo, in conspectu tuo, & da mihi eam in potestatem, vt quoties volo satier ex ea. Tribue pro pietate, & bonitate tua, vt iste calix tuus, & inebrians & præclarus satiet sitim meam.* Hæc August. Quod si legas. *Calix tuus*, potes de calice Dei quasi patisuè accipere, quo scilicet iucundatur Deus. Si *meus*, idem est sensus, quasi dicat. Calix lachrymarum mearum, quàm præclarus est; quàm Deo gratus, & acceptus! Insuper inebrians est, eo enim Deus quasi ebrius, iucundus, hilaris, ac lætus redditur, mihique, quidquid expeto, lubens concedit: nec iam peccata mea cogitat, nec reseruat iram.

13 Posterior ratio ob quam tanta est ad Deum compellendum lachrymarum virtus; vt quasi re-

Hieron. nuentem Deum cogat, & constringat, vt suprà aiebat Hieronymus, ea videlicet est, quòd lachrymis vis quædam innata est, cui resisti minimè possit. *Oratio Deum lenit, lachryma cogit: hæc vngit, illa pungit.* Pungit, inquam; nam lachrymæ sagittæ quædam sunt aqueæ, quæ violentum Deo plagam infligunt. Sic enim eas vocat Clemens Alex. in exhortator. ad Gentes circa finem. *Confligamus*, inquit, *instructa acie aduersus Malum. Ignita Mali iacula extinguamus aqueis à verbo tinctis cuspidibus. Aqueis*, ait, *à verbo tinctis cuspidibus*, cuspides enim aqueæ sunt lachrymæ, quas Verbi diuini quasi elleboro tinginus, vt solent venatores iacula veneno medicari, vt insanabile sit vulnus. Hoc Dei pectori validè inferimus, cùm ploramus: hoc eum immedicabiliter sauciamus: cuius quidem vulneris ille conqueritur, cùm ad sponsam fatus clamat. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum* Canticorum 4. 9. *In vno* inquit *oculorum tuorum.* Subintellige munere: duo enim sunt oculorum munia; alterùm videre, alterum flere. In vno igitur istorum nempe in munere flendi & lachrymas fundendi, se se Deus in medio cordis vulneratum caussatur: nullum enim adeò violentum est vulnus. Vnde Ambros. sermon. 15. *Cogimus*, inquit, *regnum cœlorum, & vim quodammodo facimus non compellendo, sed flendo: non prouocando iniurijs, sed lachrymis exorando.*

Clemens Alex. *Lachryma sagitta sunt veneno medicata.*

Cant. 4. 9. *Lachryma cor Dei feriunt.*

Ambros.

14 Nec sagittæ solum lachrymæ sunt, sed & arcus quoque, quo sagittæ iaciuntur, quod suadet Dauidis authoritas Saülis & Ionathæ neces amarè deplorantis 2. Reg. 1. 17. nam cùm pio muneri satisfaceret: *præcepit vt docerent filios Iudæ arcum.* Verba quidem obscura satis; iussio vt videtur parùm ad rem pertinens. Quorsum enim cùm de luctibus, & lamentationę res esset, artem sagittandi, vt filios Iudæ doceant pius satagit Rex? quid arcus cum luctu, & lachrymarum effusione? quo hæc animo? quo consilio? sed facilis solutio est, si cum aliquibus legas, pro *arcu*, *planctum*, in hunc modum. Præcepit, vt docerent filios Iudæ *planctum*, hoc est, plangendi artem, & solemnem flendi ritum. Abul. ibi. quæst. 12. *In quibusdam libris nostris habetur. Præcepit, vt erudirent filios Iuda planctum.* Vbi videas arcum, & luctum promiscuè, & pro eodem vsurpari; nec immeritò; sunt enim lachrymæ non modò sagittæ; sed & validissimus, calybæúsque ad sagittandum arcus, quo Dei pectus sauciamus in vno oculorum officio, nempe flendi & lachrymas emittendi. Optimo ergo iure Cassiodorus supra: *Violenta sunt in precibus lachryma.*

Lachryma sunt arcus ad sagittandum Deum. 2. Reg. 1. 17.

Abul.

Cassiod.

15 Neque his tamen conquiescit animus, sed & brachiorum etiam munus lachrymas sortiri, probare intendero, quibus distenditur arcus, & proiiciuntur aqueæ hæ, violentæque cuspides lachrymarum. Huc refero Iacobi historiam cum Deo per preces & lachrymas colluctantis, atque etiam prævalentis, de quo Oseæ 12. 3. *Directus est cum Angelo & inualuit ad Angelum, & confortatus est: Flenit & rogauit eū.* Qua rogo fortitudine? quibus brachiis? quibus lacertis directus est ad Angelū Angelorum Domini personā agentē, & inualuit? *Flenit*, inquit, *& roganit eum.* Ecce brachia, ecce validissimi lacerti, quibus Deum ipsum edomuit. Accipe Hugonem de S. Charo in Postilla 1. Regum 10. *Hæc sunt duo brachia, videlicet oratio, & lachryma, quibus Iacob luctatus est cum Deo.* Vnde Oseæ 12. *Directus est Iacob, &c.* O robustissimæ lachrymarum vires! O validi lacerti! O inuincibilis potentia! *O lachryma humilis!* Concludat Laurentius Iustinianus lib. de ligno vitæ cap. 9. *Tua est potentia, tuum est regnum. Tribunal Iudicis non vereris: inimicorum tuorum accusationibus silentium imponis. Non est qui te ad Deum accedere vetet. Si sola intras, vacua non redibis. Quid plura? Vincis inuincibilem; ligas omnipotentem.*

Lachryma sunt brachia, & lacerti animi.

Osee. 12. 3. *Iacob lachrymis Deū superauit.*

Hugo. *Lachryma Deum euincunt.*

Laur. Iust.

16 Magna quidem, & diuina prorsus, quæ hucusque de lachrymarum dignitate & potentia diximus: restat tamen maximum earum enchomium, & vt colophonem insuper addamus; tanti videlicet eas esse valoris, ac pretij, vt Christus Dominus sanguini quoque suo superaddendas, ad humani generis redemptionem, & patris iram emolliendam, duxerit; & qui diuino cruori satis fiderat ad perficiendum redemptionis opus, lachrymarum tamen virtutem, atque efficaciam adiunxerit. Quocirca Paulus annotauit ad Hebræos 5. 7. cum clamore valido & lachrymis se se Deo Patri pro nobis obtulisse, & exorasse. *Qui in diebus*, inquit, *carnis suæ preces supplicationésque ad Deum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens.* Vbi de passione, instanti iam mortis articulo, sermonem esse suadet clamor ille, quo quasi de deserente se patre conquestus est; vel quo animam exhalauit. Vt videas iuxta sanguinem etiam, & mortem Christi lachrymarum quoque lucere dignitatem, nec earum fulgore offuscari. Hinc August. serm. 11. ad Fratres in eremo tom. 10. Passionis Christi vicarias lachrymas appellat. ibi: *O lachryma! tu contra ruinas hominum suaue solatium, quia passionis Christi es vicaria.* Et Ambros. lib. 6. in Lucam. *Bona lachryma in quibus est redemptio peccatorum.* Nec mirum id, cùm lachrymæ quoque sanguis sint, teste Nisseno orat. funebri de Placilla ibi. *Dolor in corde delitescens per fletus, & lamentationes significatur, ac vulnerum animi, tanquam sanguis lachryma sunt.* Idem etiam principium habent, ac sanguis defœcatissimus, videlicet cor; eundémque sortiuntur locum, quia, *non est aliud lachryma, quam aquosus humor ab oculis profluens ex imo corde.* Verba sunt Cœlij Rodiginij lib. 12. Lectionum Antiquarum cap. 3. Vnde ex Christi Domini corde, lanceæ ictu ictione scissio vnà prodierunt sanguis, & aqua; hanc verò lachrymas figurasse author est Chrysost. dicens. *Aqua lachrymas obumbrat, qua non præcedit sanguinem in latere Christi, quia nec & in æstimatione.* Hæc Chrysost. Ne tantam lachrymarum dignitatem crederes, vt sanguini quoque præponeres. Decedit quidem cruori pro Deo effuso lachryma pro ipso diffusa; vtrumque magnum, & alterius consortio quasi dignius ac pulchrius in Dei conspectu redditur. Vnde Chrysost. hom. 2. in Psalm. 50. lachrymas cum martyrio comparare non veretur, dicens: *Grandis lachrymarum virtus. Dicam tibi quid valeant lachrymæ: attende diligentius. Quid martyribus maius, qui animam ponunt pro amico suo; grandis gloria martyrum: martyres effundunt sanguinem: peccatores effundunt lachrymas. Meretrix non fudit sanguinem, sed fontes lachrymarum profudit, & deleuit peccata sua.* Ecce qualis lachrymarum prærogatiua; quantum meritum, cuius quidem prætagus fuisse videtur Rachelis animus, dum filios pro Christo ab Herode impiissimo tyranno iugulatos offerret; innocuo enim eorum sanguini suarum lachrymarum aquam admiscuit; *Vox in Rama audita est ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos.* Matthæi 2. 18. vt quos effusus pro Christo

Hebr. 5. 7. *Christus suo sanguini lachrymas addidit.*

Aug. *Lachrymæ passionis Christi vicariæ & corredemptrices.*

Ambros. *Lachryma, sanguis animæ.*

Nissen. *Lachryma prodeunt à corde.*

Rodigin. *Lachryma ex pectore Christi.*

Chrysost.

Idem. *Lachryma martyrio cōparantur.*

Lachryma innocentes pueros deceruant.

Matt. 2. 18.

cruor

cruor glorioſos effecerat martyres, matris quoque lachrymæ decorarent,& quaſi pœnitentes redderet Deo quidem ex duplicis ſanguinis commendatione gratiſſimos, ita meditabatur Ambroſ. epiſt.39. in lib.6.to.5.ſic fatus. *Rachel ploraut filios ſuos,vt lachrymis ablutos ſuis pro Chriſto offerret infantulos.* Totum denique inſtitutum confirmet Hieron.epiſtol.83.& martyrio,& Baptiſmo lachrymas conferens,& vtriuſque illas habere virtutem. *In Chanaa,* inquit,*conuertit Chriſtus aquam in vinum;in morte effluxit aqua,vt ſignificaret virtutem abluendi ſacri Baptiſmi; & Martyrij, quorum virtutem conceſſit aquis lachrymarum.* O eximium lachrymarum præconium! mira dignitas! mæſtimabile meritum! inſignis prærogatiua! Plura de lachrymarum dignitate recentiores, præſertim Andreas noſter Pintus lib.3.in Cant. cap.7. verſ.4.§.2.

Ambro. *Lachryme Baptiſmo & martyrio comparãtur.* Hieron.

Pintus.

INSTITVTIO II.

Moralis.

Vnitas & conſtantia ad exemplum Annæ, & Elcanæ commendatur.

Ad illa verba. *Vultus eius non ſunt in diuerſa mutati* c.1.v.18. *Annæ conſtantia.* Iob.17. Hieron. Gregor. Beda. Angelom. Petrus Damian.

1 COmmendanda venit virilis Annæ conſtantia,quam in præſenti Patres & Interpretes mirificè collaudant. *Abiit*, inquit Sacer Textus, *mulier in viam ſuam, & comedit:vultuſq; illius non ſunt amplius in diuerſa mutati.* Viam videlicet ſuam conſtanter tenuit, iuxta illud Iob 17. *Terebit iuſtus viam ſuam.* Nec eius vnquam vultus ſinceri animi indices,varias ſubiere formas,aut mutationibus deinde obnoxij fuere. Sic interpretantur Hieron.Gregor.Beda, Angelomus, Petrus Damianus,& plures alij.Pro cunctis ſufficiat Gregor.*quia videlicet*,inquit 3. parte Paſtoralis cap.31. *Mens eius nequaquam poſt preces inepta lætitia laſciuiendo perdidit, quod orationis ſuæ tempore gemituum rigore quæſiuit.* Quæ ad ſanctæ Eccleſiæ conſtantiam, & inuariabilem conſtitutionem refert Angelom. in Stromatibus dicens. *Quia Eccleſia in eadem gratia,atque dilectione, quam percepit perſeuerauit.* Vtrique, & Annæ,& Eccleſiæ illud congruit encomium: *Audax virago non tulit retro gradum.* Quod eò laudabilius in Anna eſt, quod fœmineum genus fragile,leue plerumque eſt,iuxta vulgatum illud.

Seneca. Trag.6.

Mulieres leues!

Quid leuius folio? murmur. Quid murmure? Ventus.

Quid vento?mulier. Quid muliere?nihil.

Elcanæ conſtantia.

2 Eiuſdem etiam virtutis animique conſtantiæ Annæ virum Elcanam fuiſſe teſtatur Scriptura hoc eodem c.verſ.1.Ibi enim vir vnus dicitur:vnus videlicet non tam numeri ſingularitate, quàm ſinceritate mentis, & morum vnitate,vt latius interpretatur Origenes hom.vnica de Elcana,aureis hiſce verbis. *Non me*, inquit, *latet, quod in aliquibus exemplaribus habetur: erat vir quidam, ſed in his exemplaribus, quæ emendatiora probauimus,ita habetur.Erat vir vnus. Vides ſi non hoc ipſum pertinet ad laudem iuſti quod dicitur de eo;Erat vir vnus. Nos, qui adhuc peccatores ſumus non poſſumus iſtum titulum laudis acquirere; quia vnuſquiſque noſtrùm non eſt vnus, ſed eſt multi. Intuere namque alienius vultum nunc tristis, nunc iterum triſtis,paulò poſt rursùm gaudentis, & iterum turbati, & rursùm lenis,in alio tempore de rebus diuinis,& vitæ æternæ alibus conſulentis;paulò poſt verò, vel quæ ad auaritiam, vel quæ ad gloriam ſæculi pertinent molientis. Vides quomodo ille,qui putatur vnus eſſe non eſt vnus, ſed tot in eo perſonæ videntur eſſe, quot mores, quia & ſecundum Scripturas inſipiens ſicut Luna mutatur.* hæc ille elegantter. Accedit Gregorius. *Vnus erat quia amore ſingularis.* Et Hugo Victor. *Benè dicitur vir vnus non numero; ſed quia nunquam mutatur, nec de ſe alter efficitur.* Quod ex eo confirmari poteſt, quod cum de Nabal Carmelo hoc eodem lib.cap.25.2.Scriptor ſermonem inſtitueret, non eum virum vnum, ſed quempiam dixit. *Erat autem vir quiſpiam in ſolitudine Maon.* Ecce mutatus narrationis ſtylus, & noua dicendi forma. Nonne numeri ſingularitatem & Elcana & Nabal vnus vterque erat? Vtique hic tamen *quiſpiam* dicitur, ille *vir vnus*; vt ad myſticum ſenſum intentis mentibus inter iuſtum & peccatorem, inter ſapientem,& ſtultum,diſtinguamus.Sic fiat,ſuadet Hugo Char. in Poſtilla dicens *Non dicitur vnus ſicut ſuprà cap. 1. de Elcana dictum eſt;quia vir ſapiens vnus eſt: ſtultus autem multiplex.Vnde Eccleſiaſtici.27.* Homo iuſtus in ſapientia manet ſicut Sol;ſtultus vt Luna mutatur. Vtriuſque igitur hominum generis duos hos coniuges, & ex aduerſo ſtultum Nabalum duces conſtituamus.Annam videlicet, & Elcanam virorum fortium,ſapientum,ac iuſtorum, qui Solis inſtar conſtantes ſunt: Nabalum verò inſipientium, ac peccatorum,qui vt Luna mutantur.

Greg. Hugo Vict. 1.Reg.25.2. *Stultus non eſt vnus.*

Nabal non vnus vir.

Hugo? Eccli.27.

Peccatores inſtabiles,inconſtantes.

3 Et quidem ſtultorum plena ſunt omnia, qui quaſi lunatici vel ſyderati ſumma leuitate,& inconſtãtia,has modò, modò illas,alias poſtmodu formas continuò ſubeunt: quos Dæmoniacus ille ſignificabat à Domino curatus, Marci 9. 26. quem & lunaticum fuiſſe Matthæus refert, vt aduertit Beda lib.3.in Marcum cap. 38. *Dæmoniacum hunc*, ait, *quem deſcendens de monte Dominus ſanauit. Marcus quidem ſurdum,mutúmque; Matthæus verò lunaticum fuiſſe commemorat: ſignificat autem eos, de quibus ſcriptum eſt:* ſtultus, vt Luna mutatur: *qui nunquam in eodem ſtatu permanentes, nunc ad hæc,nunc ad illa vitia mutati creſcunt, atque decreſcunt.* Hoc idem peccatorum inconſtantiæ & leuitatis argumentum proſequitur Hieronymus epiſtol.138.ad Marcellam his verbis.*Cum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei conditi ſimus; ex vitio noſtro perſonas nobis plurimas ſuperinducimus; & quomodo in theatralibus ſcenis vnus, atque idem Hiſtrio,nunc Herculem robuſtus oſtendit: nunc mollis in Venerem effingitur; nunc tremulus in Cybelem: ita & nos, qui ſi de mundo non eſſemus,odiremur à mundo,tot habemus perſonarum ſimilitudines, quot peccata.* Hanc etiam à diuina ſimilitudine alienationem hominum miratur Ceno Beronenſis ſermone 4.de Geneſi: Cùm Deus immutabilis omninò ſit; homo verò mille mutationibus obnoxius. *Videamus*, inquit, *quid ſit; quod Deus ait:*faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et fecit,*inquit*,Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei. *Et in alio loco dicit.* Ego ſum qui ſum,& non demutor. *Cum hoc ita ſit, homo, quemadmodum Dei imaginem portat, cuius vultus omni conuerſioni ſubiectus eſt: momentis omnibus:immutatur,labore,ætate, langore, gaudio, triſtitia;dive; nunc niacie tenuatus: nunc enormis pinguedine vſque adeò incertus, vt idem in duobus per orbem totum non poſſit inueniri terrarum. Iuſtus in Deum cum hac non incidant, Dei imaginem non habemus?&c.* hæc ille. Habemus quidem, ſed

Marci.9.26 Beda.

Hieron. *Inconſtantiã à Dei ſimilitudine degeneramus.*

Ceno Beronſon.

ab ea nostra interdum leuitate, & continua inconstantia recedimus, ac turpiter degeneramus. Quibus consonat Origenes hom. de Elcana relata, ad Dei immutabilem vnitatem homines hortatus his verbis. *Verè imitatur iustus, qui vnus est, Vnum Dominum. Nam vt ego arbitror & illud, quod per Prophetam dicitur*: Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est. *Deut. 6. non tantum numero vnus designatur, qui vtique supra omnem numerum esse credendus est; sed per hoc magis vnus dici intelligendus est, quod nunquam à semetipso alter efficitur, hoc est nunquam mutatur: nunquam in alium vertitur, sicut de eo Dauid protestatur, dicens.* Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Psalm. 101. *Sed & illud in hunc sensum respicit quod scriptum est.* Ego sum Dominus Deus vester & non immutor. *Immutabilis ergo est Deus, & per hoc vnus dicitur, quod non mutatur. Sic ergo & imitator Dei iustus, qui ad imaginem Dei factus est, vnus & ipse cùm ad perfectum venerit, appelletur.* Hucusque Origenes. Cuius etiam institutum suscepit Ambros. lib. 1. Epist. 1. ad Iustum tom. 5. dicens: *Dominus Deus tuus vnus est, & tu ergo ad similitudinem Dei vnus esto ac idem: non hodie sobrius, cras ebriosus; hodie pacificus, crastina die litigiosus; mutatur enim vnusquisque morum varietate, & fit alius.* Hæc Ambros. Heu tamen quàm turpiter ab hac Dei per immutabilitatem similitudine homo impius degenerat semper alius. De quo Dauid Psalm. 72. *Propter dolos posuisti eis.* Hebraice. *In lubricitatibus constituas pedes eorum.* Puerorum enim more in aquis gelu constrictis dilabuntur, & passim corruunt. Et iterùm Psalm. 1. *Beatus Vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Hebraice, *in consilio inquietorum.* Inquieti enim impij sunt, nec vno consistere loco possunt.

Origen.
Deut. 6.
Psal. 101.
Ambros.
Psal. 72.
Psal. 1.

Aëris tur nulla in creatione mentio.

4 Hinc eos Patres, & Doctores variis rebus leuissimis passim comparant, nempe aëri, fluctibus aliisque id genus. Moysem cùm cœli, terræ, aquarúmque conditionem expresserit in Genesi nullam videas de aëre fecisse mentionem, cuius silentij rationem multi scrutantur. Gregor. verò Nissen. congruam ad nostrum institutum excogitauit. Vnde hominum leuitatem, & inconstantiam accusaremus, dicens. *Quòd, natura molli, ac facilè cedenti praditus resèmma in se suscipit, easdemque pra se fert: cùm nec colorem proprium, nec figuram nec speciem habeat, sed alienis, & coloribus, & figuris informetur; nam, & lucis fulgore splendidus fit & tenebrarum interuentu niger fit, & obscurus, & ad omnium rerum quas suscipit, motum se accomodat.* hæc Nissenus in Exameron. Ecce optimum humanæ leuitatis symbolum. Nec minus aptè ceræ eos æquiparat Theodorus Abbas apud Cassianum collat. 6. c. 12. in hunc modum. *Mens Viri iusti non debet esse similis ceræ, vel alterius cuiusquam materiæ molliores, quæ semper characteribus signantium cedens, pro eius forma, atque imagine figuratur, quamque in se tandiu retinet, donec alio rursùs super impresso signaculo reformetur: atque ita fit, vt nunquam in sua qualitate persistens, ad formam eorum, quæ imprimuntur, semper conuertantur & transeant. Quin potiùs debet velut quoddam esse adamantinum signatorium, vt inuiolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, vniuersa, quæ incurrerint sibi, ad æqualitatem sui status signet, atque transformet, ipse vero insignis nullis incursibus possit.* Hæc ille eleganter. Sinesius verò hymno. 6. Euripo marino lacui varium hominis ingenium confert, qui septies in die crescit, & decrescit; nec immerito. Si enim *Septies in die cadit iustus*, quid de impio credendum est, *vt Euripus*, ait Erasmus in similitudinibus, *in Euboea septies in die defluit ac toties refluit mira celeritate; at idem tribus diebus vno quoque mense statim motus, septima, octaua, nonaque Luna: ita quidam inæquales sibi, aut nimis præcipites sunt, aut nimis lenti, in vtramque partem plus satis vehementes.* Concinit Plinij comparatio ex lacu quoque, qui est apud Trogloditas ter die, ter etiam nocte dulci, & amaro. *Apud Trogloditas*, inquit, lib. 31. cap. 2. *Lacus est, qui ter in die fit amarus, & salsus, ac rursum dulcis, toriesque etiam nocte, vnde & insanus dictus: fit quidam inæquales, nunc asperi, nunc sua blandi: aliquando profusi, mox sordidi: iam vehementer amant, iam supra modum oderunt.* Eadem illi est ex conchyliis comparatio lib. 2. *Vt conchylia* inquit *crescente Luna augescunt, decrescente marcescunt: ita stultus à fortuna pendens, nunc magnus est, nunc pusillus, nunc elatus, nunc supplex vtcunque Rhamnusia mutauerit se se.* Denique lib. 8. cap. 18. stultos Camelopardali assimilat, qui varias in se bestiarum formas præfert. *Vt Camelopardalis, siue Nauis collo refert equum, pedibus, & cruribus bouem, capite Camelum, malis tygrim, aut pardum: ita quidam inæquales sibi varias hominum formas exprimunt: si cultum inspicias, sanctum aliquem existimes: si orationem audias, satrapam loqui putes: si vitam expendas, nebulonem inuenias: si scripta, bubulcum.* Vnde non solùm varias successiuè formas, & personas induunt, sed pluribus simul instar chimeræ contrariis partibus constant.

Nissen. Theodor. Abbas. Cassian.
Impius ex leuitate ceræ similis.
Impius Euripo similis. Sinesi.
Eraſmus.
Plinius.
Similis conchylio.
Similis Camelopardali.

5 Leues hos & inconstantes, parúmque propositi tenaces constans expectat pœna, & vt leuissimæ sunt paleæ, & festucæ, æternus manet ignis. Festucas vel paleas voco, quia vt festuca minimo impulsu huc illúcque vento commota modò in domorum culminibus, & palatiorum fastigiis, in hortis modò, deinde luto, & sterquilinis volutantur. Diuinus ergo agricola purgabit aream suam, & *paleas* quidem *comburet igni* Luc. 6. Audi Nazianzenum orat. in prædictum locum Euangelij. *Purgat aream, & quidquid vento obnoxium est reuicit: quidquid verò graue in horrea deponit.* Grauiorem quoque gehenna eosdem manere pœnam dixero; ipsam videlicet, delinquendi, & à se ipsis deficiendi consuetudinem, quæ sui ipsius grauissimum supplicium est; illis quidem iam olim à Dauide exoptatum, atque expetitum. Psalm. 82. 14. *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Quasi diceret: ea illos pœna affice, quæ enormis quidem est, vt stipularum more instabiles sint, & inconstantes, & rotarum instar perpetua laborent inquietudine. Quod si Ioanni Lanspergio credimus, latet in his quoque noua, & mirabilis assimilatio, vt in rota ad eas fiat allusio, quibus ad hauriendam ex puteis aquam, hortosque irrigandos vtuntur hortulani: quas anlias, seu haustra vocant, has enim circumagente iumento, fictilibus vasis rotæ intextis aquæ ex profundo sursùm euehuntur, & colliguntur in stagnum. In quibus perpetuam impiorum volubilitatem consideres. Valculum enim ad profundum descendens aqua impletum sursum educitur, vbi ad summum peruenerit, euacuatur, & contrima instabilitate ascendit, & descendit: impletur, & exhauritur.

Inconstantium pœna constans.
Luc. 6. Nazian.
Impij paleæ sunt & festucæ.
Psal. 82. 14.
Impij in circuitu ambulant.
Ioannes Lanspergius.

In

In hunc quoque modum impius consistere non potest, sed continua instabilitate, & pessimo labore consumitur, his modò, aliis postmodum desideriis, ac cupiditatibus refercitur, pòst verò iis, & iis redditur vacuus: amat quod oderat: odit quod amauerat, & nunquam in eodem statu permanet. Verè ergo *in circuitu impy ambulant.* Psalm. 11. Ambulant quippe continuò, nec vnquam tamen ad quietem, aut permanentem profectum peruenerent nam vt ait Bernardus sermone 12. in Psalm. 90. *Qui in circuitu ambulat proficiscitur quidem, sed non proficit.* Horum princeps nequissimus Satan: *Circuiui*, inquit, *terram, & perambulani eam.* Iob. 1. Vbi luculenter Gregor. *Satan laborans terram circuit, qui quietum in cœli culmine stare contempsit; ideóque nunquam deinde potuit stare, & qui ipsum sectantur, perpetua laborant inconstantia.* Hæc ille.

Psalm. 11. Bernard. Iob 1. Greg.

6 Satanæ primus sectator fuit Adam, cui post lapsum, quasi Ironicè, vbi sit Dominus interrogans, dixit. *Vbi es Adam.* Genesis 1. Hæsit ille, neque ad propositum responsum præbuit: eius tamen nomine aptè respondet Philo Alex. lib. 2. legis Alleg. *Nusquam.* Nullibi enim peccatoris anima est. Nullibi constitit; sed sicut folium, quod vento rapitur, huc illúcque continua agitatione prouoluitur. Saülem videas Satanæ quoque alium sectatorem, modò inter Prophetas prophetantem, & diuinis decantandis laudibus vacantem; modò Dauidem persequentem, intérque carnifices sceleratas Sacerdotibus manus inferentem: aliàs ipsorum Sacerdotum officia vsurpantem. Vnde Tertullianus lib. de anima. *Saulem*, inquit, *iam Dei spiritu vertit in alium, ideſt Prophetã, quàm malus spiritus vertit in alium, ideſt apostatam.* Ecce leuissimam hominis inconstantiam, en paleam, en stipulam ante faciem venti, modò Apostata, nuper Propheta. Saüli quoq; illos licet conferre, de quibus Bernard. ser. de duobus Discipulis euntibus in Emaüs, sic fatur. *Videas aliquem frequenter in oratione deuotum, cuius oculi sunt sicut piscinæ in Esebon, pra multitudine lachrymarum. Sed recusat ferre iugum obedientiæ; suam plangit in oratione superbiam; sed hora compunctionis transacta, ita superbus est sicut antea: vel si leuis in moribus, post orationis sua deuotionem, in eandem recidit leuitatem: ossa eius implentur vitiis adolescentiæ eius.* Pulcherrimè quidem.

Impius per inconstantiam nullibi est. Gen. 3. Philo. Tertull. Bernard.

7 Tales impij, ac stulti sunt: iusti verò, & diuina sapientia præditi, solidi, stabiles, & constantes, nec vllis subiacent, aut arbitrij varietatibus, aut fortunæ luxibus: quod institutum prius Ethnici testentur; vt salus sit ex inimicis nostris. *Sapiens*, ait Seneca epist. 60. *inconcussus, cum Deis ex pari vivit.* Et Horatius lib. 3. carminum.

Iusti stabiles & constantes. Senec. Horatius.

Iustum & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor prava iubentium.
Non vultus instantis tyranni.
Mente quatit solida, neque auster
Dux inquieti turbidus Adria,
Nec fulminantis magna manus Iouis.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ

Iusto igitur illud conuenit Statij lib. 5. sylua 1.

Statius.

Nec tamen hic mutata quies, probitásve secundis
Intumuit: tenor idem animo morésque modesti,
Fortunâ vescente manent.

Et Ouidianum illud.

Ouid.

Permanet in voto mens mea firma suo.

Iustus, lapis est quadratus.

8 Hanc iusti inuariabilem consistentiam, vt explicet Anselmus in Similitudinibus cap. 173. Quadrato lapidi comparat, qui quaque ceciderit, firmiter insidet, ac manet immobilis. *Quadratus lapis*, inquit, *sex æqualia habet latera, in quod horum ceciderit firmiter iacebit. Sic prouidendum est viro iusto, vt in suo perſistat proposito. Huius autem latera sex hæc sunt. Prosperitas, aduersitas, sui libertas, subiectio, in secreto esse, & in publico; in quibus singulis si à Diabolo impulsetur, stet, nec à proposito moueatur.* Hinc etiam Tertull. lib. de Corona Militis c. 11. *Nusquam Christianus*, inquit, *aliud est, quam Euangelium, & idem Iesus.* Vnde vt quibusdam placet Latina vox *Sanctus*, deriuatur à verbo *Sancio*, quod significat stabilire, & firmare; stabiles enim, & firmi Sancti sunt. Eos Nazianzenus oratione 27. marinis rupibus assimilat, nullis decumanis etiam fluctibus insani maris expugnatis, perstant enim quidquid ipsos, vel passionum feruor, vel alieni impulsus excutiant, nec vllis cedunt agitationibus; cùm contrà impij huc illúcque minima impressione circumagantur. *Eorum*, ait, *qui tentantur, alij mihi videntur velut leuissima quædam corpora à mari abripi, distrahique, ac ne tantillum quidem aduersarum rerum impetum sustinere. Alij petræ instar esse, quicumque nimirum philosophica ratione vtuntur, ac supra vulgi humilitatem euecti humana omnia immoto, ac firmo animo ferunt.*

Anselm. Tertull. Nazianz. *Iustus rupi marinæ similis.*

6 Ex his quidem illi erant, qui duræ quoque seruitutis iugo pressi dicebant. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Psal. 136. vbi Augúst. in Præfation. tom. 8. *Flumina*, inquit, *Babylonis sunt omnia, quæ bic amantur, & transeunt*: iusti verò, quibus beata Sionis imago ob oculos obiacet, horum fluminum rapacitate minime feruntur, sed sedent immobiles super instabilem aquarum defluxum. *Sedeamus super flumina Babylonis*, addit Augúst. *non infra flumina Babylonis. Talis sit humilitas nostra, vt nos non mergas. Sede super flumina; noli in flumine, noli sub flumine.* Hanc autem iustorum constantiam, & inuariabilem tenorem, non merita, sed diuina concedit munificentia. Quocirca Iob 28. 25. *Qui fecit ventis pondus.* Quasi egregium Dei facinus connotans, qui rebus leuissimis, quales peccatores sumus, & ventorum nomine aptè designamur, pondus, grauitatem, & consistentiam mirabiliter impertitus sit, ne quoque versùs circumferamur. Audi Gregorium lib. 19. Moral. cap. 4. elegantissimè expendentem. *Fecit*, inquit, *ventis pondus, quia dum superna sapientia replet animas, eas maturitate indita grauat reddit, non illa grauitate, qua dicitur: filij hominum vsquequo graui corde? Aliud namque est grauem esse per consilium, aliud per peccatum: aliud est grauem esse per constantiam, aliud per culpam; ista enim grauitas pondus habet oneris, illa virtutis. Pondus ergo accipiunt animæ, vt ab intentione Dei non iam leui motu dissiliant, sed in eum fixa constantia grauitate consistant. Rectè ergo nunc dicitur*: Qui fecit ventis pondus; *quia cùm leues motus animi misericorditer dignatur aspicere, hunc prius ad constantiæ maturitatem format.* Eandem quoque à Deo obtinuerant stabilitatem & grauitatem, mystica illa pennatáque animalia, quæ gloriæ Dei ipsius quadrigam vehentia, Euangelicos, vt docet Gregor. Prædicatores adumbrabant, quorum quidem *pedes erant recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli.* Ezechiel. 1. 7. bos enim fortius figit pedem, & sancti Prædicatores non inani leuitate feruntur, sed ponderę & grauitate consistunt. Quorum quidem animalium constantiam Annæ quoque consistentiæ componit

Iustus super flumina sedet. Psal. 136. Augusti. Iob 28. 25. Gregor. Ezech. 1. 7.

Petrus Damianus epist. 143. Blancam Comitissam ad eorundem exemplar instruens, atque adhortans his verbis. *Tu autem veneranda soror, quæ euangelica quadriga, & rotarum cœlestium animalia sequeris, quorum sunt pedes rectis, quaque, cùm ambulant, non reflectuntur, nequaquam prorsus certè confidimus, Loth sequeris uxorem, sed potius Anna similaberis stabilitam virtutem, cuius vultus non sunt amplius in diversa mutati.* Horum animalium figura Elcanæ virtus, & virilis constantia describitur, nam vt illa Deum constanter vehebant, ita & ille constanter continebat eundem; siquidem Elcana iuxta Origenem, & alios, Dei possessio, interpretatur; Iustus autem cuius cor est vnum, & anima vna Deum possidet, & mutuò ab eo possidetur. Origen. Quàm bellè Origen. suprà relatus. *Nomen iusti huius est Elcana, quod interpretatur Possessio Dei; certum est, quia ille de quo dictum est, quod vnus esset vir, possessio Dei est, & non possessio dæmonum. Quem enim Dæmona possident, non vnus, sed multi, sicut, & ipsi Dæmones de eo, quem possidebant, responderunt, dicentes*, quia Legio nomen est ei. *Vnus vero est Elcana, qui est possessio Dei.*

10 Deum quoque possederat B. Ioseph in vario, & lubrico admodum rerum suarum statu, vnus semper, & idem. Nam cùm Angelus ei apparuisse describitur in Ægypto, reditum ad patriam post defunctum Herodem iam suadés, sic ait historia Euangelica. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens:* Matth 2.19. *Surge & accipe puerum, &c.* Matt. 2.19. vbi Siriacus Guidonis Fabrici vertit, seu addit. *Apparuit in somnis ipsi Ioseph*: Vbi pronomen *ipsi* absque causa credas superadditum fuisse; cùm nec nomen præcessisset, neque cum alio posset esse æquiuocatio. Quid ergo adiicitur *ipsi Ioseph*. Vtique vt videas Iosephi stabilitatem, & constantiam, qui nec ancipiti rerum statu, nec Ægyptiorum contubernio alius effectus fuerat, sed idem semper perseuerauerat, succedentibus prosperis & aduersis: idem perstiterat inter Iudæos & Idololatras. Quia iusti minimè variant, sed sibi vbique constant.

11 Iis Origenes sæpe citatus beatitudinis palmam repositam esse dicit, qui vnitate & simplicitate gaudent, ex illis Apostoli verbis 1. Cor. 9. *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium*: quæ secùs intellecta difficultatem, & obscuritatem præ se ferrent. Non enim vni aut alteri, sed cunctis iustis, & innocentibus ad Coronam concurrentibus, beatitudinis palma proponitur, cum in cœlestis patris domo mansiones multæ sint, totidémque sint viæ, quibus ad patriam itur; cordis videlicet munditia, humilitate, patientia, pœnitentia, charitate, aliisque misericordiæ operibus. Qui igitur Paulus vni tantum ex concurrentibus concedi palmam, prædicat? Vtique quia iustus quisquis ille sit, vnus est, & ex eo quod vnus sit, simplex, ac vniformis palmam promeretur, & accipit. *Vnam*, inquit Origen. *semper sapientiam meditantur, vnum sapiunt, vnum sentiunt, vnum Deum venerantur, vnum Dominum Iesum Christum confitentur, vno Spiritu Dei replentur, vnde meritò, & ipsi omnes, non solùm vnum, sed & vnus dicuntur, sicut & Apostolus designat, dicens.* Omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam. *Vide manifestè, quia omnes iusti vnus est, qui accipit palmam.*

12 Conclusio ergo sit, quam ipse Apostolus statuit, ad quamque nos hortatur, dicens. *Itaque Fratres mei dilectissimi stabiles estote & immobiles; &* 1. Cor. 15. *abundantes in omni opere Domini semper.* 1. Cor. 15. Et Ecclesiasticus 5. 11. *Non te ventiles in omnem* Eccl 5. 11. *ventum, & non eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui, & scientiæ.* Ad hanc vtique virilem constantiam iam moribundus Dauid filium Salomonem hortabatur, eamque illi quasi testamento legabat, dicens: *confortare, & esto vir.* 3. Reg. 2. 3. Reg 2. Hanc illi extremam imprecatus felicitatem. Vbi Abul. sic pulchrè commentatur Abul. quæst. 3. *Accipe constantiam, & fortitudinem, & non sis sicut pueri, qui propter impetum passionum habent maximam mobilitatem in opere, & proposito. Sed esto vir, vt propositum de bono constans sit, &* Clemens Alex. *non traharis ad diversa.* Accinit Clemens Alex. 4. stromatum, dicens. *Mysticè apud nos quoque dictum est illud Pythagoræum*: oportet quoque hominem fieri vnum. Et Ambros. epist. 82. in lib. 10. Ambros. tom. 5. *Vetus dictum, assuesce vnus esse, vt vita tua quandam picturam exprimat, eandem seruans semper imaginem. Quomodo potest vnus esse, qui nunc iracundia inflammatur: nunc indignatione exæstuat: nunc vultu exeandescit, nunc pallore immutatur, per momenta varius & discolor?* Hæc ille. Imago ergo vniformis sit iustus, qui nullis vnquam coloribus corrumpatur. Sunt autem imagines tali arte depictæ, vt, vna eadémque variis aspectibus considerata, aliud, & aliud designent: Petrum ex aduerso: è dextera Paulum, è sinistra Ioannem; illa tamen in se vnica est, & inuariabilis, licèt multiplex sit repræsentatio. Hinc iustus, licèt interdum zelo accendatur compassione molleſcat, patientia rigeat, vnus tamen est, neque exteriores apparentiæ animi varietatem arguunt. Denique, vt aureo quasi fastigio moralem Institutionem coronemus parenæticam, sancti Ephren Syri orationem lubet subscribere ad hanc morum vniformitatem, & constantiam suos adhortantis lib. de compunctione cap. 2. *Dilectissimi assumamus mensuram, & regulam bonam, illam atque perfectam Patrum nostrorum, ne hodie aquæ potum accipias, & crastina die vinum percipias: ne hodie discalceatus, & cras diversa calceamenta requiras: ne hodie cilicium, vestem & cras triplicem indicaris: ne hodie mitis, & humilis: cras vero petulans, atque superbus fias.* Et iterum Parenæsi 9. tom. 2. *Ne ergo hodie continentia atque clementia: & cras incontinentia atque superbia, ne hodie vigilia, quies, atque silentium, & humilitas: cras autem somnus insatiabilis, distractiones, inobedientia, & his similia. Ne hodie renunciatio sæculi, & abdicatio rerum terrenarum, ac valedictio patriæ, & amicorum, parentúmque carnalium propter spem in Dominum Christum: cras autem nostram regionem & patriam atque hæreditatem inquiramus demergentes nos ipsos in plurima mala.* Hæc ille, quæ & ad illustrandam Annæ, & Elcanæ constantiam, & ad moralem nostram informationem spectant.

INSTITVTIO III.

Litteralis, & Theologica.

An damnatis detur, vel dari possit ab inferis regressus? Et quid de statu animæ Traiani Imperatoris sentiendum sit?

1 VIdes quam multifariè nomen *Inferos*, Interpretes accipiant. Alij quippe pro sepulchro: alij pro carcere: alij pro Purgatorio: alij pro Limbo: *Ad illa verba*: Deducit ad Inferos, & re-

ducit *cap.2. vers.6.* alij denique pro graui malo, seu periculo allegoricè vsurpant. Verùmtamen in proprio rigore de damnatorum gehenna acceptum iri plerique contendunt; qui per potentiam Dei saltem absolutam, & singulare priuilegium, animis damnatorum regressum ab inferis, siue ad temporalem vitam miraculosum, siue ad beatam, & cœlestem dari posse; & de facto aliquando datum affirmare non erubescunt: quorum fundamenta, nec leuia, nec contemnenda iure optimo iudicabis. Ex his ergo nonnulla (omnia enim recensere prolixum esset) in medium producere, & ad Lydium, quod dicunt, lapidem probare non piget. Et quia autoritate, & ratione consistunt; priùs Scripturæ, & Patrum testimonia pandemus: deinde argumenta à ratione petita.

Primus locus. Psal.76.6. 2 Primus ergo locus sit Psal.76.6. ibi. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Numquid in æternum proiiciet Deus: aut non apponet, vt complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindit à generatione in generationem? Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Ecce post diuturnam, & sollicitam æternorum dierum scrutationem, & agitationem, tanquam impossibile, & à Dei benignitate alienum ducit, non misereri aliquando Deum, & in æternum misericordias suas continere. Fluent ergo aliquando, & quasi abruptis impedimentis, eo terentur impetu, vt miseras damnatorum animas misertus extrahat à tormentis. Idem etiam Psaltes.

Secundus locus. Psal.139. Psal.139. de reproborum cruciatibus locutus: *Cadent*, inquit, *super eos carbones, in ignem deijcies eos: in miseriis non subsistent.* Stygia quidem incendia sufferent; in eis verò non subsistent, hoc est, non in æternum durabunt, sed deficient, ipsisque deficientibus, supplicia necessariò cessabunt. Michæas verò cap.7.8. Animam damnati sic morti,

Tertius locus. Michæ. 7.8. vel gehennæ exprobrantem inducit. *Nelæteris inimica mea super me cum sedero in tenebris: Dominus lux mea est: iram Domini portabo, donec causam meam iudicet.* Iudicata ergo causa, & inflicta pœna ex tenebris erumpet in æternam lucem. Quartus

Quartus locus. Matt.18. locus sumitur ex Matthæo 18. Vbi inducta parabola, ita torpentem seruum, & ignauum negotiatorem Dominus damnat, vt non æternum cruciandum, sed quousque debitum totum redderet, tortoribus tradiderit. *Et iratus Dominus eius tradidit eũ tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Sic & pater meus cælestis faciet vobis.* Si ergo cum peccatoribus ita peraget cælestis pater, non in æternum puniet, sed quoad iusta peccatis pœna commensuretur.

Primum argumentum à ratione. 3 Hinc etiam à ratione arguitur primò, quia vt norma veræ iustitiæ, & ratio ipsa docet; pœna ita debet culpæ correspondere, vt cum illa commensuretur, nec grauior illa sit: in quo conueniunt Theologi 1.p.quæst.78. artic.7. Cum ergo peccatum mortale plerumque instantaneum sit, eius mulcta non debet esse æterna, quia esset pœna improportionata, & nimia. Et confirmatur, quia peccatis inæqualibus non debet etiam eadem æqualis pœna æternæ damnationis attribui, cùm eorum grauitati, aut leuitati debeat commensurari: dicit

Apoc.18.7. enim Ioan. Apoc. 18.7. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, & luctum.* Ergo qui in deliciis, vel in delictis fuit per vnam horam, aut diem, non debet esse æternaliter in tormentis; cùm potissimùm pœnæ æternæ duratio; & quæ cum ipsa coniungitur desperatio, omnium sit tormentorum maximum. Confirmatur secundò, quia, vt docent communiter Theologi. 1. 2. quæst. 87. art. 4. Nullum Lethale peccatum meretur pœnam infinitam. Sed pœna carens termino est pœna infinita, saltem sincategorematicè, ergo est immerita, & improportionata; ergo à Deo iusto iudice non infligetur.

2. Argumentum. 4 Secundum argumentum est. Ecclesia sancti Spiritus lumine illustrata orat non solùm pro defunctis fidelibus, qui in charitate, & gratia decesserunt, vt à tormentis Purgatorij liberentur; sed etiam pro iis, qui in peccato lethali, & sine charitate perierunt. Ergo suffragiorum, & orationum, earúmque fructus, & emolumentorum capaces eos considerat. Ergo excrescentibus suffragiis, & multiplicatis orationibus, vel Sacrificiis, ita potest paulatim eorum pœna imminui, vt tandem consumatur, & deficiat. Consequentia potest. Assumptum verò probatur ex Officio defunctorum Ecclesiastico. Ibi enim orat Deum Ecclesia in Offertorio Missæ, vt liberet *animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, & ne absorbeat eas Tartarus, nec cadant in obscurum.* Quod de damnatorum gehenna intelligendum, docuit Præpositus Leodiensis Ecclesiæ presbyter in Compendio suæ Theologiæ. Neque id credit improbabile Henricus Henriquez. lib. 9. de de sacrificio Missæ cap. 16. verba etiam ipsa idem videntur indicare: *in obscurum*, vbi ad verba Christi alludum esse videtur. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Matt. 22. 13. Frequenter enim per tenebras gehenna significatur *Tobiæ.* 4. 11. *Iob.* 18. 18. *Secunda Pet.* 2. 17. & sæpe aliàs. Quod confirmatur ex Chrysost. qui in sua Lithurgia scribit formulam deprecandi pro omnibus fidelibus defunctis in hunc modum. *Offerimus tibi rationalem hunc cultum pro in fide quiescentibus Patribus, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, Præconibus, & Euangelistis, Martyribus, & Confessoribus*; Et concludit tandem, *& omni anima in fide initiata.* Omnis ergo anima in fide initiata, hoc est, omnis fidelis qui Baptismi Sacramento signatus est, capax suffragiorum Ecclesiæ manet, etti in gratia finali non decesserit.

Præpos. Henrriq. Matt.22.13. Tobiæ.4.11. Iob. 18.18. 2.Pet.2.17.

3 Argumentum. 5 Tertium Argumentum stat in significatione vocis, *æternum*, & *sempiternum*; quæ non semper interminabile significat, sed longum, & prolixum temporis spatium. Quod docet Augustinus frequenter contra Pritcillianistas, & Origen. c.5. & 6. in tom.6. lib.16. de Ciuitate Dei c.26. in tom.5. & quæst.31. super Genesim tomo 4. Francisc. Mendoza tom.1. in libros Reg. ad caput 2. vers.30. Ioannes Ferdinandus in Thesauro, verb. *Æternitas.* Gasp. Sanct. 1. Reg. 2. num. 106. & cap. 7. num. 31. Aliique communiter. Cùm ergo Scriptura, Concilia & Patres sempiternam pœnam, æternúmque ignem damnatis comminantur, in prædictam benigniorem expositionem accipi possunt, vel etiam trahi debent.

Augustin. Mendoza. Ioan. Fer. Sanct.

Origen. 6 Hactenùs argumenta ex Scripturis, & ex ratione; modò ad placita & doctrinam PP. & grauium Theologorum accedamus. Inprimis enim Origen. sæpe expressè docuit damnatorum pœnas non æternas, sed terminabiles esse futuras. Hom. enim 8. in Iosue, ita scribit. *Diabolus & Angeli eius igni tradentur æterno, donec omnis anima, quibus Deus nouit remediis conscendat, & omnis Israel salua fiat.* Et 1. Periarchon cap. 6. *Spiritus qui de statu primæ beatitudinis moti sunt, non tamen irremediabiliter moti; redire enim, & restitui possunt*

ad statum beatitudinis. Sententiam hanc aliàs repetit, & refertur ab Hieronymo Epist. 56. ad Abitum. Epist. ad Damasum, & Occeanum, cap. 2. & lib. 1. aduersùs Pelagianos cap. 9. post medium. Ab Augustino lib. de Hæresibus, cap. 43. in tom. 6. à Theophilo Alexandrino in suo Paschali. lib. 2. ab Alfonso de Castro lib. de Hæresibus verbo *infernus*, à Sandero lib. 7. de Visibili Monarchia. Hæresi 46. & ab aliis. Chrysostom. verò Hom. 3. in Epist. ad Philippenses suos hortatus, vt defunctorum animis per suffragia, orationes, & Eleemosynas, aliquid auxilij adferant, sic concludit. *Habet res ista nonnihil consolationis. Non enim frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc decesserunt. Nouerunt illi hinc multum emolumenti fieri: multum vtilitatis. Verùm istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt. Catechumeni verò nec hac digni consolatione censentur, sed omni huiusmodi sunt auxilio destituti, præter vnum solum. Quod autem illud? Pauperibus eorum nomine dare licet, Vnde eis nonnihil refrigerij accedit.* Vides Chrysost. omnibus in fide Catholica defunctis, Ecclesiasticis suffragiis, & ipsis catechumenis etiam eleemosynarum largitione leuamen, & auxilium afferri posse docentem. Tantum ergo excrescere potest suffragiorum, & eleemosynarum cumulus, & emolumentum, & vt pœnas omninò mitiget, vel etiam extinguat, iuxta Philosophi axioma. *Sicut se habet simpliciter, ad simpliciter, ita magu ad magu.* Quam conclusionem libenter amplectitur Præpositus supra relatus, & apud Sixtum Senen. lib. 6. Bibliothecæ, annot. 47. Addit tamen, licèt multiplicatorum beneficio suffragiorum, possint damnatorum animæ à gehennalibus pœnis liberari; non tamen hanc perpetuam esse liberationem, ne in errorem incideret Origenis, sed temporalem, & interstitiam, hoc est, vsque ad vniuersale iudicium, post quod resumptis iam corporibus, reproborum animæ in æterna supplicia detrudentur abiecta omni prorsus refrigerij & solatij spe. Consonat prædictis Augustinus in Enchiridion cap. 109. & 111. & habetur 13. quæst. 2. cap. *tempus* his verbis. *Cum Sacrificia Altaris, siue quorumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur; pro valdè bonis gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis propitiationes sunt; pro valdè malis, etsi nulla sint adiumenta mortuorum, qualescunque viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certè vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Ergo viuorum suffragiis, reproborum pœna, & damnatio fit tolerabilior.

Hieron. August. Theophi. Castro. Sander. Chrysost. Ariſt. Prepos. Sixtus, Senen. August. 1. q. cap. tempus, Damasc

7 Venio ad Ioannem Damascen. Virum eximiæ sanctitatis, & incomparabilis doctrinæ magistrum, qui ad rem nostram expressiùs, intensiùsque locutus fuisse videtur. Is ergo orat, pro defunctis, cuius titulus est: *Quod vij, qui cum fide ex hac vita excesserunt, viuorum missis, ac beneficiis multum iuuentur*; totus est in probando decedentes in peccato etiam mortali, damnatósque ad gehennam; etsi cauerint vera fide supernaturali, dummodo sceleratissimi non fuerint, nec fidem abnegauerint vsque ad vniuersale iudicium lege ordinaria: fidelium suffragiis ab ipso igne, aliàs æterno, immediatè absque reunione ad corpus, & in eo ad gratiam per merita ad cælum reuocari, posséque illam in ipsa gehenna promereri. Addit etiam Christum suo post mortem ad inferos descensu, omnes damnatorum animas, eorum saltem, qui in se crediderant, à gehennæ cruciatibus eruisse. Concludit tandèm exemplis, quæ refert. *Benignitas latam sententiam vicit, quemadmodum & in plerisque aliis iudicijs semper, quousque ad extremum referendæ mercedis tempus, superabitur.* Cuius sententiam circa damnatorum liberationem per Christi ad inferos descensum affirmat etiam expressè Clemens Alex. Sexto Strom. ante medium. Cyprian. ser. de Ascensione Domini ibi. *Nullum erit ibi refrigerium, nullum remedium. Semel Christus descendit ad inferos. Vlterius non descendet. Non vltra videbunt Deum in tenebris sigillati. Irregressibilis erit illa sententia, & immutabile iudicium.* Eadem est Nicetæ mens in Orationem secundam Nazianzeni. Nec omninò eam opinionem reiicit ipse Nazian. Orat. 41. Confirmatur autem ex Scriptura Actor. 2. 24. *Solutis doloribus inferni*, quasi aliqui, vel omnes damnati inferni doloribus expediti fuerint. Idem etiam Petrus in Canonica 1. Petr. 3. 19. *His qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabat Dei patientiam in diebus Noe.* Christo ergo in inferis prædicante, ad veram fidem venêre, qui aliquando increduli fuerant. Et deinde c. 4. 6. *Mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundum homines in carne; Viuant autem secundum Deum in spiritu.* Vbi fructuosa hæc Christi prædicatio damnatis fuisse indicatur. Vnde Bernard. ser. 75. in Cantica, Christo ad inferos descendente, docet eius redemptionis participes, etiam damnatos redditos fuisse. *Sanguis*, inquit, *qua in terra, & qua in cœlis sunt, pacificauit, non autem & qua apud inferos; nisi quod semel illò, vt dixi, anima eius excurrit, & fecit ex parte redemptionem, ne vel eo momenti vacarent opera charitatis. Sed vltrà non adiecit.*

Clemens. Alex. Cyprian. Nicetas. Nazianz. Actor. 2. 24. Prim. Pet. 3. 19. 1. Pet. 4. 6. Bernard.

8 Arguitur verò efficacius ex traditionibus, & historiis Ecclesiasticis, ex quibus patet Sanctorum precibus non paucos, qui in infidelitate, vel lethali crimine excesserant è viuis ad vitam reuocatos, vnde Erebo ereptos fuisse videtur esse dicendum. Ambros. enim referente ser. 90. & etiam Maximo; Præfecti Simphronij filius Ethnicus, & stupri studiosus repentè mortuus, sanctæ Agnetis precibus ad vitam rediit, idola detestatus. Falconilla item gentilis fœmina Beatæ Teclæ Virginis oratione ab inferis resurrexit, vt autor est Damascen. & alij similiter, quos refert Mendoza in præsenti, qui etiam vt probabile, & nimis credibile habet cum Abulense, & aliis, inter eos quos Apostoli passim excitarunt, quamplures Gentiles, & in peccato graui mortuos inueniri; de quibus manet eadem difficultas. Plura huius generis exempla congerit Bellarminus de Purgatorio lib. 1. cap. 8. ex Gregorio, Seuero, Egesippo, Euodio, & aliis: plura etiam Salmeron tom. 2. in Epist. ad Corint. 2. Disput. 27.

Ambros. Maxim. Damasc. Mend. Abul. Bellarm. Greg. Seuer. Egesip. Euod Salmer.

9 Sed ad celebertimum hac tempestate Traiani Imperatoris exemplum accedamus. S. Ioan. Damascenus qui tempore Leonis Ichonomachi, floruisse probatur à Salmerone nuper relato; hæc de Traiano Sancti Gregorij Magni precibus ab inferis reuocato refert, & totis viribus persuadere conatur. Oratione de mortuis in Christo operi viuorum iuuandis. *Prodeat*, inquit, *in medium Gregor. Magnus Antiquierni Romæ Episcopus, Vir, vt omnes norunt, tum vitæ sanctitate, tum eruditione clarus, ac celebris, quem, cùm sacris operaretur, cœlestem, ac diuinum Angelum sacrosancti muneris socium habuisse*

Damasc.

habuisse narrant. Hic cùm per locum lapidibus stratum aliquando iter faceret, dedita opera constitit, intensissimáque pro peccatorum Traiani remissione, preces ad animarum amantem & misericordem Dominum fudit, statimque vocem huiusmodi diuinitus emissam audiuit. Preces tuas audiui, ac Traiano ignosco: tu verò posthac cauto, ne mihi pro impio supplex sis. Quódque istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus, atque Occidens testantur. Hæc Damascenus: cuius verba nonnihilo immutata habent alia exemplaria, quibus vsus aliquando fuit Salmero, & alij: illa verò solùm transcribam, quæ ad rem spectare potiùs possunt. *Preces tuas audiui, & veniam Traiano do: tu verò deinceps pro impio hostiam mihi ne offeras. Testatur autem Oriens, & Occidens totus miraculum hoc germanum, & irrefutabile.* Hæc illa.

Ioan. Diac. 10 Eandem historiam narrat Ioannes Diaconus, qui sub Carolo Caluo, Imperatore floruit anno Domini 870. lib. 2. vitæ S. Gregorij cap. 44. Cuius hæc sunt verba. *Legitur penes Anglorum Ecclesias, quòd Gregorius per forum Traiani, quod ipse quondam pulcherrimis aedificiis venustauerat, procedens, iudicij eius, quo viduam consolatus fuerat, recordatus, atque miratus sit. Huius ergo mansuetudinem indicis asserunt Gregorium recordatum ad S. Petri Basilicam peruenisse. Ibique tandiu super errore tam clementissimi Principis defleuisse, quousque responsum sequenti nocte cepisset, se pro Traiano fuisse auditum; tantum pro nullo viteriùs pagano preces effunderet.* Prædictis accedit eiusdem etiam Ioannis Diaconi, & Petri quoque Diaconi Testimonium, quod in Codice antiquo Vaticanæ Bibliot. legitur, Plureo tertio, num. 153. Dialogi S. Gregorij superadditum. Cùm enim retulissent S. Gregorium à Deo post consecrationem Templi S. Andreæ in Cliuo scauri postulasse, vt quicumque fidelis in ea Ecclesia sepeliri deinceps decreuisset, vitam consequeretur æternam: & pro anima Traiani simul deprecatus esset. *Orasone, ait, completa, apparuit ei Angelus Domini dicens: Gregori, exaudita est oratio tua, secundùm quod à Deo postulasti; sed quia hoc petere praesumpsisti, nihilominùs, & quia pro anima Traiani imperatoris, viri infidelis orandum esse duxisti, scias te in saeculo, à corporali, quam pateris, infirmitate fore minimè liberandum. Hanc autem orationem, & diuinam reuelationem Beatus Gregor. nobis videlicet Petro Diacono, & Ioanni Diacono patefecit; quas ad scientiam posterorum nos styli duximus officio transmittendas,* huc vsque prædictum testimonium, quod ex eo etiam confirmatur, quod autor non satis notus, qui vero tempore ipsius Gregorij floruisse creditur, vitæ S. Gregorij, quæ ipsius operibus apposita est in editione Basileensi anni 1564. Hoc idem confirmat. Extat etiam Romæ in ipsius S. Gregorij templo vetus lapis inscriptus, qui eam quoque historiam magna ex parte continet; quam suis etiam oculis hausisse affirmat Salmero disput. 27. iam relata.

Idem. Petr. Diac. Bibliot. Vatican.

Salmero.

11 Nec minoris est ponderis Græcorum autoritas & pietas, qui ita huic historiæ crediderunt, vt in suo Euchologio cap. 96. hanc orationem scripserint pro defunctis. *Quemadmodum Traianum per intensam serui tui Gregorij Dialogi intercessionem flagro soluisti; exaudi etiam nos te orantes, non pro Idolorum cultore, sed pro fideli seruo tuo, qui te propter imbecillitatem ad iracundiam prouocauit.* Hæc illi apud Iacobum Billium in Scholiis Damasceni, Scholio 9.

Euchol. Græcor.

Billius.

12 Denique suadetur hæc historia ex reuelationibus à Deo super ea factis Sanctæ Brigittæ, & sanctæ etiá Mechtildi, quarum prior lib. 4. Reuelationum cap. 13. de orationibus viuentium pro defunctis locuta dicit. *Quicumque offert pro anima alterius vnum* Pater noster, *acceptius Deo pondere magno auri; sicut patuit in illo bono Gregorio, qui oratione sua etiam infidelem Caesarem eleuauit ad altiorem gradum.* Posterior verò scilicet sancta Mechtildis lib. 5. visionum cap. 6. de animabus Samsonis, Salomonis, Origenis, atque Traiani reuelationem accepit in hunc modum: *Quod ego statuerim mea liberalitate de anima Traiani, nolo, vt homines sciant, vt fides Catholica magis augeatur. Quamuis enim iste tandem fuerit omnibus virtutibus plenus, fuit tamen infidelis, baptismate carens.*

S. Brigit. S. Mechtild.

13 Hæc fortissima sunt pro huius historiæ veritate fundamenta. Quibus accedunt Historiographi, & Theologi recentiores, qui priscis fidem habentes eam scriptis suis commendarunt. Eam vt veram tradidit Hugo Ætherianus mediæ ætatis Theologus, qui sub Emanuele Constantinopolitano floruit, & Papa Alexandro IV. Cuius opera habentur tom. 8. Bibliot. PP. Hic ergo lib. de regressu animarum ab inferis cap. 15. Verba Damasceni pene immutata transcripsit; & concludit. *Quaerite si placet apud Graecos; Graeca certè omnis testatur hac Ecclesia; & quamuis multorum martyrum sanguinem effuderit Traianus, oratione tamen Sancti viri coactus est illum reddere Tartarus, alioqui implacabilior.* Vincentius etiam Bellouacensis in speculo historiali lib. 10. cap. 48. *Pro eo,* inquit, *tantum ploraſſe Gregorius dicitur, vt animam eius ab inferno obtinuerit liberari.* Sigibertus Monachus Gemblacensis in Chronico. *Gregorius inter cetera pietatis opera animam Traiani Romanorum quondam Imperatoris quamuis pagani liberari miserando, & orando à Deo obtinuit.* Idem refert Martinus Polonus in Chronico in vita Traiani: & plerique eam historiam recipiunt vel tanquam certam, vel saltem tanquam probabilem; S. Thom. in 1. dist. 43. quæst. 2. & in 4. dist. 45. art. 2. quæst. 1. ad 5. & alibi frequenter. Bonauentura in 4. distinct. 45. Altisiodorensis lib. 4. Nauarrus cap. *quando.* Notabili 22. num. 43. & cap. 22. de oratione. Argentinas, Clemens Monchianus, Surius, Antonius Iepes in sua Chronica Benedictina, Centuria 2. cap. 3. Durand. in 4. distinct. 45. quæst. 2. Richardus art. 2. quæst. 1. Nicolaus de Orbellis quæst. 1. Gotifredus Viterbiensis 15. p. Dantheus. Vincentius Ferrer. serm. 5. de S. Gregorio. Philippus Bergomensis lib. 10. Ioann. Stella in vita Gregorij. Sixtus Senensis lib. 6. Bibliot. Annot. 43. Bartholomeus Medina 3. part. quæst. 52. Carthus. in 4. quæst. 2. & 3. dist. 31. quæst. 6. Albertus 1. part. Summæ de Homine q. 77. Gabriel lect. 56. in Canonem, litera V. Biguerius cap. 16. §. 4. v. 35. dicens esse communiter receptam. Illescas in vita S. Gregorij. Petrus de Natalibus lib. 30. cap. 192. Catalogi. Corduba, Casaneus, Rebuffus, Henriquez, Ledesma, Lucas de Penna. Ioann. Fabius Benedictus, & alij apud Ioannem de Salas, quos ipse sequitur tom. 2. in primam partem quæst. 87. disput. 15. sect. 4. Eandem amplectitur Salmero tom. 2. in Epistolas Pauli 1. Corinthiorum 15. disp. 27. Abulens. in 4. Reguin cap. 4. quæst. 57. Francisc. Mendoza tom. 1. comment. in primum Reg. ad cap. 2. vers. 6. Et latiùs in Viridario de B. Mariæ intercessione disputans, eam denique implacabiliter tuetur, & toto spiritu buccinatur Alphonsus Ciacon Hispanus ex Prædicatorum

S. Thom. Bonauent. Altisiod. Nauarr. Durand. Richard. Orbellis. Gotifred. S. Vincent. Ferrer. Vergom. Stella. Sixtus. Medina. Carthus. Albert. Gabriel. Biguer. Illescas. Petr. de Nat. Corduba. Chassan. Rebuff. Henriq. Ledesma. Penna. Fabius. Salas. Salmero. Abul. Mendoz. Ciacon.

Hugo Æther. Bellouac. Sigibert. Martin. Polon.

catorum familia, toto libello siue Apologia de hac re. Et Steph.Fagundez de quinque Præcept.Ecclesiæ Præcepto 1. lib.3. cap.11.num.17. & seq.

14 Tota vero historia confirmari potest a simili. Plura enim, vt supra dixi huiusce generis exempla congerunt ex Antiquioribus Moderni, quæ apud eos legi licet, præcipuè Salmeronem, sæpe relatum, Mendoz. & Salas, quæ studio brevitatis omitto. Confirmari denique potest historia ex nonnullis antiquis imaginibus, quæ eam continent, quarum vnam vidimus Legionæ in Ecclesia matrice in pariete, quo chorus contingitur, quæ antiquitatem redolet. His ergo argumentis hac Patrum, Historiatorum, & Theologorum autoritate, ita hæc fabula vestitur, vt firmum facere videatur testimonium, ex quo saltem ex singulari Prouidentia, & extraordinaria lege, & Dei potentia absoluta, certum vel probabile fiat argumentum ad probandum damnatorum animis dari posse ab inferis regressum; vel de facto concessum aliquando fuisse.

15 Ego verò prædictis omnibus diu & maturè expensis, iis etiam, quæ infrà dicemus, certum, & infallibile potius crediderim, nec damnatis regressum ab inferis datum hactenùs vnquam fuisse: neque etiam de potentia Dei absoluta dari aliquando posse. Est enim æternum Dei decretum, in contrario, quod ex Scripturis patet; de æternitate videlicet, & sempiterna damnatorum pœna; quod Deo auspice probandum aggredior.

16 Primò ex multis noui & veteris Instrumenti sententiis, quæ interminabilem & sempiternam, damnatorum castigationem ita exprimunt, vt nullam aliam interpretationem patiantur. Christus enim Matth.25.41. *Ite maledicti in ignem æternum.* Matt.25.41.
Ibid.46. Ibid.vers.46. *Ibunt hi in supplicium æternum*, seu vt Ibid.46.
August. August.legit lib. de fide & operibus c.15. in tom.4. *In combustionem æternam*: ne quis ignem quidem æternum dixerit, combustionem verò temporalem.
Marc.9.44. *Ignis eorum non extinguetur.* Marc. 9.44. *Qui non* Marc.9.44.
Secunda. *obediunt Euangelio, pœnas dabunt æternas*, ait Paulus 2.Thessal.1.9. & Ioannes: *Fumus tormentorum* Secunda.
Thessal.1. *eorum ascendet in secula seculorum.* Apoc.4.11. & Thessal.1.
Apoc.4.11. Iacobus. *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit* Apoc.4.11.
Iacob.2.13. *misericordiam.* Iacobi 2.13. *Clausa est Ianna, nescio* Iacob.2.13.
Matth.25. *vos.* Matth.25.10.12. *Quam mittit in gehennam, in* Matth.25.
10.12. *ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Marci 9.43. & 46. *Nolite* 10.12.
Marc.9.43. *errare: Nec fornicarij, nec idolis seruientes, nec* Marc.9.43.
adulteri, nec molles, nec masculorum concubitores, nec fures, nec auari, nec ebriosi, nec maledici, nec rapaces, regnum Dei possidebunt. 1. Cor. 6.9. Respondent hæc veteris Testamenti Testimonijs. *Labora-* 1.Cor.6.9.
Psal.48.10. *bit in æternum, & vivet adhuc in finem.* Psalm.48. Psal.48.10.
10. & 15. *sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos.* Ibid.v.15. Vbi sumitur metaphora à pecoribus, quæ herbas non eradicant, sed perpetuò depascunt. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccles.11.3. Hoc est ad cœlum, aut ad infernum; vt Hieron.Olimpiodor.Lira, Vatabl. & alij exponunt. Eccl.11.3.
Hieron.
Olimp.
Lira.
Vatab. *Præparata est ab heri Thopheth* (hoc est gehenna,) *à Rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta eius, ignis & ligna multa: Flatus Domini sicut* Isai.30.33.
Isai.30.33. *torrens sulphuris succendens eam*, Isai.30.33. *Vermis* Ibid.66.24.
Ibid.66.24. *eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt usque ad satietatem omni carni.* Ibidem 66.24. Quem locum Christus ipse de inferno Marc.9.44.
Marc.9.44. interpretatus est. Marci 9.44. *Multi de his qui dormierunt, in terra pulueris euigilabunt: alij in vitam, æternam, alij in opprobrium, vt videant semper.*
Dan.12.2. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum* Dan.12.2.
vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum. Iudic.16.21. Iudic.16.21.

17 Scripturæ testimonijs accedat Conciliorum & Canonum Ecclesiæ stabilimenta, quæ interminabilem, & sempiternam reproborum mulctam constituunt; vt patet ex Sophronij epist. recepta in Sexta Synodo Generali Act. 11. ex Concilio Lateranen. sub Innocent.III. c.1. Et refertur cap. *firmiter* de summa Trinitate, ex Trident. sess.6. Decreto de iustificat. cap. 14. & 15. & Canone 30. & sess.14. Canone 5. de Sacrament. Pœnitentiæ ex cap. *maiores* de Baptismo, & aliunde sæpe. Sophron. Sexta Synod. Concil. Lateran. Trident.

18 Succedat his Sanctorum, & Ecclesiæ Patrum autoritas, qui hanc eandem veritatem vno animo, vno quoque ore testantur. Cyprianus enim ex Antiquioribus sic eloquitur sermone de Ascensione Domini prope finem. *Immortales miseri viuent, vivent inter incendia; & inconsumptibiles flamma nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus Dives, nec erit qui aßuans linguæ stillam aquæ infundat: in proprio adipe frixa libidinum bullient, & inter sartagines flammeas misera corpora cremabuntur; & omni tormento atrocius desperatio condemnatos afflliget. Non miserebitur vltrà Deus; neque tunc audiet pœnitentes. Sera erit illa confessio, & cum clausa fuerit Ianua, frustra carentes oleo exclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium.* Quid expressius? *nullum*, inquit, *erit remedium*, ergo neque extraordinariæ legis & Prouidentiæ. Cyprian.
Antiquissimus Tertull. in Apologetico cap.48. hoc Tertull.
idem affirmat similitudine ignis sulphurei, qui ita tangit corpora vt non absumat; & ignis per montium vertices erumpentis, qui ita flagrat, vt nunquam extinguatur. *Hoc erit*, inquit, *testimonium ignis æterni: hoc exemplum ingis iudicij pœnam nutrientis. Montes vruntur, & durant; quid nocentes & Dei hostes?* Lactantius etiam Firmianus lib. 7. Lactant.
diuinarum Institutionum cap. 21. similiter philosophatur. *Idem*, ait, *diuinus ignis vna, eadémque vi, atque potentia & cremabit impios, & recreabit; & quantum corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit.* Bernardus Bernard.
quoque serm. 75. in Cantica. *Ergo tu*, inquit, *& in medio gehennæ expectato salutem, quæ iam facta est in medio terræ, quam tibi somniat prouenturam inter ardores sempiternos, facultatem veniam promerendi, cum iam transiit tempus miserandi? Non relinquitur hostia pro peccatis morituo in peccatis, &c.* Aliorum Patrum consonnes omninò sententias, & consonam doctrinam prolixum esset recentere. In eundem etiam sensum loquuntur passim August. Aug.
lib.21. de Ciu. Dei c.2.4.5.23. & 24. Et in Enchirid. c.111. & 112. tom.3. Hieron. in c.3. Ionæ. Cyprian. Hieron.
lib. de Resurrect. Christi, Cyrill. orat. de exitu ani- Cyprian.
mæ. Chrysost. hom.43. in Genesim; Gregor. lib.15. Cyrill.
Moral. c.11. Dionysius Areopagit. de Ecclesiastica Chrysost.
Hierar. cap.7. Clemens Papa lib.8. constitutionum Gregor.
Apostolicarum c.43. & plures alij apud Antonium Dionys.
Perez in Laurea Salmantina Certamine 9. expositiuo. Quid denique, quod Origen. qui contrarij er- Clemens
roris autor dicitur, hoc fidei dogma clarissimè de- Anton.
fendit hom.14. in Leuiticum? ibi *Quia temporalia* Perez.
hic non persoluit, ibi expendet æterna supplicia. Origen.

19 His ergo vtriusque Testamenti testimoniis, Conciliorum decretis, Patrum, & Sanctorum attestationibus, ita firmum manet damnatorum pœnas interminabiles esse, vt de fide esse dubitari non possit. Restat vt aliquorum cauillationem occludamus, qui fatentur quidem de lege

ordinaria

ordinaria impossibilem esse ab inferis regressum: dicunt tamen quod de potentia ordinaria,& communi prouidentia repugnet;non repugnare ex absoluta Dei potentia,& specialissimo fauore,ac priuilegio,quo Deus ob singulares rationes nobis maiore ex parte occultas,potest, & vult de facto animam alicuius ex damnatis absoluere,& in suâ gratiam,aut gloriam accipere. Sic illi omnes,qui Traiani fabulam crediderunt,quiq; infidelium resurrectioni,aliorúmque, qui in lethali culpa decesserant suscitationi, responsum aliud non inuenerunt, ex his est S.Th.in 4.distinction.dist.45.art.2.q.1.Salas tom.2.in 1.p.tract.13.disp.15.sect.4. Ioannes Azor lib.9. institutionum c.31. q.2. Salmero tom.2. in Epistolas Pauli 1. Cor. 15. disp. 26. & plures alij. Quos contra,

S.Thom. Salas. Azor. Salmer.

19 Arguo 1. Desperatio est pars essentialiter constitutiua damnationis reproborum;sed si Deus ex singulari prouidentia,& absoluta potentia posset eos ab inferis liberare, damnati non haberent desperationem, ergo Deus etiam de potentia absoluta eos liberare non potest. Maior est communis sententia,2.2.q.15.art.3.quam sic probat S.Thom. *Cum perpetuitas damnationis pertineat ad pœnam damnatorum, non verè haberet rationem pœnæ,nisi voluntati repugnaret, quod esse non posset, si perpetuitatem sua damnationis ignorarent, & ideò ad conditionem miseriæ damnatorum pertinet, vt ipsi sciant quod nullo modo possunt damnationem euadere,& ad beatitudinem peruenire.* Minor verò probatur,quia si damnati scirent posse Deum ex speciali dispensatione eos à tormentis liberare,& de facto complures liberasse, quos referunt Autores cótrariæ sententiæ, ineptè desperarent;quin potiùs diuinam misericordiam,præter legem communem possent experiri.Ergo.Dicis,damnaris inesse errorem, & ignorantiam huius possibilis priuilegij,& extraordinarij fauoris,& ideò omnimodè desperare.Sed contra,quia ex natura rei non repugnat saltè Angelum damnatum consequi hanc notitiâ,& veritatem ergo qui consequeretur,non desperaret. Contrà secũdò;quia nec etiam dãnatus homo qui dum viueret hanc opinionem habuisset,non est ratio, quare eius obliuisceretur.Ergo eius recordatus non desperaret. Contrà tertiò;quia hic error vnicè à Deo dãnatis inferẽdus esset;Deus autẽ erroré non infundit.

S.Thom.

20 Arguo secundò à paritate, quia si non obstante æternitate indictæ pœnæ,damnatus potest ex Dei absoluta potentia, & speciali fauore ab inferi tormẽtis liberari, Beatus similiter posset ex eadem absoluta Dei potentia gloriam amittere, non ergo esset de suæ beatitudinis æterna duratione securus: quod argumentum est Greg. lib.34.Moral.c.16. in hæc verba. *Si quandoq; finienda sunt supplicia reproborũ,quandoq; finienda sunt ergo & gaudia Beatorum. Per semetipsam namque Veritas dicit.* Ibunt hi in supplicium æternum:iusti autem in vitam æternam. Mat.25. *Si igitur hoc verũ non est,quod minatus est,neq; illud verum est quod promisit.* Et concludit. *Quis hanc eorum vesaniam toleret,qui conantur adstruere verum non esse,quod Veritas de æterno igne minata est;& dum satagunt Deũ perhibere misericordem,non verentur prædicare fallacem?* Quod Gregorij argumentũ non solum hæreticos impugnat,qui de facto ex ordinaria Prouidentia dãnatorum pœnas terminabiles prædicant; sed eos etiam Catholicos,qui de possibili,& ex speciali dispensatione terminari posse crediderunt, cùm ex consequẽtiæ vi idem etiam de Beatorum gloria fateri teneantur.Modo etiã,quod Deum de facto mẽdacem in suis promissis, & comminationibus constituere blasphemum est, ita etiam mendacem de possibili asserere impium est. Hoc idem Gregor.argumentũ conflet Aug.in Enchir.c.112.tom.3. Quod si paritatem accipias,& prædestinati coronâ amissibilem esse ex quacunq; Dei potentia fatearis,totam beatitudinis rationem euertis, de cuius conceptu est securitas æternæ durationis,vt docent Theologi 1.2. q.5.art.4. Vbi S.Th.sic ait in corpore articuli. *Requiritur ad veram beatitudinem, quòd homo certam habeat opinionem,bonũ,quod habet,nũquam se amissurum.* Vbi certâ scientiam, *certam opinionẽ* vocat, quod in idem recidit. Quam doctrinã latè probat Ægid.de Præsentation. 1.2.lib.2.de perfecta comit. q.12.art 1.§.2.concl.5.Aliter si per quamcunq; dispensationem cognosceret Beatus posse se à gloria excidere, timeret:cum beatitudine verò timor non compatitur, ergo certus omninò est per nullam potentiam, per nullam dispositionem posse se gloriam,quam possidet,amittere.

Gregor. Matt. 25. Auguſt. S.Thom. Ægid.

21 Arguo tertiò;si ex speciali Dei priuilegio,& absoluta potentia posset damnatus erui à tormentis; posset etiam,& deberet pia Mater Ecclesia,& quisque fidelis pro eo liberando Deum orare,& suffragia offerre,vt à pœnis solueretur.Sed hoc est falsũ, & absurdum: ergo per nullum priuilegium, per nullam potentiam potest damnatus erui à tormentis. Patet sequela, quia Deum orare, vt in ordinaria lege dispenset, & sua aliquando potestate suprema,& absoluta vtatur,impium non est. Sæpe enim sancti Viri similiter orarunt.Nam Samuel vt infrà videbimus,æstiuo tempore pluuias repétinas à Deo petiit,& impetrauit;1.*Reg.*12.18.Helias ignẽ de cœlo, quo milites conflagrarent. 4.*Reg.*1.10. Et in Historiis Ecclesiasticis sancti Viri resurrectionẽ mortuorum postularunt, & pluta alia, quæ leges ordinarias,& ordinariam Dei potentiam excedunt. Ergo similiter impium non esset pro damnato liberando orare, quamuis eius liberatio leges ordinarias excederet. Si ergo impia talis Ecclesia oratio non est, teneretur Ecclesia piæ matris officio pro damnato filio preces fundere,& Sacrificia offerre. Sequelæ verò absurditas manifesta est;quia peccatum esse mortale pro damnato orare,docent Theologi in 4.dist.45.q.2.art.2.Sotus ibi. *Pro damnatis orare peccatum est genere suo mortale, quoniam petere à Deo non licet nisi quod secundùm eius legem impetrare ab ipso possumus: Cùm ergo de damnatis stet firma sententia, vim obtinet legis, qua sunt ab eius misericordia exclusi,peccatum est pro illis orare.* Prohibetur etiam pro damnatis orare 13. quæst.2. cap. *Quibus*, cap.*cum grauia*, cap. non *æstimamus*, cap. *pro obeuntibus*, cum duobus sequentibus & 23.quæst.5.ex Concilio Bracchar. 1.c.34. in cap. *placuit*, decernitur,ne pro se interficientibus fiant suffragia, & in Concilio Triburiensi, cap.31.de illo qui in peccato actuali interficitur iubetur, *vt nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare.* Similis etiam decisio sumitur ex cap. *ex parte* Titulo secundo de sepulturis. Vide Suarez tom.4. in 3.p.disp:48.sect.4.n.12. & tom.3. eiusdem partis disp.78.sect.3.

1.Reg.12.18. 4.Reg.1.10. Domin. Soto. Concil. Bracchar.1. Cõc. Trib. Suarez.

22 Accedit concors Patrum doctrina,qui inania pro damnatis esse suffragia prædicant. Quocirca Augustin. libr. de cura pro mortuis agenda cap.1. & 18. & libr. 21. de Ciuitat. Dei, cap. 24. & serm. 32. de verbis Apostoli tomo 10. efficaciter pugnat. Eo enim serm.32. qui etiam Bedæ adscribitur, hæc habet. *Qui sine fide, quæ per dilectionem operatur eiusque Sacramentis de corporibus exierunt*

exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impendãtur officia, cuius dum hic essent pignore carnerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, & sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Ex eodem etiam August. Vulgatum illud circumfertur. *Scirem matrem meam esse in inferno non magis pro illa orarem, quàm pro diabolo.* Idem docet Innocent. III. c. *cum Martha*, de celebrat. Missarum, & Theologi in 4. dist. 45. S. Thom. q. 2. art. 2. quæstiunc. 4. Paludanus, Sotus iam relatus, Antoninus, Nauarrus, & alij apud Suarium dict. tom. 4. in 3. p. disp. 48. sect. 4. & tom. 3. statuit de fide esse, suffragia non prodesse damnatis. Gregor. denique libr. 34. Moral. cap. 16. iam citato, sic loquitur. *Quomodo pro illis tunc orabitur, quando iam nullatenus possunt ad iustitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igni damnatis, quæ nunc etiam causa est vt non oretur pro Diabolo, Angelisque eius æterno supplicio deputatis, quæ nunc etiam causa est, vt non orent sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis, quos de eis vtique, quos æterno deputatos supplicio iam nouerunt ante illum iudicis iustis conspectum orationis suæ meritum cassari, refugiunt.* Audiant hæc, vel legant, qui Gregorium credunt pro Traiano pagano, & flagitiosissimo Imperatore ad gehennam detruso precatum vnquam fuisse. Legant etiam Abulensem, qui 4. Regum 4. q. 57. asserere ausus est: si pro Traiano Gregorius orauit, grauiter peccauisse, quod quidem horrent aures. Ratio autem quare pro damnatis orari non possit, ea est, quam assignat Dominicus Sotus in 4. distinct. 45. q. 2. art. 2. in tom. 2. Scilicet, quòd damnatus ratione sui status est in actuali, & continuo odio Dei obstinatus, eo modo, quo est Diabolus, Deum etiam perpetuò blasphemans; vnde totius misericordiæ est incapax, & veniæ expers: Vnde Episcopus Basanensis in 4. q. de suffragiis, art. 1. diff. 2. ait: *Hæreticum est affirmare viuorum suffragia de lege damnatis ad remissionem pœnæ aliquando prodesse.*

Aug. Innocent. S Thom. Paludan. Sotus. Antonin. Nauarr. Suarez. Greg.

Abul. Sotus.

Basanens.

22 His ergo argumentis probari satis videtur damnatorum pœnas per nullum Dei priuilegium dispensationem, aut potentiam terminari posse, sed in sempiternum, & sine fine duraturas. Ex quo concludit Ecclesia, *In inferno nulla est redemptio. Nulla* inquam; in quo excluditur quoduis priuilegium, & specialissimus fauor, nam si hic possibilis esset, in inferno esset aliqua redemptio, seu salutis & remedij spes. Restat modò, vt aduersa partis argumentis satisfiat, quæ leuia non sunt, nec contemptibilia.

23 Quorum primus erat locus Psalmi 76. Vbi alienum à Dei benignitate videbatur; non misereri aliquando Deum, & in æternum misericordias suas continere. Respondet August. lib. 21. de ciuit. c. 24. in tom. 5. intelligi hæc debere respectu viatorum, seu viuentium, quibus sæpe iratus Deus non ita tamen irascitur, vt misericordiam suam ab eis omninò contineat, sed eius recordatus indulgeat, & ad vitæ viam errantes ipse reducat. Sic etiam interpretatur Incognitus prædicta verba. Respondet secundò in hæc verba. *Sed quibus placet istam sententiam vsque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, vt manente in eis ira Dei, qua in æterno est prænunciata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, & faciat eos non tanta, quanta digni sunt, pœnarum atrocitate cruciari, non vt eas pœnas vel nunquam subeant, vel aliquando finiant, sed vt eas mitiores, quàm merita sunt eorum, leniorésque patiantur. Sic enim & ira Dei manebit, & in ipsa ira sua miserationes suas non continebit.* Respondet tertiò Antonius in Laurea Salmantina certamine 9. expositiuo cap. 10. loqui Dauidem de aduentu Messiæ, in quo tandem post prolixam intercapedinem, & largam procrastinationem, Deus humani generis miserus, carnem sumeret, à morte eriperet, & redimeret à peccatis. Respondeo tamen facilius, & fortè ad Literam congruentiùs: si de æterna damnatorum pœna sermo sit; verba Psalmi admirationem quandam continere circa Diuinam iustitiam, quæ tanta quidem est, vt lata semel sententia misericordiæ locum non relinquat: vbi potiùs conclusio negatiua est, quàm affirmatiua, ac si diceret: ergo ne in tantum irascetur Deus reprobis, vt in æternum eorum non misereatur? Ita quidem est; quod altum, & inscrutabile Dei iudicium admiror, nec satis ipse consequor, & me ignarum quendam in diuinis cognoscendis tyronem agnosco. *Ego dixi, nunc capi*, qui veteranum me, & sapientem aliquando præsumpseram.

Primus locus. Psal. 76. 6. August. Incogn.

Anton. Perez.

24 Secundus locus ex Psalm. 139. 11. faciliorem habet solutionem, scilicet *In miseriis non subsistent.* Hoc est, impares erunt omninò reproborum vires æternæ flammarum actiuitati. Deus verò ita eos conseruabit, vt subsistant, & pares omnino sint; cui alluserit suprà Lactantius, dum dixit: *Diuinus ignis vna, eadémque vi, atque potentia & cremabit impios & recreabit; & quantum corporibus absumet, tantum reponet.* Ethnici etiam ipsi in Titij fabula idem expressêrunt, dum renata viscera in sempiternum torqueri finxerunt. Vnde Ouidius.

Secundus locus. Psal. 139. 11. Lactant.

Ouid.

Sic inconsumptum Tityi, sempérque renascens
Sic perit, vt possit sæpe perire nouo.

Et Innocentius III. lib. 3. de Contemptu Mundi. *Tunc erit mors immortalis; tunc viuent mortui, qui vita sunt mortui: quærent mortem & non inuenient.* Tertium locum ex Michæa 7. 8. de Iudæa & Babilone exponunt Interpretes. Vel si mauis explica de viatore in lethali culpa, qui Deo miserante ad lucem gratiæ potest, & sperat peruenire. Quarto loco ex Matth. 18. 34. scilicet. *Quoad vsque redderet vniuersum debitum.* Respondetur, impium ad inferos detrusum, etsi in æternum pœnas luat, nunquam tamen debitum totũ reddere posse; est enim debitum insolubile, quia pœnam meretur æternam. Pœna ergo tandiu producenda est, ac protrahenda, quandiu perseuerauerit debitum; hoc autem semper perseuerat.

Innocent.

Tertius locus. Mich 7 8. Matt. 18 34.

Quartus locus.

25 Primo Argumento à ratione; scilicet peccato in instanti commisso non debere respondere æternam pœnam; négatur Assumptum; quia pœna peccati durationi proportionanda non est, sed grauitati; vt docent Theologi cum S. Thom. 1. 2. q. 87. art. 3. ex Augustino; ait enim Augustin. lib. 21. de Ciuit. cap. 11. in tom. 5. *In nullo iudicio requiritur vt pœna adæquetur culpæ secundùm durationem. Non enim quia adulterium, vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur; sed quandoque quidem perpetuo carcere, vel exilio; quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius, quod in perpetuum auferatur à societate viuentium; & sic repræsentat suo modo æternitatem pœna inflicta diuinitus.* Vnde ad primam confirmationem responsum etiam manet; omnia enim peccata grauia æternâ pœnæ durationi digna sunt, & in hoc æqualia quidem existunt, licèt non in grauitate, & intentione culpæ, vel pœnæ debitæ. Ad secundam fateor peccatum

S. Thom. Aug.

mortale

mortale pœnam infinitam non mereri, hoc est secundùm entitatem, & intensionem intrinsecam, non vero secundùm durationem extrinsecam.

26 Ad secundum argumentum, scilicet Ecclesiam orare quoque pro damnatis, in quo remissionis & veniæ capaces eos considerat; negatur omninò Assumptum, falsum quippe penitùs esse, satis ex suprà dictis constat; cùm peccatum sit mortale, pro damnatis preces, aut suffragia offerre. In officio verò defunctorum non pro damnatis, sed pro existentibus in Purgatorio fit oratio, quod Orcus, Tartarus, & Obscurum etiam dicitur, vt probat Salmero tom. 2. in Epist. Pauli. 1. Corint. 15. disput. 26. Secundò respondetur: Licèt Ecclesiæ preces de facto damnationem impij defuncti subsequantur; præcedere tamen in intentione, & repræsentatione; orat enim Ecclesia repræsentans diem, vel horam obitus, ac si ille, qui iam obiit, nondum obiisset; Deus autem clementissimus præuisis Ecclesiæ precibus, & suffragiis auxilia gratiæ suæ præbuit morienti, quibus iustificatus pœnas æternas euaderet. Ad autoritatem verò Patrum & Theologorum affirmantium, vel indicantium virorum suffragia damnatis quoque leuamen, & vtilitatem adferre inferiùs respondebitur.

Salmer.

27 Ad tertium argumentum asserentium, Æternum, & Sempiternum, non semper temporis interminabile spatium, sed prolixum significare. Respondeo verum id esse; cùm verò Scripturæ loci, qui de æterna damnatorum pœna loquuntur à Conciliis Patribus, & Theologis ita accipiantur, vt pro interminabili duratione significent; impium, & erroneum esset, de prolixa tantùm duratione interpretari, vt enim benè ait Canus lib. 7. de locis c. 3. *Persuasum esse debet Sanctorum omnium communem sensum, certam fidem facere Catholicorum dogmatum, ac proinde ex omnium autoritate certa argumenta depromi Theologicis conclusionibus confirmandis.*

Canus.

28 Venio iam ad autoritatem Patrum & Theologorum, qui vel damnatorum pœnas leuari posse, aut terminari docuerunt. vel saltem indicarunt. Inprimis Origen. qui inter antiquiores asserti huius autor circumfertur; contrarium docuisse non semel constat ex Hom. 14. in Leuiticum ibi. *Quia temporalia hic non persoluit, ibi expendet aterna supplicia.* Vbi de damnato loquitur: & deinde. *Vbi non est soluta vindicta, peccatum manet illis aternis ignibus exigendum.* Quod dogma repetit Hom. 14. in Ezechiel. & Homil. etiam 14. super Iesum Nabe, & Hom. item 14. & 18. in Numeros. Vnde credendum potiùs est hæreticorum, & inimicorum Origenis imposturam fuisse, vt libenter credunt, qui eum ab hoc, & aliis erroribus seriò defendunt Eusebius, Didimus, Pamphil. Martyr. Rufinus, Picus Mirãdula. Iacobus Merlinus, Dominicus Sotus, & alij, qui constanter affirmant Origenis Scripta aduersariorum eius nequitiâ deprauata fuisse. De quo conqueritur vehementer ipse Origen. Epist. ad Alexandrinos his verbis. *Quidam tractatus nostros calumniantur, & ea sentire nos criminantur, quæ nunquam sensisse nos nouimus.* Et iterùm. *Quidam eorum, qui libenter habent criminari proximos suos, adscribunt nobis & doctrinæ nostræ crimen blasphemiæ, quod à nobis nunquam audierunt.* Dico secundò, si Origenes contrarium nostræ conclusionis & Catholicæ doctrinæ scripserit, audiendum non esse; errant etenim grauiter, & ab Hieronymo, & aliis communiter reprehenditur. Chrysost. suprà relatus piè, vt par est, interpretari debet,

Origen.
Euseb.
Didimus.
Pamphil.
Rufin.
Picus.
Merlin.
Sotus.
Origen.

dum docet; iis, qui in fide abscessérunt, suffragia viuorum emoluimenti esse: accipi enim debet de iis qui in fide formata, & viua, iustitia & charitate fœcunda; & dum dicit catechumenis defunctis per eleemosynarum largitionem leuamen afferri posse; de illis intelligendus est, qui ante Baptismum decedentes per charitatem iustificationem obtinuerunt, & in purgatorio detinentur.

29 Video tamen Damascenum, piæ huius interpretationis expertem fieri, qui toties repetit viuorum suffragia damnatis aliquibus etiam intantum prodesse, vt eos à tormentis extrahant, quod etiam exemplis confirmat: sed de Damasceni autoritate inferiùs disputabitur. Præpositinum Leodiensem non multum curo; quem iure impugnant S. Thom. Sixtus Senensis, & alij. Augustinus verò cum toties damnatorum pœnas æternas, & interminabiles prædicet; nescio quomodò in contrarium adduci possit, si ad eius verba attendatur; locus enim qui habetur cap. *tempus* 13. quæst. 2. perperam à Glossatore intelligitur, vt annotauit Sotus suprà relatus. Probè verò intellexisset, si scisset deputationem animæ iusti ad Purgatorium, damnationem etiam non præposterè dici, quæ quidem damnatio Ecclesiasticis suffragiis leuior, & tolerabilior fit. Triplicem autem defunctorum ordinem distinguit. Primum est Sanctorum, seu valdè bonorum, pro quibus docet suffragia potiùs gratiarum actiones esse. Secundum non valdè malorum, hoc est iustorum, qui & peccatorum leuium maculas habent, vel reatum pœnæ temporalis, pro quibus dicit suffragia propiciationum rationem sortiri. Tertium valdè malorum, hoc est in odio Dei decedentium, pro quibus docet nulla adiumenta, precationes aut suffragia, esse. Quid expressius, aut ad Catholicam doctrinam congruentius.

S. Thom. Sixt. Senen. Sotus. Gloss. iuris.

30 Dico tandem Patres & Theologos, qui vel docent, vel innuunt viuentium suffragia ad æternarum damnati pœnarum refrigerium pertinere, aliter posse interpretari; scilicet non de pœna substantiali, & æterna, sed de accidentali, & minùs principali, propter peccata mortalia iam dimissa quoad culpam, non verò quoad totum pœnæ reatum, quia viuens non omninò pro iis satisfecit, vel propter peccata venialia, cum quibus damnatus decessit, quibus pœna respondet temporalis; quam quidem propter orationes, & suffragia viuorum posse remitti, aliquorum opinio est, quam refert Suarez tom. 4. in 3. p. disput. 48. sect. 4. numero 16. Quam quidem opinionem libenter ipse probarem, nisi eam Viris doctissimis viderem vehementer displicuisse. Contrarium sentit ipse Suarez ibi, cum Medina. Cod. de Oratione. quæst. de eis pro quibus orandum est. & quæst. de Valore Orationis. Pro huiusmodi pœnæ remissione orari posse fortè indicauerunt Patres, in quo non videtur orari pro damnatis formaliter, quatenus damnati sunt; non enim damnati sunt, quatenùs has prædictas accidentales pœnas patiuntur; sed propter peccata mortalia non remissa.

Suarez. Medina.

31 Restat non infirmum argumentum eorum, qui Christo Domino ad inferos descendente, & ad eos, qui quondam increduli fuerant, prædicante; vel omnes damnatorum animas, vel aliquas saltem extractas, & ad æternam vitam reuocatas asseruêre. His ergo vt respondeamus aduertimus Theologos communiter in 3. distinct. 22. & 3. p. q. 52. art. 6. docere de fide esse, Christum Dominum ad inferos descendentem, nullam inde damnatorum animam

Auguſt. Philaſtri. Gregor. Chryſoſt. Nicetas. Suari. Lorin. Pereri. Moura. Mend. Greg.

extraxiſſe. Quod expreſsè affirmant Auguſt. lib. de Hæreſibus cap. 79. Philaſtrius lib. etiam de Hæreſibus cap. de deſcenſu Chriſti ad inferos. Gregor. Epiſt. 179. in lib. 6. Chryſoſtom. apud Nicetam, in Orationem 42. Nazianzeni. Suarius tom 2. in 3. p. diſput. 43. ſect. 3. Lorinus Actor. 2. 24. Pererius tomo 2. in Geneſ. diſput. 3. Emanuel Balle de Moura, Opuſculo de Emplalmis. ſect. 2. cap. 3. Mendoza tom. 1. in primum Reg. ad caput 2. verſ. 6. & plures alij. Ne verò omnia ſanctorum Patrum verba prætermittamus; S. Gregorij ſententiam in medium lubet proferre Epiſt. 15. in lib. 6. Vbi poſtquam eam aliquorum falſam exiſtimationem retulit, ſic ait. *Quid de hac hæreſi Philaſter in lib. de Hæreſibus ſcripſit, cognoſcat dilectio veſtra, cuius hæc verba ſunt.* Sunt Hæretici, qui dicunt Dominum in infernum deſcendiſſe, & omnibus poſt mortem etiam ibidem ſe nunciaſſe, vt confitentes ibidem ſaluarentur: cum hoc ſit contrarium dicenti Prophetæ Dauid, *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Et poſt pauca. *Hæcitaque omnia pertractantes, nihil aliud teneatur, niſi quod vera fides per Catholicam Eccleſiam docet, quia deſcendens ad inferos Dominus illos ſolummodò ab infernis clauſtris eripuit, quos viuentes in carne per ſuam gratiam in fide, & bona operatione ſeruauit.* Quod ſi hæretica eſt talis ſententia, parum de autoritate cuiuſuis Doctoris curandum eſt. Ne tamen eos omninò contemnere videamur, ita interpretabimur, vt de limbo, qui infernus etiam dicitur, intelligamus eſſe locutos, non verò de gehenna damnatis deputata. Quod ſi ſancti Patres aliter ſcripſerint, non ſecundum propriam mentem, ſed ſecundùm vulgarem opinionem dixiſſe credendi ſunt. Quod ſæpe Hieronymus in Epiſt. ad Auguſtinum ſe feciſſe teſtatur. Ad confirmationem verò ex prima Epiſt. Petri 3. 19. & 4. 6. & Actor. 2. 24. ſic reſponde. Lucas quidem dum dicit Chriſtum ſolutis doloribus inferni à mortuis ſuſcitatum, de eius ſepulchro loquitur, qui infernus dicitur. Vocat verò dolores, ipſam in eo mehilionem, quæ noſtro modo concipiendi hominis inter mortuos libero dolorem inferret, adeòque impoſſibile eſſe Chriſtum in eo detineri. Vel loquitur Lucas de Purgatorio aut Limbo ſanctorum Patrũ, quos ſolum à doloribus detentionis, & exilij, & priuationis gloriæ, vt interpretantur Auguſtin. lib. de Reſurrectione. Gregor. 3. Moral. c. 16. Thom. 1. p. quæſt. 52. art. 2. ad 2. & Caietan. ibidem: ſimiliter etiam dum dicitur Chriſtus ad infernales prædicaſſe, de iſdem limbi Patribus, aut animabus Purgatorij accipitur, quorum quidem aliqui increduli aliquando fuerant, ſed reſipuerant, & in gratia tandem deceſſerant. His ſe Chriſtus manifeſtauit, atque eos in fide confirmauit; qui plura de huius Epiſt. locis certè difficilibus, & interpretatione velit, conſulat, quæ de illis ſcripſêre Turrianus noſter lib. 4. pro Epiſtolis Pontif. cap. 12. Bellarminus tom. 1. lib. 4. de Chriſti anima. Suarius tom. 2. in 2. p. diſput. 43. Sect. 3. Barradas, Salmero, Lorinus, Cornelius, Alfonſus Mendoza in ſuis Quotlibetis, quæſt. 1. poſtiua. Antonius Perez in Sua Laurea Salmantina, certamine 9. expoſitiuo, & Franciſcus Mendoza 1. Regum. 2. 6. 6. 42.

Auguſt. Gregor. Thom. Caietan. Turrian. Bellarmi. Suari. Barrad. Salmer. Lorin. Cornel. Alfon. Mendoza. Ant. Perez Fra. Mend.

32. Vltimum tandem argumentum ex traditionibus, & Eccleſiaſticis annalibus prolixiorem poſtulat reſponſionem, & ne vnicuique exemplorum eorum reſpondeamus, vna omnibus aptari poteſt reſponſio. Dico ergo primò quamplures ex allatis hiſtoriis non ſolum Canonicas non eſſe, verùm apocryphas, & ſola pietatis ſpecie confictas, vt conqueritur Canus lib. 11. de Locis, cap. 5. Sancti verò Patres eas vt piiſſimi interdum crediderunt, vtpote vulgo iactatas, & omnium ore concelebratas. Dico Secundò plures ex iis, qui & mortui & à Sanctis ſuſcitati referuntur, verè mortuos non fuiſſe, ſed apparenter Deo mirabiliter eorum vitã abſque vitalibus operationibus ſecretò conſeruante; vnde nec iudicati, nec damnati fuerant, nec ex orcbo reuocati. Dico Tertiò eos, qui vere mortui fuerant, vt patet de iis, quos & Chriſtus, & Apoſtoli ſuſcitarunt, iuſtos fuiſſe, & in Purgatorio in temporalem pœnam collocatos, vnde ad vitam, vel ad gloriam transferri poſſe dubium non eſt. Licet enim aliqui eorum Gentiles fuerint, ſeu Catechumeni, vel per charitatem iuſtificati fuerant, vel ignorantia inuincibili laborauerant, & naturali legi, ac rationis ſindereſi ſe conformauerant: vt rectè docent Dominicus Sotus in 4. diſtinc. 45. Articulo 2. quæſt. 5. & Salmero tom. 6. in Euangelia Tract. 2. circa illa Chriſti verba. *Adoleſcens tibi dico: Surge.* Dico Quartò ſi impij quidem, & damnatione digni deceſſerint, iudicatos tamen nondum fuiſſe, ſed mirabiliter ſuſpenſos, ne quem debebant reatum æternæ pœnæ perſoluerent, quorum animæ ſpeciali aliquo loco ex diuina pietate detinebantur præuiſis eius, qui pro eis oraret, precibus aut ſuffragiis. Quod quidem magnum inconueniens non eſt reſpectu diuinæ poteſtatis; nec enim locus eſt Scripturæ, qui dicat iudicium diuinum ſuſpendi interdum non poſſe; ſunt verò innumeri, qui doceant indicta ſemel iudicis ſententia, in æternum ignem damnati, iam animam detruſum iri. Vnicum hoc eſt eorum effugium, qui Traiani, & aliorum id genus fabulas patrocinantur, ne Scripturis contradicant, & dum Deum perhibent miſericordem, mendacem ne conſtituant, vt dixit ſuprà Gregor.

Canus. Sotus. Salmer.

Sed vt vnico exemplo reliquis fiat ſatis, iam ad Traiani Imperatoris hiſtoriam deueniamus. Is ergo non modo paganus fuit, ſed truculentus Eccleſiæ perſecutor & innocentium ſanguine ingurgitatus: fuit etiam vt Dio Caſſius refert obcæno pæderaſtiæ vitio intantum notatus, vt proprio etiam nepoti parcendum non cenſuerit; quem directè damnauit Paulus eâ, quam protulit, ſententiã 1. Cor. 6. 9. *Noluite errare; neque fornicarij, neque Idoli ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, &c. Regnum Dei poſſidebunt.* Quid in Traianum expreſſius? Qui ergo Traianum Idolis ſeruientem, & maſculorum concubitorem, impœnitentem, & obſtinatum decedentem, regnum Dei poſſidere affirmet, errat ex Apoſtoli axiomate & infallibili ſententia. Vnde tota eius fabella iure exploditur à doctiſſimis recentioribus, eamque ferreo, quod dicam, fuſte tundit Baronius tom. 8. Annal. Eccleſiaſt. anno Chriſti 604. numero 31. & ſequentibus; atque eum, qui tanto viro (Damaſceno inquam) eam impoſuit, imperitum vocat nugatorem. In eam ſimiliter deſæuit Bellarminus tom. 1. Controuerſiar. libro ſecundo de Purgatorio cap. 8. Eandem etiam proterit Melchior Canus de locis libro 11. capite 1. Dominus Sotus in 4. diſtinc. 45. quæſt. 2. articulo 2. Suarez tomo 3. in 3. p. diſp. 43. ſect. 3. Dimas Serpi. tract. de Purgatorio, cap. 43. Emanuel Balle de Moura opuſculo citato de Emplalmis ſect. 2. cap. 2. Qui hanc in prædictæ fabulæ patronos concluſionem, & rigidam cenſuram impingere veritus non eſt num. 69. *Arbi-*

Caſſius. 1. Cor. 6. 9. Baron. Bellar. Canus. Sotus. Suarez. Serpi. Moura.

tror esse errorem in fide asserere aliquem damnatum ad ignem æternum, siue postquam lata sententia in particulari iudicio ignitraditus, siue antequam traditus sit: siue antequam lata sit ea sententia, dummodo tamen anima eius realiter in peccato mortali à corpore separata fuerit, esse liberatum.

Abul. 34 Abulensis verò 4. Reg. 4. quæst. 57. *Satis rationabile* asserit, *eam historiam negare, quia asseritur ibi aliquid contra legem communem Dei.* Eandem fabulam reiiciunt Palacius in 4. distinct. 45. Palacius. disp. vlt. Medina. C. de oratione, titulo de his pro quibus orandum est. Petrus Megia, vulgò Petrus Medina. Megia. Hispanus in vita Traiani. Autor historiæ Ecclesiasticæ Hisp. Centuria 2. cap. 1. Greg. de Valentia 2. 2. Autor hist. Hisp. disput. 6. quæst. 2. 8. & 3. part. disput. 11. quæst. 1. Valentia. punct. 2. & Iacobus Granadus tom. 5. in 3. p. 2. p. Iepes. controu. 13. tract. 3. disp. 4. Granad.

35 Vt autem inanis hæc moles sponte ruat, eius fundamenta prosternere operæ pretium erit. Stat enim quantum video in autoritate Damasceni, cui tantum detulere Th. & alij ex Theologis non pauci, vt eius testimonio innixam existimationem, vltrò amplexati fuerint. Et quidem sermonem præfatum falsò Damasceno adscribi plerique asserunt. Nam Bellou. vt probant ex Vincentio Bellouacen. Volaterrano, Volater. & Antonino, Damascenus, qui sub Theodosio floruit, Antonin. Gregorium magnum plus vno seculo antecessit: vel saltem iuxta Tritemium, duplex fuit Damascenus; Alter sub Theodosio: Alter verò sub Tritem. Leone Ichoromacho, seu Isaurico. Hæc verò ratio infirma est, quia certum est ex Ioan. Hierosolimitano, qui Damasceni vitam scripsit, & ex Hieronym. & ex Suidâ, qui eum cognomine Manzur signat, Oecolamp. & ex Ioanne Oecolampadio adhuc Catholico, Ioan. Hier. cùm Damasceni vitam è Græco transcripsit, & vnicum fuisse, & tempore Leonis Isaurici floruisse. Hieron. Quod confirmat Georgius Cedrenus in Compen- Suidas. dio Historiar. & comprobant Iacobus Billius in Cedren. eius vita, Salmero sæpè relatus, & Cano lib. 11. de Billius. locis cap. 2. Alij verò ex eo Damascenum opus esse Salmero. negant, quia mirum, & parum credibile videtur Canus. hominem Græcum rem nostram toto, vt ipse affirmat orbe vulgatam, Græcis suis prodidisse, quam totus Latinus orbis ignorat, cuius rei nec meminit ipse Gregorius, nec Paulus Diaconus, nec Anastasius Bibliothecarius; Nec Marianus, Scotus, nec Gregor. Ado, nec Beda, nec Ioann. ipse Diaconus, cùm pri- Paulus. mum Gregorij vitam scripsit, eam historiam in Diacon. Romanis Archiuis, sed apud Britannos, *toto orbe* Anastas. *diuisos* inuenit. Quod quidem argumentum, licèt Mar. Scot. negatiuum sit, non tamen parum habet ponderis. Ado. Deinde arguitur non esse Damasceni, quia eius Beda. doctrinæ ex diametro repugnat lib. 2. de fide c. 4. Damasc. Vbi docet hominibus id esse mortem, quod fuit Canus. Angelis casus: casus autem Angeli interminabilem pœnam in æternum connotat. Ne verò his diutiùs immoremur, demus eam historiam verè à Damasceno conscriptam; adhuc verò falsam esse, & recepta indignam comprobemus. Neque enim omnia, quæ Patres rudiori illo seculo scripserunt, clausis oculis Andabatarum more apprehendi debent: Canus. *in quo assentior Cano*, qui lib. 7. de locis c. 3. ita scribit. *Legentur itaque a nobis Patres veteres, cum reuerentia quidem, sed vt homines cum delectu, atque iudicio*; quod quidem priùs docuerat sæpè Aug. August. præcipuè epist. 111. ad Fortunatum, & habetur cap. *nolo meis literis*, distinct. 9. ibi *Nolo meis literis, quasi canonicis scripturis inseruire, sed in illis, quod non credebas, cum inueneris, incunctanter crede. In illis autem, quod certum non habeas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere*; & ibid. cap. neque. *Neque quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere; si forte inuenerimus, quod aliter senserint, quàm veritas habet, diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, qualem volo esse intellectores meorum.* Et Hie- Hieron. ronymus epist. 19. *Alios ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinâque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios autores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Hæc illi. Nunc ergo ad Historiæ improbationem procedamus.

36 Impugnatur primò quia sic ex autoritate Damasceni historia illa sustinenda est; sustineri etiam similiter ex eadem autoritate opus est, quidquid in eo sermone continetur: Hoc est absurdum, ergo corruit eius sermonis autoritas. Probatur Minor, quia ibidem docet Damascenus Christo Domino ad inferos descendente, plures ex damnatis infidelibus ab eo conuersos, & sanatos fuisse: quod dogma ex Gregorio, Philastrio, Augustino & aliis suprà hæreticum esse probatum manet, & ab omnibus improbatur. Si ergo Damasceni autoritas non conuincit, vt hoc secundum creditu dignum reddatur, prius etiam credibile non manet ex eius autoritate. Probatur secundò historiæ absurditas, quæ non leuem Gregorio Viro sanctissimo irrogat iniuriam, dum dicit pro Traiano, quem damnatum nouerat, orasse. Est enim impium, & graue peccatum pro damnatis orare, vt supra probauimus, & docet ipse Gregor. lib. 34. Moral. cap. 13. quod quidem inconueniens perperam deuorat Abulens. 4. Reg. 4. q. iam relata, ergo Gregorium taliter orasse, vel etiam pro eo Missæ Sacrificium obtulisse, (vt indicant verba Damasceni,) *tu verò deinceps pro impio hostiam mihi ne offeras,* (vt notauit Salmero) credendum non est. Probatur tertiò historiæ falsitas, quia si taliter Gregor. orasset, cùm in eo peccasset, à Deo minime exaudiretur. Ait enim Iacobus cap. 4. 3. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis,* quod & cæcus ipse vidit. *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Ioann. 9. 31. Ergo non orauit, qui sciret se audiendum non esse. Greg. Abul. Damascen. Salmero. Iacob. 4. 3. Ioan. 9. 31.

37 Impugnatur quartò eadem historia, quia si in eius fide, Ioanni, & Petro Diaconibus credendù est, credendum etiam erit in eo quod addunt, Gregoriù scilicet orasse, simul & impetrasse à Deo, vt quicumque fidelis in templo S. Andreæ in Cliuo Scauri sepeliretur, salutem obtineret æternam. Hæc petitio esset inepta, vel impia: ergo eam non fecit Gregorius. Probo Minorem, quia vel petiit Gregorius, vt fidelis, qui in fide formata, & charitate sociata decederet, saluaretur: vel ille etiam, qui fide informi, & sine operibus, quæ mortua est. Si prius; ineptè orasset, quia sine eius precibus certa, & infallibilis erat eius saluatio. Si posterius; impia erat oratio, & contra ipsius Gregorij mentem, & doctrinam Catholicam. Ergo taliter non orauit. Ergo si in eo Petro & Ioanni Diaconibus abrogatur fides, negari etiam debet in oratione pro Traiano. Dicis Gregorium solum orasse, vt eorum, qui in templo illo humari decreuissent, in tantum Deus misereretur, vt eis donum perseuerantiæ largiretur, itaut efficacibus auxiliis adiuti, ad extremum vel gratiam non amitterent vel deperditam per contritionem recuperarent; quod piæ orationis genus est. Re- Ioann. & Petr. Diac.

spondeo primò eius asserti autotes plus aliquid insinuare. Respondeo secundò hoc contra Gregorij ipsius mentem affirmari, qui lib.4. Dialogor. c.53. sepulturæ suffragium nullius ad impiorum emolumentum efficaciæ, aut prærogatiuæ esse docet his verbis. *Ex qua re Petre colligi, quia his, quos peccata grauia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciant, restat vt etiam de sua præsumptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa temeritatis accusset.* Gregorius ergo qui hæc docuit, sepulturæ beneficio non tantum deferri vellet, neque à Deo postularet, vt maximum omnium beneficium, scilicet donum perseuerantiæ, & finalem gratiam ex eo solum illis impertiretur, quòd in templo à se dicato sepeliendi forent, quod exigui quidem esset momenti. Sed de his iterùm redibit sermo. Greg.

38 Impugnatur quintò, quia ij, qui eius fidem adstruunt quammaximè inter se dissident, & vt in Christi Domini damnatione legimus, testimonia conuenientia non sunt. Quidam enim Gregorium orasse, vel etiam Missæ sacrificium obtulisse. Quidam, non orasse, sed lachrymas tantum fudisse pio compassionis officio. Quidam, hæc in foro Traiani: Quidam verò, in templo sancti Andreæ accidisse narrant. Alij Traiani animam ab inferis immediatè ad cœlos ascendisse: alij ad vitam temporalem: alij à pœna sensus solum: alij ab omni pœna erectum fuisse: alij ad tempus vsque ad vniuersale iudicium: alij verò in perpetuum liberatum. Alij denique mortuum non fuisse. Sed eius animam in cranio diuinitùs conseruatam. Quid leuius? Quid inconstantius? Vna quidem veritatis via est: multiplex erroris: eas verò tortuosas vias, seu potiùs diuersiones rectè obstruit Abul. suprà relatus, quæ absurdissima obeunt inconuenientia contra Catholicam, & Theologicam institutionem. Sextò tandem efficiùs arguo, hoc dilemmate. Vel Traianus prædestinatus erat, vel reprobus. Si primum dicis; æquitati diuinæ iustitiæ officis, quæ prædestinatum gehennæ addixit, cum virtina desperatione, & obstinato ipsius in Deũ odio, & blasphemiis. Si posterius dicas; implicat reprobum ad vitam æternam peruenire, & inferni pœnas, & cruciatus effugere; ergo.

39. Verumenimvero, quia tota hæc machina, potiùs in autoritate, quàm in ratione consistit; illam prorsus eneruare oportebit. Inprimis ergo Damasceni autoritas satis infirmata iam est. Dici autem debet pijssimum Virum id, quod vulgò iactatum non semel audiuit, credidisse, & scripsisse, quo diuinam prædicaret misericordiam, & ad defunctorum suffragia fideles sollicitaret. Ioannis Diaconi autoritas tanta non est, cui intellectus in tam graui negotio captiuandus sit; cùm potissimum in ea relatione tantum à Damasceno discrepet qui prior illo, vt Baronius supponit, scripserat: cùm etiam ingenuè fateatur Latinos de eius historiæ fide dubitare: ait enim ibid. *Sed cum de superioribus miraculis Romanorum sit nemo, qui dubitet; de hoc quod apud Saxones legitur, huius precibus Traiani animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob id maxime dubitari videtur, quòd tantus doctor nunquam præsumeret pro pagano prorsùs orare, qui 4. Dialogorum lib. docuerit eandem causam esse, cur non à Sanctis oretur in futuro iudicio pro peccatoribus æterno igni damnatis, quæ nunc etiam causa est, vt non orent sancti homines pro hominibus infidelibus, impijsque defunctis.* Cui ille insulsam, & satis frigidam præbet euasionem. Textus ille eisdem Ioanni, & Petro Diaconibus adscriptus, qui in antiquo Codice Vaticanę Bibliothecę repertus dicitur, ita suspectus est, vt fide indignus sit. Primò quia nouitatẽ ita redolet vt supposititius fuisse conuincatur. Vocat enim Gregorium, *Diuum*, quod ab illius tẽporis stylo abhorret. Cardinales etiã Episcopis præfert, quod Ioanni ipsi Diacono repugnat, qui ex Cardinalibus ad Episcopatũ, vt ad altiorẽ gradũ plures à Gregorio primotos affirmat. Secundò quia si eius testimoniũ verum esset, non dixisset Ioannes ipse Diaconus, historiæ huius apud Romanos nõ extare memoriã, sed apud Saxones & Anglos vt notauit Bellarm. Tertiò ob id quod etiam continet, videlicet orasse quoque Gregorium vt quotquot ex fidelibus in eo S. Andreæ templo sepelirentur, salutem æternam obtinerent, quod explodendum fore suprà probauimus, vtpote rationi obnoxiũ, & ipsius etiam Gregorij menti cõtrarium, qui citato lib.34. Moral.c.13. pro iis, qui in graui culpa decessérint orari posse inficiatur, & relata etiã epist. 15. lib.6. vbi concludit. *Trahi ad Deum post mortem non potuit, qui se à Deo male viuendo separauit*, & lib.4. Dial.c.54. *Quid igitur loca sacra sepultis prosunt, quando hi, qui indigni sunt ab iisdem sacris locis diuinitus proiiciũtur*, quod etiam docuerat c.51. his suppositis, quidnam autoritatis, aut argumenti habet, textum illum in Biblioth. Vaticana reperiri, cùm copiosa Bibliotheca similis sit, vt ait Baronius, sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti bonos, & malos libros, probatos, & apocryphos continens? Quod autem addit Salmero disp.27. relata, & se vidisse testatur in templo Gregorio Romæ dicato, lapidem antiquissimũ extare inscriptum, huic historiæ alludentem; continet enim, vt ille ait, optionem Gregorio ab Angelo datam, mallétne biduo in Purgatorio puniri, aut perpetua corporis ægritudine laborare; in pœnam scilicet præfatę pro Traiano deprecationis, (quod refert Abul.) neminem mouerat, quisquam enim, qui rem certam credidit, vt memoriam facti conseruaret, inscripsit: nihilum namque in vulgus percrebuerat. Cæterùm res certa non fuerat. Autor verò vitæ Gregorij anonymus, qui ipsius Gregorij tempore vixisse creditur, eam solam fidem, quam epistola sine chirographo meretur, nullam scilicet; nescitur enim quis fuerit. Bellarm. Baron. Ioan. Diac.

40 De fide autem, quam hæc apud Græcos obtinuit fabella, dixerim, scismatichos, leui quadam pietatis specie deceptos, eam vt certam historiam accepisse, omni scilicet vento doctrinæ circũlatos. Reuelatio S. Brigittæ facta ita obscura est, vt historię fides ex ea parum adstrui possit, solum enim dicit Traianum eleuatum ad altiorem gradum, non verò liberatum; indicátq; in gehenna aliquod leuaminis accepisse, quod qualiter intelligi possit, suprà diximus de pœna videlicet accidentali. Dico secundò prædictam reuelationem posse optimo iure in dubium verti & suppositiam æstimari, quia omninò repugnat ipsius S. Brigittæ menti, & doctrinæ: lib. enim septimo reuelationum c.19. sic loquitur. *Impossibile est, quòd aliqua anima, quæ post mortẽ meam* (Christus loquitur) *est, vel fuerit in infernum condemnata, inde vnquam amplius liberetur.* Quid expressius? ergo reuelatio de Traiani liberatione, vt aduersarij interpretantur, suspecta, vel apocrypha est. Alia verò reuelatio S. Mechthildis in ipsos potiùs fabellæ patronos retorqueri debet. Nam dicit se de statu animæ Traiani, & aliorum Deum percõtatam fuisse. Responsum vero habuisse cum rogationis negatione. Nam Deus omnibus id incognitum esse decreuerat. Si ergo incognita res hæc est, vnde potissimum quispiam contra Dei decretum se cognouisse S. Brigit.

præsumat?

præsumat? Secundò si notitia S.Brigittæ diuinitus data intelligitur de liberatione Traiani facta, opponitur ex diametro reuelationi S.Mechthildis; huic enim dicitur nolle Deum statum animæ Traiani cuiuis reuelare: illi vero reuelatur de facto. Nolle autē reuelare,& velle reuelare,sunt contradictoriæ.Vnde vtraque reuelatio ita suspecta redditur Baronio,vt supposititia,& conficta ab imperitis videatur,& veris reuelationibus immixta. Ad autoritatem deniq; Chronologorum, & Theologorum respondetur facilè:in re incognita Ioanni Damasc. viro sapientissimo,& grauissimo credidisse, qui totis eam historiam viribus persuasit, quam ipse vt omnuò certam ab aliis accepit.S.verò Thom.ex eo excusatur à Cano,quod iuuenis adhuc in eam incidit persuasionem; quæ apta quidem excusatio est, quidquid reclament Salmero,& Bernardus de Brito 2.p.Monarchiæ Luc.5. cap.12.

S.Thom. Canus. Salmer. Britus.

41 Vnum restare videbitur,huius scilicet absoluti de æterna impiorum pœna diuini decreti existentiam probare,eiusque conuenientiam,& congruitatem.Prius vero satis probatū statutúmq; manet supra, multiplici vtriusq; Testamenti testimonio;vbi absoluta hæc, & inuariabilis Dei voluntas elucet, & lex sancita vulgatur,& Conciliorum, Patrúmq; Ecclesiæ autoritate declaratur. Posterius verò,scilicet decreti conuenientiam nullus non talpa non videbit. Neque in re adeò fœcunda pluribus agere rationibus industriæ,vel negotij erit. Quid enim ad totius Vniuersi optimā dispositionem cōgruentius, quàm pœnæ per nullā potentiam terminabilis timore improborum petulantiam coërceri,vt etiam iniuriæ in supremum Dominum impactæ quāritas eluceſcat: ne item diuinæ spernantur leges, sacra violentur, impia quæq; facinora perpetrentur? Ex oppositā enim opinione,noua datur impiis præcipitij occasio, & ad impietatem sternitur via. Quis enim cùm Traianum infidelem,turpem,crudelē,& impium ex erebo ad æternam beatitudinē erectum audiat, non scandalizetur, & delinquendi licentiam,& impunitatem sibi quoque præsumat?

Baron.

42 Finem tandem disputationi imponamus Cæsaris Baronij optime de Chronologia Ecclesiastica meriti æqua,& matura sententia. *Abeant*, inquit, *vana commenta: fileant prorsus inanes fabellæ,sepeliantúrque æterno silentio; data venia iis,qui, quod factum acceperunt,verum putantes,de eo scripserūt.* Maneat igitur firmata sententia, nullum vnquam damnatorum à gehennæ supplicio extractum.Nullum item aliquando extrahendum. Nullum denique per absolutam Dei potentiam, aut singulare priuilegium extrahi posse. Hoc autē in diuina omnipotētia nullam arguit imperfectionē, cùm hæc impotētia sit subsequens, & ex libero Dei decreto proueniat. Vnde diuinæ nullatenus officit,aut potentiæ,aut libertati:ipse enim suam coarctauit omnipotētiam;vt in suis promissionibus,& cōminationibus iustus,firmus,& stabilis ab Angelis, & hominibus cognosceretur; vt verum sit Samuelis nostri testimonium infra c.15. 29. *Porro triumphator in Israel non parcet,& pœnitudine non flectetur;neque enim homo est,vt agat pœnitentiam.*

1.Reg.15.29.

INSTITVTIO IV.

Moralis.

Senes qui leuitate repuerascunt, strictiori Dei iudicio subiacent.

Illa verba. Domus 1 FInes terræ supremum hominum & Angelorum Iudicem iudicaturum Anna spiritu plena propherico perhibet;non quod principia aut media terræ iudicaturus non sit, vt adnotant Interpretes,sed quia strictiori iudicio, & seueriori censura fines eſt ad exactissimum examen adducturus. Qui verò finium terræ nomine intelligendi veniant,docet Greg. in præsenti in posteriori Commentario, dicens. *Non aut terram,sed fines terræ. Fines quippe terræ sunt, qui vitæ suæ vitima cum culpa perpetratione clauserunt. Nam qui peccat, & corrigit quod delinquit;terra est:sed fines terræ non est;quia delinquendo, redemptionis suæ alta deposuit, sed ab imo depositionis suæ ante iudicium,resurrexit.* Hæc ille. Accidit vero non rarò homines canorum religione venerabiles, ætatéque grandæuos, fœdis moribus, & conuersatione,in puerorum naturam puerili leuitate transire, in quibus nihil præter canitiem & annos, quod senectutem redoleat, inuenire licet. *Nihil turpius*,ait Senec.lib.1.de Trāquillitate vitæ cap.3. *quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse prater ætatem.* De quibus etiam Moyses Abbas apud Cassianum Collat.2. cap.13. *Non omnium seniorum,quorum capita canities tegit,quóſque vitæ longauitas sola commendat, nobis sunt imitanda vestigia,vel sectanda, seu traditiones, ac monita suscipienda, sed eorum,quos laudabiliter vitam suam ac probatissimè comperimus in iuuentute signasse, nec præsumptionibus propriis, sed Maiorum traditione institutos. Sunt enim nonnulli, quorum etiam, quod est lugubrius,maior est multitudo,qui in tepore suo, quem ab adolescentia sua conceperunt,atque ignauia senescentes,autoritatem sibi non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt, de quibus exprobratio illa Domini propriè satis dirigitur per Prophetam.* Comederunt alieni robur eius, & ipse nescivit: sed & canu effusi sunt in eo,& ipse ignorauit. Osee 7. *Hos inquam in exemplum iunioribus, non vita probitas,nec vlla propositi huius laudabilis, atque imitanda distinctio, sed annositas sola prouexit.*Concinit Philo Hebræus lib.de Abraham in fine dicens. *Qui multum ætatis in corpore vixerint sine probitate, longani pueri dicendi sunt, quia nunquam attigerunt disciplinas dignas canitie.* Ambros. verò Epist.59. in lib.7. *Verè senectus illa venerabilis,quæ non canis, sed meritis albescit; ea est enim reuerenda canities, quæ est animæ in canis cogitationibus,& operibus effulgens.* Et Seneca epist.4. *In quibusdam non puerilia, sed quod est grauius puerilitas remanet.* Vnde Deus cùm Moysi cōadiutores ad grauem regiminis sarcinam alleuandam eligendos committeret, ait, *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel,quos tu nosti, quod seues populi sint ac magistri.* Numer. 11. 16. Quasi Moysis notitia,& industria opus esset ad veros senes dignoscendos,cùm fallax sæpe sit canorū testimonium. Vnde Origenes. *Nunquid ii,qui senilis corporis gerebat ætatem,non omnium oculis perspicuus erat,quod esset presbyter,ideſt senex?* Ita quidem.Non enim qualescumque à Deo quærebantur senes, sed qui morum grauitate longæuam comitarentur ætatē:alij verò Deo admodū exosi sunt,vt patet Eccl.25.3.*Tres species odiuit anima mea. Pauperē superbum:& diuitem mendacem; & senem fatuum, & insensatū,&c.*Et meritò quidem. Quid enim turpius, quàm insipientia, & morum leuitate fœdari senectutem, quæ bonorum operum, & sanctarum cogitationum parens esse deberet? Et dum extremo Dei iudicio homo per senectam appropinquat, tunc,potissimum lusibus, iocis, vel etiam vitiis laxari habenas?

Ambilia verba.

Philo Hebræus.

Ambros.

Origen.

Numer. 11. v.16.

Eccl.25.3.

2 Hos quidem ad viuum expressit infaustus ille in Deum, & in patrem impius Princeps Absalon, qui vbi currendum fuit, & incolumitati fugâ consulendum, postquam aduersò pugnarat marte, muli quidem lora tenuerat; vbi verò adhærente quercui coma, maiori quidem industria prætereuntem equum fræno contrahere oporteret, tunc miser, & male sanus iuuenis remisit habenas, & inter cœlum & terram pendens cruentis hostium suorum iaculis pectus exposuit 2. *Reg.* 18.14. Abul. ibi. quæst. 12. *Sub arbore habenas reliquit, & multo ex impetu fugit.* Quæ Absalonis insipientia eò maior apparebit, si detur fides Doctoribus Hebræis asserentibus ipsi pendenti, hiscente inferius terra, se sc spectabilem tartarum præbuisse, quo ille stupidus redditus obriguit; nec de salute sua amplius cogitauit. Parricidam quidem impium, & fatuum æmulatur non rari senes, qui morti proximi, diuinóque iudicio vicini, dum præsentius vrget discriminis articulus, vitiis, & concupiscentiis lora remittunt, vt in tartarum præcipites agantur, cuius quidem flammas cominùs spectantes, nihilominus de æterna sua salute non satagunt, sed puerilibus iocis, & leuitatibus oblectantur.

2 Reg. 18.14. Abul.

3 Cygnum olim Deus ita despexit, vt à sacris suis, lege lata arceri iusserit. *Leuitic.* 11.18. multas accumulant Interpretes diuini odij rationes, quarum in præsenti illam probo, qua asseritur Cygnum impij senis esse posse hieroglyphicum. Imprimis enim albus est, vt senis canos significet, vnde ille.

Leuit. 11.18.

Iam mea cygneas imitantur tempora plumas.

Ouid.

Deinde morti proximus cantui, & modulationibus indulget, quod & incurij, & improbi senes agere consueuerunt. Discessui enim ex hac vita vicini peccata anteactæ vitæ dum oporteret singultibus, & lamentis expiare, infensúmque Numen lachrymis emollire, lusibus potiùs, & puerilibus nugis student, quo nihil fœdius, aut turpius. Benè quidem Cornelius Gallus.

Ouid.

Cornel. Gallus.

Turpe senis vultus nitidi, vestésque decora,
Atque etiam est ipsum viuere turpe senem.
Crimen amare locos, crimen, conuiuia, cantus,
O miseri, quorum gaudia crimen habent!

4 Hinc probaui semper Reginæ illius Balthasaris matris modestiam, & frugalitatem, quæ dum filius opipara, & regalia suis ducibus, & Dynastis cõuiuia exerceret, ipsis interuenisse nunquam scribitur. Dicitur enim quod conturbatis scribentium digitorum portento conuiuis; *Regina pro re quæ acciderat Regi, & Optimatibus eius, domum conuiuij ingressa est.* Dan. 5.10. Quæ autem ratio fuerit, ob quam Balthasaris mater, vel potius auia, vt placet Iosepho, nec filij epulo interfuerint, nec aliud ipsa cum fœminis celebrauerit, vt fecisse traditur in simili Vasthi Regina vxor Assueri Regis *Esth.* 1.9. assignat Theodoretus ibi aptissimam, quia videlicet anus erat, ætatéque prouecta, quas quidem dedecet conuiuiorum festiuitas, & publica gaudia, potiúsque conueniunt serietas, maturitas, & grauitas, & à publicis spectaculis abstinentia: abhorrent quoque comessationes, & crapulæ à senilibus annis, frequẽtibus morbis, & infirma vtplurimùm valetudine. *Videtur mihi*, ait Theodoret. relatus in Glossa, *mater ipsius esse: vxores enim cum pellicibus conuiuij participes erant. Ipsa autem post perturbationem ingressa est, & verisimile erat eam vt senio confectam neque ebrietati, neque luxibus, aut saltationibus cum alijs tunc indulsisse.* Hic ille.

Dan. 5.10. Ioseph. Esther. 1.9. Theodor.

Gloss. Theod.

5 Conueniunt igitur senioribus potiùs abstinentia, grauitas, & solitudo, pax, & charitas, quæ sunt proprij ipsorum fructus, quosque ab iis repetet supremus omnium iudex, cùm iudicet fines terræ. Quod quidem expressit Christus ipse celebri illa parabola patrisfamilias, qui plantatam vineam agricolis locauit. Matth. 21. Nam *cùm tempus*, inquit, *fructuum appropinquasset*, ab illis iusta emolumenta repetiit. Quale autem tempus fructuum dicatur, docet Origenes tract. 19. in Matth. tom. 2. tempus videlicet senectutis, & grandioris ætatis. *In omnibus*, inquit, *primum vitæ tempus est infantia; & est vinea tunc nihil ostendens nisi tantum habens in se vitalem virtutem.* Sequitur deinde adolescentia, qua iam quidem flores apparent, & fructus suo tempore repromittunt: Deinde iuuentus, quæ fructus quidem gerit, sed maiori ex parte immaturos, & acerbos scilicet vitiorum malitiâ. *Postea autem*, ait Origen. *Et acerbescunt, quando malitia quidem est in iuuentute, non autem permanet.* Prouectior denique ætas, senectus matura, & grauis est, quæ maturos virtutum fructus profert. *Quando vinea operata fructum profert maturum, & studiosos botryones diuersos, atque perfectos charitatis & gaudij, & pacis, & longanimitatis, cæterarúmque virtutum, quas Apostolus refert, & multa scriptura.* Hæc ille. Deinde eorum carpit stultitiam, & malitiam, qui multa iam ætate *cùm deberent esse magistri; secundum tempus, iterum opus habent doceri, qualia sunt elementa principij eloquiorum Dei. Sic cùm deberent quidam quantum ad tempus dispensationis Dei, & secundum vocationem omnium iam fructus afferre, aut omninò non habent: aut cùm deberent habere perfectos, habent extra tempus florentes, & non in tempore suo acerbos.*

Matt. 21. Origen.

6 Mirum quidem est, quantum Deo gratum semper fuerit palmæ lignum. Nam sponsam honoris ergo Palmæ comparat, Cantic. 7. *Statura tua assimilata est palmæ:* Deinde per Prophetam Psalm. 90. *Iustus vt Palma florebit*, cuius plures liceret rationes assignare, sed illam modò præfero, quòd lubenter credam phœnicem boni ac maturi senis symbolum accipi debere; de qua Ioannes Cluniacensis sermone 90. *Vix floret nisi post diuturnum tempus:* & Ioannes item de S. Geminiano ser. funer. 33. distinct. 5. *Palma quo annosior, tanto fructuosior.* Palmæ igitur assimilari debent omnes iusti, qui quantò diebus processerint, tanto vtique virtutum flores & fructus abundantiùs proferre debent. Cedrum etiam Deo quoque charam imitentur, operæ pretium erit, de qua Dauid: *Sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Psal. 91. Rogas quænam cedri sit multiplicatio quam debeas æmulari, audi Aponum lib. 3. in Cantica. *Semper cedrus crescere fertur, nec aliquando finitur ire in senectam.* Non ergo quod prouectæ sis ætatis licet à bonis exercitiis cesses, sed incunctanter crescere; & fructus parere oportet. Ficum denique vitæ tuæ typum, & exemplar sumito, quam sponsus suæ satis sponsæ commendat, Cant. 2. 13. *Ficus*, inquit, *protulit grossos suos.* Grata quidem Deo ficus est; latet tamen eius lenocinij ratio, qua diuinos tantum oculos, & animum pelliciat. Sed rem aperuit Constantinus Imperator libr. 10. de Agricultura cap. 25. de ea dicens. *Scire expediens est, quod senescens ficus fertilior euadat.* Nihil ergo aliud inquiri oportet, vnde in tantum ficus Deo sit amabilis quæ homines illos adumbrat iustos, & pios, qui quantò ætate annisque processisse vident, tantò copiosiores, & maturiores virtutum omnium fructus emittunt, quibus Dei gustus oblectetur.

Cant. 7. Ps. 90.

Cluniac. Gemin.

Ps. 91. Apon.

Cant. 2. 13. Constant.

7 Concinit instituto nostro Dauid. *In cathedra seniorum*

Psal.106. *seniorum laudent eum.* Psalm. 106. Supponit etenim Cathedras esse Seniorum, quod in publicis scholis fieri non solet, veteres enim magistros, qui diu ludo litterario insudauerint, rude donant. Secus verò in schola cœlesti, hi enim qui diutiùs diuinis officiis & muneribus vacauerint, tantò amplius procedere tenentur, & in ipsa senecta, & senio maturiores edere fructus, dulciori quoque cantu Dominum collaudare. Iis Ioannes facem prætulit, qui catenis publici carceris constrictus, ac neci proximus impensius elaborauit, vt præcursoris Christi munus expleret, & hominibus patefaceret. *Cùm*
Matth.11. *audisset*, inquit Matthæus 11. *Ioannes in vinculis opera Christi mittens duos ex discipulis suis, &c.*
Chrys. vt annotauit Chrysost. in Catena S. Thomæ dicens. *Donec Ioannes erat cum ipsis, suadebat eis continuò de Christo, quia autem iam erat obiturus, amplius studium fecit.* Quod Petro quoque innuit Christus, dum dixit. *Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.*
Ioan.21.18. Ioan. 21. 18. Vbi iterùm Chrysost. in Catena sancti
Chrysost. Thomæ. *Meminit*, inquit, *prioris vitæ, quia in secularibus inuenis quidem vtilis est, qui verò senuerit, inutilis. In diuinis autem non ita est, sed cùm supernenerit senectus, tunc virtus clarior, tunc virilitas industrior: in nullo ab ætate prohibita.* Hæc ille. Cuius rei ratio manifesta est. Eo enim tempore, quo tempore, quo tempus euolat, instat interitus, palma appropinquat, imminet Dei iudicium, an consistere oportet; an hærere; an à bonis operibus cessare? Minimè gentium; sed instare potiùs, & effœuescere, priorisque vitæ, & temporis iacturas quaque liceat celeritate redimere. Senex enim, vt placet Dominico Nano, quasi *seminex* dicitur, itavt
Nanus. senex emori iam cæpisse credatur, & semiuiuus existere. Ergòne seminecem decet hæsitare; an potiùs pergere, & properare; vt Viaticum periculosi itineris comparet, virtutis, inquam, & pœnitentiæ?

Hugo Vict. 8 Quocirca eleganter immoratur Hugo Victor. lib. 2. de Claustro animæ in hæc verba. *Inter abusiones huius seculi sola maior senis obstinatio, qui morti proximus, mortis non abhorret aduentum. Qui quasi ad ostium huius mundi positus, foris expectat; nec tamen vitæ præsentis attendit egressum, nec futura considerat. Audit nuncios mortis, & credere non vult eis. Tres sunt enim nuncij mortis, casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas grauia, senectus certa nunciat. Casus nunciat mortem latentem: infirmitas apparentem: Senectus præsentem.* Hæc ille. Cui con-
Cyprian. niuet Cyprian. vt solet eloquentissimè. *Quid stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totius corporis habitu senectute confectus homo ad interitum properat? cùm oculi caligant: aures grauiter audiunt: capilli fluunt: facies in pallorem mutatur: dentes lapsi numero minuuntur: cutis arescit: flatus non suauiter olet: pectus suffocatur: tussis cachinnat: genua trepidant: tales, & pedes tumor inflat. Homo interior, qui senescit, his omnibus aggrauatur: & hæc omnia ruituram iam domum nostri corporis citò pronunciant.* Hæc ille. Vnde stultior haberi debet incurius, ac
Elianus. vitiosus senex moribus, de quibus Elianus: Rituram domum, quam incolunt præsagientes citò fuga abripi, & in aliam commigrare docet: *Cùm domus*, inquit, *aliqua consenuit, & ruinam minatur, mures primi sentiunt, & relictis suis cauernis, & pristinis habitationibus, quantum contendere pedibus valent, fugiunt, aliudque domicilium quærunt.* Ecce insipida, stolidaque animantia senes improbos reprehendunt, qui ruituram corporis domum certò cognoscentes, ibidem immorari amant, nec carni, & sanguini Vale dicunt, sed turpiter inhærent, & certæ, æternæque ruinæ libenter obiacent; præsentissimisque periculis indormiunt, vel etiam lethifero lethargo corripiuntur. Quos contra Oseas quasi admiratus inclamat. *Comederunt alieni robur eius, & ipse nescivit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.* Oseæ 7.9. Quod de prauis senioribus Oseæ 7.9.
interpretatur Moyses Abbas, vt suprà vidimus. Su- Moyses
mitur autem metaphora ab eo, quod interdū acci- Abbas.
dit, cùm hominem profundè, aut in vtramque, quod dicitur, aurem dormientem, vel ægrum lethargo laborantem, excitare cupimus, id enim fit aptissimè, si aquæ scyphus in eius faciem impetu effundatur, quo somnus facilè excutitur. Hoc igitur misericors quoque Deus hominibus, turpi vitiorum lethargo laborantibus præstare consueuit; frigidos enim senectutis canos in eorum caput, & faciem superinfundit; ea tamen est morbi, & somni grauitas, vt sæpe non sentiant, nec vnquam excitentur, *sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.*

9 Mirum ergo videri non debet turpissimos hos senes, malitiæ somno cósepultos strictiori à Deo iudicio comprehendi, quos nec longa dies, nec larga Dei expectatio, nec canities, nec præuisa pericula, nec instans lethum, nec aperta gehenna compescuit, aut excitauit. *Pueros insolescere absente Præceptore,*
ait Thriuer. in Apoph. 70. *est lenioris insolentiæ; sed* Thriuer.
iam iam ipso imminente, argumentum contemptus, & malitiæ. Iisdem grauius punit desipientem adhuc senectutem, quàm subnascentem iuuentutem. Quod quidem seuerius iudicium exercere Christus iam cœpit in illa parabola, qua paterfamilias inducitur primo mane surgens conducere operarios in vineam suam *Matth.* 20. Nam cùm in forum in Matth.20.
aurora, vt eos locaret, exiisset, & hora quoque tertia, & sexta, & nona eos quos reperit, in vineam suam pacifice misisset, eos tandem, quos circa horam vndecimam hoc est, circa solis occasum otiosos offendit, acriter reprehendit, dicens, *quid statis tota die otiosi.* Matth. 20. 6. cùm prioribus cunctis Matt.20.6.
pepercisset. Cuius ea fuit ratio; quia iuxta Hieron. Hieron.
& Chrysost. apud Maldonatum in præsenti, dies qui Chrysost.
in duodecim horas hîc diuiditur, totam hominis vitam, seu vitæ tempus significat. Vnde hora vndecima senectus innuitur, quæ Solis occasum antecedit. Fuisse igitur aliquos hora tertia, sexta, vel nona otiosos, hoc est, in pueritia, adolescentia, aut iuuentute tolerabile quidem malum est; hora verò vndecima, quæ senij, & senectæ tempus est, torpescere, à bonisque cessare operibus, aut tunc saltem ea non aggredi ita turpe est, vt iure à Deo reprehendatur, & seueriori agitetur iudicio. Vnde pie quidem dixit Alfonsus Auendanus ad præfatum locum. *Si in ali-* Auendan.
qua parte diei fuisses otiosus, sustineri poterat; sed tota die, non debet tolerari. Quod in aliquam partem vitæ otiositati te dederis, sustineri poterat; sed per totam vitam otio torpere, intolerabile malum est. Si iuuentutis mane vitiis dedisti, cur etiam senectutis vesperam peccatis consumes. Hæc ille.

10 Grauis ergo, & intolerabilis est culpa seniorum otiositas, & torpor. Quid autem positiua malitia? Quid effrænata libido? *Luxuria*, ait Tullius Tullius.
1. offic. post medium, *cum omni ætatis turpis, tum senectuti fœdissima est.* De quibus, teste Daniele causatur Deus, dicens: *Egressa est iniquitas de Babylone à senibus iudicibus, qui videbantur regere populum.* Dan. 13. 5. Quorum quidem petulantiam, Dan.13.5.
& impudentiam Deus ipse propheræ suo Ezechieli

manifestare dum voluit, & furoris sui grauissimas rationes, capillo apprehensum volatu duxit in Hierusalem, vbi populi Israëlitici enormia crimina demonstraret. Vidit igitur ad Aquilonare templi ostium Idolum publicè statuum, cui essitòtes Iudæi Sacra facere minimè erubescebant. Stupenti verò Prophetæ ait Dominus: *Adhuc conuersus videbis abominationes maiores.* Ezechiel. 8. 6. tum ad ostium atrij deductum fodere parietem iubet, quo peracto, introque ingressus dum est. *Ecce omnis similitudo reptilium, & vniuersa Idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum, & septuaginta viri de senioribus domus Israël, & Iezonias filius Saphan, stabat in medio eorum, stantium ante picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua, &c.* Hæc ibi. Vbi insurgit modò difficultas. Nam posteriorem hanc visionem priori maiorem Abominationem Deus vocauit. *Adhuc*, inquit, *conuersus videbis Abominationes maiores*, videtur tamen immeritò maiorem dici, cùm abominatio ea, quam prius Propheta viderat, maior vtique censenda videatur. Tum quia publica erat, & insolens petulantia, qua videlicet in oculis Solis Idololatria in propatulo committebatur: Tum quia pluribus hoc crimen commune fuerat nempe populo pene vniuerso: posterius vero facinus & clanculum committebatur, & a paucioribus, nempe solis septuaginta. Iniquius ergo & intolerabilius erat scelus, & idololatria prior. Ita quidem iudicaret, qui rei medullam non attingeret: verùm maturius negotium expendenti grauior vtique abominatio posterior apparebit: dicitur enim posterioris læsæ maiestatis criminis authores & reos, fuisse, non populares, non iuuenes, non adolescentes, sed *septuaginta viros de senioribus Israël*, ex quorum personis, ætate, & dignitate in tantum criminis quantitas gliscit, vt publica quæquæ totius pene Idololatræ populi crimina quasi leuiora apparerent. Iuuenem etenim aut adolescentem ætatis infirmitate, & insipientia Idolum interdum colere, turpe quidem est, sed non adeò insolens, & intolerabile. Seniores verò multa iam splendentes canitie, multis iam annis prouectos, multis iam experimentis edoctos, fato iam ac Dei iudicio proximos, Veneri, aut cupiditati, aut vindictæ studio litare; extremæ impietatis, & insipientiæ linea est, turpissimúmque petulantiæ genus. Vnde Antonius Ferdinandij de Visionibus. Vis. 14. sect. 6. *In senioribus id facinus longè erat turpius. Magnum enim*, vt Diuus Ambros. ait: *pondus habet in vtramque partem canities, id est, sine in bonum, sine in malum.*

Ezech.8.6.

Antonius Ferdin.

10 Horum quidem malitia ita olim terrarum orbi exitialis fuit, vt ex ea potissimùm diuina excandescens ira, aquarum imbribus penitùs obruerit, ac viuentium pene omnium interitum decreuerit, ac præstiterit. Hoc enim diuini consilij quasi præcipuum motiuum, & fundamentum, Moyses assignat. Genes. 6. 5. ibi. *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Vbi rogare licet an præcedentibus quoque temporibus tantum malitia, & crimina diuinam non prouocassent iram? Ita quidem est, nec tamen Dei patientiam, & tolerantiam euicerunt. Quid ergo illorum, quos deleuit diluuium, adeò dirum & extremum supplicium sollicitauit? Credo id potissimum, quod non sine emphasi ibidem additur, videlicet, *omni tempore*; Delicta enim illa quæ in aliqua ætate committuntur, nempe pueritia, aut iuuentute, facilius condonantur. Quod cognouerat, qui clamabat. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*: illa verò, quæ in matura ætate, vel in ipsa tam senectute perpetrantur, ita acriùs diuinam prouocant iram, & vindictam, vt toti etiam orbi parcendum non fuerit. Iam accipe Chrysostomum hom. 22. in Genesim, ita maturè expendentem. *Vide quomodo singula quæ dicuntur, peccatorum ostendant magnitudinem, quia enim in genere dixit, quòd multiplicata sunt malitia hominum super terram, subdit, & vniuersique cogitat in corde suo diligenter ad mala omnibus diebus. Magna huius verbi emphasis, & vis est. Non inquit adolescens solum, sed & senex eadem agit, quæ adolescens, &c.*

Gen.6.5.

Chrysost.

11 Hanc eandem seniorum nequitiam & effrenatam licentiam, extremam existimo dispositionem extitisse ruinæ, atque excidij Sodomorum, & aliarum finitimarum vrbium; vt colligi potest ex *Genesi* 19. 4. Nam si vel postquam duo illi Angeli diuinæ iustitiæ executores, & ministri, vrbem, dominumque Loth subiissent, ciues concurrissent ad pœnitentiam, vt fecerunt Niniuitæ, veniam vtique promeruissent. Secus verò actum est, nam vt eorum cognouerunt ingressum, Diabolico quodam, & infando studio domum circumuallauerunt; quo iam iam properanti Diuinæ vindictæ calcar subdiderunt. Qui autem illi? an soli iuuenes aut adolescentes? minimè, sed & veteres ipsi turpissimi: *A puero*, inquit, *vsque ad senem*, Genes. 19. 4. O malum ingens! O petulantem seniorum inuerecundiam, nulla iam prorsus venia, aut miseratione dignam! Leuiorem quidem ardentes iuuenes, si soli fuissent, Reipublicæ intulissent plagam, senes verò superadditi, funestissimam. Audi Chrysostomum hom. 43. in Genesim tom. 1. *Sodomitæ propterea omni venia sunt destituti, quod non solum à malitia non cessarunt, sed & magis auxerunt peccata. Vide enim.* Circumdederunt domum à Iuuene, vsque ad senem, omnis populus simul. *Summa malitia conspiratio. Non solum inquit iuuentus hæc mala inquirebat, sed & qui prouectæ ætatis erant, & omnis populus simul, nec erubescebant tam turpe, tamque impudens flagitium.* Hæc Chrysostomus.

Gen.19.4.

Gen.19.4.

Chrysost.

12 Rationem autem si inquiras, cur tanti apud Deum stent seniorum peccata, tantaque eos iudicij severitate perstringat; facilis redditu est; quia scilicet malitia à senectute ita est aliena, & contraria, vt monstruosa quidem sit, & cunctis odibilis: senecta enim, si Græcis credimus, morum significat grauitatem: senium verò integram perfectionem, vt author est Beda ad locum illum Psalmi 70. *Vsque in senectam, & senium Deus ne derelinquas me.* His verbis: *secundum Græcos possumus accipere per senectam morum grauitatem: per senium verò integram perfectionem.* Quasi diceret Dauid: in iuuentute, & floridioribus annis tuæ, me Deus gratiæ auxiliis potissimùm, & impensiùs refoue. Feruet enim viuido sanguine vitiorum ardor, quousque mitigato longa ætate, & infirma valetudine passionum feruore ad senectam, & senium peruenero, vbi facilior est tua quoque gratia, morum integritas & vitæ perfectio, quæ ardua magis fuerant prioribus annis.

Beda: Psal.70.

13 His consonat doctrina Christi, qui fideles collaudans seruos Domini sui aduentum non oscitanter, sed alacriter præstolantes, ait. *Quod si venerit in secunda vigilia, & in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit: beati sunt serui illi*, Luc. 12. Quatuor quidem erant iuxta militarem antiquorum

Luc.12.

disciplinam

disciplinam noctis vigiliæ, seu custodiæ, in totidem enim noctem diuidebant. Per eas autem Interpretes, quatuor Hominis ætates subintelligunt. Gregor. Gregor. verò Hom. 13. in Euangelia in solas tres diuisit, ibi. *Prima quidem vigilia primanum tempus ideſt pueritia. Secũda adoleſcentia vel iuuentus. Tertia, ſenectus accipitur.* Quæritur verò cur Christus de solis secũda, & tertia vigilia meminerit, non verò de prima, & quarta, cùm iis quoque Dominus posset venire? Respondent aliqui & benè, primam & quartam vigiliam subtrici, quia prima, pueritia est, quæ quia innocens esse supponitur, quisque hominum bene paratus inuenitur: Quarta autem, senectus est, quæ pura quoque, prudens, & irreprehensibilis debet intelligi, iuxta sententiam Ambrosij in lib. Iob. Ambro. *Habet pueritia innocentiam, ſenectus prudentiam:* solùm verò secunda, & tertia periculosiores sunt, hoc est, adolescentia, & iuuentus, lubricæ quidem ætates. Qua fortè de causa duplicem Elisæus spiritum ab Elia præceptore suo in paradisum properante petiuit, nempe quia Helias senior erat, discipulus verò iunior, & in inconstanti ætate consistens, quæ duplicato quidem spiritu, maioribúsque diuinæ gratiæ subsidiis indiget, vt caueat ruinam. Olimpiod. Totam denique institutionem claudat Olimpiodori parænetis, qui in caput 12. Ecclesiast. sic suos eleganter hortatur auditores. *Rationem tui habeto ante obitus diem, antequam ſcilicet tibi Sol obtenebreſcat, & Luna, & Stella: huiuſcemodi enim tenebræ vnicuique contingunt in extremo vitæ obitu. Tu itaque curato ſalutem tuam prius quàm in aquam, terrámque ſoluaris. Corpus enim hoc noſtrum, quod veluti nubes quædam videtur anima ſuperincumbere, ac ſuperpoſitum eſſe, defunctis nobis in ſimilia elementa reſoluitur, aquam ſcilicet, atque terram. Prius itaque, quàm te hæc mortis incommoda comprehendant, cura, vt in officio ſis, operetiſque virtutem, &c.*

INSTITVTIO V.

Moralis.

Deo curæ eſt ruinas implere.

Ad illa verba: Samuel autem ministrabat *c. 2. vers. 18.*

1 *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini.* Particula *autem* aduersatiua hic est, nec caret emphasi: discriminat Samuelem puerum à filiis Heli quorum contagio in pernicioſos eorum mores tractus non fuit. Æquissima diuinæ Prouidentiæ in eo trutina describitur, quæ prauorum ruinam Sanctorum erectione compensat, iuxta Iobi sententiam. *Conteret multos, & innumerabiles, & ſtare facit alios pro eis.* Iob. 34. 24. Iob. 34. 24. Corruerant quidem pessimi Sacerdotis filij; Corruit & iners eorum pater, nefariis facinoribus indulgens; ne tamen de eorum ruina Diabolus exultet, vnus Samuël erigitur, in cuius pietate, & religione plus esset, quod commendares, quàm quod in aliorum malitia, & petulantia detestareris. Quocirca Propheta; *Iudicabit*, inquit, *in nationibus, implebit ruinas* Pſal. 109. 6. Implet nimirum Deus corruentis lapsum, nec vacuum eius locum patitur, alio in eum æquiori suffecto.

2 Quæ quidem diuina lex, solemnisque consuetudo cum orbe vix condito comparuit. Cain enim Adami primogenitus, qui ex primogenio singulari erga Deum obligatione teneba tur, dum Sacrificium oblaturus accedit, Deo ingratum, vtpote ex vilioribus fructibus, parauit holocaustum; per summam irreligionem, & iniuriam. Tunc verò *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Gen. 4. 4. Gen. 4. 4. Respexit inquam læsus, & anxius, & quasi consolatore indigens, vt piissimi fratris religionem irreligiosi primogeniti opponeret impietati, & vnius irreuerentiam alterius deuotione compensaret. Vnde Achila aptè transtulit. *Conſolationem accepit Dominus*, & Oleaster *quietem accepit Dominus.* Achila. Oleaster. Tanquam enim inquietus, & afflictus remanſiſſet, nisi vbi vnus ab eo per impietatem recessisset, alius per veram pietatem, & religionis cultum accederet, itavt impleretur ruina. Sacerdotium item Zachariæ viri iustissimi ac præcursoris Domini parentis sub impij Herodis imperio non sine mysterio describitur. *Fuit in diebus Herodis Regis Sacerdos quidam nomine Zacharias.* Luc. 1. vt obseruauit Chrysologus ſer. 55. prouidam in ea re Dei sapientiam ac bonitatem aduertens, qui nefarij Regis nequitiam æquissimi Sacerdotis pietate compensauit. *Dum dicitur*, inquit, *ſub quo Rege quis Sacerdos ſit, temperantur mala: Adeſt ſemper in mœrore ſolatium, nec conſolator deeſt, cui imminet perſecutor.*

3 Mirum quidem est quod Isaias Euangelicus Propheta vocem extollat, & inde Deum collaudet, & glorificet quòd vrbs florentissima Hierusalem vastata, & funditus fuerit euersa, cùm de eius excidio Christus aliquando cogitans, doluerit potiùs, & fleuerit. *Videns ciuitatem, fleuit ſuper illam* Luc. 19. 42. Sic enim ait. *Domine Deus meus es tu,* Luc. 19. 41. *exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam feciſti mirabilia, conſtationes antiquas, fideles, amen. Quia poſuiſti Ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam.* Isaiæ 25. 1. Quorum duplex est ex Isaiæ. 25. 1. Lirano, & Interlineali expositio: vel de Hierosolymitano excidio, & Synagogę extinctione: vel de orbis ante vniuersalis Iudicij diem euersione, sed quidquid id sit, parùm benigna videtur Prophetæ exultatio de interitu, vel Synagogæ, vel orbis, lachrymis potius, & mœrore prosequendo. Nihilominùs pia est exultatio, & gratiarum actio, tum quia diuina consilia cum reuerentia, & omnimoda conformitate accipienda sunt: tum etiam quia felicissima fuit Hierosolymorum, & Iudaicæ Synagogæ extinctio, ex quorum ruinis cœlestis illa Hierusalem, & Catholica surrexit Ecclesia, & Hebraicæ perfidiæ, vt eius impleretur ruina, orthodoxorum successit fides. Felix etiam, & omninò beatum erit orbis excidium, quod noua terra, & nouum cælum subsequetur. Vnde meritò Ambrosius de mundi vitibilis subuersione locutus, lib. de Helia, & ieiunio, cap. 21. tom. 4. *Nec tamen*, inquit, *quiſquam frangi debet cum audit, quia diſperdet Dominus orbem terrarum, ne forte dicat: ecce nos grauia peccata commiſimus, quid orbis deliquit? quid terra, vt & illam diſperdat? Cur pertis tam pulcher ornatus? Sed anguſtia eſt animi iſtiuſmodi opinio. Cæterùm ſi altius ſpectes, inuenies hoc eſſe pro nobis, quod putas eſſe contra nos, iudicabit hoc eſſe pro mundo, quod aduerſum mundum arbitraris.* Et post multa. *In bono ergo diſperdet orbem terrarum.* Erit *enim* cœlum nouum, & nox non erit amplius. 1. Cor. 3. *Iuxta Ioannis viſionem* Apoc. 21. 1. Ambroſ. Apoc. 21. 1. *Vidi*, inquit, *cælum nouum & terram nouam, primum enim cælum, & prima terra abiit.* Vnde orbis, vel Synagogæ excidio apprimè congruit Senecæ consolatio, Epist. 91. qui de Lugduno, quæ incendio flagrauerat locutus, sic ait; *Conſumpta eſt,* Seneca.

vt in melius excitaretur: Sæpè maiorem fortunæ locum fecit iniuria: multa ceciderunt altius vt surgerent & in melius. Quod singulari exemplo seu apophtegmate confirmat: *Timagenes*, inquit, *felicitatis vrbis inimicus, aiebat Romæ sibi incendia ob hoc vnum dolori esse, quod sciret meliora surrecturæ, quam arsissent.* Nunquam enim demolitur diuina Prouidentia, quin de noua rerum erectione cogitet, quo ruinam compenset.

4 *Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion.* Thren.28. Quid deinde? An solum de diruptione cogitauit? minimè. *Tetendit funiculum suum.* Funiculi quidem extensio, & quæ funiculo dimensio fit, non quidem ad demolitionem, sed ad nouæ fabricæ erectionem pertinet. Solent enim Architecti, priusquam ædificent, funiculum extendere, & extruendæ molis dimensiones facere. Quod quidem Dei ingenium optimè nouerat Ieremias, cui olim ipse dixerat. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes.* Ieremiæ 1.10. An verò hæc illi solum commisit? Non credam, addit continuò; *Et ædifices, & plantes.* Diuulsio enim, & dissipatio eò tendebat, vt vetustate soluta ex integro in nouum ædificium surgerent. Sic rem accepit Guarricus Abbas ser.1. de S.Ioanne. *Destruat*, inquit, *& dissipet omnem ædificationem Babylonica superbiæ, vt postmodum melius ædificet, & plantet, fiátque, sicut scriptum est.* Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Isaiæ 9. 10. Lateribus pretiosi lapides succedent, & perditissimum quemque, qui Babylonica superbia inflatus ab Omnipotēti dencitur, & conuellitur, humilis, pius, & religiosus subsequetur, ne de prioris perditione triumphum Satanas agat.

5 Quod quidem congruentissimum est aliquorum solatium, qui frequentes ruinas in domo Dei considerantes, supra modum anguntur, & lachrymis non parcunt. Quos optimè Augustinus & reprehendit, & consolatur in Psalm.50. Tom.8. his verbis. *Quanta, inquiunt, rapina temporibus nostris, quanta pressura innocentium, quanta spoliationes rerum alienarum. Noli hoc solum videre, quod publica fluit. Vide raptorem, qualem nunquam vidisti; Vide contemptorem rerum suarum, qualem nunquam vidisti.* Simili enim solicitudine peccatorum lapsus Deus redimit, & sanctissimorum virorum exaltatione compensat.

6 Iactabat fidem suam, & ardentem diuini honoris æstum Elias, & nescio qua sui confidentia Deo ipsi obiiciebat fidelitatis suæ singularitatem, dicens: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel: Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt, derelictus sum ego solus.* 3.Reg.19. Solum se fidelem Dei ministrum, vel cautabatur, vel iactabat; vnde diuinam correctionem continuò sensit, audiuit enim, *Relinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal.* Ecce, qui solum se iactabat in fide & iustitia septem millibus comitabatur, & ignorabat, vt notauit Chrysostomus. *Quid ad hæc*, inquit, *Deus? statim illum redarguens, Non propterea*, inquit, *fugisti Elia. Non enim tu solus es Baal non adorans. Subiungit autem, illum redarguens. Reliqui mihi septem millia virorum, &c.* Neque enim mancam se haberi aut dici diuina patitur Prouidentia, cùm piorum, & Sanctorum numerum, vel æqualem esse curet, vel non admodum inferiorem, quinque fatuis virginibus totidem alias prudentes sedulus apponens, quo earum malitia, vel stultitia compensetur. Quod quidem omnibus seculis constantissimè præstitit. Nunquam enim monstrum aliquod, vel tyrannus ex Lernæo erupit lacu, cui virum aliquem magnum doctrina & sanctitate præclarum non oppositerit. Hinc Pharaoni Moysem, Saüli Dauidem, Nabuchodonosori Cyrum, Antiocho Iudam Machabæum, Herodi Ioannem, Neroni Petrum, & Paulum, Lycinio Constantinum, Maximo Theodosium, Heliam Antichristo, Pelagio Augustinum, Hieronymum Iouiniano, Bernardum Abaylardo, Dominicum Albigensibus, Ignatium denique eiusque familiam Luthero obiecit, & tædæ eius alumnorum sentinæ. Qui quidem ita eorum petulantem audaciam repressérunt, ac tantò plus profuerunt orbi, quàm Hæretici, & Tyranni nocuerant, vt de vno S.Francisco Xauerio, Orientis Apostolo rēferre non vereatur Thomas Botius lib. de signis Ecclesiæ, plures Gentiles ad fidem conuertisse, pluréſque ad Ecclesiæ Catholicæ caulas reduxisse, quàm ab occiso Christo peruerterant, & infecerant omnes Hæresiarchæ, omniumque hæreticorum malitia.

7 Quocirca iure optimo adnotarunt Chronologi eodem anno, quo impius Pelagius in totius orbis perniciem in lucem exortus fuit, eodem quoque, & in eiusdem orbis salutem & antidotum, Augustinum in Africa natum fuisse. Deinde vt ad nostra quoque secula accedamus, notauit etiam Illescas cum aliis eodem ipso anno, quo effrænis, ille, & petulantissimus Lutherus lucem vidit in Germania, eodem in Hispania nostra exortum magnanimum illum, & fortissimum Ducem Ferd. Cortesium noui orbis Domitorem, qui suis armis & militari industria innumeris non solùm Ethnicorum chiliadibus, sed gentibus, & prouinciis ad Baptismi gratiam aditum fecit, quarum comparatione, exiguus quidem appareat eorum numerus, qui tartarei illius monstri opera ab Ecclesiæ pascuis recesserunt. Adnotant secundò Petrus Riba de Neyra in vita S.Ignatij, Genebrardus in Chronologia anni 1527. Surius Florimūdus, Raymundus, Andreas Lucas, & plures alij, quo anno Lutherus personata abiecta, & habitu monastico inuerecūdum caput in Ecclesiam Romanam erexit, eodem ipso Ignatium Ieſuanę familiæ authorem, qui militiam colebat bellico tormento à Gallis Pompeiopolitanum prædium expugnantibus prostratum fuisse, & ad Christianam militiam temporalibus relictis castris euasisse, qui præclara sanctitate innumeris etiam signis, & quod caput est, suorum doctrina, opera, continuis cum hæreticis concertationibus, & controuersiis eorum perfidiam confunderet, Christianos greges ab infernalium luporū rabie vindicaret, & Pontificale Romanum imperium confirmaret, & in immensum dilataret. Totum hoc negotiū mihi, & aliis tanquam Propheticè præscriptum, & præcantarum videtur ab 8.Synodo, quæ olim in S.Ignatij Constantinopol. Patriarchę laudibus occupata, aurea hęc de illo præstantissimo Viro, & Catholicæ Ecclesiæ præsidio verba protulit. *Grauis, & vehemens Ecclesia tempestas, sacróſq; acerba diuexatio premebat. Tranquillus vero, & serenus omnibus tempestate iactatu portus à suprema Numinis dextera, sacer hic Ignatius destinatus erat, & domus eius tota.* Quæ omnia quantum Ignatio nostro conueniant, videat is, qui simul legerit, quæ de eo etiam Concilium Nationale Tarraconense scripserit apud Andream Lucam lib.4. de Vita Ignatij cap.18. in hunc modum. *Ignatius extremus est partus, & salutis spiritus, quem hic seculis edidit Ecclesia, quando Hydra instar ex Lernæo Lacu*

Guarric. Ierem.1.10. Isai.9.10. Aug. Botius. Illesc. Riba de Neyra. Genebrar. Surius. Raymund. Andreas. Lucas. 8.Synod. Conc.Tarr.

Lacu ex crebo Lutherus caput extulit, diuini huius Herculis fortitudine lacerandus, & deinde. *Hunc quidem ducem singulari prouidentia Ecclesiæ suæ Deus præstitit extremis hisce temporibus, vt in alterius Atlantis morem, doctrina, & pietatis sua humeris orbem sustineat*; quid pulchrius, quid ad rem nostram præsentius?

8 Diu quidem lubricus vacillauerat impiissimus Iudas, diu secum agitauerat, an magistri caput traderet: tunc demique nefarium facinus aggressus est, quando largissimis fletibus Mariæ Magdalenæ, genibus Domini obuoluta pretioso vnguento, pixide quoque confracta, eiusdem discumbentis pedes vnxit. *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes ad principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam*? Matthæi 26. 14. Cur tam pretiosum abierit, discutiunt vulgò Interpretes, variæque facti rationes meditantur. Illa tamen mihi præ omnibus probatur, quam tradit Chrysost. Hom. de Proditione Iudæ tom. 3. in hæc verba. *Quando prostituta lupanar exiuit, tunc Discipulus gehennam intrauit; quando illa mercedem sui corporis abdicabat, tunc iste pretium Magistri sanguinis postulabat. Quando illa osculabatur pedes, vt susciperetur, tunc iste Domini labia osculabatur, vt proderet. Ideò dixit tunc, vt non magistrum in infirmitate accuses, quando discipulum reperis proditorem.* hæc ille. Sustinuit videlicet diu Christus Iudam, quousque perfidi discipuli locum impleturam fidelem fœminam prouideret, vbi verò adfuit illa, illum extemplo manumisit, & labi permisit, in cuius ruina ne detrimentum sentiret, effecerat nuper excepta discipula, iuxta prædictam Iobi sententiam: *Et flere facit, alios pro eis.*

Matt. 26. 14.

Chrysost.

9 Nec vna tamen Maria vacuum proditoris locum impleuit, sed quia ex duodecim discipulis vnũ Diabolus abstraxerat, ex duobus tantum latronibus vnum sibi Christus asciuit. *Hodie*, inquit, *mecũ eris in paradiso*. Luc. 23. 43. Ne paradisi sedes vacua remaneret. Satanas verò plus amisisse quàm acquisisse doleret. Vnde rectè Ambr. in Psal. 39. *Triumphabas Draco, quia Apostolũ subtraxeras Christo: plus amisisti quã sustulisti. Latronẽ vidisti in paradisũ esse translatũ. Minister tuus eo pertenuit, vnde iste deiectus est.* Innouata hæc & redintegrata in Ignatio vides, qui in Apostatæ locum suffectus est, ex quo maior Diabolo pernicies accederet, quàm ex Luthero accresceret emolumenti, in hunc enim modum solerti prouidentia malorum ruinas, Sanctorum Deus exaltatione compensat, dumque impij Heli Pontificis filij fidem abiurant, religionem respuunt, pietatem abnegant, vnus eorum loco Samuël erigitur, fidei, pietatis, & religionis vindicator, & cultor, de quo: *Samuel autem ministrabat Domino.*

Luc. 23. 43. Ambros.

INSTITVTIO VI.

Moralis.

Senectus non annis, sed meritis, & maturitate metienda.

Ad illa verba. Quoniã reuelatus fuerat Do-

1 SAmuëlem puerum duodennem septuagenario Sacerdoti vidimus diuini iudicij truculenta antelatum; hunc à Deo propter inertiam, & pusillanimiam in filios indulgentiam expulsum: illum propter innocentiam, & solertem in diuinis officiis industriam, ad intimi secreti consilium, & colloquionem euocatum. Quod elegantèr animaduertit Theodoretus in præsenti quæst. 12. *Iuuenilem*, inquit, *ætatem Samuelis antiquè prætulit Deus, docens quantum sanctis est melior iuuentus virtute ornata. Ad arguendum Pontificem qui senuerat adolescentulus dignus est habitus, cui Deus appareret.* Sed filius orat. 1. in Daniel. his verbis. *Hinc etiam discimus autorem omnium rerum Deum nullam ætatis rationem habere, sed pietatem tantum, ac religionis studium requirere, quã in iuuene comperta, multis eum natu maioribus anteponit. Quid ergo Iosephum fecisse comperimus, necnon ergo Samuelem Prophetam: Nam puero admodum iuueni apparuit, & iussit senis supplicia prædicare, vt canis, & senio confectum accusaret, & gratiam in adolescentulo vigentem ostenderet.* Hæc ille. Cui accinit Ignatius Martyr Epist. 6. ad Magnesian. his verbis. *Nec enim annosi sapientes continuo sunt, nec senes intelligentiam possident, sed spiritus, qui in hominibus est. Daniel enim ille sapiens cum duodecim esset annorum spiritu Dei afflatus erat; & senum frustra cinnos ferentes calumniatores, & aliena forma appetentes esse coarguit. Samuel autem puer parunlus Heli nonagenarium reprehendit, quod suos filios plusquam Deum honoraret.*

minus Samueli c. 3. vers. 21.

Theodor.

Ignat. Mar.

2 Nec semel diuinum hoc consilium in eligendis, præferendisque iunioribus vidimus; frequentissimum enim diuinæ Prouidentiæ dispositioni fuit, non annos, non tempus æstimare, sed aptitudine, ac meritis præpentis ex fratribus quoque ipsis minores ad grandia quæque negotia seligere. Quod adumbratum video Achimas militis exemplo inferiùs expendendo tom. 3. ad c. 18. vers. 23. Cum enim præcucurrisset miles alius Chusi, vt victoriæ ex Absalone filio reportatæ Dauidi patri faustum deferret nuntium: *Currens Achimas per viam compendy transiuit Chusi* 2. Reg. 18. 23. Ergo qui posterior discesserat è castris, compendio ac celeritate solerter vsus, prior ad Regem venit, suæque annuntiationis mercedem præripuit. Tempore item tenebræ lucem præcesserunt, vt annotauit his verbis Acacius. *Declarat tenebras lucem præcessisse; neque mirum; nam & rationis expertia hominem ratione præditum in rerum creatione præcesserunt.* Solem quoque & herbæ & flores, & ligna; an ea Soli præferas? Negat vtique & meritò Ambros. lib. 4. Exameron. cap. 1. sic maturè fatus. *Ergo cum vides Solem, attende terram quæ ante fundata est, attende herbã fœni, qua præstat ordinis priuilegio: attende ligna quæ plandũt, quæ priora luminibus Cœli esse cœperunt. Nũquid merita fœni maiora quã Solis? Aut numquid potior ligni prærogatiua?* Equidem Petrus Andreæ fratre iunior fuisse dicitur, & tamen nauicula qua ad piscationem vtebatur vterque, Petri potiùs quàm senioris Andreæ vulgò dicebatur. *Ascendit in vnam nauim quæ erat Simonis* Luc. 5. Cuius idoneam Franciscus Lucas rationem reddens, sic scribit. *Simonis adscribitur quod actione, exercitatioque magis industrius cum esset, quàm Andreas, potiùs haberetur vulgò Dominus, ac gubernator nauis, quàm senior frater Andreas.* Vt videris temporalem solum præcedentiam exigui meriti, ac dignitatis esse, nec temporis spatiis sed vna meritorum, atque industriæ norma honestum esse remetiendum. Posteriori etiam loco Petrus ad Christum venit, sed potiorem apud eum locum obtinuit, vti expendit Petrus Damianus orat. 1.

Acacius.

Ambros.

Luc. 5.

Fran. Luc.

Petrus Damian.

orat. 1. de S. Andrea dicens: *Quod magis stupeam in fide primus factus est, ordine dignitatis secundus.* Vix etiam germanos duos orbis viderat, cùm primogenitus Cain autori suo exosus iuniori fratri non semel posthabitus perhibetur. Etenim cum primò vtriusque fratrum ingenia atque exercitia Scriptura distingueret, prius Abel qui natu minor erat, quam Cain primogenitus exprimitur: nempe. *Fuit Abel Pastor ouium, & Cain Agricola.* Gen. 4. 2. quod Ambrosium annotare non piguit lib. 1. de Fratribus cap. 3. sic fantem. *Non est otiosum quod, cùm ante generatus sit Cain, vt lectio docet, prælatus sit hoc loco Abel, ne idem sit ordo nominum, quid est ordo naturæ.* Nec id inconsultò factum asserit, sed optimo quidem iure & sapienti consilio. *Innocentia enim tempore posterior est, quàm malitia, sed meritorum nobilitate antiquior. Vbi ergo generatio exprimitur, præueniat Cain: vbi disciplinarum sit prædicatio, præcurrat Abel.* Gen. 4. 2. Ambros. Philo.

Hæc ille, quod illo prius Philo Hebræus lib. de Sacrif. Abel & Cain. *Quando*, inquit, *de vtriusque natiuitate agitur, Cain præcurrat prior: quando verò conferuntur, & examinantur vtriusque studia, Abel præcedat. Ita vitium iuxta temporis prærogatiuam sit antiquius, iuxta dignitatem verò, honorem, atque gloriam, virtus est potior.* Hæc Philo optimè de innocentiæ, ac pietatis dignitate meritus, quæ temporis spatiis metienda non est.

3 Diuinum hoc quoque consilium in aliis fratribus oportet considerare, scilicet Manasse, & Ephraim, quorum iuniorem Ephraim, naturâ, ac patre repugnantibus, seniori præhabitum leges *Genes.* 48. 13. Auo enim Iacobo satis iam suis proximo vtrumque Ioseph pater studiosè obtulit, vtrique moribundi senis ambiens benedictionem. Naturæ tamen seruandum ordinem ratus, ad Iacobi dexteram primogenitú constituit, nempe Manasse, sem, ad læuam iuniori Ephraim consultò collocato. *Posuit Ephraim ad dexterã suam, id est ad sinistram Israël: Manassem verò in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum.* Hæc pater. Israël autem, cui vtriusque merita prophetico iam lumine ignota non erant, brachiis in crucis modum transpositis, dexteram imposuit capiti Ephraim, sinistram primogenito Manasse. *Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim, minoris fratris; sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus.* Quo non solùm iunior aui dexteræ priuilegium obtinuit, sed & patris, fuerat enim ad eius dexteram, & ad sinistram Israëlis; cùm autem hic manus transmutarit, vtraque dextera filius fruitur minor: duplici verò sinistra primogenitus dehonestatur; quod notauit Eusebius in Catena Lippomani. Neque hoc solum, sed cùm de vtroque fratrum verba Iacobus ageret, priori loco iunioris nomen expressit, primò verò nati posteriori memorauit. *Ephraim*, inquit, *& Manasses sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* Gen. 48. 5. ne naturæ primogenitus paternæ quoque gratiæ, & prælationis sibi priuilegium arrogaret. Rem aptè expendit Cyrillus apud Lippoman. in Catena dicens. *Sed & Ephraim iam nunc nominatur ante Manassem, iterum primogenitorum ius infringendo, spiritum carni præfert.* Notat deinde non hoc apud rerum moderatorem insolens fuisse, qui minores sæpe maioribus natu prætulerit. *Et notandum*, ait, *primogenitis minores a Deo in diuinis Scripturis præferri; nam Abel Cain, prælatus est, & Sem ipsi Iapheth, & Isaac Ismaëli, & Iacob ipse Esau, & Ioseph ipsis Ruben & Iudæ, & Ephraim Manasse, & Moyses Aaroni, & Dauid fratribus suis.* Cui consonat Bernardus Epist. 42. prope finem in hæc verba diffusus. *Nec dicimus quamcunque aratem Dei gratia præmaturam, sit nec fas amicum multos videamus iuniorum super senum intelligere, moribus antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætatis deest, compensare virtutibus. Boni pueri, qui quod ætate videtur, esse studeant & malitia. malitia, inquam, sed non sensu: quorum iuxta admonitionem Apostoli 1. Tim. 4.* Nemo contemnat adolescentiam. *Meliores bona indolis adolescentes, inueteratis dierum malorum. Puer centum annorũ maledictus est: & est è regione senectus venerabilis, non diuturna, nec numero annorum computata. Bonus puer Samuel, qui loquente Deo promptus aderat auditor. Bonus & Ieremias, qui antè sanctificatus, quàm natus, cùm se excusaret de pueritia, nihilominus constituens est super gentes, & super regna.* Ieremiæ. 1. *Bonus quoque Daniel, cuius spiritum suscitauit Deus, vt conuinceret iniqua iudicia, & sanguinem innoxium liberaret.* Denique cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Huc vsque Bernardus; qui iure optimo, vt alios omittam, Danielis pueritiam seniorum canis prælatam annotauit. Sed fusius hac de re Ambros. in Psal. 118. ser. 2. sic fatur. *Daniel cùm puer esset, accepit spiritum, quo dignus senectutis primitias haberetur, vt redargueret senes ipse non senior longanitate, sed gratia. Erat enim in illo ætas senectutis vita immaculata, cui competit Dauidicum illud*, super senes intellexi: *Ideòque tanquam de veterani consilij, & senilis constantia viro, diuinum pronunciauit oraculum*, Quis prudentior, quàm Daniel. *Ezec.* 28. 3.

Gen. 48 & 13. Euseb. Lippoman. Gen. 48. 5. Cyrill. Bernard. 1. Tim. 4. Ierem. 1. Dan. 13. Ambros. Ezec. 28. 3.

4 Danieli puero Dauid iuuenis per omnia similis annectendus est, quem omnium fratrum suorũ minimum Deus in Regnum euocauit. Nã cùm Samuël ex diuino imperio inter omnes Isai filios, Regem inaugurare, ac vngere in Bethlehem venisset, eorum conuocat turbam, eáque vndique circumdatus, hæret anxius, quemnam potissimum Deus ex cunctis elegerit. Omnes circumspexit. Omnes attentius considerat, cùm Eliabum tandem natu maximum, forma elegantem, statura procerum videt; credit tandem ad eum diuinam gratiam spectare, atque. *Num coram Domino Christus eius?* 1. Reg. 16. breui tamen remittentem sentit sui aduentus autorem. Adest, & natu secundus; repellitur tamen, & alij similiter, & ad Dauidem natu minimum post multa peruenitur. Hunc Deus parunlum humilem pecorum custodem, inungi iubet, & à Samuële non sine admiratione vocatur ad sceptrum. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius.* Ibi vers. 13. Nunc accipe Basilium Seleucienſem concinnè rem exornantem Orat. 14. *Nondum cornu innergebatur, & oleum properanter defluebas, vnctióque sententiam confirmabat. Et Rex erat Dauid prophetica manu ad regnum prouectus, & cœlesti approbatione gratiam consecutus, subitóque primus fratrum comperiebatur, qui postremus: ordóque naturæ cedebat gratia, & legis partus succumbebat. Arcana erant regni exordia, neque ab ipsa natura illucescebat imperium. Fratres enim primatu exciderant, & quos primos natura produxerat, primos deiici cogebat gratia.* 1. Reg. 16. Basil. Seleucien.

5 Vnde videas non arroganter, sed simplicissimæ veritatis studio Dauidi ipsi iactare licuisse. *Super senes intellexi, quia mandata tua exquisiui* Psalm. 118. 100. vt non ab ætate, sed a probitate sapientiã hauriri Psa. 118. 100.

hauriri discas. Dauid enim adolescens non tam annis, quàm moribus maturus, senioribus sapientiâ præluxit, vti Ambros. Serm. 13. in eundem Psalm. sic animaduertit. *Dei gratia erogata doctrina maturitatem ætatis supergreditur senilis. Cùm enim ætas senectutis vita immaculata sit, vtique doctrina vita immaculata senilem præstat ætatem.* Hanc etiam senilis autoritatis laudem tribuit Epiphanio adhuc puero eleganter Ennodius in eius vita, dicens. *Cana consilia in annis puerilibus meditabatur; & vernabat in illo pra cæteris mater bonorum operum verecundia.* Et deinde prope finem operis. *Conuersatio non anni, aut adolescentiam aperit, aut senectam.* Congruunt hæc Catonis sententiæ. *Non cani non ruga repente autoritatem afferre possunt, sed honestè actu superior ætas fructus autoritatis præbet extremos.* Hæc ille. Abbas verò Moyses apud Cassian. Collat. 2. cap. 13. sic eleganter, & grauiter infit. *Sunt nonnulli, quorum etiam, quod est lugubrius, maior est multitudo, qui in tepore suo, quem ab adolescentia sua conceperunt, atque ignauia senescentes, autoritatem sibi non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt. De quibus exprobratio illa Domini propriè satis dirigitur per Prophetam.* Et comederunt alieni robur eius, & ipse nescivit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit. *Hos inquam, in exemplum iuniorum non vita probitas nec vlla propositi huius laudabilis, atque imitanda districtio, sed annositas sola protexit.* Hæc Moyses. Inueteratorum malorum dierum canitiem castigans qui senilibus corporibus pueriles animas habent, iuxta Philonem, lib. de Profugis. *Interdum*, inquit, *natura fert, vt anima puerilia maneant etiam in senilibus corporibus; & contrà perfecta inueniantur in florentibus adhuc, & pubescentibus.*

Ambro. Ennod. Cat. Maior. Moyses. Cassian. Osee. 7. Philo.

6 Hinc ergo illos licet natu grandæuos homines reprehendere, qui solius æui, & canorum confidentia ingenuam iuuentutem, præstantibus quoque virtutibus ornatam cum fastu despiciunt, quorum quoq; cũ stomacho meminit Franc. Petrarcha lib. 1. contra Med. dicens. *Ignauissimorum quorundam hominum consuetudo est, vt cum inter vitia senuerint, nullique pares sint, sola se præferant senectute.* Quam similiter eorundem ignauiam taxat quoq; Sydonius Apollinaris Epist. 9. in lib. 6. quòd ad Episcopatus dignitatem canos potiùs considerandos credant, quàm mores; & ætatem quàm probitatem. *In Amistite*, inquit, *consecrando, non vtilitatem volunt eligere, sed ætatem, tanquam diu potius, quàm bene viuere debeat accipi ad Sacerdotium adipiscendum pro omnium gratiarum priuilegio, lenocinamento.* Hæc Sydonius; & meritò, cùm apud Deum, vt inquit Chrysolog. Serm. 73. *Ille primus est, quem cælestis gratia generat, non natura mortalis.* Non igitur qui diu vixit, senex æstimandus est, sed qui benè; senes enim intemperatos, qui corruptis moribus, plurimos impleuerunt annos, pueros potiùs grandæuos appellandos credo; sensatos verò iuuenes seniorum titulis honestandos, quod nobis prior senserat Philo Hebræus lib. de Abraham, his verbis: *Reuera senior non ex longitudine temporis, sed ex laudata vita putatur. Si quidem qui multum ætatis in tempore vixerunt sine probitate, longæui pueri dicendi sunt.* Et iterum lib. *Resipuit Noe.* eadem inculcare non cessat. *Mos est*, inquit, *legislatoris, vt & senectos ætate appellet iuuenes, & eos qui nondum senuerunt, seniores; non respiciens annorum numerum, aut tempus breue, longúmve, sed potentias animæ, quæ moueatur melius, aut deterius.*

Sydon. Apollin. Chrysol. Philo. Idem.

7 Hoc thema minimè paradoxum pluribus ex sacra Pagina confirmat exemplis. Illud verò præstantissimum est, quod Ismaël Abrahæ filius suppeditat. Is enim vigesimum pene annum attingens, puer ab Autore Geneseos vocatur. cap. 21. 14. *Ismaelem*, inquit Philo, *pene vigesimum annum attingentem cum Isaac virtutibus perfecto collatum, nominat puerum*; non sanè quòd puerilem ætatem ageret, sed quòd turpem. Ismaëli patrem Abrahamum licet opponere, de quo idem Philo notauit lib. de Abraham, primum ex antiquissimis Patriarchis senem appellatum fuisse Gen. 24. 1. ibi. *Erat autem Abraham senex dierum multorum, & Dominus in cunctis benedixerat ei.* Cui alludens Philo sic ait. *Hunc primum nominant (diuina oracula) seniorem, quamuis maiores eius triplo, & amplius longæuiores fuerint; quorum neminem legimus hac appellatione dignum habitum. Et merito, nam reuera senior non ex longitudine temporis, sed ex laudata vita spectatur. Siquidem qui multum ætatis in corpore vixerunt sine probitate, longæui pueri dicendi sunt, quia nunquam disciplinas attigerunt dignas canicie. Amator autem prudentiæ, sapientiæque iustè senior, siue Primas vocari potest &c.* Et concludit tandem, *Itaque senior & primus vir bonus dicendus est: omnis autem malus extremus & nouissimus, vt nouator & tractans res extremi ordinis.* Hæc Philo, à quo forte Origen. Hom. 4. in Genes. eandem sententiam mutuauit, dicens. *Quantum ad ætatem corporis pertinet, multi ante ipsos (Abraham, & Sara) numerosioribus annis duxerant vitam, nemo tamen presbyter appellatus est; vnde videtur nomen hoc Sanctis non longæuitatis ratione, sed maturitatis adscribi.*

Gen. 21. 14. Gen. 24. 1. Philo. Origen.

8 Consonat vtrique Eusebius, inanem confidentiam reprimens Hom. 9. ad Monachos. his verbis. *Solemus annos nostros, & temporum spatia supputare. Non te fallat, quicumque ille est, numerus dierum. Illum tantum diem vixisse te computa, in quo malis desideriis restitisti, quem sine vlla regula transgressione duxisti. Illum diem vixisse te computa, quem non malitia commaculauit, qui peccato non cessit, qui Diabolo repugnauit. Illum, inquam, diem applica ad vitam tuam, cuius vsu peruenit ad animam tuam.*

Euseb. Emisen.

9 Hinc mysterium penetrare licet diuini cuiusdam imperij ad Moysem Numer. 11. 16. cuius hæc fuit formula. *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti quod seniores populi sint.* Cùm enim rugæ, cani, corporum debilitas, sensuum hebetudo, senes longe, ac vbique à iunioribus distinguant, omniúmque oculis exponat, quid specialis Moysis in cognoscendo dexteritas, ac notitia requiritur? *Quos tu*, inquit, *nosti, quod seniores populi sint.* Sed plane sermo est non de iis, qui ætate cæteris præibant, quos omnes facilè nouerant, sed de maturitate & probitate, quos solus Moyses largo experimento distinguebat. Sic saltem Philo suprà relatus rem accipiendam credidit, & rectè. *Ergo*, inquit, *non eos, quos vulgus existimat, sed quos solus hic sapiens nouit, seniorum appellatione dignatur. Quos enim hic reprobauerit, tanquam bonus mensarius falsam virtutis monetam habentes, iuuenili, temerariòque sunt omnes animo; quos antè commendare voluerit, probati, & iuxta prudentiam seniores censendi sunt.* Huc

Num. 11. 16. Philo.

vsque Philo. Quod ita certum est, vt canorum prærogatiua, & multæ exactæ ætatis priuilegium, si honestorum morum præsidia, ac virtutum ornamenta desint, inania, & nullius momenti, vbique fore contestentur omnium sapientium oracula, omnium Sanctorum documenta.

10 Alioquin si vnius antiquitatis, & primogenituræ habenda ratio est, tenebræ, quæ antiquiores fuerunt, luci præferantur: herbæ, dumeta, rubus Soli posteriùs creato præcellere præsumant. Quid stultius? *Antiquior rubus, quàm Sol*, ait Ambrosius in Examer. lib. 4. cap. 1. *Antiquior herba, quàm Luna.* I nunc, spinetum, & antiquiorum natalium titulo, nobilissimis Planetarum insulta, & cum Sole de maioratu contendito. Iuniores passim iuuentutis inter flores senectutis maturitatem ostendunt, nec tardius incepisse ad præcoces ferendos fructus obsistit. Id quod in ipsis fruticibus frequenter vidimus. *Floret prima omnium Amygdala, postremáque fructum maturat* (verba sunt Eustachij Martyr. in Exameron) *Mori tardè germinant, tamen in fructu ferendo non sunt aliis posteriores*; nec si fructus adsint in Dei domo, ætatis, vel temporis habetur ratio, & vt aiebat Chrysol. Serm. 73. *Ille primus est quem cœlestis gratia generat, non natura.*

Ambros. Eustach. Chrysol.

11 Samuël igitur duodennis puer prior sit oportet septuagenario, vel etiam octogenario Heli, quem cœlestis gratia Sacerdote prius generauit, nulla expensa ratione naturæ. *Adolescentia igitur non est contemnenda, quoties Deo consecrata fuerit; verùm ir contemnendus est, qui prauo est animo, tametsi multorum dierum tempore plenus sit.* Conclusio est Martyris Ignatij. Qui plura de hoc Instituto velit, consulat Philonem lib. relato de Abraham, & alibi sæpè. Cyprian. libro 4. Epistol. 5. Cassian. Collat. 2. cap. 13. Hieronym. Epistol. ad Paulin. Ambrosius Serm. 33. & 90. Iustinianum Imperatorem, Nouella, de Monach. cap. 9. Iulian. Nouella 4. cap. 21. Ioannem Sauarum in Schol. ad Epistol. 9. lib. 7. Sancti Sidonij Apollinar. & alios.

Ignat. Philo. Cyprian. Cassian. Hieron. Ambros. Iustin. Iulian. Sauar.

INSTITVTIO VII.

Literalis.

De Cherubinis, Propitiatorio, & Arca fœderis, & an hæc vnica, vel duplex fuerit.

Ad illa verba: Sedentis super Cherubim cap. 4. vers. 4.

Cherubinorũ materia & forma

1 RErum harum materia diffusior forte est, quàm vt breui institutione comprehendi possit. Cuncta igitur perstringam, iis consultò omissis, quæ ad rem minùs spectare videantur. Cherubini igitur de quibus in præsenti habetur sermo, aurei erant; non tamen fusiles, sed solidi, malleo, & incude fabricati, vt probant Pagnin. & Oleaster. Quorum formam belluinam in modum volucris fuisse testantur Ioseph. lib. 3. Antiquitat. Iudaic. cap. 6, aliàs 8. Philo Hebræus lib. 3. Vitæ Moysis. Isidor. Hispalens. in Exod. capite 46. Oleaster. Ex. 25. in Exposit. Litteræ, quibus potiùs assentior, quàm Hebræis, & Catholicis recentioribus, quos refert, & sequitur Mendoza in præsenti. §. 21. Cherubinis humanam formam tribuentibus; Philoni enim & Iosepho adhibendam potiùs fidem, vtpote prioribus illis seculis vicinioribus iudico. Stabant autem ex aduerso supra ipsum Arcæ operculum in duabus Arcæ extremitatibus, seu lateribus, alis autem inuicem obuolutis, & obumbrantibus, tanquam papilionem super ipsam Arcam constituebant, quod vt probabilius habeo cum Becano, Propitiatorium dicebatur, vnde responsa Deus per occultum Angelum edebat: de quo latiùs Mendoza in præsenti, Becanus de Analog. Veteris, ac noui Testamenti. cap. 12. Bellarm. in Psalm. 98. 5. Cornel. in cap. 25. Exod. Azor. lib. 6. Institut. Moral. cap. 44. & 45. & plures alij. Arca autem illa erat quam Moysi olim Deus fabricari iussit. *Exod.* 25. 10. Cuius materia, mensuræ, & ornatus ita ibidem minutim exprimuntur, vt ea nunc repetere opus non sit.

Cherubinorũ situs.

Becan. *Propitiatorium vbi.* Mendoza. Becan. Bellarm. Cornel. Azor.

2 Hæc scribebam cùm incidi in modernum, qui de Ecclesia ante legem tres edidit libellos ann. Domini 1626. Iacobum scilicet Bolduc ex Ordine Capucinor. Hic ergo lib. 2. cap. 12. plura noua & inaudita, nouitatis forte studio, de Cherubinis Propitiatorium obumbrantibus scribit; quæ quia nullo Sanctorum, aut Patrum, aut Interpretum testimonio confirmat, nec alio quàm Hebraizantium suffragio nitatur, omittenda potiùs, quàm impugnanda videbantur; breuissimè tamen indicanda sunt. Ait ergo, ante illam celeberrimam Arcam fœderis, quam Deus Moysi fabricandam commisit. *Exod.* 25. 10. aliam quoque longe antiquissimam fuisse apud Hebræos, in Ægypto, in qua etiam Propitiatorium, & Cherubini erant, vnde Deus responsa præberet; quam Arcam addit pag. post calcem libri superaddita, eam fuisse, in qua postea Iosephi ossa ab Ægypto in terram Promissionis allata fuerunt, ad cuius conspectum *Mare vidit, & fugit.* Psalm. 113. 3.

Bolduc.

3 Insuper duos illos Cherubinos vtrumque latus, seu cornu operculi Arcæ occupantes, varios pro temporum diuersitate Patriarchas ad viuum expressisse. In Ægypto namque super Arcam erant effigies, seu potiùs statuæ aureæ fusiles Isaac, & Iacob. Deinde decursu temporis prioribus submotis, ipsius Iacobi, & Iudæ statuas successisse. Postmodum Iudæ locum Iosephi Cherub occupasse. Denique filios Israëlis in deserto Moysis absentiam grauiter ferentes, & mortuum cogitantes, in seditionem versos ab Aarone Moysis simulachrum in Iacobi sede auro fabrefactum collocandum postulasse, & etiam obtinuisse, eóque illorum verba terendisse, cùm inclamarent; *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Exod. 32. 1. quod non in malam, sed in bonam partem acceptum iri ipse testatur. *Sic enim prorsus* (verba sunt Autoris) *in bonam, nullatenus in malam partem, Moysisue contemptum, accipienda sunt ista populi verba.* Addit Autor in eo Israëlitas graniter peccasse, quod diuinum consilium peruerterunt, *quod erat, vt sicut in priori Arca erant Cherubim Iacobi, & Iudæ, sic in ista secunda & vltima, remanente Iacob, pro Iuda poneretur Ioseph, nullúsque Moysis, etiamsi verè mortuus fuisset, fieret Cherub.*

4 Addit denique non minùs nouum paradoxum in vltima superaddita pagella, in eam fœderis Arcam à Moyse fabricatam, inducta, & reposita tandem fuisse Iosephi ossa, priori Arca deficiente,

ciente ; ex qua prophetasse dicuntur Ecclesiastici 49. 18. quod Deus super Ioſephi ossa in Propitiatorio requiescens oracula inde redderet. Hæc ille, & sexcenta eiusdem farinæ alia ; quæ ipsa relatione satis impugnata, tanquam omni destituta fundamento manerent. Quis enim non videat meras esse nugas, & inania figmenta Rabbinorum potiùs incude, & malleo fabricata ? An hæc Hieronymi Doctoris in exponendis Scripturis, iuxta Ecclesiæ proclamationem, maximi ingenium, & notitiam effugerunt ? An etiam Tertulliani, Origenis, Augustini, Chrysostomi, Ambrosij, Gregorij, Lirani, & Abulensis mentes latuerunt ? An Philonem, & Iosephum præterierunt ? Apage.

Eccli. 49. 18.

5 Sed vt ad singula breuissimè procedamus. Quo autoritatis, vel rationis impulsu, quo Scripturæ testimonio antiquissima in Ægypto Arca confingitur, ex qua sacræ Paginæ insinuatione colligitur ? Ad quemnam finem ; ad quódnam ministerium ? Quidnam contineret ? Quæ vnquam ex ea Dei responsa aliquando reddita, cùm Ioseph Israëlitarum Princeps non per eam, sed per somnia diuina Sacramenta cognouerit ? Deinde Isaac, Iacobi, Iudæ, Iosephi, & Moysis Cherub, seu statuas vbi Deus super Arcam constitui iussit, quis id excogitauit ? cùm Doctores omnes cœlestium spirituum formas materializatas hucusque crediderint ?

6 Quod verò addit Israëlitarum Deos sibi fieri postulantium verbà in bonam partem accipienda, non solum gratis, sed temerariè dictum puto, cùm & ex effectu eorum intentio reuelata fuerit, consilium Idololatriæ consequente ; & ab omnibus Patribus, & Interpretibus petitio damnetur, & in malam partem accipiatur. Denique in Arcam fœderis Iosephi ossa translata fuisse ferendum non est, cùm 3. *Regum* 8. 9. expressè dicatur : *In Arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses, in Horeb ; quando Dominus pepigit fœdus cum filiis Israël.* Dices Paulum ad Hebræos 9. 4. hoc non obstante scribere. *Tabernaculum habens Arcam Testamenti, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ Testamenti.* Potuerunt ergo in Arca Testamenti fuisse Iosephi ossa, quin eorum meminerit Canonicus librorum Regum Autor, vti nec vrnæ, nec virgæ mentionem fecit.

3. Reg. 8. 9.

Hebr. 9. 4.

7 Sed respondetur facilè tempore Moysis nihil in Arca fuisse, nisi Tabulas legis ; sed postea à Ieremia circa tempus captiuitatis Babylonicæ appositam fuisse vrnam cum manna, & virga ; idque Apostolum per traditionem accepisse à Gamaliele Præceptore suo, de quo ipse meminit *Actor.* 22. 3. Sic respondent Chrysostomus, Theophilactus, Becanus, & alij : Alij aliter apud Riberam, & Cornelium in prædictum Pauli locum. Verum cùm librorum Regum Autor scripsit, iam tunc ossa Iosephi (si verum id esset) apposita intra Arcam fuissent ; excludit autem id expressè prædictus Textus, dicens : *Non erat aliud*, ergo nunquam in Arcam fœderis Iosephi ossa inclusa sunt. Sed piget in his diutius immorari. Quantum verò temporis fœderis Arca durauerit, an iam perierit, & vbi modò delitescat, & quando inuenienda sit, vide Becan. lib. de Analog. relato, cap. 12. numer. 15. Mendoz. in præsenti ; Serarium 2. Machabæor. 2. quæstion. 17. & sequent. Cornel.

Actor. 22. 3. Chrys. Theoph. Becan. Ribera. Cornel. Mend. Becan. Serar. Cornel.

à Lapide in cap. 25. Exod. & Alios ex Recentioribus.

8 Plura etiam de Cherubinis de eorum forma & alis, deque eorum significatione Rangol. in Comment. ad cap. 4. vers. 7. & apud eundem Paulus Fagius Hæreticus. Vnum tamen non omittam, quod idem Fagius tradit : videlicet si Sacerdos in die expiationis, Sancta Sanctorum crimine aliquo pollutus, intraret, de medio Cherubinorum igneum gladium exire consueuisse, quo inuerecundus minister periret, & conflagraret ; Historiam quoque aliquorum Sacerdotum nunc constare, qui subitò ceciderunt in Sanctuario, quos refert Iosephus lib. 17. Antiq. cap. 7. num. 8. Quod si contra impuros noui Testamenti Sacerdotes modò contingeret, qui insaniori petulantia ad Altaris ministeria sordibus peccatorum obruti concurrunt, repressa forte fuisset eorum temeritas. Sed cum spirituali solum gladio persequantur, contemnunt facile, faciúntque pro nihilo. Proh nefas ! O insanum furorem !

Rangol. Fagius.

INSTITVTIO VIII.

Moralis.

Quam breuibus vita hominum periodis constringatur.

1 Miserabilis Heli Pontificis interitus, filiorum eius neces, & triginta quoque quatuor millium militum cædes ad mortis omnibus communis meditationem, vitæque humanæ breuitatem mentes vocant, animos excitant. Huc agite qui temporalium oblectamentorum fece inebriati, vitiorum tenebris obuoluti, miseram hominis conditionem, fallacem vitam, æternam mortem nusquam mente perpenditis. Vel audite Augustinum serm. 48. ad Fratres in eremo. *Memorare*, inquit, *nouissima tua ô iuuenis ! qui florido ambis, & pergis capite elato, cuncta, quæ Dei sunt, despiciendo.* Verum quia plura se offerunt in mortis contemplatione meditanda, modò breuitatem solùm, fallaciámque humanæ vitæ ponderare oportet, tot militum, & Sacerdotum interitu ad viuum significatas. Et quidem Heli pene centenarius obiit, annis senióque confectus ; eius verò filij medio iuuenturis flore absorpti sunt ; militum quoque pars maxima floridam ætatem egisse credibilius est, eam namque & integras vires experunt Martialium exercitiorum defatigationes, & duri militiæ labores. Ad duo igitur capita Institutionis materiam redigi opera pretium erit. Primum est humanæ vitæ decursum, centum licèt annos, vel mille quoque perdurauerit, puncti instar breuem fore credendam ; vnde centenarius ipse Heli vix aliud quàm nasci, & mori, oboriri, & abrogari, passum fuisse videatur. Alterum est hominum vitas vtplurimùm esse breuissimas, strictísque carceribus contineri.

Adilla verba : *Vastis cruciatibus mortuus est.* c. 4. vers. 18.

Augustin.

2 Prius docet eleganter Augustin. in Psalm. 39. tom. 8. *Si toto tempore illo viueret, ex quo Adam de Paradiso emissus est vsque in hodiernum diem, certe videres vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic euolasset, vnius autem cuiusque vita*

Aug.

hominis quanta est? Adde quantoslibet annos, duc longissimam senectutem. Quid ergo? Nónne hora
Hieron. *matutina est?* His consonat Hieronym. ad Ephes. cap. 2. Breuitatem humanæ vitæ cum diuinæ vitæ æternitate conferendo. *Qui æternitate Dei perspectâ, breue & pene ad puncti instar humana vita spatium cogitauerit, ante oculos suos habebit*
Greg. *semper interitum.* Et Gregor. lib. 17. Moral. ad cap. 24. Iob. *Gloria*, ait, *iniquorum cùm plerumque in annorum multitudinem tenditur, ab infirmorum mentibus esse longa, & quasi stabilis æstimatur. Sed cùm hanc repentinus finis intercipit, breuem fuisse deprehendit; quoniam determinans innotescit, quia quod præterire potuit, modicum fuit.*
Hieron. Hæc ille, iterùm autem Hieronymum audiamus in Epitaphio Nepotiani dicentem. *Inter eum qui decem vixit annos, & eum qui mille; postquam idem vita finis aduenit, & irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantundem est.* Quod adeò naturæ lumine notum
Seneca. est, vt ij quoque, qui fidei luce caruerunt, prædicare non desinant. Ex quibus Seneca epist. 49. *Infinita*, inquit, *est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus: nam ad præsentia intentos fallit. Punctum est quod viuimus, & adhuc puncto minus.* Hæc ille. Vnde illi potissimum qui mortis articulo largissimum quoque vitæ suæ decursum retrò conspicit, breuissimum apparet. De quo quidem dicere liceat quod regius Psaltes
Psalm.89. de Deo dixerat Psalm. 89.4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit*: tantundem enim mille annos æstimat, quàm diem vnam. Quocirca minimè omittam aurea Tullij verba Tusculan. 1. ex Aristot. sententia.
Tullius. Aristot. *Aristoteles ait*, inquit Tullius, *bestiolas quasdam nasci, quæ vnum diem viuant. Ex his igitur hora octaua quæ mortua est, prouecta ætate mortua est: quæ verò occidente Sole decrepita: eò magis si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate: in eadem propemodum breuitate, qua illa bestiola, rapiemur.* Pulchra quidem comparatio; nam si ad æternitatem animus attendat, quid aliud hominum vita longissima, quàm dies hesterna, quæ præterit? cuius horæ florentem, ac decrepitam ætatem ex æquo continent. Vnde Mathusalem qui omnium mortalium quamdiutissimè vixit, vt qui annum attigit nongentesimum
Genes.5.27. sexagesimumnonum *Genes.* 5. 27. vix horæ vnius spatium puero ex matris vtero emorienti præstitisse videatur, si cum æternitate fiat comparatio.

3 Cùm Deus olim Parenti nostro Adamo mortem comminatus esset, si prohibitæ arboris gustasset fructum his eum præmonitum voluit: *In quo-*
Genes.2.17. *cumque die comederis, ex eo, morte morieris.* Gen. 2. 17. Ille verò vxoris lenociniis abstractus, ac imminentis immemor supplicij, præceptum edendo transgressus est, nec tamen ipsa die temporali vita priuatum legimus. Vnde non leuis insurgit difficultas, cùm diuina comminatio absoluta fuisse, & immutabilis videatur, *Neque enim Deus homo est, vt agat pœnitentiam.* Respondent aliqui diuinam comminationem de spirituali morte, animæ videlicet accipiendam fore, quæ quidem mors peccantem Adamum, non solum in eadem die, sed in eodem transgressionis articulo subsecuta est. Alij
Irenæus. verò quorum meminit Irenæus lib. 5. potiùs existimarunt de morte temporali fuisse sermonem; eandem verò diem vocari totum illud temporis spatium, quo Adami vita perduranit, quod licet plurium fuerit annorum, ad diem tamen vnam explendam minimè peruenit, dum annum millesimum non attigerit. Quorum quidem paradoxum ita nostro conuenit instituto, vt longissimam vnius hominis vitam diem vnicam æstimari posse credamus.

4 Quamuis autem millesimum Adami vita annum explesset, diem vix vnicam vixisse apud Deum existimandus esset iuxta canonicam Petri doctrinam. *Apud Dominum mille anni, sicut dies vna,*
2. Petri 3. 8. & iuxta Regium Prophetam. *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* De qua etiam diurnæ vitæ breuitate Ezechias apud Dominum conquerebatur dicens. *De mane vsque ad vesperam finies me.*
Isai. 38. 12. Quasi vnici diei spatium tempus quamplurium annorum æstimandum esset. Quo conspicit Dauidis imprecatio. *Mane sicut herba transeat: mane floreat, & transeat, vespere decidat, induret, & arescat.* Psalm. 89. 6. Herbam
Psal.89.6. autem aliquam huius naturæ inueniri, quæ vnum dumtaxat diem duret testatur Delrius noster tom. 2.
Delrius. Adag. 103. Illi autem hominum vitam simillimam dicas; quæ quidem pueritiæ, & adolescentiæ luxuriæ vernat, viteſcit amœnissimè, & conspicientium oculos oblectat: pubescit deinde, & florer iuuentute, & tandem quasi æstu solis exusta, senectute languescit, & ad miserum fertur interitum. Cui congruit Iacobi Prophetia. *Sicut flos fœni transibit: exortus est enim Sol cum ardore, & arefecit fœnum.* Iaco-
Iacobi 1.10 bi 1. 10.

5 Nec malè tamen nobiscum ageretur, sed mitius, si dici integri spatium mortali vitæ nostræ superesset, rapidioris enim cursus momentis fruimur, vt Autor est Ecclesiasticus. *Numerus dierum hominum vt multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt, & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die sui.* Eccli. 8. 8. Ecce cen-
Eccli.8.8. tum quoque annorum vita diuinæ æternitatis respectu tantula esse perhibetur, quantula marinæ aquæ guttula totius quanti quanti est Oceani pelago comparata; & quasi arenæ mica totius terræ collata magnitudini. Vnde Ecclesiastes 11. 8.
Eccles.11.8. *Meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguentur.* Multi igitur dies tanquam singularis, & vnicus reputabuntur, & quod maius est, quasi guttula, aut exiguum puluueris corpusculum: quod autem maximum, *vanitatis arguentur*, hoc est adstricti examinis trutinam deducti, ita eos inanes, ac vacuos deprehendes, vt vere nihil fuisse comperias; cuius expertus quidem erat, qui dixit. *Nihil enim sunt dies mei.* Iob. 5. 16. & Re-
Iob.5.16. gius Vates. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Psalm. 89. 5. seu vt legi posse affirmat Delrius Adag. 102. tom. 2. iuxta Græc.
Psal.89.5. Delrius. *Eorum anni erunt nihileitatis*, Anni enim, vel centum, vel etiam mille, postquam semel transfluxerint, nihil omninò fuisse comprobantur. Et iterùm: *Et substantia mea tanquam nihilum ante te.* Psalm. 38. 6. Vbi Incognitus: *Quia sub-*
Psal.38.6. *stantia nostra, ideſt vita nostra æternitati comparata nihil inuenitur. Quid enim est vita nostra, nisi vapor fumi ad modicum apparens.* Vata-
Vatab. blus autem sic vertit: *Æuum meum sic est, quasi non sit, præsertim tibi collatum.* Vt videas Heli Pontificem vel etiam centenarium breuissimo vitæ curri-

culo

culo dies suos peregisse; vtque tibi dictum credas Poëticum illud.

Tu tamen ad seros, nulli quod contigit, annos
Vt venias, nullo percitus ante malo;
Hoc tamen exiguum est. Vbi nunc tot Nestoris anni?
Ex tanto superest tempore nulla dies.

Serius autem S. Panatius III. Cænomanensis Episcopus. *Centum tendatur annorum spatijs vita ista in die vltima statim videbitur non fuisse, ac sine memoria hospitis vno die apud nos remanentis vestigia vix reliquisse. Illa vita autem manet ingens, perseverat constanter, annis quoque labentibus vires sect, & pollet, & inde renouationis simul initium, vnde finis præsentis accipitur.*

6 Sed quia ea est humanæ dementiæ cæcitas, vt si annos centenos viuere daretur, longam, ac beatam vitam ducere homines arbitrarentur; restat vt in id quoque animos intendamus; hoc nulli iam, aut vix vlli concedi, sed plures hominum infantia, puentia, aut adolescentia absumi, raros verò ad senectam peruenire, vt in præsenti oporteat annotare, vbi inter tot millium hominum interitus, vnus tantum est, quem senio iam grauatum obijsse legamus, scilicet Heli; eius enim filij, eius quoque nurus, & militum occisorum multitudo ante senectutem perierunt. Si igitur centum annorum decursus exigua est guttula, vel arena, vel potius purum nihil, quid de viginti, aut triginta annorum interuallo mediocris.

7 *Ecce mensurabiles*, conqueritur apud Dominum Propheta; *posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.* Psal. 38. 6. Vbi sic Incognitus vers. 6; 8. *Confitetur humana vita brevitatem, vel annihilationem Psalmista, edoctus de numero dierum, quibus naturaliter vivere poterat. Mensurabiles, id est numerabiles, & paucos.* Sed quamuis Textus Vulgatus satis habeat emphasis, nescio tamen an Versiones aliæ vim augeant. Vatablus enim, & Iansenius legunt. *Palmares posuisti dies meos.* Hoc est palmo mensurabiles, non vnius, aut longioris aliqua mensura. At quia hoc vitæ spatium non breue nimium cuiusvis videretur, legit iterum Vatablus: *Constituisti dies meos palmi minoris longitudine*, id est, non qui multiplici palmo, sed vnico & ex minoribus possint comensurari. Alij verò: *Digitales posuisti dies meos.* Alij *Mensura duodenorum digitorum.* Alij: *Pugillares*, hoc est pugillo vel mensurari, vel comprehendi capaces. Origenis denique Hom. in eundem Ptalm. Pagninus, & Vatablus: *Vt mensura quatuor digitorum.* Et concludit Vatablus: *Palmares dedisti dies meos, vel pugillos, id est breues: vt mensura quatuor digitorum: posuisti vt mensuram palmi; hoc est, concluisti tempus vitæ meæ brevissima mensura, si cum ætate tua conferatur.* Quatuor ergo digitorum spatium est humanæ vitæ periodus.

8 Digitos hos in parietis superficie scribentes, dum ex epulo quod celebrabat Baltassar Rex subitò conspicit, anxius hæret, turbatur merito, rationis licet inscius, & expers Dan. 5. 5. *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ Regiæ; & Rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebatur.* Senserat vtique imminentis mali præsagus animus quod adhuc mens non cognouerat, quatuor nimirum tantum digitorum Regum quoque vitam spatium extendi, quod inscio etiam Regis animo, dum instillatur, duris circumagitur angustijs, quasi non ex præscriptis characteribus, quos ignorabat, sed extrium, aut quatuor digitorum numero fati sui præsentiret instantiam. Quod breui confirmauit euentus; & quos Rex articulos viderat, Daniel ipse dum rem exponeret, non iam articulos, sed articulum sub singulari numero vocat; *idcirco ab eo missus est articulus manus, qua scripsit hoc, quod exaratum est.* Ibidem vers. 24. Et concludit Scriptura. *Eadem nocte interfectus est Baltassar Rex Chaldæus.* Ibidem vers. 30.

9 Hanc humanæ vitæ fragilitatem, ac breuitatem variis similitudinibus, ac Metaphoris tum Sacra Paginarum PP. ac ipsi quoque Philosophi dum significare student, vaporem interdum, vmbram, bullam, somnum, florem, puluerémque appellant, & ipsis comparant. Quorum plura copulauit eleganter Gregorius Tifernas his Distichis.

Ecce sumus pulvis, fumus ecce miserrima tellus, Tifernas.
Et nostri fugiunt, vt levis aura, dies.
Languemus medio, vt fœnum quod cecidit æstu,
Vt rosa Pæstano languet adepta rogo.
Soluimur vt nebulæ, surgens vt in aera fumus,
Et veluti solus Sole pruina fugit.
Carpimur, vt stipulæ rapido carpuntur ab igne:
Nec nisi vincendo somnus, & vmbra sumus.

10 *Quæ est enim vita vestra*, interrogat Iacobus in sua Epistola. cap. 4. Et respondet. *Vapor est ad modicum parens.* Ecce mortalis vitæ constitutio, ecce perduratio; est enim vapor halitus tenuissimus, qui ex humida terra, vel aqua calida furtim exhalatur, qui diu oculis percipi non potest, nam continuo rarefactus euanescit, quoque nihil leuius, nihil fragilius excogitari potest. Ea igitur est humanæ vitæ natura, ea humani velocitas cursus. Cum floribus eiusdem humanæ vitæ comparatio frequens apud Scripturas, & Patres & Philologos est. *Homo natus ex muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs; qui quasi flos egreditur, & conteritur.* Iob. 14. 1. Expressiùs tamen Septuaginta. *Tanquam flos efflorescens decidit*, vt cùm primùm foliorum elegantiam flos erumpens ex calicibus explicat, continuò langueat, & marcidus efflorescat, ac decidat iam caduceus. Vnde Gregor. lib. 10. Moral. cap. 7. *Homines natis in mundo sunt quasi flores in campo; vita in carne, flos in fœno est. Homo more floris ex occultis, apparet subitò in publico; qui statim per mortem trahitur ad occultum, Carnis viriditas nos ostendit, sed aridatas puluerís ab aspectibus nos retrahit.* Hæc ille. Cui concinit Gregorius alter Nazianzen. Orat. in Laud. Cæsarei, dicens: *Insomnium summus instabile, spectrum, quod vestigium non habet: pulvis, vapor, ros matutinus, flos pro tempore nascens, atque marcescens.* Vtrumque Plinius Senior lib. 21. Histor. cap. 1. subsequitur. *flores natura in diem gignit: magna hominum admonitione, qua speciatissime florent, celerrime marcescere.* Hæc ille pulcherrimè.

11 De hac item humanæ vitæ concita breuitate eleganter Spousus Cantic. 2. 12. *Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis adue-*

Iob. 14. 1. Sept. Gregor. Nazian. Plinius. Cant. 2. 12.

mit. Vix quippe appatuisse flores perhibentur, vix natiui splendoris, ac venustatis ambitione vernare cœperunt, vix primos fragrantiæ suæ odores spargunt, cùm amputandi, & relegendi instare tempus asseritur. Accedat tertius Gregorius, scilicet Nissenus ibi. *Ostendit*, inquit, *& prata floribus fœcunda, venustéque picta; flores ipsos maturitatem suam consecutos, & tam idoneos esse dicit, qui amputentur.* Hæc Nissenus, quæ humanæ vitæ fallacis, & fucatis splendoribus apprime congruunt, in qua splendidissima dies fatis proximior est. *Quantos*, inquit Ambrosius, lib.3. Examer.cap.7. *pridie cæterua plaudentium, & tendiosa fauentis populi frequens pompa domum dedixit, & nox vna illum splendorem gloriosa deductionis absoluit?* Verùm enimverò id potissimum annotare oportet quod eruditè obseruauit Gisserius in præsenti; videlicet in fonte Hebraico vocem, quæ *flores* vertitur, eos propriè flores significare, qui exorti nondum sunt, sed quasi parturientes, & ex calicibus erumpere festinantes, vt totam foliorum ambitionem expandant, quos ita celerrimè sua vrgent fata, vt in ipso quasi partu, siue exortu decerpi, ac emori cogantur. Quocirca eleganter Ft.Mend.philosophatur, dicés: *Quia hi humanæ vitæ flosculi vix apparent, iam disparent, & erũpere gestientes, subitò amputantur.* Omnium tamen elegantissimè Hieronymus epist. ad Pammach.mutetum eorum florum, ac immaturum interitum deflet his verbis. *Quis parturientem vasam & papillatum corimbum, antequam in calathum fundatur orbis, & tota rubentium foliorum ambitione pandatur, immaturè demessum, aquis oculis marcescere videat?*

12 Concitti, ac immaturi huius excidij fors illis obtigit pulcherrimis floseulis, quos inuidiosa tyranni Herodis manus abscidit. Florum enim nomine eos inuocant, & salutant Aponius & Prudentius; qui quidem vix nitoris sui elegantiam ostenderant; vix purpureorum expanderant foliorum venustatem, cum persecutionis turbine quassatos, extinctosque deflet Prudentius canens.

Saluete flores Martyrum
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.

Nec minor verò æterni illius floris fors extitit, qui ex virgineo processit vtero *flos campi, & lilium conuallium*; Quemque floris instar exorti mater ipsa dum sentit, exclamat: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, perspiciens per cancellos* Cantic. 2. 9. Hebraicè: *Tanquam flos erumpens ex calicibus*; quod Gisserij Paraphrasis sic explicat: *Ex ipsis cancellis ita se se ostendens prout rosa se se ostendit, quando ex rimulis erumpit folliculi modicum se se aperientis.* At qui ita enascens continuò ab Herode ad necem quæritur, & quasi inter mortuos computatur, non ab imperitis quibusque, sed à sapientissimis Chaldæis, qui ex sapientia Magi dicebantur. Nam cùm adoraturi ad præsepe Regalem iam thalamum impigri contulissent, ne vacui essent adoratores *obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.* Matt.2.11. Quibus quidem mysticis donis noui Regis naturas, & confiteri & prædicare studuerunt. Thus enim diuinitatem nouit: aurum Regum possessio, & significatiua est: myrrha denique qua mortuorum corpora imuntur, mortalitatem indicat illius, qui vt pati & mori posset, corruptibilem naturam diuinæ contexerat. Vnde Cyprianus. *Thus Deo, aurum Regi, myrrham morituro.* Vbrobiter annota ab ipso quoque natiuitatis exordio mortis apparandas merces, ac funeris apparatus præueniendos. Cyprianum tamen Ambrosius videtur correxisse, qui munerum significationes exponens, sic ait: *Thus Deo, aurum Regi, Myrrham defuncto*; sic sapientum Regum consilio interpretatus, vt nó solum ex myrrhę munere nascentem puerum breui moriturum profiteantur, verùm mortuum quoque iam fuisse adorentur, cùm ita sit concitus humanæ vitæ decursus, vt vix apparens vita continuo dispareat. Quod ipse quoque Dominus attestatus fuisse videtur, cùm de se ipso dixit per Prophetam: *In laboribus à iuuentute mea.* Psalm.87.16. Hebraicè: *Ego expirans a iuuentute mea*, hoc est, ab ortu enim, & animam exhalare incipiens. Quod etiam illi nuncupati non sunt, qui Sapient.5. contestantur: *Nos nati continuo desijnimus esse.* Itavt paradoxum minimè videatur quod Sapiens quidam dixit: *Nasci, decessisse*; *vtri, abortiri.* Rectè igitur ille,

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

13 Hinc iure optimo Tertul.lib.4. contra Marcion. cap.21. Pannos quibus recens natus infans inuoluitur, allusionem facere docet ad quandam sympathiam ius, quibus cadauer ad sepulturam obtegitur. Ibi: *Nec pannis tam sepulturæ quàm natiuitatis initiatus.* In tantum vitæ exordium sui proximum, ac immediatum est, & ipsum viuendi initium, moriendi quoque principium est; in ipsissimo enim instanti, quo viuimus, ex parte morimur. *Temporalis vita*, ait Gregorius Hom.37. in Euangelia, *æterna vita comparata, mors est potius discenda, quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quædam prolixitas moriendi?* Prolixè igitur morimur, seu continuò agnonizamus, nec vnquam dum viuimus, mori desinimus, & vt Hieronymus scribit Heliodoro. *Quotidie morimur; quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, de vita mea tollitur: quot puncta Notarij, tot mœrorum sunt damna temporum.* Hæc ille. Vnde sine vllo fuco, aut auxesi dixit Seneca Lucillo suo Ep.1. *In hoc fallimur quod morte procul esse comicimus. Magna pars eius iam præterijt; quidquid ætatis retro est, mors tenet.* Quid libentius forte scripsisset, si legisset Philonem lib. de Ioseph, sic elegantissimè asserentem. *Nomen infans puero cedit, puer puberti, puber adolescenti, adolescens iuueni, iuuenis viro, vir seni, senectus morti: Et fortasse singulæ ætates decedendo præmoriuntur: natura nos paulatim docente non timere mortem extremam omnium, quando priora facile tolerauimus infantiæ, pueritiæ, pubertatis, adolescentiæ, iuuentutis, virilitatis, quæ omnes ætates ante senectutem euanuerint.* Philoni accinit Gregor.3. Moral. cap. 10. *Quot dies ætatis homines accipiunt, quasi tot quotidie gressibus ad finem tendunt. Quot augmenta viuendi percipiunt, diu viuendi spatia totidem perdunt. Momenta ergo temporum quod sequuntur, fugiunt; quod accipiunt, amittunt.* Sed iterum Hieronymum audiamus in Amos, lib.3. *Nihil fugacius sæculo, rebusque sæculi, quæ dum tenemus, amittimus, & per infantiam, pueritiam, iuuentutem, ac virilem, & ingrauescentem, ac maturam ætatem, auxosque vltimos senectutis, per quæ vtique septem spatia Philo vitam describit humanam, mutamur, & currimus & nescientes ad mortis terminum peruenimus.* Hæc disertè Hieronymus. Nec Poëtam tamen Sanctum prætermittamus, Thoinam, inquam, Morum sic cygnea dulcedine canentem.

Paulatim

Nissen. Ambros. Gisler. Mendoza. Hieron. Apon. Prudent. Can.2.9. Gisler. Matt.2.11. Cyprian. Psal.87.16. Sap.5.13. Tertul. Gregor. Hieron. Senec. Philo. Gregor. Hieron. Mor.

Paulatim morimur, momento extinguimur vno
Vt lampas oleo deficiente perit.
Vt nihil interimat, tamen ipso in tempore mors est
Qui nunc interea dum loquimur, morimur.

14 Cùm igitur adeo strictis hominum vita carceribus concludatur, vt nec instans, nec punctum duret, simulque & vitæ, & mortis metas pede contingamus, conclusio sit diuina illa Bernardi ad Eugen. Pontific. adhortatio, & salubris satis admonitio quam per hæc verba conscripsit Epist. 237. *In omnibus operibus tuis memento te esse hominem: & timor eius, qui auferet spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in breui Romanorum Pontificum mortis tuis oculis aspexisti? ipsi te præcessores tui tua certissima & citissima decessionis admoneant: & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum illorum nuncupet tibi: vnde meditatione inter huius transeuntis gloriæ blandimenta, memorare nouissima tua: quia quibus successisti in Sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem.*

Bernard.

INSTITVTIO IX.

Moralis.

Quam sit pertinax impiorum obstinatio.

Ad illa verba: Et reliquerunt eum in loco suum *cap. 5. v. 3.* Theod.

1 DIgnam planè & notâ, & admiratione censeo duplicem Philisthinorum pertinaciam, vel circa Dagonis, semel atque iterùm collapsi lætitiam, vel circa victricis Aræ vexationem, & inustam retentionem. Priorem quidem pertinacem superstitionem meritò quoque miratus est Theodoretus serm. de Prouident. dicens: *Propterea Dagon quoque, quem illi ceu Deum adorabant (idolum vero hic erat mutum, & omnis sensus expers) ante Arcam corruere fecit, & eundem cultoribus illum spectandum exhibet, vt Allophili discrimen discerent. Illi verò eundem stolidè rursus erigunt: denuo autem collapsum vident, & tamen adorant.* Cuius vtique admiratio in illos etiam vergit impios, qui humanarum rerum fugacem inconstantiam, frequentesque honorum, opum, ac libidinum naufragia experti, eas ita ardenter amant, ambiunt, colunt, vt Deos nimirùm suos; vt constans, & immutabile bonum, vt solidam beatitudinem.

2 Ingens hoc malum ex alterutro constat capite, interdum ex vtroque, vel ex infirma, & sauciata, prioribus Lapsis, voluntate; vel, quod turpius est, ex depraua vitiorum quasi Circæo poculo iudicio. Priori ex capite, Augustini quondam ortum habuit diuinis vocationibus pertinax reluctatio, quam ille ingenuè, prælque Domino confitetur in 6. suarum Confessionum lib. ibi. *Suspiraham ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde funem mihi fecerat. Ex peruersa enim voluntate facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibusdam annulis, sibimet annexis (vnde supra dixi) tenebat me strictè dura seruitus.* Posteriori verò turpiori contenda obstinatio illa est, quæ deceptum quoque, ac perturbatum iudicium tenet; quam Seneca in suis Prouerbiis extremum existimauit infelicitatis lineam, & immedicabile malum, dicens. *Tunc est consummata infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores fiunt.* Hæc ille, Ita enim prioribus consiliis inhærent impij, vt non solùm in illis delectentur infirmitatis morbo, sed & complacent mentis errore: nec in ea solùm feratur voluntatis inclinatio, eorum lenocinijs illecta, sed & animus quoque fallacis iudicij imperio.

Aug.

Senec.

3 Pessima, inquam, hæc est, ac omnium turpissima obstinationis species, qua quidem impetus ij laborant, qui superbiæ tumoribus inflati, dedecus existimant, & quasi infamiam timent à proposito deterreri, & mutare consilia. Quorum meminit Eusebius Philosophus apud Stobæum serm. 23. *Plurimi cùm velint haberi quamconsultissimi, si qua intra familiares, & benenoli ipsis homines eos deterrentur, nolunt a confirmato semel intra se proposito recedere: sed ne redarguantur à consilio suo tanquam prauo desistere, permanent in proposito donec tandem inde profecta incommoda sentiant.* Hucvsque Eusebius.

Euseb. Philosph. Stobæus.

4 Huius verò neptissimi instituti quis alius quam Diabolus autor exstiterit, à quo impij homines, tam pia eruditæ mancipia, pessimum hauserint dogma: Dei quidem Filium Christum Dominum tandem credidit, & confitetur aliquando est, ita tamen vt in ipsa quoque confessione tergiuersari, & abnegare videatur. Locus est apud Marcum cap. 5. 2. Nam de nauigio Domino exeunti *occurrit de monumentis homo in spiritu immundo*, qui Christi genibus obuolutus *adorauit eum: & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, IESV fili Dei altissimi? adiuro te per Deum ne me torqueas.* Filium Dei Dominum prædicat, & consequenter Deum, nam patris naturam filius suscepit. Sed per Deum simul cum adiurat. O petulans Dæmonis professor! per quemnam Deum eum adiuras, quem fateris Deum? An multiplex Deus est? Negas vtique. Sed quem Deum acclamas, ne verbis tuis adhibeatur fides, per Deum quasi à Deo alienum coniurare mauis, & Deum simul fateris, & negas. Callidè quidem tuam verecundiæ petulantiam Chrysologus serm. 72. dicens: *Timet tergiuersator, & simulat: fatetur filium, sed ne Deus intelligatur, solita arte contendit. Adiurat Deum per Deum, vt alterum videri ipsum faciat: vt ad fantasma decipiat, & fallat auditum.* Deinde vt idem Chrysologus annotauit, Dei filium confitetur, sed hæreditatem eius, nempe hominum animas subripit, quas ad se minimè pertinere cognouit. *Si agnouit filium, inquit, vtique nouit hæredem. Si hæredem nouit, hæreditatem rapere cur præsumis?* Responderet vtique, si verum dicere fas foret mendacij autorem: quia veternosa malitia, & pertinaci obstinatione prohibeor; atque antiquum propositum, infaustum licet, reuocare non oportet, sed eidem in æternum pertinaciter inhærere.

Mare. 5. 2.

Chrysol.

5 Primogenitum Sathanæ Iudam, quem Diabolum quoque Dominus appellauit. *Ioann.* 6. 70. tenacem huius pestilentis instituti auditorem inuenies *Matth.* 27. 4. Nam proditionis reus, & criminis huius conscius, & scelcris etiam magnitudine attonitus, clamat ad Principes Sacerdotum, pecuniam restituens. *Peccaui tradens sanguinem iusti.* An Christum Dei filium ignorabat? Minimè; audierat enim sæpe, & solida eiusdem Veritatis habuerat testimonia. Quid ergo iustum vecumque vocat, quem maximè commendare studuit? Vtique ne à præceptoris sui Diabolo institutione discederet, & qui Deum negarat, hominem tantum prædicaret. Quod animaduertit Leo Magnus. Sermon. 1. de Passione Domini, sic Iudam

Ioan. 6. 70. Matt. 27. 4.

S. Leo.

sub interrogationis emphasi efficaciter arguens. *An in impietatis tuæ perfidiam perstitisti, quia IESVM non Deum Dei filium, sed nostræ tantummodo conditionis hominem inter extremum mortis tuæ periculum credidisti; cuius flexisses misericordiam, si non negasses omnipotentiam.*

6 Antiquius tamen humano generi hoc malum irrepsit, cuius inter homines homo primus reus iamdudum fuit, cum post transgressionem suam, noua in dies errata obstinate commisit. Morte quidem à Deo, totius veritatis Autore, perterritus ante peccatum fuerat; latam quoque mortis sententiam, & suam, & posterorum timidis auribus exceperat. Quid inde? Vxori suæ nomen indere pergens, vocat eam Euam, ideſt vitam. *Vocauitque Adam nomen vxoris suæ, Heua.* Genes. cap. 3. v. 20. Addiditque ineptam plane impositionis congruentiam. *Eo quod mater esset cunctorum viuentium.* Quid insanius aut peruicacius? Itáne Dei verbis credidisti: Hæccine est cunctorum viuentium mater, quæ prius filios interemit, quàm ederet in lucem? Sed Rupertum audiamus libr. 3. in Genes. cap. 26. Sic nomenclatoris non ignorantiam sed contumaciam potiùs reprehendentem. *Narrauerat*, inquit, *dixisse Deum: in sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua assumptus es. Mira peccatoris, & contemptoris simul surditas, & superna mentis eius duritia breuiter deprompta est. Quid enim insanius quàm in tali articulo Heuam dicere, eam, qua non habebat vitam? Sicut superius dicenti Deo:* In quacumque die comederis, morte morieris, *sic nunc dicenti:* Donec reuertaris in terram de qua assumptus es, *adeò non credidit, vt è contrario vocaret nomen vxoris suæ Heuam, ideſt vitam.* Hæc ille diserti ſſimè in Adami peruicaciam.

Gen. 3. 20.

Rupert.

7 Hanc Deus & Patris, & filiorum duritiam pluribus intendens emollire, multiplicat interdum plagas; minatur sæpe mortem, & quod caput est, non solum corporis, sed & animæ inter æternos cruciatus, & voraces flammarum globos. An tamen eos à proposito vsquam deterruit? An emolliunt? Minimè gentium. Vt enim aliis prioribus insistant, vt pessimis inhæreant consilijs; & plagas mortemque despiciunt, & gehennam quoque passi, complacent, nec mutant pertinaciſſimos animos. Ad singula descendamus. An Pharao tot cladibus castigatus, tot plagis affectus resipuit tandem, & ad rectum pertractus est? Audi Historiæ sacræ Commentarium. *Ingrauatum est cor eius & seruorum illius, & induratum est nimis.* Exod. cap. 9. v. 35. Quæ sententia sæpius eo libro reperitur. Dum tandem paulisper emollitus videretur, & populum ad extremum dimisisset; induratur rursus, & pergentem Israelem cum expeditione persequitur. Ventum est ad oras maris Rubri; Suis Deus aquas diuidit: aggreditur imperuium iter populus, metu, ac timore percitus. Portentum conspicit cunctis gentibus inauditum Pharao. Quid tunc? Videt vtique Deum populi sui mirificè studiosum, ac vindicem: in cuius subsidium imminanti ideò monstruum operetur; aduertit, se ea prorsus militare, mortem sibi, finisque instare præsentiſſimam. Sed tandem persequendi hostis consilium nusquam deserendum ratus, irruit intrepidus, & minacis pelagi fluctus inuadit, inse, suósque pariter impius, ac temerarius. De quorum temeritate August. ſer. 89. de Tempore. *Aegyptiorum turma inter marinos fluctus alienum iter ingressa aqua vindice puniuntur, quos in medium marini aluei finum desperata traxit audacia.* En quo insanos egit contumax pertinacia, in quæ cæcos pertraxerit præcipitia obstinata temeritas!

Exod. 9. 35.

Aug.

8 Sed quod intolerabilius malum est, non hac solum Barbari Ægyptij laborarunt insaniâ, sed & Israelitæ, quos simili interdum peruicacia exacerbatos, ferrum, mortem, strictos emicantelique enses, profluentemque cruorem lubenter contemnere, ac pro nihilo habere videas. Adi *Numeror. lib. c. 25.* Vbi rem totam apprimè expressam contemplari licet. Madianitis te fœminis, pulchritudinis actis lenocinijs, filij Israelis perditiſſimè manciparunt. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab.* Nec ibi malum constitit, sed eo quoque prorupit, vt earum etiam Deos, seu Idola colerent, & de hostis ederent. Diuini verò furoris exarsit continuò incendium, iubet Deus Principes, tanti sceleris reos, in crucem agi. Peragitur supplicium; quin Moyses his minimè contentus, indicit etiam ab vnoquoque fidelium proximum quemque, & familiarem ex fontibus obtruncari. Nec mora, nec requies: corripiunt enses, in reos irruunt, percutiunt, scindunt, lacerant, perfunditur vbique cruor, manant noxij sanguinis vbique fluenta: vndique gemitus, vndique vlulatus.

Numer. 25.

——— it tristis ad æthera clamor
Bellantium iuuenum, & duro sub Marte cadentũ.

Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum Numer. 25. 9. Quid tum? Dum horribile hoc peragitur facinus, stupentque, ac ingemiscunt rupes: *Ecce vnus de filijs Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, videntc Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores Tabernaculi.* Eccli Deum immortalem! Quid hic humanæ mentis obtutus? Quid hominum aures. *Disce quàm sit fera libido*, ait quasi attonitus Oleaster Annot. 25. in Numer. *quod eo tempore peccata admittat, quo videt eam in alios castigari: & qui flagellis alienis debuerat coherceri, is vice versa audacior fit.* Hæc ille.

Num. 25. 9.

Ibid. 6.

Olea.

9 Sed minima hæc sunt, nec humanæ contumaciæ rationem ratio potest, aut humana lingua comprehendere, vt ex dicendis constabit. Mors, vt vidimus omnium terribilium terribiliſſimum, humanam nequit obstinationem expugnare. An gehenna? An flamma? An desperati gemitus, fletus, & stridor dentium? Gehennam ipsam consulamus; audiamus tartarum. Sempiternos eius, horribiléſque cruciatus subibat inhumanus Epulo, cùm Abrahamum pauperculum olim Lazarum gremio benignissimè fouentem suspicit, ad quem ex intimo pectoris exclamat: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam.* Luc. 16. Mitti ad se Lazarum curat, cùm sanus esset ad Lazarum è gehenna mitti, quàm in tam duro vtcumque loco consistere. Vide malitiam, reprobo dignam suspicatur Chrysologus serm. 122. Lazari nimirum gloriæ inuidentem, ab ea illum extrahere ad tormentorum locum intendisse. Sed ipsum autem Christianæ eloquétiæ flumen exaudiamus. *Adhuc tuum Lazarum sis crudelis:* Lazari mitte: *Quo? Ad infernũ è gremio de sinu sublimis ad profundissimũ chaos: ad tormentorum stridorem de suauitate quietis, de tanto silentio beatorum. Vt video, quod agis: Pœnas non esti nouellis doloris sed timoris accipis, & Zelo magis incenditur, quàm gehenna.* Concludit tandem. *Adhuc Diuitem malitia non dejecit, quem iam pos-*

Luc. 16.

Chrys.

sides

sidet pœna. Ecce nec tartari immane supplicium reprobum à proposito reuocat, sed obstinata peruicacia prioribus hæret, nec mutat animum, sed locum; statum, non mentem. *Adhuc* enim *diuitem malitia non deserit, quem tam possidet pœna.* Hinc licet æternitatem pœnæ reproborum rationem reddere iis, qui causantur temporali delicto sempiternam mulctam malè repensari; & in æternum puniri quod temporis puncto commissum est. Ea enim est impiorum contumacia vt si in æternum peccare liceret, nunquam à suo proposito desisterent. Quid ergo mirum, si maligno, & æterno delinquendi affectui æterna correspondeant tartari supplicia? Hanc aptè satis excogitauit rationem inter alios Bernardus ep. 253. ibi. *Ob hoc inflexibilis, & obstinatæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetratum: quia quod breue fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate; itaut, si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret, imo semper viuere vellet, vt semper peccare posset.* Bernard.

10 Nullum ergo, Dei omnipotentia, & misericordia exceptis, hominum proteruiæ reliquum remedium esse videas, dum semel peccati sordes admissæ quamprimùm non excutiuntur; glitcit enim in dies malum, altáque peccatum in pectus agit radices, quas vna Dei brachia valeant euellere. Hæc namque peccati natura est, hoc virus, quod ad penitiora cordis penetralia serpit. Caino quondam Deus turpissimum exprobrans facinus, effusique fraterni cruoris piaculum, inter alia dixit. *Nónne si bene egeris, recipies: sin autem malè statim in foribus peccatum aderit?* Genes. 4. 7. Sed rogas quid sit peccatum adesse in foribus? Respondet Hugo Victorinus ibi; vt peccatum committitur quasi ad ianuam, ipsisque in foribus cordis paulisper immorari, vt vel per pœnitentiam foras expellatur, vel per omissionem ad intima penetret, & altè in pectus recondatur. *Duabus de causis,* inquit, *dicitur aliquid in foribus adesse, vel vt intret, vel vt exeat. Similiter hic de peccato potest intelligi.* Hinc fit recentia quæque crimina minima industria depelli per contritionem, & pœnitentiam: illa verò quæ temporis decursu inueterarunt, vix vlla vi, & prolixa contentione ex pectoris cubili, quo altè insederant, deturbari, vt Pharaoni, Saüli, aliisque obtigit malitiâ inueteratis. Gen. 4. 7. Hugo Vict.

11 Sed ne exempla aliunde emendicemus, ad Azotios, de quibus modò sermo, reuertamur. Corruit semel, & iterùm Dagon, proteritur, colliditur, sed in locum pristinum restituunt, colunt, adorant. Flagellantur murium peste, lethalium morborum perpessione mulctantur morte. Quid tunc consilij? *Inierunt Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pellicias.* Cap. 5. vers. 9. Quod quidem consilium ad eorum contumaciam pertinere apta tropologia docet Rangolius ibi, in hæc verba: *Si allegoriam spectes, nullum pœnitentiæ argumentum pra se ferunt; sedere namque illorum est, qui locum mutare nolint, nec retrocedere, aut progredi studeant, qua tamen iis, quos pœnitet, inprimis necessaria sunt. Nam à malè quidem inceptis reuocare gradum oportet, ad virtutem autem & pietatem omni conatu niti. Pellis certè qua sunt mortuorum animalium spolia, peccata ipsa designant; in quibus tamdiu peccator sedet, donec resipiscat.* Hæc ille. Actionem autem sedendi ad pertinaciam spectare docet quoque Ambrosius in Psalm. 1. ibi. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Ex Zachar. 5. 7. & aliunde sæpe dicens. *Iniquitas in talento plumbeo sedet, eo quòd fixa in peccato se ab eo separare non possit: etenim inueterari in errore, & studiosè flagitiis inhærentes sedere dicuntur. An ignoramus quod tantam vim habeat inueterata consuetudo peccandi, vt excludat naturam? Qua cùm sit medicabilis ad salutem, diuturno tamen tempore, passionibus depranata immedicabilis inuenitur.* Hæc Ambrosius, in quibus latiùs, libentiúsque diffunditur. Rangol. Ambros. Zachar. 5. 7.

12 Verumenimverò cùm quæ de communi peccatorum contumacia diximus, extremæ videantur malorum lineæ, restat adhuc maximum, & turpissimum obstinationis genus, cuius meminit Hugo lib. de Duodecim Abusionibus, cùm tres obstinatorum species diuidat: ex quibus pessima illorum est qui monitis, suppliciis ac pœnis non solùm non emolliuntur, sed ex aduerso indurantur, & deteriores fiunt. *Tres sunt,* inquit, *species obstinatorum. Prima eorum, qui ex correctione proficiunt. Secunda eorum, qui ex commonitione deteriora fiunt. Tertia eorum, qui emendationem promittunt, sed non faciunt.* Hæc ille, & singulorum exempla proponit. Sed lubet & alia superaddere, quæ fœdissimæ huius peruicaciæ naturam exprimant. Et quia de Adami, & Iudæ obstinatione suprà meminimus, ea vtrumque pessima contumacia laborasse, qua in deterius correptione tenditur, notare oportet. Hug. Vict.

13 Vix Adamus Conditoris sui gratiam per esum perdidit, cùm nuditatis suæ pudor commissi criminis conscientiam pupugit. Eo enim misericors Deus stimulo voluit monitum, si fortè expergesceret. Secus tamen accidit; ipso enim efficacissimæ medicinæ beneficio insanabiliter saucius est. Nam cùm veniisset Dominus, & vbinam consisteret emphaticè percontaretur; sic ei in faciem nuditatis suæ opprobrium petulantissimè conspuit. *Timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Genes. 3. 6. quasi apertiùs diceret: Quid me latuisse causaris, cùm culpæ tuæ sit me nudum, nec à te vsquam vestitum latebras amasse? Abscondi me, & meritò latêre ob pudorem malui. Proh hominis impudentiam! verecundiæ remedium, & conscientiæ stimulum in Dei dedecus, ac culpam inuertit, in tantum à pœnitentia, & emendatione prorupit. Cuius quidem petulantem prorsùs peruicaciam, & filiorum eius imitationem iure optimo reprehendit Rupertus lib. 3. comment. in Genes. cap. 14. dicens. *Non dixit: vocem tuam audiui in paradiso, & timui eo quòd præceptum tuum prauaricatus essem, sed timui, inquit, quòd nudus essem. Non ergo factum suum, sed facturam Dei in semetipso reprehendit. Perseuerat hac vsque hodie peruersitas in filiis Ada, vt aliqua pœna pro suis male factis afflicti, non quod ipsi fecerunt, sed semper accusent quod sibi à iudicibus suis factum sit.* Hæc ille. Quod hodie quoque, vt ait, non infrequenter nos ipsi committimus. Nam cùm Deus saluris nostræ, ac resipiscentiæ studiosissimus, infortuniis nos, cladibus, inopiáque, stimulet, vt reducat nos ex malorum inflictione, ex fortunarum iacturis, petulantibus quoque gemitibus conquerimur, & Dei interdum circa nos notamus prouidentiam, & nimiam districtionem; intento ab ipso scopo aberrantes, & inueterata contumacia perfistentes, remediis etiam in perniciem perperam conuertis. Genes. 3. 6. Rupert.

14 Quid verò Iudas? An à patriis institutis salubriter degeneravit? Minimè, quin potiùs extremæ huius peruicaciæ exemplum alterum extitit, non secundum. Sugillauit Mariæ Magdalenæ consilium, quæ vt Christi caput vngeret, nec precioßissimo vnguento, nec pixidi quoque

pepercit: sed *fracto alabastro effudit super caput*
Marc.14.3. *eius.* Marc.14.3. Notatur tamen eius animi affectus
Ioan.12.6. *Ioan.*12.6. quod balsami iacturam ex pecuniarum ingemuit cupiditate. Hanc Christus extemplò seruilissimam auaritiæ pestem compescere accinctus, mortis recordationem quod præstantissimum, ac mordacissimum est cupiditatis medicamentum, apposuit. *Sinite*, inquit, *illam vt in die sepulturæ meæ seruet illud.* Ioann.12.7. Addidit verò signanter, nec sine emphasi Textus: *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam:* Ecce in extremam hominis perniciem diuina vergit medicina, & remedio suffocatur, cuius incolumitas studiosius procurabatur. Tunc quippe ad peragendum proditionis facinus se se potiùs instigatum sensit, cùm & piæ peccatricis vidit officia, pietatem, religionem, & Christi monita, & sepulturæ mentionem excepit. Hoc enim mysterium
Chrys. habet illud *Tunc*, quod multis ponderat Chrys. hom. de Prædicatione Iudæ tom.3. *Primum*, inquit, *tempus inspiciendum est, nec enim illud inaniter Euangelista monstrauit, non enim simpliciter abiit, sed abiit & tunc. Tunc*, inquit, *abiit, &c. Quid igitur Tunc est. Ante proditionis tempus, ante traditionis horam accessit meretrix vas alabastrum manibus portans, & vnguentum Domini supra effudit caput, grandem fidem, multam reuerentiam, mirandam correptionem ostendit.* Hæc & alia ibi Chrysostomus.

15 Sed Iudæ consimiles, ac germanos connectamus, Scribas scilicet, & Pharisæos, & aliud *Tunc* non minùs emphaticum expendamus ad locum
Matt.22.15. *Matth.*22.15. Refertur ibi pessimum eorum consilium de IESV ad calumniam in sermone capiendo. *Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone.* Quòd si cuius faciat temporis, vocula *Tunc*, aut circumstantiæ relationis, velis discere, initium Capitis legito, & inuenies parabolam Regis, qui filio suo fecerat nuptias, sed conuiuis deficientibus, aliisque de media plebe bonis, & malis ad Regias epulas accitis, subintrans Rex hominem pannosum, nuptiali veste carentem, pedibus, ac manibus ligatum mitti iubet in tenebras exteriores, hoc est, in æternos Orci cruciatus. Tunc ergo obiecta ante oculos gehenna, & stricto Dei iudicio ad vium expresso, quod illi correctionis & melioris frugis propositum conceperint, putas? Signatur id in proximè sequentibus; iis enim auditis continuò ad conclauium conuolant, & de Christo per versutiam dolosè capiendo, & calumniando deliberant ac decernunt. Quorum meritò contumaciam, ac per-
Imperfect. uersitatem animaduertit Autor Imperfecti, homil.42. in Matth. his verbis. *Omnis malitia confunditur aliquoties ratione veritatis. Corrigitur autem nunquam; sic etenim Sacerdotes & abierunt, & consilium ceperunt, vt eum caperent in sermone.* Et concludit; huius farinæ homines arguere, nihil esse aliud, quàm ignem lignis ac pabulo suffocare conari, iis enim incenditur, flagratque eorum desperata malitia, quæ ad eorum terrorem,
S.Pacian. & correptionem sedulò adhibentur. Vnde S. Pacianus Barcinonens. Episcop. lib. de Patientia, fatetur quidem vereri se huius contumaciæ homines reprehendere, aut monitis informare, quos suspicaretur ex remediis ipsis morborum grauitatem aucturos. *Vnum*, inquit, *illud vereor, dilectissimi, ne solita contrarietatis aduersis inculcando quæ sunt, admoneam magis peccata, quam reprimam; meliusque fuerit Attici Salomonis exemplo, tacere de magnis sceleribus, quam cauere, eousque progressis Nostratum moribus, vt admonitos se existiment, cum vetantur.*

16 Hinc lucem, & intelligentiam accipit Sapientis consilium Prouerb.9.8. *Noli arguere derisorem.* Quem contra sonat doctrina Pauli: *Argue, obsecra, increpa.* 2. Timot.4.2. Sed minimè hæc sibi inuicem aduersantur, si perlegas Salomonis dogma: *Ne oderit te*, hoc est, dum tes cum illis agitur, quorum desperata est contumacia, parce consiliis, parce obiurgationibus; ex quibus id vnum expectari potest odium, & nouum ex eo crimen prioribus annectendum. De his Pacianus idem. *Exasperari sunt castigationis iniuria; indignati sunt, scilicet, mora suos ab aliquo posse reprehendi.* Quæ quidem omnia Philisthinorum proteruiæ, & contumaci obstinationi conueniunt.

Prou.9.8. 2.Timot.4. Pacian.

INSTITVTIO X.

Moralis.

Duriùs cum pertinacibus, quàm cum delinquentibus agitur.

1 TOt Palæstini plagarum verberibus castigati, minime tamen prius deferendum consilium rati, Arcam non ad suos remittendam, sed per vrbes, ac pagos circumagendam decreuêre. Tum tandem flagrat ardentiùs diuini furoris flamma; *illis* enim *circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magna nimis.* Neque enim interfectio, vt antea, leuior describitur, sed *magna nimis*, hoc est frequentissima, & atrocissima, qua diguos se prorsus peruicaci contumacia reddiderant. Sustinet interdum, & mitius insequitur diuina clementia hominum infirmitatem, obstinationem verò minime dissimulat, sed ardentissimè vindicat, vt in hominis, & Angeli delinquentium pœna conspicitur.

Ad illa verba. Fiebat manus Domini per singulas ciuitates. c.5. vers.9.

2 Ex Dei quidem consilio Iacob, vel etiam moribundus, filiorum Simeonis, & Leui furori maledixit. Genes.49.7. *Maledictus*, inquit, *furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* Non ait, quia furor, sed quia pertinax furor, non quia indignatio, sed quia dura, quæ nullis potuit medicamentis emolliri, & quia diabolicam malitiam præ se tulerunt: *Nam humanum est*, vt ait ibi Oleaster, *passionibus excitari, sed in iis pertinacem esse, extremum malum.* Quod quidem extremum, ac maximum malorum omnium malum sibi misero contigisse lamentatur Propheta dicens. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Psalm.37.6. quodque Iacob furorem vocat, ipse etiam insipientiam dicit. Est autem non leue insipientiæ genus, vix sanum vulnus, cùm iam cicatricem obduceret, ita per iterationem refricare, vt ad putredinem vsque recrudescat, quod vni furioso, vel insipientes pueri solent committere. Sic locum exponunt communiter Gregor. Innocent. Lombard. Incognitus, & alij. Ex quibus Gregorius lib.39. Moral. capit.39. ad illud Iob: *Si peccauí, & ad horam pepercisti.* capite decimo sic inquit. *Quid cicatrices, nisi sanationes sunt vulnerum?*

Gen.49.7. Oleaster. Psalm.37.6. Greg. Innocent. Lombard. Incognit. Gregor.

Laxatas

Laxatas ergo nequitias ad delectationem memoria redire conspexerat, qui cicatrices deflebat: cicatrices quippe computrescere, est sanata iam peccatorum vulnera rursus in tentationem serpere, atque ex eorum suggestionibus post superductam cutem pœnitentiæ, fœtorem culpæ iterum, dolorémque sentire. Sic Gregorius. Innocentius verò sic. *Quid insipientius peccatore, qui & cognouit facinus, & committit, præcipitans se scienter in mortem? Certè brutum animal si videt foueam, declinat ab ea, ne labatur in illa: & si forsitan alicubi difficultatem incurrit, non potest illinc sine necessitate reduci. Homo verò ab illecito semper illicitur, & in deliciis ingrediter delectatur.*

Innocent.

5 Sed quia insipientes impunes esse non licet, acriter solet Deus voluntariam eorum insipientiam coërcere, qui humanæ aliàs fragilitati morem gerit. Thomam suæ resurrectionis incredulum benignè Christus Dominus corripuit, dicens. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Ioann. 20. 27. Discipulos verò eiusdem incredulitatis reos seuerius increpuit, in ipso etiã ad cœlos ascensu, vbi vltimum daturus fuisset Vale. *Exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum, resurrexisse non crediderunt.* Marc. 16. 14. Nonne vtrique & Thomas, & alij Discipuli eiusdem piaculi consortes fuerant? Nonne ab aliquibus accepta Christi resurrectione, debitam fidem denegauerant? Quid ergo Thomæ parui incredulitas iterit, Apostolis verò permagni? Ex Textu quidem licet disparitatem, ac responsum colligere. Thomas enim semel incredulitatis crimine pollutus fuerat: Discipuli vero non semel, sed pluribus etiam testimoniis ita pertinaciter obstiterant, vt non solùm increduli, sed contumaces extiterint. *Exprobrauit*, inquit, *incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* Sic rem descutit, & soluit Oleaster Annot. Mor. 14. in Numer. his verbis. *In Euangelio inuenio Thomam non quidem acriter redarguitum, quod semel narrantibus credere noluerit: Exprobrasse autem illis cordis incredulitatem, quia illi, qui eum resurgentem viderant, non crediderunt.* Hæc ille.

Ioan. 20. 27.

Marc. 16. 14.

Oleast.

4 Mirabilis quidem & profunda illa Dei ratio est, qua vt ad duras Dauidi infligendas pœnas legitimè procedat, vetitur 2. *Reg.* 12. 10. Nam cùm in eius domo grassaturum perpetuò fore vltionis gladium fuisset comminatus, iustæ huius suæ indignationis, ac rigoris causas adnectens, nec adulterij piaculum assumit, nec proditorij scelus homicidij meminit, sed cum violata occisi mariti vxore connubium tandem miscet. *Quamobrem*, inquit, *non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ, vt esset vxor tua.* Quæ si attentè introspiciamus, meritò hærebimus. Neque enim iuxta omnium penè Interpretum sententiam, matrimonium cum Bethsabæa iam viduata malum vsquam, aut lege fuerat prohibitum, sed prorsus iis temporibus licitum ac ratum. Quid ergo inferendi acerbissimi supplicij res in causam vertitur non impia aut præscripto aliquo interdicta? Obseruarunt id planè Theodoretus ibi, quæst. 25. & assiduus eius assecla Procopius, congruámque ad rem nostram solutionem reddidêre. *Tacite significat oratio*, inquit Theodoretus, *quod Deus magis succensuit propter matrimonium, quàm ob prius admissum adulterium. Nam illud quidẽ erat vehementissimæ cupiditatis, quæ rationi torporem induxerat: Hoc autẽ habet etiam assensum rationis, quam post iniquam eadem oportebat lamentari ac lugere, non nefario assentiri matrimonio.* Hæc ille disertè. Dissimulauit quidem diuina, magnanimáque Iustitia, dum Dauid vehementis passionis facibus inflammatus, & quasi in furorem actus corruit in adulterium & homicidium: dum autem priora facinora mitigatis iam cupiditatis stimulis retractari ac deplorari oportuisset, protensa potius, & ad finem vsque prolata per execrabilem quandam contumaciam fuisse vidit: Tum demum diuinus incaluit furor, & in peruicacem potiùs, & impœnitentem, quàm in temerarium iuris violatorem irruit, nec qui infirmum peccantem tulerat, sustulit obstinatum.

2. Reg. 12. 10.

Theod. Procop.

5 Dutius vero cum impio Principe Absalone actum inuenies, quem Ioab tribus lanceis confodiendum fore existimauit. *Tulit tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon.* 2. Reg. 18. 14. Mirum hoc cuique videbitur, cùm Ioab in superioribus Absalonis amicissimus describatur. Illum enim in tantum dilexerat, vt argutum illud stratagema mulieris Thecuitis excogitauerit, quò filium fraterni sanguinis profusorem Dauidi patri reconciliaret. 2. *Reg.* 14. 1. Quod cùm tandem feliciter obtinuisset, & insignem ab eo pro mercede iniuriam accepisset, nempe quod ingrati iuuenis iussu hordeaceæ messes sibi incenderentur *ibidem vers.* 30. perstitit tamen constantissimè, nec de vindicta vsquam cogitauit; imò eius cum patre reconciliationem ad finem vsque perduxit. Ioab igitur tot amoris, & beneuolentiæ editis signis, animum suum in Absalonem sæpius contestatus, crudeli tamen, renuente quoque patre, vulnere confodit, & vitam adimit, cui seruauerat. Chrysost. in Psalm. 5. *Quod est*, inquit, *admirabilius, qui patrem ei reconciliauit, is ipsum interfecit, propemodum instans vehemens accusator.* Rationem mutati consilij, amorisque in odium versi, quis non videat? Priora enim male sani adolescentis crimina condonari oportebat, habita puerilis stultitiæ ratione, eius verò in patris offensionem peruicaciæ indulgeri sanum non erat; neque enim proteruam delinquentium impudentiam sustineri fas est, nec venia vllatenus eos censeri dignos, qui crimina criminibus implicantes, malitiosè, & à consilio delinquunt. Quos contra Rex Gothorum Theodoricus apud Cassiodor. 2. Variar. epist. 36. *Indignum*, inquit, *est, vt qui respuunt indulgentiam nostram, detectu postea suffragetur humanitas.*

2. Reg. 14. 1.

Chrysost.

Theodor. Cassiod.

6 Hinc tandem diuini iudicij deprehendes æquitatem in supplicio duplici, Moysis bis silicem virga percutientis, atque Ozæ Sacerdotis cadentem è plaustro Arcam Testamenti officiosè, vt credidit, manu continentis. *Num.* 20. 11. & 2. *Reg.* 6. 6. Leuia quidem hæc crimina fortitan censerentur, nisi recidiua, & iterata fuissent. Moysem enim semel verberato lapide, laticibus verò denegatis; subsistere, & pœnitere oportuisset, quod tamen minimè peregit, imò iterato ictu diuinam prouocauit iram: Oza verò, ruente Arca, errorem suum, & commissum crimen agnoscere, ac corripere debuerat, & suis potiùs humeris sacrum illud pondus excipere vt legis erat; perstitit tamen in proposito, nec impium deseruit consilium: Arcam iterato currui adaptat, & impio, quod crederat religiosum, officio, subitæ mortis pœnam incurrit: nec enim quæ priorè impietatè diuina dissimulauerat iustitia, posteriorè ac redintegratam impunem relinquendã existimauit. Sed de his satis, nam plura de peccatorum contumacia diximus Annotatione præcedenti.

Num. 20. 11. 2. Reg. 6. 6.

INSTI

INSTITVTIO XI.

Moralis.

Soli Deo honor, & gloria.

Ad illa verba. Et dabitis Deo Israel gloriã *cap.6.v.5.*

1 NOn immeritò diuino quidem afflatos spiritu Palæstinorum Sacerdotes nonnulli Interpretes suspicantur, qui prudentissimè, & piissime populum circa placandam læsi Numinis iram instruxerunt. Quorum in eo potissimum consilium stetit, vt per reuerentiam, & munerum oblationem Israelis Deo gloriam impertirentur. *Et dabitis*, inquiunt, *Deo Israel gloriam.* Quasi hoc esset & præsentium calamitatum præsentissimum remedium, & diuinæ vltionis impedimentum validissimum: nouerant enim diuinitus inspirati, quantum Deus sibi vbique debita gloria oblectaretur, quantum impertito ab hominibus honore capiatur: tum maxime, quod munus hoc non vltrò, non lubenter, sed ægre, ac repugnanter vel Deo ipsi homines deferunt. Cùm enim suæ quisque laudis, vt superbum, atque ambitiosum fert hominis ingenium, propriæque æstimationis, & gloriæ sit cupidissimus, inuitus eam à se ablegatam alteri concedit. Vnde merito Tullius 1. Officior. dixerit: *Vix inuenitur qui laboribus susceptis, periculisque aditu, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.* Et pro Archia Poëta. *Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque gloria ducitur. Ipsi illi Philosophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt, in quo prædicationem, & nobilitatem despiciunt, prædicari se & nominari volunt.* Hæc eleganter Tullius, cui consonat Bernardus serm. 13. in Cantic. *Magna*, ait, *& rara virtus est, vt magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam, te solùm latere sanctitatem: mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare. Hoc ergo ipsis virtutibus mirabilium iudico. Fidelis reuera famulus est, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te nihil tuis manibus adhærere contingat.*

Tullius.

Bernard.

2 Hanc autem naturæ repugnantiam diuinæ gratiæ virtus perdomat, quod Christus Dominus, & exemplo, & verbo hominibus persuadere seriò elaborauit. *Ego*, inquit, *non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet.* Ioann. 8. 50. Nouerat enim apprime patris sui ingenium, qui audierat. *Gloriam meam alteri non dabo.* Isaiæ 48. 11. Quam quidem doctrinam frequentissimè docuit, ac sæpius inculcauit. *Sint*, inquit, *lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.* Luc. 12. 35. In quibus dilucidè qualis gloriatio nostra esse debeat, nempe seruorum, expressit. Seruus enim qui hero suo face instructus noctu præit, non sibi sed Domino lumen parat, vnde facem in tergum vertit, nimirum: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matth. 5. 17. Non, inquit, vos glorificent, nec vestra vobis inseruiat gloriatio, sed cælesti Patri, cuius tota quidem gloria est. Hinc Angeli, qui nato Christo natalitium carmen concinebant. *Gloria*, inquiunt, *in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 1. 14. En æqua, aptáque bonorum partitio. Gloria Deo congruit; pacem homines sortiuntur. Quàm verò est iniquum, vt Angelica partitione contempta, & pacem nos, & gloriam quoque corripiamus? Quam iniquitatis, ac iniustitiæ censuram in eos Bernardus inpingit. Serm. suprà relato, qui laudis, & gloriæ studiosi eam ab ipso Domino diripere contendunt. *At verò*, inquit, *non bona, sed planè iniqua voluntatis est, qui nequaquam pace contentus, superbo oculo, & insatiabili corde inquietus anhelat ad gloriam Dei, nec pacem perinde retinens, nec gloriam apprehendens.* Hæc Bernardus. Neque ille solus, sed iuxta eiusdem expositionem Sanctus quoque Iob huius iniquitatis magnitudinem contestatus est. *Nec osculatus sum*, inquit, *manum meam ore meo, quæ est iniquitas apud Deum maxima.* Iob. 31. 27. Rogas verò quid manum sit ore proprio deosculari? Respondet ipse Bernard. sermon. 28. in Cantic. *Cùm donum Dei non Deo, sed meritis adscribitur actionum.* Et iterùm expressius Serm. 4. in eadem Cantic. *Si in te, & non magis in Domino gloriaris propriam profectò, & non Domini manum osculari cœperis, quod iuxta Beati Iobi sententiam est iniquitas maxima, & negatio in Deum.* Sibi ergo diuinam gloriam homunculum vsurpare & maxima est iniquitas, & impium quoddam apostasiæ genus, & *negatio in Deum*, vt loquitur Bernardus.

Ioan. 8. 50. Isai. 48. 11.

Luc. 12. 35.

Matt. 5. 17.

Luc. 1. 14.

Bernard.

Iob. 31. 27.

Bern.

3 Ob hoc vtique iniquitatis scelus crudeli olim plaga impius Herodes Rex percussus est ab Angelo, (qui totam Deo nascenti adscripserat gloriam) *Actor.* 12. 22. Nullam enim alteram ipsius inuenies culpam tanti supplicij dignam, hanc præter diuinæ gloriæ vsurpationem, seu negationem in Deum; cùm populum concionatus insanum ab eo plausum, & impiam acclamationem æquis auribus accepit, *Dei vocis, & non hominis.* Vix adulatoria hæc insonuit acclamatio: *confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit.* Ibidem vers. 23. Nec mirum iniquitatem maximam acerrimæ pœnæ obnoxiam extitisse; debuerat enim petulantem cohibere adulationem, & subditum sibi populum à tanto crimine cum stomacho, & emphasi compescere, quod vt prætermisit, supplicium non euasit, vt optimè annotauit Sanct. Isidor. Pelusiota epistol. 23. in lib. 4. in hæc verba. *Ais hoc propterea factum, quia ipse populum non reprehenderit; neque adulationem impiam, & insanam repudiarit, nam dum eam acceptauit, etiam ad maiorem ipsos impietatem assuefecit, atque erudiuit.* Hæc ille.

Actor. 12. 22.

Isidor. Pelusiot.

4 Secus quidem glorioſi Saulis milites præstiterunt, qui cùm Regis sui execrationem audiissent, ne scilicet ante consummatam victoriam cibum vsquam caperent, ita fame etiam stimulante, seipsos coercuerunt, vt fluens vndique mel nullus gustauerit; *nullus manum ad os applicuerit.* suprà cap. 14. 26. Quorum continentiam ad humilitatis studium reuocat Gregor. lib. 5. Variar. cap. 4. dicens. *Mel quidem fluit, quia dulcis fama Sanctorum dulciter, velociterque fluit; sed manus ad os nullus ducit, quia de opere bono dulcedinem laudis non accipit. Manum quidem cum melle ad os applicare, est laudem operis sui grataniter accipere. Decurrat ergo mel, & nemo ad os manum applicet, vt Sanctorum fama dulciter fluat, & ipsos, à quibus defluit, non extollat. Fluat, vt alios faciat, sed ne fumatur, ne mortem propinet.* In hunc modum Gregorius. Conclusio ergo sit, quam Apostolus suadet dicens: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* 1. Cor. 1. 31. Et Domi-

1. Reg. 14. 26.

Greg.

1 Cor. 1. 31.

nus

nus per Ieremiam: *Ne glorietur sapiens in sapientia sua: & ne glorietur fortis in fortitudine sua: & non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, servire, & nosse me.* Ierem. 9. 23. Ier. 9. 23. Ratio autem idipsum validissimè suadet, nam cùm sapientia, decor, fortitudo, opulentia, & quoduis aliud donum optimum deorsùm sit descendens à Patre luminum, ineptissimè de alieno gloriabimur. Vnde Ambrosius eleganter Epist. 84. in lib. 10. *Dignè est*, inquit, *vt imago Dei Deo splendeat, & inde pulchra, inde sit compta, dicens*: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine; *alioquin adultera est, & à divino alienа coniugio, si alterius cuiusquam decorem in speculo suis cordis ostentat, aut vltis aliis monilibus acquiescit ornari, nisi illis, quæ de thesauris Sponsi per Sancti Spiritus pignus accepit.* Ambro.

5 Inter eos autem, qui diuinæ gloriæ se se studiosissimos præstiterunt, vnus est præcursor Domini Ioannes Baptista, quam vt in omnibus adstrueret, propriam abdicauit, ac longissimè abiecit; & à tua æstimatione alienus vnius Christi exaltationem ambiebat. *Oportet illum crescere, me autem minui.* Ioan. 3. 30. Ioan. 3. 30. Nam non solum Christum exaltari amabat, sed se ad nihilum vsque reduci, vt tanto plus illius elucesceret gloria, quanto sua obscurari videretur. Hunc animum ac institutum ita in finem vsque perduxit, vt in morte ipsa capite truncus minueretur: Christus verò in crucem exaltatus moriens, etiam exercuerit, iuxta illud eiusdem Domini testimonium: *Oportet exaltari filium hominis.* Ioan. 12. 34. Ioan. 12. 34. Vtrumque mirificè annotauit Augustinus. *Factum est Ioanni, quod ipse prædixerat*: Illum oportet crescere, me autem minui: *Iste minutus est capite: ille creuit in cruce.* Hęc eadem extitit ratio, cur Ioannes inter natos mulierum maximus, nullum vnquam miraculum patrauerit, & cum vmbra tantum Petri infirmos quosque in plateis expositos à quocumque langore liberaret; Ioannis manus nullum vnquam aut ægrum, aut quouis membro captum sanasse perhibetur. Ratio igitur ea fuit, vt ad Christum Dominum mirabilium quorumcumque patratorem turbæ plausum colligeret, sibi verò nihil vendicaret. Sic saltem rem meditatus est Chrysostom. Hom. 14. in Matt. tom. 2. dicens: *Idcirco nec aliquod signum fecit Ioannes, vt ex hoc quoque multitudinem traderet Christo, quæ ad eum signorum admiratione confluerent.* Amicus, videlicet, Sponsi fidelissimus, non suam, sed sui Domini gloriam auebat. Chrysost.

6 Fidelis quoque erga Regem suum quondam extitit Ioab militaris Imperator. Nam cùm vrbem Aquarum quã diu obsederat, iam iã capturus videretur, Dauidem per litteras, ac nuntium accitum ad castra, rationem aptissimam ac fidelitate plenam subiicit: *Ne*, inquit, *cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* 2. Reg. 12. 28. 2. Reg. 12. 28. Intantum Principis sui gloriam cunctis gentibus coruscare cupiebat. Nec Dauid tamen fidelissimi serui fidem, ac modestiam immunem esse permisit, sed ex æquo respondit. Nam cùm illustrem victoriam de Syris aliquando reportasset, vt habetur 2. *Reg.* 8. 13. 2. Reg. 8. 13. eandem duci suo Ioab publicè adscripsit. *Fecit sibi Dauid nomen, cùm reverteretur captâ Syriâ in valle Salinarum cæsis decem & octo millibus.* Cæciderat ergo Syriam Dauid ipse, & sibi nomen fecerat, nihilominùs tamen victoriam Ioab tribuendam suasit in titulo Psalmi 59. his verbis. *Conteritit Ioab, & percussit Idumæam in valle Salinarum.* In hunc modum vterque mutuis officiis contendebat. Et fidus miles Regis sui ambiebat gloriam: Rex verò Ducis laudem prædicabat. quid, quod profanus etiam, & ab humilitatis gloria alienus, huiusmodi modestiæ specimen præ se tulerit: Nam de Agricola strenuo quidem Duce sic in eius vita scribit Tacitus. *Nec Agricola vnquam in suam famam gestis exultauit. Ad auctorem, & Ducem, vt minister, fortunam referebat; ita virtute in exequendo, verecundia in prædicando, extra inuidiam, nec extra gloriam erat.* Tacitus.

7 Vnicuique igitur suum iuxta Apostoli documentum reteramus. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Rom. 13. 7. Rom. 13. 7. & iuxta ipsius Domini partitionem: *Quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei, Deo.* Matt. 22. 21. & totius Matt. 22. 21. laudis, & gloriæ debitum Domino sacrificium cum illo offeramus, qui dixerat: *Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Psalm. 115. 17. Psa. 115. 17. Quæ enim est hostia laudis, nisi propriæ gloriæ, & laudis oblatio? Sic enim accipit Bernardus in illud Bernard. Apostoli: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* 2. Cor. 1. 12. 2. Cor. 1. 12. *Omnis ergo*, ait Bernardus, *de bonis nostris referatur ad Deum laus, idque non fictè, et ab Hypocrisi; nec sola consuetudine, vt à seculi habitu; sed nec quadam necessitate, vt iumenta ferendis oneribus applicantur: sed sicut decet Sanctos, sinceritate fida, deuotione sollicita, hilaritate grata, sed non dissoluta. Immolantes itaque hostiam laudis, & reddentes Altissimo vota nostra, de die in diem curemus omni vigilantia augere feruorem affectus, &c.*

8 Hoc quidem exactissimè præstitit Sanctissimus Patriarcha Noster Ignatius, cuius hodie festum celebramus, ab eius enim ore aurea illa sententia nunquam excidebat, cùm semper efflueret, *Ad maiorem gloriam Dei*, cui alludens felicis memoriæ Gregorius XV. in eius canonizatione pro Greg. XV. Oratione cecinit: *Deus, qui glorificantes te glorificas*: Is, inquam, ita diuinæ gloriæ studiosissimè addictus erat, vt hostiam illi laudis offerens, religiosæ familiæ, quam erexit, nusquam nomen suum, sed dulcissimum IESV nomen indendum decreuerit; Societatem Iesu, non Ignatij dixit; vt nomen Domini inuocaret. Simili in eo vsus est consilio, ac modestia, qua Apostolus, & Euangelista Ioannes: is enim cum Apocalypsim scribere aggrederetur, non eam suo, sed IESV CHRISTI nomine appellauit. *Apocalypsis*, inquit, *Iesu Christi.* Apocalyp. 1. 1. Quod idem ob- Apoc. 1. 1. seruauit in Epistolis, seriorum nomine suppressso. Petrus, Paulus, Iacobus, & Iudas Epistolas suas suis nominibus prænotarunt, & quidem laudabiliter: vnus Ioannes suis tribus nomen suum minime præfixit, quod notauit Eusebius lib. 3. Euseb. Demonstrat. Euangelicar. cap. 7. dicens. *In suis Epistolis nec meminit quidem suæ appellationis, ac seniorem se nominauit; nusquam vero Apostolum, aut Euangelistam.* Quod etiam in vetustis illis Philosophis, qui libellos de contemnenda gloria scripserunt, desiderauit Tullius, vt suprà vi- Tullius. dimus; suo enim quisque nomine prænotauit, & in quo prædicationem, & nobilitatem despiciebant, *prædicari se, & nominari volebant.* Secus verò Ioannes, aliter quoque Ignatius, qui IESV nomen indidit familiæ suæ, ne sibi diuinæ laudis, & gloriæ, vel particulam vsurpare videretur.

INSTITVTIO XII.

Moralis.

Vitæ huius calamitates, & supplicia quasi nugæ sunt, & ioci Dei.

Ad illa verba: Nonne postquam percussus est *c.6.v.6.*

1 AD hanc nos institutionem vocant Septuaginta, qui in Bibliis Sixtianis pro illis Vulgatæ verbis: *Nonne postquam percussus est*: sic habent: *Nonne quando illusit eis, dimiserunt eos*: Fit autem, vt notum est, plagarum illarum mentio quibus Ægyptum, eiúsque Regem Pharaonem Deus Moysis ministerio flagellauit *Exod.7. & sequentibus*. Quæ tamen illusio, & quasi Dei ludus describuntur. Papæ! Durissimas quidem plagas, ranarum, muscarum, ac cyniphum infestationem, aquas in sanguinem conuersas, iugulatos vbique primogenitos, & sexcenta alia diuini furoris argumenta, iocos potius, vel lusus appellant! Nec hoc semel, sed vbi illa acciderunt, eodem quoque nomine annotantur. Nam cùm Deus ne tanta, temporum decursu, ex hominum memoria prodigia excideremt, vt filiis, ac nepotibus ea quasi per manus traderent, tulisset, his in eo præcepto verbis est vsus. *Ingredere ad Pharaonem: ego enim indurabo cor eius, & seruorum illius: vt faciam signa mea hæc in eo, & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios.* Exod.10.1. Exterma autem verba sic ex Hebræo legit Caietanus: *Quoties illusi in Ægypto.* Tot nimirum atrocia supplicia, & grauissimas plagas; illusiones, seu lusus Domini appellat; vel etiã, vt in præsenti legit idem Caietanus, *irrisiones. Postquam irrisit in eis.* Quasi Deus per eas cum Ægyptiis luserit, irriserit, & iocatus fuerit. Nec immeritò, vitæ enim huius atroces etiã calamitates, quibus in bonum corripimur, non dura supplicia, sed ioci potius, & nugæ illi tunc optimo apparebunt, qui æterna vitæ alterius, & horribilia tormenta æqua trutina ponderauerit. Quid etenim fames, quid pestes, quid bella, quid morbi, quid mortes ipsæ momenti habent, si cum sempiterna morte, si cum desperatione, & gehenna conferantur? Illa illa æstimatione ac timore sunt digna, quæ sempiternã sunt: alia quæque pro nihilo, ac ludribrio habenda.

Exod.10.1. Caietan.

2 Neque inficiatur hoc Barbarus ipse Ægyptius, nec superstitiosus Magus, qui cùm plagarum acerbitatem & viderint, & experti quoque fuerint, exclamant tandem: *Digitus Dei est hic.* Exod.8.19. Non inquiunt: Manus Dei est hic, non dextera, non pectus, ac tota virtus, non validi lacerti, sed digitus. Quasi dixerint: Atroces quidem fuerunt plagæ, quas tulimus, graues cruciatus, acris Domini vindicta; verum si cum aliis, quæ inferre adhuc potest, componantur, leuia ac nullius momenti reputabimus, & quæ non ab omnipotenti dextera ortum habeant, sed digiti tantum vnius opera conficiantur. Sic Philo Hebræus eorum interpretatur confessionem. *Nam manus*, inquit, *nec à tota quidem terra, quanta quanta est, sustineri posset.* Cui quoque alludere videtur Paulus dicens: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Hebræor.10. 31. Dum enim viuimus, dum de resipiscentia nostra, & correctione sperari adhuc potest, licet ingentes, ac duras subeamus pœnas, quasi in Dei digitos videmur incidisse: dum verò lethifera fertur sententia, dum ad gehennam deportamur, tum demum in manus Dei incidimus, quod, teste Apostolo, horrendum quidem est.

Exod.8.19.

Philo. Hebræus.

Hebr 10.31.

3 Vtrumque diuinæ punitionis genus distinit Psalmista præcinens: *Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur.* Et continuo: *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & pre timore tuo iram tuam dinumerare?* Psalm.89.10. Superuenit quidem mansuetudo, cùm *apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei* Titi.3.4. ex qua præsentis vitæ ærumnis, & calamitatibus tanquam laneo, seu bombycino flagello benignè corripimur. Ast mortali vita transacta non ita mitiùs cum impijs agetur. *Quis* enim tunc *nouit potestatem iræ tuæ, & pre timore tuo iram tuam dinumerare*? Ita enim æternæ damnationis nusquam humani, vel etiam angelici intellectus capacitate teneri, aut peniari potest. *Mansuetudinem superuenientem*, ait Basilius, *supplicium huius vitæ vocauit.* Protulius vero Iansenius in Paraphrasi declarauit. *Venit*, inquit, *super nos mansuetudo castigationis, eaque à te corripimur pro delictis nostris, vt hac correptione præsentis erudiamur ad intelligendum; & fugiendum venturam tuam in nouissimo seculo iram. Quis enim hominum ex se nouit vim iræ tuæ, quæ ventura est super impios in futuro seculo*: Addit quoque ad nostram rem præsentissimè Dauid. *Dexteram tuam sic notam fac.* Hoc est his temporalibus supplicijs, quæ digitorum tuorum potentiam exprimunt, fac notam, tanquam ex signo, & quasi ex vngue dexteram tuam, quam totam in castigationem reproborum impendes, non iam digitis vsus, sed præpotenti dextera. Fauet huic expositioni Iansenius ipse, sic paraphrasticè elucidans. *Proinde tu Domine temporali hac castigatione notam fac nobis potentiam iræ tuæ futuræ.*

Pſa.89.10. Titi.3.4. Basil. Iansen.

4 Concinit prædictis rursùs Paulus ad Hebræos 12.6. *Flagellat*, inquit, *Deus omnem filium, quem recipit.* Pro quo in Hebræo est: *Quasi pater in filio complacet sibi.* Et sic quoque habetur Prou.3. 12. cui loco Paulus alluſit. Solet enim pater in filium sibi charissimum interdum flagellis animaduertere, non ira, aut indignatione percitus; sed amore, & beneuolentia ductus, dumque filiolum flagellat, ipse lætatur: ingemit puellus, & subridet pater, plorat castigatus, & castigator verbis, & nugis iocatur. In hunc igitur modum suos Deus in hac vita ærumnis, & calamitatibus verberat; dum verò paternum hoc officium exequitur, in filio complacet, ac subridet, in quem sensum prædictæ Ægyptiorum plagæ vocantur Dei irrisiones. Secus verò in altero agetur seculo, vbi iam Dominus non filios, sed sibi exosa mancipia, furore, & indignatione correptus in sempiternum verberabit.

Hebr.12.6.

5 Hoc vtique pio benignoque flagelli genere vsurum se erga delinquentes Dauidis filios ac posteros promittit Deus 2.*Reg.*7.14. dum sic alterit. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorũ hominũ.* Ecce se & patrem repromittit, & tamen virgam & plagas non tacet. Quod si quæras quid per virgam virorum, & plagas filiorum hominum intelligendum veniat, respondet Hieronymus, vel potius Autor Tradit. Hebraic. in prætatum locum tom.1. hostilem gladiũ & corporales ærumnas, fames, pestes, & calamitates subintelligi debere. *Virgam*, inquit, *virorũ gladiũ*

2.Reg.7.14. Hieron.

vocat

vocat inimicorum? Plagæ verò filiorum hominum sunt incommoditates corporum humanorum, quibus pro peccatis suis à Domino meritò homines flagellantur. O durum, inquis, patrem! qui hostile in filium ferrum euaginat. Proh immitem genitorem! qui morbos, inopiam, atque ærumnas genito infligendas à se iactat. Hæccine parentis sunt? An potiùs tyrannum decent? Audi tamen, vt sapias, quæ inferius immediate subnectit. *Misericordiam autem meam non auferã ab eo.* En quæ crudelia, & immania credidisti misericordiæ, & quidem diuinæ, & singularis partus existunt. Illa illa tantummodo dura sunt, ac terribilia, quæ æternam continent damnationem. Illa sapiunt iram; quæuis alia clementiam.

6 Eam igitur vtriusque castigationis æstimationem nos facere oportet; quam ipse infallibilis, & æquissimus rerum æstimator fecisse cognoscimus. Hæc verò mirificè relucet in peccato, & pœna Dauidis ex prohibita numeratione populi, quod propter æterni supplicij reus & obnoxius extiterat. Pœnituit tandem feliciter, & auream illam sententiam confessionis protulit, ob quam & delicti, & pœnæ, cuius reus fuerat, absolutionem obtinuit. *Percussit autem cor suum Dauid, postquam numeratus est populus, & dixit Dauid ad Dominum: Peccani valde in hoc facto: Sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè feci nimis.* 2. Reg. 24. 10. Verùm, cùm de impetrata venia, quasi securus quiesceret, adest Gad Propheta, qui dura nimis annuncier. Malit ne septem annorum fame populum premi, an per tres menses victricibus hostium armis deuictum se, profugúmque agitari: an denique trium dierum lethali peste regnum verberari? Cúmque post anxiam perplexitatem extremum hoc pestis malum prælegisset, grassari morbus cœpit, eóque breui percrebuit, vt intra constitutum terminum septuaginta millia hominum contagium absorbuerit. *Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo, à Dan vsque ad Bersabee, septuaginta millia virorum.* Ibidem vers. 15. Oritur hinc non mediocris difficultas. Nam vel Dauidis delictum condonatum fuerat, vel non? Si posterius hoc dixeris, seuerius vel iniquius de Dauidis pœnitentia iudicium efformas, quæ vera, & salutaris ab omnibus fuisse existimatur. Si prius verò, nimirùm Dauidis crimen pœnitentiæ beneficio fuisse remissum: quorsum tot in eius pœnam strages? tot acerba supplicia? Forum, penetralia, vrbes, campi, cadaueribus aggeribus cumulata? Tabe, ac cruore manantia compita? Cœlum duris clamoribus verberatum? Vbique luctus, gemitus vndecumque? miserrima vbique oculorum spectacula, animorum deliquia?

7 Hæc, aliáque id genus remisso iam ac condonato pœnitentis sceleri minimè videntur conuenire. Sed facilis solutio iuxta nostrum institutum est, videlicet strages istas, & miserrimas Dauidici populi calamitates, ita pro nihilo à diuino Iudice æstimari præ sempiterna pœna, cuius Dauid reus erat, & condonata iam fuerat, vt illarum nulla sit habenda ratio, & quasi nunquam accidissent, reputanda fore. Quemadmodum enim aquæ stilla, si toto conferatur Oceano, nihil dicitur; ita quæuis, etiam acerbissima vitæ huius incommoda, & calamitates, gehennæ collata, pro nihilo habenda censentur. Dira igitur pestis, & atrocia tot hominum funera, & cruenta pernicies, ità minima fuit pro æterna morte repensatio, vt nulla eius ducatur ratio.

7 Sed quia stillæ memini, quàm apta sit comparatio, suggerit nobis Deus ipse ad Ezechielem locutus, quem cùm horribiles in populum minas fulminare iusserit, sic ait. *Stilla ad Africum, & Prophetа ad saltum agri meridiani. Et dices: Ecce ego succendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum: non extinguetur flamma succensionis.* Ezech. 20. 46. Flammas vo- Ezech. 20. 46.
races, quæ cuncta depopulentur, minatur Dominus, quas tamen stillam furoris sui vocat; etenim quidquid in præsenti vita terrorem incutit, quod ignis crudelitate, & actiuitate significatur, guttula quædam est alterius vitæ subeundis malis comparata. Sic accipit diuinam comminationem hanc Hugo Charensis, inquiens. *Signanter dicitur stilla, quasi dicat: Quodquid ostenderis, & dixeris ipsi, non est nisi modica stilla comminationis meæ respectu eius, quod faciam.* Prestius Hieronymus. *Si tanta, inquit, est stilla, quid de totis imbribus existimas?* Guttula igitur diuinæ indignationis fuit tota mortalium clades per diluuium: stilla Dominici furoris tota Sodomorum subuersio. Gutea quoque innumerabilium vrbium, ac gentium, vel terræ motibus, vel maris inundatione depopulatio. Imber verò & quasi pelagus eiusdem iræ erit, cùm reprobos barathri absorbet hiatus, cùm impij in sempiternum à diuinis arcebuntur aspectibus. Charens. Hieron.

8 Orauit aliquando ad Patrem Christus Dominus pro Discipulis, vt refert Ioannes in hæc verba: *Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Ioann. 17. 15. Quod autem hoc malum sit, non exprimit. Forte de vitæ morralis pressuris, & calamitatibus locutum dicas; de tribulationibus, odiis, insidiis, ac persecutionibus, quæ ab infidelibus in Euangelij prædicatione ad necem vsque capitibus eorum imminebant. Sed falleris; neque enim hæc mala sunt, vt probat Chrysostomus, neque ab iis Pater Apostolos vnquam fecit immunes; agit potiùs de malo, quod verè & absolutè malum est, nempe æterna damnatione, quam per culpam, & finalem impœnitentiam possent incurrere, cuius comparatione mala quoque acerbissima delitiæ iure optimo reputantur. Sic saltem interpretatus Caietanus est in præsenti, dicens. *Non dicit, vt serues eos a tribulationibus, ab odiis, à persecutionibus, sed à malo, hoc est, vt seruus eos, ne aliquid proueniat eis in malum, quod est æternæ separationis à Deo.* Hoc vtique malum est titulo præ cunctis dignum, cætera lusus ac irrisio Dei. Ioan. 17. 15. Caiet.

9 Nouit hoc tandem fatuus adolescens Absalon iamiam ad interitum propinquus, atque hostium ferro miserè expositus. Pendebat infelix parricida comâ suspensus, suarum acierum stragem, & fugam viderat, instare victores, præsentissimam sibi mortem imminere; hæret tamen, nec manibus capillos explicare curat, nec ense saltem rescindere, vt expeditus fuga, vel latebris incolumitati consuleret. Quid moraris omnium vecordium iuuenum perditissime? Agedum, saluti tuæ prouide, fuge Ioab, ac militum eius spicula, præcipita moras omnes, vrget iam cruentum hostis ferrum. Sed surdo narratur fabula. Obriget stupidus, nec salubribus acquiescit monitis. Quid cautæ? Respondet Rabbi Salomon apud Abul. quæst. 12. *Quod Absalon pendens voluit sibi amputare capillos, vt cadens fugeret, sed vidit sub se apertam gehennam, & ne caderet in abyssos, voluit potius pendere in arbore.* Quod si verum est, iuuenis constitũ minime improbare oportet, præuiso enim malorũ omnium extremo, æterna nẽpe calamitate, & gehenna, perpetuũ potius debuit eligere suspendium, & pectus iaculis exponere, quæ dura Rabbi Salomon. Abul.

quamuis essent, mitissima tamen effecerat imminentis, maximique malorum omnium timor, auerni horror, fletus, ac stridor dentium, quibus vel atrocia vulnera, vel funera comparata rosarum instar, ac florum delicias amplecteretur.

10 Ex dictis tandem solutio colligitur facilis, & aptissima, difficilis, ac vetustissimæ quæstionis, quam excitauit aduersùs Deum Ieremias: Cur scilicet impiorum via prosperetur; bonis interdum affluant, nec vllas impietatis suæ pœnas subeant, cùm ex aduerso gemat oppressa innocentia, & immeritas pati cogatur iniurias? *Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum, verumtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? benè est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt; proficiunt, &* Ierem.12.1. *faciunt fructum.* Ierem.12.1. Hæc ille, quibus continuò satisfacit ex ea, quam tractamus, doctrina. *Congrega eos, quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.* Cùm enim reprobos Deus ad æternam orebi mortem deputatos habeat, inanibus interea vitæ huius felicitatibus perfrui nec prohibet nec recusat. Pios verò, quos æterna, ac vera manet beatitudo, laboribus interdum, & calamitatibus obruere non piget: vt iis castigati ac sollicitiores redditi, ad coronam conuolent æter-
Hieron. næ felicitatis. Audi Hieron. epist. 13. ad Castrutium tom.1. *Magna*, inquit, *ira est, quando peccantibus non irascitur Deus. Vnde & in Ezechiele ad Ierusalem*, Iam, *inquit*, non irascar tibi: zelus meus recessit à te, quem enim diligit meus, corripit; & castigat omnem filium, quem recipit. *Non erudit pater nisi quem amat, non corrigit Magister discipulum, nisi eum, quem ardentioris cernit ingenij: Medicus, si cessauerit curare, desperat.* Hucusque
Nazianz. Hieronymus. Audi Gregorium quoque Nazianz. orat. in Plag. Grand. *Paterna benevolentia argumentum est obiurgatio, contrà verò omnis anima, qua admonitionis est expers, incurabilis manet.* Concinit prædictis Origen. homil. 8. in Exod. sic eleganOrigen. ter fatus. *Vis audire indignantis Dei terribilem vocem? Audi quod dicit per Prophetam:* Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ, &
Ose. 4.14. super sponsas vestras, cùm adulterauerint. Osee 4. 14. *Hoc est terribile, hoc est extremum, cùm iam non corripimur pro peccatis; cùm iam non corrigimur delinquentes.* In hunc modum Origenes.

11 Doctrinæ ab his Doctoribus piè ac eleganter
3 Reg.c.13. traditæ mirificum exemplar inuenitur in 3. *Reg. cap.* 13. duorum Prophetarum, quorum vnus, quem Iosephus Iadonem vocat, cùm ex Ieroboamo reprehendendo domum suam versùs, ieiunus reuertetur, quod sic à Deo in mandatis accepisset, à Propheta latero, vel potiùs Pseudopropheta deceptus, iniunctum ieiunium infregit. Inde post ecas discedens à leone in via occisus est. *Cùque comedisset, & bibisset, strauit asinum suum Propheta, quem reduxerat: Qui cùm abiisset, inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere.* Vers. 23. Hunc quidem infaustum, & miserabilem exitum pius aliàs Propheta sortitus est; verum cùm falsus ille Vates, ac deceptor grauiori se crimine obstrinxisset, nihil illi aduersum obtigisse legimus, sed quietum in suis remansisse. An diuinæ iustitiæ æquitas vertetur in dubium, quæ innocentiorem damnauit, nocentem autem videtur dimisisse? Mi-
Carthus. nimè gentium; nam vt benè annotauit Carthusianus ibi art. 21. *Conflat ex isto qualiter Deus suos electos in præsenti castigat: reprobos verò æterna damnationi reseruat.* Minimis ergo vitæ præsentis æ-

tumnis iusti ad tempus leuiter castigantur, improbi verò immunes dimittuntur, quos pœna expectat æterna, quæ vna æstimatione, ac timore digna est.

12 Denique vt vitæ præsentis & futuræ castigationis differentiam agnoscamus, vnus pro mille sufficit locus Isaiæ cap. 42. 14. vbi. *Tacui semper*, ait supremus Iudex, *silui, patiens fui: quasi parturiens loquar.* Vbi de vtriusque sæculi supplicijs eloquitur, & circa priora tacuisse se testatur vitijs peccatorum sceleribus, siluisse, fuisse patientem; cùm tandem ad extremum diem ventum sit, tunc parturientis in morem, præ doloris acerbitate clamaturum. Sed percontari Dominum licet, vbinam tacuerit? vbi se exhibuerit patientem? cuius non solùm comminatoriæ voces, sed asperrima facinora ingentes vbique pepererint strages; cuius enim imperio Sodomorum vrbes conflagrarunt, cuius nutu tota Ægyptus mari rubro hausta est, cuius præcepto, pro alienis culpis Agnus innocens, ac coæternus Filius in crucem actus est? Cuius denique dispositione, & vindicta innumeras hominum genus plagas perpessum est? Proh Deum immortalem! tot acerba supplicia, tot strages, & innumeræ calamitates silentij potiùs, ac diuinæ patientiæ effectus appellantur. Quid igitur, cùm tandem sicut parturiens loquatur? Horret animus, deficit humana mens, hæret mortalis spiritus.

INSTITVTIO XIII.

Moralis.

Intensior pro Deo labor maior est quies.

1 PAradoxum fortasse præfixum à nobis institutum reputabitur; nam & naturali motui contrarium, & rationi parum consentaneum apparet. Agentia quidem naturalia quò feruentiùs in effectus suos properant; quò magis laborant; eò amplius fatigantur, & virtutis nativæ deliquium patiuntur; fructuosissimæ quæque arbores, vt affirmat Plinius, breuiùs vigent, & quo feraciores, eò breuiùs marcescunt; equus lulis habenis, ac concito gradu currens citiùs deficit, quàm si lento feratur cursu. Vnde probatum cunctis emanauit proloquium: *Festina lentè.* Sic enim & breuius, & securius ad intentum scopum peruenitur. Cæterùm, cùm vera hæc sint in naturalibus, vbi vigoris ac virium sphæra limitata est, in supernaturalibus, & spiritualibus secus est, in quibus cùm facultas & potentia, quæ prorsus diuina sunt, nullis terminis circumscribantur, eò securius, & quietius agitur, quò feruentius, quò instantius; & tunc maximè roboratur animus, cùm eius vires exercentur, & ad Deum propiùs acceditur. Vnde fit, & quotidiano experimento comprobatur, vt qui viam mandatorum Domini segniter, tepidè, vel frigidè gradiuntur, grauius laborent, quàm ij, qui sancti Spiritus feruore correpti, ardenti studio, totisque conatibus effusi percurrunt.

Ad illa verba: Et requieuit omnis domus Israel *c.7. vers.2.*

Plin.

2 Asserti huius nobilis Autor extitit Isaias Propheta, qui cùm & ambulantis, & currentis vias, vitæ studia, & conditiones distingueret, hanc vtrique promissionem fecit. *Qui sperant*, inquit, *in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas sicut aquila, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Isaiæ 40. 31. Duo quidem allerit: primum in Domino sperantes mutaturos esse
Isai.40.31. fortitu

fortitudinem, nempe pro naturali facultate, ac vigore spiritualem virtutem accepturos, quæ alterius prorsùs naturæ est. Secundum, eos qui ambulant diuinorum mandatorum viâs, non vtcumque defecturos: eos verò, qui eas non oscitanter, sed impigrè percurrunt, non solùm non pallituros esse deliquium, sed nec laboré vllum, aut defatigationé subituros, *current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Contrarium quidem suadebant naturæ leges, ij enim qui lente agũt, longius quidem absunt à deliquio, hi verò qui intentiùs properant, & labori & deliquio proximiores sunt. Recedant tamen naturæ leges, vbi gratiæ facultas adest. *Current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*; quasi dicat, si pedetentim, & lentiori gradu per vias Domini incesseris, laborabis quidem, licet ex diuina indulgentia non omninò cades animo, nec labori succumbes; sin verò ardenter, & toto spiritu in vias te spirituales dederis, tantum à deliquij periculo aberis, vt nec laborem sentias vllum, sed pacatè in ipso feruore degas ab omni fatigatione immunis. Confirmat prædicta Gregorius lib. 9. Moral. Gregor. 16. sic præfatum locum explicans. *Hanc*, inquit, *infirmorum constantiam Propheta intuens ait*: Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, &c. *Mutant quidem fortitudinem, quia fortes esse student spirituali opere, qui dudum fuerant fortes in carne; assumunt autem pennas, vt aquilæ, quia contemplando volant. Currunt, & non laborant, quia velocitatem magna celeritate prædicant.* Hæc ille: expressius tamen ad instituti nostri rationem exposuit Cornelius noster in Comment. sic latus: *Plus videtur hic promittis currentibus, quam ambulantibus in via virtutis: plus enim est non laborare, ideſt non sentire laborem, quàm non fatigari, & ex fatigatione non deficere. Currentes enim sunt feruidi, qui præ feruore cursus laborem non sentiunt, quia eum amant, & ambiunt. Vbi enim est amor, ibi non* Bernard. *est labor, sed sapor* ait Sanctus Bernardus. *Ambulantes sunt minus feruidi, qui proinde in operibus virtutum laborem sentiunt, sed superant. Curre ergo in stadio virtutis, & magis proficies in ea, magisque merebere, & minus laboris senties.* Huius autem pacatæ quietis rationem subdit: nam cùm omnis molestia in via virtutis, & honestatis ex Dæmonis opera, vel mundi illecebris, vel carnis titillationibus proueniat, hæ pestes muscarum instar abigun-
Eccl. 31. 27. tur spiritus feruore; ex quo monet Ecclesiast. 31. 27. *In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurrat tibi.* Sed præfatam muscarum
Pemen. comparationem adaptat Pemenius Abbas in Vitis PP. lib. 7. cap. 29. satis eleganter. *Sicut*, inquit, *ad succensam ollam musca non appropinquant; si verò tepida fuerit, incidunt in eam, & faciunt vermes: sic & monachum succensum igne diuini spiritus Dæmona fugiunt, tepidum verò eludunt, & insequuntur.* Hæc ille. Ex quibus satis corroborata sententia manet, feruidos virtutis cultores minimè laborare, & quò velocius properant, eò quietiùs, ac pacatiùs degere.

3 Hoc quidem est quod in præsenti docemur, & præsentis loci, qui institutioni nostræ locum fecit, species sufficienter confirmaret, si alia quæque desuissent. *Et requieuit*, inquit, *omnis Israel post Dominum.* In Hebræo, vt affirmat Abulensis q. 23. sic
Abul. est: *Et festinauit omnis domus Israel post Dominum.* Acrior adhuc est Vatabli lectio, videlicet:
Vatab. *Post Dominum vniuersa domus Israel anhela fuit.* sumptâ quidem metaphorâ ab eo, qui toto spiritu fugientem aliquem insequitur, vt leporem, aut ceruum venatici canes, iuxta illud magni Poëtæ 12. Æneid.

——at viuidus vmber Virgil.
Hæret hians, tamen quem tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsúque elusus inanis est.

Harum verò phrasium significationes, quammaxime opponuntur. Quid enim à quiete alienius, quam festinare, persequi, instare, anhelare, quæ omnia omnimodæ inquietudinis signa sunt: Sensus tamen, & litteralis, & mysticus vnus est, & sibi congruentissimus; tunc quippe pacatiùs anima requiescit, cùm Deum suum feruentissimè inquirit, ad ipsumque ardenter anhelat. Tunc potissimè a labore feriatur, cùm nulli in Deo quærendo parcit labori, aut sudori.

4 In huius quoque instituti typum duas mulieres prægnantes, & iam iam parturientes, maximè tamen inter se discrepantes videas. Apocalyps. 12. 2. Apoc. 12. 2.
priorem, posteriorem verò Isai. 66. Prima etenim partui iam vicina *clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat*: Secunda verò *antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale? Et quis vidit huic simile, &c.* Isai. 66. 7. vel vt habent Septuaginta in Complut. & Regia: *Antequam veniat dolor parturientium, effugit, & peperit masculum. Quis audiuit tale, & quis vidit sic, si parturiuit terra in vna die, & si nata est gens simul, quia parturiuit, & peperit Sion paruulos suos?* Monstrui instar habendũ, & Propheţ admiratione quamdignum. Quid enim tã naturæ legibus præposteru, quam partus doloribus non affici parturientem, cum ex Hevæ commissa omnes mulieres partus cruciatibus obnoxias Deus esse voluerit? *In dolore*, inquit, *paries filios.* Gen. 3. 16. Gen. 3. 16. Gliscit inde etiam difficultas, quod mater Apocalypsis vnicum parturiens *cruciatur, vt pariat*: mater verò Sion non vnicam sed multiplicem prolem in lucem edens, *si nata est gens simul, quia parturiuit, & peperit Sion paruulos suos*, partus tamen cruciatibus expers manet. Verùm ex hoc ipso mirabilis datur rei intelligentia, & congruentissima ratio, si & parturientes fœminas, & earum partus mysticè accipiamus. Frigida enim & tepentia corda, dum vnicum charitatis, alterumve virtutum actum produnt, difficultatem, & dolorem experiuntur, clamantque, vt parturiant: feruentia verò Sanctorum pectora, dum innumerabiles virtutum omnium effectus operantur, nec dolori subiacent, nec difficultatem sentiunt; sed *antequam veniat dolor parturientium, effugit, & peperit*, vtpote, *quia peperit Sion paruulos suos.* Sic rem meditabatur Ceno Beronens. Serm. 8. de Paschat. *Tunc*, in- Ceno.
quit, *non laborat, si quos parturit, præ multitudine numerare non possit.* In iis igitur iustificationum Domini viis, qui celeriùs curris, qui intentius inhæret, minus, aut nihil vnquam molestiarum experitur.

5 Consonat prædictis Samuël, qui dum promitteret supplicanti populo oraturum se pro eo ad Dominum, subdidit. *Et docebo vos viam bonam, & rectam* 1. Reg. 12. 23. Viam videlicet diuinarum institutionum, quam non modò bonam, sed & rectam dicit. Dices tamen cum Gregorio: Si via bona est, necessariò & rectam esse debere, sinuosa enim & in anguis morẽ tortuosa, bona no est. Greg.
Cur via boni obsequij, ait Greg. lib. 5. Var. c. 2. *bona dicit & rectam, cũ bona nõ sit, si non sit recta? Sed bona fuit via, qua populus ab Ægypto ad terram promissionis ascẽdit, & tamen dũ per eremũ circuiuit, recta non fuit.* Concludit deinde. *Bona ergo via est, qua ad supernam*

supernam patriam tenditur; vetla, qua facilè perueniatur. Via ergo bona & recta est, cùm ad religiosam vitam conuertimur; cùm diuina obsequia cum instanti feruore magna deuotionis exercemus. Ecce via non solùm bona, sed recta, sed plana, sed perambulatu facilis, *cùm diuina obsequia cum instanti feruore magna deuotionis exercemus*; dum vero tepentes, vel frigidi eam ambulamus viam, & laboramus, & grauem eam, & inaccessibilem calamur. Vnde reprobi: *Ambulabimus*, inquiunt, *vias difficiles*, Dauid verò cui charitatis feruor pectus dilatauerat: *Viam*, inquit, *mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.*

6 Sed iterùm Isaiæ vaticiniis præbeamus auditum. *Et erit*, inquit, *in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Isai.2.2. Isai.2.2. Quid verò montis domus Domini super vertices montium constituti nomine significetur non omninò constat inter Interpretes. Hebræi apud Galatin. lib.5. de Arcan. cap.3. respondent esse Sion, *qui sub Messia inepiunt, imponetur montibus Carmelo & Tabori, atque per tres leucas furiosa tolletur.* Nugæ. Hieronymus, Basilius, & Rupertus Christum intelligunt supra Propheratum, & Apostolorum choros gratia sua, & doctrina superexaltatum. Cyrillus verò in præsenti, Euseb. lib.2. Demonst. Euangelic. cap.2. Athanas. Epist. ad Epictet. Ecclesiam Catholicam. Alij aliter: aptissimè tamen ad rem nostram Cyprian. lib. de Sina, & Sion, vel quisquis illius libri Autor est: Christi Crucem interpretatur, quæ mons quidem arduus est, imperuius, & ascensu difficilis. Sed noua item exoritur difficultas; dicit enim Propheta: *Et fluent ad eum omnes gentes.* Cum autem fluere proprium aquarum sit, omnium, & riuulorum, qui ex eminentioribus in declivia, & ex montibus in valles natiua grauitate feruntur; quonam modo effici potest, vt sursùm in montem super colles eleuatum fluere vnquam possint contra omnem naturæ ordinem? Crux Christi, dura ascensu est, erecta est, gentium autem voluntates ad ima potius, & inferiora feruntur sui ipsius veri minime nisi violenter eleuari queunt. Sed nouæ legis, & Christianæ gratiæ hi sunt mirabiles effectus, vt si feruor adest, si ardet animus, & alacritate erigitur, ito facilè ardua Crucis Christi, laborum, & molestiarum superat, vt gentes omnes, quibus id sit consilij, & diuinæ gratiæ facultas, ea suauitate cruces, & dura quæque subeant, qua fluuij solent in valles, ac declivia decurrere; quod notauit Cornelius à Lapide in præsenti. *Nota*, inquit, *miraculum: flumina enim deorsum fluunt, hic verò fluunt sursum ad altissimum montem ascendendo. Hoc fecit gratia Christi, quæ sursum corda rapit.* Hæc ille. Vt videas ardua quæcumque virtutum culmina, & inaccessibiles ascensus animo feruore facile, ac suauiter tamen scandi, & quò excelsiora sunt, eo facilius, ac pacatius obtineri.

Hieron. Basil. Rupert. Cyrill. Euseb. Athanas. Cyprian.

Galat.

Cornel.

7 Accidit quidem in vita, studioque virtutis id quod frequenter nautibus in mari procellis, ventorum flatibus, ac fluctuum metu plene fatigatis, quæ in eo portubus incolumitatem suam adstruunt, quo infrequentium iudicio extremum, & præsentissimum est periculum, certumque naufragium. Natis enim, quæ proprio antea pelago portta fuerat, ventisque secundis tantam littori, optatoque portui affinis erat, si forte tentat turgere repente fieri, flatere ventos, tumentemque mitare procellam non vtique terram tuti, eo portui appropinquat, omnèque Vitæ alacris rectio maria repetit, vndis sese immiscet, & velis remisque contendens à littore in vastum pelagus denolauit, quantum verò recedit à terris, tantum securitatis acquirit, neque enim littori, aut scopulis impingit, sed altiori maris alueo præsentissimum periculum effugit. Ita similiter nauis more quantum in diuinæ bonitatis pelagus iustorum se corda immergunt, tanto securius consistunt, ac temporales procellas sapienter eludunt.

8 Diram quidem Abraham tempestatem passus, dum pergeret montem versus, filium ex Dei præcepto immolaturus: feuentiorem etiam est expertus, cùm *Posuit eum in altare super struem lignorum: extenditque manum, & arripuit gladium.* Gen.22.9. Gen 22.9. tunquam verò securior mens, pacatior animus. *Securus animus*, ait Ceno Beronensis, *securior manus.* Quæritis tamen, eamam securior manus, quàm animus? Vnque quia periculo proximior erat dextera, quæ filium obtruncaret, quam animus, qui tantùm imperabat necem; vbi enim humana spes, & subsidia longius absunt, ibi diuina præsidia præsentissima sunt. Manus ergo securior animo facinus aggreditur, & Dei indulgentiam efficacius sollicitat, & consequitur; conclamat enim Angelus de cœlo: *non extendas manum tuam super puerum*, ibidem Vers.12. Age ergo, qui arduum virtutis opus aggrederis. Aude, iuuta, ardenter operare, quo totam eius euincas difficultatem; & tunc maximè quietes, cùm maiori feruore Dei negotium egeris. Ceno Beron.

INSTITVTIO XIV.

Moralis.

Semper in te quæ corrigas, inuenies.

1 Mirum meritò ac difficile videri cuiuis potest adhuc in filiis Israel idola; quæ abiecta prorsùs, & obliterata diudum fuisse credebantur, tandem inueniri; Inuenta tamen fuisse minimè licet dubitare. *Abstulerunt*, inquit, *filij Israel Baalim, & Astaroth*; hoc est nuxta aliquorum Interpretum sententiam, Deos, & Deasiatqui nuper eodem hoc ipso capite vers.2. dulcis illa notitia percrebuerat: *Requieuit omnis domus Israel post Dominum.* Hoc est, vt vulgò Interpretes exponunt, abiectis falsorum Numinum simulachris, Domino adhærentes, quietè, ac pacatè eius religionem exercebant. Vnde eisdem omnino verbis Hieronymus, & Rupertus. *Requieuisse post Dominum dicuntur, quia abiectis Idolorum sordibus Domino se ad seruiendum toto corde tradiderunt.* Fusiùs verò Iosephus lib.6. Antiquitat. cap.2. *Cumque populus toto hoc viceunio voto, & Samuelis operam daret, magnámque religionis, & cultus diuini curam præ se ferret, &c.* Viginti ergo annorum spatio pios se, ac religionis studiosos præstiterant Hebræi, non vtique leuiter, aut inconsultò, sed serio, & constanter propositum tot per annos tenaciter retinentes. Attamen diuturna hæc veræ virtutis testimonia Samuelem cuncta propheticò lumine perlustrantem minimè fefellerunt, sed eorundem adhuc fidem & veram religionem vertit in dubium. *Si in toto*, inquit, *corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri.* Et Prophetæ suspicionem, ac timorem fundamento minimè caruisse exitus comprobant, subditur enim: *Abstulerunt ergo filij Israel Baalim, & Astaroth.* Ne tamen *Ad illa verba:* Abstulerunt filij Israel Baalim, & Astaroth. c.7. vers.4. Hieron. Rupert. Ioseph.

tamen superius Scripturæ testimonium de Israelitarum religione, ac in Domino quiete eludi videatur respondet primo Carthusianus, aliud esse idola tollere, quod vicinque præstiterant Hebræi; aliud de medio nostri, hoc est, cordis penetralibus deturbare; mansuescit enim interdum idoli manet intus sapor, & affectio alta mente repositi, vt quæ altas diu radices egerat. Hortatur ergo in hunc modum art. 15. *Deos alienos auferamus de medio nostri, hoc est vnusquisq; de corde suo tollat, ac ingeter pellat omnem affectionem vitiosam ad creata, ac peritura vana phantasmata; quod enim quis amplius colit, & amat, quam Deum, hoc sibi impiè effecit Deum, seu vltimum finem.* Carthus.

2 Respondet secundo, art. 14. ratione priùs dubitandi præposita. *Si iuxta prahabita totus populus Israel per tot annos quieuit post Dominum, quid necessaria fuit exhortatio ista? Ad hoc videtur dicendum quod, quamuis cessauerunt idola colere, adhuc tamen apud se tenuerunt simulacra.* Hæc ille, quod sæpe bonis, & proficientibus euenit, vt non statim post conuersionem suam ita prioribus affectionibus Valedicant, vt non etiam apud se reliquias aliquas, vel effigies secreti conseruent, manéantque vel parua quædam præteritorum, memoriæ saltem, vel mentis etiam penetralibus impressa vestigia. Iis igitur ferrò exterminandis insistum incumbere oportet, inquirere, inuestigare; semper enim quæ animo exturbet, inueniet; semper quæ corrigat, deprehendet. Vnde Augustin. tract. 41. in Ioan. *Quemlibet*, inquit, *valde iustum discutias in hac vita, quamuis tam sit digne iusti vocabulo; non est tamen sine peccato.* Sed & Seneca lib. 2. de Ira cap. 27. institutum hoc persequitur eleganter. *Si volumus*, inquit, *aquis omnium rerum iudices esse, hoc primum nobis suadeamus neminem nostrum esse sine culpa. Hinc enim maxima indignatio oritur: nihil peccauit: nihil feci: imo nihil fateris. Indignamur aliqua admonitione, aut coercitione nos castigatos, cum illo ipso tempore peccemus, quo adiicimus malefactis arrogantiam, & contumaciam. Quis est iste, qui se profitetur omnibus legibus innocentem? Vt hoc ita sit, quam angusta innocentia est, ad legem bonum esse? Quanto latius officiorum patet, quam iuris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt? Quæ omnia extra publicas tabulas sunt. Sed ne ad illam quidem arctissimam innocentiæ formulam præstare nos possumus. Alia facimus, alia cogitauimus, alia optauimus, alia iussimus. In quibusdam innocentes sumus, quia non successit.* Hucvsque Cordubensis elegantissimè, & ad Christianam formam satis concinne. Aug. Seneca. Idem.

3 Episcopos septem Ecclesiarum Minoris Asiæ sæpe Angelos Dominus appellat *Apocal.* 2. vel propter scientiam, vt docet Dion. Areop. de Cœlesti Hierarch. c. 12. Vel quia pacem inter Deum, & homines conciliant, vti pacis Angeli, qui amare aliquando flebant, apud *Isai.* 33. 7. vt explicat Blasius noster Viegas ibi. Vel propter celsitatem, quæ insigne Episcoporũ est. Vel propter sedulam commissi gregis custodiam, iuxta illud Psalm. 90. 11. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Et tamen de pluribus incertis, & leuioribus culpis eosdem sæpiùs appellat. *Sed habeo aduersum te pauca, quia charitatem tuam primam reliquisti.* Hoc est, charitatis pulchræ fœtorem perdidisti, vt explicant Richard. Victorin. Aretas. Ioachim. Abb. Pannon. & plures alij. Idem igitur, qui Angelico flammate gloriantur, primæ quoque ipsius Veritatis testimonio, detectum, leuiúmque culparum immunes non sunt; quibus vtique illud congruit: *Et in Angelis suis reperit prauitatem.* Iob. 4. Apoc. 2. Dionys. Isaiæ 33. 7. Viegas. Ps. 90. 11. Richard. Aretas. Ioachim. Pannon. Iob. 4.

4 Percusserat, ac fugauerat Saül copiosum illum Philistinorum exercitum, vno Ionatha cum Armigero prælium aggredientes; nox iam vicina item dimisse videbatur. Ast ille bellico percitus furore, nec tenebris, nec diurno labori cedendum ratus, vt adhuc hostem insequatur, & ad internecionem vsque, & totalem ruinam profligatum velit, militem hortatur. *Et dixit Saul: Irruamus super Philisthæos nocte, & vastemus eos donec illucescat mane, & non relinquamus ex eis virum.* 1. Reg. 14. 36. Notat verò Gregor. lib. 5. Variar. c. 4. non cum in puerorum aut iuuenum interemptionem Hagiasse, sed virorum: *Et non relinquamus*, inquit, *ex eis virum.* At qui in tam numerosis copiis plures quoque, & pueri, & adolescentes forent, quæ suæ ætati congrua ministeria obirent; cur hos ad necem quoque quærendos Rex arbitratus non est? Mystica est Gregorij, ac moralis responsio ad rem nostram aptissima; per viros enim grauiores hostes, nempe vitia capitalia, & grauia intelligenda existimat; per alios verò minoris ætatis, & momenti, leuia quæque peccata, & venales culpas, quæ nec à potentissimo quoque spiritu penitus extirpari, ac profligari vnquam possunt. *Omnis Philisthæus vir*, inquit, *vastari debet: parvulus omnis nequaquam vastari potest. Nemo enim sine peccato, nisi solus Deus. Viri ergo capitalia crimina, & vitia principalia sunt; sed hæc virorum, videlicet fortium nomine designantur, cum peccatorum sibi corda subiiciuntur. Bene ergo dicitur: Non relinquamus ex eis virum, quia cuncti si peccatores Sanctorum Prædicatorum consilio, fortia quæq; peccata, & vitia deerunt; sed nullum peccatum, aut vitium habere non possunt.* Hæc ille, qui rursum eandem doctrinam inculcat, inde occasione sucepta, quod cùm Saul ipse Dominum ex consilio Sacerdotis immediatè consuluisset, an scilicet insequi adhuc hostem oporteret, vt omninò propugnaretur, Dominus responsum denegauit; quo ille diuinæ voluntatis id minime esse colligens, cessauit, nec hostem persecutus est. *Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philisthæum? Si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa* ibidem v. 37. Quid autem in causa fuerit, ob quod Diuinum oraculum Sauli redditum non sit, detegit in eundem sensum Gregorius, dicens id quidem Sauli contigisse, quod omnes prorsus Philisthæos delere instituisset, quod Deus minime destinerat, malebat namque & Regi & populo hostem perpetuo relinqui aduersus quem pugnare continuò oporteret, ne inertia otioque torperent; quod ad spiritualem disciplinam in hanc formam accommodat Gregorius. *Sic etiam intelligi potest, quia ita volebat Philisthæos permanere, vt eorum nullus vltrà mouere bella potuisset. Magna quidem hæc dies mentis est, qua sic æterna quærumtur, vt temporalis hostis nullus à tergo relinquatur, sed quia nulli conceditur sic temporaliter vincere, vt non debeas omni tempore pugnare, meritò dicitur:* Non respondit ei Dominus in die illa. *Respondere Deus suum solum iustis verbi vsus est, sed gratiæ, & muneris quando enim benignè concedit, quod piè petitur, respondere perhibetur. Non ergo respondit Dominus in die illa, quia permittit quidem electos vincere, sed de hostibus quasi vincentes deserit, vt cum quibus semper pugnent, inueniant.* Hucvsque Gregorius. Greg.

5 Ipse quoque Saul aliam doctrinæ huius con-

firmationem nobis suppeditauit, dum mutata iam Martis alea extremo illo, infaustóque contra Philisthinos bello in montibus Gelboe timore correptus, à Deo destitutus,& totius expers consilij,mulierem Pythonissam inquiri sibi iubet, ex qua prælij euentum edisca. *Quarite*, inquit, *mihi mulierem habentem Pythonem,& vadam ad eam.* 1.Reg. 28.7. Miror hominis consilium,cùm ipse iamdudum similis farinæ mulierculas, Magos,& Ariolos prorsus è regno suo eradicasset;quod ipsi in faciem impegit mulier ipsa,à qua suscitari Samuelem per Magiam imperabat. *Ecce*, inquit, *tu nosti quanta fecerit Saul, & quomodo eraserit Magos,& Hariolos è terra:quare ergo insidiaris animæ meæ,vt occidar?* Qua igitur spe similem Magam inueniri posse Rex credidit? Placet omninò responsio Caietani, qui rectè,me iudice, collimauit. *Si quaris*, inquit, *quomodo Saul huiusmodi mulierem quæsierit, cùm ipse eunuchos eos de terra? In promptu est responsio, quod Saul vir prudens cogitabat id, quod communiter accidit, videlicet remanere semper aliquem occultum, qui non defertur ad curiam.* Hæc Caietanus, ex quibus collige, quantumcumque ex animo vitiorum effigies depulisse te credas, si eosdem bene inuestigaueris, semper quæ expellas inuenturum;nec enim omnia minima peccata euitari possunt.

1. Reg 28.7.

Caiet.

6 Huc allusit forsan Præcursor Domini Ioannes, qui eundem digito demonstrans suis auditoribus. *Ecce*,inquit, *Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan.1.29.Non dixit:Ecce qui sustulit peccata mũdi,vt notauit Theophilactus.Nec tollet,vt aduertit Augustinus in Catena S.Thomæ, sed de præsenti,*qui tollit peccata mundi*;semper enim peccata sunt,quæ tollat,nec omnia omninò tollet iuxta ipsius diffinitionem. *Necesse est, vt scandala veniant.* Accipe Augustinum. *Non dixit,qui tollet, sed* Qui tollit peccata mundi,*quasi semper hoc faciente ipso. Non enim tunc solum tulit, cùm passus est,sed ex illo tempore vsque ad præsens tollit.*

Ioan.1.29. Theoph. Aug.

7 Hinc anima iusti hortus concluſus à diuino Sponso appellatur *Cantic.*4.12. In hortis enim sedula,& quotidiana cultura semper necessariò adhibenda est,nam vrticæ, & lolium continuò resecata exurgunt, erumpentesque herbulæ ordinem,decoremque corrumpunt. Variæ interdum rerum imagines solent ab hortorum cultoribus, ex tonsis, & in ordinem,ac numerum digestis dumetis, & floribus humi effomari, modo rapacis leonis, modo aquilæ,interdum nominis IESV,& MARIÆ signa exprimi, ad quod nisi frequens cultoris manus accesserit, & discrepantes ramulos forceps sine intermissione resecet, breui quidem tempore expressæ similitudines deturpantur, ac obliterantur cunctis in syluam excrescentibus, nec iam leo nec Aquila, nec IESV, aut MARIÆ nominum signa comparent. Sic etiam similiter cordis in hortulo,nisi continuæ mortificationis studium interlit, frequentes culpæ, & defectus cuncta deformant, semélque ac iterùm resecatæ Hydræ in morẽ pullulant,nec tantus est Hercules, qui omnia extinguere vsquam possit. Vnde Leo Magn.serm.8. de Passio. *Quantumlibet*,inquit, *quisque iustificatus sit,habet tamen dum in hac vita est,quò probatior esse possit, & melior.* Causa autem est omnes veniales defectus, & minimas culpas minimè coerceri posse, quod diuinâ contigit Prouidentiâ,ne arrogantiæ, & tumoris hominibus occasio fieret, sed habeant semper oportet, ex quorum cognitione humilientur sub potenti manu Dei, nec prælia sibi, ac arma spiritualia vsquam deferenda compertum habeant.

Cant.4.12.

Leo.

INSTITVTIO XV.

Moralis.

Bonus inter malos quasi Deus est.

1 IOël, interprete Hieronymo in Commentar. Ioel cap.1. tom.6. sonat: *Deus est*, primò vt intelligas iniquum etiam Prælatum in iis, quæ docet, aut iubet, non minùs quàm Dei loco habendum, & audiendum. Vnde Dominus Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere, dicunt enim,& non faciunt.* Vnde Chrys.hom.43. Operis Imperfecti.tom.2. *Sicut aurum de terra eligitur,& terra relinquitur,sic & auditores doctrinam accipiant, & mores relinquant, frequenter enim de homine malo bona doctrina procedit.* Secundò iuxta eundem Hieron. 1.Paralipom.6. in quæstionib. Hebraic. tom.2. Ioel nec iudicium peruertit, nec accepit munera, (reprehenditur tamen, quia fratrem natu minorem non repressit.) Ioel ergo, qui pessimis fratris sui exemplis,& frequenti conuersatione in malum non trahitur,non vtique homo,sed Deus nuncupatur; ea enim vis inest prauis exemplis,vt eum,quem non trahant,Deum potiùs,quam hominem dixeris.

Ad illa verba. Primogeniti eius Ioel.c.8.v.2. Hieron. Prælatus loco Dei. Matt.23. Chrysost.

Hieron.

2 Agar Abrahæ quondam ancilla, cùm tandem Domino suo in coniugium copulatur, non vtique iam Agar, sed Cetura dicitur *Gen.*25.1. Rationem reddit ad præsens institutum aptissimam Liranus, his verbis: *Dicunt Hebræi, quod ista fuit Agar, quæ nominata est Cetura,quæ in Hebræo sonat* Thurificata, *cuius ratio est,quia sicut dicunt, ita mundè se custodiuit, postquam cum filio de domo Abrahæ recessit, sicut Deo oblata, vel consecrata.* Hæc ille ex Hebræorum traditionibus. Quæ enim mulier tot inter prauas, quo vagabatur seculi inhonestatis exempla,nunquam ab illis in malum pertrahitur, thure digna in Numinis morem vertitur, vnus enim Deus tantum operari facinus potens est.

Gen.25.1. Lira.

3 Primus quidem extitit Enos, qui in diuinas laudes,reliquis hominibus prioribus obmutescentibus, *cæpit inuocare nomen Domini.* Genes.4. 26. Et quia praua aliorum exempla, impiumque silentium constanter spreuit, Deus ipse vocatur ibidem. Nam vbi legit Vulgatus: *iste cæpit inuocare nomen Domini*; legunt Hebræi aliqui apud Procop. in Comment. *Sed hic sperauit appellari nomine Domini Dei.* Ipsum audi Procopium. *Aiunt*, inquit, *apud Hebræos aliam lectionem, quæ sic habet. Sed* hic sperauit appellari nomine Domini Dei, *id est dici filius Dei, vel diuinus. Omnes siquidem qui ex Seth generis originem ducebant, fuerunt iusti. Proinde Scriptura in sequentibus sic loquitur.* Et viderunt filij Dei filias hominum, *id est iusti.*

Gen.4.26.

Procop.

4 Hac etiam de causa Danielem in leonum lacu humilem, & mansuetum terræ in tantum veneratæ sunt, vt non solùm non deuorent, etiam famelicæ, & impastæ, sed & adorent quasi Deum suum, vt expressit Sanct. Ephræm Syrus de Recta viuendi Ratione, num. 86. sequentibus verbis.

Immanes

Immanes fera in medio sui videntes Prophetam inclinantes se adorabant illum. Nec enim homo est, qui neque hominum stylo, neq; corruptis aliorum moribus scandalum patitur, sed Deum potiùs liceat appellari.

Psalm. 2. Ambros.

5 Christum Dominum in cœlos ascendentem benignissimè excepit Pater, & verba illa Psalmi. 2. protulit vt contemplatur Ambros. in Psalm. 40. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ast quænam sit ratio, inquires, ob quam hodie à se genitum filium profitearur Pater? Audi sanè qui ex peccatorum consortio, ac diuturno contubernio nullam contraxerat peccati labem, tum primum, cum hæc discutiat Pater, sese eum genuisse congaudet, ac venienti filio gratulatur. *Dicit ei Pater*, ait Ambrosius, *filius meus es tu, ego hodie genui te. Id est generationis meæ in te priuilegium recognosco, quem nulla macula potuit inquinare peccati. Inter peccatores versatus es, peccata omnium suscepisti, peccatum pro omnibus factus es, sed nullius vsus potuit ad te transire peccati: ita inter peccatores versatus es, quasi inter Angelos versareris.* Hæc elegantissimè Ambrosius. Quæ cùm ita sint, mirum videri non debet priorem Heli Sacerdotis filium prauo fratris exemplo in malum non pertractum Ioëlem dici, & Dei sortitum fuisse nomen, eius vtique virtute condignum.

INSTITVTIO XVI.

Moralis.

Filij paternos mores vtplurimùm sectantur.

Ad illa verba: Et non ambulauerunt filij eius, &c. *Cap. 8. v. 3.*

1 VT nouum quid, & tarò contingens annotatur morum, & conuersationis filiorum Samuelis à paternis institutis dilerepantia. *Et non ambulauerunt filij illius in vijs eius.* Contingit enim in plurimum à parentibus in filios mores, & studia deriuari.

Horatius lib. 4. Oda 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquile columbam.

Hinc ortum habuit infra relata illorum admiratio, qui Saülem inter Prophetas prophetantem dum vident, cuius pater Cis nunquam similibus exercitiis operam dederat, adinuicem dicitabant. *Quidnam rei accidit filio Cis? Num & Saül inter Prophetas? Respondítque alius ad alterum, dicens: Et quis pater eorum*, seu vt alia Exemplaria iuxta Græcum habent? *Et quis pater eius?* 1. Reg. 10. 11. &c.

1. Reg. 10. 11. Mendoza.

Ac si filij, ait Franciscus Mendoza, *patrios mores, artes, ac studia plerumque sequantur, & imitentur; & si quando aliter contingat, miraculi loco habeatur.*

2 Ad modum ergo, quo parentum suorum filij fortunas hæreditate suscipiunt, sic etiam mores, artes, ac studia acquirunt, vt eloquenter attestatus Sanctus Saluianus Massilienis Episcopus lib. 1. ad Eccles. Cathol. non longè ab initio, his verbis.

Saluian.

Omnes penè parentibus suis filij non magis in patrimonia, quàm in vitia succedunt; nec magis facultates sumunt, quàm prauitates; ac sic transeuntes semper in mores patrum, antè eorum incipiunt nequitiam, quàm substantiam possidere. Nec vitia solummodò, ac prauitates, sed bona etiam, & virtutes patrum in filiorum institutis, tanquam in speculo resplendent. *Bona certa sunt*, Rex aiebat Theodoricus apud Cassiodor. lib. 2. Variar. Epist. 15. *quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo nescit deficere, quæ consuetit radicitus pullulare. Fertur etiam cur-* *super eum vena vitalis, & hanc conditionem sustinent cuncta manantia, vt sapor, qui concessus est Origeni, nisi per accidentia fuerit forte vitiatus, nesciat riuulus abnegari.*

Theod. Cassiod. Origen.

3 Hæc quidem regula ita plerumque certa est, vt inspectis filiorum moribus, & studijs in patris eorum notitiam perueniatur. Anxius quidem de Christi Domini natura cognoscenda nutabat aliquando Diabolus, & quem Dei filium verebatur, certo experimento deprehendere tentauit. Ergo illi accedit, & ait: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti, panes fiant.* Matth. 4. 3. Sed difficile hoc eius experimentum, & extra rem apparet; quam enim correlationem, aut connexionem habent filiatio Dei, & lapidum in panes miraculosa conuertio? Nonne & Moyses, qui filius Dei non erat, virgam in colubrum conuertit? *Exod.* 7. 10. Nonne claras fluminis aquas mutauit in cruorem: *ibidem* 20. Ergo & Christus, quin ex eo Dei filius comprobetur, poterit ex dono Dei panem ex petris conficere. Hæc vera quidem sint, si ad rei ab hoste propositæ substantiam attendamus; verum actionis modus expendatur oportet. Ait quippe non sine emphasi, sed tacita quadam versutia, *dic*; Nouerat videlicet veternosus serpens Deum olim ad rerum omnium visibilium procreationem verbo vsum fuisse, & imperio, nempe *dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux.* Gen. 1. 3. & 6. *Dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum.* Ibid. 6. Quod quidem Psaltes annotauit. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Psalm. 148. 5. Vt ergo deprehendat, an Christus filius sit eius, qui Verbi vnius instrumento omnia formauit, non ait simpliciter, conuerte in panes hos lapides, sed ait: *Dic, vt lapides isti panes fiant*, quem si vno verbo id peragere vidisset, eum pro Dei filio certò haberet, dum paternos cerneret mores imitari.

Math. 4. 3. Exod. 7. 10. & 20. Gen. 1. 3. & 6. Psalm 148. 5.

4 Diabolo Hæreticum annectamus. Marcion quippe eundem Christum Dauidis filium negabat, communi hoc experimento nixus, sed interdum falso. Nam Christo Domino aliquando appropinquante Hiericho, cæcus, qui aderat, de eius transitu admonitus exclamauit dicens: *IESV fili Dauid miserere mei.* Luc. 18. 38. Quem tandem Dominus oculorum lumine donauit. Arguit igitur ex eo Marcion apud Tertul. lib. 14. aduersus eundem; Christum Dauidis filium non esse; Dauid enim ita cæcos fuit exosus, vt cædi iusserit quoscumque in Sion repertos, quòd sibi admodum restitissent. *Nam si aliquando* (verba sunt Marcionis) *Dauidem in recuperatione Sionis offenderant cæci resistentes, quo minus admitteretur (in figuram populi, proinde cæci non admissuri quandoque Christum filium Dauid) ideò Christus ex diuerso, cæco subuenit, vt hinc se ostenderet non esse filium Dauid, & ex animi diuersitate bonus cæcus, quos ille sustulerat cædi.* In tantum parentum studia filiorum geniis ac moribus exprimuntur, vt qui à paternis institutis aberrant, ab eorum etiam origine defecisse videantur.

Marcion. Tertul.

5 Hæc quidem confirmat impij Absalonis Cenotaphium, quod erecto sibi tumulo iam olim inscripserat parricida. *Porro Absalon erexerat sibi, cum adhuc viueret, titulum, qui est in Valle Regis: dixerat enim: Non habeo filium; & hoc erit monimentum nominis mei.* 2. Reg. 18. 18. Sed vt ex

2 Reg. 18. 18

Chaldæo

Chaldæ. Chaldæo intelligi datur, filios quidem habebat, cùm hæc inscriberet, quod non vulgarem difficultatem parit, vt notauit Abulensis ibi. q.21. in hæc verba. *Littera Chaldaica dicit, quòd Absalon filios habebat.* Et continuò facile in præsens institutum quæstionem dirimit. *Sed non*, inquit, *erant tales, in quibus posset patris memoria permanere, vt forte quia non erant pulchri, sicut pater*: filios verò à patre dissimiles, non suos, sed alienos reputauit. Quod non in hominibus modò, sed in brutis quoque interdum obseruatum est. Lupi enim, vt Hieronymus Guerra in Schol. Plinij Senior. Catulos ad riuulos portatos tentant, quosque canum more cernunt bibere, tanquam non suos aspernantur. Annuit Cassiodorus 2. Variar. epist. 14. *Ferarum*, inquit, *catuli sequuntur parentes: auspicio suo virgulta non discrepant: propago vitio propria seruit origini.*

Abul. Guer. Cassiod.

6 Irrisit, habuitque ludibrio Dauidem vxor, dum coram Arca fœderis ludentem, saltantémque conspiceret. *Cúmque intrasset Arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit Regem Dauid subsilientem, atque saltantem coram Domino; & despexit eum in corde suo.* 2. Reg. 6. 16. Sed cúrnam Saulis potiùs filia, quàm Dauidis vxor in præsenti dicitur? Credo, vt significaret Textus superbiam illam à patre traxisse; quod quidem innuit & Gregorius lib. 27. Moral. cap. 26. *Michol*, inquit, *filia Saul adhuc ex tumore regij generis insana.* Et Petrus item Damianus opusc. 43. cap. 5. *Superbi scilicet Regis filia humilitatem viri portare non potuit, atque idcirco nuditatem qua Domino ministrabat gloriam non cognouit.* Subditur etiam eiusdem mulieris pœna, scilicet, sterilitas. *Igitur Michol filia Saul non est natus filius vsque in diem mortis suæ.* vers. 23. Quæ licèt culpæ inæqualis, mystica tamen est, vt annotauit Ambros. epist. 36. ad Sabinum in lib. 6. *Quæ exaltationem*, inquit, *huiusmodi reprehendit, sterilitatis damnata non dedit sobolem Regiam, ne superbos crearet.* Vti enim illa ex patre Saule elationem traxerat, sic etiam liberis, quos procrearet, inderet. Vnde miraculi loco Augustinus habet apud Lippomanum in Catena, quòd Pharaonis filia in Hebræum infantulum Moysem pia fuerit aquis extrahens, dum sæuus pater omnium Hebræorum extinctionem moliretur. Exod. 2. 6. *Nouum miraculum*, inquit, *genus facit misericordiæ filia parricidæ.* Vt autem Pharaonis filia Patris impietatem secuta non fuit, sic è contra Samuelis filij à patriis virtutibus, & pietate defecerunt; vtrumque quidem non vulgare, sed singulare portentum. Concludit Chrysostomus hom. 45. in Matth. *Vt regula est humanæ naturæ, vt omnis homo nascatur duos oculos habens, & quinos digitos; aliquando tamen vt manifestentur opera Dei, nascitur homo sex digitos habens; sic & homo extra regulam naturæ raro procedit, vt dissimilis nascatur filius parentibus.* Hæc ille.

2.Reg.6.16. Greg. Ambros. Augusti. Lippoman. Exod.2.6. Chrysost.

7 Nec extra communem hanc naturæ regulam contingit in supernaturalibus, & diuinis, nam quia Verbum per veram generationē à Patre procedit, & filius est; plena est, atque perfecta omnium, quæ in patre sunt, imago, vt docet Apostolus ad Hebræos 1. *qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Et Ambrosius in cap. 22. Luc. *Solus Christus est*, inquit, *plena imago Dei, propter expressam in se paternæ claritatis vnitatem. Iustus autem homo ad imaginem Dei est, si propter imitandam diuinæ conuersationis similitudinem, mundum hunc Dei cognitione contemnat.* In quibus Ambrosius duplicis filiationis differentiam constituit: nempe naturalem, & adoptiuam, nam quia Christus filius naturalis est Dei, expressa est, & perfecta illius imago. Iustus verò, quia tantùm adoptiua filiatione gauder, non est vera, & perfecta imago Dei. Vnde Gen. 2. *Faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Non dicit imaginem, sed ad imaginem, quod magis exprimitur in Hebræo, vt notarunt Oleaster, & Pagninus legentes: *In vmbra, & secundum similitudinem nostram. Vbi aduerte*, inquit Oleaster, *Deum simul voluisse ostendere hominem ad sui similitudinem factum. Et secundo quantum hæc similitudo à suo archetypo distaret; est enim vmbra similitudo illius, cuius est vmbra, imperfecta tamen, & longè ab eo distans.*

Hebr. 1. Ambros. Gen 2. Oleast. Pagn.

8 Nec tantum Patri Christus per diuinam generationem simillimus extitit, sed & Matri quoque intemeratæ Mariæ per naturalem originem, vt notauit August. serm. 20. qui est de Annunciat. dicens. *Igitur in cœlo qualis pater, talis filius: & in terra qualis mater, talis & secundùm matrem filius.* Quod non tantum in animi dotibus, ac excellentissimis virtutibus, sed etiam in corporis lineamentis accidisse affirmat Nicephorus Calixtus, lib. 1. c. vltimo, vbi de Christo locutus post multa concludit: *Per similis denique per omnia fuit diuina, & Immaculata sua genitrici.* Quod non modicum sed singulare est Deiparæ Virginis encomium, tantæ videlicet fuisse puritatis, sanctitatis, pulchritudinis, & excellentiæ, quam filius, Dei quoque filius, decenter ex primeret, & sicuti paternam præ se ferret dignitatem, ita & maternam excellentiam.

Augusti. Nicephor.

INSTITVTIO XVII.

Moralis.

Ardua virtutis non solùm obeunda, sed præoccupanda sunt.

1 NOn solùm æquo fert animo optimus, & mitissimus Samuël, à iudiciali dignitate deturbari, & antiquæ potestatis spoliationem pati, sed priuatorem ipsum, ac muneris amissi successorem benignè excepturus occurrit, vt notauit Mend. in præsenti. *Cernere est*, inquit, *hoc loco promptum animum Samuelis ad obediendum Deo, & ad regimen deponendum, nec enim Saulem domi expectauit, sed foris inquisiuit.* Vbi ex necessitate, vt aiunt, virtutem disertissimè fecit, quod maximè laudandum est; nam vt bene asserit Chrysologus: *Acquiescere, necessitatis est: velle, virtutis.* Hinc Viri sancti non solùm tempori obtemperant, sed præcurrunt, & ardua quæque, quæ necessariò interdum subeunda forent, præueniunt fortiter, ac prudenter. Sic Dauid disertissimus ac fortis palæstrita non æmulum certaminis tempore expectauit sensum accedentem, sed *festinauit, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philisthæi* 1. Reg. 17. 48. Quod meritò commendauit Abulensis ibi. q. 33. *Non expectauit*, inquit, *Dauid, sed ipse velocius cucurrit in aduersum illum: Hoc autem fecit ad meliorandum conditionem suã.* Sic quoque Christus Dominus eiusdem Dauidis filius, satellitibus in horto ad eius captionem properantibus obuius, ac impiger occurrit, dicens: *Surgite, eamus, ecce appropinquauit, qui me tradet.* Matt. 26. 46. Sic nos etiam docet: Matt. 5. 39. *Si quis*

Ad illa verba: Egredíēs obuiam eis *cap. 9. v. 14.* Mendoz. Chrys. 1. Reg. 17. 48. Abul. Matt. 26. 46.

quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Parum quippe fuerat prius vulnus patienter sustulisse, nisi in posterius etiam promptus animus curritaret, vt expressisse videtur
Chrys. Chrysostomus hom. 18. in Matth. com. 2. his verbis. *Propterea*, inquit, *cum, qui palmas caditur, non modo prohibuit irasci, sed etiam percutienti iram exsultare præcepit, vt ne primam quidem iniuriam sustinuisse videretur inuitus.*

2 Ingrediens idem Dominus IESVS Ierusalem iamiam passionis suæ proximus, & triumphum egit, & ouantis populi plausum libenter excepisse traditur. *Plurima autem turba stranerunt vestimenta sua in viâ, alij autem cædebant ramos de arboris-*
Matth. 21. 8. *bus, & sternebant, &c.* Matth. 21. 8. Prænouerat equidem iis simplicis plebis plausibus Iudæorum in se inuidiam concitari, & ad necem sibi inferendam ipsos permotum iri; nec eo tamen destitit, sed passionem suam allicere vilis est. *Quare hoc fe-*
Haimo. *cit Dominus*, quærit Haimo Albestratensis, & respondet: *Vt animos Iudæorum excitaret ad se crucifigendum. Sæpe Dominum IESVM venisse Ierosolymam, non tamen legimus eum venisse cum tanta gloria, sicut in tempore passionis sua fecit imminenti.* Hæc ille, quod tamen ita intellige, non vt Christus Iudæos in tam atrox peccatum irritare intenderit, sed quòd non impediuerit, nec a suo triumpho propterea abstinuerit.

3 Mortem etiam, & Diabolum ex aduerso Crucis, in qua ad extremum patiebatur, consistentes, & quasi nutantes ex eo, quem conceperant, timore ad se priùs quodammodò allexit, & pia quadam fraude, vt perderet, circumuenit; exclamat enim:
Matt. 27. 46. *Deus Deus meus vt quid dereliquisti me?* Matth. 27. 46. Cuius quidem verba quandam morientis infirmitatem, & angustiam non modicam præ se ferunt. His mors, ac Diabolus præbentes fidem, depositio timore animam agentem aggrediuntur, quos ille iudaicus Leo hac specie delusos contudit, ac dila-
Athan. niauit. Sic saltem rem meditabatur Athanasius. *Hoc*, inquit, *fecit, ne Diabolus ab eo, quem vt hominem antea contempserat, nunc autem vt Deum exorrescebat, fuga se subduceret. Certe istu verbum subductus ille vndequaque sceleratissimus sub manus venit, Dominumque adorans confractus est.*

4 In eiusdem etiam Christi Domini typum hoc de se facinus decantat Dauidicum Psalterium. Prædicit enim prius se mortis doloribus præoccupatum, & quasi vndequaque circumseptum. *Circumdederunt me*, inquit, *dolores mortis, & pericula in-*
Psal. 114. 3. *ferni inuenerunt me.* Psalm. 114. 3. Tum verò animos se sè recepisse, & nouis etiam doloribus à se quidem & inquisitis, & inuentis fortiter obuiam cucurrisse, tanquam se ab illis aliquando præoccupatum erubescens. *Tribulationem*, inquit, *& dolorem inueni*: quasi diceret: priùs quidem mortis dolor, tribulatio & ærumna in me, quasi incutium irrupêre; modo verò hostes ipse meos quærito, & inuentos alacriter aggredior Domini nomine inuocato. *Et nomen Domini invocabo*, eo scilicet more, quo diuersæ gentes patronos quisque suos, & tutulares Diuos hostium arces adorti vociferatione in-
Incogn. clamant. Rem forte ad præsens institutum Incognitus exposuit in Psalm. 118. vers. 2216. *Aliquando*, inquit, *tribulatio & angustia inueniuntur ab homine.* Tribulationem, & dolorem inueni. *Quandoque vero inueniunt hominem.* Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. *Qui quærit ergo Christum, quærit & tribulationem, nec refugit passionem. Denique David dignus erat, vt à tribulatione quæreretur: tribulationem etiam ipse quæsiuit.* Neque enim satis habuit vir fortissimus à tribulatione præoccupari, sed ipsam inquirere, & in seipsum prouocare studuit, qui constantium militum mos est, veréque triumphandi modus.

5 In propria verò persona loquitur cum *Psal.* 34. 13. Verùm de se ipso testimonium perhibens, qualiter se aduersariorum calumnijs, & insidijs expetitus ageret, ingenuè declarat, dicens: *Ego autem, cùm mihi molesti essent induebar cilicio: humiliabam in ieiunio animam meam, &c.* Expende, quæso, Dauidici pectoris fortitudinem. Visitatum potiùs, ac commune est, illatas ab aduersarijs iniurias, & incommoda non solùm studiosè repellere, sed eas exquisitis voluptatibus, atque honorationibus repensare; vt acceptam ex iis tristitiam expungamus. Aliter tamen Dauid; non enim modò hostiles molestias non repellit; sed iis non expletus, ipse sibi hostis efficitur: ipse sibi pœnas fabricatur: cilicio contegitur, ieiunijs & inedia se macerat, atque orationibus incumbit; seque maiorem inimicorum incursionibus, ac superiorem æstimans, grauiora sibi comparat certamina, virésque, & efficaciam largitur aduersis. Optime ad institutum nostrum Cosmas Magallianus in c. 7. Iosue vers. 6. Annot. 1. Magallian. num. 9. *Solemne est*, inquit, *Viris sanctis, vt immissis à Deo calamitatibus, cùm illas placere Deo existimant, ipsi se amplius macerent, & fatigent. Quod in malis suis fecit Dauid.* Ego autem, cùm mihi molesti essent, induebar cilicio. Ac si dicat: Non contentus hostium molestijs, ipse cilicio ad carnem applicito mihi hostis eram. Humiliabam in ieiunio animam meam.

6 Quid Iobum referam fortissimum spiritualis agonis bellatorem: Is enim tot circumactus ærumnarum procellis, tot vexatus infortunijs, tanta quassatus malorum omnium tempestate, nouas potiùs in se, grauioresque calamitates machinatur, quasi vellet cordis sui probare constantiam. Hor-
Iob 2. 8. rentium ipse vulnerum saniem non mollibus quidem linteis, non leuiori quouis instrumento, sed *testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.* Iob. 2. 8. quo ea potiùs exulcerare, quàm medicari statuisset. Eloquentissimè Origenes spiritualis militis consi- Origen. lium, ac fortitudinem ob oculos proposuit. hom. 2. in Iob, vbi Iobi ipsius personam agens sic fatur: *Non sunt*, inquit, *dolores isti fortiores animæ meæ fortitudine. Merito exaggero, atque commouco ipsos dolores, veper cuncta ostendam nequissimo Diabolo, quia eius malitiam irrideo: quia omnes plagas ad nihilum reputo. Ob hoc ergo accepi testam, vt raderet saniem suam.* His quoque addit Tertull. lib. de Patient. cap. 14. si ex putridis quando vlceribus vermiculus in terram excideret, suo iterùm loco. à viro fortissimo molliter, & quasi ludendo reuocari; vlcerum quippe inflictionem non vterò susceperat; dum verò vermes decidentes suæ carni refituit, sponte se, & lubenti animo iam perpeti demonstrabat, & duram Diabolo impingebat alapam. *Dissecabatur malus*, ait Tertullianus; *cùm* Tertull. *Iob immundam corporis redundantiam magna æquanimitate distringeret, cum erumpentes bestiolas indè in specus & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret.* Hæc ille. Non solùm ergo aduersa magnanimo sunt excipienda consensu, sed & inquirenda, & fortiter ad certamen, & victoriam præoccupanda. Sic vtique præstitit Samuel, qui Saülem muneris successorem non solùm benigné excepit, sed & venienti gratanter occurrit.

Iure

Gregor. Iure ergo virum commendat Gregorius lib.27.Moral. cap.5. dicens: *Quid Samuele benignius, qui de principatu regendi populi deiectus, successorem sibi humiliter requirit, inuentumque vngit in Regem?*

INSTITVTIO XVIII.

Moralis.

Fausta præmuntiãda, tristia reticenda sunt.

Ad illa verba: Et cuius eruntoptima quæque. (ap.9.v.20. Caietan.

1 ANte Regalis vnctionis tempus à Domino præfinitum Saüli Samuël de futuro regno prænuntiat; vti enim tristia, & indecora obuolui silentio oportet, sic læta, & pulchra prædicere decorum est. Vnde Caietanus in Comment. *Non potest*, inquit, *se continere Samuel à prænunciando Saulis futurum Regnum Israël.*

2 Dimisit olim Columbam ex Arcæ penetralibus Noë, vt exploraret, an diluuij aquæ iam cessassent, & solum aliqua ex parte emersisset, quæ vt diuini spiritus symbolum erat futura: *Venit ad eum ad vesperam portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo.* Gen.8. 11. quo transactam diluuij tempestatem, & redditam salutem quasi pacis Angelus annunciaret; quod obseruauit ad domesticam disciplinam Oleaster Annotat.8. Morali dicens: *Attulit folium olivæ. Docentur domestici bona Dominis suis nuntiare, quæ noverint.*

Gen.8.11.

Oleast.

3 Eandem etiam ob causam Deus olim in Paradiso duram contra Adamum hominum protoparentem sententiam laturus propter inobedientiæ, & transgressionis delictum, non mane properauit, sed sub vesperum lento etiam gradu peruenit; ad sponsam verò læta humanæ salutis, ac reparationis nuntiaturus aduolasse visus fuit. *Cum audissent*, inquit, *vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* Gen.3.8. Ad Sponsam verò: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est Dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.* Cantic.2.8. Disparem vtriusque aduentus rationem expendit luculenter Galfridus apud Iadocum Badium Ascensium in Miscellaneis, & respondet ad præsens institutum: *Retardabatur*, inquit, *Dominus; & lentis gradibus incedebat: vt pote qui venebat tristem mortalibus inferre sententiam: ad Sponsam verò veniens, festinat, lætis admodum saltibus aduolat, æternam reparationis afferens medicinam.* Hæc ille; vt videas Deum quasi inuitum ad mala nuntianda hominibus pertrahi, fausta verò prædicturum, capreas, ac ceruos pernicitate superare.

Gen.3.8.

Cantic.2.8.

Galfrid.

4 Nec semel doctrinæ huius exhibuit Dominus documentum, sed frequentius confirmauit. Instituit matrimonium Adamum Euæ coniungens, nec sine laude prætermisit. *Propter hanc*, inquit, *relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna.* Gen.2.24. de pœna verò adulterij, & coniugij violatione reticuit, vt notauit Ambrosius lib. 1. de Abrah. cap. 4. *Deus*, inquit, *in Paradiso, licèt coniugium laudauerit, non adulterium damnauerat; non vult enim mortem peccatoris; & ideo quod præmij est, pollicetur: quod pœna non exigit.*

Gen.2.24.

Ambros.

5 Deliquerat idololatriæ scelere populus Israëliticus, dum Moyses apud Dominum in montis vertice commoratur. Tum Dominus: *Vade*, inquit, *descende: Peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.* Exod. 32. 7. Cum autem Moyses descenderet fontes punituros, insonuit ouantis populi tumultus, quem dum percipit Iosue, militarem vociferationem credidit. *Vitulatus*, inquit, *pugna auditur in castris.* Moyses verò licet id esse negauerit, nusquam tamen quid esset, nec ingens populi idololatriæ malum aperuit, quod tamen Deo nuper reuelante didicerat. *Non est*, inquit, *clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio.* Exod. 32. 19. Quid causæ fuit, vt consortem suum Moyses, eius, quod nosse cupiebat, ignarum manere voluerit, cùm breui rem esset deprehensurus? Crediderim, ne infausti, ac molesti nuntij autor existeret, quod sensit quoque Lippoman. in Caten. ad præfatum locum, sic scribens: *Illi non statim reuelat, quod Domino indicante scribat de populi casu horrendo; non sunt enim aduersa infelicia subito prædicanda.*

Exod.32.7.

Exod.32.19.

Lippom.

6 Moysis prudentiam euangelica illa mulier videtur æmulata, quæ cùm drachmam, quam amiserat post longam exquisitionem inuenisset: *conuocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.* Luc.15.9. nusquam autem legitur; Cùm perdidisset numisma, vicinis, aut necessariis malum suum aperuisse, aut communicasse dolorem, neque enim infausta denuntiare, sed prospera studebat, vt rectè annotauit Chrysologus mulieris consilio commendato. Serm. 169. dicens: *Putásne mulier ista communis est, aut familiaris quod amicas ad lætitiam conuocat, & vicinas, quas perdens conuocasse non legitur ad mœrorem?* Quam viros quoque imitari non pigeat, illi, inquam, qui stolido quodam instituto ad nuntianda mala festini conuolant, ad bona verò torpent, & frigent; ex quorum grege ille erat, qui Beato Iob patientiæ, & constantiæ speculo tot infortunia, aduersosque casus sedulo studio nuntiaturus inuolabat, quem ex hac potissimùm ratione Chrysostomus Serm. 3. de Iob: Diabolum potius, quàm hominem credidit.

Luc.15.9.

Chrysol.

7 Hinc intelligo quorumdam Dauidis Regis verborum rationem hac sine luce non facilem. Nam cùm commisso, peractóque iam prælio aduersùs filium Absalon, speculator bellici euentus rumorem aucupaturus, vidisset currentem hominem, Regem admonuit, qui eo audito respondit. *Si solus est, bonus est nuntius in ore eius* 2.Reg. 18. 25. Nam si malum, acceptáque clades nuntianda foret, non vnicus fuisset nuntiator, sed innumeri; *stultorum enim plena sunt omnia.* Quos tamen instruere, ac frænare studuit Licurgus in suis Legibus, vt testatur Antonius de Gueuara in suis diuersis Epist. *legem cauens mala cuiquam non annuntiari.* Plato verò prudenter admonebat Athenienses, ne, cui malorum leuamen afferre non possent, infausta referrent. Qua item de causa Deus olim Porphyrionem tanquam immundum alitem lege veteri forte prohibuit, qui vt Autor est Aristoteles, cognito vxoris sui Domini adulterio collo se suspendens, indecorum facinus reddit publicum, & ad virum defert.

2.Reg.18.25.

Licurg.

Gueuara.

Plato.

Deuter.14.16.

Leuit.11.18.

Arist.

8 Sed finem institutioni imponamus Christi Domini optimi Præceptoris exemplo, qui Eucharistiæ prædicans mysterium, de morte ab indignè sumentibus incurrenda, nihil: de vita verò abtis, qui digne sumerent in præmium retribuenda, pluta sæpius verba fecit. Ioan. 6. *Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* v. 33. *Vt si quis ex ipso manducet, non moriatur.* v. 50.

Si quis

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, vers. 51. & sæpe aliàs. Hæc quidem Christus: Paulus verò contrariam ingressus viam pœnam potiùs, atque imminens supplicium indignis passim comminatur. *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit.* 1.Cor.11. 1.Cor.11.
Item similiter Angelus Mariæ: *Ecce concipies in* Luc.1.31.
vtero, & paries Filium. Luc.1. 31. homo verò
nempe Simeon: *Ecce positus est hic in ruinam.* ibid.2.34.
ibidem 2. 34. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*: ibidem vers. 35. De qua etiam doctri- Baëza.
na plura Didacus Baëza tom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 2. §. 6. Nec tamen ad calcem omittam prudentissimum quoque Elisæi consilium, ac prouidentiam, qui filium mulieris, apud quam aliquandiu manserat, recens mortuum ad vitam reuocaturus ministro suo Giezi imprimis imperat ita celeriter ad opus peragendum inuolet, vt nec salutet quemquam in via, nec salutatus respondeat. *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi.* 4. 4.Reg.4.29.
Reg. 4. 29. Quorsum tanta celeritas, vt communes quoque prohibeantur salutationes, ne vllum fiat temporis detrimentum? Vtique ne infortunium interea diuulgaretur, & ad miseri parentis aures filij emortui rumor perueniret: Hanc enim Abul.
rationem aptè assignat Abulensis ibi quæst. 46. *Quia*, inquit, *Elisæum volebat, vt ista suscitatio pueri fieret secretè valdè, vt nullis innotesceret, antequam fieret, vt etiam non agnosceret pater pueri mortem eius.*

INSTITVTIO XIX.

Moralis.

Humiles suas virtutes non agnoscunt.

Ad illa verba: Numquid non filius Iemini ego sum? c.9.vers.21.

1 SAülis humilitas Regiam recusantis dignitatem omnium ore commendatur Interpretum, neque immeritò, neque enim vnicam adhibuit, sed multiplicem excusationem, suámque suique originis indignitatem humili confessione proposuit. Animaduersione tamen dignum est ea, quibus interdum ad suam ignominiam prodendam vtebatur, ad suam potiùs laudem, & dignitatem conduxisse: obiicit enim se ab Atauo Iemini originem duxisse, quod sibi indecorum existimat, cùm tamen eam sibi stirpem gloriosam esse ignoraret; fuerat enim Iemini, vt docet cum aliis Abulensis, Vir primæuæ nobilitatis, egregiisque factis in omnium oculis conspicuus, ex quo non modicam tota Tribus Beniamin claritatem acceperat. Ea tamen est iustorum, humiliúmque conditio, vt ea, quæ ad suam gloriam conducunt, prorsùs non videant, immò eadem sibi esse dedecori interdum existiment. Cui forte alluserit Apostolus, dum dixit, *Christi bonus odor Iumus.* 2. Corint. 2. 15. Ij enim qui continuò bonum secum odorem habent, minimè percipiunt, dum alij eorum fragrantia recreantur. In hunc etiam modum iusti alios quidem optimæ opinione odore complent, quem ipsi nunquam percipiunt. 2.Cor.2.15.

2 Huius fuit ingenij Beatissimus Domini Præcursor, qui cùm ipsius Veritatis testimonio plus esset, quàm Propheta à Iudæorum Oratoribus interrogatus, an esset Propheta, negauit prorsùs. *Propheta es tu? Et dixit: non.* Non autem in eo mentitum certum est, negauit tamen, eo quòd suam ipse dignitatem ignorabat. Idem quoque contigisse videas cœlesti quondam Sponsæ, quæ dilectum sibi Sponsum enixè rogat, vt suum sibi Tabernaculum indicet, vbi in meridie requiescit. *Indica*, inquit, *mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Cant. 1. 7. Quæ quidem spiritualis Sponsæ Ioan.1.22. Cant 1.7.
interrogatio magnam sui ipsius præ se fert ignorantiam, cùm vbique constet: *Anima iusti sedes est sapientiæ.* Et iterùm *Vos estis templum Dei,* 2.Cor.6.16.
ideò hanc ipsi sui ignorationem Sponsus obiicit, respondens: *Si ignoras te, Opulcherrima mulierum, egredere, & abi*: quasi diceret: ex tua quidem interrogatione insciam te tuæ ipsius dignitatis ostendis, nec noscis non vllum vnquam mé tubernaculum lubentiùs inhabitare, quàm pectoris dulcissimæ mihi Sponsæ.

3 Diu Moyses populi Israëlitici Imperator diuinas accepturus leges, cum Domino in alto montis vertice immoratus fuerat. Cùm autem ad suos descenderet: *Videntes Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere, vocatique ab eo reuersi sunt tam Aaron, quam Principes Synagogæ.* Exod. 34. 30. Ex eo videlicet, Exod. 34.
quod legislatoris facies tanta radiorum copia fulgeret, ac nimia luce splenderet, vt videntium oculos obuerberaret, *ita vt non possent filij Israel intendere in faciem Moysi.* Ipso autem tempore Moyses *ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* ibidem vers. 29. Ecce mysterium; propriam, qua fulget, claritatem Moyses ignorat, quam alij non solùm vident & admirantur, sed nec pati possunt præ nimietate. Quod notauit quoque Oleaster Annotation. 34. Oleast.
dicens: *Non audet populus, immò neque proceres Synagogæ ad eum accedere. Vident in eo lucem inaccessibilem, & ignorat ipse, qua in facie sua habeat. Immò cùm alios admirari videt, velamine faciem operit.* Hæc ille: In tantum enim Moyses suam non amabat gloriam, nec plausum aucupabatur, vt splendorem vultus; quem non sentiebat ipse, nulli fieri notum vellet, nec in admirationem venire.

4 Quid Danidem referam iniquum quoque sui ipsius æstimatorem, de quo Ecclesiasticus: *Cum leonibus lusit, quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit.* Eccli. 47. 3. Ipse verò Dauid cum Eccli 47.
ingentia hæc facinora in memoriam aliquando reuocari oportuit, vt Saülis animum ex Goliæ Gigantis insultatione, prostratum, excitaret, vtque sibi cum ipso congrediendi copiam faceret, sui, fuorúmque oblitus minora quidem retulit, quàm confecerat. *Leonem*, inquit, *& vrsum interfeci ego seruus tuus.* 1.Reg.17. Non vtique plures 1.Reg.17.
se leones, & vrsos confecisse narrat, sed vnicum: nec, quod speciosissimum erat, certaminis modum expressit, nempe per ludum, aut iocum; ea enim quæ gesserat, alij satis nouerant, satis prædicabant, ipse verò dederat oblitioni.

5 Sed modestius adhuc Dauide Christus Dominus eius item Dauidis filius, gloriæ suæ rem gessit, qui cùm ignorare non posset, quasi ignoraret, celauit. Domino ergo aliquando Martha male blandita dixerat: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: Sed & nunc scio; quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Ioann. 11. 21. In quo exacerbare cum Ioan.11.22.
potiùs, quàm demulcere vita est; neque enim

cum Deum confitetur, & miraculorum patratorem, sed Dei tantum amicum prædicat, à quo quidquid expoſcat, facile impetraturum, & iniuria potiùs pulſabat Chriſtum, quàm foouebat obſequio. Iam verò quid reſpondit Dominus? *Reſurget*, inquit, *frater tuus*, verſ. 22. Vere equidem Lazari reſurrectio à Chriſto operanda erat; hoc tamen tanquam ipſe Chriſtus ignoraret, mortui reſurrectionem tantum promittit; eius verò autorem nempe ſeipſum, ſilentio prætermiſit, cùm tamen infirmitatis, & impotentiæ nota fuiſſet à Martha petitus. Nunc totam rem accipe à Baſilio Seleucienſi

Baſil. orat. 2. *Non dixit*, inquit, *petam. Quid ergo? Reſurget frater tuus. Nam ſi dixiſſet: O mulier ſenſu humi adhuc ſerpis: non indigeo externo præſidio: ex meipſo omnia facio; durius in mulierculam inſurgere videri potuiſſet.* Eandem ſententiam expreſſerat

Chryſ. Chryſoſt. hom. 61. In Ioann. tom. 3. à quo videtur Baſilius mutuatus. *Non enim*, ait Chryſoſtomus, *poſcam, ſed exurget. Nam ſi dixiſſet ô mulier adhuc humi iacens, non egeo alterius auxilio: à meipſo omnia facio, moleſtiora & ſupra mulieris intelligentiam fuiſſent*: dicendo autem reſurget, *medium tenuit.*

6 Hæc diuini Præceptoris documenta, hæc humilitatis exempla vel viderunt Sancti, vel audierunt, quibus vt ſe conformarent, ſuam vtique excellentiam vel prorsùs ignorabant, vel agnitam ſpernebant: immò, vt communis fert regula, quò cæteros virtutum donibus, & conuerſationis dignitate præcedebant, eò quoque humilitate præibant. Vidit quondam Angelos Iacobus per myſticam

Gen 28 12. ſcalam *aſcendentes*, & *deſcendentes*, Gen. 28. 12. non, vt credo, quòd interdum aſcenderent, & ſupremum iam gradum tenentes, iterùm ad inferiora deſcenderent, ſed quòd eodem prorsùs temporis momento & aſcenderent, & deſcenderent. Rogas qui id fieri poſſit, quod manifeſtam implicationem præ ſe ferat, nec iuxta Philoſophicam diſciplinam poſſit dari motus eodem tempore in contraria. Reſpondeo ita quotidie contingere, cùm Angelicæ puritatis æmulatores quantò ad virtutum ſupremia velociùs conuolant, tantò ad humilitatis profunda deſcendunt, nec enim ſuam agnoſcunt dignitatem, ſed potiùs ex ipſis meritis materiam humiliationis eliciunt. Mecum ſentit Galfridus in Miſcellaneis Aſcenſi ſic fatus: *Aſcendunt*

Galfrid. *per gradus Angeli, & deſcendunt, dum ſectatores Angelicæ & æmulatores ſocietatis eorum quantò magis proficiunt, tantò humiliores exiſtunt.* Rationem reddit huius antinomiæ Guarricus Abbas ſerm. 3.

Guarric. de Epiph. *Quantò namque amplius lucerna eius illuminata fuerit, tantò verius ex lucerna ipſa tenebras ſuas deprehendit. Quantòque vero lumini propius accedunt, tantò imperfectionis ſuæ maculas euidentius vident.* De qua Sanctorum humilitate, & dignitatis, ac meritorum ſuorum ignorantia, plura

Mend. Mendoza noſter tom. 1. Annot. 3. Proœmiali ſect. 1. à §. 5. & tom. 2. ad cap. 5. lib. 1. Reg. num. 9. §. 6. & ſequentibus. Ita igitur Saùl quò illuſtrioribus fulgebat meritis, & Maiorum ſuorum natalibus clarior erat, ſe inopem, ignobilemque conſiderabat,

Gregor. cuius modeſtiam commendauit maximè Gregor. lib. 4. Variarum ep. 4. communem hanc eſſe aſſirmans Sanctis conſuetudinem. *Habent*, inquit, *proprium meritis humilitatem, vt ſpiritualia dona habeant, ſed ea, quæ habent, ſe non attendant. Quia a Spiritu ſancto virtutum dona percipiunt. Ideo ſanctus Spiritus qui eorum mentibus illabitur, ea eis de aeſtimatione tollit, vt virtutis conſcientiam non habeant: in tumore elationis non habeant. Benè ergo de Saule dicitur.* Ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum. De hoc tamen inſtituto, plura eruditè & eleganter Andreas Pintus Ramirez chariſſimus noſter concollega lib. 3. in Cant. cap. 2. verſ. 14. §. 2. quem ſi lubet, conſule.

INSTITVTIO XX.

Moralis.

Prædicatores Deo chariſſimi.

1 TEnerum circa filium amorem indicat patris ſollicitudo, vt notauit Gregorius: quod quidem ipſe myſtice interpretatur de diuini amoris teneritudine erga eos præcipuè, qui ſedulò curam animarum agunt. *Quia*, inquit, *perditas aſinas patris quærit, ei valdè dilectus eſt, quia qui peccatorum animas conuertere prædicando nititur, Redemptoris noſtri iam in magna charitate cópulatur.* Nec mirum cò ſollicitum Deum eſſe, pro ſuis Prædicatoribus: *vbi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* Sunt autem ij, qui animarum ſaluti incumbunt, Dei ipſius theſaurus, vt teſtatur Pſalmiſta, dicens: *Qui producit ventos de theſauris ſuis.* Pſalm. 134. ventos verò Prædicatores interpretatur Auguſtinus ibidem tom. 8. *Eoſdem*, inquit, *puto Prædicatores, & ventos.* In quos vt amorem ſuum proderet, diſpoſuit vt in genealogiæ ſuæ narratione eorum nomina opprimerentur, qui ſuis Prophetis, & Prædicatoribus infeſti fuiſſent. Prætermittuntur enim Ochozias, Ioas, & Amaſias, vt notauit idem Auguſt. q. 83. in nouum Teſtam. tom. 5. Quam rationem reddit quoque Rupertus dicens: *Ideirco iſti ſolo de materia preſenti de libro Generationis IESV CHRISTI repulſi ſunt, qui verbum Dei audire, vel præcones verbi Dei viuere paſſi non ſunt.*

Ad illa verba: Sollicitus eſt pro vobis c. 10. verſ. 2. Gregor.

Pſalm. 134. Aug.

Idem.

Rupert.

2 E contrà verò ſtrenuos verbi ſui Prædicatores in magno ſibi, & hominibus honore habendos exiſtimauit, vt in glorioſa eius Transfiguratione aduertere oportet. Nam cùm coram tribus Diſcipulis gloriæ ſuæ triumphum agere decreuiſſet, Moyſem potiùs & Heliam laterones ſuos elegit, & eiuſdem gloriæ conteſtes. *Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Helias cum eo loquentes.* Matth. 17. Inquiri enim poteſt, cùrnam vel duos ſummos Pontifices ex ſibi familiaribus non adhibuit, vt ipſorum dignitas, & rei magnitudo poſtulabat, Aaronem, & Melchiſedechum, aut duos ſaltem purpuratos Reges Dauidem, & Ioſiam, honoris, & maieſtatis gratia, ſed potiùs Moyſem, & Heliam? Aptè ad rem noſtram reſpondet Eutimius in præfatum locum. *Quia ambo*, inquit, *aduerſùs tyrannos loquendi libertate vſi ſunt: Moyſes quidem aduerſùs Pharaonem: Helias verò aduerſùs Achab.* Hos ergo potiùs, omnibus aliis prætermiſſis, magno hoc honore Dominus proſequendos ratus, triumphi ſui ſocios, & conteſtes voluit, quòd verbi ſui prædicatione potiſſimum floruiſſent.

Matth 17.

Eutim.

3 Hanc quoque egregiam honoris, & amoris ſignificationem Abrahamo dedit, dum cordis ſui ſecreta illi vni reuelauit, ſcilicet de excidio Sodomæ, ac finitimarum vrbium, quod iam meditabatur. *Num*, inquit, *celare potero Abraham, qua geſturus*

Gen.18.17. *gesturus sum*? Genes.18.17. Quid tamen causæ est, quod Abrahamo Sodomorum denastatio prædicenda foret? Rationem idem Dominus ad præsens institutum addidit præstantissimam. *Scio enim*, ait, *quod præceperus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam.* ibidem Vers.19. Ecce inquantum Abrahami doctrina, & viarum Domini demonstratio Deo amabilem, & honorabilem virũ reddidit, vt notauit

Chrysost. Chrysostomus. *Pro futura*, inquit, *virtute iustum remunerat.* Expressius verò notter Pererius ibidem

Pererius. rationem indidit, inquiens: *Quod non ipse solus eximiè pius, & religiosus esset erga Deum, sed quòd ad eandem pietatem diligenter erudiret, atque imbueret filios suos, omnémque familiam.* Hæc Pererius, vt videris alienæ salutis solicitudine Dei gratiam, specialémque fauorem optimè comparari.

4 Singulariorem tamen gratiam, & beneficium inuenit pius ille Latro, qui Christo confixus fuerat: post diuturnam enim prauæ vitæ consuetudinem, post innumera delicta, vix Domini Saluatoris memoriam humili confessione sollicitauit, cùm audire dignus fuit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Magna quidem indulgentia, eximius gratiæ fauor, quem tamen ipse prudentissimè procurauit, ferens subitò Prædicator effectus; nam cùm supplicij sui latronem alterum consortem, impium in Christum, ac blasphemum videt, seuerè reprehendit, & ad timorem Domini reducere studuit, dicens: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò*

Luc.24.40. *nihil mali gessit?* Luc.24.40. Cuius quidem charitatis zelo, & suæ innocentiæ prædicationi inclinatus Dominus continuò dilexit, & vitæ æternæ

Chrysost. præmio cumulauit. *Charitatem*, ait Chrysostomus relatus in Catena S.Thomæ *in morte sua vinaciter tenuit, qui fratrem, & collatronem pro simili scelere morientem, de iniquitate sua redarguit.*

5 Eandem Christus gratiam, & beneuolentiam ostendit cæco illi, quem curauerat, quem postea sibi obuium spirituali quoque fidei lumine illustrauit. *Tu credis*, inquit, *in filium Dei?* Ioan.9.35. Cùm verò ille ignorantiam suam fateretur, ipsi se Christus clarissimè manifestauit, & circa fidem instruxit. *Et dixit ei IESVS: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.* ibidem. Vers. 37. Rarò se vnquam Christus cuiquam tanta claritate prodidit, vtque se illi manifestaret, eundem priùs interrogauit, & excitauit ad fidem. Rogas quænam tantæ gratiæ, ac fauoris singularissimi ratio fuerit? Crediderim eam esse, quam adstruimus, nempe cæcum, reluctantibus quoque Pharisæis, ac non sine capitis sui discrimine Domini innocentiam, & sanctitatem constantissimè prædicasse. *Scimus*, inquit, *quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam*: Hæc cæcus, qua quidem insigni Dominicæ innocentiæ prædicatione dignus extitit, qui tantis à Domino gratiis & fauoribus ornaretur. Vnde Chrysostomus in Catena S.Thomæ sic fatur. *Qui propter veritatem, & Christi confessionem iniuria opprimuntur, hi maximè honorantur; quod in cæco factum est; eiecerunt enim eum ex Templo Iudæi, & inuenit eum Dominus Templi, & eum suscepit, sicut agonothetha athletam multùm laborantem, & coronauit.*'

6 Nec secus diuinæ olim Sponsæ seipsum manifestauit Sponsus Cantic.6. quæ illum sedulò per vi-

Cant.6. cos, & plateas diù inquisiuerat, & quoscumque obuios percontabatur, dicens: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum, vt nuntietis, quia amore langueo.* Cantic.5.8. Adiuratis enim Hierosolimorum filiabus, signa, quibus Sponsum agnoscant, exquirentibus, decorem eius, & pulcherrimam membrorum speciem latissimè expendit, dicens: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus* Cant.5.10. *ex millibus. Caput eius aurum optimum: Coma eius sicut elatæ palmarum, nigra quasi corvus. Oculi eius sicut columbæ, &c.* Filiæ verò Hierusalem è contrà, *Quò abiit dilectus tuus ò pulcherrima mulierum? Quò declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.* ib.Vers.17. Frigida quidem interrogatio; nam si Sponsi locum nouisset Sponsa, nusquam tanto cum studio ipsum perquireret. Audi tamen Sponsam: *Dilectus meus descendit in hortum suum.* ibid.6.Vers.1. Papæ! Si ergo quò Sponsus tuus descenderat, non ignoras, quid, quæso, de eo studiosè percontaris? Quid vbique inquiris? Vtique quia antea non noverat, modò verò Sponso reuelante locum, in quo inueniat, didicit. Rogas tamen cùrnam Sponsus, qui hucusque delituerat, nec se sponsæ manifestauerat, eidem modo per internam illustrationem, vbi sit inquirendus, indicauerit? aut qua arte huius se fauoris dignam reddidit? Credo vtique quod se diuini Sponsi prædicatricem, & panegyristam effecerit; quo vno ita sibi Sponsum pellexit, ita gratum reddidit, vt se illi continuò manifestauerit. Adeò Prædicatores suos Sponsus amat, & tantis eos fauoribus cumulat. Vbi obiter aduertas oportet ob amorem Sponsi iniurias, & vulnera patienti: *Percusserunt me, vulneraverunt me.* ibid.Vers.7. non reuelatum Sponsum, prædicanti verò confestim proditum; maiora enim interdum Doctoribus, quam ipsis etiam Martyribus gratiæ & gloriæ dona concedit. Nam *qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Matt.5.20.

7 Hæc vt libentiùs credas Stephani Protomartyris passionem ad mentem reuoca *Actor.7.59.* Is enim à Iudæis dum lapidaretur, Dei auxilium, vt fortiter occumberet, secum sensit, sed IESVM non vidit. *Lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine IESV suscipe spiritum meum.* Inuocabat quidem IESVM, ille verò per auxilium quidem gratiæ intùs aderat, nec foras apparebat, vt cerni posset, adhuc cùm pro inimicis oraret, vel saltem tunc primò non apparuit. Dum autem ipsos tortores instituit, & officium Doctoris agit, toto ferè capite septimo. *Dura*, inquiens, *cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui sancto resistitis, &c.* Vers.50. Tum potissimùm diuina fruitur visione; namque *intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & IESVM stantem à dextris virtutis Dei.* Vers.55. Patet ergo Dei gloria Stephano, non quidem cùm patitur, sed cùm docet, & prædicat; neque Stephanum triumphantem, & effuso sanguine purpuratum Christus visurus cœlestibus fenestris insistit, sed de diuinis dicentem, & improbos sanioribus institutis imbuentem, vt Doctus Interpres annotauit.

8 Hanc etiam gratiæ, & gloriæ excellentiam, quæ Doctoribus, & Prædicatoribus obtingit, notam Christus ipse alibi etiam fecit, scilicet. *Luc.12.* vbi duos seruorum fidelium ordines diuisit: primum quidem eorum, qui sibi attendentes Domini aduentum, & ex mortali vita transitum præstolantur, lucernis bonorum operum instructi. *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.* Luc.12.36. Luc.12.36. Quos vt coronæ spe confirmet, addidit, familiæ

dominum, quos paratos inuenerit tantis honoribus donaturum, vt mensæ suæ accumbentibus ipse ministret. *Præcinget se, & faciet eos discumbere, & transiens ministrabit illis.* v.37. Ecce incredibilis Domini in honorandis seruis affluentia. Alter est seruorum fidelium ordo, qui totius domus curam gerentes, non solùm sibi, sed aliis conseruis suis solicitè prouident: *Vt det illis in tempore tritici mensuram.* ibid. v.42. Horum verò præmia prioribus maiora deprehendes; Siquidem omnium bonorum Dei, Domini, & dispensatores efficiuntur. *Verè dico vobis, quoniam supra omnia, quæ possidet, constituet illum.* In his vero Prædicatores, & Doctores præsignatos quis non clamat? Certè Autor Glossæ Ordinariæ dilucidè rem expressit his verbis. *Quanta inter bonos auditores, & Doctores est distantia meritorum, tanta & præmiorum. Auditores bonos facit discumbere, & transiens ministrat: Dispensatores constituit super omnia, quæ possidet; non vt soli, sed vt præ cæteris habeant æterna, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia.* Non ergo mirum est Deum pro suis Prædicatoribus, & Doctoribus, quos tanti vbique facit, èsse solicitum: *Et solicitus est pro vobis.*

INSTITVTIO XXI.
Moralis.

Concordiæ præsidium firmissimum.

Ad illa verba: Et ecce cuneus Prophetarum. *Cap.10.v.10.*

1 PRophetarum multitudo, quæ hoc ipso c.10. v.5. grex dicta fuerat, modo cuneus dicitur. Est autem cuneus ferreum instrumentum ex vna parte aliquanto acutum, quod lignorum rimis infixum, ictibúsque contusum ligna etiam durissima, & stipites findit. Vnde agglomerata exercitús multitudo, quæ hostium rumpit agmina, cuneus etiam dicitur. Durum igitur, fortissimúmque est vnionis fraternæ, mutuæque concordiæ præsidium, qua quidem *parua res crescunt*, qua sine maximæ sponte ruunt. *Omne enim regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Luc. 11. 17. Luc.11.17. Addit etiam: *Si autem & Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius?* ibid. v. 18. Dæmones enim mutuæ vnionis virtutem agnoscentes, cùm regni sui conseruationi studeant, ita inuicem recto concordiæ vinculo fœderantur, vt non plures, sed vnus tantum esse videatur. Cùm enim Dominus ab homine infelice, qui degebat in monumentis, Dæmone obsesso, nomen interrogasset, respondit ipse Diabolus, *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Marc. 5. 9. Marc.5.9. Dominus verò: *Exi spiritus immunde ab homine*; sub singulari numero totam Dæmonum legionem sex millibus sexcentis sexaginta sex spiritibus constantem alloquitur, vt notauit Euthimius ibi. *Multis*, inquit, *Dæmonibus imperat, quasi vnus esset.* Euthim. Ratio verò ipsa se prodit; veriti enim Dæmones à Domino expulsum iri, vt fortius diuinæ resisterent virtuti, & regnum suum conseruarent, ita in vnum confluxere, vt vnus potiùs, quam multiplex legio videretur.

2 Deuicit Dauidicus exercitus impij filij copiosissimam manum, cùm hæc quadraginta hominum millibus; ille verò septem tantum millibus hominum constaret, vt docet Abul. ibi. q. 10. Quænam, rogo, mirificæ victoriæ causa fuerit? An vnica Dei prouidentia, & absoluta dispositio? Non opinor, sed naturalibus causis accommodata; nam de recto ordine exercitus paterni constat & militari concordia. *Egrediebatúrque populus per turmas suas centeni, & milleni.* ibid. v. 4. de filij verò phalangibus non constat, immò probabilius est ipsa fratrum multitudine parùm dę eius ordinatione curasse; in quod inclinat Abulensis his verbis. *Forte fuit, quia exercitus Dauid erat valdè ordinatus: & exercitus Absalon sine ordine; ideò faciliter dispersus est.* Idem. Quod idem accidisse videris Israëlitis hoc eodem libro cap. 4. qui pugnaturi cum Philisthinis, egressi, aciem instruxisse non perhibentur, cùm de hostibus eas composuisse referatur: *Porro Philistiim venerunt in Aphec, & instruxerunt aciem contra Israël.* 1. Reg. 4. 2. 1.Reg.4.2.

3 Ex hoc ipso capite Dauid de victoria quam ex Philisthæis ipsis obtinuerat, sibi aliquando gratulatus, aiebat: *Diuisit Dominus inimicos meos,* 2. Reg. 5. 20. Quasi diceret: Cùm placuisset Deò hostes mihi in manum dare, discordias illis, & diuisiones immisit, quibus eos infirmos, ac fragiles, in tantum reddidit, vt modica industria, exiguóque labore mihi ad eos perdomandos, & deuincendos fuerit opus. Quod obseruauit luculenter Sopranis noster in suo Dauide ad præfatum locum, congruam ex humanioribus literis disciplinam adnectens. *Diuisus*, inquit, *exercitus, & fractus idem est; in cuius signum memini aliquando me legisse Pierij lib. 35. Victoriæ simulachrum in similitudinem fœminæ pulcherrimæ veteres finxisse, manu altera galeam; altera malum Punicum gestantis: illud propter arma: istud propter iunctiuram & nexum, quem grana mali Punici designant.* 2.Reg.5.20. Sopranis.

4 Iacob somno tandem excitatus, locum, in quo dormierat, terribilem prædicat, & quasi terrefactus dicit: *Quàm terribilis est locus iste!* Gen. 28.17. Certe terribile nihil viderat, immò dulcissimum prægustauerat, nimirùm Deum benignissimè fouentem, mysticam quoque, ac mirabilem scalam, Angelósq; *ascendentes, & descendẽtes.* Certe in his terribile nihil apparet: Commentantur tamen Rabbini, vt consueuerunt, noui nescio quid; nempe plures illos lapides, quibus Iacob in suum accubitum lectum strauerat, in vnum tandem coaluisse; priùs enim dicitur: *Tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit.* vers. 11. Posteriùs verò, non lapides, sed lapidem reperiisse narratur. *Surgens ergo Iacob tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum.* Vers. 18. Iam audi Hebræos apud Liran. *Dicunt Hebræi, quòd accepit tres lapides, & satis videtur ex Textu quòd accepit plures, ex eo quòd dicitur* de lapidibus; *& quando vigilauit, inuenit quòd illi tres lapides facti erant vnus lapis; & hoc videtur per litteram sequentem infra*: Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo. Quod si vera est Hebræorum meditatio, satis ad rem nostram facit; nihil enim terribilius est plurimorum vnione & vniformi animorum concordia. Nam vt Sapiens ait: *Frater qui adiuuatur à fratre, tanquam ciuitas firma.* Prouer. 18. 19. Gen.28.17. Hebræi. Liran. Prou.18.19.

5 Hoc quidem experti sunt Apostoli, orbem Euangelico domantes iugo, quibus ad prædicandum Euangelium iam iam profecturis prædixit sapientissimus Magister: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Luc. 10. 3. Cur ita? Ergo agneli à lupis dilacerati minimè prædicabunt; omni potiùs armorum, virtutisque præsidio, ne hostibus succumberent, instruendi forent. Si tamen res consideretur, ita vtique se habuit; firmissimo enim vnionis, & mutuæ charitatis munimine Luc.10.3.

eos

eos Dominus fortes, ac inuincibiles reddidit. *Misit,* inquit, *illos binos.* Ibid. vers. 1. vt annotauit Greg. hom. 17. in Euang. sic fatus: *Ecce enim binos in predicationem Discipulos mittit, quia duo sunt precepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi, & minùs quàm inter duos haberi charitas non potest.* Rem verò expressius edidit Ansbert. lib. 4. in Apocalyps. dicens: *Ideò lupi contra agnos dimicantes non vincunt, quia illi diuisi, isti verò inueniuntur uniti.*

Greg.

Ansbert.

6 Quid tamen est, quod extrema ipsis consilia præbens addidit: *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam.* Luc. 9. 3. Cur, inquam, rerum omnium egenos, & inermes immittit? Respondeo ne in rerum temporalium diuisione dissideant; virga etiam careant, quæ est iniuriæ, vindictæque instrumentum, ne quà mutuæ concordiæ dirimendæ pateat aditus. *Dominus quidem IESVS,* inquit Ambros. lib. Ioseph. cap. 13. *dimittens ad euangelizandum Discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine virga, vt & inuentiua litis, & instrumenta eriperet vltionis.* Hæc Ambrosius. Sciebat vtique Dominus fraterna Discipulorum charitate orbem subiugandum fore, nec quidquam impedimento esse posse, nisi mutuæ concordiæ dissipationem.

Luc. 9. 3.

Ambros.

7 Diuinam fortitudinem exaltans Balaan Rhinocerotis robori coæquauit. *Cuius fortitudo similis est Rhinocerotis.* Numer. 23. 22. nec desipuit. Rationem comparationis reddit Origenes homil. 16. in Numer. ad nostrum pertinentem institutum. *Quia,* inquit, *sicut vires, quibus pollet Rhinoceros, vnum in cornu coalescunt; ita omnes animæ quæ Deo militant in charitatem, seu vnitatem spiritus copulantur.* Hæc ergo fidelium concordia vincit mundum, & Diabolum iugulat.

Num. 23. 22.

Origen.

8 Hinc emphaticam tenebis sancti Eligij sententiam hom. 2. de Eucharistiæ Sacramento locuti. *Sacramento,* inquit, *Eucharistiæ totus subingatus est mundus.* Est enim Eucharistiæ Sacramentum diuinæ cuiusdam vnionis effectiuum, non solum hominis cum Deo, sed & hominum inter se, vt notauit Augustin. tract. 26. in Ioann. inquiens: *Propterea quippe sicut etiam ante nos, hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster IESVS CHRISTVS corpus, & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in vnum ex multis granis conficitur: aliud in vnum ex multis acinis confluit.*

Eligius.

Aug.

9 *E contra verò nulla arte imperia,* Reipublicæ, & fortissima quæque præsidia facilius labefactantur, quàm mutuis odiis, ciuilibúsque discordiis, quæ si intersint, necessaria non est aduersariorum manus. Quas quidem discordias Tacitus Politicorum Princeps Romanorum hostibus imprecatus aiebat lib. de Morib. Germanor. *Maneat, quæso, duretque gentibus, si non amor nostri, certe odium sui; quod vrgentibus imperij fatis, nihil iam præstare fortuna maius potest, quàm hostium discordiam.* Et rursùs in Agricola: *Tandémque Britanni docti communne periculum concordiâ propulsare.* Qua quidem ratione Titus Imperator apud Egesippum lib. 3. de Excidio Ierosolymæ c. 25. suos in eiusdem vrbis obsidione milites hac oratione adhortabatur. *Inter se hostes intra vrbem tumultu fauiunt: fores cadunturintus digladiantur: festinemus igitur, dum adhuc dissident, ne forte periculi metu in gratiam redeant.* Denique ad sacra redeuntes, *inimicus* ille *homo,* scilicet Diabolus superseminatis zizaniis securus excessit, nec de voti sui euentu diutiùs dubitauit. *Superseminauit zizania in medio tritici, & abiit.* Matt. 13. 25.

Tacitus.

Egesip.

Matt. 13. 25.

Vnde Augustinus. *Triumphus,* inquit, *Dæmonum est dissensio Christianorum.* Augustin.

INSTITVTIO XXII.

Literalis.

Sortium natura, vsus, & censura.

1 MVlta circa sortium naturam, qualitatem, & vsum dicenda occurrunt, sed breuiter expedienda res est. Sortium vsus non infrequens in Scripturis est: nempe de duobus hircis. *Leuit.* 16. 8. de promissæ terræ diuisione. *Numer.* 26. 54. *ibid. cap.* 33. 54. & *cap.* 36. 2. *Deuter.* 1. 38. De furto anathematis. *Iosue* 7. 14. De filiis Iuda *ibid.* 15. 1. De filiis Iosue *ibid.* 16. 1. De Tribu Manasse *ibid.* 17. 1. & sæpiùs in eodem libro. De Saüle, & Ionatha 1. *Reg.* 14. 40. Sors pro assignandis officiis 1. *Paral.* 24. 5. Pro ordinandis cantoribus *ibid.* 25. Ianitoribus Templi *ibid.* 26. 13. Ad fungendum Sacerdotio. *Luc.* 1. 9. Pro electione S. Matthiæ in Apostolum. *Actor.* 1. 26. Pro Iona in mare eiiciendo. *Iona* 1. 7. Pro Christi Domini tunica inconsutili *Matth.* 27. 35. & *Psalm.* 21. 19. & sæpè aliàs. *Ad illa verba:* Et cecidit sors, &c. *cap.* 10. *vers.* 20.

2 De sortium verò natura, & vsu multa Interpretes ad prædicta loca illustranda. Videlicet Abul. Num. 26. Iosue 7. & 15. & 18. Lira, Ribera, Ionæ 1. n. 40. Lorin. Actor. 1. Salmero & Ferus ibid. Magallanes Iosue 7. S. Thom. opusc. 25. & 2. 2. q. 95. art. 8. & ibid. Theologi, & Interpretes, Caiet. & alij, quibus adde Ioann. Vigerium de virtute Iust. c. 5. §. 5. vers. 4. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 2. de Superstit. c. 12. Thom. Sanch. lib. 2. Decalog. c. 38. Bellarm. lib. 1. de Cler. c. 5. Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 244. c. 2. Lessium lib. 2. de Iust. cap. 43. dub. 9. Delrium lib. 4. QQ. Magicar. cap. 2. quæst. 7. sect. 3. Ioann. Marquez de Gubernatore Christiano cap. 3. Etymolog. Trilingue Lugdunen. ann. 1607. Gasparem Peucerum Lutheran. Comm. de variis Diuinat. generib. Ioan. Franc. Picum Mirandulanum de Prænotionib. lib. 6. cap. 3. Tiraquell. de Iure Primog. cap. 17. n. 67. Bullengerium lib. de sortibus. Conradum Wimpinam lib. de Diuinat. c. 5. Iulium Sirenium lib. 9. de Fato c. 38. Rangol. in præsenti, & nouissimè plura de hac re eruditè Franc. Salinas noster condiscipulus & ab ineunte ætate charus ad cap. 1. Ionæ, licèt adhuc opus lucem non viderit.

Abul.
Lira.
Ribera.
Lorin.
Salmero.
Ferus.
Magallan.
S Thom.
Caiet.
Vigerius.
Suar.
Thom. San.
Bellarm.
Lessius.
Delrius.
Marquez.
Etymol.
Triling.
Peucer.
Mirandul.
Tiraquel.
Bulleng.
Conrad.
VVimpin.
Sirenius.
Rangol.
Salin.

3 Ex relatis Autoribus, & ex Patribus statim referendis nonnulli à sortium vsibus abhorrent, & grauiter de sortilegio sentiunt: alij interdum boni consulunt, & commendant, seruatis certis quibusdam circumstantiis. Ex Ethnicis Tullius earũ vsum repellit lib. 2. de Diuin. his verbis. *Quid sors est? Idē propemodum quod micare: quod talos iacere: quod tesseras; quibus rebus temeritas, & casus non ratio, nec consilium valet. Tota res est inuenta fallaciis, aut ad quæstum, aus ad superstitionem, aut ad errorem.* Philo Hebræus eas quoque in Principis electione condemnat, quia *Sæpè accidit vt ad principatum sors eucheret, quos vir bonus non ferret in subditorum numero.* Concinit Basil. hom. 8. Examer. *Sortium,* inquit, *fortuiti casus ad omnium pessimũ, deterrimúmque sæpe deferunt principatum.* Ambr. lib. 5. Examer. c. 21. Apum politiam commendans. *Rex apum non sorte ducitur, quia in sorte euentus est, non iudicium; & sæpe irrationabili casu melioribus vltimus quisq; præfertur.* Acrius verò Isid. Hisp. lib. Etym. sortilegiũ vocat *quoddam genus culturæ Idolorũ ex Dæmonum consulta*

Tullius.
Philo.
Hæbr.
Basil.
Ambr.
Isid. Hisp.

Hieron. *consultationibus futura prædicendo.* Hieronymus quoque super Ionam tom. 6. *Nec statim debemus,* inquit, *sub exemplo Ionæ sortibus credere, vel illud de Actis Apostolorum huius testimonio copulare, vbi sorte Matthias in Apostolum eligitur, cum priuilegia singulorum non possint legem facere communem.* Et deinde: *hic fugitiuus sorte deprehenditur, non viribus sortium, & maximè sortibus Ethnicorum, sed voluntate eius, qui sortes regebat incertas.*

Beda. In eandem sententiam abiit Beda in Act. Apostolorum. *Si qui necessitate compulsi Deum putant sortibus exemplo Apostolorum consulendum, videant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse.* Et tandem. *Matthias ante Pentecostem ordinatus sorte queritur, quia scilicet nondum erat plenitudo Spiritus sancti in Ecclesia effusi. Septem autem Diaconi postea non sorte, sed electione Discipulorum sunt ordinati.* Hæc Beda.

Cap. siquis. Conc. Agat. c. Sortes. Leo IV. c peruenit. Gregor. cap. si quis Cler. Concilium Aurelian. cap. Augur. Conc. Aug. Augustin.

4 Accedit Apostolicorum Canonum censura 26. quæst. 5. cap. *Si quis Episcopus* ex Concilio Agatensi cap. 38. cap. *Sortes* ex Leone IV. cap. *Peruenit* ex Greg. Ep. 47. lib. 9. cap. *Si quis Clericus* ex Concil. Primo Aurelianensi. Can. 32. cap. *Augurii* ex Concil. Anquirensi, vbi sortilegia, sortilegi, & sortium vsus tanquam impius prohibetur. His tamen non obstantibus, & rectè interpretatis, sunt, qui sortium vsum interdum pium, congruentem, & necessarium adstruant. In primis August. epist. 180. tom. 2. ad Honoratum sic fatur: *Quanquam inter hos Dei ministros inde sit disceptatio, qui eorum maneant, (ne fuga fiat omnium) & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia, quæ disceptatio, si aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, sorte legendi sunt.* Libro item primo de Doctrina Christiana cap. 28. tom. 3. *Si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari posset; si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret, nihil iustius faceres, quàm vt sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari vtrique non posset.* Idem etiam in Psalm. 30. ad illa verba: *In manibus tuis sortes meæ. Sors,* ait, *non est aliquod malum, sed res humana in dubitatione diuinâ indicans voluntatem.*

5 Sortium quoque vsum ad quæstionem diriminendam sedandasque Potentium contentiones congruum remedium esse diffinit Sapiens. Prouerb. 18. 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat.* Seu vt Augustinus legit citato loco: *Contradictiones sedat sortitio, & inter potentes diffinit.* Quod etiam remedium approbatur *l. sed cum ambo. ff. de Iudiciis* ibi: *Sed cum ambo ad iudicium prouocant, sorte res discerni solet. l. Generaliter. ff. de fideicommiss. libert. §. Quis ergo,* ibi: *Quòd si ordo non appareat, aut sortiri eos oportebit, ne aliquam ambitionis, vel gratiæ suspicionem Prætor subeat. l. 2. C. Quando, & quibus, &c. & sæpe alias.* Commendat etiam Bodinus lib. 6. de Republica c. 5. vt electionum periculum, & inuidiam depellat; iuxta Platonis sententiam de Leg. Dial. 6. ibi: *Sortis æqualitate in republica vti necesse est ad multorum offensas vitandas; ita vt Deum, & bonam fortunam etiam tunc imprecationibus inuocemus, vt ipsi sortem ad id, quod iustissimum est, dirigant.* Quodque validissimum est argumentum, piissimus Samuël in præsenti à Deo inspiratus, Saulis principatum, quem certò præsciuerat, sortibus commisit, ne eius electionem nobilioribus Tribubus inuidiosam, & suspiciosam redderet, vt suprà annotarunt Theodoretus, ciúsque assecla Procopius, & Abulensis. Secundò, quia Dei ipsius consilio, ac iussu Achan sorte deprehensus est spoliorum latro in Hiericuntina expeditione, & lapidibus obrutus. Tandem quia vt dictum est S. Matthias sortis beneficio in proditoris locum suffectus est; nam: *cecidit sors super Matthiam.* Actor. 1. 16. Quamuis enim Dionysius de Ecclesiast. Hierarchia cap. 5. p. 3. puret sortem appellari *diuinum quoddam donum insinuans illi cœtui, quem Deus elegisset*; communis tamen opinio veras sortes interceßisse docet, vt indicat Vulgatus, Græcus etiam; nam non dicitur: Dederunt ei suffragia, sed: *Dederunt sortes ei.* Clariùs Siriacus: *Coniecerunt igitur sortes, & sors ascendit ad Mathiam, proinde annumeratus est cum undecim Apostolis.* Quod verò Græcus addit: *suffragiis additus est*, nihil aliud denotat quàm sorte deprehensa, in Apostolorum collegium communi consensu receptum fuisse.

Theodor. Abul. Actor. 1. 16. Vulg. Græc. Siriac.

6 Hæc quidem sunt pro vtraque parte argumenta: hæc Patrum, & Pontificum oracula. Vt verò iudicium de re feramus, distinctione vtique opus erit. Sors ergo iuxta communem doctrinam triplex est: Alia enim dicitur Diuisoria, quæ bonum, aut malum commune diuidit: Alia Consultoria, quæ de re agenda consultat: Alia deniq; Diuinatoria, quâ de re occulta, aut futura inquiritur. Prima sors, quæ Diuisoria dicitur, licita est, si à Dei Prouidẽtia, aut à casu euẽtus expectetur, dum etiã accidit necessitas, aut congruentia: vt dum inter omninò æquales, quis subeat periculum, quisve bonum indiuisibile capiat, disceptatur; huius generis est sors, quæ Augustino suprà relato probatur epist. 180. sors etiam militum de tunica Christi Domini inconsutili, de qua Dauid: *Et super vestem meam miserunt sortem.* Psalm. 21. 19. Eiusdem etiam speciei est officiorum omninò secularium præfinitio, si tam æqualia sint expetentium merita, vel dignitas, vt non appareat maior ratio, cur alter alteri in eo præponatur; quod & de eleemosyna æquè indigentibus eroganda dicebat Augustinus suprà. Secùs verò in electione Ecclesiasticarum dignitatum, aut sacrorum munerum, ob prædictorum Canonum prohibitionem, præcipuè capite allegato *Sortes, 26. q. 5.* & *tit. de sortileg. cap. vlt.* ex Honorio III. ad Capitulum Lucense. Ante quorum Canonum prolationem S. Matthiæ per sortes electio extirit, & nihilominùs, vt dixi, à Beda notatur ante S. Spiritus infusionem, peractam fuisse. Huc etiam pertinet litium, & contentionum diremptio, quæ per diuisoriam quoque sortem licitè, & congruè fit, vt patet ex legibus Iustiniani relatis.

Psal. 21 19. August. Honor. III. Beda.

7 Dico secundò, sortes, quæ Consultoriæ dicuntur, fiúntque vel bacillis, talis, oscillis, festucis, pilulis, aut tabellis inscriptis, in altum, vel in vrnam, aut vacuam, aut aqua plenam, aut in humanum sinum coniectis, vel etiam libri, aut profani, aut sacri inconsulta apertione, vt ex eo quod primo occurrerit, sors, aut augurium aucupetur, de quo plura Greg. Turon. lib. 4. Histor. Franc. c. 16. & 20. & lib. 5. cap. 14. Ranulfus lib. 7. Polichronij cap. 6. & Hieronym. Cardan. de varietat. lib. 14. plerumque illicitæ sunt; qualis fuit illa nautarum Ionæ 1. Ratio est, quia vel continent apertam Dei tentationem, aut saltem implicitam cum Dæmone pactionem: vtrumque verò nefarium est. Tunc verò excusari poterit, cùm ex Dei consilio, & inspiratione processerit adhibitis priùs precibus, *& reuerentia*, vti in sanct. Matthiæ electione conspicitur, & annotauit Beda; nec minus in Samuelis

Greg. Turon. Ranulf. Cardan.

muëlis sortitione, vt Caietanus expendit ex eiusdem ad populum hortatione: *Nunc ergo state coram Domino*, suprà. Vers. 19. Quam quidem reuerentiam, & orationem ipse etiam Ethnicus Plato suprà relatus prærequirit; tunc autem expectari poterit Sancti Spiritus promissio: *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Prouerb. 16.

Plato.

8 Dicendum tertiò sortem Diuinatoriam omninò esse impiam, & illicitam, & vt talem prohibitam cap. 1. de Sortilegio, & aliis iam relatis. Et probatur, quia si earum moderatio à Deo expectetur, interuenit tentatio Dei: si à cœlo, error est, liberum arbitrium faro, aut constellationibus subiiciens: si à Dæmone impietas est, & species idololatriæ, vt suprà relatus diffinit Isidorus: tandem si diuina oracula ad terrena negotia conuertantur, vt ait Sanctus Thomas, & reprehendit August. Epistol. 119. cap. 20. ad Ianuarium, irreligio est. Pius ergo Samuël qui ex diuino consilio præcognitum sibi Regem certo sortis beneficio exposuit, ne populi illius Proceres, nobiliores Tribus, & familias in inuidiam noui Regis concitaret, laudabiliter, religiosè, prudentérque processit.

Isidor. S. Thom. Aug.

INSTITVTIO XXIII.

Moralis.

Hostibus quoque seruanda fides est.

Ad illa verba: Et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. *C. 11. v. 3.*

1 CVr Iabenses ciues sua hostibus consilia prodant, fateantúrque inducias septem dierum eo à se animo expeti, vt externa subsidia sibi interdum comparent; cùm tamen militaris prudentia doceat, bellica consilia, & militares machinationes quammaximè hostibus celandas, optimè dubitauit, & enodauit Mendoza §. 2. Respondet enim hæc ex eorum candore, & synceritate processisse, quâ nec hostes quidem decipiendos putauerint. Quam quidem veram & Catholicam doctrinam malè audiunt nostri temporis hæretici, & quidam alij vix Catholici, qui se se Politicorum titulo iactant, & potiùs credùt, & docent simulari, mentiti, decipere, fidem frangere, & sine animo explendi promittere cuiuis licere, ac maximè Principibus, quotiescumque ad status conseruandi, aut commodi cuiusque percipiendi propositum conduxerit; quos latè impugnant Petrus Ribadeneira lib. 2. de Principe Christiano cap. 15. Lipsius 2. Politicor. cap. 14. Becan. Opusc. de hac re, præcipuè cap. 11. tom. 2. lib. 5. Controu. q. 8. c. 20.

Mendoza. Ribaden. Lipsius. Becan.

2 Probant verò insaniam suam tum profanis, tum etiam sacris exemplaribus. Profanis, quia Lisander, vt Autor est Plutarc. in Laert. & Brus. lib. 2. cap. 9. cùm probro ei daretur, quòd pleraque astutiâ, dolo, & fraude ageret, non palam virtute conficeret, hac parte Hercule generis sui Autore indignus, dixit: *Vbi quod vellet, non assequeretur leonis exuuium, ibi vulpium applicandum esse*: sentiens quod honestis rationibus non posset effici, id fraude, dolóque perficiendum. Cleomenes etiam apud eundem Brus. lib. 3. cap. 29. Iabitarum more septem dierum inducias cum hoste pactus, capta opportunitate, tertia nocte dormientes inuadit, multos interficit, alios in seruitium redigit. obiurgatus verò quod fœderis fidem non seruasset: *ad iusiurandum* ait; *noctes non additas fuisse.* Quibus quidem possent ex nostris annalibus lepidam historiam annectere, quam refert Gundisaluus Illes. lib. 5. Histor. Pontific. in Appendice de Rebus Hispan. Ceperat quidem bello Ioannes Rodriguez de Castro Comitum Sariæ, & Lemos atauus, Nunnum, & Rui Guttierrez Lariæ Comites, quorum fratrem Aluarum eodem bello occiderat. Illi verò cùm apud victorem in oppido Duennas detinerentur, veniam, vt occisum fratrem obsequiis funeralibus tumulatum irent, petunt, quorum alter, statim ac piam rem peregisset, rediturum se promisit: alter certo quidem tempore regressurum. Venia verò à Ioanne his conditionibus obtenta, neuter rediit: prior enim fratris cadauer balsamis delibutum absque tumulo domi conseruauit: alter verò trecentis equitibus bene armis instructis constipatus, ad oppidum reuersus, Ioanni, vt se capiat, indicit; illo verò non audente, se promissum expleisse per iocum iactabat. Sic ab vtroque mirificè elusus est.

Plutarc. Brus. Cleomen. Brus. Gundisal. Illesc.

3 Hæc Politici & tanquam ex tripode vulgatum illud buccinantur: *dolus an virtus quis in hoste requirat?* & illud Agesilai documentum apud Plutarc. *Fœderatum iniuste fallere impium: at hostes, non solum iustum, sed etiam suaue & fructuosum est.* Quem contra Florus noster lib. 1. cap. 30. *Eam Vir sanctius & sapiens sciet veram esse victoriam, qua salua fide & integra dignitate parabitur.* Sacra etiam adnectunt exempla. Nam Moyses cum Pharaone paciscens, vt populum per triduum dimitteret causâ Sacrificij in solitudinem, non vtique de reditu ad Ægyptum, sed de fuga potiùs cogitabat: *Vt eamus*, inquit, *viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro* Exod. 5. 3. Populus etiam Dei consilio vasa argentea, & vestes, & pretiosa alia ab Ægyptiis postulauit, nusquam ea Dominis suis redditurus. *Exod.* 12. 35. & 11. 2. Samuël quoque eiusdem Dei monitu, cùm ad vngendum Dauidem in Regem Bethlehem iret, vitulum secum conferens sacrificij causâ, venisse testatus est. *Ad sacrificandum*, inquit, *Domino veni.* 1. Reg. 16. 5. Philo quoque Hebræus apud Ioannes Damas. 1. Parallel. cap. 27. *Non omnis*, inquit, *dolus in culpa est; nam & cùm hi, qui noctu excubias agunt, latrones, & militarium copiarum prefecti, hostes, qui sine dolo comprehendi nequeunt, ex insidiis aggrediuntur, rectè facere videntur, & ea, quæ stratagemata vocantur, & athletarum concertationes eandem rationem habent: etenim in his proprium sibi locum fraus vendicat.* Plura eiusdem proposita Basilius apud eundem Ioan. Damas. loco nuper relato.

Virg. 2. Ænead. Exod. 5. 3. Ibid. 11. 35. 1. Reg. 16. 5. Damasc. Basil.

4 His & pluribus aliis adstruere Politici nituntur fraudis, doli, & simulationis honestatem. Sed ne rei latissimæ operam demus, non de omni simulatione, fraude, aut doloso stratagemate dicendum est (de quo Ioann. Marquez lib. 1. de Christ. Gubernat. cap. 14. & lib. 2. cap. 7. latiùs disserit, Lipsius, lib. 5. Polit. cap. 17. & nos forsan ad cap. 16. vers. 5. vel ad cap. 21. 13.) sed de iis tantùm, quæ in pactionibus cum hoste intercedunt, quod præsens locus exigere videtur.

Marq.

5 Duplex ergo sit conclusio. Prior: fides hostibus in explendis promissis per se seruanda est. Posterior: syncere cum hoste, & animo implendi paciscendum. Probatur prior. 23. quæst. 1. cap. *Nolo.* ex Augustin. ad. Bonifac. Epistol. 1. tom. 2. ibi: *Fides enim quando promittitur, etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur.* Augustinum sequitur Thom. 2. 2. quæst. 40. articul. 3. Thomam verò omnes Interpretes. Dominicus Bañez.

Aug. S. Thom. Bañez.

Valentia. Suari. Saa. Molin. Regin. Ambros. Bañez ibid.Valentia.ibid.disput.3.quæst.16.punct. 3.Suarius de Fide,spe,& Charit. disput.13. sect.7. num.23.Emanuel Saa verbo *bellum*.Molin. tom.1. de Iustit.tract.2.disput.111. Reginal.lib.21. cap.8. sect.2. §.99. Quocirca eleganter Ambros. lib.1. Officior.cap.29.*Quanta*,inquit,*iustitia sit, ex hoc intelligi potest, quod nec locis,nec personis, nec temporibus excipitur,quæ etiam hostibus seruatur; vt si constitutus sit cum hoste locus, aut dies prælio; aduersùs iustitiam putetur, aut loco præuenire, aut tempore*.Et lib.3. cap.10. *Vbique igitur honestatis præponderat consideratio, quæ dolum excludit, fraudem eiicit. Vnde rectè generalem Dauid Propheta prompsit sententiam dicens*:Nec fecit proximo suo malum.Psalm.14. Qui etiam Dauid præstitit,quod docuit, nam lachrymis multis prosecutus est occisum per iniuriam, & fraudem Abner,aliàs sibi aduersariorum maximum:cuius rationem reddidit idem Ambros.in Apolog.Dauid.cap.7.dicens: *Quo facto docuit etiam aduersariis fidem promissam seruandam, honorandámque in hoste virtutem.*

Chrysost. S.Thom. Matt.1.6. Caiet.

6 Probatur 2. hac ratione, quia iure naturali, & gentium promissiones proximo factæ seruandæ sunt, nec frangenda fides, quia hoc est fundamentum totius humani commercij, & quia secùs notabilis illi infertur iniuria; imò etiam hosti proximus est,ergo & illi per se seruanda fides, & promissio explenda ex debito veracitatis,fidelitatis,& iustitiæ.Huius fidei pulcherrimum exemplum præstitit Iosue,à quo cùm Gabaonitarum astutia,etiam per fraudem pacem extraxisset iuramenti sacramento confirmatam,deprehenso tandem eorum astu,& malitia, præstitam tamen fidem non censuit esse violandam. *Iosue.9.18.* Cuius factum ex animo commendat Ambros.lib.1.Officior.cap.29.his verbis. *Ideò factum est, vt nullum Moyses victor superesse pateretur:Gabaonitas autem, qui fraude magis,quàm bello tentauerant plebem Patrum, non expugnaret Iesus, sed conditionis impositæ afficeret iniuria.* Et lib.3. cap.10. *Iesus tamen pacem, quam dederat, renocandam non censuit, quia firmata erat sacramenti religione, ne, dum alienam perfidiam arguit,suam fidem solueret.*

Iosue.9.18. Ambros. Abulcac. Tariph.

7 Præstantissimum tamen exemplum diuinum illud est,quod in Dauidem Dominus edidit. Notandus enim est Christi Domini genealogiæ ordo, quem Matthæus texuit in Euangelij sui exordio; ait enim: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* Matt.1.1. vbi priori loco Abrahæ meminisse debuit, quam Dauidis, cùm hic illo multò prior fuerit. Respondet ad litteram Hieronymus; ne si iterùm Abraham repeteret,ordinem inuertisset: *Ordo præposterus, sed necessariò commutatur; si enim primùm posuit Abraham, & postea Dauid, rursùs ei repetendum fuit Abraham, vt generationis series texeretur.* Mystica tamen ratio alia est, quam inferiùs supponam, dum priùs expendero quanti se Dauidis filium Christus Dominus æstimauerit. Cæcos enim clamantes: *Miserere nostri fili Dauid*, continùò illuminauit. Matt. 9.27. duos etiam alios. *ibid.* 20.30. Turba etiam plaudens inclamat: *Hosanna filio Dauid.* ibid. 21.9. & alibi passim. Quid causæ igitur est, quod tantùm se Dauidis filium Christus glorietur? Cur etiam Matthæus eius originem priùs à Dauide deducit? Promiserat quidem non semel Dauidi Deus ex eius sanguine carnem aliquando sumpturum, præcipuè Psalm. 131. 11. & iuramento firmauerat: *Iurauit Dominus Dauid veritatem,& non frustrabitur eum,de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Vt ergo à promissis suis stare videretur, Dauidis se filium inclamari gaudet, cúmque inprimis Atauum habuisse, vt expendit Chrysostom. apud S. Thom. in Cate. Fregit tamen Dauid Domino non semel fidem; vnde & Deus pactum suum quoque fracturus videbatur, vt frangenti fidem fides frangeretur,iuxta commune prouerbium. Secùs autem accidit, nam Deus quæ Dauidi promiserat etiam post multiplex peccatum ita constanter impleuit, vt ex eo potissimùm Dauidis filium se se vbique quasi iactaret. Vnde etiam in ipsius Domini genealogia mentio fit vxoris Uriæ, quæ totius calamitatis causa fuerat. *Ex ea quæ fuit Uriæ.* Matt. 1. 6. vt ne illam quidem diuinis promissionibus impedimento fuisse comprobetur, vt benè annotauit Caietanus ad præfatum locum scribens: *Meminit mulieris adulteræ, propter quam etiam Dauid commisit homicidium: ad manifestandum, quod propter illa crimina Dauidu,non omisit Deus seruare promissionem factam Dauidi de Christo. Multi enim putabant, quod propter talia crimina Deus mutaret sententiam. Contra hos Euangelista affert genealogiam Christi ex illamet muliere, quæ erat adultera,propter quam commiserat Dauid homicidium, vt ostendat IESVM Christum non solum ex Dauide, sed etiam ex illamet fœmina non horrere originem.*

Chrysost. S.Thom. Matt.1.6. Caiet. Abulcac. Tariph. Iob.36.13. Psal.5.7. Ibid.11. Psal.54.24. Prou.14.17.

8 Nec vili pluribus stetit ducibus promissæ hostibus fidei violatio, vt domestica saltem Hispanos nostros docuit antiqua clades. Hispaniarum enim per Sarracenos deuastatio à violata fide primum ortum habuit. Cùm enim Orpas Archiepiscopus, & Christiani exercitus bellicus Imperator,cũ Tarifo Maurorum duce aliquorum dierum inducias fuisset pactus;fracta Sarracenum fide aggressus, victoriam obtinuit,iterùm tamen induciis factis Tarifus vt talionem redderet, abiurata quoque fide Archiepiscopum ita petsundedit,exercitúsque vires confregit,vt cũctis deinde Mauris ex voto succedẽtibus totam Hispaniam breuissimo tempore occupauerint,vt Autor est Abulcac.Tariph.Abẽtarique Sarracenus lib.1.Ruinæ Hispan.cap.8.vnde & nostri hauserunt Historiographi. Videant Principes, & duces quanti stet violata fides, & ad læsi Numinis prouidentiam iustam eorum pœnam spectare.

9 Secunda verò conclusio, scilicet syncere & sine dolo cum hostibus etiam paciscendum, probatur multiplici Sacræ Scripturæ testimonio. *Simulatores & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt,cùm vincti fuerint. Morietur in tempestate anima eorum.* Iob.36.13. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Psalm. 5.7. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant,iudica illos Deus.*ibidem 11. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*: Psalm.54.24.*Vir versutus odiosus est.* Prouerb.14. 17.*Filio doloso nihil erit boni.* ibidem.15. & alibi passim.

10 Probatur 2.ratione;quia si in aliquo contractu liceret dolo vti, nulla esset contractibus firmitas, omníque humano commercio obsisteretur. Vnde labitæ tanta animorum syncertitate,& candore cum hoste paciscuntur, vt omnia sua consilia ipsi manifesta esse voluerint.

Psal.131.11.

11 Exemplis verò quæ in contrarium retulimus, facilè respondetur. Profana quidem,quia profana omninò sunt,responsione non indigent. Sacris

verò

verò sic fit satis. Nempe Moysem trium dierum viam à Pharaone postulantem eo animo fuisse, vt pactum adimpleret, si Pharao concessurus esset; sciebat tamen nullatenùs concessurum. Israëlitas etiam vasa, & vestes ab Ægyptiis dum peterent, non eas retinere absolutè decreuisse, sed reddere, nisi Deus contrarium ordinasset, Deus verò restituendas esse negauit. Quod ad Samuëlem verò attinet, respondetur ex communi Interpretum doctrina, nusquam in eo mentitum fuisse quod diceret, se ad immolandum Domino venisse, venerat enim & ad hoc, & duplicem suæ viæ finem sibi præsignauerat, nempe & Sacrificium Domini, & Regis quoque vnctionem, de qua prudenter siluit priori solum prodito consilio, quod quidem elegantèr contra fraudis, & dolorum studiosos explicat noster Ioannes Hieron. Sopranis lib. de Rebus Dauidis in hunc modum: *Nullum in his verbis vestigium est mendacij, aut falsitatis. Ex quo etiam non boni quidam Catholici corriguntur; qui non vt Deo, aut sacris Litteris calumniam struerent (quod Gentiles spectabant,) sed vt patrocinium sibi mentientibus parerent, hic mendacium aliquod agnouerunt; in hoc etiam Gentilibus peiores, quod illi odio forte mendacij, & falsitatis, sacras Litteras, in quibus aliqua mendacij species apparebat, accusabant: isti autem mentiendi studio, & mendacia, quæ nulla in sacris Litteris sunt, comminiscuntur. Pariter itaque vtrique ex dictis confutantur, cùm nihil ostensum sit in his verbis, quod affine sit mendacio, contineri.* Hæc ille satis ad rem.

Sopranis.

INSTITVTIO XXIV.
Moralis.

Haruspicina vanitas, & impietas.

Ad illa verba, Et percussit Ammon *Cap. 11. v. 11.* Gregor. Lauret.

1 NOminis Naas etymologiam præterire non libet; sonat enim, vt Gregor. Lauretus, & alij significant serpentem, colubrum, augurem, seu diuinatorem, quæ mysterio non carent; ex eo enim duo notanda veniunt. Primum, Iobi, & Pauli testimoniorum inconcussa veritas, quorum posterior priorem referens ad Corinthios ait: *Nemo se seducat, si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens, sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum; scriptum est enim:* Comprehendam sapientes in astutia eorum. Iob. 5. 13. *& iterum*? Deus nouit cogitationes sapientum, quàm vanæ sunt. *Psalm. 93. 11. 1. Corinth.* 3. 18. Serpens astutiæ, & prudentiæ symbolum quis ignoret? Ait enim Dominus Discipulis: *Estote prudentes sicut serpentes.* Matth. 10. 10. Regis ergo Naas, qui serpens dicitur, astus sic elusus est, sic decepta prudentia, vt dormiens securus & incurius comprehensus, & debellatus fuerit à simplicibus.

Iob. 5. 13. Psal. 93. 11. 1. Cor. 3. 18. Matt. 10. 10.

2 Secundum verò, quod notari expedit, est augurionum, & totius diuinationis vanitas adeò ab Ethnicis culta, à Catholicis repudiata, quæ in Naas Regis excidio, & nomine despicienda se offert. Damnatur inanis hæc & ineptissima augurandi disciplina primò sacris Litteris. *Non augurabimini, nec obseruabitis somnia.* Leuit. 19. 26. *Non inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos scisciteur, & obseruet somnia, atque auguria.* Deuter. 18. 10. Cuius præcepti transgressores reprehenduntur. 4. *Reg.* 17. 17. & *cap.* 21. 6. & *Isai.* 2. 6. Ex eius autem obseruantia laudatur Israëliticus populus ab iniquo etiam Propheta etiámque ariolo Balaam: *Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel.* Num. 23. 23.

Leu. 19. 26. Deut. 18. 10. 4. Reg. 17. 17 Is. 2. 6. Num. 23. 23.

3 Damnatur secundò ex sacris etiam Canonibus 26. q. 5. cap. *Quod autem.* cap. *Siquis aruspices.* cap. *Qui diuinationes* ex Concil. Ancyrano. cap. 23. & 34. cap. *Siquis.* cap. *Aliquanti* ex Conc. Agatensi. cap. *Non licet* ex Conc. Mart. Papæ. cap. *Non oportet* ex Conc. Laodicensi. cap. 30. cap. *Illud.* q. 2. cap. *Sed & illud.* cap. *Augurium.* cap. *Non obseruetis.* q. 6. & sæpe alias. Iure etiam Cæsareo. *Cod. de Malefic. leg. Nemo. Cod. de Episcop. Audient. leg. Mathematicos* & aliàs sæpe.

Cap. *Quod autem.* c. *siquis aruspicum.* c. *Qui diuinationes.* Conc. Ancyr Conc. Agat. Martin. PP. Conc. Laodic. Iustin. Auguſt. Leo IV. Gregor. S. Thom. Caietan. Valent. Suarius Nauarr. Reginal. Delrrius. Alexand. ab Alexan. Tiraquel. Mirandu. Sirenius. VVimpin. Salisber. Michael. Medina. Budæus. Peucer. Tullius. P. Claud. Valer. Max.

4 Damnatur tertiò à Patribus, & Theologis. Auguſt. lib. 2. de Doctrina Christia. c. 24. à Leone IV. & Gregorio, quorum verba continentur præallegatis iuris capitibus. Damnat etiam S. Thomas 2. 2. q. 95. art. 3. Caietan. ibi, Valentia disput. 6. q. 12. Suarius tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 10. Nauarrus in Enchirid. cap. 11. Reginald. lib. 17. c. 16. Delrius lib. 4. Disquisit. Magicar. c. 2. q. 7. & latissimè Alexander ab Alexand. lib. 5. cap. 3. & ibi Tiraquell. Franc. Picus Mirandula. lib. 6. de Prænotionib. c. 4. Iulius Siren. lib. 9. de Fato cap. 15. 16. Wimpina, Ioan. Salisberiensi. Michael de Medina de Recta in Deum fide, & alij apud Delrium, quibus adde Budæum in Pandect. & Peucerum etiam Lutheranum.

5 Ratio autem genuina, vt omnium calculo damnetur, est, quia vt Haruspicina est ars certò futura noscendi ex causis fortuitis, quæ nullam habent cum euentu, aut effectu connexionem, includit expressam, aut tacitam Diaboli inuocationem, aut pactum. 2. quia ineptissimam etiam vanitatem continet, quam ex Ethnicis etiam Tullius agnouit lib. 2. de Diuinat. & Publius Claudius apud Valer. Maxim. lib. 1. cap. 4. qui bellum nauale commissurus, cum à Pullario audiret pullos, à quibus augurium petebat, è cauea ad offam exire noluisse, abiici eos in mare iussit dicens: *Quia esse nolunt, bibant.* Sed omnium festiuissimè Æsopus ille Phrygius, qui vt Autor est Maximus Planudius in eius vita, ab hero immissus, duas vt videret coturnices, quod benignum erat, ad conuiuium ineundum, augurium reddidit eas se vidisse testatus; dum autem herus eas visurus & ipse accedit, altera excesserat, vnica remanserat, quod aduersum erat omen: tum vt mendacem flagris cædi Æsopum iubet: ille verò inter verberum crepitum: *Heu mihi,* inquit, *misero, quia duas vidi coturnices verberor, tu verò quia vnam tantùm, in conuiuium abis.*

Æsopus. Maxim. Planud.

6 Festiuus hic inter luctus; pius verò & religiosus ex nostris extitit clarus ille Castellæ Comes, & iudex Ferdinandus Gonzalez, qui dum prælium Sarracenis indiceret, iam iam exercitu irrumpente; ecce totum equitem, equúmque subitò terra dehiscens miserè ante omnium oculos deuorauit, quod militibus pessimú omen interpretantibus, & pugnã detrectantibus, vir fortissimus inané timoré excutit, & ad conflictum his verbis adhortatur: *Hæc superstitiosa auguria Ethnicis missa facite fideles, immò ad arma prorũpite iam de victoria securi: ecce iam nec nos terra sustinet, quanto ergo minus sufferet hostis?* His accensi inuadunt Mauros, & nobilem victoriam spreto omine comparant, vt Autor est Ferdinandus Perez de Guzman lib. 1. tit. 4. c. 5. Ea est auguriorum inepta disciplina. Hinc Cato aliàs seuerus & rigidus imitari se aiebat, quod non rideret

Ferdinand. Gonzal. Ferd Perez de Guzm. Cato.

Aruspex

Aruspex Aruspicem cum vidisset, vt scribit Franc. Petrarcha. Petrarcha Dial. 112. vbi hæc addit: *Vestra inepissima vanitati quid aliud dici potest, nisi dignus qui ab homunculis non terrestribus modò, sed luteu, & nullius, nisi qui stultos laudant, notitiam artis habentibus scientia insignis obtentu, & cælo insuper autore fallamini?*

7 Hinc denique rationem colliges ob quam prohibuerit olim Deus Aquilam omnium quidem volucrum Reginam, regiúmque symbolum apud veteres. Nihilominùs legitur. Leuit. 11. 13. *Hæc sunt quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis; Aquilam, &c.* Idem etiam inculcatur Deuter. 14. 12. Ratio scilicet est inde esse Deo odibilem, quod pluribus inter alias volucres auguriis inseruiret. Quam rationem reddit Sebastian. Couarruias in suo Thesauro. Deus igitur qui, vt canit Dauid *odit obseruantes vanitates superuacuè.* Psal. 30. 7. Aquilam ex qua Aruspices materiam suis ineptiis caperent, detestatus est. Tandem Naas, hoc est augur, & diuinans suam & suorum cladem minimè præsensit, immò incurius & incautus à Saüle præoccupatus, & occisus est.

Leuit. 11. 13. Deut 14. 12. Sebast. Couarr. Psal. 30. 7.

INSTITVTIO XXV.

Moralis.

Iniuriæ propriæ dimittendæ: alienæ vindicandæ.

Ad illa verba: Non occidetur quisquam in die hac. *cap. 11. v. 13.*

1 POpulus non à Saüle, sed à Samuële læsæ Maiestatis reos expetiuerat in cædem; Saül nihilominùs petentibus negando respondit. Vtrumque mysterio non caret ad tropologicam disciplinam. A Samuële enim vltio exigitur, ad quem directè non pertinebat spreti Regis iniuria, vt alienam libentiùs vindicaret, vt notauit Abul. quæst. 9. *Quia hæc,* inquit, *offensio facta fuerat Saül, & non decebat, quòd ab eo peteretur executio vindicta, quia forte putaretur nimis crudelis, quia erat propria causa.* Dum verò non vlciscenda sed remittenda iniuria esset, non Samuël, sed Saül potiùs respondit: *Non occidetur quisquam in die hac.*

Abul.

2 Alterum etiam regalis huius clementiæ exemplum præbuit ipse Saül suprà; qui dum contemnitur, tolerat, & dissimulat se audire. *cap. 10. vers. 27.* dum verò labitis iniuriam inferri cognoscit: *Iratus est furor eius nimis,* cap. 11. vers. 6. & ad eam repellendam exardescit. Saüli persimilis in eo extit Dauid, & regni, & pietatis successor, qui necem Ioab militiæ suæ principis filio Salomoni committens, homicidij filij eius Absalonis non meminit, sed potiùs aliorum. *Tu quoque nosti,* inquit, *quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether: quos occidit.* 3. Reg. 2. 5. Nam alienorum necem vindicare iustitiæ erat, proprij verò filij ob sibi, ex fratricidio, illatam iniuriam, odium videretur. Ille verò non suas, sed Dei iniurias persequebatur, vt constat Psalm. 138. 21. *Nónne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam?* Vbi sic Incognitus, aliàs Michaël Aiguanus. *Si dicat quis quomodo malos licet odire, cùm veritas dicat. Matth. 5.* Diligite inimicos vestros, &c. *Sed attende, quòd alij sunt inimici nostri, alij Dei; sicut alia est iniuria nostra, alia iniuria Dei, quia nostram supportare debemus, sed nullatenus iniuriam Dei.*

1. Reg. 10. 27. 1. Reg. 11. 6. 3. Reg. 2. 5. Psal. 138. 21. Incogn.

3 Vtriusque Regis pietas eò laudabilior fuit, quòd nondum audierant diuini Præceptoris doctrinam, qui ita præstandum fore expressit apud Matthæum c. 18. 15. dicens: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum.* Vbi non dixit: Si peccauerit in proximum tuum, vel si in Deum tuum deliquerit, sed in te, vt notauit Hieron. in Comment. tom. 9. vbi modum vindictæ in hunc modum dilucidè commendauit. *Si peccauerit in nos frater noster, & in qualibet causa nos læserit, dimittendi habemus potestatem, immò necessitatem, quia præcipitur, vt debitoribus nostris debita dimittamus. Si autem in Deum quis peccauerit, non est nostri arbitrij, dicit enim Scriptura diuina!* Si peccauerit homo in hominem, rogabit pro eo Sacerdos: Si autem in Deum peccauerit, quis rogabit pro eo. 1. Reg. 2. 25. *Nos è contrario in Dei iniuria benigni sumus: in nostris contumeliis exercemus odia.* Laudabilis ergo hucusque Saülis probitas, illorum verò increpanda malitia, quibus cùm diuinæ iniuriæ sint pro nihilo, proprias ardenter prosequuntur. Quos contrà eleganter loquitur noster Hieron. Sopranis lib. de rebus Dauidis in hæc verba: *Hoc proprium est tyrannorum ingenium, vt in causa Dei dissimulent: in suis ipsorum iniuriis sint accerrimi. Hoc illud est, quod in Politicorum schola sub Machiauello Magistro identidem decantatur, satis Deo cordi esse iniurias suas, easque in tempore vlciscí; cùm illi libitum magis fuerit solere, & posse Regibus suas ipsorum iniurias persequendas. O impia verba! Ergo Amalechitis parcatur, quia Deum offenderant: at totum Sacerdotale genus simul cum ipsa vrbe deleatur, quia in Regem peccarunt. Sed perge impie Rex: quò tuus te furor agit, amplectere cruenta hæc, & sacrilega consilia regni firmandi, & videbis deinde quantum illa profuerint, cum iisdem artibus cernas fundamenta tyrannicæ tuæ dominationis conuelli, quibus illa te maxime putaueras stabilire.* Hæc ille, in quibus falsam reprehendit rationem status, qua Saül diuinas iniurias nihili faciendas ratus, suas ipse acerrimè prosecutus est.

Matt 18. 15. Hieron. 1. Reg. 2. 25. Hieron. Sopran.

4 Secùs quidem Dauid de quo nuper dicebamus, quem ex eo mirificè commendat Petrus Damianus epist. 144. ad eiúsque renenda vestigia hortatur Principem his verbis: *Sentiant te transgressoris legum violata iustitia vindicem: gaudeant te super se rectore Ecclesiarum strenuum, atque sollicitum vigilare custodem. Esto Dauid in sancta discretionis arte discipulus, qui & clementer indulsit se persequentibus veniam, & vigidam tenuit in aliena cadis vltione censuram.* Damidis ingenium prænouisse videbatur sapiens illa virago Abigail, quem cùm ad misericordiam erga fatuum suum virum Nabalem flectere omni contentione niteretur, his cum verbis affata est: *Quia prælia Domini Domine mi tu præliaris; malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.* 1. Regum 25. 28. Quasi diceret: Memineris dux optime non tua te prælia, sed prælia Domini agitare, nec tuas iniurias, sed diuinas ex officio prosequi, ergo viro meo veniam indulge, qui in te potissimum deliquit.

Damian. 1. Reg. 25. 28.

5 Prodeat tamen in medium magnanimi Iobi patientia, qua tamen non obstante, dum diuini honoris res agitur, rigidus vtiq; & impatiens fuit. Obmutuit quidem in propriis calamitatibus, & erumnis, ferbuit autem in diuinis vlciscendis. In vxorem enim impiè in Deum blasphemantem, iracundia

excande

excandescens, probra, & contumelias emisit: *Quasi, una*, inquit, *de stultis mulieribus locuta es.* Iob. 2. 10. Iob. 2.10. Lira.
vt optimè annotauit Liranus ad eum locum. *Vir*, inquit, *sanctus quamuis afflictiones proprias patienter sustinueris, tamen iniuriam Dei absque reprehensione sustinere non potuit; quia iniuria propria sunt toleranda, diuina autem vindicanda.* Iobi tamen prudentiam vicit Christus Dominus, qui omnium optimè & propriæ iniuriæ tolerantiam, & Isai. 5. 7. alienæ zelum exhibuit; de quo Isaias. 5. 7. *Coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.* Vinculis comprehenditur, conspuitur, flagellatur, silet, crucifigitur; non conqueritur; cū tamen ad id ventū est, vt se paterni honoris zelo typum & vindicem ostendere oporteret, funes corripit, flagellum instruit, & impios venditores, qui templum violauerant, eodem loco verberatos proiicit, *& mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.* Marc. 11. 15. Marc. 11. 15. Mansuetudine namque proprias dimittebat iniurias, zelo verò iustitiæ vindicabat alienas.

6 Ipsa quoque diuina animi moderatione cum iniquissimo etiam colluctatore suo Diabolo vsus aliquando fuit in deserto; semel enim & bis, & gulam, & præcipitium suggerenti nihil asperum, nihil non suaue respondit; dum verò tertio aggreditur, & diuinos expetit honores, ad sui reuerentiam & latriam persuadendo, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Matt. 4. 9. Matt. 4. 9. Non ita mite, sed asperum responsum extorsit: *Vade retrò Satana, scriptum est enim*: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, *ibid. vers.* 10. Iam audi Chrysostomum, vel Autorem Homiliarum in Matthæum. 2. tom. 1. *Quando Diabolus Dei sibi præscripsit honorem, dicens:* Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me, *& hoc quasiuit sibi fieri à Christo, quod soli Deo fieri debebat, exasperatus est, & iratus est, & increpuit eum, & repulit, dicens:* Vade retrò Satanas, &c. Eius quoque exemplum nobis sectandum proponens, prosequitur: *Vt nos illius discamus exemplo nostras quidem iniurias, illatas ab impiis, sine in dicto, sine in facto, magnanimiter sustinere: Dei autem iniurias, & contemptum, nec vsque ad auditum sufferre; quoniam in propriis iniuriis esse quenquam patientem laudabile est: iniurias autem Dei dissimulare nimis est impium.* Hæc ille. Ratio augem ob quam nostras possumus iniurias, probra, aut contumelias omittere; illa est, quam ipse Dominus prædicauit, Ioan. 8. 50. dicens: *Est qui quærat, & iudicet*, nam cùm Pater, & Christi & Discipulorum eius iniurias vt vindicet, apud se habeat; necesse non est, vt de ipsis nobis sollicitudo sit. Vnde Gregor. Hom. 18. in Euangel. *Illatas*, inquit, *contumelias patris iudicio seruat, vt nobis profectò insinuet, quantum nos esse patientes debemus, dum se adhuc vlcisci non vult & ipse, qui iudicat.*

7 Spiritus Paracletus omnia nos docturus, dum à patre immittitur, aliter atque aliter apparuit: modo quippe in Columbæ specie, vt quando super Christum Dominum apud Iordanem descendit. Luc. 3. 22. Luc. 3. 22. *Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum*: modo verò sub specie linguarum igearum, & Spiritus vehementis, vt super Apostolos eius aduentum præstolantes. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, sedisque supra singulos eorum.* Actor. 2. 2. Actor. 2. 2. Diuersitatem annotauit Gregor. Hom. 30. in Euangel. eiusque rationem quadruplicem reddit. Sed quæ ad nos spectat, ea est. *Insigne mōstrat debuit & Columba, quatenùs omne cor, quod eius gratia tangitur, & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo iustitiæ accensum sit.* Mansuetudo proprias dimittit iniurias, zelus verò vlciscitur alienas. Actor. 1. 4. Matt. 5. 33.

8 Quæ verò Christus præstitit, eadem & docuit. *Cœpit* enim *facere, & docere*: Actor. 1. 1. Dixit igitur: *Qui iratcitur fratri suo, reus erit iudicio.* Matt. 5. 23. Plura exemplaria etiam latina addunt: *Qui irascitur fratri suo sine causa*; & sic etiam vertit Syriacus Guidonis Fabricij; vt videas non damnari absolutè iram, sed prauum eius vsum, hoc est *sine causa*. Quæres verò quæ causa iram cohonestet? Roga Chrysostomum, qui Hom. 16. in Matt. ita etiam legens inquirit, & strenuè respondet ad præsens institutum in hæc verba. *Qui irascitur*, inquit Christus, *fratri suo sine causa, non omninò vitium extinxit affectum; primò quidem, quia impossibile est hominem passionibus liberari. Deinde quia etiam vtile est affectum iste, si illo opportunè nouerimus vti. Quodnam igitur opportunum est tempus iræ? Quando non scilicet nosmetipsos vlciscimur, sed cùm reprimimus in alios insilientes, cùmque defides conuertimus. Quod verò importunum est tempus iræ? Cùm scilicet, vt nosmetipsos vindicemus, irascimur; quod Paulus quoque prohibendo dicebat:* Non vosmetipsos vindicantes charissimi, sed date locum ire. *Roman.* 12. Siriac. Guidon. Chrysost. Rom. 12. Chrysost.

9 Multus est in hac doctrina Chrysostom. eam tradit in Psalm. 44. tom. 1. dicens: *Hoc est vel maximè mansueti, suas quidem iniurias remittere; os autem quibus sit iniuria defendere.* Eandem inculcat Commentario in cap. 5. Isaiæ, & triplici exemplo confirmat, quibus luculenter probat ex iustæ compensationis lege, id nos Deo debere, quando quidem & Deus suis interdum dissimulatis iniuriis, in nostris vindicandis acrem se exhibet, & solertem. Primò enim permisit adulteram à viro suo dimitti, non verò infidelem, cuius crimen in vnum Deum redundabat. *Et*, inquit, *qui haberet vxorem compertam fornicationis, permisit à se expellere: eas verò, qui gentilem coniugem haberet; non item concessit, etiamsi peccatum perfidiæ gentilis in ipsum redundet: illud vero resilit in hominem.* Eadem etiam repetit Hom. 20. ex Variis in Matt. tom. 2. Secundum exemplum est pij illius patris familias (nempe Dei), qui omne debitum seruo nequam facilè dimisit, eundem verò in conseruum suum crudelem & obiurgauit, & in suppitium rapi iussit. *Illi*, inquit, *exempto pœnis debitum omne dimisit: pro centum autem denariis à conseruo debitis, eundem seruum nequam vocauit, & tortoribus tradidit cruciandum, nec prius dimissurum se dixit, quam debitum omne resoluisset.* Idem.

10 Tertium denique est ipsius Christi, qui colapho percussus, mansuetissimè pertulit: Regem verò impium Ieroboam in Prophetam suum, non quidem vt percuteret, sed vt teneret, manum extendentem ariditate mulctauit. 2. Reg. 13. 2. Reg. 13. *Quin & Christus, cùm ipse quidem in faciem colaphis caderetur à seruum, qui colaphum impegerat, nihil durius fecit, sed tantum respondit clementer. Ieroboam insuper, cùm extenta manu conaretur apprehendere Prophetam, a quo coarguebatur, manus illi exaruit; per hæc erudiens vt quæ tibi quidem ipsi inuehuntur, cùm mansuetudine feras: quæ verò in Dominum inferuntur, multa cum vehementia vlciscaris.* Hæc Chrysostomus, quibus, & quarum libet adnectere. Spurius homuncio ex patre Ægyptio, matre verò Israelita cum proximo tixatus, & Deum blasphemauit, & Moysi maledixit: *Cùmque blas-*

phemasset

phemasset nomen (Dei subintellige) *& maledixisset ei, &c.* Leuit 24.11. Deus verò de impudentis pœna consultus, sic respondit iuxta Hebræum ex Pagnino, & Græcum ex Sept. *Educ maledicum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapident eum omnis cœtus.* In Deum vtique blasphemus fuerat, de eo verò non arguitur: in proximum quoque maledicus, & ex hoc vno damnatur, & lapidibus obruitur. Sic animaduertit Isidorus Clarius ad eum locum. *Deus*, inquit, *cui sus cure sunt, magis voluit vlcisci iniuriam Moysis, quàm propriam contumeliam; ideò dixit*: Educ maledicum, *& non dixit*: *Educ blasphemum.* Ex quibus recte inferas, siquidem iniurias sibi illatas Deus dissimulat, quæ verò nobis inferantur, nec patitur, nec sine pœna dimittit; rationi consentaneum fore, vt par pari saltem rependentes, iniurias nostras remittamus; ad diuinas verò vindicandas omni promptitudine feramur.

Leu.24.11. Pagn. Sept. — Isidor. Clar.

11 Nec quintum omisero recenti adhuc orbe patratum. Aliter enim atque aliter in Adamum iuris transgressorem, & in Cainum filium fratricidam Dominus animaduertit. Mitius quippe, & clementiùs actum cum parente quàm cum filio est: priore enim peccante terra tantummodo hominis inhabitatio maledicitur. *Maledicta terra in opere tuo.* Gen.3. Delinquente verò filio non terra, sed ipsemet potiùs maledictione torquetur. *Nunc igitur maledictus eris super terram.* Gen.4. quod obseruauit Rabbanus. *Notandum*, inquit, *quod in peccato Ada terra maledicitur: Cain verò maledicitur.* Disparitatis huius alias alij rationes meditentur. Ego verò id vnum in causa fuisse credidero, quod Pater indictum præceptum transgrediendo vni Deo legislatori iniuriam videtur intulisse, quod mitius ipse sustinet: filius verò peccauit etiam in fratrem, quod magni apud Deum est, nec dissimulandum facinus, libentiùs enim suas, quàm suorum iniurias tolerat, leuiúsque Deus se ic vlciscitur, quàm suos.

Gen.3. — Gen.4. Rabban.

12 Hinc denique Dauidem absoluas, qui in certaminis præludio verbis, vt apparet, procacibus, & militari iactantia Goliam prosequebatur, dicens: *Percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cœli, & bestiis terræ.* 1. Reg.17.46. Aliena quidem hæc à mitissimo Dauidis ingenio, & moderatione videbuntur, qui exprobrantibus sæpe aures præbuit patientissimas; sed facilè absoluitur, si attendas non suas, sed Dei sui potiùs iniurias vindicare properasse, & blasphemum Philisthæum compescere studuisse, in quo summa laus est, vt expendit Ioan. Hieron. Sopranis ad præfatum locum, dicens: *Cum nostra causa agitur, & nostratum probriis afficimur, summa tunc laus est, si muti simus, qualem se Dauid præstitit aduersus Semei, quo consistente aduersus se, & contumelias euomente obmutuit, & humiliatus, & siluit à bonis.* Psalm. 38.3. *At cùm Dei causa vertitur, tunc dissimulandum non est, sed verbis, & factis acerbioribus contra Dei hostes est insurgendum. Vsurpo hic quod usus non dissimili paucis immutatis D. Hier. ad Pammachium scribens Epistol. 62.* Nolo in contumeliam Creatoris quemquam esse patientem, ne apud eos, qui rerum momenta iusta lance non ponderant, dissimulatio conscientia iudicetur. Hucusque Sopranis, quibus quidquam addere nefas reor.

1.Reg.17.46. — Sopran. — Psal.38.3. — Hier.

INSTITVTIO XXVI.

Moralis.

Propria commendatio an deceat?

1 INtegritatem suam, & humanam moderationis faciliratem Samuël comprobat, tentato totius populi testimonio. Mouebit te forsan propriam in his sui commendationem protulisse, non audito Salomonis consilio: *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.* Prouerb. 27.2. nec Pauli testimonio: *Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.* 2. Cor. 10. 18. Quiesce tamen; vti enim nulla vrgente necessitatis lege turpissima sui ipsius hominis laudatio est: ita honestissima, cùm opportunitas, vel diuinæ gloriæ, vel proximorum salutis vrget. Vtrumque cùm illustrauero, constabit & Samuëlis probitas, & cum moderatione prudentia.

Ad illa verba: Loquimini de me coram Domino. 1.12. v.3. Prou.27.2. 2.Cor.10. 18.

2 Inprimis quàm sit deforme, & cuiuis cordato odiosum, propriam laudé nullo cogente buccinari, nemo non clamat. *Deforme est*, ait Tullius. 1. officior. *de seipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.* Hos Senior Plinius lib.8. cap.33. Gallo gallinaceo conflanti post victoriam non sine derisione comparat. *Gallus*, inquit, *illicò cantu superiorem se testatur; ita quidam sua facinora iactant ipsi, & suorum laudum ridiculi sunt tibicines.* Ridiculi quidem, & omnium calculo despiciendi. Nec hoc satis, sed & amentiæ & stoliditatis nota inuruntur à Chrysost. hom.5. de Laudib. Pauli. vbi sic grauiter inft. *Extrema dementia est nulla imminente necessitate, & necessitate violenta, propriis laudibus velle decorari. Nō est hoc secundum Deum loqui; iudicium potius est istud infamiæ.* Ecce & ridiculi, & amentes. Odiosos verò docebat etiam Themistocles apud Stobæum dicens: *Nulla narratio tam odiosa est, quam sui ipsius encomium.* Et Plinius Iunior Epist.8. in lib.1. *Si aliena quoque laudes parum aquis auribus accipi solent, quàm difficile est obtinere, ut molesta videatur ratio de se, aut de suis differendi.* At Cyprian. Epist. ad Donatum: *In propriis laudibus odiosa iactatio est.* Mitiori verò censura Isidor. in cap.19. Iob. in Cat. Græc. *Frigeat ea laus, quam sibi nulla necessitate coactus adsciscit.* Vnde istiusmodi Narcissuli:, & insani sui amatores eò despiunt, vt dum hominum gratiam, & audientium plausum solicitant, infamiæ, & derisionis dedecus incurrant; & quæ ipsis tacentibus prædicabilia forent, ipsis prædicantibus turpia fiunt.

Tullius. — *Plinius.* — *Chrysost.* — *Plin.Iun.* — *Cyprian.* — *Isidor.*

3 Notauit hoc inprimis Valer. Maxim. lib. 2. *Nihil est, quod magis minuat præconium, quam assiduè iactare successus, & in singulis diebus anni vendere diem vnum.* Nec minùs diserte nuper relatus Plin. Iunior. *Si quid magnificum referente alio fuisset, ipso qui fecerat, recensente, vanescit; homines enim cum rem destruere non possunt, iactationem eius incessunt.* Cuius etiam congruentissima ratio est, quia cùm audientes facinus sinum quempiam iactantem vident, eo solum animo patratum credunt, vt inanis ex illo aura caperetur, vt aduertit idem Plinius. *Illi, qui bene facta sua verbis adornant, non ideò prædicare, quia fecerunt, sed vt prædicarent, fecisse creduntur*; quibus quidem congruit

Valer. — *Plin.Iun.*

congruit Apostoli sententia: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Rom. 1. 22.

1. Rom. 1. 22.

4 Ex dictis colliges rationem ob quam idem Paulus cum arcta necessitate coactus sui commendatorem agere tandem decreuisse, non semel, aut bis, sed sæpe auditores præoccupauerit, & stultescere se prædixerit; quinquies enim se insipientem testatur vario verborum ambage. 2. *Cor.* 11. *à Vers.* 1. Cùm sciret enim propriè commendationis turpitudinem, eam verò se præterfugere non posse sine proximorum detrimento, aggreditur quidem, sed statim vtpote inuitus recedit: accedit, iterúmque refugit, duram scilicet, inuidiosámque prouinciam.

2. Cor. 11.

Chrysost. Rem Chrys. hom. de Verbis Apostoli. *Vtinam toleraſſetis, tom.* 3. iam relata, eleganti comparatione describit: *Cùm demùm, inquit, lætissima excusatione, præmitigationéque audita, tentauit aggredi laudem suarum enarrationem. Et quemadmodum equus præcipitium aliquod, præruptúmque clivium transiturus, se colligit quasi hunc vno saltu exuperaturus foret: verùm profundum despiciens hiatum subiacere, obstupescit metu, contrahitúrque; deinde cùm sentis equitem vehementius vrgere, rursùm aggreditur, idémque quod antea perfert, necessitatem & vim indicans subsistit, aliquamdiu hinnitum mussitans super eram foueæ; resumpto tandem animo se vltrò fidenter adigit; sic & Beatus Paulus veluti sedaturus in præceps, in laudem suarum recitationem semel, atque iterùm, ac tertiò & subinde sæpius retrocedit, sic dicens:* Vtinam toleraſſetis paululum quid insipientiæ meæ, &c. Quid pulchrius? quidve Paulo modestius, qui adeò à suis laudibus euulgandis abhorrebat, sic sui commendationem recusabat; audierat vtique Annæ adhortationem: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro.* 1. Reg. 2. 3.

1. Reg. 2. 3.

5 Alia etiam, nec minùs apta similitudine Pauli frugalitatem expendit Anselmus in Comment. 2. Epist. Cor. cap. 11. ægri scilicet quauis de causa malum suum altè dissimulantis, qui tandem acri subito dolore percitus, inuitus etiam ingemiscit, & quod diu celauerat, sollicitè pandere tandem cogitur. Sic ergo & Paulus, quæ laudis suæ studiosè, & constanter abscondera[t], zelo salutis proximorum actus inuitus licèt, & renuens palam facere compellitur. Accipe Anselm. *Incipiens vera de semetipso enarrare, insipientem se dicit, quia ad laudem eius videntur pertinere quæ dicturus est, & per Dei sapientiam dictum à Salomone fuerat:* Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua: *Sed hic dolore compellitur in laudem suam erumpere propter salutem ipsorum, qui cùm de eius præceptis bene sentire deberent, indigne sentiebant.* Decernit ergo Apostolus laudem suam diu dissimulatam recitare, & cùm id exequi nititur, adhuc reluctatur, & quasi prouinciæ impar de se in tertia persona, quæ gloriosiora erant, tanquam de alio commemorat. *Veniam autem,* inquit, *ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, (siue in corpore, nescio, siue extra corpus, nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum.* 2. Cor. 12. 1. Vbi duo expendas operæpretium erit, primùm, quod modò aduertimus, ea de se in tertia persona referre erubuisse. Quod expendit etiam Anselmus his verbis: *De se ipso quasi de alio loquitur, vt iactantiam caueat, quia hoc refert, quod ad laudem maximam refert.* Hoc idem Chrys. hom. 25. in eum locum to. 4. vbi rem discutiens sic concludit. *Neque manifestè dixit, neque siluit, vt ostendat quàm inuitus ad hoc perueniat.* Alterum verò: maximum illum Dei fauorem, quo in tertium cœlum raptus fuit, per quatuordecim annorum spatium profundè subticuisse, nec cuiquam manifestasse, id ipsum etiam præstiturum, nisi inuiolabili necessitatis lege prohiberetur, quod notauit etiam Abul. *Non reuelauit immediatè, vsque incœpit, sed post quatuordecim annos.* Quod prior eo aduerterat Ambr. in Psal. 36. sic inquiens: *Ante annos quatuordecim reuelatum sibi dicit, & tamen reuelationem tamdiu tenuit, & repressit, nec dixisset, nisi vtile nobis iudicasset, vt diceret.*

Anselm.

Chrysost.

Abul.

6 Cuius quidem modestiæ, & profundæ humilitatis S. Ignatius Societatis Iesv Author, & pater, optimus æmulator extitit. Cùm enim Manresæ oppido per octo continuos dies raptus ecstasi extra corporis sensus permansisset, pluráque Deo reuelante de Religione erigenda, & de aliis pluribus vidisset, audisséque *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, nulli vnquam hominũ (vno excepto Confessario) toto vitæ suæ decursu vel minimum exposuit. Cúmque Confessarium infidelem arcani sui custodem cognouisset, grauem quidem illi primò verberum mulctam addixit; deinde cùm intelligeret suo illum imperio loqui prohibitum, vitæ saltem longioris cursum exoptare, vt ipsi Ignatio superstes eius incredibiles virtutes, & reuelationes liberè vulgare liceret; vir Dei vtique adeò gloriam suam etiam post obitum propalandam extimuit, vt enixè Deum precatus orationis, & lachrymarum præsidio tandem obtinuerit celeriorem Confessarij è vita discessum, priorémque obitum; nam triduo ante Ignatij occasum Confessarius è vita migrauit, vti ipse Ignatius eidem propheticè prædixerat, vt Author est Andreas Lucas in eius vita; ex qua incredibili Patris nostri modestia prouenit quamplurium eius reuelationum, excellentium virtutum, ac miraculorum ignorantia; vsq; adeò suam laudem vltra vitæ etiam metas detestatus est. Hominem in vita non laudandum monet Ecclesiasticus. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Eccl. 11. 30. quo Spiritus Sancti consilio non omnimoda hominis laus interdicitur, sed quæ obitum præcedat; quæ verò cineres commendatio prosequitur, non prohibet, imò tacitè suadet, vt S. Maxim. hom. 59. aduertit. *Tanquam si diceret: Laude post vitam: magnifica post consummationem.* Ad quod vt nonnulli putant, spectat etiam Saluatoris sententia. *Neminem per viam salutaueritis.* Luc. 10. Hoc est, nullum, dum viuit, & lubrico nutat vitæ curriculo, felicem dicas, neque ex animo plaudas, sed parumper finem operi. Optimum Christus documentum factis quoque prosecutus est; nam dum Thaboris vertice gloriæ suæ specimen Moysisque, & Heliæ plausum, patris denique acclamationem Discipulis communicasset, his peractis, cum descendunt, ipsis silentium indicit. *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Matth. 17. 9. Cuius congruam rationem assignat Abulensis 4. Reg. 4. quæst. 9. his verbis: *Hoc autem fuit, quia enarratio istorum, non proficeret, vsque post mortem Christi*, qui etiam in vita despicitur, post mortem glorificatur Esaia prædicente: *Ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Esaiæ 11. 10. Quasi diceret: Christi depressio, & humiliatio ipsa eius morte finietur, exinde verò gloria, & glorificatio subsequetur. Expende nunc Ignatij humilitatis studium, & propriæ laudis odium, qui dominica etiam licentia non vsus, vltra diem, atque obitum, sui commendationem exosus, ea, quæ præconium, & laudem continebant, constanter respuit, & in sempiternum abscondit; in tantum ab omni

S. Ignat.

Andræas Lucas.

Eccl. 11. 30.

S. Maxim.

Luc. 10. 4.

Matt. 17. 9.

Abul.

Esai. 11. 10.

iactantia, & laudis amore feliciter aberrauerat.

7 Vtinam ei similis præstitisset adolescens ille, qui suæ gloriationis, quàm euangelicæ perfectionis studiosior, de vita æterna adipiscenda Dominum percontatus dixerat: *Magister bone quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Matth. 19. 16. Matt. 19. 16. Cui Christus non sine asperitate respondit: *Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus.* Deinde de mandatorum obseruatione monet. Ille verò non sine fastu ea se ab adolescentia implesse testatur. Tandem collationem bonorum pauperibus malè audiens, *abiit tristis*, nec amplius de vita æterna cogitans. Nec mirum quidem hominem superbum, & virtutum suarum inanem iactatorem, Christum humilem sequi renuisse. Vnde Hieronym. in Hieron. Cat. S. Thomæ. *Ille*, inquit, *qui interrogat & adolescens, & diues, & erat superbus; & non vere discentis sed tentantis interrogat.* Simile quid leges in S. Thom. Laërtio, vt refert Brus lib. 3. Nam cùm puer, qui Laërt. in Diogenis disciplinam tradi vellet, ingenium suum & bonos mores prædicaret, magister ipsi respondit: *Si adeò excellis ingenio, optimisque moribus præditus iam es, non est, quod me præceptore ad vitam necessaria discas.* Brus.

8 Saniori quidem Samson vsus consilio, cùm leonem per seipsum occidisset, *patri, & matri noluit indicare.* Iudic. 14. 6. ne fortitudinem suam inaniter prædicare videretur, vt expendit Isidorus Clarius. Iud 14. 6. Isid. Clar. *Magna*, inquit, *indolis indicium est, ac generosi animi, atque parati ad maiora aggredienda, cùm tam præclarum facinus non curauerit parentibus indicare.* Cuius quidem & Ionathas Saülis primogenitus strenuus extitit æmulator, qui cùm innumerabilium Philisthinorum exercitum vno comitatus armigero aggressurus, à suis discederet, "*patri suo hoc ipsum non indicauit.* 1. Reg. 14. 1. Etus enim modestiam ad eum locum Gregorius sine laude prætereundam non censuit. 1. Reg. 14. 1. *Quia*, inquit, *de omni, quod electi strenuè dimicant, de omni, quod nobiliter triumphant, iactantia, & elationis vitium fugiunt, sequitur*: Patri suo hoc ipsum non indicauit. *Tacenda quidem sunt electorum virtutes, ne per iactantiam dicantur; sed aliquando ad Dei gloriam eas manifestare culpa non est.*

9 Sit ergo conclusio, quam docet Aristoteles suos admonens *ne nimium se laudarent ipsos, nec vituperarent etiam. Laudare enim seipsum vani, vituperare stulti est.* Et Cato

Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Cæterùm prædicta regula exceptionem patitur, quam suprà præscripsimus, & nuper Gregorius annotabat; scilicet necessitate cogente non solùm propriam commendationem turpitudinis expertem esse, sed honestate, & pulchritudine condecoratam. Cuius in præsenti Samuël doctrinæ exemplar est, & supra iterùm cùm Saülis manifestaturum se promisit secreta quæque, quæ in penitioribus cordis penetralibus abderentur. *Et omnia*, inquit, *quæ sunt in corde tuo indicabo tibi.* 1. Regum 9. 19. quod diuinam quandam, & propheticam sapientiam arguebat, cùm tamen id de se prædicare conduceret, prædicare non puduit, vt expendit Gregor. lib. 4. Variar. cap. 4. in hunc modum. *Sape Viri sancti virtutes, quas habent, & abscondunt, & proferunt; sed abscondunt, vt dixi, ne in magnis virtutibus magni videantur: proferunt eas, vt electis imitentur. Verbo itaque sapientiæ, aut prophetiæ se pollere asserunt, non vt veneretur, sed vt audiantur. Quare & Psalmista verbi gratiam se habere insinuans ait:* Super omnes docentes me intellexi. Psalm. 118. *Certus ergo de perfusa Spiritus confidenter nos inuitat, dicens:* Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. *ibidem* 33. Consonat Gregorio Anselmus ad cap. 11. epist. 2. Con scribens: *Sciendum, quia initio, neque perfecti aliquando virtutes suas prædicant, & bona, quæ diuinitus acceperunt, narrant; non vt ipsi apud homines sua ostensione proficiant, sed vt eos, quibus prædicant, suo exemplo ad vitam trahant.* Accedat & Chryst. homil. iam relata de verb. Apostoli. *Quemadmodum*, inquit, *suas vecitare virtutes, extrema videtur dementia, si nulla supersit necessitas: ita necessitate violenter incumbente, propellenteque, prodire est ea tacere, quæ quis studiosè perfecit.* Psalm. 118. Anselm. Chryst.

10 Quam doctrinam confirmat exemplo Dauidis, qui dum abesset necessitas, nusquam sua facinora nec parentibus, nec fratribus, nec amicis reuelauit; cùm verò Saüli persuadendum foret, vt eum in singulare certamen aduersus Philistæum exire pateretur, tum demum se Vrsum, & Leonem interfecisse palam fecit. *Nam Leonem*, inquit, *& Vrsum interfecit ego seruus tuus.* 1. Regum 17. 36. Chryst. homil. 24. in 2. Cor. 2. 11. tom. 4. *Qui ad vtilitatem auditorum spectarit, etiamsi commendet seipsum, non solùm non meretur reprehendi, sed & coronari, & propter silentium taxandus. Quoniam & Dauid tunc si siluisset, contra Goliath non esset permissus egredi in prælium; neque præclarum illud retulisset trophæum. Sane propter hoc dicere coactus est, & non fratribus, quamuis & apud illos non inueniebat fidem, sicut etiam apud Regem, sed inuidia aures illorum obstruebat: ea propter, ipsis relictis, nondum inuidenti narrabat.* 1. Reg. 17. Chryst. Eadem repetit homilia citata de verbis Apostoli, & latiùs circa id propositum vagatus concludit. *Quemadmodum tacere nouit, quando nulla vrgebat necessitas, ita & dicere nouit, cùm inflare multam vim perpendit.* Quòd si temporalis salutis & victoriæ opportunitas propriam sui in Dauide commendationem honestauit, quantò magis spiritualis proximorum negotij, & emolumenti necessitas eandem reddet laudabilem? Huius etiam ab ipso Dauide lubet exemplum capessere; non enim se mediocriter collaudat. Psalm. 48. 4. Ibi: *Os meum loquetur sapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam. Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam. Cur timebo in die mala?* Vbi & sapientiam prædicat, & prudentiam, & sanctitatem non dissimulat, ait enim: *Cur timebo in die mala?* Ast quæ eum vrsit necessitas? Magna quidem, nam si ab initio Psalmum legeris, deprehendes omnes gentes ad audiendam de diuina Prouidentia, iustitia, & aliis, doctrinam conuocari, & in toto Psalmo concionatorem agere. *Audite hæc*, inquit, *omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.* Ne ergo doctrina contemnatur, prædicatoris sapientia, & sanctitas commendetur, operæ pretium est. Sic expressit Magnus Basilius ad prædictum locum his verbis. *Propheta personam suam commendat, ne sui sermones facilè in contemptum veniant, quasi humana inuentione prolati. Quæ, inquit, à Spiritu sancto didici, ea vobis nuntio; nihil meum, nihil humanum dico.* Paulum similiter in sui commendatione Corinthiorum saluti studere videas, qui à Pseudoprophetis inaniter se iactantibus perturbabantur, de quo plura Chryst. Psalm. 48. 4. Basil.

Gregor. Chryſ. Charenſ. & Gregor. apud Hugonem Charſ. tam arctam dicit fuiſſe neceſſitatis legem, vt eius ſilentium grauis error ſequeretur. *Si ſe*, inquit, *non defendiſſet, erroris locum dedisset.*

11 Accedat Michæas, qui inanes etiam Pſeudoprophetas contundens, ſeque illis conferens, ſic ait: *Verumtamen ego repletus ſum fortitudine Spiritus Domini, iudicio, & virtute.* Michæ. 3. 8. Michæ. 3. 8. Quæris tamen tantæ laudationis neceſſitatem, aut congruentiam: vt *annunciem*, inquit, *Iacob ſceleſtus ſuum, & Iſrael peccatum ſuum.* Chryſ. Cuius exemplum Chryſ. homil. 24. iam relata exemplo Propheteæ Ammos ſe etiam collaudantis annectens de vtroque ſic loquitur. *Non extollens ſeipſum dicebat, ſed obturans ora ſuſpicantium ipſum non eſſe Prophetam, & vt oſtendat, quod non decipiat, nec à ſe ipſo dicat ea, quæ dicit. Alius quoque* (Michæas) *iſtud ipſum declarans dicit*: Verumtamen ego impletus ſum fortitudine Domini, ſpiritu, ac potentia.

12 In quo ſancti Viri Deum ipſum imitantur, qui vt hominibus ad vitam æternam proſit, operum ſuorum magnitudinem oſtendat teſte Dauide. Pſalm. 110. *Virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo.* Sed quorſum hoc? *Vt det illis hæreditatem gentium*, vt annotauit Anſelmus ſupra relatus. Anſelm. *Si virtutes*, inquit, *ſuas Dominus taceret, eum nullus agnoſceret: ſi nullus agnoſceret, nullus amaret: ſi nullus amaret, nullus ad vitam rediret. Vnde per Prophetam dicitur*: Virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo, &c. *Virtutes enim ſuas annunciat, non vt laudibus ſuis ipſe proficiat, ſed vt hi, qui hæc ex ſua laude cognouerunt, ad perpetuam hæreditatem veniant.* Hominum enim vtilitate inducuntur, vt proprias virtutes nonnunquam Sancti iactare videantur.

13 Hinc apparet ratio, ob quam tumidus ille Phariſæus ſuarum virtutum declamator, & ridiculus tibicen Dei iudicio damnatus exceſſerit è templo. Dixerat enim, *Non ſum, ſicut cæteri hominum: raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in ſabbatho, decimas do omnium, quæ poſſideo.* Luc. 28. 21. Luc. 28. 21. Quæ enim eum in hanc tui acclamationem neceſſitas impulit? Vere nulla, quin potiùs gratiarum agendarum prætextu, in Publicanum, qui retro aderat, omni ſupercilio, & faſtu debacchatur. Aduertit hoc Chryſ. hom. 25. Chryſ. in epiſt. 2. Cor. 11. tom. 4. *Si poſtquam omnia*, inquit, *fecerimus debemus nos pro ſeruis inutilibus habere; vbi autem nulla cauſa impulerit, qua venia dignus erit, qui ſeipſum extollit, & gloriatur? Propter hoc & Phariſæo acciderunt ea, quæ euenerunt, nempe quod in portu naufragium fecit, quod impegit in hunc ſcopulum.* Sed neſcio an ad propoſitum præſentiùs Theophilus in Cat. S. Thom. hunc cum ſancto Iob ſe etiam iuſta de cauſa extollente conferens his verbis. Theophil. S. Thom. *Forſitan mirabitur aliquis quomodo Phariſæus, cum pauca verba ſua laudis protulerit, condemnetur; Iob verò cùm plurima fuderit, coronetur. Eo ſcilicet, quòd Phariſæus talia dicebat criminando alios nulla ratione cogente, Iob verò vrgentibus eum amicis, & preſſuris prementibus coactus eſt propriæ virtutes referre ad Dei gloriam, ne homines deſiſterent à profectu virtutis.*

14 Ex dictis colliges primò Samuëlis modeſtiam in ſuis virtutibus, & præclarè geſtis minimè euulgandis ante neceſſitatis imperium. Secundò eius prudentiam & proximorum vtilitatis zelum, quo tandem impulſus aliquod ſuæ dignitatis ſpecimen præbuit, tum vt diſcedens à magiſtratu de ſe rationem redderet: tum vt populum delinquentem liberiùs argueret: tum denique vt nouum Regem ſuo exemplo ad facile, & humanum Regni moderamen inſtrueret, quæ ſuprà variis Patrum, & Interpretum teſtimoniis confirmata manent.

INSTITVTIO XXVII.

Moralis.

Curam habe de bono nomine.

1 *Propter nomen ſuum magnum*, ait Samuël, Hebræos à Domino ex malis omnibus eruendos, hoc eſt propter ſeipſum, vel propter gloriam nominis ſui magni apud omnes gentes; cuius famæ ne ab aliquibus detrahatur, plura Deus aut facit, aut omittit. Sic Abulenſis, Vatablus, Carthuſian. Saa, Mendoza, & alij è quibus Abulenſ. quæſtion. 15. ſic fatur: *Quia videretur aliquo modo deprimi honor ſuus, nam dicerent gentes in circuitu, quod Deus Iſraël non poterat defendere cultores ſuos ab hoſtibus, ideò relinquebat eos: ne autem gentes hoc improperarent, Deus nolebat relinquere Iſraëlitas.* *Ad illa verba*: Propter nomen ſuũ magnum. *cap. 12. v. 22.* Abul. Vatab. Carthuſ. Saa. Mendoza.

2 Quæ quidem ratio pluribus aliis exemplis illuſtrari poteſt. Nam Moyſes, vt Deum comprimeret iam iam de extrema populi ruina cogitantem, ſic aiebat, ne forte contingat, *vt audiant Ægyptij, de quorum medio eduxiſti populum iſtum, & habitatores Terræ huius, &c. & dicant: Non poterat introducere populum in Terram, pro qua iuranerat: idcirco occidit eos in ſolitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini*, Numer. 14. 13. Num. 14. 13. Qua quidem ratione quaſi conuictus eſt Deus. Ea etiam Dauid non ſemel vſus. Nam Pſalm. 78. 9. Pſalm. 78. 9. *Propitius*, inquit, *eſto peccatis noſtris propter nomen tuum, ne forte dicant gentes, vbi eſt Deus eorum.* Et Pſalmo etiam 113. 2. *Super miſericordia tua, & veritate tua, ne quando dicant gentes: vbi eſt Deus eorum.* Pſal. 113. 2. Hæc & alia apud Abulenſem & Mendozam. Abul. Mendoza.

3 Sed celeberrimum illud eſt, cùm primum Moyſes Exod. 32. 12. enixè Deum precaretur, vt populo idololatriæ ſcelere obſtricto facinus dimittat, hanc enim vnam illi rationem obiicit, quam ſciebat eſſe apud eundem valiſſimam. *Ne, quæſo, dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra: quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui.* Vix hæc illè, *Placatúſque eſt Dominus, ne faceret malum*, ibid. verſ. 13. Exod. 32. 12. Ecce balbutiens homo Deum rationibus vincire viſus eſt. Vnde argumenti vis optimè elucet, quam vidit Oleaſter ibi dicens: *Multa homines faciunt, & omittunt, ne famam & gloriam, quam habent, amittant: quo in loco conſidera multa non ſolùm propter amicos, ſed etiam propter inimicos eſſe facienda, & omittenda; & ſimul diſcimus quæ faciat Dominus, ne honorem, & famam amittat.* Oleaſter.

4 Hinc etiam Dominus ipſe præuaricatori dicit: *Propter nomen meum longè faciam furorem meum: & laudem meam infrænabo te, ne intereas*, Iſai. 48. 9. Iſai. 48. 9. vel vt legunt Septuaginta in Sixtiana: *Gloriosa mea inferam ſuper te, vt non te interficiam.* Et inferius verſ. 11. *Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer*: In leonum lacu voracibus leonum rictibus Daniel ſecurus obiacet, illæſus permanet. An quia per omnia charus Deo?

Verùm chariſſimus etiam Ignatius, & complures Martyres eorundem leonum ferociam occiſi ſubierunt. Dixerim potiùs cum Tertulliano libro aduerſus Gnoſt. cap.8. Danielis incolumitatem barbaro potiùs Regi, quàm aliis rationibus deberi; qui quidem Prophetam in lacum proiici dum videret, dixerat: *Deus tuus, quem colis, ſemper ipſe liberabit te.* Daniel. 6. 16. Audiuit quidem Deus hominis exiſtimationem, & rectum, ac fiduciale de ſua prouidentia iudicium, nec ſpernendum putauit; Leonum igitur obturat ora, frænat inediæ furorem, ne quam apud Darium barbarum quoque Regem habebat famam, & bonam opinionem amitteret. Audi iam Africanum decus: *conſueta, & viſitata feritas leonum Danielem deuoraſſet, ſi Dary digna præſumptio de Deo falli debuiſſet.*

Tertull. Dan.6.16.

5 Nec minùs in nouo Teſtamento bonæ ſuæ apud homines exiſtimationis & famæ Chriſtus Dominus conſuluit, ſæpiùs enim eam magnopere curaſſe viſus eſt. Transfigurationis enim ſuæ tempore Moyſem, & Heliam gloriæ ſuæ comites eſſe voluit. Quare eos præ aliis ex omnibus mortuis elegerit, differuimus, & diffiniuimus aliquando. Verum ad præſens inſtitutum dicendum eſt, vt in eo honori ſuo conſultum voluerit: nam cùm Diſcipulos de fama ſui ſollicitus percontatus eſſet: *Quem dicunt homines, eſſe filium hominis?* Matth. 16. 13. ab ipſis audiuit: *alij Ioannem Baptiſtam: alij autem Heliam: alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Ibidem 14. Hunc quidem errorem abſque vlla Domini Saluatoris culpa, in vulgus ſerpere certum eſt, nihilominùs tamen Dominum videtur pupugiſſe, & non dictis ſolùm, ſed & factis, manifeſtóque teſtimonio ſe neque Heliam, neque vllum ex Prophetis eſſe oſtendere manifeſtiſſimè decreuit. Quid ergo? Heliam, & Moyſem Prophetarum principem ſibi aſſiſtere, plaudere, & publicè famulari præcipit; vt cùm negotium hoc ad Iudæorum aures perueniret, neque Heliam eſſe eum crederent, nec Prophetarum aliquem, ſed omnium eorum efformatorem, & Regem. Sic expreſſit Chryſoſtomus relatus in Bibliotheca hom. Dom. 2. Quadrag. tom. 2. *Quia enim turba dicebant eum eſſe Heliam, vel Ieremiam, aut vnum ex Prophetis, capita Prophetarum ſecum ducit, vt ſaltem videatur hic differentia ſeruorum, & Domini.* Hæc ille ad rem præſentiſſimè.

Matth.17.3. Matth.16.13. Chryſoſt.

5 Vix etiam orbi exortus de honore tam ſuo, quàm matris nihilo incurius fuit, nam dum Magi Stellæ ducatu in Bethlehemiticum tugurium intrant: *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Matth. 2. 11. Nullus quidem alius præter filium, & matrem inuentus ibi perhibetur. Sed rogas vbinam & Ioſephus, qui eo tempore ab vtroque abeſſe non poterat? Abfuit quidem, vt apertè Textus Rabban. ſignificat, ſed qua de cauſa: Accipe ex Rabbano S.Thom. Mauro in Cat. S. Thomæ, vel ex ipſo S. Thoma, Palatius. vt credit Palatius in Matthæum ad eundem locum. *Diuino nutu factum eſt, quòd abierat Ioſeph, ne aliqua mala ſuſpicionis occaſio daretur gentibus.* Nimirùm ne aut Chriſtum Ioſephi filium crederent, non verò Spiritus ſancti opere conceptum, aut Mariam matrem vſitato more concepiſſe, nec Virginitatis florem retinuiſſe intelligerent, vel ſuſpicari poſſent.

Matth.2.11. Rabban. S.Thom. Palatius.

7 His, & aliis frequenter inſtruimur, ne propriam æſtimationem prodigentes, aliorum de nobis opiniones, aut dicta, prudentium præſertim, contemnamus. *Bona fama*, ait Salomon, *impinguat oſſa*, Prouerb. 15. 30. & iterùm: *Melius eſt bonum nomen, quàm diuitiæ multæ: ſuper argentum, & aurum gratia bona*, ibid. 22. 1. Nec auro ſolùm, ſed aromatibus, & pretioſiſſimis vnguentis præferendam docet Eccleſiaſtes 7. 2. *Melius eſt nomen bonum, quam vnguenta pretioſa.* Eccleſiaſticus denique 41. 15. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi, & magni.* Sed & profanus ille.

Prou.15.30. Eccl.7.2. Eccl.41.15.

Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento,
Quæ ſemel amiſſa, poſtea nullus eris.

Ouid.

Tullius item lib. 1. Officior. *Negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed animi omnino diſſoluti.* Perperam ergo fama deſpicitur, cui nec aurum, nec theſaurus, nec pretioſum aroma conferri poteſt. Vnde iure ab Auguſtino lib. de Bono viduitatis cap. 22. & habetur 11. quæſt. 3. cap. *Non ſunt*, incurij aliqui, & deſides reprehenduntur, qui vnius conſcientiæ teſtimonio ſatiati, hominum exiſtimationem parui pendunt. *Nec audiendi ſunt*, inquit, *ſiue Viri ſanctis, ſiue fœmine, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam ſit, vt in malam veniant ſuſpicionem, vnde ſuam vitam longè abeſſe ſciunt, dicunt, ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam; exiſtimationem hominum non imprudenter ſolùm, verumetiam crudeliter contemnentes: cùm occidunt animas aliorum, ſiue blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundum ſuam ſuſpicionem, quaſi turpis, qua caſta eſt, diſpliceat vita Sanctorum: ſiue etiam cum excuſationem imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis à crimnibus flagitiorum, atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benefacit: quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra: & vtique etiam quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat vtilitatem. Vnde non fruſtra Apoſtolus*: Prouidemus, *inquit*, bona, non ſolùm coram Deo, verumetiam coram hominibus. 2. Co- *rint.* 8. Item dicit: *Placete omnibus per omnia, ſicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui ſint.* 1. Corint. 10. Hæc Auguſtinus. Et iterum ſerm. de communi vita Clericor. & habetur 12. quæſt. 1. cap. *Nolo* ſic idem conſilium inculcat. *Nolo*, inquit, *vt aliquis de vobis inueniat male viuendi occaſionem*; prouidemus enim bona, *vt ait Apoſtolus* non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. *Propter nos conſcientia noſtra ſufficit nobis: propter vos fama noſtra non polluit, ſed pollere debet in vobis. Duæ res ſunt conſcientia, & fama, conſcientia neceſſaria eſt tibi: fama proximo tuo.*

Tullius. 1.Cor.8. 1.Cor.10. Aug. cap. *Nolo.*

8 Impudentiæ quoque notam in proprij honoris profuſores Plutarchus etiam impingit in Alcibiade, dicens: *Contemptio boni nominis vitium eſt cum impudentia & inſania quadam coniunctum.* Maius etiam malum quouis corporis vitio, ac fortunarum iactura reputat Ambroſ. lib. 3. Offic. c. 4. famæ diſpendium, hic fatus: *Quis vitium corporis, aut patrimonij damnum non leuius iudicet vitio animi, aut exiſtimationis diſpendio?* Et Plinius etiam Iunior epiſt. 3. in lib. 9. *Alius alium*, inquit, *ego beatiſſimum exiſtimo, qui bona, manſuræque fama præſumptione perfruitur, certúſque poſteritatis cum futura gloria viuit.*

Plutarch. Ambroſ. Plin.Iun.

9. Hac quidem beatitudine perfruebatur fortis illa Virago *gloria Iſrael, & ſui populi honorificentia* Iudith, de qua hiſtoria: *Erat hæc omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat*

qui

Iudith. 8. 8. *qui loqueretur de illa verbum malum* Iudith. 8. 8. Ecce completa famosæ fœminæ beatitudo. Apud Deum optimè accepta per bonam conscientiam, & per timorem & Dei reuerentiam erat: Apud homines verò per exteriorem ædificationem benè audiebat omni de se suspicione remota. Quam quidem eius laudem non extremam, sed præcipuam

Hieron. assignari testatur Hieronymus in Commentar. ad cap. 11. Isaiæ. *Inter cætera*, inquit, *quibus Iudith commendatur, illud præcipuum est: Nec erat, qui de ea verbum loqueretur malum.* Impius Cain fratrem occidit, cuius effusus super humum cruor clamasse dicitur ad Dominum de terra. *Vox sanguinis fratris tui*, ait Deus, *clamat ad me de terra.* Genes. 4. 10. Cur, quæso, sanguis de terra clamat? Clamet potiùs innocens iusti cadauer, clamet vel anima sancto excussa de corpore. Rationem reddit Ambrosius congruentissimam lib. 2. de Abel & Cain cap. 9. in hæc verba. *Benè ait*, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me: non *frater clamat; hoc innocentia, & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat. Non accusat fratrem, ne videatur parricida: non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat. Non dixit: de fratris clamat corpore: sed, terra clamat.* Hæc

Ambr. Ambrosius, *Ne*, inquit, *videatur parricida.* Cruor solus ille super terram effusus clamat, ne si ille etiam, qui cadaueri adhuc congelatus inerat, clamaret, iustus parricida videretur: Non quidem reuera parricida foret, sed ne saltem videretur, clamori parcit, vindictam refugit.

10 Auferri ergo & amputari debent à cordato quouis, & prudenti viro malè apud alios audiendi qualescumque occasiones, aut ansulæ. Quod vt

Chrysost. facilius credas audi à Chrysostomo libro quinto de Sacerdot. sic hortante. *Oportet suspiciones prauas, statim ac exortæ fuerint, intercidere; ac nihil prorsùs omittere rerum earum, quæ prauam de te opinionem delere possint.* Perstrictius hæc, nec

Guarric. Abbas. eleganter minus Guarricus Abbas, Serm. 3. de Sanct. Benedict. *Ad omnes*, inquit, *pertinet, vt prouidentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, nec conscientiam negligant amore famæ, nec famam fiducia conscientiæ.* Quocirca optimum de se Sanctus Dauid exemplum præbuit, cùm impius Ioab, Abisai fratre comitatus, Abner ad suos

2. Reg. 3. 27. reuertentem dolosè occidit. 2. *Reg.* 3. 27. Quorum impium facinus vehementer doluit Rex piissimus, & primò immunem se à tanto scelere publicè professus est. *Mundus*, inquit, *ego sum, & regnum meum apud Deum vsque in sempiternum à sanguine Abner.* ibidem vers. 28. Deinde in homicidæ caput maledicta congerit: post femoris suos faccis accingi in lugentium morem iubet, vestesque in doloris signum discindere: feretrum ipse Rex sequitur, & tumulato viri cadauere, luget implacabiliter, & funestos Rithmos recitat, denique vsque in occasum Solis ieiunus persistit. Vt quid, rogas, tot doloris signa? Tot luctus apparatus? Tot in occisum ducem amoris indicia, mœroris argumenta? Tacitè tibi Textus respondet. *Cognouit omne vulgus, & vniuersus Israel in die illa, quoniam non ab eo fuisset à Rege, vt occideretur Abner.* Ibi vers. 37. Ecce prudentissimum Dauidis consilium; erat enim antea Dauid Abnero infensus, qui hostis sui partes non tantum sequebatur, sed exercitum administrabat, & in quem tota Isboseth causa inclinata recumbebat. Hinc eius occisio Dauidi quidem fructuosissima, (quamuis à Ioab Dauidis etiam ex sorore nepote executioni mandata.) Regi potiùs ab omni populo adscribenda erat, qui vel iussisset, vel permisisset. Dauid ergo apud Deum quidem innocens, conscientiæ suæ testimonio minimè contentus, multiplicatis doloris sui signis, innocentiam suam cunctis probare contendit, & in tantum laborat, vt intentum teneat, & voti compos se ab eo crimine expertem populo persuadeat.

Abul. Mecum Abulensis sentit ibidem quæst. 33. *Putabatur enim*, inquit, *quòd Abner fuisset iussu suo occisus, & vt excluderet istam præsumptionem; voluit agere quidquid fieri poterat ad indicandum dolorem.*

11 Hæc quidem ille, qui iuxta Dei cor aptatus erat, cui displicere eos admodùm nouerat, qui aliorum de se opinione contempta, vnius conscientiæ suæ testimoniis acquiescunt. In quorum detestationem prohibuisse olim Deus in suis Sacrificiis mel videtur. *Nec quidquam fermenti, aut mellis adolebitur in Sacrificio Domini.* Leuit. 2. 11.

Leuit. 2. 11. Hinc enim quæstio apud Interpretes vulgaris, sed & non vulgaris difficultatis, quanam de causa mel, quod omnium pene obsoniorum suauissimum est, & reliquis etiam condimentum, & saporem communicat, Deo in tantum execrabile sit, vt ab eius Altari, & Sacrificiis arceatur? Multa multi: illud tamen ad præsens propositum probo, quod

Oleaster. Oleaster excogitauit, Annot. 2. in Leuit. dicens: *Quia mali odoris est, si cremetur.* Sed quid inde? an Deus grauibus odoribus offenditur? Absit. Ad moralem hoc disciplinam accipe. Vnde prosequitur Oleaster: *Nihil magis Deo displicet, quàm si mali odoris, & famæ sis.* Quod nouerat etiam optimè qui dicebat: *Christi bonus odor sumus.* 2. Co-

2. Cor. 2. 15. rinth. 2. 15. admodùm enim bonæ opinionis & famæ odoribus Christus oblectatur.

12 Vnde mortuo etiam, vt credebatur, Maria Magdalenæ, quæ viuentem etiam pretiosis vnguentis delinierat, fragrantia aromata censuit offerenda. *Emerunt*, inquit Textus, *aromata, vt venientes vngerent IESVM.* Marc. 16. 1. Ast quænam illi gratissima sunt aromata? an myrrha, Aloë,

Marc. 16. 1. & balsamus? Neutrum quidem, sed quod eisdem aromatibus & odoriferis speciebus significatur, odor nempe bonæ existimationis, & ædificationis.

Haimo. Sic saltem docuit Haimo, Albestrat his verbis expressum. *Aromata bonum odorem de se reddunt: sic & nos debemus bonum odorem, id est bonam famam de nobis reddere.* Ecce gratissimum Deo aroma, ecce confectio opere pigmentario suauissima, bona apud proximos æstimatio. Hæc verò non solùm Dei gustui, & animarum saluti congruit, sed in humanis quoque magni est; in bellicis enim tantum habet ponderis, vt in præclara ducis, aut gentis æstimatione apud exteros tota interdum rei militaris causa consistat. Quod probat Vannotius Ani-

Vannotius. maduers. Politic. Volum. 7. n. 1978. ibi: *Non enim alia res est, quæ Regnis plus noceat, quàm Principem authoritatem semel amittere; nam ex eo inconuenienti multi variique effectus inordinati oriuntur, quibus nonnisi maximis laboribus, & industria, grauissimisque expensis occurri tandem potest.* Connestagius

Connestag. expressiùs in præfatione Histor. Reg. Portugal. *Viuunt*, inquit, *ex opinione, & sustentantur potiùs eo, quod se esse putant, quàm quod sunt reuera.* Sed quia hæc pium institutum nostrum prætercurrere videntur, sit satis: qui plura velit, consulat Lipsium 4. Politicor. cap. 9. Ioan. Boterum lib. 1.

Lipsius. Boterus. & alios, quos refert Dominus Ioannes de Solorzano in Acculat. Ioan. de Venauides, vbi multa perdoctè

Solorzan. congerit, & Ioan. Ant. Velazquez ad cap. 4. Epist. ad

Velazquez. Philipp. vers. 7. Annotat. 2. tom. 2.

INSTITVTIO XXVIII.

Moralis.

Quantùm aliorum orationibus fidendum.

Ad illa verba. Igitur timete Dominum. *Cap.12.v.24.*

1 *Igitur timete Dominum*, ait Samuël. Vbi aduerte coniunctionem *igitur* particulam esse illatiuam, quæ aliquid ex præcedentibus concludit. Samuelis preces Israëlitæ implorauerant, vt benè secum ageretur; promittit quidem Samuël, sed illæ irritæ ne fiant, & eorum salutis tuto negotium peragatur, corundem cooperationem necessariam esse concludit: quasi diceret: Incolumitatem, & salutem expetitis: precum mearum in eum finem subsidium imploraſtis, ergo & vos agite, & ne ignauia, ac socordia torpeatis, vt annotauit Chryſostomus non semel suprà relatus præcipuè hom.1. in 1. Epist. ad Thessalon. tom.4. *Si desides*, inquit, *fuerimus, nemo nos iuuare poterit.* Quod & Ieremiæ, & Samuelis exemplis confirmat, quorum oratio parum aut nihil contumacibus profuit. *Quid*, inquit, *profuit Ieremias Iudæis? An non tertiò Deum pro illis interpellauit, & vicissim tertiò audiuit*: Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te. Ierem.7.16. *Quid Saülem iuuit Samuel, an non ad extremum vsque diem lugebat illum, non tantum obiter precabatur.* 1.Reg.15.35. *Quid profuit Israelitis? num dicebat*: Mihi verò abit ita delinquere, vt cessem pro vobis orare. *Non omnes perierunt? Nihil prosunt, inquis, preces? Prosunt plurimum, sed quando & nos aliquid fategerimus; adiuuant enim, & auxiliantur, Si verò desis, & otiosus manseris, non magnoperè iuuaberis.* Hæc Chryſostomus. Et iterùm: *Bonum est sanctorum precibus frui, sed quando & ipsi seduli, & vigiles fuerimus.* Tertiò denique hom. 79. ad popul. Antioch. *Bonum est*, inquit, *sanctorum oratione frui, sed cùm & nos simus cooperatores; quòd si non adfuerit, nihil aliorum prodest auxilium, verùm & cum illo perimus.* Concinit & Maximus Monachus apud Anastas. Nicen. quæst.6. in Script. *Est magna insipientia per preces sanctorum quærere salutem eum, qui sua affectione perniciosis delectatur.*

Chryſost. Ierem 7.16. 1 Reg.15 35. Chryſ. Maxim. Monach. Anastas. Nicen.

2 Quam quidem doctrinam variis Chryſostomus illustrat exemplis, ex quibus vnum, vel alterum tangere oportebit. Nam Samuël, de quo nobis sermo, aliquando pro suis auditus est, aliquando verò non auditus. Pro Israëlitis enim orauit suprà cap.7.vers.9. & obtinuit: *Clamauit Samuël ad Dominum pro Israël, & exaudiuit eum Dominus.* Postmodùm verò pro ipsis clamauit, vt est in præsenti, & iuxta Chryſostomum exauditus non est. *Quid profuit*, inquit, *Israelitis? non omnes perierunt?* (sic enim habent exemplaria quibus vtimur, non vero *num*, vt alia) & deinde de priori oratione locutus sic ait: *Samuel pro Israelitis orauit, & efficax fuit precatio. Sed quando? Quando & ipsi benè placebant, & quiescebant, tunc & hostes vincebant.* Auditur ergo Samuël pro populo, cùm ille vocem etiam eleuat, & benè operatur: Non auditur verò, quando ij, pro quibus fundit preces, ignauiæ, & malitiæ student.

Chryſost.

3 Alterum exemplum est Iobi, qui pro amicis suis orans, peccati illis remissionem promeretur. *Suscepit Dominus faciem Iob.* Iob 42. 9. Postea vero indigitationem suam Deus indens in Hebræos dicit: *Si & Noe, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius: viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium & filiam non liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Ezech.14. 20. Ecce tantorum virorum authoritas, & oratio nihili apud Deum habetur, vt propter eos delinquentibus condonet. Ratio verò est, quia inertes illi, & oscitantes nullum præter Sanctorum orationem diuinæ vindictæ propriarum virtutum scutum opponunt, sed incurij perstitunt, & ignaui. Chryſostomus. *Audi quid Deus de amicis Iob dicat*; Et orabit, *inquit*, pro vobis, & remittetur vobis peccatum vestrum, *peccauerant enim, verùm non adeò magnum peccatum. Sed idem ipse iustus, qui amicos suos precationis beneficio seruauit, tempore Iudaico seruare non potuit Iudæos pereuntes. Et vt hoc discas, audi quid per Prophetam dicat Deus*: Si starent Noë, Iob, & Daniel, non liberarent filios suos, ac filias.

Iob.42.9. Ezech.14. 20. Chryſost.

4 Impius ille simoniæ author Simon Magus ob detestabile sancti Spiritus emptionis consilium, à Petro increpitus audiuit: *Pœnitentiam age de hac nequitia tua*, Actor.8. ille vero: *Precamini vos pro me ad Dominum.* Concesserunt quidem id homini Sancti Apostoli, si Abulensi credimus quæst. 35. in cap.5. lib.4. Reg. *Cum Apostoli*, inquit, *essent viri misericordes orauerunt pro eo.* An verò eorum oratio misero profuit? Minimè quidem, vt creditur. Quare? Vtique quia omissa pœnitentia, compunctione, & lachrymis, alienæ tantum (vel etiam Apostolorum) orationi confidit.

Actor.8. Abul.

5 Hinc soluere licebit curiosam quandam Augustini quæstionem, quam mouet in lib. Quæst. veter. ac noui Testamenti tom. 4. nimirùm: cur Dauid preces aliquando alienas cùm postulauerit, votumsuum adeptus fuerit: Saül verò post transgressum Domini præceptum Samuëlem rogans, vt pro se oraret, veniam minimè a Deo consecutus sit. Audi Augustinum proponentem. *Quare*, inquit, *Saul peccans petit orari pro se, vt ignosceretur sibi;* Porta peccatum meum. 1. Reg. 15. 25. *Et impetrare non potuit*: *Dauid autem peccans postulauit, & veniam consecutus est?* Soluit deinde quæstionem Augustinus ad præsens nostrum institutum aptissimè in hæc verba. *Dauid non alium pro se voluit humiliari, sicut Saül, sed ipse supplex tribulato corde veniam precabatur.* Vt videas tunc nobis Sanctorum orationes frugi, & adiumento esse, cùm nostra eorum preces comitatur cooperatio; tunc verò parum, aut nihil alienum studium proficere, cùm nos desides & oscitantes hæremus.

Auguſt. 1.Reg.15.25.

6 Orabat olim pro filiæ salute Dominum mulier Chananea, nec tamen audiebatur. *Qui non respondit ei verbum.* Matt. 15. 23. Rogant etiam pro ea Apostoli, neque audiuntur. Instat illa ardenter, & tandem Christi Domini dissimulationem excutit, nec duplicis orationis instantiam ferre ipse Dominus potuit. *O mulier*, inquit, *magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis.* Ibidem vers. 28. Chryſostomus in Cat. S. Thomæ. *Intende*, inquit, *qualiter Apostolis non impetrantibus, impetrat ipsa. Tam magnum quid est instantia orationis. Etenim pro nostris noxis à nobis vult magis rogari, quàm ab aliis pro nobis.*

Matt.15. 23. Chryſost. S.Thom.

7 Huic simile quid præcessit in lib. Genes. 22. Agar enim Abrahæ ancilla, eius expulsa domo, cùm degeret in deserto Ber-sabe, & paruulum filium suum Ismael deficiente aqua præ siti iam mori videretur, eum sub arborem proiecit, & è regione sedens *leuauit vocem suam, & fleuit.* Gen.21. 16. Quid elata voce ingemiscens dixerit, non exprimitur. Credibile est tamen acerrimo planctu,

Geneſ.22. Gen.21.16.

planctu, funestisque querelis totum cœlum impleuisse, & saxa quoque molliuisse. An verò emolluit diuinum pectus? An ad misericordiam expirantis filij commouit? Minimè quidem. Quid ergo? *Audiuit autem Dominus vocem pueri* ibid. v. 17. Pueri scilicet, qui pro se oraret, & gemeret, nec vnius matris precibus, aut singultibus nimiùm fideret. Sic aduertit Hieronymus Oleaster Annot. 21. Oleaster. his verbis: *Fleuit mater, & Dominus non quidem matris, sed pueri vocem audisse dicitur. Vbi discè quod plus nobis ad misericordiam valeant fletus nostri, quàm amicorum, & aliorum pro nobis.* Hæc ille. Quod si nec matris quoque affectibus, & orationibus, spreta propria opera, fidendum sit, nec matris quoque Ecclesiæ validissimæ preces, ac fletus filiis ad diuinam miserationem impetrandam sufficientes esse credideris, nisi ipse quoque voce tua ad Dominum clamaueris.

8 Perspicuum quidem id Dauidi fuerat, qui aiebat, *Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad* Psal. 76. 1. *Deum, & intendit mihi.* Psalm. 76. 1. Vbi de voce propria, & non aliena sermonem esse animaduertet. Sunt enim, qui clament voce aliena, qui ab obuiis quibuscumque precum, & orationum subsidium petant: nusquam propria voce, propriisque singultibus, ac lachrymis clamant. Secùs quidem Dauid, qui voce Dominum inclamabat sua, vt notauit Carthusianus ibidem art. 47. *Idest voce attenta, & propria, non aliena.* Illis namque Dominus intendit, eósque lubens exaudit, qui pro seipsis orant, & honestis actionibus alienam adiuuant orationem.

9 Regem olim Abi-melech Deus, vt captam Abrahæ vxorem restitueret, præcepit. Addit etiam Abrahamū pro eo, vt à culpa solueretur, oraturum. *Orabit*, inquit, *pro te, quia Propheta est, & viues.* Gen. 20. 7. Gen. 20. 7. Tunc ille non solùm fœminam reddidit, sed ingentia quoque munera donauit viro, vt puta mille argenteos, *oues, & boues, seruos, & ancillas.* ibidem vers. 14. Ast quæ tantæ effusionis ratio? Respondet Abulensis: *Vt inclinaret Abraham ad rogandum pro se, dedit ei munera.* Sed obiicies Regem diuino testimonio certum quidē iam fuisse, Abrahamum pro se rogaturum, Deus enim affirmauerat, *Orabit pro te*; Ineptè ergo vt eum ad orandum inclinaret, muneribus cumulauit. Sed facile ad præsens institutum respondetur, prudenter quidem Regem se gessisse, qui ita orationem alterius expectabat, vt suam ipse industriam non omitteret, nec tantum negotiūm alienis committeret officiis, sed quantum in se erat, rem aliàs certam certissimam redderet.

10 Sed disciplinæ huius nullum aliud est præclarius exemplum quàm Saülis, quod suprà obiter tetigimus, nec prætermittere fas est; peccauit quidem grauiter, diuinum iussum transgressus in infausto illo contra Amalechitas bello. Pœnitentiæ tamen, & doloris signa præ se tulit, & Samuëlis orationem, & preces imploranit, is verò à Deo vehementer huic operi incubuit, vt pro Saüle dies, noctésque apud Dominum lugeret; infrà c. 15. 35. Nec tamen Saül diuinam misericordiam adeptus creditur, quod nimium forte Samuëlis orationi fisus, propriam operam omisit, vt aduertit Chrysostomus. Hom. 5. in Matt. *Et Samuel*, inquit, *exorans pro aliquo indigno deprecetur, continuò ad illum clamauit Deus*: Vsquequo tu luges Saul? *Non igitur quasi oscitantes, & desides ex aliorum meritis pendamus.* Saülis eiusdem iniquitatem aduertit Gregorius. lib. 6. Variar. cap. 2. Qui impij facinoris Samuëlis increpatione conuictus: *peccaui*, inquit, *Sed nunc porta, quæso, peccatum meum.* 1. Reg. 15. 24. Peccati enim dulcedinem ipse gustauerat, eius verò amaritudinem & importabile pondus Samuëlis humeris imponere studebat. *Quid est*, inquit Gregorius, *quod dicit, nisi quia peccatorum dulcedinem in se ipsis peccatores excipiunt, sed onerare Prælatos onere eorundem peccatorum volunt: quidam autem sponte ad confessionem veniunt, sed pro quibus se accusant, non ipsi lugent, sed pœnitere alios obsecrant, fide sola saluari æstimant.* Nec Centumputeolani nostri elegantia in hunc locum & propositum verba prætermittere lubet, ait enim in Comment: *Sanctorum intercessionem parum illis prodesse, quos, neque peccati pœnitet, neque aliquod faciunt pœnitentiæ, aut pietatis opus, quo apud Deum aliquid ineant gratiæ, aut diuinum à se furorem auertant: sed id totum Sanctorum intercessioni permittunt, quasi otiosis in sinum & dormientibus omnia cœlitus bona uentura forent. Otiosus plane erat Saül in spiritualibus negotio, &c.* Hæc ille. Sanct.

11 Quocirca festiuum est exemplum, quod in Vitis Patrum aliquando legi. Latro in Sanctum Anachoretam aliquando incidit, à quo cùm pecuniam, qua carebat, extorquere non posset, enixè contendit, vt omnipotenti Deo frequenter per preces & orationem commendaret. Cui ille: libet quidem, sed rogo te prius vt lapidem hunc, (qui fortè tunc aderat, & leuis non erat) mecum in altum eleues. Pergit latro, monachus autem in tantum socium laboris non iuuabat, vt lapidi potiùs insistens aggrauaret. Pyrata verò: quid ita improbe agis; nam dum in leuando lapide laboro, non solùm operam non impendis, sed potiùs grauando obsistis. Tum tandem Anachoreta, hic igitur errorem tuum inspexeris, qui preces meas expetis, vt è vitiorum sordibus eleueris, tu verò pessimis factis, & impio latrocinandi munere in immensum grauaris, ne extolli vnquam possis. Hæc ille diserte, & parenetice. Huic ergo persimiles dixeris, qui aliorum orationibus plus freti, quam par est, incurij, & desides redduntur. Quos contra Ethnicus quoque Salustius in Catil. *Vbi te*, inquit, *socordia atque ignauia tradideris, nequaquam Deos implores, irati, infestique sunt.* Salust.

12 Petrus ab Angelo è carcere miraculosè eductus, non satis quę gerebantur, percipiebat, *& nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre.* Actor. 12. 9. quasi insolitum enim, & monstruosum se ab Angelo liberari reputabat. Rogari tamen potest, cur Petrus tanta diuinæ gratiæ luce perfusus Angeli circa se operationem non cognouerit, sed quasi visum, & somnium reputauerit? Multiplex reddi potest responsum. Ad præsens tamen institutum illud facit, quod nobilis Interpres ex Neothericis excogitauit, nempe quasi portentum, & nocturnam potius visionem existimatum irri, ex solis aliorum orationibus à periculis liberari nullâ propriâ adhibitâ operâ, aut industriâ. Hoc quidem Petro acciderat, nam dum Ecclesia assiduas ad Deum pro eo preces effunderet: *oratio autem fiebat ab Ecclesia sine intermissione ad Deum pro eo.* ibid. vers. 5. ipse securus & incurius in vtramque, vt dicitur, aurem indormiebat: *in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites* ibid. vers. 6. Tunc igitur *ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, &c.* Cui forte allusit Chrysostomus, dum dixit: *ita videlicet dormientes beneficia Dei non sentiunt.* Sed concludendi iam tempus adest, verbis Actor. 12. 9. Didacus Nissen. Chrysost.

Idem. eiusdem Chrysostomi cstata iam Homil. 1. in Epist. ad Thessalon. *His itaque cognitis nec sanctorum preces contemnamus, neque eorum in illa proficiamus. Hoc quidem, ne temerè insidiis opprimamur: illud verò ne extra multum lucrum, & profectum excidamus.* Et Hom. 5. in Matt. tom. 2. *Non igitur quasi oscitantes, & desides ex alsorum merito pendamus, habent enim vim pro nobis, & quidem maximam, orationes, supplicationésque Sanctorum: sed hoc profectò cùm nos quoque ipsi per pœnitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus.*

Idem.

INSTITVTIO XXIX.

Moralis.

Nomen homini iuxta ingenium, & mores.

Ad illa verba: Hebræi autem trásierunt Iordané. c. 13. v. 7. Ioseph. Gregor. Rabban.

1 *Hebræi autem transierunt Iordanem*, cùm ex Iosepho, Gregor. Rabban. & Aliis suprà relatis constet, eos, qui Hebræorum nomine significantur, ex filiis Israelis fuisse; inquiri posset ratio, ob quam Israëlitæ non appellentur; immò inter hos & illos particula aduersatiua *autem* intercedat, *Viri Israel absconderunt se in speluncis*, &c. *Hebræi autem transierunt Iordanem*, quæ eos ab inuicem discriminet? Et quidem ad moralem disciplinam respondendum censeo, nomen illis ipsorum gestis aptissimum impositum, qui ante hostem, & bellum timore perciti, abiurata Regis fide, fluuium transeuntes, ad penates se suos receperunt; ignaui enim, & timidi nusquam ab Israël, qui *prævalens*, seu *dominans* interpretatur, sed ab Heber, qui *transiens* dicitur, Hebræi, & Transitores appellandi. Vnde Septuaginta *Transeuntes*, seu *transitores* vertunt. Argumentum hoc egit noster Mendoza §. 2. his verbis. *Quam forte ob causam appellari hoc loco potuerunt non viri Israël, sed Hebræi, quia ab illa Virorum strenuitate degenerarant, & ad hanc timidorum hominum ignauiam transierant.* Autor ergo Scripturæ, qui optima quæque rebus nomina indit, Hebræorum potiùs, quàm Israëlitarum vocabulo eos pusillanimitatis insimulat.

Sept. Mendoz.

Basil. Seleuc.

2 In eos igitur aptissimè impingere licet, quæ Sanctus Basilius Seleuciensis Orat. 9. in Falsum Israëlitam prodidit aureis his verbis. *Nomen quo tu appellaris, Israëlita, Dei cogniti argumentum est, vt amplius incredulitatem tuam patefaciat. Cur igitur appellationi, cuius virtute cares, contumeliam irrogas? Quid gestas cognomen, quod personæ probro sit, factis appellationem impugnas, & calumnia nomen tuum afficis.* Saluianus similiter lib. 3. de Prouidentia in fine suæ obligationis, ex nomine Christianos monitos cupit. *Quo fit*, inquit, *vt etiam nos, qui nos Christianos esse dicimus, perdamus vim tanti nominis vitio prauitatis. Omnino enim nihil prodest nomen sanctum habere sine moribus, quia vita à professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem.* Nec insuetum tamen vitium hoc hominibus est, vt aliena portent nomina; nam licèt verum interdum sit, quod profanus cecinit.

Saluian.

Ouid. *Conueniunt rebus nomina sæpe suis.*

Nominum tamen repugnantia & dissonantia frequentior est. Nec miror tamen, cùm arduum sit rebus, & hominibus voces proprias, ac vocabula accommodare: Ratio autem ea est, quia nomen, vt Festus ait, est quasi *nouimen* à verbo nosco, quod cuiusque rei notitiam faciat, & Plato de Sapient. *Nomina cum re consentiant.* Vnde ille solus idoneum rebus nomen indit, qui eas nouit intus, vt dicitur, & in cute; quæ hominem communiter subterfugit notitia.

Festus. Plato.

3 Hinc disertissimus Philo lib. de Agricult. *Qui res*, inquit, *velut per anatomiam considerant, facilè assequuntur appellationes earum proprias.* Hæc autem rerum introspectio non cuiuis datur, sed sapientissimo cuique. Vnde vt Deus Adami Proparentis nostri sapientiam tentaret; vel potiùs filiis in posterum proderet, rebus, & animantibus nomen indere, potestatem fecit. *Adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.* Gen. 2. 19. Vbi Chrysostomus: *Vt ostenderet nobis magnam Adæ sapientiam.* Neque enim mediocris ad tantum opus rei cuiusque notitia requirebatur. Pisces verò, quorum naturam potiùs ignoraret, & quos nunquam familiariter tractauerat, eius sapientiæ, vt nomen sortirentur, credendos minime censuit. Nec dissimili consilio cœlum, terram, lucem, tenebras, & alia id genus nomen ab eo accipere non permisit, sed seipsum huius negotij autorem instituit: *Appellauitque lucem, Diem; & tenebras, Noctem.* Gen. 1. 5. Quod Rupertus annotauit, dicens: *Rebus perpetuis vtputà luci, tenebris, cœlo, terræ, ac mari ipsemet Deus nomina imposuit.* Leuissimus enim homo, & qui *nunquam in eodem statu permanet*, de rebus constantibus, & mansuris sanum iudicium non ferret. Deus ergo quidquid condidit, profundissimè callens, vnus potest rebus propriam eorum naturam exponentem, vocem accommodare: homo verò nisi speciali à Deo sapientia instructus fuerit, desipit, & nomina plerumque, atque ordinem inuertit; quæ seorsim libet illustrare.

Philo. Gen. 2. 19. Chrysost. Gen. 1. 5. Rupert.

4 Quoad primum autem: Tertiam Sanctæ Trinitatis personam Spiritum Domini frequentissimè Scriptura appellauit; Spiritum verò Sanctum, quod propriissimum nomen eius est, aut rarò, aut nunquam olim dixit. Primum iuxta Rupertum infrà citandum, vocabulum hoc innotuit, cùm Mariam Virginem ad opus Incarnationis sanctificandam occupauit. Tunc enim Gabriel ipsi Virginitatis proposito obiicienti dixit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. 35. Rationem inquiris; sed difficilis inuentu non est: scilicet quia exquo Mariæ corpus, & animam tanta diuinæ sanctitatis abundantia, vt Verbum diuinum susciperet, præparauit, tunc potissimùm sui specimen præbentis Sancti Spiritus nomen propalauit. Sic rem dirimit Rupertus in c. 1. Matt. vers. 20. tom. 2. dicens: *Spiritus sanctus maximè ex hoc facto suo nominatur, quia* quod in ea natum est (*ait Angelus*) de Spiritu sancto est; *ante hac Spiritus Dei, siue Spiritus Domini dicebatur, nec facilè in omni serie veteris Instrumenti reperies hoc insigne vocabulum, scilicet Spiritum sanctum: propter quod Dauid*: Et Spiritum tuum ne auferas, *inquit*, à me. Psalm. 50. *nec ipse absolutè Spiritum sanctum dixit, sed tuum addidit. Ab hoc loco ferè primum sonuit in auribus nostris hoc reuerendum, & insigne vocabulum, proprium atque absolutum Spiritus sanctus, vbi Angelus ad Mariam*: Spiritus sanctus, *ait*, superueniet in te. *& ad Ioseph*: Quod enim in ea natum est, *inquit*, de Spiritu sancto est. *Quam ob causam nisi quia (quod cum magna reuerentia cogitandum est) maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus est, clarnit hic Spiritus Domini, quod verè Sanctus sit?* Hæc ille.

Luc. 1. 35. Rupert. Psal. 50.

5 Iam

5 Iam verò Angelis suis congruentissima imposuisse nomina, *Qui numerat multitudinē stellarum:* Psal.146.4. *& omnibus eis nomina vocat.* Psalm.146.4.frequenter comprobatur. Iacob cum Angelo luctatus,cùm Gen.32.27. rogaret : *Quod est nomen tibi* ? Gen.32.27.audiuit: Lira. *Cur quaris nomen meum* ? Vbi optimè Liranus: *Ac si diceret: Frustra quaris, quia ego, & alij Angeli in ministerium missi, non habemus nomina fixa, & stabilia, sed diuersa sortimur nomina, secundum legationes, ad quas mittimur.* Ecce Angeli nomina pro varietate ministerij diuersa,vt maximè idonea sortiantur. Vnde contentionem solues non vulgarem, quam excitat locus Ezechiel.28.14. *Tu Cherub extentus,& protegens,& posui te in monte sancto Dei,in medio lapidum ignitorum ambulasti.* Vbi sermonem esse de pulcherrimo Lucifero per superbiam deturpato,affirmat Hieronymus cum aliis ad eum locum. Inquiri ergo oportet, quare Propheta eum Cherubinum dicat,quem & ratio & communis doctrina Seraphinum credit, vt probat inter alios Suarius de Angel. lib.7. cap.16. num. 8. Sed ex dictis facilis est responsio. Nam Seraphim *flagrans diuino amore* interpretatur.Cherub verò plenitudinem sapientiæ sonat.Peccans igitur Angelus sapientiam quidem suam naturalem non amisit: charitatem verò protsùs perdidit. Ergo qui sapit, nec amat,iuxta nominis etymon, Cherub appelletur,nec Seraphin dicatur oportet,vt sibi,& suo statui congruenti vtatur nomine. Ita rem discutit, & S.Thom. soluit S. Thomas. *Cherub*, inquit, *denominatur à sapientia, qua potest esse cum mortali peccato: Seraphin verò denominatur à feruore charitatis, qui cum peccato mortali esse non potest, & ideo primus Angelus peccans non est denominandus Seraphin, sed* Carthus. *Cherubin.* Accedit & Dionysius Carthus.in Comment. S.Dion.Areopag. de cœlesti Hierar. cap.10. art.5. scribens : *Vt insinuetur quid fuerit ei incitamentum ambitionis, & lapsus,quod fuit excellentia sua scientia, non diuini amoris.* Ergo qui suam iactauit scientiam, Seraphin nuncupatur, vt nomen ingenio, ac gestis conuenientissimum sortiatur.

6 Terram, vt dixi, Deus ipse proprio notauit nomine, quam Spiritus sanctus *Aridam* dixerat. *Congregentur aquæ in locum suum,& appareat Arida.* Gen.1.9. Gen.1.9. Incongruum fortè alicui vocabulum Aridæ videbitur, cum ex aquarum gurgite primùm extrahitur, & humidam potiùs appellandam contendet,ex aquæ humiditate, quâ humefacta, & suffocata fuerat. Is verò si diuini consilij rationem nouerit, nomen vtique probabit. Nam quæ aquis occupata nullos fructus peperetat, aut parere potuerat,Arida potiùs,quàm Terra dicenda erat ; dum verò emergit ab aquis expedita, & frugum capax redditur, ad quos pariendos se accingit, Terræ nomen obtineat, congruum est, & rationi consentaneum. Nescio an huc alluserit Anasthasius Sinayta Anasthas. Sinayta. lib.5.Examer.dicens;*Vide diuina mysteria* : *Terram in profundo ab aquis suffocatam nominat Aridam; cùm autem aqua ab ea recesserunt, non amplius nominat Aridam, sed Terram.* Ad mysticum etiam sensum sanctus Bruno apud Iodocum Badium in S.Bruno. Iodoc.Bad. Miscellaneis sic fatur: *Quare mutato nomine Aridam Deus vocauit Terram, nisi quia iam tunc sancta Ecclesia, quæ per Terram designabatur, flagellandam, conterendam, multisque modis affligendam significabat ? Terra enim à terendo dicitur ; quam & calenda, & calcando homines, & cuncta animalia terunt.* Ex hoc ergo quæ prius vocata fuerat Arida, postea Terra dicitur, vt nomen muneri conueniat.

7 Hac etiam de causa imposita olim nomina pluribus hominibus immutauit Deus, quæ ipse interdum indiderat. Nam dum Christus Dominus ad patrem passioni suæ iam proximus in horto oraret, Petrum verò dormientem ad eiusdem orationis consortium excitaret, emphaticè illum rogat: *Simon dormis* ? Marc.14.37. At quare imposito à Marc.14.37. se nomine Petri ad Apostolorum Principem non loquitur, sed Simonem vocat iuxta antiquum & obsoletum iam nomen,cùm potissimè Abrahamum post immutatum eius à se vocabulum, nunquam veteri, sed nouissimo cum appellarit, vt adnotant Interpretes ? Sane quia ab eo degenerauerat Apostolus, Petrus enim fortitudinem petræ sonat, ille verò debes potiùs, & languidus dormiebat. Ratio est non inepta, quam reddit Landulphus in vita Landulph. Christi, part.2. cap.59. his verbis. *Iam infirmitate depressus non Petrus,vel Cephas,sed antiquo nomine Simon hic à Domino vocatur.* Accedit noster Salmeron ibidem scribens : *Nominat antiquo nomine, quia qui in regimine constitutus dormit, indignus est, qui vocetur Petrus, cùm veteris hominis opera, non autem noui præstet, vt debet.* Salmero.

8 Nec secùs accedisse videas pessimo Iudææ Regi Ochoziæ, de quo 2.Paralip. 22. 6. *Igitur Ochozias filius Ioram Rex Iuda, descendit, vt inuiseret Ioram filium Achab in Gezrahel agrotantem.* Vbi Pagnin.ex Hebræo legit: *Hazaria*, loco Ochoziæ, Pagn. priori nomine immutato. Hazarias autem adiutorium Dei significat, cuius nouitatis rationem reddens Hieronymus : *Ideò*, inquit, *mutatur ei nomen* Hieron. *in melius, eo quòd iuxta præceptum Domini ad infirmum visitandum descenderat.* Vt videas improbum etiam Regem, dum bonum aliquod tandem operatur, pulchriori nomine donari, vt factis vocabulum responderet.Sed mirabilius quid est,quod de quodam Dauidis filio tradunt Hebræi,qui cùm prius Daniel appellatus fuisset,postea Cheleab dictus fuit. 2.Reg. 3.3. *Et post eum Cheleab de Abigail vxore Nabal Carmeli.* Hebræorum autem traditionem, & rationem refert Abul. ibi quæst.2. his verbis : *Iste fuit secundus filius,& vocatus fuit alio nomine Daniel.De isto dicunt Hebræi,quod vocatus fuit Cheleab.Dicunt enim quod aliqui de isto puero illudebant dicentes, quod non erat filius Dauid, sed Nabal Carmeli, eo quod Abigail mater eius, erat vxor Nabal Carmeli, & dicebant, quòd iam conceperat eum,cùm accepit illam Dauid in vxorem. Ob hoc Deus mutauit faciem pueri, vt totaliter assimilaretur Dauid;& tunc mutatum est nomen eius primum, scilicet Daniel, & vocatus est Cheleab, idest similis patri, vel quasi pater.* Quæ si vera sunt,nec solùm Rabbinorum commentum in quantum nomina rebus aptari debeant, videre datur, cùm ita diuina disposuerit Prouidentia. 2 Paralip. 22.6. 2.Reg.3.3. Hebr. Abul. Rabbi Kimhi. Comest. Lira.

9 Nec piam prætermittam Petri Damiani contemplationem, vel potiùs reuelationem. Qui cùm lib.8. cap.2. de Ducis Gothofredi laudibus sermonem instituisset, affirmat eum vita defunctum & inter Cœlicolas annumeratum, alium iam ab antiquo nomine titulum accepisse, vt qui superstes, & viator Gothofredus fuerat dictus, iam mortuus & beatus iustitiæ inscriptionem sortitus ipse fuerit, itavt iustitia apud Superos appellaretur,& meritò; fuerat enim iustitiæ ardenter amans. *Quia nimirum,*ait Damianus,*iustitiam dum viueret,fecit ; ipsum quoque post mortem Iustitia vocabulum meruit: Vt iustitia titulo, iustitia ipsius cultor decoraretur & laude.* Piscantes aliquando ad mare Tiberiadis Discipulos Christus Dominus subitò apparens in littore Damian.

Ioan. littore adfatus, pueros dixit: *Pueri nunquid pulmentarium habetis?* Ioann. 21.5. Ecce pueros appellat Viros iam grandæuos, & canos. Quid ita? Nimirùm quia in matura iam ætate puerilem insipientiam propter incredulitatem præ se ferebant, vt annotauit argutè Chrysologus serm.78. dicens: *Quia eos fide virtutis repererat destitutos, & à virili robore imueneras perdoctos, arguit talos, pueros nuncupando, cùm dicit*: Pueri nunquid pulmentarium habetis. Falsò enim virorum nomina vsurpauerant, qui paruulorum infirmitate gaudebant.

Chrysol.

10 Quid quod apud Prophanos quoque obseruatum hoc est, quod prioribus nominibus illi propter admissa priuentur, qui ab illorum significatione degenerarunt? Vt igitur diuinæ inseruiant sapientiæ humaniores quoque disciplinæ, epistolam legito apud Ouidium Didonis ad Æneam. Ibi cùm infelix mulier à Troiano turpiter elusa vicem suam doleat, & manus sibi præ desperatione inferre iam pararet, se se à Sichæo coniuge ad stygias vmbras aduocari præsagiens, his se vocibus interpellari testatur.

Ouid. *Ipse sono tenus dixit Elisa veni.*

Nomen nota, quo à viro post malè seruatum connubij fidem vocari se fingit. *Elisa* non vtique iam Dido, iam sponsa. Sonat autem *Elisa* errans, vel vagans, à verbo Græco ἐλάω, erro, vel vagor. Quæ enim infeliciter errauerat, & extra se vagata fuerat, quo alio notaretur titulo quàm erroris, vt benè annotauit Natalis Comes lib. Mythol. Apud Sebast. Aluaradum ibi. Nomen igitur à meritis sortiatur qui erroribus inseruierat. Sed redeamus ad Sacra.

Natalis Comes.

11 Ipso enim quem commentamur, libro, non infirmam huius conuenientiæ confirmationem inuenimus suprà *cap.*8.2. vbi primùm nomina filiorum Heli exprimuntur, *Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel, & nomen secundi Abia Iudicum in Bersabee.* Quantum verò ipsorum moribus congruentissima fuerint hæc nomina, eorundem indicat nomenclatura; Ioël quippe iuxta Hieronymum, Rabbanum, & alios *fuit Deus* interpretatur; Abia verò *fuit pater.* Pessimi enim iudices auaritiæ potiùs, quam æquitatis studiosi, non Deus, & Pater dicuntur, sed *fuit Deus*, & *fuit pater*, ac si olim hanc nominis gloriam demeriti, ab ea postea muneribus corrupti, discessissent, vt benè notat Rabbanus ibi. *Benè*, inquit, *qui in inchoata iustitia non perseuerauerunt, & paternitatem Domini neglexerunt*, fuit Deus, & fuit pater *nominantur, vt significentur paternitate Dei indigni.*

1.Reg.8.2.

Hieron. Rabban.

12 His similem extitisse videris Ephron illum, à quo cùm vxori suæ sepulchrum cuperet Abraham pretio comparare, primo quidem pecuniam respuit oblatam, dicens: *Nequaquam ita fiet, Domine mi, sed tu magis auscultа quæ loquor: Agrum trado tibi, & speluncam, quæ in eo est.* Gen.23.11. Ecce in homine liberalitatem quasi diuinam; sed tamen fuit Deus, nam postea Abrahæ precibus immutatus, argentum in morem Iudæ ex re sacra accepit, & esse Deum destitit. *Appendit pecuniam, quam Ephron postulauerat.* ibi. vers.16. Quid tandem? Non Ephron deinceps dictus est, sed Ephran, vt notauit Hieron. lib. Tradit. Hebraic. in Gen. tom.3. his verbis. *In Hebræo sicut hic posuimus, primum nomen eius scribitur Ephron; secundum Ephran. Postquam enim pretio victus est, vt sepulchrũ venderet argento, licet cogente Abraham* Vau *littera, quæ apud illos pro O legitur, ablata de eius nomine est, & pro* Ephron, *appellatus est* Ephran: *significante Scriptura non eum fuisse consummatæ, perfectæque virtutis, qui potuit memorias vendere mortuorum.*

Gen.23.11.

Hieron.

13 Inquiri ab interpretibus solet, quænam fuerit mulier illa, quam Abrahamus ipse vxorem duxit, quæ Cetura dicitur. *Gen.*25.1. nec displicet eorum opinio, qui eandem esse asserunt cum Agar ipsius Abrahæ quondam ancilla ab eius domo depulsa. Vlteriùs tamen inquiritur mutati nominis ratio, cur scilicet quæ priùs Agar, Cetura postea vocetur? Ratio quidẽ à nominis etymologia petenda ad præsens est. Sonat enim Cetura *thurificata*, vel *thurificanda*, vel *thure digna.* Vnde autem in tantum Agar meritũ excreuerit, vt thure, nominis instar, digna cẽseatur? Audi Hebræorum responsum ad præsens institutum aptissimum apud Liranum his verbis. *Dicunt Hebræi, quod ista fuit Agar, quæ nominata est Cetura, quod in Hebræo sonat* Thurificata; *cuius ratio est, quod sicut dicuntur ita mundè se custodiuit, postquam cum filio de domo Abrahæ recessit, ac si esset Deo oblata, vel consecrata, propter quod mortuâ Sarâ, Abraham misit filium suum Isaac ad reducendum eam sibi.* Hæc illi. Ecce quæ iuxta Origenem carnis typus erat, Agar dicebatur: dum continentiæ exemplum est, Cetura, seu Thymiama, seu Thurificata iam dicitur.

Gen.25.1.

Lira.

Origen.

14 Nec absimile exemplum leges. 2.*Reg.*3.15. vbi qui quondam Falti dicebatur. 1. *Reg.*25.44. Faltiel dicitur; ille scilicet cui Saül filiam suam Michol in matrimonium dederat, quæ quia priùs Dauidis vxor fuerat, ipsi tandem restituta Ishoseth fratris eius iussu est. Ait autem Textus: *Tulit eam à viro suo Faltiel.* Rationem huius mutationis assignat Abulensis ex Magistro Historiæ, & aliis, videlicet Falti virum Iustum vxorem suam minimè impudice tetigisse, quia alienam nouerat, ex quo facinore, & singulari continentia nomen Dei *El* demeritus fuit, suo antiquo nomini superadditum. Abul. ibi. quæst.17. *Hebræi aiunt quod Falti erat peritus legis & non cognouit Michol timore Dei, sciens, quod non erat vxor eius; ideò nomini eius additum est nomen Dei, scilicet El, & vocatus est Faltiel, quod interpretatur* Euadens à Deo. En tibi quanto studio hominum gestis, ac moribus conuenientissima nomina, diuina Sapientia accommodet.

1.Reg.25.44.

Abul.

Abul.

15 Hominum verò siue ignorantia, siue malitia interdum aliena quidem, & toto cœlo aberrantia rebus vocabula imponit, nisi Dei inspirante sapientia, & Prouidentia gubernante, recto aliquando collimet. Hinc infirmum interdum Petrum dicit: Gratiæ vacuum, Ioannem nuncupat: turpissimam fœminam Mariam; inertissimum quemque, Cæsarem, aut Pompeium: pusillum hominculum, Alexandrum, vt rectè exclamauerit Tertul. lib.1. contra Marcion. cap.7. *Quanti nequam serui Regum nominibus insultant Alexandri, Darij, &c.* Quibus quoque congruit vulgatus versiculus apud Antonin. 4.p.tit.15. cap.3.§.1.

Tertul.

Antonin.

Si vt priueris, nec nomen habere mereris.

Quod Christus quoque exprobrauit Episcopo Sardis in Apocalip. cap. 3.1. dicens: *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es. Esto vigilans, &c.* Vbi allusionem fieri ad ipsius Episcopi nomen docet noster Ludouicus Alcazar ad præfatum locum, quod Græco idiomate vigilantem, seu inspectorem & speculatorem significat. *Respicitur*, inquit, *ad ipsum Episcopi nomen, quod græcè significat inspectorem, siue speculatorem.* Et Gregor. Nazianz. orat. de Perfect. Christiana, ex nomine quoque, Christianos ad vitæ perfect

Alcazar.

Gregor. Nazian.

perfectionem adhortatur dicens: *Tales in omni vita nos præstemus, quales requirit Christiani nominis excellentia.* Nam sicut turpe quid esset sub Augustini, aut Gregorij titulo librum aliquem Arij, aut Caluini dogmata diabolica continere, ita non minus est deforme hominem sub Christiano nomine Diabolicos mores exercere. Benè ergo Ambrosius apud Charens. in prædict. loc. Apocalyp. *Ne sit nomen inane, & crimen immane: deifica possessio, & diabolica actio: Religiosus amictus, irreligiosus profectus*, &c. Ambrof. Charens.

16 Homines verò vel ex ignorantia, vt dixi, vel malitia rerum nomina peruertere antiquius malum est, nam primos etiam nominum impostores iam tum in eo peccasse compertum est. Cùm enim primo Adamus vxori suæ peccati iam tenebris excæcatus nomen inderet, turpiter aberrauit. *Vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua, eo quod mater esset cunctorum viuentium.* Genes. 3. 20. Eua enim vitam sonat; ij verò, qui ex ea matre prodirent, mortui potiùs dicendi essent, quàm viuentes, vtpote diuinæ gratiæ, & innocentiæ vita spoliati. Vnde eum seriò reprehendit Rupert. lib. 3. Comment. in Genes. cap. 26. *Quid insanius*, inquit, *quàm in illo tali causa iudicio illam nuncupare Euam, id est vitam? Quæ nec saltem habebat vitam, dicere matrem cunctorum viuentium, eam, quæ potiùs mater est cunctorum morientium? Omnes enim in peccato eius moriuntur.* Iam verò ipsa Eua viro suo prudentior non extitit, nam prioribus filiis nomen aptatura, priorem *Caïnum* dixit, id est *possessionem*, quem minimè tamen possedit: posteriorem verò *Abel*, hoc est *Vanitatem*; cùm iustorum primicerius totius vanitatis expers fuerit. An turpiùs errare licuit? Impudentiùs quidem, sed aptiùs filia Loth natu maior, cum patre turpiter congressa, filium ex abominabili congressu exortum *Moab* nominari iussit; hoc est *à patre meo*: Genes. 19. 38. *Ex quo*, inquit Lira, *patet, quòd ipsa inuerecunda fuit, quia turpitudinem, quam operata fuerat cum patre, exposuit, & reuelauit in nomine filij, ostendens, quòd ex patre conceperat.* Gen. 3. 20. Rupert. Gen. 19. 38. Lira.

17 Hoc ipso consilio vsi Romani vel à factis, vel ab euentibus, vel à coloribus, vel à corporis habitudine, & membrorum situ, vel ab animi affectibus, vel ab aliis quibusque circunstantiis petebant filiorum nomina. Hinc Agrippas dicebant, qui ab ægro partu nascebantur impedes, vt Author est Plinius lib. 7. Histor. cap. 8. Pansas à latis pedibus, & apertis: Albinos, Rufos, Burros, & Nigridios à coloribus corporis: Scipiones à baculo, quem gerebant: Cæsares à cæsis oculis, aut cæso matris vtero, quod nomen ab Africano Scipione, qui primus Cæsar ab vtero materno cæso dictus, alij Cæsares traxêre. (Nam de Iulio Cæsare id asserere nugæ sunt, cuius mater, cùm Gallias ille subigebat, superstes erat, vt ait Solin. lib. 4. de Mirab.) Fenestellas item, & Calnos à caluitie, & pluta id genus apud Rabirium Textorem in sua Officina. Plinius. Solin. Textor.

18 Sed vt illos parentes excusemus, qui grandia interdum filiis, & ventosa nomina imponebant, credendum est in eo vnum intendisse, vt eosdem nominis sui gloria ad ardua quæque, & magna sollicitarent, vt ait Chrysost. hom. 21. in Genes. de Patriarchis loquutus. *A principio*, inquit, *erudiebant pueros, qui ipsis nascebantur, admonentes appellationibus, quas ipsis imposuerant, vt virtutem exercerent, & non sicut nunc fortuitò, & absque causa nomina fiunt iuxta nomina aui, vel abaui.* Vnde qui illustribus nominibus insignes sunt, non fiant, oportet, gestis minores. Inde enim Lamprid. in Alexand. Seuero. *Nomina*, inquit, *insignia onerosa sunt.* Disertiùs verò S. Saluian. Massilien. lib. 3. de Gubernat. *Vtique*, inquit, *hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei sumus, qui à Sancto nomine discrepamus.* Et iterùm lib. 4. *Magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat: reatus impij est pium nomen.* Ambrosius verò lib. 3. officior. c. 3. Humanam obiurgans auaritiam, ait: *Considera homo, vnde nomen sumpseris, ab humo vtique, quæ nihil cupiam eripit, sed omnia largitur omnibus.* Chrysost. Lamprid. Saluian. Idem lib. 4. Ambrof.

19 Hinc quoque proditoris Iudæ licet iniquitatem accusare, cuius nomen cùm confessionem sonet, eam detestatus est, cùm ad illam Christus Dominus pessimum hominem inuitans, dixit: *Iuda osculo filium hominis tradis?* Luc. 22. 48. deberet enim iuxta nomen suum crimen suum confiteri, & detestari, vt aduertit Cyrillus Hierosol. Catechesi 13. dicens: *Hoc ad ipsum dixit admonens eum per ipsius appellationem, Iudæus enim vocatur Confessio.* Nec ex nominis tamen officio fateri voluit. Secus verò Felix ille ab Athalarico Gothorum Rege commendatus, cui ille apud Cassiodor. lib. 8. Variar. cap. 10. *Sumpsisti nomen ex meritis, custodi vt semper lateris veritate vocabuli, nam cùm omnis appellatio ad declarandas res videatur imposita, nimis absurdum est portare nomen alienum, & aliud dici, quàm possit in moribus inueniri.* Sed de his satis. Luc. 22. 48. Cyrillus. Hierosol. Athalaric. Cassiodor.

INSTITVTIO XXX.

Moralis.

Paruæ etiam culpæ studiosè vitandæ.

1 SEptem integros dies cùm Saül debuisset expectare, septem quidem expectauit, sed non integros, quia parum ante Solis occasum, instante iam Samuelis aduentu sacrificauit, & cùm leuis, & nullius momenti culpa, hæc anticipatio videatur, tanti tamen Saüli stetit, vt inde regno priuari dignus apud eum census fuerit. Vnde non sine pauore ediscere oportet quanti ponderis, & momenti exiguæ cuiusque rei, quantula illa sit in negotio obedientiæ, & religionis sit transgressio, aut præteritio, cùm exigui temporis mora contempta Saüli tantùm nocuerit, vt non solum imperium, sed quod maius est, diuinam gratiam ex ea miserabiliter amiserit, quod quidem magnus Gregorius maturè ponderauit lib. 5. Variar. cap. 3. dicens: *Quo in loco trementi corde considerandum est, quàm breuissimi temporis expectatione neglecta repulsus sit.* Saül ergo qui maiora promptè executus fuerat, descenderat quippe in Galgala; & septem dies expectauerat minimum vt Solis etiam occasum operiret, turpissimè prætermisit; vnde *factus est omnium reus.* *Ad illa verba:* Et expectauit septem diebus. *cap. 13. vers. 8.* Gregor.

2 In eo quidem fatuis illis & meritò explodendis Virginibus, quas Christus Dominus reprehendit, & condemnauit, persimilem se, & quasi exemplar præstitit; illæ namque Virginitatis thesaurum sollicitè, & continuè custodientes, quod arduum quidem negotium est, in leuioribus, ac faciliotibus peccauerunt. Matt. 25. 3. *Non sumpserunt oleum secum.* Vnde meritò stultitiæ dedecus incurrerunt, vt prudenter annotauit Eutimus. *Oleum*, inquit, *vocat eleemosynæ virtutem. Has ergo meritò stultas vocauit, quia cum acrem, ac vehementem corporis amorem deuisissent, maioremque sustinuissent laborem,* Matt. 25. 3. Eutim.

rem, tenacitate deuicta sunt; illud enim bellum multo violentius est, magisque tyrannicum. Prestius
Chrysost. Chrysostom.Hom.89.in Matt.post init. *Idcirco fatuas appellauit, quoniam maiore certamine superato in faciliore totum perdiderunt.* In quas quidem
Augusti. Virgines aurea quoque Augustini verba in Psalm. 39.tom.8. licet impingere. *Præcauisti magna, iam non facis adulterium, iam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blasphemas, non dicis falsum testimonium; molem istæ sunt peccatorum: magna præcauisti; de minutis quid agis? An non times minuta? Proiecisti molem, vide ne arena obruaris.* Verè arena obrutæ fatuæ Virgines fuêre, leuiora contemnentes, quæ immensum illis malum attulêre.

3 Fatuis Virginibus Samsonem addere nefas non erit consimili morbo laborantem, & simili calamitate prostratum. Nazaræus ille erat, & sui ordinis vtpote Vir iustus, leges, & cæremonias religiosus obseruabat. *Iudic.*13. Vnum tamen spreuisse, nec magni, vt videbatur, ponderis legitur; infidæ enim vxori vt ab hostibus tonderetur, occasionem fecit. Quid capillo leuius? Quo vel ornari, vel nudari, damni vel emolumenti exigui negotium apparet. Verum quia res religionis erat, tanti fuit misero viro capillorum spoliatio, vt & oculis, & libertate, & vita tandem orbari mereretur. Vix quippe comam deposuit, cùm & virtutem & vires exuisse simul sensit, vnde in hostium manus deditus deuicti conditionem, & victorum iniuriam per-
Augusti. pessus est. Audi Augustin. Vel Autor. lib. 2. de Mirabilib. Sacræ Scripturæ, quisquis ille sit, cap. 6. *Non quid in sensibili capillo ossium, & carnis, & sanguinis, qui nihil ex his habet, virtus inerat: sed mandati Dominici obseruatio donum fortitudinis obseruabat.* Vnius quippe cæremoniæ neglectio tanta peperisse mala potuit, nec aliarum omnium sacrarum legum obseruatio miserum iuuit. *Quid enim interest,*
Idem. ait Augustinus Epist. 108. ad Selucian. *ad naufragium, virum vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur; an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta, impleat nauem, atque submergat?* Ita enim per rimulas dilabens vnda nauiculam ad extremum naufragium impellit, quàm *præruptus aquæ mons.*
Idem. Et iterùm lib. de Decem Chordis. *Nolite*, inquit, *contemnere venialia, quia minima sunt; sed timete quia plura: plerumque enim bestia minuta multa necant. Nunquid non minutissima sunt grana arenæ? sed si arena amplius in naui mittatur, mergis illam vt pereat? Quam minuta gutta pluuia, nonne flumina implent, & domos deiicient? Timenda est ergo ruina multitudinis, etsi non magnitudinis.* Hæc Augustinus salubriter.

4 Secùs quidem à Samsone se gessit religiosissimus Abraham, qui filium ex diuino præcepto immolaturus priùs nullatenùs renitentem, iuuenem religauit: *Cúmque alligasset, Isaac filium suum.*
Gen.22.9. Gen.22.9. Cuius congruam satis rationem reddiderunt Aug. serm. 37. de Temp. & Ceno Beronensis
August. serm. 1. de Abraham scilicet: *Ne victima doloris impatientia calcitraret.* Ad præsens verò Instituti
Ceno Ber. congruentior mihi Lirani ratio videtur, videlicet
Lira. noluisse religiosum patrem vllum Sacrificiorum, & hostiarum, aut ritum, aut morem prætermittere. Vnde cùm animalia, quæ Deo offerenda forent, priùs colligari mos ferret, filium etiam libenter mortem obeuntem, ligandum tamen censuit, vt debitum totum impleret, & nihil in tanto negotio prætermissum esse videretur. *Ligauit*, inquit, *filium non propter hoc, quod timeret eum fugere, aut rebellare, sed vt immolaret eum, sicut & animalia, quæ offerebantur in holocausto, quæ ligata immolabantur.* Quo facto holocaustum suum perfecit, & omnibus reddidit numeris absolutum nulla paruitate neglecta.

5 Non ita quidem Episcopus ille Sardensis cui Dominus in Apocalypti. cap. 3. *Esto vigilans,* Apoc.3.2
& confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. Opera sua bona vt impleat, admonetur, *ne dies vacui inueniantur in eo*, illa enim vacua sunt opera, quæ vltimum non perficit complementum, & in interitum pergunt. Sic rem exponit Gregor. 3. part. Cu- Gregor.
ræ Past. Admonit. 35. dicens: *Quia plena coram Deo eius opera inuenta non fuerant, moritura reliqua etiam, quæ erant gesta, prædicebat.* Quod quidem Saüli euenisse videas, qui ne occasum Solis expectaret, totum suum opus emori fecit, cùm in præcedentibus strenuè se gessisset. Idem etiam non infrequenter viris quibuscunque religiosis euenit, vt qui seculum, facultates, vitia, & inanem pompam libenter, & constanter remiserint, post religiosam professionem exiguis nescio quibus rebus, seu ungis, & fucatis gloriolis interdùm in seruiant, & leonibus deuictis muscarum postmodùm aculeis turpiter cedant. Sub qua muscarum metaphora dixit. Hesichius de Ratione Luctandi, Cent. 1. numer. 27. Hesichi.
Is est typus, & ordo tranquillitatis animæ, si certare statuisti, imitandum tibi propone exiguum animalculum araneam: illa quidem minutas venatur muscas; quod si tu illius exemplo, labore quietem animi cõparare volueris, irremisse pueros interficies Babylonios. In hunc ergo modum minutas culpas non spernere, sed seriò persequi, & detestari debemus, ne spretus paruitate hostis, postmodum vt magnus Daniel.
offendat. Accedat Danielis Abbatis doctrina ad Abbas
rem nostram præsentissima apud Cassian. Col- Cassian.
lat. 4. cap. 21. *Iam illud ridiculum qualiter exprimatur, quod nonnullos post prima renunciationis ardorem, quo relictis familiaribus, vel opibus plurimis, ac malitiam seculi relinquentes, semetipsos ad monasteria contulerunt, tanto cernimus studio in his, quæ penitus abscindi non possunt, & quæ nequeunt in hoc ordine non haberi, quamuis parua vilisque sint, esse deuinctos: vt horum cura pristinarum omnium facultatum superet passionem. Quibus profectò non magnè proderit maiores opes, ac substantias contempsisse, quia affectus earum, ob quos illæ contemptæ sunt, in res paruas, atque exiguas transtulerunt.* Hæc ille disertissimè.

6 Grauia ergo oportet facere, & leuia, seu quæ leuia videntur, non omittere, neque enim leuia dicenda sunt, quæ grauissima quæque complent, & perficiunt, & sine quibus illa sponte ruunt, iuxta
Quintiliani doctrinam asserentis: *Non sunt contem-* Quint.
nenda, quasi parua, sine quibus magna stare non possunt. Quod quotidiana docent experimenta, vt testatur Anselm. Epist. 6. scribens: *Certissimum est,* Anselm.
quod in multis Ecclesiis experimento didici, quia in monasterio, vbi minima strictè custodiuntur, vbi vigor monachorum inuiolabilis perseuerat, ibi pax inter fratres, & in capitulo proclamationes quiescunt: vbi verò minimis excessibus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur, & destruitur. Hinc Eccle- Eccl.7.19.
siasticus cap. 7. 19. *Qui timet Deum, nihil negligit*, & Christus Dominus diuinæ nobis perfectionis imitationem proponit dicens: *Estote ergo & vos perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.* Matt. 5. 48. Et iterùm pueris assimilemur, præcipit Matt.5.48.
dicens: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini, sicut*

paruuli,

paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. ibi. 18.3. En quàm opposita, & longissimè inter se distantia extrema, vt qui Deo ipsi assimilari studet, & puero etiam similis reddi contendat. Vnde Hieronymus. Hieron. *Vt enim Creatorem non in cœlo tantum miramur, & terra, & Sole & Elephantis, sed etiam in minutis animalibus; ita mens Christo dedita, & in maioribus, & in minoribus intenta est.* Et Saluianus lib. 3. de Prouid. Saluian. *Perfecta ac sincera Sanctitatis volens cultores suos facere Saluator, iussit ab iis cautissimè etiam minima vitari, vt quàm pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita, & sicut salua intuitus incolumitate, puluris labem in se oculus non reciperet, sic vita nostra labem in se penitùs impudicitiæ non haberet.* Idem idoneo satis exemplo docuit Ephræm Syrus de vita spir. num. 36. Ephræm. *Præceptorem*, inquit, *non solùm elementorum scholaribus ostendunt figuras, sed & minuta quæque puncta, distinctionésque proponunt.*

7 Hinc lux redditur ad intelligendum Christi Domini consilium ad pacatam iniuriarum patientiam adhortantis. *Siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Matt. 5. 39. Matt. 5. 39. Iure enim ibi dubitatur, quare Dominus cùm dexteram maxillam nominasset, sinistram nominare noluerit, sed *alteram* dixerit? Ratio ergo illa est, quam Hieron. in cap. 41. Ezechiel. assignauit, nempe in Viris iustis, ac perfectionis studiosis nihil fore sinistrum, nihil non dextrum, & perfectum. *Numquid dicere non potuit sinistram; sed quando percutitur dextera, percutitur altera dextera, quia in sancto Viro vtrumque dextrum, & vtrumque perfectum est.*

8 Venialer ergo culpæ, & minuta delicta minimè contemnantur, imò interdum maiori præcaueantur studio, si Chrysost. creditur, qui hom. 87. in Matt. tom. 2. nouum hoc dogma, & quasi paradoxum tradere non veretur his verbis. *Mirabile quid, atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri peccata esse vitanda, quanto parua, & vilia; illa enim natura sua sponte auertuntur; hæc autem hac ipsa re, quia parua sunt, desidiæ reddunt, & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere.* Chrysost. Quæ si credidisset, & præstitisset Saul, exigui temporis expectationem non spreuisset, nec sui repulsionem, & ruinam fuisset suo malo fabricatus. Quibus etiam non contentus, impœnitentiam, & impudentiam adiecit, peccatum suum non solum excusans, sed commendans, vt idem etiam aduertit Chrysostomus ibidem. *Nam quoniam Samuelis non obtemperauit, & holocausta offerri properauit illo absente, accusatus ait: Necessitas hostium facta est maior: cùmque flere oportuisset; quasi nihil mali fecisset, lætabatur.* Idem. Minus ergo peccatum ad grauiora quæque hominem impulit: quod alterum etiam leuiorum defectuum virus est, quod animum paulatim ad pessima quæque pelliceat. *Veterator enim malorum Diabolus* (ait Chrysostomus) *à minimis plerumque incipit.* Chrysost. Bernard. Bernardus autem, de Ordine vitæ, & morum instit. *A minimis incipiunt qui in maxima prorumpunt.* Quod vterque à Spiritu sancto didicit. *Qui spernit modica, paulatim decidet* Eccl. 19. 1. Eccl. 19. 1. Quæ vna ratio sufficere deberet, ne leues incuriæ tanquam leuia crimina despicerentur, quandoquidem ad turpissima quæque pertrahunt, vt in Saule ipso comprobat in præsenti Chrysostomus, aliisque confirmat exemplis.

9 Damascenus autem lib. 1. de Imagin. Ioan. Dam. *Parua, parua non sunt, ex quibus magna proueniunt.* Petrus quidem leuius primum Christum abnegauit. Matthæi cap. 26. ancillæ respondens *Nescio quid dicis,* Matt 27. nec tamen ibi substitit, sed ad periurium, & detestationem vsque peruenit, vt obseruauit Anselmus. Anselm. *Nota*, inquit, *quod primùm ait*, Nescio quid dicis. *Secundò cum iuramento negat: Tertiò cœpit detestari, & iurare. Perseuerare quippe in peccato dat incrementum scelerum, & qui minima spernit, cadit.* Statua illa Regis Babylonici ita paulatim in deterius declinauit, vt non ex auro in lutum, sed ip argentum prius, deinde in æs, & ferrum quasi gradatim deciderit. Nam huius statuæ *caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento. Porrò venter, & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis.* Daniel. 2. 32. Dan. 2. 32. In quibus maximæ per successionem, & declinationem ruinæ pulchrum elucet exemplar, sunt enim rari, qui in flagitiorum barathrum vno impetu proruant, sed quasi sensim dilabentes ex leuioribus in maxima quæque ferantur. Vt annotauit Thom. lect. 2. in cap. 3. epist. ad Galatas, Gallatis ex nomine Pauli dicens. *Ordinem peruertistis, quia via perfectionis est ab imperfecto tendere ad perfectum. Vos autem quia conuersi, stulti estis.* Thom. Eccl. 27. Homo sanctus permanet in sapientia, Eccl. 27. 12. sicut Sol; stultus vt Luna mutatur. *Similes isti sunt his qui incipiunt seruire Deo cum feruore spiritus, postmodùm deficiunt. Etiam assimilantur statuæ Nabuchodonosor, cuius caput aureum, & pedes lutei.* Daniel. 2. Plura de hoc instituto nostet Andreas Pintus Ramirez lib. 3. in Cant. cap. 6. vers. 12. §. 1.

10 Sed Theodori Abbatis disertissimam sententiam de hac re prætermittere non licet apud Cassianum Collat. 6. c. vlt. in hæc verba diffusi. *Lapsus quispiam nequaquam subitanea ruina corruisse credendus est, sed aut prauæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decedente, & per hoc sensim vitiis increscentibus casu miserabili concidisse. Ante contritionem enim præcedit iniuria, & ante ruinam mala cogitatio; quemadmodum domus nunquam subitanео ad ruinam procumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium desidia, stillicidiis primum paruissimis penetrantibus, corrupta sensim fuerint monumenta tectorum, quibus per vestram negligentiam in maiorem modum patefactis, atque collapsis, riuatim post hæc instuet pluuiarum, imbriumque tempestas*; in pigritiis *enim* humiliabitur contignatio, & in segnitie manuum stillabit domus, &c. Hæc ille disertissimè. Theodor. Abbas. Cassian.

11 Quod si Dei aut præcipientis, aut hortantis inspiciatur authoritas immunem illam ab iniuria non reddet, qui minima contempserit; vt sapienter docet Chrysost. in serm. de leuium peccatorum periculis tom. 5. dicens. *Dum vetita fiunt, contemnuntur iussa, & imperata audaci contumacia negliguntur. Sic & authoritas Dei iubentis offenditur, & pœnarum perpetuitas inuenitur. Loth vxor statim incurrit quod euaserat, dum eam diuina vindicta in salis materiam transmutauit, vt ex hoc nec apparent qualitatem delicti debere quempiam intenere, sed diuina iussa tota veneratione seruare.* Chrysost.

12 Denique vt leuium culparum quantitatem pro merito æstimemus, pœnas illas grauissimas, interdum quibus à Deo passim puniuntur, expendamus, nec enim leue id habendum est quod graui mulcta vindicatur. Porrò sæpiùs Deus venialia suorum delicta non morbis solum, & ærumnis, sed corporali etiam morte persequi est visus. Sic enim de Oza Arcam contingente vulgò creditur, vt suo loco videbimus tom. 3. Instit. 6. Literali 2. Reg. 6. 7. 2. Reg. 6. 7.

Sic item de pueris pueriliter insultantibus Elisæo. 4.Reg.2.23. 4.Reg.2.23. & de aliis pluribus quorum supplicia diuinæ continent literæ, vt obseruarunt Cassianus Collat.7. c.25. & sequentibus. Abul.3.Reg.13.24. Cornelius, Sanctius & alij. Sed de his satis. Interim consule Bernard.serm. contra pessimum vitium ingratitud. Chrysost. nuper relatum. Gregor.3. p. Pastoral. Admonit.35. Aug. suprà citatum. Claud. quoque Aquauiuam Præpositum nostræ Societatis Generalem, aurea illa, & nunquam satis celebrata Epistola de Renouat. Spiritus, & Franc. de Mend. tom.3. ad cap.12. lib.1. Reg. vers.10. §.5. Aquauiu.

INSTITVTIO XXXI.

Moralis.

Ambitio vitium insatiabile.

Ad illa verba: Et obtulit holocaustum. *cap.13. vers.9*
S.Clemens. Roman. Beda. Rupert. Lira. Carolus Sigonius. Adricom. Abul. Salian. Cornel. Caiet. Rabbi Leui.

1 SAülem per se nullo vsum legitimo ministro sacrificasse affirmant S. Clemens Romanus, Beda, Rupert. Dionys.Areopag. Lira.Carol.Sigon. Adricom. & Alij, quia Textus verba ita sonare videntur: *Et obtulit holocaustum*, in quorum placitum diu inclinaui; sed in oppositum tandem trahor rationibus Abul.Saliani, Cornelij, & aliorum; qui ab impio facinore Saülem vindicant. Nec Scripturæ phrasis aduersarios nimiù iuuat, cùm eadem etiam sit de iis, qui non per se, sed per Sacerdotem obtulerunt, vt notauit, & exemplis confirmauit Caiet. Sed iuxta priorem sententiam miranda quidem, ac detestanda simul est Saülis ambitio, qui ex humili fortuna ad regium fastigium vix elatus, minimè illo contétus, Sacerdotalis officij gloriam, qua carebat, ambitiosissimè præsumpsit. Addit etiam Rabbi Leui Prophetali notitiæ, & gloriæ ipsum inhiasse. *Illis*, inquit, *Sacrificiis elicere voluit spiritum prophetiæ, vt ipse sibi esset Propheta, & sine Samuele intelligeret voluntatem Dei.*

2 Rex ergo Saül creatur ex bubulco, nec quiescit: Sacerdotis officium vsurpat, nec contentus est, sed ad prophetale munus adspirat; quod si obtinuisset, ad alia indebita, nescio quæ, & impossibilia animum, & mentem adigeret. Vnde eum seriò reprehendit Ioan. Palafoxius lib. 3. Histor. sacræ Regalis emphaticis his interrogationibus. Ergo Saül heri boues sequebaris, & regnum accepisti? Nummulo, quod Prophetæ offerres, carebas; & ille tibi coronam tradidit; & cùm modò omnibus rebus humanis abundes, diuina quoque ambire præsumis? Itane ei, qui te elegit, munus adimes? Plus eo, quod Deus te voluit, esse contendis? An qui te creauit Regem, Sacerdotem quoque facere non potuit? Adeo ne exiguaires tibi est regnum. Hæc quidem humanæ elationis conditio est, vt nunquam consistat, nec satis sibi vnquam esse credat. Quod hominum ingenium seu libidinem disertissimè describit Seneca lib.2. de Beneficiis cap. 27. scribens: *Non patitur auiditas quemquam esse gratum; nunquam enim improba spei, quod datur, satis est. Eo maiora cupimus, quò maiora venerunt; multóque concitatior est auaritia in magnarum rerum congestu collocata; & flamma infinito acrior vis est, quo ex maiori incendio emicuit; equò ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, qua quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias, sed queritur, quod non est ad præturam vsque perductus: nec hæc grata est, si deest consulatus: ne hic quidem satis est, si vnus est. Vltrà se cupiditas porrigit, & felicitatem suam non intelligit, quia non vnde venerit, respicit, sed quo tendat.* Hæc ille, nihilque plus dixisset, si Saülis auiditatem ad indebitos honores contemplatus fuisset. Seneca.

3 Hinc igitur Angelicus Thomas in Opusculis: *Concupiscentia*, inquit, *quod infinitum est. Quilibet autem sapiens debet intendere finem aliquem, imò nullus debet ire per viam infinitam.* Et iterùm Seneca: *Relinque ambitionem, timida res est, vana, ventosa, nullum habens terminum.* Quod eleganti comparatione describit Epist.72. ex Attalo quodam accepta. *Vidisti aliquando missa à Domino frusta panis, aut carnis, aperto ore capientem canem. Quidquid excipit, protinus integrum devorat, & semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis, quidquid expectantibus fortuna projecit, id sine vlla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti, & attenti.* S.Thom. Seneca. Attalus.

4 Huic quidem hominum genio allusisse videtur Propheta, dum dixit: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Psalm.16. 15. quod enim expertus fuerat, confessus est; factus de pastore armiger Regis fuerat, nec quieuerat: de armigero ab omnibus decantatus miles: de milite militaris Imperator, deinde Regis gener, Rex denique, & hostium suorum subiugator: quid deinde? opibus, plausibus, & deliciis abundus. Tum denique proclamat: exigua hæc, quibus frui datur, nec animum meum complent, fames adhuc gloriæ pectus exedit. Ergo *satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Meritò igitur Augustinus: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescamus ad te.* Et Innocentius III. lib. 2. de contemptu Mundi. *Vis ô cupida scire quare semper vacuus, cur nunquam impleris? Adverte: non est plena mensura tua, quæ quantumcumque contineat, adhuc capax est amplioris. Sed humanus animus capax est Dei, quoniam* qui adhæret Deo vnus spiritus est cum eo, 1. Corinth. 6. *quantumlibet ergo contineat, nunquam plenus, nisi Deum dum habeat, cum semper est capax.* Psal.16.15. Aug. Innoc.III. 1.Cor.6.

5 Pisces quidem (ô quam pudet!) stolidissima animantia hominibus moderatione, & frugalitate præire videas, qui iis, quibus olim sedibus constituti ab Authore naturæ fuêre, contenti, nusquam fines suos deseruerunt, nec ad alios etiam maris sinus progrediuntur, ita vt imitandos esse ab hominibus contendat Basilius hom.7. Examer. his verbis. *Non carpere solùm, reprehendereque possumus pisces, sed sunt in illis, & qua prosequenda sunt imitatione; vt singula genera piscium accommoda sibi loca distribuunt, in illisque vitam degunt, nec aliena vnquam loca aggrediuntur, sed intra fines lata versantur finu. Non illis geometra quisquam distribuit habitationes, non mœnibus vllis sunt vlla generum piscium circumscripta, non finibus vllis diuisa, sed quod cuique prodest, quidque necessarium est, id naturæ munere est definitum. Hic sinus hæc piscium genera, ille alia pascit.* Hæc Basilius. Secus quidem humanæ ambitionis natura, quæ nullibi conquiescere, nec permanere vnquam potest. Vnde non piscibus solùm, sed papilioni stolido quoque animanti ambitiosus homo confertur. Vermiculus ille fuit, & cœno exortus: adultus verò terræ, & limi abiectionem exosus, pennulis instructus ad aëris elementum ascendit, auiúmque naturam affectat. An hoc illi satis est? Deberet quidem, sed notam etiam regionem aëris pertæsus igneam aggreditur: facem circumvolat, flammam vndequaque ambitiosè circumit, nec incendium horret, nec ignem Basilius.

timet.

timet. Quid tandem? Flammis se immiscet, & perit. Pulchrum quidem ambitiosi hominis hyeroglificum, nunquam sua felicitate, aut conditione contenti; qui quæ adepta sunt honoris, & gloriæ despicit, ad ardua quæque, & pernicioſa interdum anxiè porrigitur, cum sanius quidem fuisset Regis illius audire adhortationem: *Contentus esto gloria, & sede in domo tua.* 4.Reg.14. 10. 4.Reg.14. 10.

6 Sanctus verò Anſel.lib.de Similitud. cap.72. Non papilionibus, sed pueris, qui papiliones auidè insequuntur, honoris ambitioſos comparat, quos si ceperint, inane quoddam bonum obtinebunt, & de nihilo gloriabuntur, tarò verò eos capere datur; imò dum capturi quaque sequuntur, laborant, sudant, & frequenter impingunt. Iam accipe Anſelmi verba: *Sic agunt illi, qui mundi honores appetunt quomodo pueri, qui sequuntur Papilionem; Papiliones enim cùm volant, tramitem rectum nunquam tenent, sed huc, illúcque se agitant; cúmque alicubi sistere videantur, nec ibi diu morantur. Hos autem frequenter cùm pueri capere volunt, cirò post eos currere fatagunt; & quia non ad suos pedes, sed ad Papilionis intendunt, aliquando in foueam cadunt, séque immaniter ladunt.* Vide in quam foueam, vel potiùs barathrum Saülem ambitus demerſit, vt indebitos honores præriperet; cæcutit enim omnis ambitioſus, & neſcit quò corruat. In cuius olim typum prohibuiſſe crediderim Deum in lege veteri veſpertilionem, vt immundum: *vpupam quoque, & veſpertilionem.* Leuit. 11. 19. quod ſuadet ratio reddita à Roberto Hocot. lect. 19. in lib. Sapient. ibi: *Veſpertiliones debiles ſunt oculis; cauſa eſt, quia humor cryſtallinus, qui neceſſarius eſt oculo ad videndum, tranſiit in ſubſtantiam alarum.* Ecce quod ambitioſis honorum amatoribus euenit, qui dum de alarum remigio tantùm curant, quò in cœlum aſcendant, cæcutiunt, & veſpertilionibus tanquam Barathri alites aſſimilantur. Cæcutiebat quidem Saül, qui quondam in oculis ſuis paruulus regales ſplendores minimè diligebat, poſtquam verò ad prohibitam Sacerdotij, & Prophetiæ gloriam volatum egit, humore cryſtallino in alarum ſubſtantiam tranſeunte, ita cæcus manſit, vt nec ſuam vilitatem, nec acceptos honores, nec læſam conſpiceret maieſtatem. Quem quidam miſerrimum Regem ad viuum expreſſiſſe videtur præfatus Innocent. III. eodem lib. de Contemptu Mundi cap. 3. in hunc modum: *Statim vt ambitioſus eſt promotus ad honorem, in ſuperbiam extollitur, in iactantiam effrenatur, nec curat prodeſſe ſed gloriatur præeſſe. Præſumit ſe meliorem, quia creuit in ſuperiorem. Priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comites contemnit antiquos: vultum auertit: viſum extollit: ceruicem erigit: faſtum oſtendit: grandia loquitur: ſublimia meditatur.* Hæc ille ad Saülis ambitionem accommodatè, & ornatè.

7 Cæcutiuiſſe quoque dixeris filios Zebedæi primas Chriſtiani regni ſedes ambientes, quos Chriſtus Dominus, vt ab ea mente deterreat, percontatur: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Cui illi concita, ac præcipiti temeritate reſpondent: *Poſſumus*, cùm nec quis calix eſſet, nec quis liquor potandus aut cognoſcerent, aut rogarent: Cæca enim tùm ſit ambitio, offendicula, ac præcipitia non videt, vt annotauit Euthimius ad præfatum locum, Matt. 20. 20. dicens: *Omnia promittunt petitionem conſequi cupientes. Chryſoſt. autem dicit, quòd nec poculo, nec baptiſmo intellecto à ſola animi promptitudine, gratiam quærebant.* Nec mihi mirum eſt, cùm neſcio quid temporalis regni concepiſſent, cuius homines auidiſſimi ſunt. Vnde non ſemel æternam beatitudinem Chriſtus regnum dixit. *Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Matt. 5. 3. Matt. 5 3. vt ambitioſorum hominum ſpecioſo hoc titulo corda ſollicitaret, vt notauit Gregorius Niſſenus, Nyſſenus. dicens: *Quoniam magnum quidem, & ſuper omnia propemodum, qua magni faciunt inter ſe homines, regni nomen in vita eſt. Idcirco vſus eſt etiam eo ad ſupernorum bonorum declarationem.* Ea tamen humani ingenij natura eſt, vt adepto quoque quod adamauit, regno, ad noua alia honoris faſtigia ardentiori exæſtuet ſiti, vt vidimus in Saüle.

Anſelm.

Leuit. 11. 19.

Rob. Hocot.

Innoc. III.

Eutim.

Matt. 20. 20.

Chryſoſt.

INSTITVTIO XXXII.

Moralis.

Ne inuitaris prudentia tua.

1 PRoprijæ prudentiæ innixus Saül ingentem erratum commiſit. *Dixi*, inquit, Sibi quidem ipſe dixit, ſeu apud ſe ſtatuit, nullius adhibito conſilio, nullo ſuorum audito, nec Samuëlis explorata ſententia: vnde facilis ad grauiſſimum, & pernicioſiſſimum errorem patuit aditus. *Ne innitaris prudentia tua*, ait Sapiens Prouerb. 3. 5. ſeu vt legit Theodoretus: *Ne pedem obfirma in tua prudentia.* Propria quippe prudentia inſtabilis vel etiam labilis res eſt, cui ſi temerè fidas, puerorum more, qui gelu dilabuntur, frequenter impinges, frontémque, aut occipu contundes. Vnde Iob. 18. 7. *Arctabuntur greſſus virtutis eius, & præcipitabit eum conſilium eius.* Et Sanctiſſimus noſter Patriarcha Ignat. in aurea quidem illa de Virtute Obedient. Epiſt. *In rebus etiam humanis*, inquit, *cenſent ſapientes verè prudentis eſſe ſua ipſius prudentia minimè fidere, præſertim in rebus ſuis, quarum homines animo perturbato ferè boni iudices eſſe non poſſunt.* Et deinde: *in cauſis verò, perſonis, que ſpiritualibus eo maior etiam cautio prouidendo eſt neceſſaria, quò grauius eſt ſpiritualis via periculum, cum ſine piorum conſilio, diſcretioniſve in ea decurratur.* Negotium vero iacrificij ſpirituale, religioſum, & periculo plenum erat. *Ad illa ver-* ba: Dixi: nunc deſcendent. cap. 13. v. 12. Prou 3 5. Iob. 18. 7. S Ignat.

2 Concinit Moyſes Abbas apud Caſſianum Collation. 2. cap. 11. & apud eundem S. Ignat. dicens: *Nullo alio vitio tam præcipitem Diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cum neglectis conſiliis ſeniorum, ſuo iudicio perſuaſit, definitionique confidere.* Suæ erga Saül definitioni filius miſerrimè corruit, quod non illi vni, ſed aliis pluribus frequenter euenisse videas. Nihil enim interdum tantum à ratione, & veritate, quàm proprium iudicium, & præceps ſui ipſius confidentia abhorret; quod pluribus illuſtrare difficile non eſt. Saül enim ipſe infrà, capite 15. ingratum etiam Deo iterùm obtulit holocauſtum de gregibus contra diuinum præceptum reſeruatis; in tantúmque ſuæ innixus eſt prudentiæ, vt increpantem ſe Samuëlem audaci petulantia reprehenderit, dicens: *Imo audiui vocem Domini, & ambulaui in via, per quam miſit me Dominus.* 1.Reg. 15. 20. Peſſimum & doloſum iudicium ſuum præferre non erubuit. Cui Samuël: *Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare.* ibid. v. 23. Mira quidem inobedientiæ amplificatio, quæ ipſius fatis naturam & malitiam exprimit. Ne verò hyperbolica videatur ſimilitudo, audi Gregor. lib. 6. Moyſes Abbas. Caſſian. S. Ignat. 1.Reg. 15. 20. Gregor.

Variar. cap.2. comparationis æquitatem, & rationem assignantem. *Quia*, inquit, *in inobedientiæ suæ obstinatione nemo perstisteret, nisi propositi sui figmentum in corde quasi Idolum non gestaret. Dum enim agenda in corde concipit, quasi Idolum facit, & dum conceptum mentis propositum se acturum deliberat, quasi ad adorandum simulachrum se inclinat.* Ita Gregorius. Proprium ergo iudicium, seu propositum, exclusis aliorum iudiciis, abominationem dixeris *stantem in loco sacro*; est enim illorum Deus, seu Idolum, qui Maiorum spretis consiliis suo iudicio satiati sese sapientes, & prudentes autumant; sunt autem omnium hominum ineptorum perditissimi.

3 Ipse etiam Saül cùm Dauid furorem eius præcauens sese abscondere decreuisset, nec regiæ mensæ, vt consueuerat, accumberet: *Non est locutus quidquam in die illa; cogitabat enim quod forte euenisset* 1.Reg 20.26. *ei, vt non esset mundus nec purificatus.* 1.Reg.20.26. Ecce quàm sanum hominis iudicium, cùm innocentissimus Dauid non ex conscientia, sed ex Regis furore non occurrisset ad mensam. Nescio tamen an turpius fœdiúsque errauerit Assuerus Rex potentissimus, qui bis saltem suæ solius prudentiæ consilio deditus, ingens malum excitauit. Primùm enim suadenti Aman (quo tanquam fideli ministro in regni sui moderamine vtebatur) vt ludæorum gentem populo, & Regi perniciosam, vt ipse mentiebatur, penitùs deleret, ita temere credidit & imprudenter, vt nullis adhibitis tantæ rei consiliariis, & regium annulum, seu signaculum delatori tradiderit, & vt insontem gentem aboleret, copiam fecit. Quid turpius? Deinde vero cùm Reginæ, quæ ex Iudæis erat, lachrymis, & precibus flexus, erroris sui magnitudinem cognouisset, & in facinoris authorem excandesceret, ipsum Aman Reginæ obuolutum genibus, vt misericordiam obtineret inueniens, Reginam vi opprimere non minori leuitate, & temeritate credidit. *Etiam*, inquit, *Reginam vult opprimere me præ-* Esther.7.8. *sente in domo mea.* Esther.7.8. Quid falsius, aut ineptius? Nec leuiores incurrunt frequenter errores, qui despectis aliorum consiliis suo ipsi solùm acquiescunt; Viri interdum aliàs vel prudentia, vel litteris, vel etiam sanctitate præclari.

4 Sapientissimus quippe, & prudentissimus Ioseph cùm fratres suos sine Benjamin ad se aduentasse cerneret, eósque dicentes audiret, minimum etiam ex fratribus apud patrem remansisse: *minimus*, Gen.42.13. inquiunt, *cum patre nostro est.* Gen.42.13. ne eum occidissent, in suspicionem venit, quod verum quidem non erat, qua forte suspicione permotus ipsos in vincula coniecit. Suffragatur Theodoret.q.100. Theod. in Gen: *Cum Benjamin*, inquit, *non videret, suspicatus est tale quidpiam in illum perpetrasse.* Nec viro tamè suspicionis suæ fundamentum defuit, cùm sciret seipsum vix eorundum manus quondam effugisse; deinde Benjamin natu etiam minimum, & in extrema senectute genitum, patri charissimum necessariò fore. Errauit tamen, vt tandem euentus prodidit.

5 Ipsi etiam Iosephi fratres similem errorem incurrerunt, nam cùm vidissent Benjamini eiusdem sacculo Principis scyphum furto, vt credebatur, ablatum, inuentum fuisse: *Inuenit scyphum in sacco* Gen.44.12. *Benjamin.* Genes.44.12. furem eum continuò dixe- S.Ephræm. runt, vt testatur S.Ephrem hom.de Ioseph, & Latrocinandi ingenium a Rachele matre traxisse iactitabant, quę idola quondam patris furata fuerat. *Filius*, aiebant, *Rachel, quæ furata est Idola, & neganit*; re tamen vera quam longissimè à veritate ibant.

6 Nec ab hac censura immunis est ipse Petrus, qui suo quidem iudicio plus quàm fas fuerat detulit confidentię, cùm enim asseueranter Christus ipsi prædixisset non vnicum, sed triplicem negationis lapsum, sibi potiùs credere, quàm Christo veritatis Authori visus est. *Ter me*, inquit Dominus, *negaturus.* Marc.14.30. Ille verò *amplius loquebatur*, Marc.14.30. *etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo.* Quasi diceret: vt eiusdem persona, & nomine proloquitur Chrys.hom. de Negat.Petri tom.5. *Ego-* Chrysost. *ne igitur te negabo Princeps Apostolorum? Columna Ecclesiæ? Quamobrem & mihi ipsi præsidens vociferor*: Etsi omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor. Expende, quæso, illud: *mihi ipsi præsidens*, quasi ipse sibi fuisset sufficientissimus magister amoto cuiuiquam alterius magisterio. Sed qui sibi tam nimiè fidit, turpissimè (proh dolor) prolapsus est.

7 Eiusdem culpæ se accusat, quam imputamus Petro, Leporius Presbyter Epist.de Emendat.quam Leporius. in lucem prodidit Iacobus noster Sirmondus, sic Presbyt. errorem suum ingenuè profitetur. *Sed aliud fieri non* Sirmond. *poterat, nisi vt propria stultitia in me viueret, quando ego mihi disipulus habueram me magistrum.* Ecce hæc quoque fuerat Petri culpa, vt sibiipsi magister vellet præsidere. Quorum ruinæ ratio ea est, quam Tertullianus edocuit lib.de cultu Fœminar.c.2.ibi. Tertul. *Nam qui præsumit, minùs veretur, minùs præcauet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris. Vtilius ergo si speremus nos, nos posse delinquere, sperando enim timebimus, timendo cauebimus; cauendo, salui erimus.* Hæc ille.

8 Alienæ potiùs sententiæ iudicióque sternus, quàm proprio, si rectum tenere, & recte collimare velimus, vt Apostolos Christus ipse sub alterius rei specie instituit salutari documento. Iubet eorum duos, vt in ciuitatem euntes hominem sequantur, qui portaret lagenam aquæ, vt in domo ea, quam subiret, ad celebrationem Paschatis necessaria præpararent. *Sequimini*, inquit, *eum in domum, in quam* Luc.22.10. *intrat.* Luc. 22. 10. vbi præter litteralem sensum mysticus nobis, & tropologicus inquirendus venit, quem facilè assequeris, si legas Laurentium Iusti- Laurent. nianum. lib. de Triumphali Christi Agone. cap.1. Iustinian. num.5. vbi sic rem mysticè interpretatur. *Ideò*, inquit, *mysticè Apostolo mandatur, vt aquæ baiulum sequantur, ne proprio delusi sensu per errorum deuia, & Hæreticorum abrupta præcipitari cogantur.* Et deinde. *Vix absque casu, & ignominia euadit, qui temerario ausu bella contendit, faciléque euertitur domus, quæ supra sui ignorantiam esse fundata dignoscitur.* Concinit S.Ephræm Syrus Paren. 35. S.Ephræm. tom. 2. sic grauiter fatus: *Si conspexerò adolescentem propria voluntate cœlos ascendentem, tene ipsum, Expedit enim ipsi. Id verò de illo quoque intellige, qui cum ætate sit senex, mente tamen est iunior.* Syrus.

9 Quid? quod Christus Dominus diuinæ sapientiæ fons, & origo, quasi ipse sibi non fideret, alios de rebus agendis interdum consulebat, vt elationis nostræ contunderet superbiam? vt pateret, quando quinque millia hominum pane deficiente cibare curabat. *Matt.*15.32. *Marc.*8.1. & *Ioan.*6.5. ibid. *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* quasi eorum consilio egeret sapientiæ, & consilij Dominus, vt annotauit Haimo Albestratensis ad præfatum locum Marc. 8. *Numquid*, inquit, *sine consilio illorum poterat? Poterat vtique: sed ideò conuocauit, vt daret exemplum Regibus, Comitibus, Episcopis, & cæteris Potestatibus huius sæculi, ne despiciant subditos suos in suo consilio, quia sæpè reuelat Dominus iuniori quod melius est.*

Hæc

Basil. Hæc Haimo. Sed de hac re omnium penè prudentissimè & sapientissimè Basil. Orat. 21. de Felicit. ac Infortunio, tù etiã de Prudent. vnde pauca mutuare liceat, ibi: *Cùm nemo satis esse possit, vt suo marte id quod decens & vtile sit inueniat, idcirco sùmis beneficiis complectens nos Deus, consultores, & Dominos subinde dat nobis. Magna autem est vtilitas consultoris prudentis, ac familiaris præsentia: Supplet enim id, quod deest prudentiæ eorum, qui de rebus ambigentes consultant.* Quam quidem vtilitatem inde potissimùm probat, quod Moyses vir quidem sapientissimus, & omnigena eruditione instructus Iethri soceri sui, hominis quidem simplicis, & ignari consilio vsus, maximam ex eo vtilitatem percepit. *Quanta*, inquit, *vtilitas ex consilio alterius percipiatur, vel maximè patet in Moyse, qui quamtumuis omni Ægyptiorum sapientia instructus esset, & licèt cum Deo de facie in faciem, vti amicus cum amico sermonem, & consilia conferret, tamen soceri sui Iethri consilium est secutus in constituendis Centurionibus, Decuriombus, ac Tribunis, qui præessent, & iudicarent populum.* Cui & Dauuidis exemplum annectit, qui Chusi consilio vsus Achitophelis consilia destruxit. Concludit tandem aurea hac exhortatione. *Quare nequaquam cunctemur iis nos famulistere, qui nobis ea, quæ decora sunt, consuluut; nec vnquam turpe esse ducamus confiteri, alios quoad vitam instituendam nobis longè esse prudentiores. Magnam mehercule affert hominibus vtilitatem, consilium, eo quòd nemo sibi sufficiat ad electionem rerum vtilium, honestarúmue, sed pluribus sanè sociis, & iis quidem solertibus opus habet. Vnde haud absurdè homo consilij expers similis censetur nauigio rectore carenti, quòdque ventorum impetu huc, & illuc impellitur.* Hucvsque Basilius quasi miseri Saülis ruinam ob oculos contemplaretur, qui dum sibi sufficere per superbiam credidit, nauis sine rectore factus, quasi procella circumactus perijt. Statuerat enim nullius se indigere consilio. *Dixit*: quasi diceret:

Ouid. *Consilij satis est in me mihi*——

INSTITVTIO XXXIII.
Moralis.

Vtraque fortuna moderanda.

Ad illa verba. Imminentes petræ ex vtraque parte. *Cap. 14. v. 4.* Abul. S. Beda.

1 *Eminentes petrâ ex vtraque parte* describuntur, quæ quòd famosæ essent, vt ait Abulensis, nomen acceperant. Inter præruptos ergo scopulos ardua ad Ionathæ victoriam subest via, quod ad tropologiã S. Beda referens inter prospera, & aduersa, inter læta, & tristia perfectis viris, quoad triumphum, & coronam ascendant, incedendum docet. Fauet potissimùm vtriusque scopuli nominum etymologia; nam *Bosis* interpretatur *flores*, vel *in ipso floruit*: *Sene* autem angustiam sonat. *Quia non minus florente, quàm aduersante, hoc est angustias afferente mundo, Sanctorum assensus impeditur.* Verba sunt Bedæ in præsenti; eademque est Angelomi, & Hugonis Victorini mystagogi 2. Quorum doctrinam paucis confirmare, & illustrare non piget.

Idem. Angelom. Hugo Vict.

2 Et quidem mundus hominum inhabitatio, & cœlo, & inferno affinis est, & intermedius, & cum vtroque, vt in confiniis folet, aliquid habet commune. In cœlo læta sunt omnia, pacata, felicia: in tartaro cuncta funesta, aduersa, trucia. Terrarum ergo orbem, qui interiacet, & felicia quædam ex altero, & infelicia plura ex altero participet necessarium est. Vnde minime stolidus ille Philosophus rogatus olim quidnam potissimum Iupiter in cœlo perageret, respondit: ex binis doliis, quæ & boni & mali referta erant in vnum continuò miscere, quæ hominibus desuper immitteret; vt faustis & infaustis eorum vitæ intexerentur. Cui attendit Plutarchus Dial. de Tranquil. vitæ, auteis his verbis, aptissimáque similitudine. *Vt musica*, inquit, *suis granibus, & acutis constat, sic debemus armonicorum more melioribus semper deteriora, ac calamitosa prosperis inuoluendo, concinnam mixturam facere vitæ.* Plutare.

3 Vtraque verò ita animos pulsant humanos, vt nisi cœlitus demissis viribus & tota hominis opera, & industria vigilante constare pectora minimè possint. Vti enim infirmum ægritudinis malo corpus, nunc frigoris intemperantia vexat; modò ardentissimæ febris calor exurit; sic nimirùm virtus animi, nescio quo magis, aduersisne, an prosperis, labefactatur. Vtrique ergo occurrendum est morbo, vt æternæ salutis status teneatur. Hoc fortè suadebat Dominus, cùm *Luc.* 12. 35. Viros spirituales adhortatus ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Qui Heris lumen ministrant dextrâ solum facem gestare solent; qui verò Domino Deo ministrant, vtramque manum lumine instruant, in his docentur, vt notauit Venerabilis noster, & vitæ spiritualis clarissimus magister Ludouicus à Ponte tom. 1. in Ruth, fausti s nimirùm, & tristibus, quæ per dexteram, & lævam significantur, obituri; itavt in prosperis, & aduersis eandem omninò constantiam, & æquitatem teneant. Luc. 12. 35. Ludou. à Ponte.

4 Hinc Dauidis gratulatio, & Deo victoriæ suæ autori gratiarum actio. *Dimisit Dominus inimicos meos* 2. Reg. 5. 20. Quasi diceret. Hinc inde me cingebant hostes, & quidem vtrique potentissimi, res, inquam, prosperæ, & aduersæ. Ipse autem neutris concussus, per medium iter tutum tenui, nulli cedens, neutri herbam porrigens. Sic saltem meditabatur Galfridus apud Tilm. in Alleg. Bibl. dicens. *In congressu hostes terrent aduersis; Prosperis prouocant, vt beatus sit qui nec capitur illecebris, nec molestiis superatur; dimissis siquidem hostibus velut per medias acies victor incedit, nec declinans ad dextram, vt extollatur prosperis, nec ad sinistram, vt murmures in aduersis.* 2. Reg. 5. 20. Galfrid.

5 Quam vtique eandem viuendi normam innuit olim Deus *Numer.* 10. 2. seruo suo Moysi duarum tubarum fabricam, & vsum indicans. *Fac tibi*, inquit, *duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra.* Deinde alios etiam tubarum vsus exprimens, ait: *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostem, qui dimicant aduersùm vos, clangetis vlulantibus tubis.* ibid. vers. 9. Denique: *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis.* ibid. v. 10. Ecce & cùm exercitus prorumpit, & cùm paratur conuiuium, & peragitur festum, classicum cani æquiter Dominus iubet; vti enim hostium expugnatio bellum est temporale, ita etiam epulum, & exultatio bellum etiam spirituale significatur, & tubis clangitur vtrobique, quod Rabbanum Maurum non præteriit in præsenti. *Vt in prosperis*, inquit, *& in aduersis eadem semper cura, & sollicitudine homines crucientur, quia vtrisque æqualis est vicissitudo.* Quo & fausti Num 10. 14. Rabban. Maur.

& tristibus æqui studio medendum instruatur vnusquisque; æqualia enim pericula vtrisque inesse videntur, vt docet eleganter Bernardus Serm.2. in Die Palmar. dicens: *Licet multos frangat aduersitas, tamen multò plures occidit prosperitas. Denique quia vtrobique periculum est, orat Sapiens, & dicit:* Diuitias, & paupertates ne dederis mihi, *ne forte aut diuitiæ extollerent in superbiam, aut paupertas deiiceret in impatientiam.*

Bernard.

6 Heliæ in paradisum ascensum molienti anxius Discipulus votum suum exposuit dicens: *Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus.* 4. Reg. 2.9. Audaciam quidem, & præsumptionem nimiam Elisæi postulatio præ se fert, nec enim *discipulus est super magistrum*, nec super Dominum suum seruum exaltari modestiæ leges permittunt. Ergòne Præceptori votum discipuli displicuit? Minimè quidem: *Rem*, inquit, *difficilem postulasti. Attamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti.* ibid. vers.10. Prudens ergo & sana petitio fuisse comprobatur; quod vt clarius appareat, annotare oportet inæqualem, & diuersam vtriusque fortunam. Helias quippe Achabo Iezabeli, & falsis Prophetis odiosus, ærumnis, & calamitatibus plenam vitam duxit, vrbibus expulsus, & multis petitus insidiis, itavt peteret *anima sua, vt moreretur.* Elisæus verò mitiori vsus fortuna, multorum officiis, & plausibus abundauit; duplici igitur spiritu indigebat; altero quidem, quo inter plausus, & fauores prudenter se gereret: altero verò, quo infaustis, & aduersis, si quæ occurrerent, vti constanter agnosceret; contra vtraque enim præmuniri operæ pretium erat. Ne igitur arrogantiæ, sed circumspectioni Elisæi consilium referas, lege Augustinum, vel autorem lib. 2. de Mirabilib. Scrip. cap.26. ibi. *Elisæus cum magno honore, & seculi dignitate virtutem, & prophetiæ donum habuit, quod Helias profugus, & persecutus in montibus, & speluncis degens, & eiectus ab hominibus retinebat.*

4.Reg 2.9.

Augustin.

6 Sed & profanus ille lib.2.Ode.3.

Æquam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non secùs in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitiam moriture Deli

Horat.

Quòd rari sunt qui ita obseruent, vt inter aduersa & prospera non nutent, sed modum teneant. Vnde & Poëta lib.11. Æneid.

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

Virg.

Hinc sapienter, ac maturè Paulus Consul apud Liuium lib.45. *In secundis rebus nihil quenquam superbè, aut violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm quid res perferat incertum sit. Is demum Vir erit, cuius animum nec prospera statu suo efferent, nec aduersa infringent.* Et Plut. in Lucullo: *Non est cuiusuis corporis multum vini ferre, neque vulgaris animi in magnis successibus non exire de potestate.*

Paul. Consul. Liuius.

Plut.

7 Hanc quoque inter prosperam, & aduersam fortunam æqualem consistentiam præfigurarunt vaccæ illæ, quæ Arcam Testamenti ad fines vsque Hebræorum perduxerunt; quæ cùm enixæ nuper fuissent, ita tamen recto itinere gradiebantur, vt ad auullos ab vberibus vitulos præsepiis remanentes, nec leui saltè motu capita, aut corpora inflecterent. *Ibant autem in directum vacca per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinabant nec ad dexteram, nec ad sinistram.* 1. Reg.6. 12. Per dexteram autem, & sinistram prospera, & aduersa vitæ huius intelligit Rabbanus ibi, in ipsis vaccis viros perfectos subintelligens: *Ideò nec extollebantur prosperis, nec frangebantur aduersis. Si igitur ad æterni Solis habitationem tendimus ab itinere Dei pro carnalibus affectibus non declinemus.*

1. Reg.6.12. Rabban.

8 Huc quoque illud refero, quod Abrahamo quondá cuenisse lego. Gen.15.2. qui quidé de clade suorum certior factus, quinque colligatos Regés, qui Sodomæ regionem vastauerant, omníque allata supellectili, consobrinum quoque suum captum asportabant, celeriter insecutus, & prædam recepit, & hostes profligauit. Tunc verò ex triumpho redeúntenti Dominus: *Noli*, inquit, *timere Abraham, ego protector tuus sum.* Gen.15 1. Hæc sanè hostes potiùs aggredienti, quàm ex ipsis triumphum agenti conuenisse dixeris; ibi enim potissimùm diuinæ suppetiæ, protectióque præsentissima esse deberent; vbi manus cum hoste conferenda, tum maximè cùm victoria insolentes, & numero, & armis superiores à paucis, & quidem militaris disciplinæ rudibus inuadendi forent. E quidem diuina hæc promissio *auxilium Hispaniæ* quod vulgò dicunt, fuisse videtur, quod tardum plerumque, & inutile esse solet. Respondet Liranus extimuisse fortàn Abrahamum, ne temporali beneficio, & victoriæ mercede exsoluisset sibi Deus diuturnæ suæ seruitutis meritum, quæ vt expelleretur suspicio, Dominum gratiam suam ex integro sibi recipientem audiuit. Verùm ista extra rem censeo. Caietano potiùs ad litteram assentior, nouum hostium iam iam refectorum incursum pertimuisse, quo fugam præsumere; & regionem Chanaam à Deo sibi promissam, & concessam desertum iri opus fore; quæ ne timeat, de diuina protectione sit securus. Hoc ad litteram. Ad tropologiam verò illud spectat, quod docent alij, nimirùm Abrahamum exhorruisse hostem suum profligasse, triumphum mirabilem egisse, & pacatæ victoriæ prædiuiti spolio fuisse fruitum, pertimescenda enim est ipsa prosperitas, cuius pulchra sunt periculosa, & quæ mentem suis lenociniis demulcent; vt cautiùs perdant. Vnde Chrysost. in Psalm.9. *Sæpe videbis rerum successus maiora mala facere, quàm res aduersas.* Et deinde *Semper egemus Dei prouidentia, maximè cùm liberamur à malis. Alligatam belluam non ita timemus, vt emissam: ita vitium non est ita timendum in afflictione, sed post remissionem.* Et Bernard.in Florib. cap.171. *Quàm rarus semper extitit, qui non vel modicè in prosperitate relaxarit à sui custodia, & disciplina: quando hæc non fuit in cautis ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod Solis radius ad niuem, vel glaciem? Sapiens Dauid, sapientior Salomon fuit, sed blandientibus nimis prosperis, & secundis rebus alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus qui incidens in aduersa, non excidit, vel parum à sapientia; nec minor cui præsens prosperitas si arrisit, non irrisit; quanquam facilius inuenieris, qui sapientiam retinuerunt contrariâ sibi fortunâ, quàm qui propitiâ non perdiderunt.* Hæc ille ad rem nostram præsentissimè.

Gen.15.2.

Gen.15.2.

Lira.

Caiet.

Chrysost.

Bernard.

9 Ex qua doctrina lucem afferes obscuro Scripturæ loco *Gen.* 28. 20. vbi somno excitatus Iacob post miram illam Dei apparitionem, scalæque mysticæ visionem, tale votum emisit: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersúsque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus*

Gen.28.20.

minus in Deum. Cupiditatem hæc, mercenariámque precationem præ se ferunt, & lucri potius, quàm spontaneæ seruitutis, & religionis studium. Ergóne Sanctissime Iacob cum Deo rerum omnium Domino, cuique cultus ex iustitiæ lege debetur, ita paciscendum reris? Quid si nec victum, nec vestem, nec ad patriam reditum dederit? Num negabis cultum? Reuerentiam non exhibebis? Minimè quidem: nec eò Iacobi votum vergit, quinimmò eximiæ pietatis, & religionis insigne est. Inopia laborabat, exilio, & insidiis premebatur, & infensa luctabatur cum fortuna. Quid tum? Non impatientia furit, non dolore bacchatur, sed diuinæ ordinationis secretum veneratur, prouidentiam colit. Nec his contentus (nec enim maximum est inter angustias pietatem non deserere) constantiam suam profitetur; fidelitatem Deo vouet, tunc etiam, cùm immutato suarum rerum statu ad benigniorem emerserit fortunam copiis abundauerit, & patriæ domui restitutus pacatissimè, & beatissimè vixerit. In hanc me expositionem Chrysostomus allicit hom. 54. ad populum Antiochen. tom. 5. Chryf. vbi argumentum hoc latiùs prosecutus exemplis Dauid, Iacobi, Chan, & Ezechiæ doctrinam suam confirmat his verbis: *Dauid quidem cùm in tribulatione foret, & iniquicis parcebat: post hæc verò nec amicis, neque his, qui nullam intulerant iniuriam. Rursum Iacob cùm in tribulatione fuit, dicebat*: Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, *quoniam & Noë filius ante hæc quidem nihil tale fecit, postquam verò de salute confidit, qualis factus est contumelia patrator.* Nec ad dexteram ergo, nec ad sinistram deuiandum est, nec qui furenti tribulationum pelago absorpti non sunt, sedato mari, & prosperitatis malitia periclitari fas est: Sed potiùs *procedere per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris*, vt ait Apostolus 2. Cor. 6. 7. *Per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & benam famam*, & hinc inde horrentes felicitatis, & aduersitatis scopulos cum Ionatha fortiter penetrare.

10 Vtramque verò fortunam moderari docuit nos optimus orbis Magister Christus non solùm verbis, sed exemplis. Nam cùm frequentissimis insidiis, ærumnis, & ignominiis vitæ eius cursus plenus fuerit; nonnullis tamen & plausibus, & honoribus, atque humanis prosperitatibus vacuus non fuit. Semel enim transfigurationis gloria, bis etiam patris testimonio, & sæpe humanis acclamationibus potiri voluit. Denique turpissimæ Crucis neci iam proximus, in triumphantis morem, priùs cæteris comitantibus, asello equitans conclamantibus turbis, & Palmarum ramos immò & vestes sternentibus Hierosolymam subiit. *Plurima autem* Matth. 21. 8. *turba*, ait Matthæus 21. 8. *strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: turba autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes*: *Hosanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini.* Ecce quàm glorioſus triumphus, quàm honorificus apparatus. Rogas quare qui humilitatem, & abiectionem semper affectarat, honorem, populique ouantis plausum non respuerit? Respondeo ex eo potissimùm, vt qui aduersam fortunam, demissumq; statum, & ignominiam sufferre docuerat, sic etiam florentem, & benignam moderari instrueret, quod non minori difficultati subest. Guarric. Abbat. Hæc meditabar, cùm in Guarricum Abbatem mentem meam confirmantem incidi. Sic ille sermon. 3. in Palm. *Cæterum vis, qui salus fiunt, videt nobis, omninò erat necessarium, vt Christus transiens vitam huius mundi sequentibus se sterneret, sicut per aduersa, sic etiam per prospera; atque prius exaltatus, post humiliatus suo traderet exemplo, qualiter modestia seruaretur in honore: patientia teneretur in contumelia.* Quid elegantius, aut ad rem præsentius?

11 Certè necessarium Christi exemplum fuit; neque enim minoribus arridens fortuna, quàm aduersa periculis obiacet. *Magna virtutis est*, aiebat Augustinus serm. 13. de verb. Domini, *cum* Aug. *felicitate laetari: magna felicitatis à felicitate non vinci.* Cuius quidem rationem Ethnicus quoque penetrauit. *Vitia enim semper*, ait Velleius Paterculus lib. 2. *facultatibus, licentia, & assentationibus aluntur. Deinde inconsulta, & totius consilij expers felicitas esse solet*; & vt Herodes Iudæorum Rex alter aiebat apud Egesippum lib. 1. de excidio Hieron. cap. 32. *In prosperis audacia obrepit, & inconsulta temeritas nescit consilium.* Hinc frequentiores in secundis ruinæ, quàm in aduersis esse solent; & rari sunt, qui felicitatis insolentiã temperare & frænare queant. Vnde VVandalos parũ aliàs laudabiles commendat S. Saluianl. lib. 7. de Prouid. S. Saluian. quos res secundæ non pessimos reddidissent. *Certè*, inquit, *ob ea tantum VVandali continentissimi, ac modestissimi inducendi erant, quos non feciſſet corruptiores ipsa felicitas. Quotus enim quisque sapientissimus est, quem secunda non mutent? Cui non crescat cum prosperitate vitiositas?* Et iterùm lib. 1. ad Eccles. Catholic. non sine dolore, & admiratione ad eandem sic loquitur. *Nescio quomodo Ecclesia, pugnante contra semetipsam tua felicitate, quantum tibi copia accessit, tantum disciplina recessit, & prosperitas venit quantum cum magno fœnore detrimentorum, &c.* Accedit Ambrosius lib. 1. de In- Ambros. terpel. in Iob cap. 5. *Magna illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum: supinat, extollit, obliuionem Autoris infundit.*

12 Quod quidem ad vnum expressum in misero videris Saüle, cuius historiam commentamur. Is *parvulus olim in oculis suis* ad regium culmi fastigium dignus est habitus; postea verò diuitiis, & honoribus auctus, & victoriis insolescens diuinas humanásque leges rescindere, & proterere veritus nequaquam est, de quo 1. Reg. 14. 47. *Et quocum-* 1. Reg. 14. 47 *que se verterat, superabat.* Quam sententiam sic ex Hebræo vertunt Tarq. & Lira. *Et quocunque se ver-* Tarquin. *terat, impie agebat, vel impius fiebat.* Ad mensuram Lira. enim potentiæ, & humanæ felicitatis excrescebat impietas, & benignissimi Numinis obliuio tanquam prosperitatis vino inebriato: cuius quidem formidabile exemplum pluribus aliis posset confirmari illorum, qui in aduersis strenuè se gesserant, & in secundis rebus impegerunt; quos omnes illorum piscium generi conferre libet, qui altissimo mari salsisque, & à maris pelagi fluctibus agitari, securè, ac pacatè degunt; dum verò dulces, & serenas fluminum aquas ambiunt, fluuioſque qui mare intrant, impigrè subeunt, facilè à piscatoribus capti, miserè pereunt.

13 Vtraque igitur fortuna, cùm æquale periculum contineat, æque est moderanda, & corrigenda, itavt prosperis, aduersisque perdomitis ad glorioſam Ionathæ victoriam spiritualis miles emergat. Hanc verò, quam Ionathas, habuit etiam Sponsa cœlestis aduersùm vtramque fortunam pugnandi dexteritatem, quæ hortuli sui amans, vt eius florum fragrantia longè, lateque diffunderetur, ad ventos per Apostrophem conuersa, eos aduocat, & vt perflent, rogat. Ast quos ventos? Audi:

Cant.4 12. *Surge Aquilo,& veni Auster perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Canticor.4.12. Auster quidem floribus benignus est, Aquilo verò quammaximè contrarius, ac perniciosus, vt testatur Theophrastus lib.2. de causis Plantar. cap.4. vtpote aridus, & vehemens; & *valdè nocens, & perniciosus* à Philone dicitur lib. 1. de vita Moys. Vnde exoritur difficultas, quare nimirùm non solùm Austrum, sed Aquilonem quoque hortulo suo inuitat Sponsa? Respondet Delrius noster cum aliis: Aquilonem non allici, immò abigi,& fugari, itavt surgat, & excedat, vt in eius locum lenis Austri aura succedat. Sed non assentior, placet enim potiùs aliorum assertum nempe Ambrosij, Apponij, Orgelitani, Alcuini, Cassiodori, Ruperti, Bedæ, Willerami, Guidacersij, Genebrar. Oforij, & aliorum apud eundem Delrium,& Gislerium, qui non expelli, sed aduocari, & acciri affirmant, itavt ventus vterque vnà hortum perflent. Cuius ratio satis iam proditur; optare videlicet Sponsam frigore simul aduersitatum, & calore prosperitatis Ecclesiæ paradisum efflorescere. Ita Apponius, & Decan.Ambian. Sed expressius Gislerius ad præfatum locum ex ore ipsius sponsæ sic per Paraphrasim exponit. *Siue aduersa, molestáque Aquilonis spiratione, siue prospera spiratione Austri perfletur hortus meus, fluent certè tibi abundanter aromata illius; tua enim & hîc sum ad ventum Aquilonem, & in amœnis hortis tuis ad ventum Austrum.* Iustæ quippe animæ hortus, siue Ecclesiæ paradisus non lenibus solùm fauorum flatibus, sed rigidis etiam aduersitatis,& ignominiæ procellis optimam Christo morum fragrantiam spargant opus est.

Theoph. Philo. Delrius. Ambrof. Appon. Orgelit. Alcuin. Cassiodor. Rupert. Beda. VViller. Guidacer. Genebr. Oforius. Gisler. Appon. Decan. Gisler.

14 Ex his erat Paulus, qui de seipso profitetur. *Scio humiliari,& abundare*: (*vbique & in omnibus institutus sum*) *& satiari,& esurire; & abundare, & penuriam pati.* Philip.4.12. vbi Chrys. hom.15. in cap.4.tom.4. *Non diffundebatur*, inquit, *nec gaudebat super abundantia sua, sed æquo erat animo, sive in penuria, sive in abundantia; nec ex penuria repressus, neque ex abundantia relaxatus.* Cui etiam alludens Bernardus ait: *Magna & rara virtus est inter epulas esurire: inter vestes algere, inter honores humiliari. Scivit Annibal esurire, & penuriam pati: nescivit satiari, & abundare; nam delicia Capuana Annibalem inuictum enervarunt, & Romanis iam imbellem vincendum obiecerunt.* Ex his denique erat Beatus Ioseph vtriusque fortunæ æquissimus moderator, quem cùm Deus fugam in Ægyptum monere vellet, misit in id muneris Angelum, de quo textus: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.* Matth.2. vbi Siriacus Textus verbum addidit plenum emphasi dicens: *Apparuit ipsi Ioseph*, quasi insinuans Iosephum eundem vbique, & sibi constantem fuisse, & cum pacatè degeret, & cùm insidiarum, & persecutionum tempus instaret, vt adnotauit argutus ex recentioribus Interpres.

Philip.4 12. Chrys. Bernard. Matth.2. Didacus Nissenus.

INSTITVTIO XXXIV.

Moralis.

Vera fortitudo ex difficultate roboratur.

Ad illa verba: Ascendit autem

1 *Manibus, ac pedibus* reptans per ardua, & inaccessibilia Ionathas describitur. Cuius quidem egregia fortitudo admirationem nostram, plausumque sollicitat. Vnus iuuene comitatus, tot hostium armatorum myriades impauidus aggreditur, Inuiámque salebris, montibus, & præruptis scopulis, cœlum quoque minantibus, viam, pedibus manibúsque reptans; more pecudum scandit. Non illum obiecta Philisthinorum agmina, non horrentes itineris angustiæ, non mortis, aut vulnerum timor continet, immò scandendi scopuli nomenclaturam amans, *Boses* enim flores sonat, tanquam irriguum hortulum olentibus herbis, floribúsque consitum, squallidam, horridámque viam penetrat. Iure igitur canere ipsi licuit:

Ionathas 6.14 vers.13.

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires.
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.

Et illud.

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Vanum timorem de illius pectore abigebat vera fortitudo (ait in eius laudem noster Mendoza tom.3. annot.16. sect.3.) *quæ nullis casibus cedit, nullis periculis terretur; cade, & sanguine pascitur; bellis & flammis saginatur, & ab ipso discit opus animúmque ferro.* Mend.

2 Hinc est quod non partem aliquam exercitus inualidiorem, minúsve munitam, sed ipsam potiùs Stationem aggreditur, quæ, vt docet Vatablus, *pars erat munitissima*, & fortioribus copiis instructa. *Vox*, inquit, *Hebræa significat congregationem militum fortissimorum, & armatorum, egregiè collocatorum in prima acie, vt excipiant impetus.* Vera igitur animi fortitudo illa illa est, quæ non solùm arduis non cedit, sed ex eorum potiùs difficultate consurgit, periculis alitur: minis accenditur, & feruet. Consentit Bernard. epist.256. qui ex cuiusdam Sapientis sententia sic ait: *Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate.* Britanni quoque apud Tacitum in Agricola. *Plus impetûs, maioremque constantiam apud miseras esse.* Quorum assertum euentus frequenter comprobauit. Vatab. Bernard. Tacitus.

3 Quintus enim Metellus in Cantabriensi expeditione ad Hispaniam cùm excelsiori loco disturbatas quinque viditset cohortes, eodem repetere compulit, ipsósque in certam, vt credebant, cædem corruentes, victores fecit. Rem venustius Velleius Paterculus refert lib. 2. *Quintus Metellus pulsas præcipiti loco quinque cohortes eodem protinùs subire iussit, facientibúsque omnibus in præcinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito, perseuerantia ducis, quem moriturum miserat militem, victorem recepit.* In tantum præsentissimi periculi iuuit angustia. Vnde etiam Curtius lib.5. *Ignauiam necessitas acuit.* Seneca verò lib.2. Natural.Quæst. cap.59. *Nullus perniciosior hostis, quàm quem audacem angustia faciunt, longéque violentius semper ex necessitate, quàm ex virtute corripimur.* De quo plura Lipsius lib.5. Ciuil.doctrinæ cap.6.& Ioann.de Solorzano in accusatione non semel relata Ioannis de Venauides. Omnium verò elegantissimè Titus Imperator apud Egesippum lib.5. de excidio Ierosol. cap.27. vbi milites suos adhortatus, sic dicebat: *Nónne apud eos mihi sermo est, qui humana prudentia nouerint in periculis promptiorem omnium animantium fortitudinem, quàm in remissioribus contentionibus? Fera ipsa cùm se circumuallatas armis viderint, maiori in eos impetu ruunt, vt vi sibi aperiant iter; & atrociora serpens latibulis excussus infundit venena.* Quod propositum latiùs prolequitur, sed de prophanis satis, ad sacra redeamus. Velleius. Patercul. Curtius. Seneca. Lipsius. Solarzan. Titus. Egesipp.

4 Immissi

4 Immissi à Moyse iuxta Dei præscriptum exploratores, vt promissam terram perlustrarent, reuersi tandem, arduam quidem prouinciam assumi, & pene inaccessibile negotium appeti dixerunt populo; munitissimis quippe vrbibus constare, & proceræ staturæ, strenuique roboris incolas prædicarunt; & post multa: *Terra*, inquiunt, *quam lustrauimus, deuorat habitatores suos.* Numer. 13. 33. Quid tunc? Varius ex animorum varietate clamor secutus est, nam timidi pusillique cordis homunculi continuò defecerunt, & de fuga potiùs, quàm de expugnatione cogitabant, ad fœmineas conuersi lachrymas. *Igitur vociferans omnis terra flenit.* ibid. 14. 1. Verè ignobilis turba, quæ periculi præuisione titubauit, ac turpiter cessit. Quid verò magnanimi Iosue, & Caleb? Sciderunt vestimenta sua tanquam arma & vestes ipsas exuentes, vt exermes armatos etiam Gigantes non expauescere monstrarent, inclamántque: *Sicut panem, ita eos possumus deuorare.* Excreuit igitur ipsis animus ex ipsa rerum difficultate. *Solet Dominus*, ait Oleaster, *grauiora suis sapiùs, quàm sint, pericula depingere, vt eorum fiduciam experiatur. Sed tunc oportet eos firmiores fieri.*

Num. 13. 33.

Oleaster.

5 Hoc olim in ipso nascentis orbis exordio præstitit Deus, qui cùm de homine creando, vt cunctis dominaretur animantibus, cogitaret, sic ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, vniuersæque terræ.* Genes. 1. 26. In quibus adnotes oportet, ea quidem, quæ vsu remotiora sunt, & gubernatione, & imperio magis aliena, priori expressisse loco, pisces nimirùm, genus lubricum, & intractabile, auésque alarum beneficio expeditissimas, & fugaces, deinde quæ in medio sunt, & ad manum regi, & tractari queunt, bestias. Cuius ratio ad præsens institutum illa assignari potest, videlicet magis arduum, & difficilius opus primo loco expressum fuisse, vt eius difficultate animi virtus Protoplasto insurgeret, quo dissolutam piscium, & alitum libertatem perdomaret. Nescio an huic proposito alluserit Gregorius Nissenus ad hæc ipsa verba Geneseos sic fatus: *Primum nobis datum est imperium in ea, quæ habitatione à nobis seiuncta sunt: non exit: præsit animantibus, quæ simul cum ipso sunt educata, sed piscibus, quæ vitam in aquis degunt.*

Gen. 1. 26.

Nissen.

6 Hanc quidem veræ fortitudinis proprietatem docuerunt nos etiam Angeli, qui Sodomam missi, vt Loth & filios eius cœlesti incendio eriperent, cùm Viri oscitantiam viderent, viuidúmque mittendorum desuper ignium instare periculum, minimè quidem cessarunt, sed ipso instantis mali præsagio incitati: *Apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius.* Gen. 19. 16. quæ verba ad rem nostram ita vertit Oleaster ex Hebræo. *Roborati sunt, fortificauerunt se.* Ecce ex vrgentissimo periculo non inertiam, & deliquium, sed robur, animósque collegerunt. *Roborati* nempe *sunt, fortificauerunt se.*

Gen. 19. 16.

Oleaster.

7 Verumenimverò disciplinam hanc in vno Abrahamo sufficienter commendatam inspectare licet; quem cùm Deus è paterna domo cognatis, patriáque extrahere decreuisset, his eum verbis voluntatis suæ præscriptum indixit: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi.* Gen. 12. 1. Ardua quidem homini imponitur exulandi prouincia: tantum autem abest, vt verborum lenocinio leuetur tentationis pondus, vt singulorum potiùs, quæ grauiora viderentur, sigillatim exprimatur memoria: domus videlicet relinquendæ; deserendæ patriæ; cognationis amandandæ. *Quis hoc*, ait Augustinus serm. 68. de temp. *sine fidei viribus libenter audiret? Leuius pronocaretur, si vel nomen loci, quò perrexisset, audiret.* Cæterùm lubricetur hoc, nec certa mansio promittitur; cuius rationem apte ad rem præsentem innuit Chrysostom. lib. 2. de Prouid. tom. 5. *Cùm simpliciter & indefinitè audisset in terram, non istam, vel illam, sed quam monstrauero tibi, omnia mente circumibat, ac perlustrabat, ingentésque tumultus animo accipiebat, cùm nunquam sistere cogitationem posset, sed suspicari plurima, curísque angi cogeretur; credi enim potest ad orbis terræ fines, Oceanúmque ipsum se profecturum expectasse.* Tentationis enim pondere phœnicis instar animus ad ardua quæque fortiùs insurrexit. *Tentatur vt fortis*, ait Ambros. lib. de Abraham, *incitatur vt fidelis: pronocatur vt iustus*: & difficultatum obiectione vehementiùs accensus est: tantum abfuit, vt animum desponderet.

Augustin.

Chrys.

Ambros.

8 Quod idem ipsi etiam iterùm contigisse videris, dum filium vnigenitum paterna etiam dextera iubetur immolare, his enim atrocissimis, vt dixerim, verbis benignissimi erga filium patris viscera torquebantur. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis; atque ibi offeres eum in holocaustum.* Gen. 22. 2. Singula si inspexeris, exulcerant verba, cuncta sanguinem trahunt: *Tolle*, inquit. Hoc est ne hoc alieno seruorum ministerio commiseris, nec filium à te repente opprimi volo, quod leuius quid esset (*melius est enim semel scindi, quàm semper premi*, vt ait Seneca,) sed lento consilio, & matura consideratione occidere. *Filium tuum*: nec dulci filij appellationi pepercit, cui pepercit aliquando Christus in Cruce pendens, dum Mariam non matrem, ne pungeret, sed mulierem appellauit. *Vnigenitum*: nam vnum è pluribus offerre, vel ex duobus parùm reputaretur. *Quem diligis*: qui scilicet ingenuis moribus, & mitissimo ingenio amorem tuum sibi deuinxit. *Isaac*, qui *patris risus*, & *exultatio* interpretatur. Nec locus Sacrificij is est, quem colis, vbi vel cognatorum, vel amicorum obstare possit industria, sed excelsus alius, & solitarius, vbi tuto possit peragi. Denique oblationis genus nullum, nisi holocaustum placet, quo tota conflagret victima, ne vel saltem exanimis corporis triste solatium reliquum videatur. O veræ multiplex occisionis genus! O plura in vno funere funera! *Vide tentationis pondus*, ait Origen. hom. 8. in Gen. tom. 1. *charis, & dulcibus appellationibus iterùm ac sæpe repetitis paterni suscitantur affectus, vt amoris exigilante memoria ad immolandum filium paterna dextera retardaretur; & aduersùs fidem animi tota carnis militia repugnaret.* Quid verò magnanimus Abraham? Cessitne tentationis ponderi? Despondit animum? Nullatenùs quidem; quinimò ipsa excitatus verborum asperitate, ac imperij arduitate, tanto impetu suppositum filium obtruncare satagit, vt Angelus de cœlo eius ingeminato nomine clamauerit: *Abraham, Abraham, non extendas manum tuam super puerum.* Ibid. vers. 12. *Tanquam veritus*, Ambrosius, *ne præueniretur studio deuotionis, & vna vox impetum ferientis retardare non posset.* Rem totam complectitur Oleaster his verbis ad præfatum locum. *Nos docet, quod quanto difficiliora bella aduersus nos suscitari viderimus; tantò maiori simus animo.*

Origen.

Ambros.

Oleaster.

9 Ad Dauidem tamen eiusdem Abrahæ filium

transiea

Psal.118.46. transeamus. Is enim Psalm. 118. 46. *Loquebar*, inquit, *in testimoniis in conspectu Regum, & non confundebar.* Addit etiam Ioann. Damascen. oration. 1. de Imaginib. *Quinetiam ob id magis sum incitatus.* Iniquorum enim Regum contradictio non obstitit, immò in diuinas laudes stimulauit. Quod factis quoque comprobauit, dum ad singulare certamen aduersùs Goliath procedens, venientem hostem, & minas inflatis buccis oblatrantem, non solùm expectauit impauidus, sed præoccupauit impiger, vt occurreret properanti. *Cùm ergo surrexisset Philisthæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid; festinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philisthæi.* 1. Reg. 17. 48. Surgit Philisthæus, & lento gradu appropinquat, Dauid verò vestigia ingeminat, & præcurrit. Vera ergo Ionathæ probatur virtus, qui ipsa rerum arduitate incitatus, præruptos scandit scopulos, rupes, nemora, arbustaque rimatur, vt hostem impigrè aggressus opprimat, & deuincat.

Damascen.

1. Reg. 17. 48.

10 Vera item Mariæ Deiparæ animi fortitudo, quæ vt cognatam Elizabeth inuiseret, & Christi Præcursorem sanctificaret, *abiit in montana cum festinatione.* Luc. 1. 39. *Cum festinatione*, inquam, ipsa viarum asperitate excitata. *Ideò cum festinatione*, ait Ambrosius apud Hieronym. Florentiam sermon. 1. de visit. *Quia in montana.* De qua ad litteram licet expendere Sapientis commendationem. *Manum suam misit ad fortia.* Prouerb. 31. *Ideſt ad arduissima, & perfectissima virtutum exercitia.* Verba sunt Dionysij Richel ibi art. 33. Quorum exempla non respuas ô Christiane miles, ne æternæ vitæ viarum angustias extimescas, nec gradum subtrahas, immò Christianæ disciplinæ austeritate incitatus, ad ardua quæque impauidus inuola: veræ hæc virtutis indicia sunt. Audi denique Guarricum Venerabilem Abbatem sermon. 1. de sanct. Ioann. sic te benignissimè adhortantem. *Ne sis pusillanimis, sed intellige qua mente id faciat Deus; nempe vt contrarietate ipsa tibi acuat animum, sicut solet esse natura magnanimorum, ac fortium; vt vires exerceat, constantiam probet, multiplicet victorias.* Quod etiam in Oratore commendat Plinius Iunior epist. 24. in lib. 9. *Debet*, inquit, *Orator, erigi, attolli, interdum etiam efferuescere, efferri: ac sæpe accedere ad præceps; nam plerumque altis, & excelsis adiacent abrupta. Tutius per plana; sed humilius & depressius itur. Frequentior currentibus, quàm reptantibus lapsus; sed his non labentibus nulla laus: illis nonnulla laus, etiamsi labantur.*

Luc.1 39.

Ambros. Hieron. Florent.

Prouerb.31. Carthus.

Guarric. Abbas.

Plin.Iun.

perniciem armatus mutuis se se vulneribus confodere, & alternis cædibus euertere satagit; alij præterea necem fugientes, immanius mortis genus in præcipitia se dantes, moliuntur, vt affirmat Iosephus. Hæc forte præuiderat Psalmista hæc etiam illis imprecatus fuerat, dum cecinit: *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Psalm. 36. 15. Aptissimam Dei hostibus vltionem postulans, & prædicens. *Vt quemadmodum reuertitur pax in Dei seruulos* (verba sunt Ambrosij) *ab iis, qui non receperint benedicentium pacem; ita etiam malitia peccatorum, qua iusto nocere conantur, in eorum perniciem reuertatur; quò suis telis, & vulneribus crucientur.*

Ioseph.

Psal.36.15.

Ambros.

2 Nec semel euentum hunc prædixit Regius Vates; eadem enim repetit Psalm. 77. 57. dicens: *Conuersi sunt in arcum praauum.* Ast quis est arcus praauus? Audi Hieronymum. *Qui dum sagittas putatur iacere, sauciat tenentem.* Quod quidem Philisthæi ad litteram non sine magno gemitu senserunt, praua furoris sui arcu in capitis sui malum abutentes. Iterùm Dauid: *Sagitta parunlorum facta sunt plagæ eorum.* Psalm. 63. 9. Quod sic Theodoretus exponit. *Quemadmodum iacula à pueris emissa nihil damni efficiunt his, qui petuntur: sic istorum linguæ nihil offendunt eos, qui configuntur.* Quinimmò: *Infirmata sunt contra eos linguæ eorum.* Paraphrastes verò: *Et offendunt seipsos lingua sua.* Quod confirmat eleganter Ennodius Ticinensis oration. habita in 4. Synodo, quæ est in tom. 2. Concilior. Edit. Venetæ. *Scuto*, inquit, *munita fidei spiculorum imbrem patientia religiosa non timet, & ad autorem redeunt tela, quæ sine bellandi arte diriguntur.* Et inferiùs longè post medium: *In perniciem propriam accenditur, qui sic sanit in gratia sua germina, vt plantas abscindat.* Hæc ille. Hebraicè verò habetur: *Sagitta repentina sagitta eorum.* Quod sic exponit noster Ioannes Pineda tom. 1. in Iob cap. 5. vers. 15. *Qui videlicet nec vellè considerant scopum, nec collectis viribus aut manu quieta, & fixa eiaculantur, sed festinanter præcipitantur temerè, vt pueri, omninò sagittandi imperiti, eiaculari solent, ita nunquam collimant, & infirmata sunt contra eos lingua eorum.* Hieronymus: *Et corruent in semetipsos linguis suis, quia suis ipsi consiliis contra se pugnant.*

Psal.77.57.

Psalm.63.9.

Ennod.

Ioan.Pin.

Hieron.

3 Rectè hic Augustin. in Psalm. 34. 8. Conc. 1. tom. 8. Malitiam igni comparat, vel potiùs ignis materiei: quæ sine sui detrimento ignire non potest. *Nemo malus, qui non sibi prius noceat. Sic esse putate malitiam quomodo ignem. Incendere vis aliquid aliud, illud quod admouet prius ardet, nisi ardeat, non incendit. Malitia autem procedit ex te, & quem prius vastat, nisi te?* Accedat Hieronymus Epistol. 27. ad Eustoch. *Qui fratrem*, inquit, *rodit Autorem, dum emulum ladere nititur, in semetipso proprio furore bacchatur.* Philisthinorum igitur malitia, & subita animorum discordia maiorem sibi stragem, quàm inimicorum possent arma, peperêre.

Aug.

Hieron.

4 Longè aliter virorum fortissimorum, qui Salomonis lectulum, excubias agentes, ambiebant, vnitas, & indiuidua concordia tum Regis securitati, tum propriæ incolumitati seruiebat. *En lectulum Salomonis*, aiebat Sponsa, *sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios.* Cantic. 3. 7. Gladios quidem sub

Cant 3.7.

plura

INSTITVTIO XXXV.

Moralis.

Impiorum malitia, & discordia in sui ipsorum perniciem bacchatur.

Ad illa verba: & ecce versus fuerat gladius, &c. *cap. 14. vers. 20.*

1 PHilisthinorum exercitus, qui Israëlitas opprimere, & funditùs delere decreuerat, nouo inito consilio, vel omnis potiùs consilij expers, furore quodam stygio percitus, in sui ipsius

pluralitate posuit: Hebræus verò in singulari numero scripterat iuxta Pagninum. *Omnes ipsi tenens gladium doctus bellatores.* Docti nimirùm, & fortissimi bellatores vnico, & cuique eorum communi gladio vtebantur; neque enim inuicem vsquam discrepant, nec in alternam iniuriam gladios stringunt. Palæstini verò, qui proprio quisque instruebatur gladio, exortâ subitò discordiâ in seipsos mutuò stringebant: *Ecce versus fuerat gladius vnius contra unumquemque ad proximum suum.*

5 Similem prorsùs fortunam experti sunt, quam Samaria quondam, quæ mutuis discordiis agitata, & Regem amisit, & regnum dissoluit, de qua Osee. 10. 7. *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ.* Regni, & Regum eius præteritionem spumæ, seu crepantibus bullis, quæ aquarum, & fluctuum agitatione formantur; haud sine mysterio contulit. Quod inuenit Rupertus ad prædictum locum, sic fatus. *Emeruit Samaria, vt Rex eius transiret, & regnum eius solueretur, sicut spuma super faciem aquæ. Sicut enim olla feruente superiora aqua in spumam bullasque erumpunt, ipsaque bulla subsurgentes colliduntur, & alijs emergentibus, alia crepant, & dissiliunt; ita Samaria, vel decem Tribus impij feruentes igne discordiæ, Reges alios super alios creauerunt, & vsque ad decem vices percussis Regibus alij Reges supersederunt.* Nec secus Philistinorum nequitia mutuis exardens odijs, alios eorum in alios concitauit, & vincendi laborem, incertámque belli aleam ademêre. Concinit hæc eorum discordia tum Iudæorum, tum Gentilium, tum denique Hæreticorum sortu, qui cùm in oppugnanda Ecclesia in vnum conueniant, dissident tamen in tantum oppositi sententijs, & doctrinis, vt ad eos arguendos, & extumbandos, nullo alio magis Catholici indigeant, quàm eorum armis, quæ illi inuicem in propria capita stringentes, suo telo, & mucrone iugulantur, quod in præsenti iure optimo annotauit Beda. *Iudæi*, inquit, *Gentiles, & Hæretici, cùm vt hostes Ecclesiæ cuncti alterutrum se singuli verbo ladio feriunt. Ipsi Iudæi per Pharisæos, & Saducæos inuicem pugnant. Item Hæretici & Pagani inter se variorum dogmatum, sacrorúmque dissonantia horum inimici sibimet, quam Ecclesiæ bella inferunt.* Quod ad singulis probare difficile non esset.

Osee. 10. 7.

Rupert.

Beda.

6 Inprimis enim decem Iudæorum seditiones in totidem pallij Aaron Prophetæ scissuris adumbratas, 3. *Reg.* 11. ingeniosè obseruauit Rupertus idem in Cement. Osee ad caput 10. quis prolixum est enumerare. Iis igitur factionibus, seu rebellionibus ita regnum labefactarunt, vt funditùs euerterint. Pacificè olim degebant ipsi sub mucris Iudicis optimi præfectura, sed nescio quo malo genio, ac furore acti Regem postulant. Cessit Samuel, sed vt errorem suum in proprium ruiturum caput agnoscèrent, horrentes his procellam, tonitrua, & fulgura parans, loquitur: *Inuocabo Dominum, & dabit voces & pluuias, & scietis, & videbitis, quia grande malum fecistis vobis.* 1. Reg. 12. 17. Vltima hæc verba expende: *Feceritis vobis.* Quasi diceret: Deo malum intulistis, nec iniuriam, aut iniciem mihi, sed vobis potiùs inflixistis mali. Sic noster Emanuel Saa aduersùs solita pr[illegible]ione. *Quasi dicat: In vestram perniciem.* Quæ quidem non sine gemitu, experientia magistrâ, in posterum perstruerunt.

3. Reg. 11. 31.

Rupert.

Saa.

7 Manifestiùs verò Iudæorum pœna, quam ipsi sibi fabricarunt, in Christi Domini damnatione, & nece comparuit; qui seditiosum Barrabbam ipsi seditiosi postulantes, autorem vitæ neci adiudicarunt. *Non hunc*, inquiunt, *sed Barrabbam.* Ioann. 18. 40. Quæ vt audit Augustinus, ait: *Occæcitas Iudæorum! O furia phreneticorum!* Ioan. 18. 40. August. *Noli dimittere hunc, sed Barrabbam. Quid fuit hoc aliud, quàm dicere: Occidatur, qui suscitat mortuos: & viuat latro, vt occidat viuos?* Nec minùs differte Egesippus. lib. 5. de Excid. Ierosol. Egesipp. cap. 2. *Agnoscite*, inquit, *ô Iudæa tibi hodie Barrabbam viuere: IESVM mortuum. Idcò in te regnat seditio; pax sepulta est.* Quorum quidem vicem occidendus ipse, potiùs condolens, aiebat olim per Prophetam: *Circumdederunt me, sicut apes.* Psalm. 117. 12. Vbi vulgato illi alluditur, Psal. 117. 12. quod de apum natura circumfertur, suo scilicet ictu, seu morsu interimi, nam infixum aculeum viscera ipsa sequuntur. Vnde Cassiodorus: *Sicut apes pungendo se euisserant, ita Iudæi Christum occidendo perierunt.* Vnde sua eos imprecatio consecuta est: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Cassiodor.

8 Nec secùs etiam accidit Gentilibus, qui oppositas inuicem Religiones, & dogmata secuti, ita suam quisque infirmauam reddidere, vt nullo expugnatore vltrò ipsi corruerint: Catholica verò pietas, & indiuisa vnitas fixa, & immobilis perseueret. Quocirca Regius Vates: *Infixa sunt gentes in interitu, quem fecerunt: in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* Psalm. 9. 16. Psal. 9. 16. Nimirùm dum in se inuicem diuisi indiuisam Ecclesiam persequuntur; ipsi sibi manus inferunt, & suo mucrone iugulantur. Chrysost. ibid. *Improbo homine nihil imbecillius, propriis armis capitur, quemadmodum ferrum à rubigine, & lana à tinea, sta etiam improbus à vitio.* Et deinde de eisdem locutus: *Quando bellum gerebant cum Apostolis, illos quidem nihil ledebant, malis autem innumerabilibus se ipsos implicabant.* Chrysost.

9 Pharaonis Magici non dissimili furore in seipsos, & Regem quoque suum potentiam suam, & magicæ artis peritiam ostentantes, plagas quidem à Moyse incussas minimè auertebant; immò earum augebant numerum; non minùs in se crudeles, quàm seuerus fuerat in eosdem Moyses. *Exod.* 4. vt notauit Theodoret. quæst. 12. in Deuter. Theodor. scribens: *Iussit Deus, vt plagas à Deo missas augerent ipsi; qui tamen dissoluere supplicia non poterant.* Flagellabat eos Moyses per Angelos malos iuxta illud Psalm. 77. 49. *Immissiones per Angelos malos*: Pharao verò per Magos suos malos etiam Angelos multiplicabat, & flagella. *Vt Angeli mali*, ait Augustin. ibi, *ex vtraque parte consisterent, hinc illos affligentes: inde fallentes.* Psal. 77. 49. August.

10 His non absimiles Hæretici (quod tertium erat ex propositis) adeò inter se contraria dogmata, & innumeras sententias excogitarunt, vt ipsarum varietas, & contradictio earundem, optima sit redargutio, & expugnatio fortissima; quod quidem expugnationis genus adumbrauit quondam Samson, cùm vulpibus plurimis collectis, per caudásque colligatis, ardentes faces imposuit: illæ vt igne stimulante hac illac cepêre fugam, Philisthæorum messes incenderunt: si ergo Catholicus Doctor Hæreticorum

scholam,

scholam, & Satanæ synagogam cupiat euertere, dissonantia Hæreticorum dogmata inter se conferat, & ad eorum perditionem ex ipsorum contrarietate argumentum capiat. Sic monentem audiat oportet Origenem hom. 4. in Cantica prope fin. Origen. *Peruersos Doctores Samson, qui veri, & fidelis imaginem tenet Doctoris, capiens verbo veritatis eandam ad eandam colliget; ideſt aduersantes sibi, & diuersa à se inuicem sentientes, docentésque confutet, atque ex ipsorum verbis propositiones, collectionésque accipiens in Allophilorum segetem ignem conclusionis emittat.*

11 Quam verò cruentam in seipsos Hæretici nostris quoque temporibus bella commiserint, quis hominum ignorat? Sit satis quod ex pluribus refert noster Andreas Lucas lib.4. de Vita S. Ignatij cap. 3. in decem Annorum spatio apud Germanos & Gallos, quingenta hominum millia occisa fuisse, quorum plures ex ipsis nouatoribus fuerunt. Denique malitia omnis; cunctáque discordia eos primum, quibus subest, lædit acrius, & ad interitum perducit. Andreas Lucas. Vnde Paulus ad Rom. 2. 5. *Secundum duritiem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram. Tibi*, inquit, non aliis, vt benè aduertit Chrysostomus: *Tu*, non Deus, nec alius à te. *Tu tibi thesaurizas*, ait Chrysostomus, *non Deus tibi; etenim ille omnia præstitit, quæ oportebat, qui si inflexus manet, tu tibi thesaurizas iram.* Rom.2.5. Chryſ. Et Basilius ad cap. 3. Isaiæ 11. *Consilia aduersus iustos inita in caput malignè consultantium retorquentur; quemadmodum tela, quæ semel inciderint in corpus solidum, nec cedens, sed repercussionem, in suos iaculatores resiliunt.* Basil.

12 Sic iamdudum decretum vidimus æquissimo Dei iudicio; dum enim per incognitum illum virum Dei Eli Pontifici comminaretur, vt vidimus suprà c.2.v.30. sic statuerat: *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum: Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1.Reg.2.30 Seu vt Hebræus, & Græcus legunt: *Contemnentur*, seu, *vilescent*, vt legit Galatinus. Consequens verò videbatur, vt qui dixerat: *Glorificabo eum*, è conuersò etiam diceret: Contemnam eum; aliter autem Deus, vt se coronæ largitorem profiteatur: autorem verò pœnæ, & delpectionis ipsum criminis autorem assignet; vt annotauit Hier. in cap.5. Ezech.tom.5.his verbis: *Eos, qui se glorificant, ipse glorificat; qui autem eum despiciunt, non à Deo despicientur, vel deducentur ad nihilum; hoc enim sequebatur, vt diceret; sed absolutè deducentur ad nihilum, non à Deo, sed pro meritis suis, atque peccatis.* Galatinus. Hieron.

13 Sodomitarum vrbes eodem Domino ad nihilum redacturo, & cæleſtem super eas, earumque incolas ignem immissuro, hunc per modum pluuiæ cecidisse describitur. Gen.19. 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cœlo.* Notabit aliquis sermonis improprietatem, cùm tantùm aqua pluuialis, & ignis discrepent, & flammas potius iaculatum scribendum fuisse contendet. Verumtamen congruentissima, & ad rem præsentissima metaphora est; vt enim pluuialis aqua prius per exhalationes terræ versùs cœlum consurgit, & superiori regione tenues ipsi vapores inuicem condensati, in quámque conuersi, grauitate accepta, in terram, vnde ascenderant, descensu redeunt; ita etiam diuinus ignis, qui in supplicium Sodomitarum decidit, ab ipsis priùs consurrexerat, nimirum obscœnus luxuriæ calor in cœlum exhalatus quam procellam, seu turbinem excitauit, quo sui ipsius pœnæ autores effecti, & supplicij sui arbitri forent. Huic existimationi fortè allusit S.Saluianus lib.8.de prouid.dicens: *Nos cœlestis ira ignem accendimus, & excitamus incendia, quibus ardeamus. Ipse sibi parat peccator quisque quod patitur. Nos calamitatum autores sumus, Nos ergo aduersùm nos omnia facimus. Nihil itaque, nihil est in nos crudelius nobis. Nos, inquam, nos etiam Deo nolente, cruciamus.* Hæc ille elegantissime, quibus quid addere nefas est. Genes.19.24. S.Saluia.

Finis Tomi Primi.

1.00G.138

INDEX

Selectarum Rerum, & Verborum.

A

Abel.

CAINO substitutus, Institutione 5.n.2. p.609
Mortuus famæ suæ consuluit, Institutione 27.n.9. p.652
Eius sanguis cur clamabat de terra. Institut.27.n.9. ibid.
Quæ vrbs fuerit? capite 6. versu 18.num.10.& sequentibus p.282
Ablactatio quando fiebat. cap.1.v.24.n.30.& 35. pag.61

Abraham.

Tentatur à Deo vt fortis. Institutione 34.n.7.p.669
Ex difficultate sumebat animos. Institutione 34. num.7. & 8 ibid.
Ceremoniarum obseruantissimus. Institutione 30. num.4. p.660
Cur senex dicitur. Institutione 6.n.7. p.611
Cur ligauit filium ad Sacrificium. Institutione 30. numer.4. p.660

Absalon.

Senis improbi typus. Institut.4.n.2. p.606
Quàm pertinax. Institut.10.n.4. p.623

Abstinentia Vide *ieiunium.*

Abimelech.

Rex prudens. Institut.28.n.9. p.655

Absentia.

Plus amantur quàm præsentia.c.10. vers.27.n.12. pag.426
Prælati damnosa. capite 13. vers. 8. numero 16. pag.500

Abulensis.

Vindicatur.cap.3.v.18.n.11.p.189.& c.5.v.4.n.36. pag.244

Acies.

Sine duce, victima.c.11.v.3.n.12. p.454

Adam.

Quàm pertinax. Institut.9.n.6. p.620
Correctione deterior. ibidem numero 13. & 14. pag.621
Errauit in nomine vxoris. Institutione 29.num.14. pag.658

Ado Propheta.

Cur à leone occisus. Institut.12.n.11. p.628

Adorator.

Vacuus indeuotus est.c.1.v.3.n.25. p.13

Ætas.

Interdum non consideranda.cap.3.v.18.n.7.& 15. p.189.& Institutione 6.tota. p.611

Æternitas.

Quid significet. Institut.3.n.5. & 12. p.595

Æsopus.

Eius facetia. Institut.24.n.5. p.545

Adulatio.

Est quasi nouacula. capite 1. vers.11. numero 57. pag.34

Aer.

Cur nulla eius mentio in Genesi. Institut.2. num.4. pag.592

Affectus.

Eorum cura habenda.cap.2.vers.9.n.9. p.99

Agar.

Quasi Dea ob castitatem. Institut.15. n.2.p.632. & Institut.29.n.11. p.658
Pro filio cur non audita. Institut.28. numero 7. pag.654

Agricultura.

Munus quondam nobile.cap.11.vers.5. numer.14. pag.437

Aggressio.

In bello pars tutior.cap.14.vers.9.n.12. p.532

Aialon.

Quid fuerit.cap.14.vers.31.numero 6.& 7. p.557

Amor.

Vsque ad aras.cap.1.ver.5.num.13. p.17
Filiorum qualis.cap.2.vers.19.n.17. p.119
In subditos clarus.cap.12.vers.23.n.7. p.479
Omnia vincit.c.14.vers.7.n.6. p.530

Ambitio.

Insatiabilis. Institut.31.n.2.& seqq. p.662
Similis cani famelico. ibid.n.3.
Similis Papilioni ibid.n.5.
Similis puero stulto. ibid.n.6. p.663
Congrua eius pœna.cap.5.vers.6. num.12.& seqq. pag.247.
Cæca est. Institut.31.n.6.& 7. p.663
Quàm mala est. cap.10. vers.22. numer.18. & 20. pag.419
Saülis reprehenditur. Institut.31.tota p. 662

Ambitiosus.

Qualis.cap.10.vers.22.n.13. p.419

Anachoreta.

Cuiusdam cum latrone conuersatio. Instit.28.n.11. pag.655

Angeli.

Quare exercitus dicuntur. cap.1.vers.3.numer.29. pag.13
Accincti ad opus.cap.2.ver.4.n.37. p.85
Ab officio nomina sortiuntur. Institutione 29.n.5. pag.657

Angulus.

Anguli exercitus quid.c.14.vers.38.n.5. p.566

Anima.

Sterilis quid.cap.2.vers.5.n.26. p.87
Ei potius prouidendum quàm corpori. c.5. vers.9. n.31.p.254.
Eius mala potiùs deploranda.c.6.vers.19. num.47. pag.287

Index Selectarum Rerum,

Anna mater Samuelis.

Eius gratitudo erga Deum. cap.1. vers.22. num.8. pag.55.

Quid significet.cap.1.vers.2.num.2.& 13.& 14.& 17. pag.9. & 10.

Filiorum eius numerus. cap. 2. vers. 21. num.14. pag.122

Pulchra,sed sterilis.cap.1.vers.2.num.21.p.10.

Beatæ Mariæ Virginis typus. cap.1.vers.2.num.21. & 37. pag.10.11.& cap.2.vers.5.num.32.p.88. & cap.1.vers.18.num.34. pag.48

Vnde sterilis.cap.1.vers.2.num.36.& 37. pag.11

Eius patientia.cap.1.vers.6.num.1.pag.18.& vers.7. num.10.p.20.& vers.14.num.9. pag.40

Eius ieiunium quale.c.1,vers.7.n.23.& seqq. p.21

Ablactatio filij Eucharistiæ typus. cap.1. vers.24. num.62. p.63

Magistra orandi. cap.1.vers.9.n.1. pag.23

Eius pietas. cap.1.vers.9. n.2. p.23.& vers.13. n.9. p.37.& v.24.n.7.p.60.& v.28.n.11. pag.68

Ecclesiæ typus. cap.1.vers.9. n.5. pag.23. & cap.2. vers.1.num.5.& seq. pag.72

Eius obedientia.cap.1.vers.9. n.21.p.24.& vers.12. num.18. pag.36

Eius laus. cap.1. vers.10. num.18.p.26. & vers.11. num. 44. pag.34

Eius lachrymæ veræ. Institut.1.n.2. p.586.

Lachrymis impetrauit filium. Instit.1. n.3. & seq. ibidem

Præfertur Abrahamo,& Dauidi. cap. 1. vers. 11. num.23. pag.33

Christum venturum exoptabat. c.1.v.11.n.24. p.33

Fuit Prophetissa.cap.2.v.1.n.2.& seqq. p.72

Cur filium marem petiit.c.1.v.11.n.29.& 30. p.33

Cur summissè orabat.c.1.v.13.n.35. p.38

Eius modestia. c.1.v.15.n.5.& seq.p.41.& vers.26. num.13. p.66

Eius,& Christi mansuetudo.cap.1.vers.15.num.15. & 17. p.42

Eius fides. cap.1.v.18.n.24. p.48

Eius,& Elcanæ constantia. Inst.2.n.1.& 2. p.591

Annæ matri Mariæ similis. c.1,v.24.n.31. p.60

Certauit cum Abraham.cap.1.v.24.n.37. p.62

Eius prudentia.cap.1.v.26.n.14. p.66

Extempore Canticum suum edidit. cap. 2. vers.1. num.25. p.73

Quanta eius gloria. cap.2,vers.1.n.35. p.74

Quanta eius virtus. cap.2.v.11.n.6. p.106

Anna Mariæ Virginis mater.

Qualis. cap.2.v.1.n.11. p.72

Annas.

Qualis cum Caipha. cap.1.v.3.n.47. p.14

Annus.

Ani aurei Arcæ oblati, quid mysticè. cap.6.vers.5. num.3.& 13.p.263.264.

Antiquitas.

Sola sine ratione non valet.Institut.6.num.8.& 10. pag.613

Apparitio.

Apparitiones Dei olim per Angelos. cap.3.vers.4. num.12. p.170

Apostbasia.

Eius pœna.cap.5.vers.9.num.2. p.252

Apostoli.

Cur sine virga missi.Institut.21.n.5. p.640

Fortes facti.cap.2. vers.4.n.19. p.85

Principes Ecclesiæ. c.2.v.8.n.26.& seq. p.96

Eorum dignitas.c.2.v.8.num.32. p.97

Sunt cœli. cap.2.v.10.n.15. p.103

Concordiâ domuerunt orbem.Inst.21.n.5. p.640

Aqua.

Eius effusio quid mysticè.cap.7.v.6.n.22. p.301

Benedictæ aquæ virtus. cap.7.v.6.n.18. ibid.

Arca Fœderis.

Ad prælia ducebatur.c.4.v.3.n.11. p.201

Victorias suis dabat.cap.4.v.3.n.17. ibid.

Quibus fauebat.cap.4.v.4.n.5. p.203

An licuit extrahi è Tabernaculo. cap. 4. vers. 4. n.10.& 17. p.204

Quis eam inde extraxerit.c.4.v.4.n.12. ibid.

Operta ducebatur.cap.4.v.4.n.13. ibid.

Quamdiu fuerit in Silo.cap.4.v.4.n.15. ibid.

An duplex,vel vnica fuerit. Instit.7.n.2. p.614

Suis interdum exitiosa.cap.4.v.10.n.17. p.218

Eius captio quid significet.cap.4.v.11.n.14.p.214. & v.17.n.7.& 8. p.222

Impiis Arca non proficiebat.c.4.v.11.n.37. p.216

Cur translata.c.5.v.1.n.12. p.236

Iuxta Dagon quid.c.5.v.2.n.3. p.237

Eius triumphus contra Dagon.c.5.v.4.n.35. p.244

Eius,& Christi differentia.c.5.v.9.n.4. p.252

Tributum exegit à Philisthinis.c.5.v.10.n.3. p.254

Quò translata.c.5.v.10.n.7.& 8. p.254

Quot homines occiderit.c.5.v.12.n.5. p.257

Sub dio mansit. c.6.v.1.n.4. p.259

An ligata iret in plaustro.c.6.v.11.n.8. p.272

Sita fuit in Ara Abraham. c.6.v.14.n.12. p.277

Non in Galgala.c.11.v.15.n.14. p.450

Vnde allata ad castra Saülis c.14.v.18.n.13. p.542.

An fuerit apud Saülem victorem. c.14. v.36. n.14. pag.564

Aquila.

Cur a Deo reprobata. Institut.24.n.7. p.646

Arma.

Aliena ab Ecclesiasticis.c.4.v.3.n.3. p.201

Contra tentationes,quæ.c.13.v.6.n.8.& 11. p.497

Armiger.

Armigeri Ionathæ laus.c.14.v.7.n.3.& 4.& 6.p.530

Armus.

Quid mysticè. c.9.v.23.n.1. p.379

Saüli datus quid significet.c.9.v.23.n.1. ibid.

Arcus.

Quid mysticè c.2.v.4.n15.& seq. p.83

Ardua.

Virtutis non solum obeunda, sed præoccupanda sunt. Institut.17.tota. p.634

Consulenda priùs sunt. c.14.v.36.n.12. p.564

Aruspicium.

Eius vanitas,& impietas.Institut.24.tota. p.645

Ascalon.

Quæ vrbs fuerit.c.6.v.17.n.11. & 12. p.281

Ascendere.

Quid sit in Scriptura.c.1.v.21.n.4.p.53.& c.6.ver.9. num.9. p.270

Proprium est sanctorum cap.1.v.3,n.5. p.12

Assuerus Rex.

Temerè iudicauit de Aman. Instit.32.n.3. p.664

Auditor.

Malus quasi instructor mensæ est. c.13.v.13.n.14. pag.505

Audire.

Deus attentissimè audiendus est. c.3.v.10.num.13. pag.178

Augustinus.

Eo die natus,quo Pelagius.Instit.5.n.5. p.610

Eius pertinacia ante conuersionem. Institut.9.n.2. pag.619

Authoritas.

Non ex annis,sed ex authoritate.Inst.6.n.6. p.613

Auaritia.

Iudicum pessima.c.8.v.3.n.24. p.325

Azotus.

Quæ ciuitas.c.5.v.1.n.19.& 24. p.236
& cap.6.v.17.n.4.& seq. p.280
Ab Azoto dicta est vox Hispanica *Azotes.* cap. 5. v.6.num.31.ad fin. p.248

Azotij.

Cur diluculo surrexerunt ad Arcam videndam.c.5. v.3.n.5. p.239
Eorum morbus quis.c.5.v.6.n.20. & seq. p.247
& v.9.n.19.& 23. p.253
Eorum strages.c.5.v.7.n.1. p.249
An eorum etiam fœminæ percussæ. cap. 5. vers.9. num.13. p.252

B

Badan.

QVis fuerit.c.12.v.11.n.6. p.466

Balthazar Rex.

Cur timuit tres digitos. Institut.8.n.9. p.617
Eius matris laus.Instit.4.n.4. p.606

Blanditiæ.

Dat efficaciam imperio.c.3.v.17.n.7. p.187

Belial.

Quid significet.c.2.v.12.n.11.& seq. p.108

Benedictio.

Quadruplex olim erat.c.2.v.20.n.5. p.120
Eius forma c.2.v.20.n.6. ibid.
Mensæ, quàm in vsu apud antiquos. c.9.v.13.n.6. & seqq. p.365

Beneficia.

Sunt Leuamen amoris.c.1.v.5.n.11. p.17
Fiant sine alterius præiudicio.c.1.v.11.n.26. p.33
Singularitate augentur.c.2.v.28.n.7. p.140
Augenda semper sunt.c.3.v.21.n.10. p.194
Non exprobranda nisi ingratis. c.10.v.18.num.7. pag.414

Bethauen.

Quæ ciuitas.c.13.v.5.n.20.& 23. p.496

Bethel.

Quid mysticè.c.7.v.16.n.11. p.317
& c.10.v.3.n.12.& 22. p.394

Bethsames.

Quæ ciuitas.c.6.v.9.n.8. p.270
& v.12.n.26. p.274

Bethsamite.

Eorum peccatum quod fuerit.c.6.v.13.n.13. p.276
Cur percussi fuerint à Deo. c.6.v.19.n.7.& seqq. pag. 284
Quæ fuerit eorum plaga. c.6.v.19.n.18. p.285
Quot eorum occisi.c.6.v.19.n.36.& seq. p.286
Eorum calliditas. c.6.v.21.n.10. p.289
Quàm politici, & astuti.c.6.v.21.n.14. ibid.

Bethoron.

Quæ ciuitas.c.13.v.18.n.5.& 7. p.514

Blasphemia.

Eius pœna.c.2.v.25.n.5. p.131

Boni.

Eorum consortium prodest. c.5.v.3.n.32. p.241
Bonus inter malos quasi Deus.Instit.15.n.1.& seq. pag. 632
Bonus quid significet.c.9.v.2.n.28. p.350

Bonum.

Præteritum pungit animum.c.2.v.33.n.15. p.152
Bona solum communicanda. c.1.v.27.n.8. p.66.
Bona Ecclesiastica quibus conferenda. cap.8. v.1. num.14. p.322
& cap.14.vers.52.n.8. p.584

Boues.

Quid mysticè.c.11.v.7.n.4. p.439

Brachium.

Quid significet mysticè.c.2.v.31.n.11. p.148

C

Caduca.

MInimè colenda sunt.c.5.v.4.n.14. p.242

Cæcus.

Euangelicus cur honoratus à Christo. Institut.20. num.5. p.639
& cap.2.v.16.n.1. p.114

Caiphas.

Malus Propheta.c.10.v.5.n.23. p.398

Clamor.

Cordis qualis.c.1.v.13.n.10. p.37
Est efficacior sermone.c.1.v.13.n.34. p.38

Cantus.

Ecclesiasticus vindicatur.c.1.v.13.n.5. p.37

Canticum.

Annæ metricum.c.2.v.1.n.29. p.73

Cani.

In senibus sicut aqua effusa in faciem dormientis. Institut.4.n.8. p.607

Cardines.

Quid mysticè.c.2.v.8.n.55. p.98

Castitas.

Deo gratissima.c.2.v.18.n.2. p.116
Regum propria.c.9.v.21.n.15. p.377

Cedrus.

Cur Deo grata.Institut.4.n.6. p.606

Charitas.

Dat vocem.c.1.v.13.n.24. p.38
Dat fortitudinem.c.11.v.7.n.27. p.440
Vnit.c.11.v.11.n.21. p.446

Cariathiarim.

Quæ ciuitas.c.6.v.21.n.6. p.288

Cherubim.

Cur sedes Dei.c.4.v.4.n.28. p.205
Eorum, qui iuxta Arcam erant, materia, forma, & situs.Instit.7.n.1. p.614

Chrysostomus.

Exponitur.c.6.v.9.n.17. p.268

Christus.

Vir vnus.c.1.v.1.n.5. p.7
Speculator. c.1.v.1.n.20. p.7
Qualiter obediens.c.3.v.18.n.11. p.189
Eius ira qualis.c.11.v.6.n.9.& 10. p.438
Eius parentes quales. c.1.v.1.n.44. p.8
Eius obedientia.c.1.v.3.n.31. p.13
Ipse vnus pro toto orbe.c.1.v.8.n.21. p.22
Suo sanguini lachrymas addidit.Inst.1.n.16. p.590
Sanctus Sanctorum est.c.2.v.2.n.6. p.77
Vitæ,& mortis Dominus.c.2.v.6.n.28. p.92
Descendens ad inferos an damnatos liberauerit. Instit.3.n.7.& seq.præcipuè n.31. p.596.& seq.
Pauper exaltatur.c.2.v.8.n.27.& 28. p.96
Rex temporalis.c.2.v.10.n.51. p.104
Verus Sacerdos.c.2.v.32.n.5. p.150
Sacerdos fidelis.c.2.v.35.n.5. p.155
Lapis adiutorij.c.4.v.1.n.22. p.199
Nascens moriebatur.Instit.8.n.12. p.618
Iudæis exitiosus fuit.c.4.v.10.n.17. p.213
Lapis est.c.6.v.14.n.8. p.277
& cap.7.v.12.n.2.4.& 5. p.311
Agnus.c.7.v.9.n.1.& seq. p.306
Solus plena imago Dei,Inst.16.n.7. p.634
Matri persimilis.Instit.16.n.8. ibid.
Ex quo apparuit filius Dei.Inst.15.n.5. p.633
Barabbæ postpositus.c.8.v.5.n.16. p.327
Serio quærendus.c.9.v.12.n.10. p.363
Periculis obuiauit. Instit.17.n.1. p.634
Cur excepit plausum in die Psalmarum.Institut.17. num.2. p.635

In cruce Diabolum eluſit. Inſtit. 17. n. 3. ibid.
Eius modeſtia. Inſt. 19. n. 5. p. 637
& Inſtitut. 26. n. 14. p. 651
Eſt Sol iuſtitiæ. c. 11. v. 9. n. 16. p. 443
Eius victoriâ cum ſanctis. c. 11. v. 11. n. 6. p. 446
Quomodò ſe geſſit in tentatione. Inſtitut. 25. n. 6. pag. 647
Plus ſuos, quàm ſe defendit. ibid. n. 9. & 10.
Eſt magnum nomen Dei. c. 12. v. 22. n. 6. p. 478
Cur mortuo aromata. Inſtit. 27. n. 12. p. 653
In Saüle figuratus. c. 13. v. 3. n. 4. p. 490
Suos interdum conſulebat. Inſtit. 31. n. 9. p. 664
Eius exempla circumſpicienda. c. 14. v. 33 n. 6. p. 560

Chriſtiani.

Sæpè iniquiores. c. 4. v. 7. n. 6. p. 207

Clauſura.

Commendatur. c. 6. v. 7. n. 19. p. 268

Clerici.

Mali quantum noceant. c. 2. v. 19 n. 13. p. 141
& cap. 4. v. 11. num. 44. p. 216
Malorum reprehenſio. c. 2. v. 12. n. 8. p. 108

Cognati.

Ne diſtrahant Religioſos. c. 2 v. 19. n. 14. p. 119
Eorum amor qualis c. 14. v. 39. n. 7. p. 567
Qualiter audiendi. c. 6. v. 12. n. 33. & 35. p. 275

Columba.

Bonus nuntius. Inſtit. 18. n. 2. p. 636

Compaſſio.

Fratribus debetur. c. 11. v. 4. n. 9. p. 435
Peccatoribus debetur. c. 14. v. 13. n 5. & 6. p. 535
Mœrentibus debetur. c. 14. v. 31. n. 7. p. 557

Commendatio.

Sui ipſius quando deceat. c. 12. v. 3. n. 5. & 15. p. 456
& Inſtit. 26. tota. p. 648

Concordia.

Eius præſidium firmiſſimum. Inſt. 27. tota. p. 651
Facit locum terribilem. ibid. n. 3.
Eâ Apoſtoli domuerunt orbem. ibid. n. 4.

Confeſſio.

Legitima quæ. c. 1. v. 15. n. 14. p. 42
& cap. 14. v. 43. n. 5. & 14. p. 572
Fuit eius vſus apud Hebræos. c. 7. v. 6. n. 34. p. 302
Purgat crimina. c. 12. v. 10. n. 6. p. 465

Conſtantia.

Commendatur. Inſtit. 2. tota. p 591
Eſt propria iuſtorum ibid n. 7. & ſeqq. p. 593
Per eam Iuſtus Deum poſſidet. ibid. num. 10. & 11. pag. 594
Hortatio ad eam. ibid. n 12. ibid.
Habeatur ſolùm in bono. c. 5. v. 6. n. 18. p. 247

Conſcientia.

Eius morſus qualis. c. 6. v. 3. n. 4. p. 262
& cap. 13. v. 11. n. 5. p. 503

Conſilium.

Conſilium, non conſiliarius. c. 9. v. 10. n. 6. p. 361
& cap. 11. v. 12. n. 7. p. 447
Conſilia effectibus non metienda. cap. 12. verſ. 1. num. 8. p. 453

Conſanguinei.

Eis ſæpè non attendendum. c. 14. v. 50. n. 9. p. 582

Conſortium.

Bonorum quantum proſit. c. 5. v. 3. n. 32. p. 241

Conſolatio.

Pro filio mortuo. c. 1. v. 28. n. 8. p. 67
Hominis inanis eſt. c. 1. v. 10. n. 8. p. 25

Conſultatio.

Quàm ſit laudabilis. c. 14. v. 36. n. 12. p. 564

Contemplatio.

Bonum animæ refugium. c. 2. v. 20. n. 15. p. 121
Vincit. c. 14. v. 47. n. 13. p. 578

Actionem præcedat. c. 7. v. 11. n. 1. p. 310
& verſ. 17. n. 3. p. 318
& cap. 13. v. 10. n. 8. p. 517
Eſt oculus dexter animæ. c. 11. v. 2. n. 4. p. 432
Eius præſidium. c. 11. v. 3. n. 4. p. 434

Contumelia.

Earum reſponſio qualis. c. 1. v. 15. n. 2. & ſeq. p. 41

Contubernium.

Malorum nolenti non obeſt. c. 3. v. 1. n. 13. p. 163

Converſio.

Ad Deum præcedat. c. 1. v. 2. n. 23. p. 11
Non differenda. c. 2. v. 9. n. 47. p. 101

Conuiuia.

Bellum animæ. Inſt. 33. n. 4. p. 665

Cor.

Totum Deo. c. 12. v. 20. n. 13. p. 477

Cornu.

Quid myſticè. c. 2. v. 1. n. 30. & ſeqq. p. 73

Correctio.

Qualis eſſe debeat. c. 2. v. 25. n. 56. p. 135
& cap. 6. v. 6. n. 5. p. 266
& cap. 8. v. 5. num. 23. p. 327
& cap. 13. v. 15. n. 1. & 2. p. 510
Segnis inanis eſt. c. 3. v. 13. n. 9. & 12. & 22. p. 183
Quàm neceſſaria. c. 13. v. 19. n. 7. p. 515
& verſ. 21. num. 2. p. 518
Non prætermittenda. c. 3. v. 14. n. 7. p. 184
Phariſæos perdidit. Inſtit. 9. n. 15. p. 622
Fiat ab innocenti. c. 12. v. 7. n. 3. & 4. p. 462

Crapula.

Luxuriæ comes. c. 2. v. 14. n. 8. p. 111

Crux.

Eius ſymbolum. c. 14. v. 2. n. 1. p. 525
Eius lactura. c. 4. v. 11. n. 15. p. 214
& cap. 5. v. 2. num. 7. p. 237
Eius victoria. c. 5. v. 4. n. 24. p. 243
& cap. 6. v. 12. num. 42. p. 275

Culpa.

Moralis ſola reprehenſibilis. c. 1. v. 15. n. 4. p. 41
Veniales etiam vitandæ. Inſtit. 30 tota. p. 659
Priùs diſcutiendæ, quàm reprehendendæ. c. 14. v. 18. num. 2. p. 566
& verſ. 43. numero 1. p. 572

Cupiditas.

Quantùm vitanda. c. 12. v. 3. n. 30. p. 457

Currus.

Bellici quales. c. 8. v. 8. n. 11. p. 336
Quot apud Philiſthæos. c. 13. v. 5. n. 10. p. 494

Cygnus.

Quare à Deo olim prohibitus. Inſtit. 4. n. 3. p. 606

D

Dagon.

QVid myſticè. cap. 5. v. 2. n. 21. & ſequentibus. pag. 238
Lapſus quid ſignificet. c. 5. v. 3. n. 1. & ſeqq. p. 239
Cur cæſus ab Arca. c. 5. v. 4. n. 23. p. 243
Eius dorſum quid myſticè. c. 5. v. 5. n. 4. p. 245

Damaſcenus.

Quid de Traiano, & de damnatis ſenſerit. Inſtit. 3. n. 7. & ſeqq. p. 596

Damnati.

An poſſint ex inferno regredi. Inſt. 3. tota. p. 594
Nunquam abſoluentur. Inſt. 3. n. 16. & ſeq. p. 598
Eorum pœna tenebræ. c. 2. v. 9. n. 20. p. 100
Vox eorum miſerabilis: *ecce morior.* cap. 14. v. 43. num. 20. p. 573

Daniel.

Inter leones quaſi Deus. Inſtit. 15. n. 4. p. 632

David.

Propria voce clamabat ad Deum. Inst. 28. n. 9. p. 655
Cur illi profuit aliena oratio, & non Saüli. Inst. 28. numero 5. p. 654
Ex difficultate capiebat animos. Inst. 34. n. 9. p. 669
Goliæ obuius iuit. Instit. 17. n. 1. p. 634
Se ignorabat præ humilitate. Inst. 19. n. 4. p. 637
Quomodò vicit Absalonem. Inst. 21. n. 2. p. 640
Zelotypus amoris Dei. Inst. 25. n. 11. p. 648
Modestus in suis laudibus. Instit. 26. n. 10. ibid.
Quantum famæ suæ consuluit. Inst. 27. n. 10. p. 653
Fuisse iuxta cor Dei quid. cap. 13. v. 14. n. 17. & seq. pag. 509

Demissio.

Quæ figura. c. 1. v. 24. n. 63. p. 130

Desperatio.

Facit interdum animos. c. 4. v. 10. n. 4. p. 211

Derrallor.

Derideri iustum. c. 10. v. 11. n. 6. p. 406
& vers. 12. num. 5. p. 408
Pro more habet rebus addere. c. 11. v. 12. n. 7. p. 446

Deuotio.

Dæmonem vexat. c. 7. v. 10. n. 27. p. 310

Deus.

Dat munus & sufficientiam. c. 10. v. 9. n. 13. p. 404
Cur Rhinocerotis similis. Instit. 21. n. 6. p. 641
Hominem soli sibi debitorem vult. cap. 10. v. 19. num. 4. p. 415
Absconditos honorat. c. 10. v. 22. n. 12. p. 418
Constans est in promissis. Inst. 25. n. 7. p. 644
Quomodo se gessit cum Dauid. ibid.
Eius solius iniuriæ vindicandæ. Instit. 25. num. 3. & sequentibus. p. 646
Eius nomen Misericordia. c. 12. v. 22. n. 5. p. 478
Famæ suæ consulit. Instit. 27. n. 2. & seq. p. 651
Expectandus est. c. 13. v. 10. n. 3. p. 502
Ante omnia placandus. c. 13. v. 12. n. 3. p. 504
Victoriarum author. c. 13. v. 19. n. 2 & 15. p. 515
Boni, non mali author. Inst. 35. n. 12. p. 672
Ei optimum temporis tribuendum. c. 1. v. 28. n. 29. pag. 69
De pulucre suscitat. c. 2. v. 8. n. 1. p. 95
Eius oculi benefici. c. 2. v. 21. n. 20. p. 122
& cap. 1. v. 11. n. 20. p. 33
Paulatim procedit. c. 6. v. 2. n. 10. p. 261
Optimum eligit. c. 10. v. 24. n. 4. p. 421
Eius iudicia inscrutabilia. c. 4. v. 11. n. 1. p. 213
Eius iræ magnitudo. c. 4. v. 11. n. 23. & 26. p. 215
Quomodò olim respondebat. c. 14. v. 37. n. 2. p. 565
Absque principio est. c. 1. v. 1. n. 13. p. 7
Bonus custos. c. 1. v. 3. n. 18. p. 12
Author filiorum. c. 1. v. 5. n. 21. & 25. p. 17
& vers. 10. num. 11. p. 26
Ei omne pulchrum debetur. c. 1. v. 11. n. 41. p. 34
Semper idem. Inst. 2. n. 3. p. 591
Conditionatè promittit. c. 1. v. 23. n. 7. p. 57
Excedit vota petentium. c. 1. v. 27. n. 5. p. 66
Qualiter retribuit. c. 2. v. 1. n. 26. p. 73
Eius vnitas. c. 2. v. 2. n. 22. p. 77
Solus sanctus. c. 2. v. 2. n. 31. p. 78
Petra refugij. c. 2. v. 2. n. 48. & 49. p. 79
Eum ab homine neiciri quid. c. 2. v. 12. n. 14. & 15. pag. 109
Eius iustitia quàm acris. c. 2. v. 13. n. 17. p. 111
& vers. 14. num. 11. p. 112
Suorum potiùs iniurias vindicat. cap. 2. v. 17. n. 16. pag. 116
Substituit alterum loco alterius. c. 2. v. 18. n. 4. p. 117
& Institutione 5. tota. p. 609
Diruit, & erigit. ibid. n. 3. & 4. p. 609
Velle occidere quid. c. 2. v. 25. n. 60. p. 135
Ei soli placendum. c. 2. v. 28. n. 14. p. 141
Mutat sæpè consilia. c. 2. v. 30. n. 6. p. 144
Eius benignitas. c. 14. v. 37. n. 5. p. 565
Eius promissiones quales. c. 2. v. 30. n. 14. p. 144
Quomodò honoratur. c. 2. v. 30. n. 30. p. 145
Ad beneficia pronus, non ad pœnas. c. 2. v. 30. n. 39. pag. 146.
Non est acceptor personarum. cap. 2. vers. 30. numero 33. 34. 55. p. 146. & 147
Peccatores expectat. c. 2. v. 31. n. 18. p. 148
Incorporeus est. c. 2. v. 35. n. 15. p. 156
Humilibus colloquitur. c. 3. v. 4. n. 7. p. 169
Eius apparitiones per Angelos fiebant. cap. 3. v. 4. num. 12. p. 170
Attentè audiendus. c. 3. v. 10. n. 23. & 26. p. 178
Qua voce Samuelli locutus. c. 3. v. 11. n. 3. p. 180
Eius patientia quanta. c. 3. v. 12. n. 5. p. 181
Eius minè obdormiscunt. c. 3. v. 12. n. 7. ibid.
Eius longanimitas. c. 3. v. 12. n. 10. p. 182
Propriè non iurat. c. 5. v. 14. n. 6. p. 184
Beneficia cumulat. c. 3. v. 21. n. 10. p. 194
Modus eum placandi. c. 4. v. 4. n. 15. p. 204
In eo punit, in quo delinquitur. c. 5. v. 4. n. 29. p. 243
& v. 6. n. 14. & 15. p. 247
Per malos punit. c. 5. v. 6. n. 4. p. 246
Pœnitentiam expectat. c. 5. v. 6. n. 43. p. 249
Eius manus quàm grauis. c. 5. v. 7. n. 10. p. 249
Ei soli honor, & gloria. c. 9. v. 8. n. 12. p. 359
& Institut. 11. tota. p. 624
Eluit Ægyptios. c. 6. v. 6. n. 8. p. 266
Flagellat, & ridet. Inst. 12. n. 4. p. 626
Silet in hac vita. Inst. 12. n. 12. p. 628
Etiam puniens laudabilis. c. 6. v. 20. n. 8. p. 288
Cur malè perita concedat. c. 8. v. 7. n. 8. p. 330
Dona illi offerenda. c. 9. v. 9. n. 11. p. 359
Plus dat, quàm promittit. c. 9. v. 16. n. 13. p. 370
& cap. 10. v. 6. n. 27. p. 400
Bona pro malis rependit. c. 9. v. 16. n. 17. p. 370
Ad mala nuntianda tardus: ad bona citus. Instit. 18. n. 3. & 4. p. 636
Preces præuenit. c. 10. v. 6. n. 27. p. 400

Delicia.

Viperæ, & Scorpij. c. 13. v. 18. n. 16. p. 514

Diabolus.

In quos irruit. c. 4. v. 1. n. 26. p. 199
Quam obstinatus. Instit. 9. n. 4. p. 616
Peccauit in Deum. c. 2. v. 25. n. 22. p. 132
Quos impugnet. c. 7. v. 7. n. 5. & 6. p. 304
& cap. 13. vers. 5. num. 3. p. 494
Iustos obsidet. c. 10. v. 1. n. 45. p. 390
Eius studium. c. 13. v. 19. n. 6. p. 515
Eius astutia contra Ionatham. c. 14. v. 27. n. 4. p. 552
& vers. 39. numero 1. p. 567

Dies.

Mysticè quid. c. 11. v. 9. n. 4. p. 442
Dies illa quid. c. 3. v. 12. n. 4. p. 181

Dilatio.

Non in bono faciendo. c. 1. v. 3. n. 49. p. 14
& cap. 2. v. 9. n. 47. p. 101
& cap. 11. v. 3. n. 6. p. 434
& cap. 14. v. 34. n. 12. p. 562

Discere.

A quouis discendum. c. 2. v. 8. n. 28. p. 96

Discipulus.

Magistris obtemperet. c. 2. v. 11. n. 17. p. 107

Discordia.

Eius mala quanta. c. 11. v. 11. n. 23. p. 446
& Institutione 11. n. 1. & seq. p. 640
Infidelium inter se. c. 14. v. 20. n. 11. p. 544
& Institut. 35. num. 5. & seq. p. 671

Index Selectarum Rerum,

Reges Samariæ perdidit. Inst. 35. n. 5. p. 671

Dissimulatio.

Quàm vtilis. c. 10. v. 27. n. 16. p. 427
Saulis quàm prudens. c. 10. v. 27. n. 16. & seq. ibid.
Regibus conueniens. c. 10. v. 27. n. 20. ibid.
Magna est prudentia. ibid.
Quando ea vti oportet. c. 10. v. 27. n. 16. ibid.

Diuina.

Qui ea tractent. c. 6. v. 19. n. 3. p. 284
Sola sapiant. Instit. 31. n. 4. p. 662

Doctrina.

Conformis sit. c. 6. v. 12. n. 29. p. 274
Fiat cum exemplo. c. 14. v. 1. n. 5. p. 524
& vers. 11. num. 1. p. 533
& vers. 13. num. 22. p. 537

Doctor.

Vtrique vitæ incumbat. c. 1. v. 4. n. 15. p. 15
Doceat exemplo. c. 14. v. 1. n. 5. p. 524
& vers. 11. num. 1. p. 533
& vers. 13. num. 22. p. 537
Qualiter compatiatur. c. 9. v. 25. n. 3. p. 382
Qualis esse debeat. c. 2. v. 26. n. 10. p. 137
& cap. 13. v. 19. n. 12. p. 516

Dolus.

Nullibi licet. Instit. 23. tota. p. 643
An in bello liceat. c. 11. v. 10. n. 6. p. 444
& Institutione 23. tota. p. 643

Donatistæ.

Eorum error. c. 14. v. 34. n. 5. p. 561

Dormire.

Quid mysticè. c. 9. v. 25. n. 11. p. 382

Duritia.

Peccatorum quanta. c. 6. v. 16. n. 4. p. 279

Dux.

Totam rem in bello facit. c. 13. v. 3. n. 18. p. 491

E

Ebrietas.

Spiritualis, quæ. c. 1. v. 13. n. 35. p. 39

Ecclesia.

An oret pro damnatis. Instit. 3. n. 4. & seq. p. 595
Domus fidelis. c. 2. v. 35. n. 24. p. 156

Ecclesiastici.

Interdum iniquiores laicis. c. 1. v. 2. n. 7. p. 10
Ne hæreant carnalibus. c. 2. v. 28. n. 24. p. 141
Eorum integritas. c. 12. v. 3. n. 7. p. 456

Edere.

Hebræi sedentes edebant olim. c. 9. v. 22. n. 13. p. 378
Edere cum sanguine, Vide *Sanguis.*

Elcana.

Christi figura. c. 1. v. 1. n. 7. & 37. p. 7
& vers. 3. num. 6. p. 9
& vers. 4. num. 1. & seq. p. 15
& cap. 2. vers. 11. num. 2. p. 106
Eius laus. c. 1. v. 1. n. 2. 8. & 10. p. 7
& vers. 5. num. 13. p. 17
Eius habitatio vbi. c. 1. v. 1. n. 33. p. 8
Eius pietas. c. 1. v. 3. n. 7. p. 12
Eius virtus. c. 1. v. 3. n. 40. p. 14
Eius iustitia. c. 1. v. 5. n. 13. p. 17
Quid significet. c. 1. v. 1. n. 40. p. 8
Leuita fuit. c. 1. v. 1. n. 41. & 54. p. 8. & 9
Quare Ephrathæus dicitur. c. 1. v. 1. n. 58. p. 9
Non libidinosus. c. 1. v. 2. n. 15. p. 10
Quoties templum subiret. c. 1. v. 3. n. 20. p. 13
Vnde obtulerit hostias. c. 1. v. 3. n. 22. p. 13

Electio.

Fiat ex optimis. c. 10. v. 9 n. 13. p. 404
Prælatoru qualis esse debeat. c. 10. v. 17. n. 1. p. 412
Ad beneficia Ecclesiastica qualis. c. 10. v. 24. n. 4. pag. 422

Vide *Bona Ecclesiastica.*

Sancti Mathiæ per sortes qualis. Inst. 22. n. 6. p. 642

Elihu.

Quis fuerit. c. 1. v. 1. n. 48. p. 9

Eleemosyna.

Eius præmium. c. 1. v. 28. n. 8. p. 67
Eius fructus. c. 2. v. 20. n. 7. & 13. p. 120
& vers. 21. num. 5. & 6. p. 121

Elisæus.

Cur petiit spiritum duplicem. Inst. 33. n. 5. p. 665

Enos.

Cur Dei nomine appellatus. Inst. 15. n. 3. p. 632

Ensis.

Quid mysticè. c. 13. v. 22. n. 2. p. 519

Episcopus.

Eius nomen quid significet. Inst. 30. n. ... p. 659
Mali reprehensio. c. 2. v. 13. n. 13. & 18. p. 110

Vide *Prælatus*, & *Visitatio.*

Ephod.

Quid & quale. c. 2. v. 18. n. 5. & seq. p. 117
& vers. 28. num. 16. & seq. p. 141

Ephraim.

Quid? c. 1. v. 1. n. 32. & 34. p. 8

Ephrateus.

Quid. c. 1. v. 1. n. 51. & seq. p. 9

Ephron.

Cur vocetur Ephran. Inst. 29. n. 13. p. 658

Eunuchi.

Qui & quales. c. 8. v. 15. n. 6. & seq. p. 339

Eua.

Errauit in impositione nominum. Institut. 29. n. 14. p. 658

Eucharistia.

Dispositio ad illam sumendam qualis. c. 2. v. 5. n. 18 pag. 87
Qualiter tractanda. c. 2. v. 17. n. 4. p. 115
& vers. 25. num. 21. & 43. p. 132
& cap. 5. v. 11. num. 8. p. 256
& cap. 6. vers. 20. num. 2. p. 287
Adumbrata olim. c. 2. v. 36. n. 17. p. 159
Portabatur ab itinerantibus olim. cap. 4. v. 3. n. 17. pag. 202
Eam Dæmones timent. c. 4. v. 7. n. 7. p. 207
Quare vicit orbem. Inst. 21. n. 7. p. 641
Viaticum animæ. c. 1. v. 19. n. 9. p. 50

Euentus.

Mali, consiliorum probitatis indices. c. 12. v. 1. n. 8. p. 453

Excommunicatio.

Quantum timenda. c. 14. v. 26. n. 9. p. 552

Excusatio.

Peccatorum mala. c. 6. v. 4. n. 6. p. 263

Exemplum.

Plus valet, quàm doctrina. c. 7. v. 13 n. 17. p. 314
Comes sit doctrinæ. c. 14. v. 11. n. 1. p. 533
& v. 13. num. 22. p. 537. & v. 1. n. 5. p. 524

F

Faber.

Ferrarius quid mystice. c. 13. v. 19. n. 5. p. 515

Falsi.

Cur obtinuit nomen Dei. Inst. 29. n. 12. p. 658

Fama.

Quantum ei consulendum. c. 1. v. 16. n. 1. p. 44
& Instit. 27. tota. p. 651
Omnium rerum pretiosissima, ibid. n. 7. p. 652
Eam contemnere impudentis est, ibid. n. 8. p. 652
Iudith ei consuluit ibid. n. 9. p. 652

Fausta.

Facilè creduntur. c. 9. v. 21. n. 20. p. 377

Ferdinandus.

Ferdinandi Gonzalez comitis Castellæ pietas, & religio. Instit. 24. num. 6. p. 645

Ficus.

Ficus.
Cur Deo grata. Institut. 4.n.6. p.606
Fiducia.
Sui ipsius imprudens. Institut. 32.tota. p.663
Iudæorum stulta. c.4.v.4.n.21. p.205
Qualis bona. c.4 v.3.n.18. p.202
& v.11. n.15. p.214
Fides.
Seruat suos. c.4.v.1.n.5. p.200
Sine operibus inanis. c.6.v.3.n.2. p.261
Seruanda hostibus. Institut.23.tota. p.643
Eius violatio grauiter punita, ibid.n.8. p.644
Filij.
Eorum autor solus Deus. c.1.v.5.n.21.& 25. p.17
& v.10.n.11. p.26
Pars parentum. c.1.v.11.n.37. p.33
Fortitudo matrum. c.2.v.4.n.45. p.85
Eorum amor qualis. c.2.v.19.n.17. p.119
Eos Deo dicare quàm vtile. c.2.v.21.n.13. p.122
Filiorum Heli crimina. c.2.v.22 n.6.& seq. p.123
Eorundem nomina illorum factis conformia. Institut.29.n.9. p.657
Acriter corrigendi. c.2.v.24.n.7. p.127
Mali interdum ex bonis parentibus. c.8. v.3. n.8. & 16.& 20. p.323
Paternos mores vt plurimùm sectantur. Institut.16. tota. p.633
Parentum sunt specula. ibid.n.2.
Finis.
Habet verum honorem. c.14.v.24.n.24. p.550
Fletus.
Solatium miserorum. c.1.v.7.n.22. p.10
Vide *Lachryma.* *Fœdus.*
Ferire fœdus, quid. c.11.v.2.n.1. p.432
Famina.
A vino abstineat. c.1.v.9 n.18. p.24
& v.15.n.32. p.43
Marito deferat. c.2.v.11.n.7. p.106
Earum loquacitas. c.9.v.12.n.4. p.363
& v.13.n.16. p.366
Earum ingenium. c.9.v.12.n.21. p.364
Ad fletum faciles. c.11.v.8.n.13. p.22
& Instit.1.n.1. p.586
Focaria.
Quæ, & quales. c.8.v.13 n.7.& 8. p.338
Fortitudo.
Vera non terretur. c.14.v.1.n.9. p.525
Ex difficultate roboratur Institut.34.tota.
Fortuna.
Vtraque fortuna moderanda. Institut.33.tota.
Fragilitas.
Humana quanta sit. c.14.v.37.n.9. p.565
Fratres.
Ioſephi, temerè iudicarunt erga Beniamin. Institut.32.n.5. *Frans.*
Nullibi licet. Institut.23.tota. p.645
Fuscinula.
Fuscinula quid. c.2.v.13.n.18. p.111

G

Gabaa.
GAbaa quid? c.7.v.1.n.23.& seqq. p.292
Gabaonita.
Fides eis non meritis seruata. Instit.23.n.6. p.644
Galaad.
Quid. c.11.v.1.n.118. p.431
Galgala.
Quid. c.7.v.16.n.11. p.317
Gaudium.
Post mœrorem dulcius. c.1.v.2.n.11. p.10
In Domino quale. c.2.v.1.n.1.& seq. p.72
Gaza.
Quæ c.6.v.17.n.8.& seq. p.281
Gentiles.
Eorũ libri qualiter legendi. c.14.v.27.n.2.& 7. p.552
Bene in fide instruendi. c.14.v.32.num.8. p.558.& v.33.n.7. p.560
Geth.
Quæ c.6.v.12.n.13.& seq. p.281
Gloria.
Vni Deo. c.4.v.21.n.1. p.251
& c.9.v.9.n.12. p.359
& c.14.v.12.n.9. p.534
& Institut.11.tota. p.624
Eius studium quàm commune. Institut.11.n.1. ibid.
Ducis, est in victoriis. Institut.11.n.4. ibid.
Diuinæ Ioannes Euangelista cupidissimus. Institut.11.n.8. p.625
Eiusdem Ignatius studiosissimus. ibid.
Vanæ pernicies. c.1.v.11.n.50. p.34
Vide *Vana gloria.* *Gratia.*
Inebriat animam. c.1 v.14.n.1. p.39
Dat vires animæ. c.10.v.6.n.19. p.399
Quam necessaria, & efficax. c.10.v.26.n.8. p.425
Gratiæ.
Earum actio non differenda. c.6.v.15.n.11. p.279
Gratitudo.
Pro beneficiis habenda. c.2.v.2.n.12. p.77
& c.10.v.13.n.9. p 409
Gregorius Magnus.
A nota vindicatur. c.4.v.16.n.9. p 221
Gula.
Tres eius species. c.2.v.15.n.19. p.113
Quinque eius species. c.2.v.15.n.20. ibid.
Eius strages. c.4.v.11.n.31. p.215
Eius typus Naas c.11.v.1.n.3. p.430
Quomodo cum ea agendum. c.11.v.1.n.19. & 22. p.341
Quomodo vincenda. c.11.v.2.n.19.& 22. p.431
& v.11.n.14. p.445

H

Habitus.
HAbitus hostis interdum affectandus. cap.14. v.13.n.4. p.535
Hæretici.
Eorum pœna. ca v.12.n.1. p.108
Eorum ruina. c.6.v.19.n.2. p.284
Eorum bellum quale. c.11.v.1.n.5. p.430
In seipsos crudeles. Instit.35.n.11. p.672
Eorum conuersio qualis. c.14.v.21.n.13. p.545.
Hebræi.
Inania eorum commenta. c.2.v.22.n.24. p.124
& c.4.v.9.n.6. p.110
& v.12.n.4.& 5. p.217
& c.12.v.15.n.8. p.460
Eorum clades amissâ arcâ. c.4.v.10.n.20. p.212
Pedires olim pugnabant. c.4.v.10.n.21.& seq. ibid.
Eorum magisterium quale c.4.v.16.n.6. p.221
Eorum pœna. c.8.v.7.n.16. p.331
Benedicebant mensam, & agebant gratias post. c.9. v.13.n.6.7.& 8. p.365
Sedentes edebant olim, c.9.v.22.n.13. p.378
Vnde dicti. Institut.29.n.1. p.656
Helan.
Quid significet. c.1.v.22.n.27. p.57
Heli.
Cur inter Iudices non numeretur. cap.4.v.18.n.66. pag 227
Quandiu iudicauit. c.4.v.18.n.67. p.227
Eius chronologia. c.4.v.18.n.69. p.227
Eius peccatum, & pœna. c.4.v.18.n.30.& seq. p.225

Index Selectarum Rerum,

Eius patientia.c.3.v.18.n.15.16.& 25. p.190
Eius responsio ad Samuelem qualis.c.3.v.18.n.27. pag.190
Excusatur à tulpa graui.c.3.v.18. n.26. p.190.
Quando cæcus c.4.v.15.n 6. p.220
Eius laus .c.4.v.18.n.1.& seq. p.223
Saluus fuit,c.4.v.18.n.9.& seq. p.224
Quando cecidit è sella.c.4.v.18.n.15. p.224
Non ambitiosus homo.c.4.v.18.n.33. p.225
Cur vltimus cæsus.c.4.v.18.n.62. p.227
Qua die obiit.c.4.v.18.n.63. p.227
Eius nomen quid significet.c.1.v.3 n.41.& 42.p.14
Vnde ortus c.1.v.9.n.28. p.24
An summus sacerdos.c.1.v.9.n.29. ibid.
An legitimus Pontifex.c.1.v.9.n.32. p.25
Prophetauit Annæ.c.1.v.17.n.18.& seq. p.46
Eius pœna.c.2.v.22.n.8.& seq. p.123
Eius remissio, & inertia.c.2. v.23.& 24.per totos. pag.125.
Eius prudentia.c.2.v.24.n.8. p.127
An damnatus fuerit.c.2.v.24.n.46.p.129.& cap.3. v.18.n.22.& 23.p.190.& c.4.v.18. n.44. & seq. pag.226
Præterebat Deo filios suos.c.2.v.29.n.17. p.142
Eius culpa.c.2.v.29.n.18. p.142
Non tyrannus.c.2.v.30.n.9. p.144
Samuelem honorabat.c.3.v.16.n.2. p.187
Eius humilitas,& probitas. c.3. v.17. n.1. & 2.& 6. pag.187
Eius socordia.c 3.v.18 n.14. p.189
Eius filij apta nomina habuerunt.Inst.29.n.9.p.657
Eius filij quales.c.1.v.14.n.7. p.40
Eius filij quos significent.c.2.v.12.n.4. p.108
Eius filij quam mali. c.2.v.12.num.5.p.108.& v.14. & 15.per totos. p.111
Quàm degeneres.c.2.v.12.n.15. p.109
Eorum crimina.c.2. v.22.n.6. & 21.& seq. p.123
Quàm sacrilegi.c.2.v.29.n.8. p.142
Eorum pœna. c.2.v.36.n.10. p.158.& cap 4.v.11. n.28.& seq. p.215
An salui fuerint.c.4.v.11.n.43.& 47. p.216

Heliæ.

An idem cum Phinees c.2.v.27.n.18. p.139
Cur cum Christo in transfiguratione. Inst.20.n.2. & c.12.v.4.n.4.circa med. p.459
Eius oratio qualis.c.12.v.18.n.3. p.473

Herodes.

Quare percussus ab Angelo.Inst.11.n.3 p.624

Hispaniæ.

Eius excidij maxima causa, violata hostibus fides. Inst.23.n.8. p.644

Homo.

Quàm fragilis.c.14.v.37.n 9. p.565
Cur puerilibus primum præfideat, iubetur. Instit.33. num.5. p.665
Errat imponens nomina.Inst.29.n.13. g.000
Eius infirmitas.c.2.v.9.n.29.p.100. & n.42. p.101. & c.9.v.2.n 40. p 350
Malus consolator.c.1.v.10.n.8. p.25
Homo vetus qualis.c.2.v.5.n.17. p.87

Honor.

Totus Deo.c.2.v.2.n.16. p.77 & Instituit.11. tota. pag.624
Fugientes sequitur.c.10.v.23.n.8. p.420
mutat mores.c.8.v.1.n.15. p.322
Non appetendus.c.10.v.23.n.7. p.420
Verus in fine.c.14.v.24.n.14. p.550

Hostis.

Modestè tractandus.c.4.v.1.n.1. p.197
Quomodò vitis c.7.v.12.n.17. p.312
Ei quoque seruanda fides.Inst.23.tota. p.643
Vide *Inimicus.*

Humana.

Non satiant.Inst.31.n.4 p.662
Litteræ humaniores Scripturæ inseruiant. cap.13. v.19.n.3.p.515.& v.20.n.1. p.517
Non semper eis vtendum.c.13.v.20.n.2. p.517
Bonis,& malis abundant.Inst.33.n.2.& 3. p.665
Qualiter edificẽdę.c.14.v.29.n.4.p.556.& v.30.n.2. pag.556

Humilis.

Suas virtutes non videt.Inst.19.tota. p.637

Humilitas.

Exaltat.c.1.v.16.n.10.p.44.& c.9.v.20.n.8. p.375
Eius dignitas.c.2.v.8.n.39. p.97
Deum sibi conciliat.c.3.v.4.n.7. p.169
Sanctorum quanta.c.9.v.7.n.3. p.357
Ianua sapientiæ.c.9.v.18.n.5. p.372
Ianua honoris c.9.v.22.n.7. p.378
Samuelis quanta.c.9.v.19.n.1.& 5. p.373
Quàm secura res.c.9.v.21.n.2. p.376
Per eam ascenditur, & descenditur simul. Inst.19. num.6. p.638
Occultet virtutes.c.14.v.1.n.13.& 15.p.525.& v.3. num.9. p.527

Hypocrisis.

Quantæ iniquitatis.c.5.v.4.n.23. p.243

Hypocrita.

Quales, c.6.v.6.n.8. p.369
Duplici gradiuntur viâ. c.6.v.12.n.28. p.274

I

Iabes.

QVæ vrbs. c.11.v.1.n.17. p.431
Eius ciues quales. c.11.v.1.n.23. ibid.
An ad Saülem nuntios direxerint. cap.11.v.4. n.7. p.435
Eorum fraus.c.11.v.10.n.1.& seq. p.443
Quàm dolosi. c.11.v.10.n.7. p.444

Iabin.

Rex Chanaam.c.12.v.9.n.6. p.464

Iacob.

Cur filio Ruben maledixit moriens. Instit.10. n.2. pag. 622
In vtraque fortuna pius.Inst.33.n.8. p.666
Lachrymis Deum vicit.Inst.1.n.15. p.590

Iacobus.

Bolduc sententia de Arca Testamenti duplici. Instit.7.n.2. p.614
Impugnatur.ibid.n.5. p.615

Iactura.

Spirituales grauiores.c.11.v.4.n.12. p.435

Ichabod.

Quid.c.4.v.21.n.5.& seq. p.231

Idola.

Quàm inania.c.12.v.21.n.5. p.477

Ieiunium.

Eius laus,& vis.cap.14.v.24.n.7.p.548.& v.37.n.5. pag.552
Eius fructus.c.1.v.7.n.23.& seq.p.21.& c.11.v.11. num.2. p.445
Eius fructus Samuel.c.1.v.11.n.1. p.52
Annæ ieiunium quale.c.1.v.7.n.35. p.21
Dat vires.c.7.v.6.n.26. p.302
Eius encomium.c.7.v.6.n.28.& 29.p.302. & v.10. num.9. p.309
Firmum eius præsidium.cap.7.v.10.n.26.p.310.& c.14.v.27.n.5. p.552
Apud Hebræos olim quale.c.7.v.6.n.31.& 33.p.302
Eius efficacia.c.7.v.11.n.7. p.310
Omnia vitia iugulat.c.11.v.11.n.13. p.445
Eius obseruatio quanti est.c.14.v.44.n.2. p.573

Iemini.

Iemini.
Quis fuerit.c.9.v.1.n.12. p.348
Ieremias.
Eius charitas.c.12.v.23.n.10. p.479
IESVS.
IESV nominis virtus.c.6.v.14.n.1. p.277
Ignatius Loiola.
Nutantem Orbẽ reparauit.Inst.5.n.5.& seq.p.610
Laudatur in Concilio Tarraconensi.Inst.5.n.7.ibid.
Eius gloria.c.2.v.30.n.53. p.147
Diuinæ gloriæ studiosissimus.Inst.11.n.8. p.625
Eius humilitas quanta.Inst.26.n.6. p.649
Imperium.
Blandum efficacius.c.3.v.17.n.7. p.187
Boni imperij ordo.c.9.v.27.n.9. p.384
Impij.
In circuitu ambulant.Inst.2.n.5. p.592
Nullibi sunt.Inst.2.n.6. p.593
Sibi ipsis nocent.c.3.v.13.n.8. p.183
Incorrigibilitas.
Summa malorum omnium.c.2.v.22.n.3. p.124
Inconstantia.
Damnatur.Inst.2.tota. p.591
Degenerat à Deo.ibid.n.3.
Eius pœna ibid.n.5. p.592
Incognita.
Plus amantur.c.10.v.22.n.8.p.418.& v.27.num.12 p.426
Infernus.
Quid significet.c.2.v.6.n.40.& seq. p.92
Quàm horribilis.Inst.12.n.9. p.627
Iniuria.
Diuinæ vindicandæ,non nostræ.c.11.v.7.numer.5. p.439.& Inst.25.tota. p.646
Propriæ remittendæ.c.11.v.12.n.3. p.446
Earum venia magna victoria.c.11.v.13.n.1. p.447
Ingratitudo.
Quàm turpis.c.10.v.19.n.1. p.415
Eius pœna.c.1.v.6.n.20. p.19
Inimicus.
Eius testimonium optimum.c.12.v.4.n.4. p.458
Etiam amandus.c.12.v.23.n.3. p.479
Pro eo oratio qualis.c.12.v.23.n.5. ibid.
Eius amor quàm efficax.c.12.v.23.n.14. ibid.
Inquisitores fidei.
Quales.c.14.v.16.n.3. p.540
Intercessor.
Qualis esse debeat.c.7.v.9.n.33. p.308
Intelligentia.
Bona solùm non sufficit.c.11.v.2.n.10. p.432
Inuidia.
Eius tormentum.c.2.v.6.n.41.p.92.& v.32.num.3. & 11.p.150
Non videt bona proximi.c.3.v.2.n.24.& 33.p.167
Inuidi.
Eorum consuetudo.c.10.v.27.n.7. p.426
Ira.
Obsideat animum,non expugnet.c.1.v.10.n.1. p.25
Interdum bona.c.3.v.13.n.12.p.183. & c.11.v.6. num.9.& 10. p.438
Sanctorum terribilis.c.11.v.6.n.1.9.& 10. p.438
Diuinæ iræ magnitudo.c.4.v.11.n.23.& 26.p.215
Ioab.
Cur in Absalonem crudelis.Inst.10.n.4. p.623
Quàm fidelis Dauidi.Inst.11.n.6. p.625
Ioannes Baptista.
In Samuële adumbratus.cap.3.v.8.numer.3.& seq. pag.174
Annunciatus.c.3.v.10.n.22. p.178
Totam gloriam Deo dedit.Institutione 11.num.4. pag.624
Ioannes Euangelista.
Diuinæ gloriæ studiosissimus.Inst.11.n.8. p.625
Ioannes.
Rodriguez de Castro lepidè illusus. Instit.23. n.2. pag.643. *Iob.*
Eius patientia quanta.c.6.v.12.n.32.p.274.& Institut.25.num.5. p.646
Eius fortitudo quanta.Inst.17.n.5. p.635
Ionathas.
Eius virtus.cap.13.v.3.n.5.& 10.p.490.& v.5.n.9. pag.494
Non fuit superstitiosus.c.14.v.9.n.4. p.531
Priùs orauit,quam pugnaret.c.14.v.8.n.3. p.530
Non peccauit aggrediens hostes. cap.14.v.1.n.11. p.525.& v.9.n.4. p.531
Eius prudentia.c.14.v.1.n.17. ibid.
Eius pugna quid mysticè.c.14.v.6. n.3. p.529
Eius modestia ibi.v.12 n.10.& seq. p.535
Eius virtutes ibid.n.13. p.535
Ascendens rupes quid.c.14.v.13.n.1. ibid.
Eius virtus ibid.n.17.p.536.& v.14.n.3. p.537. & Inst.33.n.1.& seq. p.665
Non peccauit gustando mel.c.14.v.27.num.10.& sequentibus p.553
In quo peccauit.c.14.v.27.n.12. ibid.
Quomodo illuminati sunt oculi eius. cap.14.v.27. num.19. p.554
Accusans patrem peccauit.c.14.v.29.n.3. p.556
Post victoriam intumuit.c.14.v.29.n.7. p.556
Ars Diaboli contra eum.c.14.v.39.n.1. p.567
Eius candor.c.14.v.43.n.10. p.572
Diminutè confessus.c.14.v.43.n.11. ibid.
Eius fortitudo.c.14.v.44.n.3. p.573
Eius culpa quæ.c.14.v.45.n.13. p.576
Facti sui doluit.c.14.v.45.n.18. p.576
Ioseph.
Malè suspicatus de fratribus.Inst.32.n.4. p.664
Fratres eius temere iudicarunt. ibid.n.5.
Iosephus Iudæus.
Eius error.c.11.v.7.n.20. p.440
Iuuentus.
Senectuti sæpè prælata.c.3.v.4.n.6.p.169.& Inst.6. tota.p.611.& c.3.v.18.n.1.& 5.& seq. p.189
Iudas Iscariotes.
Quando à Christo manumissus.Inst.5.n.8. p.611
Quàm obstinatus.Inst.9.n.5. p.619
Correctione factus deterior.ibi.n.13.& 14. p.621
Suo nomini non respondit.Inst.29.n.19. p.659
Iudaismus.
Eius interitus.c.2.v.22.n.1. p.123
Iudicium.
Dei quale.c.1.v.10.n.2.p.101.& v.13.n.17.p.111. & v.14.n.11. p.112
Iudicia Dei inscrutabilia.c.4.v.11.n.1. p.213
Proprium deponendum.Inst.32.n.8. p.664
Proprium turpiter errat.Institut.32.tota. p.663
Temerarium facilè committitur.ibid.num.3.& seq.
Iudex.
Profanus sacris ne se ingerat.c.6.v.2.n.9. p.261
Facilis sit ad eum aditus.c.1.v.9.n.35. p.25
Qualis creandus.c.8.v.1.n.7. p.321
Auarus pessimus.c.8.v.3.n.24. p.325
Cupidi pœna.c.8.v.3.n.29. p.325
Ne accipiat munera.c.9.v.19.n.4. p.373
Se ipsum coërceat.c.14.v.27.n.1. p.552
Qualis esse debeat.c.14.v.44.n.14. p.574
Iudæi.
Eorum status.c.10.v.1.n.18. p.388
Iudæi Increduli.c.10.v.2.n.5. p.391
Christum occidentes,occisi sunt Inst.35.n.8.p.671

In tempo

In temporalibus beati.c.1.v.4.n.20. p.15
Non cognouerunt Christum.c.2.v.12.n.19.p.109
Eorum pœna.c.2.v 15.n.37. p.134
Eorum imprecatio.c.3.v.17.n.16. p.188
Stulta eorum fiducia. c.4 v.3. n.18. p.202.& v.4. num.21. p.204
Eorum obstinatio.c.4.v.10.n.14. p.212
Vide *Hebræi*,
& c.9.v.3.n.13. p.353
Iudith.
Famæ suæ consuluit. Institut.27.n.9. p.652
Iugiter.
Quid significet.c.1.v.22.n.25. p.56
Iuramentum.
Malum ne impleatur,c.14.v.45.n.19. p.576
Quanta eius mala,c.14.v.45.n.8. p.575
Alienum à Deo.c.3.v.14.n 6. p.184.& c.12. v.22. num 7. p 478
Nullatenùs faciendum c.14.v.24.n.6. p.548
Iustus.
Vnus est,peccator multiplex c.1.v.1.n.1. & 2 & 4. p.7 & Inst.2.n.2. p.591
Est vt puer c.13.v.1.n.2 & seq. p.484
Quàm excelsus.c.1 v.1.n.30. p.8
Omnia eius bona c.1.v.11.n.53. p 34
Est lapis quadratus.Instit.2.n.8. p.593
Rupi marinæ similis.ibid n.8.
Sedet super flumina ibid.n.9.
Deum per constantiam possidet. ibid.n.10. & 11
In faciem cadit.c.4 v.18.n.24. p.224
Audax & timidus c.9.v.7.n.11.
Api similis.c.10.v.3 n.8. p.394
Fortis est,peccator debilis.c.11.v.6.n.10. p.458
In eo nihil sinistrum.Instit.30.n.7. p.661
Semper ascendit.c.1.v.3.n.5. p.12
Iustus superbus peior peccatore humili.c.1.v.2.n.8. pag.10

L

Lac.
Assimilat nutrici alumnũ.c.1 v.23.n.17.p.58
Lactans mater,dupliciter mater.c.1.v.23.n.17 ibid.
Lachryma.
Quanta earum lætitia.c.1.v.7.n.11.& 22. p.20
Interdum fallaces.c.1.v.8.n.12 p.22.& Inst.1.n.2. p.586
Earum vis.c.1.v.10.n.20.& seq.p.26.& Inst.1.tota, p.586.& c.13.v.16.n.7. p.512
Lachrymæ,& oratio,duo animæ brachia. c.1.v.10. num.19. p.16
Fœminæ sæpè fallaces Inst.1.n.2. p.586
Omnia consequuntur.ibid,n 6.& seq. p.587
Præstãt aliis bonis operibus.Inst.1.n.7.& seq.p.587
Optimum præsidium ibid.n.7. p.587
Deum placant.ibid.n.8. p.587
Orationi,&eleemosynæ præstant.ibid.n.9. p.588
Gehennam extinguunt.ibid.n.10. p.588
Diabolum torquent. ibid.
Voces habent.ibid.n.11. p.589
Vinum Angelorum.ibid.n.12. p.589
Sagittæ veneno medicatæ,ibid.n.13. p.589
Feriunt cor Dei. ibid.
Sunt arcus ad sagittandum.ibid.n.14. p.590
Eis Iacob Deum vicit ibid.n.15. p.590
Eas sanguini suo Christus addidit.ibid.n.16.
Deum vincunt.ibid.n.15.
Passionis Christi vicariæ,ibi.n.16.
Procedunt à corde, ibid.
Sanguis animæ, ibid.
Ex pectore Christi, ibid.
Martyrio comparantur. ibid.
Innocentes pueros decorant. ibid.
Baptismo,& martyrio comparantur. ibid.
Clamant.c.1.v.13.n.7. p.37
Latitia.
Vera qualis.c.2.v.1.n.27. p.75
Peccatorum mala.c.11.v.15.n.18.p. p.450
Laici.
Interdum Ecclesiasticis meliores.c.1.v.2.n.7. p.10
Lancea.
Quid mysticè.c.13.v.22.n.2. p.519
Latro bonus.
Iudæ suffectus.Inst.5.n.vlt. p.611
Cur saluus fuit.Inst.20.n.4. p.639
Laus.
Non auscultanda.c.4.v.20.n.18. p.232
Laudare.
Seipsum quando liceat.c.9.v.19.n.21. p.374. & c.12.v.3.n.5. p.456. & Inst.16.n.2. & 3. & 9.& seq.p.648
Libertes.
Qui & quales.c.2.v.14.n.5. p.111
Lectio.
Profanorum qualiter. Vide *Libri*,& *Humana.*
Lenticula.
Olei Christum significat.c.10.v.1.n.8. p.387
Quid sit.c.10.v.1.n.9.&.10. ibid.
Leuitas.
Damnatur.Inst.2.tota. p.591
Lex.
Regni apud Hebræos quæ. c.10. v.25.n.1. & seqq. pag.422
Erat in Tabernaculo.ibid.n.19. p.423
Non intra Arcam.ibid.n.21. p.424
Libri.
Sacri,qui perierint.c.10.v.25.n.25. p.424
Gentilium qualiter legendi. c.14.v.27. num.2.& 7. p.552.& v.29.n.4.p.556.& v.30.n.2. ibid.
Limen.
Eius religio apud Ethnicos.c.5.v.5.n.12. p.243
Litera.
Humaniores Scripturæ iuuant. c.13. v.19. n.3. p.515.
Locus.
Honorabilior quis.c.9.v.22.n.18. p.379
Non obest malus nolenti.c.10.v.11.n.3. p.406
Honoratior non appetendus.c.10. v.23.n.7. p.420
Loquacitas.
Fœminarum quanta.cap.9.v.12.n.4.p.363.& v.13. n.16.p.366.
Lucerna.
Dei quæ.c.3.v.3.n.1. p.167
Lucifer.
Cur Cherubin dicitur.Inst.29.n.5. p.657
Luxus.
Regum quantus. cap.8.v.9. n.11.& seq. p.334.&c. v.13.num.5. p.338
Luxuria.
Crapulæ comes.c.2.v.14.n.8. p.111
Eius strages.c.4.v.11.n.32. p.215
Qualiter damnanda.c.14.v.48.n.1. p.579
Omnia vastat.c.14.v.48.n.6. p.580
Altas radices habet. ibid.
Lyptote.
Quæ figura.c.12.v.21.n.6. p.477

M

Machinas.
Quæ ciuitas.c.13.v.2.n.14.& seq.p.489.&v.5. n.19.p.495.
Magnanimitas.
Vnde sumitur.c.11.v.6.n.6, p.438
Magdalena.
Locum Iudæ occupauit.Inst.5.n.8. p.611
Cur stabat retro.c.12.v.20.n.9. p.476

Magi

Magi Reges.
Cur non inuenerunt Ioseph in stabulo. Instit.27. num.6. p.652
Magister.
Eius malitia non officit discipulo.c.2. v.11. n.18. pag.107.
Impius non est pater.c.3.v.16.n.7. p.187
Maiora.
Ne Maiorum no mina fones.c.1.v.1.n.46. p.8
Maior eorum culpa. c.1.v.3.n.54.p.14. & c.6.v.19. num.10. p.284
Malum.
Malè creditur.c.2.v.34.n.9. p.154
Mali.
Etiam à Deo audiuntur.c.8.v.22.n.1. p.344
Vbique scatent.c.10.v.27.n.3. p.425
Eorum societas pernicioſa.Instit.15. tota. p.632
Manichæi.
Impugnantur.cap.2.v.6.n.10.p.91.& n.29.p.92.& v.17.n.1. p.115
Manſuetudo.
Animos pellicit.c.1.v.5.n.19. p.17.
Omnia vincit.c.1.v.17.n.12. p.46
Manus.
Manus Dei quàm grauis.c.5.v.7.n.10.p. & Inst.12. num.2. p.626
Maria Deipara.
Mons magnus.c.1.v.1.n.31. p.8
Adumbrata in Anna.c.1.v.2.n.21. p.10
Eius conceptio puriſſima,c.1.v.21.n.7. p.53
& c.2.v.1.n.72.p.75.& v.30.n.51. p.147
Communibus legibus non ſubeſt. c.1. verſ.23.n.7. pag.53
Nomine vniuerſali non comprehenditur c.1.v.21. n.7.ibid.
Cur non aſcendit cum filio in cœlum. cap.1.v.22. num.18. p.56
Eius præſentatio in Templo.c.1.v.24.n.9. p.60
Super omnes ſancta.c.2.v.2.n.5. p.76
Quàm humilis.c.2.v.3.n.21. p.80
Superflua amputat.c.2.v.3.n.23. p.81
Eius tormentũ in morte Chriſti.c.2.v.6.n.49. p.93
Suſcitat de puluere egenum.c.2.v.8.n.15 p.96
Glorificat ſuos.c.2.v.30.n.46. p.146
Eius viruperatores quales.c.2.v.30.n.62. p.147
Semper cum ea Deus.c.3.v.19.n.12. p.191
Eius laus.c.3.v.19.n.17. p.192
In Saüle adumbrata.c.9.v.2.n.57. p.351
& cap.10.v.23.n.11. p.421
Ex difficultate ſumebat animos.Inſt.34.n.10.p.670
Pietas,& deuotio erga eam.c.14.v.27.n.9. p.553
Eſt mel illuminans.c.14.v.27.n.22. p.554
Maſphath.
Quidẽ.c.7.v.5.n.7. & ſeq.p.299.& v.6.n.43. & ſeq. pag.403
Mater.
Filios ſuos lacter.c.1.v.23.n.17. p.58
Lactans dupliciter mater ibid.
Matrimonium.
Spirituale cum virtutibus.c.1.v.2.n.29. p.11
Mathias.
Eius electio per ſortes qualis. Inſtit.22.n.6. p.642
Meditatio.
Præcedat prædicationem.c.3.v.15.n.2. p.185
Medium.
In omnibus tenendum.c.6.v.12.n.38. p.275
Mel.
Quare olim prohibitum.Inſt.27.n.11. p.653
Mendacium.
Solum creditur.c.12.v.16.n.5. p.471
Merita.
Eorum reuiuiſcentia.c.7.v.14.n.6. p.315
Methri.
Quis fuerit.c.10.v.21.n.2.& 3. p.417
Michol.
Eius pœna.Inſtit.16.n.6. p.634
Militaris diſciplina.
Eius vis quanta.c.14.v.26.n.5.& 7. p.551
Miniſtri.
Optimi eligendi.c.10.v.9.n.13. p.404
Eccleſiaſticorum integritas.c.12.v.3.n.7. p.456
Diuini quales.c.14.v.4.n.4. p.527
Iuſtitiæ quales eſſe debeant.c.14.v.27.n.26. p.554
Minora.
Eis hæſitare quàm turpe.Inſt.30.n.2. p.659
Miſeri.
Non viuunt.c.2.v.6.n.30 p.92
Modeſtia.
Oculorum quanta.c.1.v.12.n.23. p.36
Sacerdotum quanta.c.1.v.12.n.23. ibid.
In proſperis habenda.c.2.v.3.n.52.p.82.& c.7.v.17. num.7. p.318
In ſe prædicando.c.12.v.11.n.10. p.466
Ionathæ quanta,c.14.v.12.v.n.10.& ſeq. p.535
Modius.
Quæ menſura.c.1.v.24.n.58.& ſeq. p.63
Moyſes.
Cur moritur.Inſt.10.n.5. p.623
Noluit mala nuntiare.Inſt.18.n.5. p.636
Cur cum Chriſto in transfiguratione.Inſt. 20.n.2. pap.638
Eius ira quanta.c.11.v.6.n.9 & 10. p.438
Mors.
Eius memoria,frænum.c.2.v.14.n.8. p.112
Eius præſium præueniendum.c.13.v.22.n.7.p.520
Pulchra totam vitam honorat.c.4.v.11.n.43.p.217
Mulier.
Quàm leuis ingenij.Inſt.2.n.1. p.591
Munus.
Cuiuſque gratia eſt.c.5.v.11.n.12. p.256.& c.10. v.9.num.13. p.404
Eorũ acceptio periculoſa.c.8.v.2.n.26.& ſeq.p.325
Mundus.
Cœlo,& inferno affinis.Inſt.33.n.2. p.665
Mus.
Philiſthinorum mures quales. c.5.v.6.n.33.& 39 p.248
Quibus infeſti.c.5.v.6.n.41. p.248
Cur oblati à Philiſthæis Arcæ.c.6.v.5.n.18. p.265
Muſica.
Eius efficacia.c.10.v.5.n.25. p.398

N

Naas.
GVlæ typus.c.11.v.1.n.3. p.430
Naas quid,c.11.v.1.n.4.& ſeq. ibid.
Quàm crudelis.ibid.n.1.& 8.
Cur bellum geſſit cum Hebræis.ibid.n.6.
Nabal carmelus.
Non vir vnus,ſed quidam.Inſt.2,n.2. p.591
Negatio.
Duplex non affirmat apud Hebræos. c.2.v.13.n.4 pag.110
Neſcire.
Deum quid.c.2.v.12.n.16.& 17. p.109
Nobilitas.
Ex maioribus ſolùm vana.c.1.v.1.n.46. p.8
Qualis.c.8.v.3.n.6. p.323
Vera,quæ:c.9.v.6.n.7. p.356
Nomen.
Bonum quantùm procurandum. Inſtitutione 27. tota. p.651

Nomine

Nomine proprio appellari reddit attentum cap.3. vers.10.n.18. p.178
Dei nomen misericordia c.12. vers.22. numero 5. pag.478
Nomen iuxta ingeniũ & mores.Instit.29.tota.p.656
Nomina imponere quàm arduum ibid. numer.3.& sequentibus.
Grandia nomina ad quid ponebantur. ibidem num.16. p.659

Nummus.

Quid mysticè.cap.2.vers.36.n.15. p.159

Nuntium.

Faustum nuntiandum:triste reticendum.Institutione18.tota. p.636

Nurus.

Heli Sacerdotis laus.cap.4.vers.22.n.4. p.233

O

Obedientia.

QVod contra eam est, nihil est. cap.13.v.9.n.8. p.501.& cap.14.vers.35.n.13. p.563
Eius præmium.cap.10.v.1.n.17. p.588
Obediens rotæ similis. cap.10. vers.8. numero 1. pag.401
Cœcæ exemplum.c.10.v.24.n.9. p.422
Optima quæ?cap.3.v.18.n.11. p.189.& c.10. v.8. n.15.p.402
Actus prudentiæ.cap.6.v.10in.7. p.271
Facit viros.cap.6.v.11.n.6. p.272
Virtus perfectorum.c.6.v.21.n.11. p.289
Exactè obseruanda.c.13.v.8.n.1. p.500
Malo etiam Prælato debetur. c.3.v.4. n.13.p.170. & v.9.n.20.& 23. p.176
Vera in paruis.c.3.v.9.n.14. p.176
Facit securitatem.cap.3.vers.9.n.29. p.177
Christi qualis. c.1.v.3.n.31.p.13.& c.3.v.18.n.11. pag.189
Samuelis quanta.c.3.v.5.n.5.& seqq.p.171. & v.6. n.7.p.172.& v.9.n.25. p.176
Ieiunium exaltat.cap.1.vers.7.n.35. p.21
Eius natura.c.2.v.30.n.27. p.145
Eius laus.c.14.v.7.n.1. p.530
Per eam Deus homines docet.cap.3. vers.5.num.5. pag.171
Vera quæ.c.3.v.5.n.16.& 17. p.171
Sit prudens.c.3.v.6.n.7. p.172
Eius promptitudo.c.14.v.7.n.7. p.530
Inobedientia species idololatriæ. Institutione 32. num.2. p.663
Qui non obedit,non requiescit.ca.10.v.8.num.16. pag.403
Inobedientiæ mala.c.8.v.19.n.2. p.341

Oblatio.

Annæ typus Eucharistiæ.cap.1.verb.24.numer.62. pag.63

Obstinatio.

Iudæorum quanta.c.4.v.10.n.14. p.212
Peccatorum pertinax.Inst.9.tota, p.619.& c.5.v.9. n.31. pag.254
Duplex ibid.n.2. p.252
Ex iudicio turpior. d.Institutione 9.numer.2.& sequentibus. p.619
Diaboli quanta ibid.n.4.
Iudæ quanta ibid.n.5.
Obstinatis quomodo prædicandum.c.14. v.9.n.14. pag.532
Obstinatos mors non reuocat. Institutione 9. numer.7.& 8. p.620
Gehenna obstinatos non reuocat.ibid.n.9.
Obstinati correctione peiores.ibid. num.12.& sequentibus. p.621
Minimè arguendi ibid.n.15.& 16. p.622
Eorum pœna acrior. Institut.10.tota. p.622

Obseruantia.

Religionum in paruis consistit. Institutione 30. num.6. p.660

Occasio.

Expectanda, & corripienda.c.11.vers.14.numer.4. pag.448.
Mali,tollenda de medio.cap.13.vers.19.numer.10. pag.515
Eius pictura.c.11.v.14.n.4. p.448
Eius pretium quantum. ibid.

Ochozias.

Cur vocatus Azarias.Institut.29.n.8. p.657

Oculi.

Dei benefici.cap.1.vers.12.n.20. p.33. & c.2.v.21. n.20.p.122.
Dei quàm lucidi.c.2.v.3.n.37. p.81
Dexter contemplationem significat. c.11.v.2. n.4. & seqq.p.432.
Dexter oculus quid mysticè.c.11.v.2.n.4. & 10. & 16.& 22. ibid.
Oculi fides Christi.c.31.v.2.n.17. p.433
A fœmina auertendi.cap.1.vers.12.n.23. p.36
Oculi quid mysticè.c.11.v.2.n.2. p.432

Occultare.

Aliena mala oportet.c.8. vers.21. numero 3.& 9. pag.343.
& cap.9.vers.1.num.12.pag.348.& vers.2. num.9. pag.349
Virtutes proprias.cap.14.vers.1. numero 14.& 15. pag.525& vers.3.n.9. p.527

Oleum.

Quonam olim Reges vngebantur,sacrónc, an profano.c.9.v.16.n.6.& 7.p.369. & cap.10. vers.1. n.1.& 12.& seqq.p.386.& seq.

Opinio.

Bona in bello quantum valeat. Institut.27. n.vlt. p.653 Vide *fama.*

Ophni.

Ophni, & Phinees qui. cap.1. vers.3.numero 44. & 45.p. 14. Vide *Heli & Filij.*

Opus.

Bonum coram fiat, vt moueat. cap.1. vers.3. n.4. pag.12.
Dei gnauiter agendum cap.1. vers.11. numero 28. pag.33.
Ad Deum dirigatur.c.1.v.12.n.17. p.36
Bonorum operum necessitas. cap.9.vers.24.num.7. pag.380
Et c.10.v.22.n.6. p.418
Opera valent,non notitiæ.cap.11. vers.2. num.10. pag.432.

Oratio.

Aliena cur Dauidi profuit, non Saüli. Institut.28. num.5. p.654
Donum est Dei.c.12.v.8.n.4. p.463
Samuelis,& Heliæ qualis.c.12.v.18.n.13. p.473.& v.19.n.13. p.475
Bona quæ.c.1.v.10.n.4. p.25
Pro inimicis qualis. cap.12. vers.23. numero 5. pag.479
Filios procreat.c.1.v.10.n.13. p.26
Aliena an prosit.c.11.vers.24.num.1. p.480. & Institut.28.tota. p.654
Oratio & lachrymæ duo animæ brachia. c.1.v.10. num.29. p.26
Breuis,& frequens.c.1.v.12.n.2. p.35

Qualis.c.1.v.12.n.10.p.35.& c.7. v.9. n.34.& 35. pag.308
Coram Deo fiat. capite 1. vers.12. numero 12. pag.36
Prolixa sit.c.1.v.12.n.14. ibid.
Continua sit.c.1.v.13.n.6. p.37
Fiat secreto. cap.1. vers.13. numero 10.14.& 27. pag.37
& c.8.v.21.n.3. p.343
Est cordis effusio. capite 1. vers. 15. numero 36. pag.43
Eius vis.c.8.v.22.n.5. p.344
Oratio & Eucharistia viaticum animæ.cap.1.v.19. num.9. p.50
Eius necessitas. cap. 14. vers. 36. numero 12. pagin.564
Eius fructus. cap.2.vers.20.num.14. p.121
Chananeæ propria oratio profuit. Institut.28.n.6. pag.654
Quæ per eam petenda. cap.4. vers. 10.numero 6. pag.211
Peccatorum qualis. cap. 5. vers. 12. numero 11. pag.257
Eius excellentia. cap.7. vers.10. numero 22. pagin.309
Eius efficacia.c.7.v.21.n.7.p.310. &c.12.v.18.n.4. & 5.pag.473

Origenes.

Quid senserit de æternitate.Institutione 3.num.28. pag.601.
Eius error.cap.3.vers.21.n.16. p.193

Orpas.

Archiepiscopus fidei publicæ violator punitus.Instit.23.n.8. p.644

Osculum.

Samuëlis ad quid Saüli. cap.10.v.1. num.34.& 36. pag.389
Osculorum vsus qualis. cap.10. vers.1.numero 39. pag.390

Oza.

Quia pertinax percussus.Institutione 10.numer.5. pag.623

P

Palma.

CVr Deo grata. Institutione 24. numero 6. pag.645

Palæstini.

Quot currus habuerunt. cap.13.vers.5. numer.10. pag.494
Ægyptiis deteriores. cap.6. vers. 6. numero 11. pag.266
Quàm duri.c.6.v.16.n.4. p.279

Parentes.

Filios corrigant.cap.1.vers.3.num.38. p.14
Eorum auspicia fausta filiis,cap.1.vers.15. num.33. pag.43
Mali quales.c.2.v.20.n.9. p.123
Eorum obligatio. cap. 2. vers. 24. numero 21. pag.128
Viuunt in filiis c.2. vers.32. num.7. p.150
Læduntur in filiis. cap. 8. vers. 7. numero 31. pag.332
Quare pro filiis puniuntur.c.12.v.15.n.5. p.470
Ne filios à religioso statu auertant.c.1.v.28. n.16. pag.68

Parua.

Non contemnenda in spiritualibus. Instit.30.tota. pag.659
Ex paruis ad magna peruenitur ibid.numer 8.& 9. pag.661

Pastor.

Pastoritium munus nobile quondam.c.9.v.3.n 15. pag.353

Patria.

Eius paruitas non nocet. cap.1.vers.2. numer.29. pag.8

Paulus Apostolus.

Pars pulchra,& electa Ecclesiæ. cap.1. vers.5. n.3. pag.16
Bonus doctor.c.2.v.26.n.10. p.137
Samuëli similis. cap.3. v.10.n.25. p.179
Vtriusque fortunæ moderator.Institut.33.num.15. pag.667
Eius modestia in suis laudibus.Institut.26. num.5. pag.649
Eius zelus.c.14.v.13.n.6. p.535
Eius conuersio qualis. cap.10. vers.12. numer.19. pag.409
Eius laus.c.4.v.12.n.2. p.217
Eius prædicatio qualis. cap.4.vers.16. n.1. p.221

Pax.

Pax vera quæ.c.7.v.14.n.19. p.315

Peccatum.

Solum est malum. Institutione 12. numero 8. pag.627
Mortalis pœna æterna. Institutione 3. numer.25. pag.600
Eius memoria qualis. cap.6. vers.8. numer.3.& 5. pag.369
Omnia peccata vitari non possunt. c.14. v.36. n.4. pag.564
Debilitant regna.cap.14.v.47.n.1. p.578
Sodomam euerterunt.Institutione 35.numero 13. pag.672
Bellorum origo.c.4.v.1.n.2. p.197
Lachrymis dignum præ omnibus.c.4.v.22.num.5. pag.233
Peccatum in foribus quid. Institut. 9. numer.10. pag.621
Subiit præcordia. ibid.
Excruciat cor.c.6.v.3.n.11. p.262
Non excusandum. c.6.v.4.n.6. p.263
Eius pondus.c.6.v.6.n.6. p.266
Vnum vocat alia. cap.1.v.14.n.14. p.40

Peccare.

In præsentia Dei quantum sit.c.12.v.17. num.15. pag.472
In Deum quid.c.2.v.25.n.9.& seq. pag.132

Peccator.

Multiplex est:Instus vnus.cap.1.v.1. num.1.& seq. pag.7
Asinus est.c.9.v.3.n.1. p.352
Debilis est.c.11.v.6.n.10. p.438
Humilis melior iusto superbo.cap.1.vers.2.num.8. pag.10
Instabilis, & inconstans. Inst.2.n.2.& sequentibus. pag.591
Ex leuitate similis ceræ, aëri, Euripo, conchiliis, Camelopardali,& festucæ.Institut.2.numer.4.& 5. p.592
In circuitu ambulat.ibid.n.5.
Nullibi est.ibid.n.6. p.593
Non habet cor.c.2.v.1.n.7. p.72
Eius pœna qualis.cap.2.vers.25.n.61. p.135
Sibi ipse nocet.c.3.v.13.n.8.p.183.& Inst.35.tota. pag.670
Quam obstinatus. Inst.9.tota.& c.5.v.9. num.31. p.254.& c.6.v.16.n.4. p.269

Index Selectarum Rerum,

Sedet in peccato. Institut. 9. n. 11. p. 621
Solam pœnam timet. cap. 5. v. 7. n. 8. p. 249. & c. 12. vers. 19. n. 16. p. 475
Se Deo præfert. c. 5. v. 7. n. 11. p. 249
Ex malitia peior est. c. 5. vers. 7. n. 12. p. 250
Quàm insipiens Instit. 10. n. 2. p. 622
Eius oratio qualis. cap. 5. vers. 12. numer. 11. pagin. 257
Ad malum peccatores sunt conformes. c. 6. v. 6. n. 5. pag. 266
Cur impunes in hac vita. Institut. 12. num. 10. & 11. pag. 628
Quanta eorum malitia. cap. 6. vers. 20. numer. 9. pag. 288
In seipsos arma præbent. cap. 7. vers. 10. numer. 30. pag 310
Eorum lætitia mala. cap. 11. vers. 15. numer. 18. pag. 450
Quàm improuidi. cap. 13. vers. 11. numero 2. pag. 503.
Non intelligunt, nisi proprio nomine vocentur. c. 13. v. 13. n. 14. p. 505

Pedes.

Speciosi quales. c. 2. v. 9. n. 3. p. 99

Perfecti.

Acriùs tentantur. cap. 7. vers. 7. numer. 5. & 6. pag. 304

Perseuerantia.

Vincit. cap. 4. v. 1. num. 28. p. 200. & c. 5. v. 9. num. 2. pag. 252
Quàm necessaria est. cap. 13. vers. 13. numero 15. pag. 506

Persona.

Earum qualitati attendendum. cap. 14. vers. 45. n. 1. pag. 575

Pharisæi.

Correctione peiores. Institutione 9. numero 15. pag. 622
Euangelicus ille turpiter se laudauit. Inst. 26. n. 13. pag. 651

Phenenna.

Phenenna vxor proletaria. cap. 1. v. 2. n. 13. & 18. pag. 10
Quid significet. c. 1. v. 2. num. 2. & 13. & 14. & 19. pag. 9. & 10
Qualis eius furor. c. 1. v. 6. n. 19. p. 19. & c. 2. vers. 3. num. 42. p. 82
Significat rubinum. cap. 1. vers. 2. n. 23. p. 10

Philisthæi.

Quam obstinati. Institutione 9. numero 11. pagin. 621

Philosophia.

Vana. c. 2. v. 3. n. 36. p. 81

Phinees.

Quis fuerit c. 1. v. 3. n 44. & 45. p. 14
Non Helias. c. 2. v. 27. n. 18. p. 139
Quid mysticè. c. 1. v. 3. n. 51. p. 14
An sacerdos pro patre. cap. 2. vers. 22. numero 4. pag. 123
Eius vxor quando mortua. cap. 4. v. 20. numero 9. pag. 230

Pericula.

Vbique scatent. c. 4. v. 18. n. 16. p. 224. & cap. 9. v 2. numer. 29. & 30. & 32. p. 350. & c. 14. vers. 4. n. 3. pag. 527

S. Petrus.

Aliquando temerè iudicauit. Institut. 32. numer. 6. pag. 664
Ab Angelo liberatus cur putabat se visum videre. Instit. 28. n. 12. p. 655

Quare in horto vocatus Simon. Institut. 29. num. 7. pag. 657
Luxit non clamauit. Inst. 1. n 11. p. 589
Glorificatus fuit. cap. 2. vers. 30. numero 42. pagin. 146
Sacerdos suscitatus. c. 2. v. 35. n. 14. p. 155

Plaustrum.

Quid. cap. 6. vers. 7. numer. 1. pag. 267. & v. 11. n. 3. pag. 272

Pluuia.

Samuëlis miraculosa. cap. 12. vers. 17. numero 4. pag. 472

Pœna.

Inferni cur æterna. Instit. 9. n. 9. p. 620. & Inst. 3. per tot. p. 595
Æqualis. c. 5. v. 6. n. 25. p 247
In eo, in quo peccatur. cap. 5. vers. 4. numero 29. pag. 243
& vers. 6. n. 13. & 14. p. 247. & cap. 5. v. 9. num. 15. pag. 253
Blasphemiæ, quæ. cap. 2. v. 25. n. 5. p. 131
Ambitiosi. c. 5. v. 6. n. 13. p. 247

Pœnitentia.

Qualis sit. c. 1. v. 15. n. 38. p. 43. & c. 13. vers. 14. n. 4. pag. 508
Eam Deus expectat. cap. 5. v. 6. n. 41. p. 249
Non procrastinanda. cap. 14. vers. 34. numero 12. pag. 562

Politici.

Impugnantur. Inst. 23. n. 3. & seq. p. 643. & Inst. 25. n. 3. & sequentib. p. 646

Populus.

Populus & plebs quid, & in quo differant. c. 4. v. 4. n. 3. p. 203. & c. 6. v. 19. n. 4. p. 284

Pontifices Hebræi.

Eorum successio, & ordo. cap. 4. v. 18. numero 3. pag. 223

Præceptor.

Quilibet aptus. cap. 9. vers. 10. numero 5. & 6. pag. 361
Eius malitia non obest discipulo. cap. 2. v. 11. n. 18. pag. 107

Prædicator.

Qualis. c. 12. v. 18. n. 1. p. 473. & c. 14. v. 17. numer. 2. pag. 540
& c. 1. v. 15. n. 37. p. 45
Quanta eorum necessitas. cap. 13. vers. 19 numer. 9. pag. 515
Sæcularibus ne impediatur. cap. 13. vers. 19. n. 16. pag. 516
Vbi prædicet. c. 14. v. 8. n. 1. p. 530
Similis boui. cap. 14. vers. 14. numero 17. & 18. pag. 538
Ne sit cupidus. cap. 1. vers. 11. n. 47. p. 34
Eius officium. cap. 14. v. 33. n. 4. p. 560
Qualis esse debeat. c. 2. v. 9. n. 8. p. 99
& vers. 25. num. 54. p. 135. & c. 10. v. 1. n. 40. & 43. pag. 390
Deus est. c. 1. v. 20. n. 32. p. 52
Os Ecclesiæ. c. 2. v. 1. n. 57. p. 75
Sit piscator; non venator. cap. 2. vers. 3. numer. 29. pag. 81
Lateat prius. c. 9. v. 12. n. 7. p. 363
Eius gloria. c. 2. v. 8. n. 26. p. 96
Solitudini studeat. cap. 2. vers. 11. numero 3. pagin. 106
Plana loquatur. c. 9. v. 12. n. 16. p. 363
Feruear, vt moueat. c. 2. v. 24. n. 14. p. 127
Malus quis. c. 3. v. 1. n. 25. p. 163
Vanus citò deficit. c. 14. v. 29. n. 7. p. 555

Priùs

& Verborum.

Priùs meditetur. cap.3.verſ.15.n.2. p.185
Totam veritatem detegat. cap.3. verſ.18. num.10. p.189
Eius exemplum. cap.3.verſ.19.n.15. p.192
Solas animas quærat. cap. 10. verſ. 1. numer. 45. p.390
Sibi conſulat. cap.10.verſ.2.n.22. p.393
Deo chariſſimus. Inſtitut.20.tota. p.638
A Deo honoratur. ibid.n.3. & ſeq. p.638
Eſt Propheta. cap.10.verſ.5.n.12. p.397
Exequatur quæ docet. cap. 10. verſ. 5. num. 22. p.398
& cap.14.verſ.43.n.16. p.572

Prædeſtinatio.

Eius vis quanta. cap.14.verſ.46.n.8. p.577

Prælatus.

Qualis. cap.1.verſ.1.n.22. p.7
& verſ.4. num.2. p.15
& cap.6. verſ.12. num.36. p.275
& cap.7.verſ.6.n.37. p.303
& cap.9.verſ.2.n.31. p.350
& num.55. p.351
Vir fortis. cap.1.verſ.1.n.39. p.8
Quàm ſanctus. cap.1.verſ.3.n.33. p.13
Quæ bona ſibi vendicet. cap.1. verſ.3. numer. 37. p.14
Inquirat doctrinas. cap.1.verſ.13.n.24. p.36
Vt Deus habendus. cap.1.verſ.15.n.3. p.41
Adulatorem vitet. cap.1.verſ.22.n.13. p.56
Solitudini ſtudeat. capit. 2. verſ. 11. numer. 3. p.106
Corrigat ſuos.cap.2.verſ.23.n.7. p.125
& verſ.24.num.4. & cap.3.verſ.13.num.14. & 17. p.183
& cap.4.verſ.18.n.49.& ſeq. p.226
Prælati inertis pœna. cap.2.verſ.24.n.53. p.129
& cap.3. verſ.14. n 9. p.184
Eius reprehenſio. cap.2.verſ.29.n.12. p.142
Malus quis. cap.3.verſ.1.num.17. p.163
Stet, & vigilet. cap.3.verſ.2.n.5. p.165
Lucerna Dei. cap.3.verſ.2.n.13. ibid.
Malo etiam obtemperandum. cap.3. verſ. 4. n.13. p.170
& verſ.9.num.20.& 23. p.176
Dei vox. cap.3.verſ.5.n.2.& 10. p.170
Foueat obedientiam. cap.3.v.6.n.9. p.172
Acceſſus ad eum laudabilis. cap.3. verſ.6.num.10. p.173
Sit oculatus: Subditus verò cæcus. cap.3. v.9.n.9. p.175
Ne ſe contemnat. cap. 3. verſ.13. num. 8. & 10. p.183
Non reprehendendus. cap.3. verſ.15. numer. 14. p.186
Ne arma tractet. cap.4.verſ.3.n.3. p.201
Malus quos eligat. cap.6. verſ.11. n.4. p.272
Boni typus. cap.7.verſ.16.n.8. p.317
Præbeat exemplum. cap. 7. verſ. 13. numer. 17. p.314
Eius debitum. cap.14.v.16.num.1. p.540
Suos viſitet. cap. 7. verſ. 16. num. 3. 5. 6. & 8. p.317
Eius pericula. cap.8.verſ.3.n.21. p.324
Quanta eis reuerentia. c.8. v.7. n.14. 15.17.22.25. p.331
& cap.10.verſ.27.n.1.& 13. p.425
Qualis eorum conditio. cap. 8. verſ. 7. num. 21. p.331
Eius obligatio. cap.9.verſ.19.num.7. p.373
& verſ.25.num.1.& 3. p.381
& cap.11. verſ.5.num.15.& ſeq. p.437
& cap.13.verſ.22.num.14. p.520
Iuſtus eius timor. cap. 10. verſ. 1. numer. 46. p.390
Sibi conſulat. cap.10.verſ.2.n.23. p.393
Prius obediat. cap.10.verſ.8.n.14. p.[illegible]
& cap.9.verſ.3.n.17. p.354
Qualis eligendus. cap. 10. verſ. 10. numer. 14. p.405
& verſ.17.num.1. p.412
& cap.11.verſ.14.n.1. p.[illegible]8
& cap.13.verſ.14.num.10.& 18. p.508
Plures Prælati mali. cap. 10. verſ. 13. numer. 11. p.407.
& verſ.27.num.3. p.425
Quantum eorum onus. cap.10.verſ.22.n.15.& 16. p.419
& cap.8.verſ.12.num.5.& 7. p.337
Non ſit ambitioſus. cap. 10. verſ. 22. numer. 20. p.419
Eius ira timenda. cap. 11. verſ. 6. numer. 1. p.438
Iudicium interdum ſubeat. cap.12.verſ.3. num.11. p.456
Malus qualis ſit. cap. 12.verſ.3.n.29. p.457
Qualiter admonendus. cap.12. verſ. 14. num. 18. p.469
& cap.14.verſ.28.n.3. p.555
Tenetur pro ſuis orare. cap.12. verſ. 23. num. 13. p.479
Eius commenſales quales. cap.13. verſ. 2. num.6. p.489
Magis tentatur. cap.13.verſ.17.n.11. p.513
Polleat doctrina. cap.13.verſ.19.n.6. p.515
Seruet leges communes. cap. 14. verſ.40. num. 9. p.569
Quos ſibi coadiutores adſciſcat. cap.14. v.52.n.8. p.584

Prælatura.

Ex obedientia bona eſt.cap.13. verſ.14.n.23.& 27. p.509

Præſumptio.

De venia conſequenda, mala. cap.6. verſ.5. n.21. p.265

Præſentia.

Deſpiciuntur facilè. cap.10.verſ.27.n.12. p.426
Prælati quantum valeat. cap.14. verſ.47. num.18. p.579

Præuiſio.

Lenit mala. cap.4.verſ.18. n.3. p.223

Preces.

Alienæ an proſint. cap.12.v.24.n.1. p.480
& Inſtitut.28. tota. p.654

Primitiæ.

Deo offerantur. cap.2.verſ.15.n.1. p.112

Principes.

Extremi ſua mala cognoſcunt. cap.4. verſ. 14. n.4. p.219
Eos inſtruere ſanum eſt. cap.10. verſ. 8. num.24. p.403
Eos decet clementia.cap.11.verſ.13.n.5. p.447
Eorum abſentia pernicioſa. cap.13.verſ.8.num.16. p.500
Vide *Prælatus*, & *Rex.*

Principium.

Dimidium facti. cap.14.verſ.45.n.5. p.575

Prior.

In culpa, ſit in pœnitentia. cap.6. verſ.10. num.7. p.271
& cap.13.verſ.13. num.20. p.507

Index Selectarum Rerum,

Proceritas.

Ad ſpeciem hominis pertinet. cap. 10. verſ. 23. n. 14. & 15 p. 421
& cap. 9. v. 2. num. 8. & 22. p. 349

Proficere.

Semper in virtute proficiendum. capite 1. verſ. 1. num. 42. p. 8
& cap. 2. v. 26. num. 3. & 8. p. 136
& cap. 6. verſ. 9 num. 7. p. 270

Promiſſio.

Dei qualis eſſe ſoleat. cap. 2. verſ. 30. numero 14. pag. 144
Suas Deus excedit. cap. 10. verſ. 6. numero 27. pag. 400
Diuinæ quam conſtantes. Inſtitutione 23. num. 7. pag. 643

Prophetæ.

Vocantur Dij. cap. v. 3. n. 42. p. 82
Non omnia norunt. cap. 9. verſ. 20. numero 2. pag. 375
Interdum Reges vngebant. cap. 10. verſ. 1. num. 21. pag. 389
Qui, & quales. cap. 10. verſ. 5. numero 17. & 18. pag. 397.
Interdum impij. capite 10. verſ. 10. numero 15. pag. 405
Cur olim conſulebantur. cap. 9. v. 6. num. 11. & 12. pag. 356.
Cur videntes dicti. cap. 9. verſ. 9. numero 11. & 17. pag. 360

Propitiatorium.

Quid, & quale. cap. 4. verſ. 4. num. 24. p. 205
& Inſtitut. 7. numero 1. p. 614

Proſpera.

Moderanda quoque ſunt. cap. 2 verſ. 3. numero 52. pag. 82
Vincenda etiam ſunt vt aduerſa. cap. 2. verſ. 9. n. 2. pag 99

Proſperitas.

Effrænis eſt. Inſtitutione 33. num. 7. p. 666
Corrumpit pietatem. cap. 14. verſ. 47. numero 17. pag. 579

Prudentia.

Tuæ ipſius ne fidas. cap. 8. v. 6. n. 22. p. 329
& Inſtitutione 32. tota. p. 663
Vera, quæ. cap. 13. verſ. 13. num. 8. p. 505
Quàm neceſſaria. capite 15. verſ. 19. numero 8. pag. 515

Pſalterium.

Quid. cap. 10. verſ. 5. num. 26. p. 398

Puer.

Quid ſignificet. cap. 2. verſ. 13. numero 15. & 16. pag. 110
Pueri Dei cibus electus. cap. 1. v. 24. n. 8. p. 60
Deo conſecrentur. capite 1. verſ. 24. numero 21. pag. 60

Puella.

Eius officium quod. cap. 9. verſ. 11. n. 9. p. 362

Pugna.

Spiritualis continua. cap. 7. verſ. 12. numero 17. p. 312
& cap. 14. verſ. 37. num. 7. p. 565

Pulus.

Eo fœdare caput, quid. cap. 4 verſ. 12. num. 9. & 10. pag. 217

Pulchritudo.

Laudabilis, & apta ad regnum. cap. 9. v. 2. num. 62. pag. 352

Purgatorium.

Probatur, cap. 2. v. 6. num. 13. p. 91

Q

Quadrageſima.

QVid, & quare. capite 4. verſ. 18. numero 65. pag. 227

Quies.

Animi diſponit ad cœleſtia. cap. 3. verſ. 5. num. 12. pag. 171
In Deo quies. c. 7. v. 2. n. 25. p. 295

R

Rabbini.

EOrum ineptiæ. capite 1. verſ. 11. numero 16. pag. 33
& verſ. 23. num. 9. p. 58
& cap. 13. verſ. 22. num. 13. p. 520
Vide *Hebræi.*
Quales. capite 2. verſ. 19. num. 19. 143
Rabbi Salomon exploditur. capite 3. verſ. 10. numero 31. p. 179

Ramathain.

Quæ ciuitas. capite 1. verſ. 1. numero 16. & 27. pag. 7

Recapitulatio.

Quæ figura. capite 2. verſ. 30. numero 5. & 8. pag. 144

Regnum.

Eius vanitas. capite 9. verſ. 20. n. 14. p. 375

Religioſus.

Ad ſæculares ne deſcendat. capite 13. verſ. 20. numero 3. p. 517
Mali deſcriptio. capite 2. verſ. 15. numero 21. pag. 114
Ne diſtrahatur à cognatis. capite 2. verſ. 19. numero 14. p. 119
Conſanguineos obliuiſcatur. capite 6. verſ. 12. num. 17. p. 274
Eorum conuentus prior author Samuël. cap. 10. v. 5. num. 15. p. 397

Renouatio.

Spiritus quàm neceſſaria. capite 6. verſ. 7. num. 7. pag. 267
& cap. 11. verſ. 14. num. 5. p. 449

Reprehenſio.

Sit lenis. cap. 2. v. 3. n. 26. & 29. p. 81
Animæ ſtimulus. capite 13. verſu 21. numero 7. pag. 519
Pertinet ad ſolum innocentem. capite 12. verſ. 7. num. 3. & 4. p 462

Reſtitutio.

Quàm difficilis factu. capite 6. verſ. 1. numero 8. pag. 259

Reuelationes.

Priùs diſcutiendæ, quàm credendæ. cap. 3. verſ. 9. num. 12. & 16. p 176
Non ſunt quærendæ. capite 3. verſ. 9. numero 15. ibidem

Rex.

Malus, quaſi nouacula. cap. 1. verſ. 12. numero 58. pag. 34
Eius ius, quod. cap. 8. verſ. 9. numero 11. & ſequentibus. p. 334
Regum luxus. capite 8. verſ. 13. num. 5. p. 338
An poſſint tributa imponere. capite 8. verſ. 15. numero 4. p. 339
Eorum faſtus. cap. 8. verſu 16. num. 2. p. 340
Eorum officium. cap. 8. v. 20. n. 7. p. 343
& cap. 9. v. 24. num. 5. p. 380
& cap. 11. v. 5. num. 17. & ſeq. p. 437

Quo

Quo oleo vngebantur olim.cap.9. verſ.16.num.6. & 7. p.369
& cap.10.v.1.num.14. p.387
Eorum caſtitas.cap.9. verſu 21. n.15. p.377
A quo vngebantur. capite 10. verſ.1. numero 28. pag.389
Vngendi Regis cæremoniæ. capite 10. verſ. 1. numero 29. ibid.
Mortem ob oculos habeant. capite 10.verſ.1.n.32. pag.392
Regi indigenti ſuccurrat Eccleſia. cap. 10. verſ. 4. num. 9. p.395
Ne tributa nimia imponant. capite 10. verſ.4. numero 12. & 13. p.396
Inertium reprehenſio, capite 10. verſ.22. num.24. pag.419
Interdum diſſimulent. cap.10. verſ.27. numero 20. pag.427
Præcedant milites ſuos. cap.11.verſ.7. numero 14. pag.440
Qualiter admonendi. cap.12. verſ.14. numero 18. pag. 469
Patres dicuntur. capite 12. verſ. 15. numero 7. pag.470
Pro ſubditis interdum puniuntur. cap.12. verſ.25. num.9. p.482
& cap.14. verſ.37.num.8. p.565
Præbeant exemplum. cap.13. verſ. 7. numero 17. pag.499
Eorum præſentia quàm vtilis in bello. c.14. v.47. num.18. p.579
Eorum abſentia quantum noceat. cap. 15. verſ.8. num.16. p.500

Rhinoceros.

Cur ei Deus ſimilis. Inſtit.21. numero 6. p.641

Romani.

Quæ filiis nomina imponebant. Inſtitut. 29. numero 15. p.658

Ruina.

Temporalis æquo animo ferenda: ſpiritualis non item. capite 4. verſ. 18. numero 5. & ſequentibus. p.223

S

Sacerdotium.

NOuæ legis purius. cap.2. verſ.18.numero 19. pag.117
Veteris interitus.cap.4.verſ.11.n.9.& ſequentibus. pag. 214
Eius ſucceſſio,& ordo.capite 4. verſ.18.numer.67. pag.227

Sacerdos.

Sacerdotes vetereſ quales.cap.1.verſ.3. numero 46. pag. 14
Sacerdos prædicet.cap.1.v.9.n.33. p.25
Sacerdos Dominus dicitur. cap.1.verſ.11.num.38. pag.34
Malus qualis. cap.2.verſ.12.num.6. p.108
Eorum vitia.cap.2.verſ.12.num.25. p.109
Mali deponendi. capite 2. verſ. 17. numero 14. pag.116
Qui creandi. cap.1.v.22.n.3. p.55
Quanta eius dignitas. capite 2. verſ.20. numero 3. pag. 120
Eorum ſolicitudo.cap.2.v.22.n.7. p.123
Qualis eſſe debeat.cap.2.v.25.n.33. p.133
Eius peccatum quale. capite 2. verſ. 25. num.23. pag. 133
Eius obligatio.c.2.v.28.n.8. p.140
Eius onus.cap.2.verſ.28.n.18. p.141
Lucro ne ſtudeat. capite 2. verſ.28. numero 24. pag.141
An duo ſimul fuerint olim Summi Sacerdotes. c.2. v.32. num.13. p.150
Malorum punitio.c.4.v.11.n.5. p.213
Eorum puritas. capite 5. verſ.2. numero 24. & 25. pag.238
Mali quid faciant.c.5.v.2.n.26. p.238
Quanta eorum religio. cap. 6. verſ. 2. numero 8. pag. 260
Quales. cap.6.verſ.20.n.2. p.287
Eorum officium. cap.7. v.8.n.1. p.305
Ne ſit auarus.c.8.v.3.num.21. p.324
& cap.12.v.3.num.30. p.457
Quantum honorandus.capite 9.verſ.1.numero 12. pag.348
& cap.13.v.9.num.2.& 3. p.501
Eorum modeſtia. capite 1. verſ. 12. numero 23. pag. 36
Indignorum quanta multitudo. cap.10. v.12. numero 17. p.408

Sacra.

Ad ſacros pertinent. cap.6. verſ.2. numero 6. & 7. pag.260

Sacrificium.

Ex optimis fiat Deo. cap. 1. verſ. 11. numero 41. pag. 34
Quanta in eo habenda reuerentia. cap. 1. verſ. 3. num.24. p.13

Salomon.

Quare nocte accepit ſapientiam. cap. 3. verſ. 2. num.3. p.165

Samuël.

Eius genealogia. cap.1.v.1.n.18. p.7
Eius modeſtia.c.1.v.1.n.46. p.8
Typus Chriſti.c.1.v.2.n.6. p.9
Ieiunij fructus.cap.1.v.11.n.1. p.32
& verſ.7. num.23.& ſeq. p.21
Eius abſtinentia.cap.1.verſ.11.n.2. p.32
Conceptio miraculoſa. cap.1. verſ.19. numero 25. pag. 50
Quando natus.cap.1.v.20.n.24. p.52
Fuit orationis fructus. cap.1.verſ. 20. numero 13. & 23. p.51
Eius gloria.cap.1.verſ.20.n.39. p.53
Eius nomen prophetatum. capite 1. verſ. 20. numero 27. & 28. p.52
An fuerit Deo præſentatus. cap.1.verſ.22.num.17. pag.56
Eius conſecratio. capite 1. verſ. 24. numero 17. pag. 60
Maturè dicatus Deo. capite 1. verſ. 24. num. 18. ibidem.
Agnellus, vitulus, roſa, cibus Dei. cap.1. verſ.25. num.14. & 15. p.65
Lenita fuit. cap.1.verſ.28.n.4. p.67
Perpetuò addictus tabernaculo. capite 1. verſ. 28. num.28. p.68
Didicit Muſicam. capite 2. verſ. 11. numero 20. pag. 107
Eius tunica quæ, & qualis. cap.2. verſ. 19. num.1. & ſequentibus. p.118
Eius Laus.cap.2.v.21.n.21. p.122
& cap.3. verſ.4. num.11. p.170
& verſ.15. num.11. p.186
Sancta puericia. capite 2. verſ. 26. numero 1. pag.136
An ſacerdos fuerit. cap.2. verſ. 35. num.6. & ſeq. pag.155
& verſ.11.num.16. p.107

Index Selectarum Rerum,

Cuius ætatis ministrauit. cap. 3. vers. 1. numer. 9. pag. 163
Eius obedientia. c. 3. v. 4. n. 15. p. 170
& vers. 11. n. 9. & vers. 5. num. 6. 15. & sequentibus. pag. 171
& vers. 6. n. 7. p. 172. & v. 9. n. 25. p. 176
Cur iuit ad Heli. c. 3. v. 5. n. 6. p. 171
Duplex eius obedientia. cap. 3. vers. 5. numer. 15. pag. 171
Eius constantia. c. 3. v. 6. n. 1. p. 172
Eius resignatio. c. 3. v. 6. n. 4. ibid.
Quomodo ignorabat Deum. cap. 3. vers. 7. numer. 2. pag. 173
Propheta, dux, & sacerdos. cap. 3. v. 8. numer. 4. & 5. pag. 174
Quàm humilis. c. 3. v. 9. n. 8. p. 175
& vers. 15. n. 13. p. 186
& c. 2. v. 21. n. 17. p. 122
Ianitor templi. c. 3. v. 15. n. 9. p. 186
Non sacerdos. c. 3. v. 20. n. 1. p. 192. & c. 7. v. 9. n. 9. & 11. & 13. p. 306
Puer seni Heli prælatus. Institutione 7. numer. 1. pag. 614
Sacerdos fuit, cap. 7. vers. 9. n. 10. & 12. & 17. & 22. pag. 306
Eius pueritiæ laus. cap. 2. vers. 18. numer. 1. pagin. 116
Qui immolauerit, non sacerdos. cap. 7. v. 9. n. 23. pag. 307
An prælia inierit per se. cap. 7. vers. 11. numer. 5. pag. 310
Non peccauit ædificando altare. c. 7. v. 17. num. 15. & 17. p. 319
Eius ætas quanta. capite 8. vers. 1. numer. 3. & 4. pag. 321
Cur filios præfecerit. cap. 8. vers. 1. n. 17. p. 322
Eius filij leues, & mali. cap. 8. vers. 2. numer. 3. pag. 322
Sacrificium eius quid. cap. 7. vers. 6. numer. 6. pag. 300
Eius charitas. c. 8. v. 6. n. 4. p. 328
& v. 7. n. 19. & 21. p. 331
& c. 12. v. 23. n. 1 & 4. & 8. p. 479
Eius humilitas. c. 8. v. 6. n. 10. p. 328
& c. 9. v. 14. n. 12. p. 367
& v. 19. n. 1. & 5. p. 373
Eius zelus. c. 8. v. 6. n. 21. p. 329
Eius prudentia. c. 8. v. 6. n. 24. ibid.
& c. 12. v. 1. n. 6. p. 453
Eius liberalitas. cap. 9. vers. 19. numer. 1. & 5. pag. 373
Eius virtus. c. 10. v. 1. n. 38. p. 389
& c. 12. v. 5. n. 1. p. 459
Eius benignitas. c. 10. v. 24. n. 7. p. 422
& c. 12. v. 23. n. 9. p. 479
Eius integritas. c. 12. v. 3. num. 4. & 25. & 26. p. 456. & seq.
Eius osculum ad Saülem ad quid. c. 10. v. 1. num. 34. & 36. p. 389
Eius modestia. c. 12. v. 3. n. 6. & 27. & 35. p. 456
& v. 11. num. 9. p. 466
Eius plena iustitia. c. 12. v. 3. n. 36. p. 458
Eius, & Heliæ oratio. cap. 12. vers. 18. numer. 3. pag. 473
Eius oratio potens. c. 12. v. 19. n. 13. p. 475
Eius, & Hieremiæ charitas. cap. 12. vers. 23. num. 10. pag. 479
Eius infantia qualis. c. 2. v. 11. n. 9. p. 106
Quare pro filiis non punitus vt Heli. c. 8. v. 3. n. 9. pag. 324
A filiorum culpis immunis. c. 8. v. 3. num. 15. & 19. pag. 324
Cur non impediuit electionem Regis. c. 8. v. 22. n. 4. pag. 344
Iudex incorruptus. cap. 9. vers. 7. num. 2. & 8. & seq. pag. 357
Vt altare extruxerit. cap. 9. vers. 14. numero 14. pag. 367
Conuentus Religiosorum primus instituit. cap. 10. v. 5. n. 15. p. 397
Cur se commendauit. cap. 12. vers. 3. numero 15. pag. 456
Peccaret non orando pro populo. c. 12. v. 23. n. 16. pag. 480
Pro Saüle cur non exauditus. Institut. 28. num. 10. pag. 655
Puer ingenuus. c. 2. v. 11. n. 15. p. 106

Samson.

Cur Badan. c. 12. v. 11. n. 7. p. 466
Binomius fuit. c. 12. v. 11. n. 8. ibid.
Eius modestia. Inst. 26. n. 8. p. 650
In facilioribus errauit. Institutione 30. numero 3. pag. 660

Sancta Sanctorum.

An ingredi sæpiùs Sacerdoti liceret. c. 4. v. 4. n. 18. pag. 204

Sanctitas.

Quàm æstimabilis. cap. 2. vers. 2. n. 27. p. 78

Sancti.

Quàm Deo amabiles. cap. 8. vers. 21. numero 2. pag. 343
Quàm humiles. cap. 9. v. 7. numer. 3. & sequentibus. pag. 357
Non accipiunt munera. cap. 9. vers. 8. numero 10. pag. 359
Erunt iudices reproborum. cap. 14. vers. 14. num. 1. pag. 537
Interdum falluntur. cap. 8. vers. 1. n. 6. p. 321

Sanctuarium.

Vbi situm. c. 1. vers. 3. num. 34. p. 13. & c. 7. v. 1. n. 11. pag. 292

Sanguis.

Abelis cur clamabat de terra. Institut. 27. numer. 9. pag. 652
Comedere cum sanguine quid. c. 14. v. 32. n. 10. & seq. p. 558
Sanguini non attendendum, sed metitis. c. 14. v. 50. num. 9. p. 582

Sapere.

Non alta. c. 2. v. 3. n. 4. p. 80

Sapientia.

Vera quæ. c. 2. v. 12. n. 18. p. 109

Satrapa.

Qui, & quales. c. 5. v. 8. n. 3. & 6. p. 250
& c. 7. v. 7. n. 8. p. 304

Saül.

In furore à Deo datus Rex. cap. 8. vers. 11. num. 3. pag 335
Quid mysticè. cap. 9. v. 2. n. 38. & 10. p. 349
Aliquando bonus. c. 9. v. 2. n. 27. p. 350
& c. 13. v. 1. n. 1. & seq. p. 484
An in eo manserit spiritus Dei. cap. 10. v. 6. num. 5. pag. 399
Eius probitas. cap. 9. vers. 2. numer. 34. & 39. & seq pag. 350
Fortitudo bellica. cap. 10. vers. 22. n. 24. p. 419
Inconstantia, c. 9. v. 2. n. 42. p. 350. & c. 10. v. 9. n. 2. pag. 403
Humilitas. c. 9. v. 2. n. 44. p. 351. & c. 11. vers. 5. n. 11. pag. 437

An

An melior Samuële.cap.9.verſ.2. numer.45.& 46. pag.351
Humilis, & fortis. cap.9.verſ.2. numer.58.& 59. pag.352
Puer eius quis fuerit.cap.9.v.3.n.4. p.353
Prudens.c.9.v.3. n.7. ibid. & c.10. verſ.16. num.7. pag.411
& verſ.22.n.23.p.419.& cap.14. verſ.36. numer.5. pag.564
& ca.10.v.27.n.16.& ſeq. p.427
& c.11.v.5.n.6. p.436
& v.11.n.11. p.445
Eius humanitas.cap.9.v.5.n.8.& 11. p.355
& v.18 n.10.p.372.& v.21.n.1.& 3. p.376
Nihil obtulit Samueli cap.9. verſ.19. n.12. & ſeq. pag.374
Chriſti typus.cap.9.v.20.n. 11. p.375. & c.10.v.1. n.1.p.387.& c.13.v.3.n.4. p 490
Regni eius breuitas.cap.9.verſ.22.n.12. p.378
Cur domi non vngitur. cap. 9. verſ.27. numer.5. pag.384
Quo oleo vnctus. cap.10. verſ.1. numer.13.& 14. pag.387
Tantum corpore vnctus. cap.10.verſ.1. numer.23. pag.389
Guttatim vnctus.c.10.v.1.n.31. ibid.
De quo prophetauit.cap.10.v.6.n.12. p.399
Eius prophetia qualis.cap.10.verſ.10. n.11. & ſeq. pag.405
Eius modeſtia.cap.10.v.16.n.4.p.411. & v.21.n.5. & 9.p.417
Cur in medio populi. cap.10. verſ.23. numer.8. pag.420
An bis vnctus.c.10.v.24.n.8.& 9. p.422
Cur ab hoſtibus receſſit victor. cap.14. v.46. n.5. pag.577
Eius diſſimulatio.cap.10.v.27.n.16. p.427
An bubulcus,vel arator.cap.11. verſ.5.num.4.& 5. pag.436
Eius crudelitas.c.14.v.44.n.16. p.574
Eius laus.c.11.v.5.n.12. & ſeq. p.437.& c.13.v.7. num.17. p.499
Eius nequitia.c.14.v.44.n.17. p.574
Qualiter pepercerit. cap. 11.verſ.13. numero 9. pag.448
Proprias iniurias condonauit:alienas non item.Inſtitut.25.n.1.& 2. p.648
Bis,aut ter vnctus.cap.11.verſ.14.n.3. p.448
& v.15.n.4.& 5. p.449
Cur puer annicnlus.c.13.v.1. num.1. & ſeq.& 25. p.484.& ſeq.
Quamdiu regnauit. cap.13. verſ.1. num.26.& ſeq. pag.487
Quando milites elegit. cap.13. verſ.2. numer. 8. pag.489
Eius innocentia.cap.13.v.1.num.1.& ſequentibus. pag.484
Non Sacerdos ſacrificauit.c.13.v.8. num.4.& ſeq. pag.500
An equitatum habuerit. cap.14. verſ.52.numer.5. pag.583
Peccauit ſacrificando. cap.13.v.9. num.10.& ſeq. pag.501
Non per ſe ſacrificauit. cap.13. verſ.9. numer.16. pag.501
& Inſt.31.n.1. p.662
Eius ambitio reprehenditur. Inſtitutione 31.tota. pag.662
Triplex eius excuſatio.cap.13.v.12. num.7.& ſeq. pag.504
Temerè iudicauit. Inſt.32.n.3. p.664
Propter quod peccatum amiſit regnum. c.13.v.13. num.11. p.507
Quò proſperior, eò nequior.Inſtitut.33.numer.11. pag.667
Eius pietas.c.14.v.24.n.7. p.548
Eius religio.c.14.v.39.n.7. p.567
Non peccauit iurans contra filium.c.14. v.39.n.6 ibid.
An iurauerit ieiunium.c.14.v.24.n.14. p.548
Lex eius de ieiunio bona.c.14.v.24.n.15.& 18.ibi.
An peccauerit ſortiendo.cap.14. verſ.40.numer.5. pag.568
Eius zelus.c.14.v.34.n.4. p.561

Scandalum.

Graue crimen.c.2.v.17.n.2. p.115

Scriptura Sacra.

Ciuitas fortis.c.1.v.3.n.1. p.12
Libri ex ea,qui perierint. cap.10.verſ.25. num.25. pag.424

Scriba.

& Phariſæi quales.c.1.v.3.n.46. p.14

Schiſmata.

Quid mali faciant.c.5.v.1.n.7. p.235

S.Sebaſtianus.

Eius laus.c.2.v.26.n.12. p.137

Secretum.

Quale.c.9.v.27.n.5. p.384
& c.10.v.16.n.8.& 9. p.411
Amatur à Deo.c.3.v.10.n.26. p.179
Celandum.c.14.v.3.n 10. p.527

Securitas.

In cœlo ſolum.c.7.v.13.n.6. p.313
& cap.9.v.2.n.29.& ſeq. p.350
& c.14.v.4.n.3. p.527

Sedes.

Pelliceæ quid.cap.5.v.9.n.28.& 32. p.253

Sedere.

Peccatoris eſt. Inſt.9.n.11. p.621

Senectus.

Tempus virtutum.Inſt.4.n.12. p.608
Non eſt tempus otij.ibid.n.9.& 10. p.607
Iuuentuti poſthabita.c.3.v.4.n.6. p.169
& Inſt.6.tota. p.611
Non annis, ſed maturitate metienda.Inſtit.6. tota, ibid.

Senex.

Impij acriùs puniuntur.Inſt.4.tota. p.605
Sunt pueri.ibid.n.1. ibid.
Eorum fructus qualis ibid.n.5. p.606
In domo Dei nunquam rude donantur ibid. n.7. ibid.
Senex quaſi Seminex.ibid.n.7.
Eorum obſtinatio.ibid.n.8. p.607
Malus ſtultior mure. ibid.
Eorum peccata grauiora ibid.n.10.
Sodomam deſtruxerunt,& orbem. ibid.
Non omnes veteres ſunt ſenes.Inſtitut.6. numer.9. pag.613
Senex quid.c.2.v.31.n.27. p.149
& v.32.n.21. p.151

Seruitus.

Dei glorioſa.c.1.v.11.n.23. p.33
Quæ durion.c.4.v.9.n.7. p.210
Graue malum.c.10.v.18.n.4. p.414
Malorum omnium extremum. cap.8.v.17. num.5. pag.340

Seruus.

Humanè tractandus.c.9.v.5.n.11. p.355
Fidelis exemplum.c.9.v.9.n.12. p.359

Propter herum honorandus. cap.9. vers. 22. n.15. p.379

Sensus.

Deo sacrandi. cap.6.vers.5.num.1. p.263

Silentium.

Secretorum commendatur. cap.10.v.16.n.8. & 9. p.411

& cap.14.vers.3.n.10. p.527

Bonum propositum silendum. cap.14.vers.1.n.14. p.525

Silo.

In quo loco. cap.1.vers.3.n.9.& 35. p.12

Simonia.

Quantum crimen. cap. 2. vers. 25. numer. 44. p.134

Simplicitas.

Sancta, & fœcunda. cap.2.vers.5.n.41. p.88

Primi sæculi quanta. cap. 11. vers. 3. num. 13. p.435

Singularitas.

Auget beneficium. cap.2.vers.28.n.7. p.140

Sitartium.

Quid. cap.9.vers.7.n.13.& seq. p.357

Sisara.

Quis. cap.12.vers.9.n.6. p.464

Sinistrum.

In Iusto nihil. Institut.30.num.7. p.661

Societas.

Mala non obest nolenti. cap.3. vers. 1. numer. 13. p.163

& cap.10. vers.11. n.3. p.406

Societatis Iesv votum de non ambiendo. c.13. vers.14.n.27. p.509

Sodoma.

Eam peccata destruxerunt. Institut. 35. num. 13. p.672

Ignis eius cur pluuia dicitur. ibid.n.13. p.672

Sodomita.

Eorum pœna qualis. cap.5.vers.9.n.17. p.253

Solitudo.

Quærenda. cap.2.vers.18.n.6. p.117

Somnus.

Quadruplex. cap.3.vers.9.n.11. p.176

Sophin.

Quid. cap.1.vers.1.num.15.& seqq. p.7

Sortes.

Non semper impiæ. cap. 10. vers. 19. numer. 10. p.415

& Institut.12. tota. p.641

Earum vsus, & natura. Institut.22.tota. p.641

Inter Saül & Ionathan quales. cap.14.vers.42.n.1. & seqq. p.571

Spiritus sanctus.

Cur in columba, & igne. Instit.27.n.7. p.652

Quando hoc nomen innotuit. Institut. 29. num.4. p.656

Sponsa.

Vt inueniat Christum. Institut.20.n.6. p.639

Sportula.

Quid. cap.9.vers.9.n.17.& 19. p.358

Stater.

Et siclus quid. cap.9.vers.8.n.5.& 7. p.358

Stabulum.

Domus quoque dicitur. cap.6. vers. 10. num. 12. p.171

Statio.

Philisthinorum quid. cap.10. vers.5. num.9.& 10. p.397

Stephanus.

Eius triumphus. cap.4.vers.2.n.7. p.100

Cur vidit Christum in cœlo. Institut. 20. num. 7. p.639

Stultus.

Leuis est. cap.1.vers.18.n.13. p.48

Multiplex est. Institut.2.n.2. p.591

Subditus.

Cæcus: Prælatus ocularus esto. cap.3. vers.9. n.9. p.175

Eius peccata Prælatis nocent. cap.14.vers. 37. n.8. p.565

Suffragia.

Pro damnatis inania. Institut.3.n.21. p.599

Superbia.

Obstat disciplinæ. cap.2.vers.12.n.3. p.108

Per extrema obcæcat. cap.8.vers.20.n.6. p.343

Qualis vermis. cap.13.vers.1.n.28. p.487

Supplicia.

Humiliter ferenda. cap.6.vers.5.num.11. p.264

Huius vitæ nugæ Dei sunt. Institut.12.tota. p.626

Sullæ iræ Dei. ibid.num.7. p.627

Synagoga.

Fœcunda. cap.1.vers.2.n.1. p.9

Ea, & gentilitas quales. cap. 1. vers. 2. num. 10. pag.10

Cæca, & surda. cap.2.vers.33. n.12. p.152

Eius repulsio. cap.7.vers.2.n.2. p.294

T

Templa.

Diuinæ beneficentiæ fontes. cap.1.vers.27.n.9. pag.66

Vitia in eis auelluntur. cap. 1. vers.3. numero 30. pag.13

Quanta eis reuerentia. cap. 2. vers. 11. num. 5. p.106

& vers.17. num.11. p.116

& cap.1.vers.7.n.6.& 8. p.20

Cur eis Deus interdum non parcat. cap.4. vers.11. num.6.& 10. p.213

Vnde sancta. cap.5.vers.2.n.1. p.237

Temperantia.

Cibi laudabilis. cap.1.vers.9.num.11.& 22. p.14

Temporalia.

Spiritualibus posthabenda. cap. 12. vers. 21. n. 2. p.477

Temporales iacturæ æquiùs ferendæ spiritualibus. cap.4.vers.18.n.5.& seq. p.223

De eis non exultandum. cap.11. vers.15. num. 19. p.450

Eorum vanitas. cap.12.vers.21.n.1. p.477

Tenebræ.

Damnatorum pœna. cap.2.vers.9.n.20. p.100

Tentatio.

Quos,& quando apprehendat.cap.11.vers.1.n.14. p.431

Tres sunt præcipuæ. cap.13.v.17.n.4. p.513

Semper sentiendæ sunt. cap. 14. vers. 37. num. 7. p.565

S. Thomas.

Cur minus Apostolis reprehenditur. Institut. 10. num.3. p.623

Thohu.

Quid. cap.1.vers.1.n.50. p.9

Terra.

Cur vocatur Arida. Institut.29. n.6. p.657

An contra Philisthæos tremuerit. cap.14. vers.15. num.12. p.539

Testimonium.

Ab inimicis optimum. cap.12.v.4.n.4. p.458

Timor Dei.

Sit cum amore coniunctus. cap.11.vers.7.num.21. p.440

Spei comes sit. cap.12.vers.20.n.1. p.476

Solus non sufficit. cap. 12. vers. 14. numer. 1. p.468

Traianus Imp.

An ex orco reuocatus à Gregorio. Institut.3.tota. p.594

Minimè ab inferno liberatus. ibidem numer. 33. p.602

Reuelationes circa eum quales. ibidem num. 12. p.597

Tributa.

An ea imponere Regibus liceat. cap.8.vers.15.n.4. p.339

& cap.10.v.4.n.12. p.396

Triclinium.

Quid. cap.9.vers.22.n.10.11.& 13. p.368

Tridens.

Quid. cap.13.v.21.n.6. p.518

S. Trinitas.

Ei gratiæ agendæ. cap.1.vers.24.n.39. p.62

Tympanum.

Quid. cap.10.vers.5.n.26. p.398

Tyranni.

Eorum ingenium. cap.5.vers.10.n.11. p.255

Eorum Crudelitas. cap.8.vers.15.n.8. p.339

V

Vasca.

POrtantes Arcam quid mysticè. cap.6. vers.7. num.11. p.268

Cur lactantes electæ. cap.6. vers.7.n.14. ibid.

Quis eas direxerit. cap.6.v.12.n.5. p.273

Quid significent. cap. 6. vers.12. num.7. & 14. & seq. ibid.

Vana gloria.

Eius pernicies. cap.1.vers.11.n.50. p.34

Eius cupiditas qualis. cap. 14. vers. 29. num.10. p.556

Excitat animum ad ardua. cap.14.v.30. n.1. ibid.

Quàm fugienda. cap.2.vers.3.n.24. p.81

& cap.14. vers.24.n.19. p.550

& vers.26. num.6. & seq. p.551

& vers.27. n.6. p.552

& vers.32. num.2. p.558

Veniales culpæ.

Interdum cautiùs vitandæ. Institut.30.num.8.& 9. p.661

Verbum.

Quid significet. cap.1.vers.23.n.14. p.58

In terram cadere quid. cap. 3. vers. 19. num. 16. p.192

Verba rara, opera frequentia. cap.10. vers.4. n.10. p.396

Non verba, sed facta sanctitatem probant. cap.10. vers.16. n.2. p.411

Vermilius Hæreticus.

Impiè censurat. cap.8.vers.3.num.17. p.324

Veritas.

Paulatim corrumpitur. cap. 14. vers.28. num.6. p.555

Vestis.

Vestes scindere quid significet. cap.4. vers.12. n.9. & 10. p.217

Vespertilio.

Cur in lege prohibitus. Institut.31.n.6. p.663

Symbolum ambitionis. ibid.

Vinum.

Alienum à fœminis. cap.1.vers.9.n.18. p.24

& vers.15. num.32. p.43

Eius abstinentia fructuosa. cap.1.v.11.n.1. p.32

Via.

Bona, & recta quæ. cap.12. vers.23.num.19.& 21. p.480

Victoria.

Duci tribuendæ. cap.13. vers.3.n.18. p.491

Earum autor Deus. cap.13. vers.19. num. 2. & 15. p.515

Vigilia.

Matutina quid. cap.11.vers.11.n.10. p.445

Virga.

Ionathæ quæ. cap.14.vers.27.num.2. p.552

Virtus.

Occultanda est. cap.14.vers.1. n.13 & 15. p.525

& vers.3. num.9. p.527

Eius ardua non solum obeunda, sed & præoccupanda sunt. Institut.17.tota. p.634

Vir.

Quis dicitur. cap.14.vers.24.num.1. p.548

Ne sit mollis. cap.1.vers.11.num.25. p.33

Vir Dei quid. cap.9.vers.6.num.4. p.356

Vir Dei, qui venit ad Heli quis. cap.2.vers.27.n.11. & seq. p.138

Vipera.

Deliciarum typus. cap.13. vers.18. n.16. p.514

Virgines.

Quinque Euangelij cur fatuæ. Institut. 30. num.2. p.659

Virginum dignitas. cap.13.vers.16.n.6. p.512

Visio.

Interna vera. cap.9,vers.9. num.6.9.& 10. p.360

Visitare.

Deum quid. cap.2.vers.11. num.3. p.121

Modus visitandi Episcoporum. cap.7. vers. 16. n.6. & 13. p.517

Vita.

Humana quàm brevis. cap.2. vers. 34. numer. 11. p.154

& Institut.8. tota. p.615

Etiam centum annorum brevis. Institut. 8. num.2. ibid.

Diem durat. ibid.num.3.& 4. p.616

Aquæ guttula. ibid.n.5.

Nihil prorsus est. ibid.n.5.

Quatuor digitorum est. ibid.num.7. p.617

Puluis, & stipula. ibid.n.12. p.618

Flos caducus. ibid.n.10.& 11. p.617

Nascens moritur. ibid.n.12.& 13. ibid.

Quod eius tempus. cap.13. vers.1.num.27. & seq. p.487

Æterna gratis datur. cap.2.vers.8.n.38. p.97

Contemplativa cum Activa. cap.13. vers.20. n.8. p.517

Unguentum.

Quo Reges vngebantur. quale. cap.9. vers.16.n.6. & 7. p.369

Quo vnctus Saül. cap. 10. vers. 1. num.13. & 14. p.387

Quo Reges à Prophetis vngebantur.cap.10.vers.1. num.21. p.389

Unitas.

Deum possidet. cap.1.vers.1.n.35. p.8

Unus.

Titulus iusti. cap.1.vers.1.n.1.& 4. p.7

Unctio.

Reddit Reges venerabiles. cap.10. vers.1. num.25. p.389

Quid

Quid significet. cap.10.vers.1.n.24. ibid.
Vnctionis Regiæ cæremoniæ. cap.10. vers.1. n.29 ibid.
Saülis qualis. cap.10.vers.1.n.31. ibid.
Eius vis. cap.10.vers.10.n.7. p.405

Voluntas.

Propria corrumpit bona. Instirut.32.n.8. p.664

Votum.

Fiat ex propriis. cap.1.vers.11.n.37. p.33
Societatis IESV de non ambiendo. cap.13. v.14. num.27. p.509

Vox.

Dei quàm attentè audienda. cap. 9. vers. 15. n.4. p.368
Interna efficacior. cap.1.vers.12.n.8. p.37

Vxor.

Phinees quando mortua. cap.4. vers. 20. num. 9. p.230
Vide *Phinees.*
Vxores duas habere an licuerit aliquando. c.1.v.2. num.3. & 5. & 12. & 17. p.9

Z

Zelotypia.

MAlum graue. cap.1.vers.6.n.9. p.18

Zelus.

Samuëlis qualis. capit. 8. vers. 6. numer. 21. p.329
Saülis qualis.cap.14.vers.34.n.4. p.561

FINIS.

Laus Deo Virginique Mariæ.